De Juº Antº del Alcaçar costó veinte reales. Diolo al Colegio de S. Hermenegildo de la Compª de Jhs de Sevilla

AENEAE SYLVII PICCOLOMINEI

Senensis, qui post adeptum Pontificatum Pius eius nominis Secundus

appellatus est, opera quæ extant omnia, nunc demum post corruptissimas editiones summa diligentia castigata & in unum corpus redacta, quorum elenchum uersa pagella indicabit.

His quoque accessit Gnomologia

ex omnibus Syluij operibus collecta, & Index rerum ac uerborum omnium copiosissimus.

Caue legenda opera Aneae Sylvi: ipse enim in bulla retractationis nulla quae scripserat damnauit.

Corregido conforme al nuevo indice de 1632

Jº del Marmol

BASILEÆ.

Operum Aeneæ Syluii, quæ hoc libro continentur, Catalogus.

De Gestis Concilij Basiliensis commentariorum libri duo. fol. 1.
De Coronatione Felicis Quinti Pontificis Max. lib. 1. fol. 61.
De ortu & historia Bohemorum. lib. 1. fol. 81.
Abbreuiationum Flauij Blondi Foroliuiensis, ab inclinatione imperij usque ad tempora Ioannis XXIII. Pontificis Max. lib. 20. fol. 144.
Cosmographiæ, uel de mundo uniuerso historiarum. lib. 1. fol. 281.
Europa, in qua sui temporis uarias historias complectitur. lib. 1. fol. 387.
In Antonij Panormitæ de dictis ac factis Alphonsi Arragonum regis libros quatuor, commentaria. fol. 472.
In triumphum Alphonsi. fol. 497.
In Alphonsum Arragoniæ regem oratio. fol. 498.
Epistolarum opus. fol. 500. in quo comprehenduntur, quæ præterea à Tricemio annotantur, utpote,
Quæstionum solutio. lib. 1. fol. 594.
De fortuna. lib. 1. fol. 611.
De Poëticæ laudibus. lib 1. fol. 619.
De duobus amantibus. lib. 1. fol. 623.
Cõtra Bohemos & Thaboritas, de sacra cõmunione sub utraque specie. li. 1. fol. 660.
De clade Cõstantinopolitana & bello contra Turcas suscipiendo. lib. 1. fol. 678.
De Clade uniuersalis ecclesiæ lib. 1. fol. 712.
Descriptio urbis Viennensis. lib. 1. fol. 718.
De miseria Curialium. lib. 1. fol. 720.
De rebus à se gestis. lib. 1. fol. 755.
De Papæ officio & eius officialibus. lib. 1. fol. 801.
De grauamine Germanicæ nationis. fol. 836.
De fide Christianorum ad Turcam. lib. 1. fol. 872.
Oratio in conuentu Mantuano. fol. 905.
De profectione in Turcas. lib. 1. fol. 914.
Ad Calixtum Papam oratio. fol. 923.
Oratio coram cœtu Cardinalium. fol. 928.
De amore Guisgardi & Sigismundæ Tancredi Salernitanorum principis filiæ, tractatus, ab Aenea Syluio ex uulgari in linguam Latinam conuersus. fol. 955.
De Vindicta illatæ uiolentiæ, quam de se extorsit Lucretia Romana speculum pudicitiæ, lib. 1. fol. 959.
In Saluatoris nostri laudem carmen saphicum. fol. 963.
De Liberorum educatione ad Ladislaum Vngariæ & Bohemiæ regẽ. lib. 1. fol. 965.
De Grammatica ad eundem. lib. 1. fol. 976.
De arte Rhetorica, & epistolarum partibus ad illustrissimum principem Marchionẽ Badensem, Archiepiscopum Treuerensem libri. fol. 992.

Stemmatis Nobilitate & Doctrina Clarissimo uiro D. SEBASTIANO TRUCHSES à Reinfeld, Domino suo plurimùm obseruando, Marcus Hopperus, S. P. D.

SI est laudabile chalcographorum illud studium, ut certè nullius non iudicio quàm maximè est, Vir Clarissime, quo magnorũ doctrina uirorum uita iam defunctorum lucubrationes, quas post se quisq; in usum posteritati reliquit, referre in unum & comportare solẽt: Quid ni hoc quoq; consilium & institutum Henrichi Petri, bonis & studiosis omnibus meritò probetur, quo authoris grauissimi Æneæ Syluij Pij olim Pontificis in unum pariter collecta, quæ haberi hactenus potuere monumenta omnia in publicũ ex sua officina emittit? Sed con nexi huius ueritas tum equidẽ constabit, si dignos esse uiri huius libros, qui à studiosis euoluãtur, ostendero. Quis uerò non dignos eos quàm maximè arbitretur, quũ, quę librum aliquem commendare solent, omnia plenissimè hîc concurrant? Siue enim authoris dignitatem & excellentiam spectes, siue rei, qua de scribitur & materiæ grauitatem expectes, seu denique sermonis te puritas & stili elegantia oblectet, nihil equidem horum desiderari hîc meritò posse uideo. Nam ut de authore prius dicam, fuit Æneas ille uir non obscurus aut uulgaris, sed quouis etiam principe maior in postrema uitæ suæ parte habitus est. Sed dignitatis ac gloriæ suæ incrementa ipsummet referentẽ audiamus. Sunt hęc eius ad Noxetanũ Comitem Palatinũ de seipso uerba: Quem, inquit, domum egrediẽtem meliori flatu quàm me fortuna prosecuta est? Nam quãuis annos sex & uiginti natus, cum darẽ Iuriciuili operam exorto bello patriam & studium coactus sum relinquere: accessi tamẽ grande illud Basiliense Concilium, inueniq; gratiã in oculis patrum: Scriba in Synodo fui, & literarũ abbreuiator, & unus de duodecim uiris, qui magistratus illic quasi censorius habebatur. Neq; enim sine duodecim uiris ad consultandum de rebus, consiliaribus quisq; admittebatur, et admissi qui nõ inuenirentur idonei, his iubentibus, cõmouebantur. Erãt in Cõcilio quatuor conuentus, qui deputationes appellabantur, de fide & pace, de reformatorio, de cõmunibus præsidentes. Hæ suos singulæ singulis mensib. elegerunt. In deputatione fidei in qua eram inscriptus, sæpe præsedi. Inter collatores quoq; beneficiorũ bis sum electus. Legatus ab ipso Cõcilio ad complures principes missus. Cum pontificatũ Amedæus dux Sabaudię suscepisset, Felix nũcupatus, in secretariũ sum ab eo accitus. Nec diu post uocatus ad Fredericum Imperatorẽ protonotariatus officium ab eo sum adeptus. Dum legationes Cæsaris obeo, uniuersam fermè Germaniam

circuiui. Secretariatus & subdiaconatus honorē ab Eugenio, & mox illo defuncto, à Nicolao suscepi. Cuius cōclauis cū eligeretur, cū ceteris principum legationibus custodię presui. Lapsum est postea breue tēpus, in quo me Nicolaus Tergestinæ ecclesiæ, nihil tale merentē, præfecit episcopum: quadrienniocꝫ ab inde decurso, Senensis urbis, unde mihi origo est, pontificatum ad me detulit. Hęc Æneas de honorum suorum successu, & plura quidē ibidem uideris. At non substitit hîc, uerū ex Senensis episcopi loco in Cardinaliū quocꝫ ordinē cooptatus est, de quo hæc eius ad Fridericū Imperatorē uerba leguntur: Quod, inquit, iamdudū optasti procurastícꝫ Cæsar in persona mea, nūc demū completū est. Nam quòd sanctæ memoriæ Nicolaus Papa quintus, tuæ mansuetudini sæpe pollicitus est, beatissimus Pont. Max. Calixtus tertius impleuit: Qui ad Cardinalatus ordinē cum quincꝫ alijs uenerabilibus, & magnæ authoritatis episcopis me prouexit. Hæc ipse. At ne hunc quidē honorū suorū terminum esse Deus uoluit, sed ad supremū etiā ecclesiasticæ dignitatis fastigiū eum euexit, quando Pij Pontificis cognomē, à pietate, qua semper excelluit, consecutus est: de qua re ipsemet ad scholā Parrhisiensem in hunc scribit modū: Sanè foelicis recordationis Calixto Papa III. prædecessore nostro de huius mortalis uitæ ualle VIII. Idus Augusti ad cœlestē patriā euocato, nos unà cū fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalib. de quorū numero tunc eramus, Romę in apostolico palatio apud S. Petri Apostolorū principis Basilicā, modo ac tēpore congruis pro futuri creatione Pontificis curauimus cōuenire, nobiscꝫ cū meis fratrib. sub deliberationis magnæ negotio, quā tantæ rei qualitas exigebat, aliquandiu tractantibus, tandē ipsi fratres, licet potuissent in alios maioris meriti consentire, tamen sancti Spiritus infusione, ipsorū animos sic afflante, ad personam nostram dirigentes unanimiter uota sua, nos tunc tituli S. Sabinæ presbyterum Cardinalem, nescimus quo occulto & nobis tremendo iudicio ad celsitudinis apostolicæ fastigium concorditer elegerunt. Hæc ille, & alia quæ sequuntur. His ergo uir ille auctibus ad hanc culminis sublimitatem ascendit uirtute duce, ut Ciceronis uerbo utar, & comite fortuna, uel uerius Deo ipso, qui quos uult facile euehit deijcitúe, de quo Hesiodi pulcherrimū carmē extat:

Epist. 188.

Epist. 189.

Epist. 191.

ῥέα μὲν γὰρ, inquit, βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει
ῥέα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει
ῥέα δ' τ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

Hactenus de authoris nostri dignitate & excellentia dicta sufficiant, reliqua, si uoles, in uitæ eius descriptionibus uideris. Dehinc porrò librorum argumēta singulorū inspiciamus, & quantū quiscꝫ, perpensa materiæ grauitate, ponderis & momenti habeat, consideremus. In prima itacꝫ acie positus est nobis gestorum Cōcilij Basiliensis commentarius, duobus libris compræhensus: In quorum priori hęc ferè habentur: nēpe occasio qua, relictis alijs locis, Basileā sit Cōcilium translatum: Tū qui ex principibus ordinis utriuscꝫ uel ipsi ad Cōcilium uenerint, uel oratores suos miserint: Præterea quibus artibus & insidijs

ſidijs Eugenius, tum Pont. Max. impedire Conciliũ id atq; diſſoluere conatus ſit. Ob quod ſanè hæreſeos à Concilio condemnatur. Vbi quidẽ multorum magnorum uirorum, epiſcoporum & aliorum orationes doctiſsimas, non ſine uoluptate & utilitate legere eſt. Hæc de priori libro breuiter. In poſteriori uerò Eugenius ſede apoſtolica deijcitur: nouus Pontifex creatur: Vbi non minus iucundum eſt audire inſtructiones illas & apparatum, cæremoniasq; quibus cũ abrogãdo, tũ ſurrogando alium Pontificem uſi ſint. Grandis prçterea lues exponitur, qua multi tum temporis Baſileç, quidã etiã ex patribus, et epiſcopis perierint. Sequitur hos de ritu, moribus, ac geſtis Bohemicæ gentis hiſtoria: Cuius non tã facile eſt ſummam rationem exhibere, cum ſua ſingulis fermè capitib. ut inſcriptiones propriæ, ita propria argumẽta habeantur. Illud tamẽ dicere in cõmendationem eius uerè poſſumus, lectu eam eſſe et iucundã et utilem, ceu in qua omnis generis exempla plurima ſe nobis offerant. Proxima huic eſt triũ Blondi decadum Epitome: quibus ille libris ab inclinatione Romani Imperij, cuius initia cœpiſſe à Gothorũ in urbẽ Romã irruptione, autumat, quæ ab anno ſalutis humanæ CCCCXII. numeratur, ad annum uſque M. CCCCXII. cunctas hiſtorias memoratu dignas, fere perpetua complectitur. Succedit huic inſigne illud opus de mũdi huius habitabilis partibus, Aſia inquam, Aphrica & Europa, quod, ut ipſemet fatetur, Pontifex compoſuit. Vbi cuiuſcunq; uel loci magnitudinem, ſitum ac proprietates, uel gentis originẽ, ritus & conſuetudines cognoſcere uelis, ſine difficultate conſequi potes. Poſt hæc in quatuor libros de dictis & factis Alphonſi Regis cõmentaria ponuntur: de quibus hæc Æneæ ad Panormitam eorũ librorũ authorẽ cenſura fertur. Quid plura? inquit, Apophthegmata Plutarchi Philelphus in latinum uertit, dicta illic factaq; memoratu digna breuiter cõprehenſa ſunt illuſtriũ uirorũ, quos non oriens modò, ſed Grçcia ſimul & Roma protulit. Maiora tamẽ et illuſtriora de uno Alphonſo tuus liber explicat. hactenus Æneas. Si ergo ſapientũ uirorum colloquijs & cõſortio ſapientiores, quæ uerisſima eſt ſentẽtia, reddimur: Rex aũt ille uel Socrate ſapientior ſit habitus, cur non dignisſima cenſeamus facta hæc eius atq; dicta, quç ab hominibus ſapientiæ ſtudioſis cum uoluptate legantur? Reliquũ eſt epiſtolarũ opus rerũ et perſonarũ, ſiue argumentorũ dignitate non minus graue: quas ipſe Poëta, Secretarius, Epiſcopus, Cardinalis, ac deniq; Põtifex ſummus hinc inde ad uiros magnates miſit. Inter eas, ea quoq; continentur opuſcula ferè omnia quorũ Tritthemius inſuper meminit, uelut ſunt, ut digniora aliquot nominẽ, de miſerijs Curialiũ, Thaboritarũ mores & contra eos diſputatio, de fide Chriſtiana aduerſus Turcã, de liberorũ educatione, & alia quædam quæ uerſa frontiſpicij pagella uidere eſt. Poſtremò adiecta ſunt quoq; authoris huius rhetorica quædam progymnaſmata tyronibus haud aſpernãda, quæ non ineptè liberorum educandorum tractationi, quæ grammatica quædam habet, ſubijciuntur. Hi ergo libri ſunt, ex quibus uolumẽ hoc com-

positum est, digni omnes qui in manus studiosorum ueniant: In quibus conquirendis, ut honoris ergò eos nominem, suam quoq; operam nobis præstitere eximij Viri D. BONIF. AMORBACHIVS Iuris V. D. urbis nostræ Syndicus & Academiæ hoc tempore M. Rector: & D. IOAN. SPHYRACTES Iuris. V. Licentiatus, ordinarius apud nos legum professor, affinis noster charissimus: nec nō D. CONRADVS LYCOSTHENES Rubeaquensis Liberalium artium Magister, amicus noster singularis, qui sententias quoq;, quarum hic author refertissimus est, à se inter legēdum obseruatas, ut est uir diligentissimus ac uerè studiosus, nobis communicauit, quarum farraginem adiectam hîc uides. Hactenus de authore & librorum eius argumentis. Tertium quod proposueram supra fuit, ut de stili elegantia & sermonis puritate aliquid dicerem: sed lector ipse eruditus, si non sit iniquus, aut ex eorum secta hominum, quibus præter Ciceronis uerba nihil placet, melius multò iudicabit, ad priscorum eloquentiam Æneam nostrum propè accedere, & inter sui temporis scriptores fuisse oratorem & poëtam optimum. Illud autem diffiteri nolim aspersas esse uoces aliquas, præsertim in aliquibus epistolis, quæ curialibus sint magis notæ quàm latinæ linguæ usu receptæ: non ob id tamen resiliendum sibi à lectione eius lector bonus & æquus putabit. Ex his itaque omnibus quæ dicta sunt hactenus à nobis, perspicuum satis esse puto, authorem hunc esse maximè dignum, cuius in hominum manus monumenta ueniant. Ad te nunc, Vir Clarissime, orationem meam conuerto, ut causam breuiter exponam, quę me impulerit, ut tuæ Humanitati opus hoc inscriberem. Notitia quippe & amicitia quæ olim nobis pueris, dum sub eodem præceptore militaremus, intercesserat, & si cōpluribus iam annis quibus remoti non exercuimus eam, collapsa quodammodo uideri posset, apud me tamen recens semper et integra manēs, studium quoddam ingens erga te & fratrem tuum. D. AMANDVM mihi quoque familiarem, in animo meo reliquit: & multò magis id excitat, quòd uos non sola natalium nobilitate contentos, ardentius bonarum literarum & uirtutum studia sequi uideo: hunc inquam, meum erga nos animum, hoc uelut amoris mei pignore quodam testatum & comprobatum apud tuam Humanitatem uolui. Quam etiam atque etiam rogo, hoc quicquid est munusculi boni consulere et animo æquo suscipere, atque me sibi commendatum habere uelit. Basileæ IIII. Calendas Septemb. Anno salutis, M. D. L. I.

Aeneæ Syluii Pontif. Vita.

Pii II. Pontificis Max. Vita,

per Platynam, descripta.

PIus secundus Aeneas cognomento Piccolomineus antea uocatus natione Italus Senis oriundus, Corsiniani ortus, patre Syluio, matre Victoria, Patrũ omnium cõsensu põtifex creatur tertio decimo Cal. Septemb. M. CCCCLVIII. Nam pater eius à plebe Senẽsi cum reliqua nobilitate è repub. deiectus, ut ad fundum gentilicium Corsinianum uallis Vrciæ oppidum se cõferens, infantem eo loci ex uxore suscepit. Nato puero, Aeneas Syluius nomen pater indidit. Puerpera autem per quietem uisa est sibi infantem cum mitra parere, quæ (ut pronæ semper in peius mẽtes hominum sunt) uerita est ne somnium illud puero & familiæ ignominiam portenderet, neque antea huiuscemodi suspitione leuari potuit, quàm postea intellexerit filium Tergestinum episcopum designatum fuisse, quo nuncio omni prorsus metu liberata immortali deo gratias egit, quod defunctum meliore fato quàm ipsa coniectauerat filium sibi uidere contigisset. Prius tamen cum iam per ætatem discere aliquid potuisset: Corsiniani singulari memoria, & summa docilitate Grammaticam didicit, parce adeo ac duriter uitam ducens, ut omnia ruris officia ob inopiam adire sit coactus. Annum uero & decimum octauum agens Senas proficiscitur, ubi à necessarijs & cognatis adiutus, Poëtas primo, mox Oratores audiuit, quibus facultatibus tãtum ingenio & diligentia ualuit, ut breui præclara Poëmata Latina & Hetrusca lingua ediderit, ludens credo in amorem quo ætas illa maxime conflictatur. Inde uero ad ius ciuile se contulit, quod profecto non ita multo post deserere coactus est. Orto namq; inter Senenses & Florentinos bello, charitatem annonæ ueritus, & nobilitatem plebi Senensi suspectam cernens, uoluntarium sibi, uelut exilium adsciuit, secutus amplissimum uirum dominicum Capranicum, qui tum Senis iter faciens ad Basiliense Cõcilium proficiscebatur, questũ iniurias ab Eugenio pontifice sibi illatas propter denegatum galerum Cardinalatus insigne, quo etiam absente Martinus ob eius uirtutem & integritatem merito donauerat. Huius igitur contubernio usus post longos itineris labores superatis alpibus cœlo uicinis, & congelatis niuibus opertis, per inferni pontem, lucernæ lacũ Heluetiorum campos, Basileam tãdem peruenit. Quo in conuentu & si multa negotia Aeneæ Dominici Secretario obuenerint, semper tamẽ est aliquid otij suffuratus, quod literis traderet. Dominicum deinceps paupertate & inopia circumuentũ, quippe cui beneficiorum & paternæ hæreditatis prouentum omnem, Eugenium denegabat, relinquere non sine lachrymis cogitur. Bartholomæum Nouariensem episcopum secutus, quo cum Florentiam ubi Eugenius pontifex erat peruenit, sed hunc quoque in iudicium ob crimen læsæ Maiestatis ab Eugenio accersitum, Aeneas relinquere impellitur. Nicolaum sanctæ crucis Cardinalem secutus patrem certe optimum, ac omnium opinione sanctissimum, qui Attrebatum profectus Eugenij iussu, ubi conuentus Gallorum principum habebatur, pacem inter ducem Burgundiæ (qui cum Anglis sentiebat) & regem Franciæ composuit. Redeunte autem in Italiam Nicolao, quem Veneti ac Philippus Mediolani dux autorem componendæ pacis requirebant. Aeneas admodum non Eugenio gratus Basileam proficiscens magno semper in honore apud omnes est habitus. Fuit enim scriba in Synodo illa celeberrima, & literarum apostolicarum abbreuiator, Duodecimuir, qui magistratus in tanto conuentu Censorius habebatur. Nihil enim publice per quempiam agi poterat, nisi horum grauissima autoritas interuenisset, & si qui admissi ad consultandum de rebus conciliaribus minime idonei habiti sunt horum iussu senatu mouebantur. Erant in eo Concilio quatuor conuentus, qui deputationes more Aulico uocabantur, apud quos de fide, de pace, de reformatione, de communibus agebatur. His magistratibus singuli præsidentes singulis mensibus præficiebantur. In deputatione fidei

cui Aeneas erat ascriptus sæpe præsidet. Inter collatores beneficiorum bis quoque electus. In eo autem conuentu persæpe orauit, sed illa eius oratio egregia, & elegans est habita, qua in eligenda Concilij sede idonea, Auenioni, Vtinæ, Florentinæ. Papiam anteferendam ostendit, rerum opportunitate, situ loci, ædium priuatarum magnificentia, cœli benignitate & clementia commoditate rerum omnium, quæ urbi possunt importari, liberalitate Philippi ducis. Cum uero aliquid per nationes agēdum erat: unus super ex Italica deligebatur, qui rebus agendis præesset, tanta erat in homine morum facilitas, & ingenij dexteritas. Legationes uero plures concilij causa obiuit. Argentinam tertio, Tridentum semel, Constantiam secundo, Franckfordiam semel, in Sabaudiam iterum mittitur. Designato autem post longas consulationes Concilij in pontificem, Felice, Eugenioq; excluso, cum octo uiri ex una quaq; natione deligerentur, quibus summa potestas in rebus conciliaribus permitteretur. Aeneas pontificis Secretarius magistratum illum ultro oblatum renuit. Orator deinde ad Fœdericum Imperatorem à Felice missus, tantum dexteritate ingenij apud hominem ualuit, ut eum corona poëtica donatum in amicos & protonotarium receperit, ita eos Germani appellant, quos principes secretus adhibent. Relatus deinde in Senatorium ordinem, quem princeps in rebus grauibus consulit tantum ualuit doctrina & autoritate, ut facile in quauis re ad ingenium pertinente primus haberetur, licet æmulos & obtrectatores multos habuerit, interim uero cum de abolendo scismate inter Eugenium & imperatorem agi cœptum esset, eiusq; rei causa ad pontificem Aeneas proficisceretur. Senis aliquandiu moratus: à suis uehementer rogatur, ne ad Eugenium proficisceretur, ueriti enim sunt ne in eum pontifex grauiter animaduerteret, quod eius autoritas in Basiliensi Concilio ab Aenea epistolis & orationibus persæpe impugnata diceretur. At homo constans sua innocentia fretus spretis cognatorum precibus Romam proficiscens, se primum apud Eugenium eleganti oratione purgat, quod eorum autoritatem secutus esset, quorum sententia Basiliense Concilium fuerat approbatum. Deinde uero his de rebus cum eo agere cœpit, quarum gratia ab imperatore uenerant. Missis deinde in Germaniam duobus ab Eugenio Oratoribus, quorum alter Thomas Sarzanus fuit, alter uero Ioannes Caruaialla, tandem horum uirtute & Aeneæ industria (ut in Nicolao diximus) neutralitas sublata est. Vt uero etiam id rebus non uerbis tantum appareret imperator Aeneam ipsum Romam mittit, qui Eugenio publice diceret se ac Germanos omnes in humanis diuinisq; ei deinceps obtemperaturos. Mortuo aūt eo tempore Eugenio, dum alter pontifex in locum demortui suffragijs patrum deligitur Aeneas conclaui præfuit, nullus enim Orator tum in urbe erat tanto munere dignior. Creato autem Nicolao pontifice accepta abeundi uenia, dum ab Eugenio subdiaconus creatus iter in Germaniam facit episcopus Tergestinus moritur, in cuius locū Aeneas se quidem inscio à pōtifice & imperatore suffectus est. Philippo præterea Vicecomite sine hærede mortuo à Cæsare ad Mediolanenses Orator mittitur, apud quos orationem habuit de imperio urbis hæreditario, deq; fide seruanda, cui quidem si populus ille obtemperasset, adhuc libertate fortasse uteretur, secundo uero ad eos rediēs: extrema quæq; ob libertatem patientes, obsidēte Mediolanum Francisco Sfortia urbem ipsam, cum maximo discrimine ingreditur, relictis ad Nouicomium collegis, q̄s timor ab officio deterruerat. Inde autem re infecta abiens imperatoris mādato, ad Alphonsum Arragoniæ regē proficiscens, episcopus Senensis unde originem ducebat à Nicolao creatur. Cōposita deinde inter Alphonsum, & Imperatorem affinitate, ad hominem in Germaniam rediens eum super adhortatus est, ut primo quoq; tempore in Italiam ad accipiendam imperij coronam proficisceretur. Vnde Fœdericus iter in Italiam ingressus, Aeneam præmisit, ut Leonoræ uxori è Lusitania uel Portugallia (ut nunc dicitur) ad Hetruscum littus peruenturæ honoris gratia obuiam fieret. Qui ubi Senas peruenit, non diu in Vrbe moratus, populo suspectus esse cœpit, ne aduentante imperatore pulsis popularibus optimates reipub. gubernandæ præficeret. Aeneas igitur ut populū suspitione leuaret. Thalamonem quo Leonorā peruenturā putabat pro

ficiscitur.

ficiscitur. Non tamen ob eius discessum quieuere popularium animi. Relegata namq; per agros ad tempus omnis nobilitas est, cui paulo post ut mutabile sunt popularium mentes, redeundi in Vrbem potestas facta est, cognita imperatoris integritate, & Aeneæ modestia. Is uero Pisas contendens, quo Lusitanos applicuisse intellexerat puellam uni sibi creditam ad imperatorem, qui tum Senis erat perduxit. Romam deinde tũ proficiscens, & priuatim & publice dum Cæsar corona imperij donaretur egit omnia. Imperator præterea ad Alphonsum salutandi hominis causa iturus. Ladislaum regium adolescentem, quem Pãnonij & Boëmij furtim ab eo abducere sæpe tentauerant. Romæ sub tutela & custodia Aeneæ cui plurimã fidem præstabat reliquit. Imperator autem Romam iterum rediens cũ gratias pontifici egisset, Ferrariam proficiscitur, Borsioq; Estensi Mutinæ duce creato. ubi Germaniam attigisset, Aeneam statim ex mandato pontificis cum summa potestate Oratorem in Boëmiam & omnes Austriæ ciuitates mittit. Orta namq; erat inter eos & imperatorem cõtrouersia, pro Ladislao rege, quem illi ad se mitti postulabant, sublata autem tanta controuersia ac pace inter utrosque composita, Aeneas haud ita multo post ad Conuentum Ratisponensem mittitur: ubi imperatorias uices gerens præsente Philippo Burgundiæ duce & Lodouico Baioariæ de immanitate Turcorum & de calamitate repub. Christianæ tanta cõtentione dixit, ut omnibus gemitum & lachrymas excusserit, præcipue autem Philippũ Burgundum ad eam expeditionem adeò animare uisus est, ut bellum statim omnium consensu decerneretur, quod postea omissum est. eorum ambitione & stultitia, qui cuncta sibi deberi putabant. Aeneas uero ingrauescente iam ætate tedio laborum, ac diutina inter exteras gentes peregrinatione fessus, redire Senas ad lares patrios instituerat, quem tamen facile imperatorè sentẽtia mouit cum diceret sibi in animo esse, Turcis ipsis bellum inferre. Missus itaq; ob eam rem ad Franckfordiensem conuentũ Germanos principes, qui ex tota prouincia eò conuenerant grauissima & longa oratione ad bellum periculosum & necessarium multis orationibus adhortatur. Visus est quidem omnes uehementer commouere. Verum hoc natura compertum est eorum animos cito residere, quorum affectus perfacile mouentur. Tertius item eadem de re in noua ciuitate conuentus habere, in quo Aeneas mirifice annixus pedibus & manibus est, ut aiunt rem ex sententia perficere, priuatim & publice unumquemq; ad id bellum cohortando, quo salus Europæ principum ac populorum libertas, dignitas Christiani nominis continebatur. Nec aberat à spe perficiendæ rei cum subito nuntiatum est Nicolaũ pontificem è uita migrasse, cuius in morte disturbata sunt omnia, nam & conuentus soluitur, & Germani rerum nouarum cupidi persuadere imperatori annixi sunt, ne pontificibus amplius obtemperaret, nisi quædam ad Pragmaticam tendentia ab ipsis prius impetrassent, quod diceret Germanis longe peiorem conditionem esse quã uel Gallis uel Italis. quorũ serui (Italorũ in primis) ni res immutaretur merito esse dicebantur. Nec certe procul abfuit quin imperator tumultuantibus obsequeretur, quominus aũt id fieret, grauissima Aeneæ autoritas intercessit, Cuius hæc fuit apud Cæsarẽ sentẽtia. Inter principes etiã de magnis rebus inter se dissidentes, pacem aliquãdo & amicitiã cõponi posse: At inter principem et populum immortale odiũ semper interuenisse, re dicebat satius sibi uideri cum pontifice sentire, quàm eorum cupiditatibus obtemperare: quorum mentes non ratione sed appetitu & cupiditate ducuntur. Motus hac ratione imperator spreta, populorum postulatione Aeneam Oratorem deligit, qui ad Calixtum mitteretur. Is autem Romam profectus, dum Fœderici iuramentum pontifici de more exhibet, collaudato quantum satis erat utroq;, tota eius oratio fuit de bello Turcis inferendo, adeò erat ad eam rem animatus. Videbat enim uir sapientissimus id quod postea usu accidit, Barbaros uictoria elatos, occupata Græcia non quieturos. Inde uero ad pacem Italiæ conuersus, qua perfecta bellum Turco inferri posse existimabat, pontificem ad eam rem uehementer adhortatur. Premebant tum Senenses comitis Petiliani & Iacobi Picennini armis q Alphõsi potiusquã proprijs auspicijs bellũ illud gerebãt. Vt igitur omnis belli ius extingueretur, Aeneas iussu pontificis & ciuium suorum

rum rogatu Neapolim ad Alphōsum proficiscit̃, quo etiã totius ferme Italiæ legati de pace acturi conuenerant, quibus cum certe usq; ad eam diem ea de re nihil adhuc actũ erat. Verũ superueniente Aenea, tum demum sibi de pace conuenturũ dixi, quãdo is quidẽ quem unice diligebat ad se ob eam rem accessisset. Impetrata itaq; pace ac liberata ab hoste patria: apud Alphonsum cuius familiaritate plurimum delectabatur aliquot mẽses fuit, quo tempore seruata opportunitate hominem eleganti & copiosissima oratione ad bellum maritimũ orientalibus inferendum perpulit. Inde uero Roma abiens, iter in patriam facturus, à Calisto pontifice retentus est, à quo etiam nõ multo post patriam omniũ consensu in numerum Cardinalium refertur. Apud Calistum uero tantæ autoritatis & gratiæ fuit, ut hominem impulerit Oratores ad Senenses mittere, qui tum ciuili discordia laborabãt, ut populũ tumultuantem ad pacẽ & concordiam adhortarent̃. At uero dũ in balneis Viterbianis ualetudinis causa esset, historiãq; Boemicã inchoasset, mortuo Calisto Romam statim rediit, cuius expectatio tanta fuit ut magna pars populi Romam officij causa obuiã progressa, hominem (quasi diuinaret) ut pontificem salutant. Ad hunc enim consensu omnium pontificatus deferebatur. Ingressus itaq; conclaue patrum omniũ suffragijs, Pont. Max. (ut dixi) creatur. Accepta deinde pontificia corona, qua tertio nonas Septembris pontificali apparatu Basilicam Petri ingressus est, cum deo immortali gratias egisset, se totum confirmata prius ecclesiæ ditione, ad curam reipub. Christianæ cõuertit. Nam & bellum ante eius pontificatũ in Vmbria exortum. Iacobo Picinnino duce rerum nouarum cupido statim eo pontifice sublatum est, Assisium & Nuceria ab hoste recepta. Inter Ferdinandũ regem & Sigismundum Malatestam quod difficilimum factu uidebatur cõpositæ induciæ, quo Mantuã omnibus ubi communẽ Christianorum conuentũ indixerat tuto proficisci liceret. Creato autẽ principe Columnensi urbis præfecto in locum demortui Boriæ: relictoq; Romæ legato Nicolao Cusa sancti Petri ad Vincula Cardinali media hyeme ab urbe discedit: per eas ciuitates iter facit, quæ ciuili discordia ad bellũ potius quã ad pacem spectare uidebant̃. Populos ad cõcordiã et quietẽ adhortatur. Mantuã postremo unde quaq; uentũ est. Magnus aderat principũ numerus, magna legatorũ uis. Ex tota enim Europa nulla natio, gens nulla fuit, quæ non aut principes, aut legatos eò miserit. Actũ deniq; est in illo celeberrimo cõuentu Pio ipso dicẽte: ut bellum cõmuni omnium decreto Turcis indiceret̃. Dictæ sententiæ, qua id ratione geri posset. Propositũ periculũ quod ceruicib. Christianorũ immineret. Motæ sunt omnibus lachrymæ, cũ eorũ calamitates exponerẽtur, quia à Barbaris in grauissimã seruitutẽ quottidie abducebantur. Incẽsi animi, cũ ostenderet Turcos occupata Græcia, et Illyrico interiorẽ Europam penetraturos. Nil est certe ab eo prætermissum, quod ad mouendos Christianorũ animos pertineret. Magna qdẽ in dicẽdo Pij laus fuit q̃d cũ sæpius iisdẽ de reb. loqueret̃. diuersa semper uisus est dicere. tanta erat in homine elegantia & copia. Gallorũ querimonias & calũnias Renati regis quod Ferdinandũ Alphonsi filiũ in regno Neapolitano cõfirmasset, quod eundẽ corona regia donasset, tribus actionib. acerrime cõfutauit. Agebãtur hæc in Mantuano conuentu: cum tota ferè Europa relicto externo bello ad intestinum animos atq; arma conuertit. Surgũt Germani partim in seipsos, partim in Pãnonios, quorũ opera tantũ tanq; necessariũ bellum magnũ magna ex parte cõfici potuisset. Excitat̃ Britãnia duplici factione quarũ altera ueterẽ in insula regẽ, altera nouum fugato uetere retinere conatur. Surgũt præterea Hispani Barchinonensibus auxilio futuri quos Aragoniæ rex Gallorũ armis adiutus bello præmebat. Et ne quid ad disturbãda omnia deesset, Italia Europæ caput relicto externo bello, ad intestinũ animos atq; arma conuertit, gerebatur tũ bellũ in Apulia, quo Ioannes Renati regis filius Ferdinandũ regno pellere conabatur. Hinc duplex factio in tota prouincia exorta est cũ ij Ferdinãdo, illi Renato fauerẽt. Pius itaq; omisso Mãtuano cõuentu ad sedãdos motus in Hetruriã rediẽs, Viterbiũ ab aduersa factione per fraudẽ occupatũ haud magno negotio recipit. Picẽtes ob fines domesticos acerrimis bellis exagitati, partim ratione, partim metu ad pacẽ redigunt̃, Vmbros simili cõtẽtione distractos, ac magnis cædib. obli

tos

tos & fœdatos autoritate sua tandem sedauit, Senensium rempub. sublatis seditionibus omnibus quibus triennio ante laborauerat constituit. Exules quosdam uiros certe præclaros in patriam restituit. Nobilibus reip. administrationē reddidit. In Sabinorum uero perfidiā animaduersum est, quod hostem publicū cōmeatu & transitu iuuissent. Romæ grauissimos tumultus Siccariorū repressit, capto cū aliquot socijs Tyburtio angeli Massiani filio, quē diximus à Nicolao ob cōiurationē interemptū, & laqueo ad fenestras capitolij suspēso, quod ausi fuissent tēplū Pātheon occupare, atq; inde tanquā ex arce in optimū quemq; grassari. Tyrānos quosdā ad res nouas spectātes è finibus ecclesiæ bello submouit. Neminē unquā bello attigit, ad quē Legatos nō prius miserit si quomodo ad sanitatē rationib. adduci posset. Fœdericū urbinatē copiarū suarū ducē cū Alexādro Sfortia in Marsos misit, qui Iacobū Picēninū remoraretur à Renato mercede conductū, ne in Apuliā ad Gallos Ferdinandū bello uexātes trāsiret. Ferdināndo aūt ad Sarnū fugato auxilio fuit, quominus regno spoliaret, ueritus ne si Galli regnū occupassent, uictoria elati libertatē Italiæ subuerterent. Legatorū à Gallis uenientium minas & pollicitationes, quib. se à Ferdinando ad Renatū traducere conabātur facile contempsit. Sigismūdi Malatestæ ecclesiæ Romanæ uectigalis furores ac rabiem censuris & armis compressit. Is enim spreto fœdere, q̄d inter se & Ferdinandū fuerat, à pontifice ictū castella omnia obseruandā fidē data, cōtra ius fasq; ui cœpit. Legatū ecclesiæ Romanæ ad Nulasturem fugauit, Picētibus bella intulit. Huius uero rabies sequenti anno ad Senogalliam Fœderico Vrbinate & Neapolonie Vrsino ducibus graui prælio cōpressa & castigata est, recuperata Senogallia, expugnatū fortunæ fanum Nicolao Pistoriensi Cardinali sanctæ Ceciliæ Legato, ac Magna pars Ariminensi agri ei adempta est, ne posset aliquādo ad rebellionē spectare. pugnatū est præterea non ita multo post à Ferdināndo pari felicitate ad Troiam Apuliæ oppidū, quo prælio princeps Tarentinus, ac pleriq; alij, qui nouarū rerum cupidi Gallica sequebantur arma, adeo sunt perterriti, ut supplices à rege pacē petētes in eius amicitiā redierint ferè omnes præter paucos, quos postea rex bello insecutus, aut regno expulit, aut ad sanitatem redegit. Pius aūt duobus maximis ac grauissimis bellis liberatus, expeditionem Asiaticam, quæ in Mantuano conuentu regū ac principum ambitione & auaritia fuerat omissa repetit, Socios belli Vngariæ regem, Philippum Burgundiæ ducem ac Venetos, quod ij promptiores ad eam rem esse uiderentur sibi adiungit. Oratores & nuncios cum literis apostolicis ad gentes & nationes Christianas mittit, qui principes omnes, qui populos ad tantum bellum tanquā necessarium adhortarētur. Ipse interim Senas proficiscitur, iturus ubi ei per anni tēpus liceret ad balnea Petriolana, quæ potissimum eius ægritudinem lenire uidebantur. Ibi aūt cognoscit Philippum Burgundum, qui semet uenturum cum milite & classe uouerat, à tanta pollicitatione destitisse. Intelligit præterea multos esse principes ac populos non exteros modo, sed Italos quoq; qui ambitione & liuore rem tantam disturbare conarentur, quia eos uiderent nobilissima præmia reportaturos, qui tantum belli molem subirent. Hos (autem, ut pontificem decuit) admonitionibus ad sanitatem reducere conatus est. Relictis uero balneis ad urbem proficiscitur, ubi uehementi dolore pedum & graui febre dies aliquot laborauit, qua ex re factum est, ut Nonis Iunij quemadmodum publico decreto enunciauerat, Anconæ esse nequiuerit. Delinita autem aliqua ex parte ægritudine Oratores à rege Gallorum & Burgundiæ duce uenientes, eiusq́ue moram excusantes audit. Vocatis deinde ad se patribus Cardinalibus, regi Boēmiæ de fide Catholica male sentienti diem dicit. Inde ab urbe discedens, per Sabinos, Vmbros, Picentes Anconā lectica iacens defertur. In itinere autem magnam uim hominum ex Germania, Gallia, Hispania uenientium ad bellum Turcis indictum offendit, quorum magnam partem absolutam peccatis (Germanorum potissimum) in patriam remisit, quod minus idonei bello gerendo essent, quotq; etiam belli impensam, ut in literis apostolicis continebatur secum non detulissent. Dum classem quæ passim in portibus superi inferiq; maris ad tantum bellum fuerat ædificata, dumq; Venetorum ducem belli socium Anconæ

conæ expectat, diutina & læta febri afflictatus, moritur anno sexagesimo quarto supra quadringentos & mille XVII. Calendas septembris horam circiter tertiã noctis. Anno uero pontificatus sexto diebus sex minus. Tantæ autem constantiæ & fortitudinis fuit: ut tota ægritudine graui quidem & longa occupationes intelligendi causas diuersarum gentium audiendi, inhibendi, decernendi, iudicandi, signandi, admonendi, castigandi, intermiserit nunquam. Eo autem die quo è uita migrauit, duas horas ante extremum uitæ spacium patres Cardinales ad se uocatos, constãti animo & uoce non incõcinna ad concordiam in eligendo nouo pontifice adhortatus est, quibus item honorẽ summi dei dignitatem ecclesiæ Romanæ, bellum à se in Turcos susceptum, salutẽ animæ suæ, familiam omnem, nepotes uero maxime si commendatione dignos se præstiterint, constanti ac graui oratione commendauit. Petiit sponte sacramenta omnia, et signa integerrimi Christiani omnibus in rebus præ se tulit. Præterea uero acerrime tũ quidem disputauit cũ Laurentio Rouerella episcopo Ferrariensi theologo doctissimo, liceret ne extremam unctionẽ iterare? qua semel inunctus fuerat, dum Basilicæ pestilentia grauissime ægrotaret. Orationes canonicas, ut intermitteret in tanta animi anxietate, neq; domesticorũ quidem precibus exorari potuit. Symbolum Athanasii constanter pronunciauit et pronunciatum uerissimum ac sanctissimum esse dixit. Non mortẽ exhorruit, non perturbationis aut inconstantiæ, dum supremũ spiritũ efflaret, signum aliquod edidit. Extinctus profecto magis quã mortuus dici potest, adeo lõgis ægritudinibus maceratus erat, ut corpus suum Romam deferreretur suis mandauit. Affirmant Polyctores uiuacissimum cor in homine inuentum. Funus Ancona Romam defertur, comitante familia lugubri ueste induta ac lachrymis squalida. Peractis autem de more exequiis, in Basilica sancti Petri cõditur ad altare sancti Andreæ, sepulchro Frãcisci Cardinalis Senensis impensa cõdicto cum hoc epitaphio: Pius II. Pont. Max. natione Tuscus, patria Senẽsis, gente Piccolominea, sedit Annis VI. Breuis põtificatus ingens gloria fuit, conuentum Christianorum Mantuæ pro fide habuit, oppugnatoribus Romanæ sedis intra atq; extra Italiã restitit. Catherinã Senen. inter sanctas Christi rettulit, pragmaticam in Gallia abrogauit. Ferdinãdum Aragonen. in regnum Siciliæ cis fretum restituit, rem ecclesiæ auxit. Fodinas inuenit, tum primũ aluminis apud Tolfam instituit, cultor iustitiæ et religionis admirabilis eloquio, uadẽs in bellũ quod Turcis indixerat Anconæ decessit, ibi & classem paratam & ducem uenetorum cum suo senatu commilitones Christi habuit. Relatus in urbem est patrum decreto, & hic conditus, ubi caput Andreæ apostoli, ad se ex Peloponneso aduectum collocari iussit. Vixit An. LVIII. Men. IX. dies XXXVII. Collegio autem Cardinaliũ quinq; & quadraginta milia numum aureorum à uectigalibus ecclesiæ pensum ob indictum Turcis bellum reliquit. Has autem pecunias Cardinales & triremes, quæ tum in portu Anconitano erant, Christophoro Mauro Venetorũ duci, qui biduo ante Pii mortem cum triremibus undecim applicuerat comittunt, his cõditionibus ut nauigiis pro eorum arbitrio bello nauali uterentur, pecunias uero stipendii nomine ad Matthiam Vngarorum regem mitterent bellum assiduo cum Turcis gerentem. Mortuus est uir fortitudinis certæ ac prudentiæ singularis, et qui nõ ad ocium, ad segnitiem, sed ad res agendas & maximas quidem natus uidebatur. Augere maiestatem pontificis conatus est semper. Non reges, non duces, non populos, non tyrannos, in se aut ecclesiasticum quempiam delinquentes, bello censuris interdictis execrationibus persequi prius destitit, quàm eos ad sanitatem rediisse cognouerit. Lodouico autem regi Gallorum aduersatus est, quod libertatem ecclesiæ minuere conaretur, cum ab eo antea pragmaticam ecclesiæ Romanæ perniciosissimam pestem extorsisset. Borsio duci Mutinensi minatus est, quod ipsæ Romanæ ecclesiæ censuarius, et Sigismũdo Malatestæ hosti ecclesiæ & rebus Gallicis faueret. Sigismundum uero Austriæ ducem grauissimis censuris persecutus, quod Nicolaum Cusanum Cardinalem ad uincula Petri cœpisset, ac comprehensum aliquandiu in carcere detinuisset. Dieterum Hisemburgensem Maguntinum antistitem male de ecclesia Romana sentientem sede depulit, inq; eius locum alterum

quæ in agro Senensi, tũ amœnitate loci, tum opacitate syluarũ mira refrigeratio æstate
habetur. Frequẽtauit Maceratana & Petriolana balnea ualetudinis causa. Rara ueste
utebatur et argento frugali magis quã regio. Eius enim uoluptas omnis, quando à mu
nere publico uacabat in lectione & scriptione frequenti reposita erat. Libros plusquã
zaphyros, & smaragdos caros habuit: quibus chrysolitarũ magnam copiã inesse dice-
bat. Mensam aũt artificiosam ita cõtempsit, ut ad fontes, ad nemora, ad loca agrestia de
latus, quæ sæpe frequentabat animi causa, nõ apparatu põtificio sed humili ac prope ru-
stico sit usus. Hãc eius crebrã locorũ mutationem nõ defuere, qui caperent ex auli-
cis maxime, quod id nunquã ab alijs pontificibus factum esset: nisi aut bello aut peste
urgente. Horum autem querelas contempsit semper, quod diceret, nil ob eam rem à
se prætermitti, quod ad dignitatem pontificatus, ad utilitatem Aulicorum pertineret.
Signabat omnibus in locis, audiebat, censebat, respondebat, affirmabat, refellebat, qui
bus ex rebus quouis esset in loco abunde omnibus satisfieri poterat. Non libenter so
lus comedebat. Hanc ob rem, uel Spoletinũ Cardinalem, uel Tranensem, uel Papien
sem in conuiuiũ adhibebat. Inter cœnandum de studijs bonarum artiũ loquebatur, me
moriam ueterũ repetebat, & quid quisq; laudis, uel dicendo, uel scribendo consecu-
tus esset, exquisito iudicio ostendebat. Ad uirtutem suos freqũeter adhortabatur, à ui-
tijs deterrebat cum eorũ res gestas cõmemoraret, qui in uita recte, aut perperam egis-
sent. Augustino patritio lectore usus est, à quo etiã (dum ipse dictitabat) describantur
omnia, interdum sales libenter audiebat, negotijs præsertim uacuus. Florentinum quen
dam interdũ adhibebat (cui Græco nomen est) hominem certe cuiusuis mores & na-
turam, linguam cum maximo omnium, qui audiebant risu facile exprimẽtem. Homo
fuit uerus, integer, apertus, nil habuit ficti, nil simulati. Christianam aũt religionem ita
coluit & obseruauit, ut omnem prorsus hypocrisis suspitionem à se remoueret. Fre-
quenter confitebatur & cõmunicabat. Rem diuinam, aut ipse faciebat, aut dum fieret
obseruatis de more cerimonijs omnibus astabat. Somnia, portẽta, prodigia cõtempsit
semper. Fulgura procurauit nunquam. Geomantibus & cæteris id genus nullam fidẽ
adhibuit. Timiditatis et inconstantiæ signum nullum in homine cognitum. Extolli se-
cundis rebus, & perturbari aduersis nunquam uisus est. Suos plerunq;
formidolosos repræhendit, quod acceptas clades (ut in bello contingi
nunciare uererentur. In cõmodis enim consilio & manu mederi posse d
tempus quod accidisset scitum foret. Socios belli, uel magnitudine impense
potentia perterritus deseruit nunquã. Bella suscepit inuitus tamen & multis
mis iniurijs lacessitus, pro tutela ecclesiæ, pro defensione religionis. Aedificãd.
uehementer delectatus est. Impensa enim sua scalæ templi ad uaticanum uetustat
lapsæ instauratæ. Vestibulum ædium ad dignitatem & tutelam loci munitum. Aream
pro templi foribus ruderibus purgatam sternere parabat. Porticum unde pontifex po
pulo benediceret inchoauerat, Tybure arcẽ perfecisse priusquam inchoasse uisus est.
Senis quadrato saxo gentilibus suis porticum fastigiatam & ornatissimam extruxit.
Corsiniani quod Pientiam à Pio nomine pontificatu accepto appellauit, ciuitatemq;
fecit templum testudineum celebre, id quidem & ornatissimas ædes extruxit. Sepul-
chrum marmoreum paternis maternisq; ossibus Senis in templo beati Francisci suo
iussu conditum hoc disticho notauit. Syluius hic iaceo, coniunx Victoria mecũ est.
Filius hoc clausit marmore Papa Pius. Quatuor habuit ex sorore nepotes, ex his duo
minores natu eius gratia & autoritate à Rege Hispano equestri ordini sunt additi, pri
mus cui Ferdinandus rex filiam in matrimonium locauerat, dux Amalphitanus crea-
tur. Secundus autem quem (ut antea dixi) Pius in numerum Cardinalium retulit, tan
ta cum integritate, & uirtute adhuc uiuit, ut in eo nil sit requirendum, quod ad amplissi
mum uirũ pertineat, ingenio, moribus, solertia, religione, modestia, grauitate. Ad Piũ
redeo, qui in tanto rerum fastigio collocatus, literarum studium intermisit nunquã. A-
dolescens, & nõdum sacris initiatus poëmata edidit, lasciuiæ magis, & festiuitati accõ-
modata, quã pressa, & grauia surgit, tamen nonnunquã, & dum uocatur mordacitate

non caret. Extant eius epigrammata referta salibus. Ad tria millia uariorum uersuum scripsisse dicitur, quorum pars magna Basileæ perijt. Orationi solutæ reliqua uita se totum dedit magnitudine rerum inuitatus, delectatus est etiam mixto scribendi genere, & ad Philosophãdum aptiore libros in Dialogo edidit de potestate Concilij Basiliensis, de ortu Nili, de studio uenandi, de fato, de præscientia dei, de hæresi Boemorũ reliquit dialogum imperfectum contra Turcos inchoatum, pro defensione fidei Catholicæ epistolas digessit in tẽpora, & quas prophanus, quas sacris initiatus, quas antistes, quas Pontif. Max. scripserit, uoluminibus separat. His reges, nationes, ciuitates, principes, atq; omne genus hominum ad religionis arma incendit. Extat eius epistola ad Turcum, qua hominem adhortatur, ut posthabita Mahometana perfidia, ueram Christi Iesu religionem sequatur, libellum edidit de miseria aulicorum. Scripsit etiam de institutione artis Grammaticæ ad Ladislaum adolescentem Vngarorũ Regem. Orationes circiter duas, & triginta habuit ad pacem regũ, ad concordiam principum, ad tranquillitatem nationum, ad defensionem religionis, ad quietem totius orbis terrarũ spectantes. Boemicam historiam perfecit. Australem imperfectam reliquit. Aggressus est historiam ubiq; locorum sua ætate gestarũ, de rebus à se gestis libros duodecim scripsit, tertiũ decimum inchoauit. Scribẽdi genus lene est ac temperatũ. Conciones habet splendidas, & rei accommodatas. Mouet affectus, ac eos deniq; sedat. Candorẽ & ornatum orationis nunquã intermittit. Describit apposite situs & flumina. Varios pro tempore sumit eloquentiæ uultus. Cognitionem rerum antiquarũ non omittit. Nullius oppidi occurrit mẽtio: cuius Originem non repetat, sitũ non notet. Qui duces, qua ætate claruerint, diligentissime præscribit. Mimos etiam ad uoluptatẽ notauit. Sententias in prouerbijs modũ reliquit multas, quarũ parte mali quã quod ad institutionẽ humanæ uitæ pertinere uisæ sunt subiũgere institui. Diuinã naturam credẽdo melius quã disputando intelligi ac cõprehendi posse dicebat. Omnem sectã autoritate firmatã humana ratione carere. Christianã fidem etiam si miraculis nõ esset approbata honestate sua recipi debuisse. Vnius diuinitatis esse personas, nõ qua ratione probetur, sed à q̃ dicatur animaduertendũ. Mortales mẽsores cœli & terræ audaces magis uideri quã ueros Syderũ inuestigare cursus: pulchrius esse quæ utile. Amicos Dei & hac & futura perfrui uita sine uirtute nulli solidũ esse gaudiũ. Neq; auarũ pecunia, neq; doctum cognitione rerũ unquã repleri. Cui plura nosse datũ est, eum maiora sequi dubia. Plebeis argenti, nobilibus auri, principibus gemmarũ loco literas esse debere. Bonos medicos non pecuniã, sed bonã ualetudinẽ ægroti quærere. Artificiosam orationẽ stultos nõ sapientes flectere. Sanctas esse leges, quæ uaganti fræna licentiæ imponũt. In plebẽ uim habere leges impotentes mutas. Res grauiores armis nõ legibus diffiniri. Vrbanus suã domũ ciuitati, ciuitatem regioni, regionem mundo, mundum Deo subijcit. Lubricum esse primum apud reges locum. Vt in mare flumina omnia, sic uitia in magnas aulas influere. Assentatores maxime quo uolũt reges ducere. Nulli magis principes aures, quã delatori præstare. Pessimã rebus pestem, adulatoris linguam. Regem qui nulli fidit, iuutilem esse, nec meliorem, qui omnibus credit. Qui multos regit, à multis regatᷓ oportet. Nõ esse regio nomine dignũ, qui suis commodis publica metitur. Neq; qui sacra negligit ecclesiæ prouentum, neq; regem qui iuridicendo non assidet, uectigalia digna petere. Litigatores, aues, forũ, aream, iudicem, rete, patronos, aucupes dicebat. Dignitatibus uiros dandos, nõ dignitates hominibus. Magistratus alios mereri & nõ habere, alios habere & non mereri. Graue pontificis onus, sed beatũ ei qui bene fert. Indoctum episcopum asino comparandum. Corpora malos medicos, animas imperitos sacerdotes occidere. Vagum monachum diaboli mancipium esse. Virtutes clerum ditasse. Vitia pauperem facere. Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias maiori restituendas uideri. Fideli amico nullum thesaurum anteferendum. Vitam amico, inuidiam morti comparandam. Hostem in se nutrire, qui nimis filio ignoscit. Nulla in re auarum placere hominibus, nisi in morte. Vitia hominum liberalitate obtegi, nudari auaritia. Mentiri seruile uitium esse. Vini usum & labores, & morbos auxisse mortalibus.

Vinum quod mentem excitet, non quod obruat sumendum. Libidinem ætatem omnem fœdare, senectutem extinguere. Quietam uitam non aurum ipsum, nō gemmas præbere. Dulce bonis durū iniquis mori. Generosam mortem turpi uitæ omniū Philosophorum sententia anteferendam. Hæc sunt fere quæ de uita Pij Pontificis scribi possunt: ad cuius laudes hoc etiam addo, quod & beatam Catherinā Senēsem in sanctas retulit, caput sancti Andreæ è Pelloponeso à principe loci Romā auectū, sancto Petro cū maxima ueneratione cumq; supplicationib. cleri populiq; Romani in sacello ad id fabricato collocauit, repurgato templo eo loci potissimum, dimotisq; quorundam Pontificum & Cardinalium sepulchris, quæ basilicam ipsam temere occupabant.

Pii Pontificis Max. Vita, per Ioannem Stellam sacerdotem Venetum, breuiter descripta.

Pius Papa secundus eius nominis, natione Hetruscus, patria Senensis. Aeneas Syluius antea uocatus, poëta egregius, patre Syluio nobili satis familia Picolominea natus, pontifici Calixto surrogatus, sedit annis quinq;, mensibus nouem, diebus uerò XXVI. breuis quidem Pontificatus, sed ingens gloria fuit, uir plane omni laude dignus, utpote eruditissimus, eloquentissimus, copiosissimus, ac fortitudinis & prudentiæ singularissimus, qui non ad otium, nec ad segnitiem, sed ad res agendas & quidem maximas uocatus, maiestatem Pontificiam augere uisus est, pro qua neque reges, aut duces, aut populos atque tyrannos ullos formidasse compertum est, imò si quos delinquētes uidisset, & bello, & censuris, tam diu persequebatur, quo id usque ad sanitatem redisset, agnouisset. Et propterea Ludouico Francorum regi aduersarius extitit, qui libertatem ecclesiæ suo in regno imminuere temptaret. Borsio Estensi cognominato, eò quòd Sigismundo Malatestæ, & rebus Gallicis, contra Ferdinandum faueret. Sigismundum Austriæ ducem quod in Cardinalem ad uincula Petri animaduertisset, diris execrationibus persequutus est. Moguntinum insuper antistitem malè de ecclesia Romana sentientem, sede deiecit, & alterum eius loco suffecit. Beneuentanum quoque Archiepiscopum, contra eius uoluntatem res nouas molientem, & Beneuentum Gallis prodere uolentem Archiepiscopatu summouit, multasq; Campaniæ urbes in potestatem ecclesiæ redegit. Nil regibus, nil populis timore uel auaritia unquàm concessit, ecclesiæ inimicos, ueluti hostes publicos constanter & intrepide persecutus est, amicos autem humanissime & officiosissime semper adiuuit. Primo sui Pontificatus anno, Mantuæ conuentum pro fide Christiana habuit, & in eo principes omnes congregauit, ut Turcis bellum indicerent, sed frustra id fuit, ea quippe de causa innumerabiles uiros ex Hispania, Gallia, Germania in Italiam conuocauit, quos dum ipse Pontifex Anchonam proficisceretur inuenit, quorum magnam partem & maxime Germanorum cum benedictione Apostolica in patriam remisit, eò quòd minus idonei uiderentur. Fuit autem Pius hic Pontifex inprimis (ut superius diximus) studiosissimus ac doctissimus homo, & doctorum uirorum amantissimus, continentissimæq; uitæ & otij ac dissidiæ inimicissimus, statura breui, facie senecta & serena, canoq; capite, qui tandem anno ætatis suæ LXIIII. cum Anchonæ esset, cum innumerabilibus populis proficisceretur, lenta febre percussus, diem clausit supremum, cuius funus Romam delatū, in basilica D. Petri apud altare sancti Andreæ, sepulchro marmoreo conditum est, & tale inscriptum epitaphiū.

PIVS

Pontif. Vita.

PIVS SECVNDVS PONT. MAX. NATIONE TVSCVS PATRIA SENENSIS, GENTE PICOLOMINEA, SEDIT ANNIS *VI.* BREVIS PONTIFICATVS, SED INGENS GLORIA FVIT. CONVENTVM CHRISTIANVM MANTVAE PRO FIDE HABVIT, OPPVGNATORIBVS ROMANAE ECCLESIAE INTRA ATQVE EXTRA ITALIAM RESTITIT. KATHERINAM SENENSEM INTER SANCTAS CHRISTI VIRGINES RETVLIT. PRAGMATICAM IN GALLIA ABROGAVIT. FERDINANDVM ARAGONENSEM IN REGNVM SICILIAE CIS FRETVM RESTITVIT, REM ECCLESIAE AVXIT, ET FODINAS INVENTITIAS ALVMNIS APVD TOLPHAM INSTITVIT. CVLTOR IVSTITIAE ET RELIGIONIS, ADMIRABILIS ELOQVIO. VADENS IN BELLVM, QVOD TVRCIS INDIXERAT ANCHONE DECESSIT. IBI ET CLASSEM PARATAM, ET DVCEM VENETORVM CVM SVO SENATV MILITANTEM CHRISTI HABVIT. RELATVSQVE EST IN VRBEM PATRVM DECRETO, ET HIC CONDITVS, VBI CAPVT ANDREAE APOSTOLI AD SE EX PELOPONESO ADVECTVM, COLLOCARI IVSSERAT.

Hic toto suo Pontificatu Cardinales *XII.* ueteribus addidit, urbem Romam etiam multis ædificijs exornauit, & Tybure arcem extruxit.

Pii Pontificis Max. Vita, per Ioannem Tritemium Abbatem Spanheimensem, descripta.

PIus Papa secundus, natione Tuscus, patria Senensis, Aeneas Syluius antea uocatus, sedit in pontificatu maximo post Calixtum tertium annis sex, uir undecunque doctissimus, Philosophus, Orator & Poëta insignis, multa ingenij sui monimenta posteris reliquit. Hic quondam in Concilio Basiliensi cuidam prælato seruiuit pauper. Deinde in scribam Cancellariæ Frederici imperatoris tertij assumptus, & poëta ab eo laurea recepta creatus, primo episcopus Tergestinensis, postea Senensis, exinde Cardinalis, & nouissime Papa omnium suffragio electus est. De scriptis uero eius subiecta feruntur, magnis eloquentiæ neruis composita.

De miserijs curialium	lib. I.	Stultos esse qui regibus
De educatione liberorum	lib. I.	Omnibus qui ad uirtutis
Solutio quæstionum	lib. I.	Aderat nuper Cæsarea
De duobus amantibus	lib. I.	Vrbem Senas unde tibi
Contra Thaboritas	lib. I.	Quamuis apud Boëmos
Ad Nicolaum de Cusa	lib. I.	Venit ad me hac ipsa
De fide ad Turcum	lib. I.	Scripturi ad te aliqua
De profectione in Turcas	lib. I.	Ezechielis prophetæ
Ad episcopum Cracouiensem	lib. I.	Heraldus Alphonsi re
De Concilio Basiliensi	lib. I.	
De ortu Nili fluminis	lib. I.	
De studio uenandi	lib. I.	
De fato quoque	lib. I.	
Abbreuiationes Blondi	lib. 20.	Fuit autem in urbe Con

Aeneæ Syluii Pii

De ortu & historia Bohemorum	lib. I.	Interitura esse quæque
Præcepta Rhetoricæ	lib. I.	Bene esset uir illustris
Europa, ad Anto. Card.	lib. I.	Podagrantem me nuper
De præscientia Dei	lib. I.	
Dialogus contra Turcas	lib. I.	
De Grammatica	lib. I.	
Historiarum opus imperfectum	lib. I.	
Epistolarum ad diuersos	lib. I.	Non cogit me necessitas
De Clade Constantinop. oratio seu	lib. I.	Constantinopolitana clad
De clade uniuersalis ecclesiæ	lib. I.	Inuitus quidem beatissim
In conuentu Mantuano oratio	lib. I.	Cum bellum hodie aduer
Ad Calixtum Papam oratio	lib. I.	Solent plerique omnes
Coram cœtu Cardinalium oratio	lib. I.	Moses uir Dei, beatissim.
De rebus à se gestis	lib. I.	
Orationes uariæ.		

Epigrammata plura, & quædam alia elegantissima, quæ ego non uidi, opuscula scripsisse dicitur, quibus nomen suum posteris notificauit. Moritur sub Frederico imperatore tertio, Anconæ, ut dicitur, Anno domini 1464. indictione duodecima, XIX. Calendas Septembres, ætatis suæ anno similiter quarto & sexagesimo, sepultus Romæ in ecclesia S. Petri, iuxta altare diui Andreæ.

Pii II. Pont. Max. per Ioan. Antonium Camp. Episcopum Aretinum, Vita.

Pii uita.

Ius secundus originem duxit ex Sena, celebri Tuscorum urbe, familia Picolominea nobili ac peruetusta, Patre Syluio Posthumo, qui aliquãdo militares duxit ordines. Matre Victoria, æque nobili & fœcunditatis eximiæ fœmina, quippe duodeuiginti, & ex his gemellos aliquot puerperijs edidit. Natus est quintodecimo Calend. Nouembris Corsiniani, quod oppidum duo & XX. milia passuum distat à Sena, in fundis gentilicijs, quo parentes paucis ante annis se receperant studio partiũ à plebe deiecti. Nomen puero Aeneæ Syluio inditum, in memoriam aui, Prima rudimenta Corsiniani peregit admodum puer, Senæ propinquis commendatus celeriter & in poëtica, & in oratoria profecit. Ius ciuile sero amplexus & lentè, breui omisit, natura ad poëticam inclinatiore. Initia famæ ex Rhytmis comparauit, Hetrusca lingua editis, Mox oratione & uersibus laudari cœptus, multa scripsit ad æmulationem æqualium, inter quæ & leuiusculæ quædam fabellæ cum excidissent, aliquando postea supprimere conatus minime potuit, Italia tota diuulgatus. Pertæsus rerum domesticarum, simul & quærendæ gloriæ cupidus, Basilæam Heluetiorum urbem contendit, quo in loco diu antea indictum Concilium tunc aduersus Eugenium Pontificem habebatur, Itinere obliquo & perdifficili propter ortum cum Florentinis finitimis bellum, quo metu nauigaturus secundum tractum Ligustici littoris, cum Populonia soluisset aduersam incidens tempestatem, Corsica omni ac Sardinia ui uentorum circumactus, in Libyam usque propellitur, Reuectus in Ligusticum pelagus, & expositus in continentem, cum diuersoria deessent, tædio rerum nauticarum, & recenti periculo territus, pernoctare sub dio quàm redire ad nauem maluit, reliquum iter per Senam atque Alpes egit. Basileæ quidem haberi in precio & salutari ob ingenium cœpit. Sed rebus minus quàm sperauerat succedentibus, in Italiã reuersus est, nec diu perstitit, secutus Eugenij legatos, repetitaque rursus Basilea, Coloniã Agrippinã secũdo Rheno adnauigauit, breuique ibi cõmoratus, descẽdit Attrebates Belgarum urbẽ quem in locũ Gallorũ reguli Britannorũque conuenerãt. Hinc ulteriorem in Bri-

Concilium Basiliense.

Nauigatio Aeneæ.

Attrebates.

In Britanniam nunc Scotiam missus ad regem aduersus citeriores Britannos, qui paci aduersabantur, sollicitandum, ad Calexinum ingressus oceanum, graui exorta tempestate penè demersus ex cursu à nostro cœlo in intimũ oceanũ perpulsus XII. dies ad occasum nauigat, reiectus tandem in Britannicũ littus agnitusq; à regijs speculatoribus, ac prohibitus ulterius progredi, remetiendo quoq; oceano duas subiuit tempestates, quarum altera dũ Scotiam petit in Noruegiam pellitur, ex eo loco delatus in Scotiam, perpellere quidem ad regem non potuit, effecit tamen ut legatos mitteret, qui de pace agerent, & auxilia Britannis deinceps non administraret, ipse quoq; duobus asturconibus donatus à rege est, unione adiecto, quem matri destinaret. Hac insula uotis soluendis, quæ inter fluctuum æstus uirgini matri nũcupauerat, initium eius morbi contraxit, qui dolore articulorum permansit ad uitæ exitum. Glacie decem milibus passuũ nudis pedibus ad phanum usq; calcata, ut redire in oppidum nõ aliter quã lectica potuerit. Scotia decedens non ausus potenti se comittere oceano, habitu mercatoris repetita Britãnia, regios speculatores astu elusit. Basileæ XII. uiris q cõuentui præerãt coaptatus, concilium ut Papiam traduceretur frustra suasit, Italis Florentiam, Germanis Vtinum, Gallis Auinionem præferentibus. Munia curiæ obiuit ferè omnia. Primum scriba, mox abbreuiator maior designatus. Postremo & inter deputatores cõscriptus etiam epistolis conciliaribus præfuit, legationes præter Scoticam, quam diximus, eo in loco nouem suscepit, Ad Argentinenses tres, Ad Cõstantienses duas. Ad Franckfordienses totidem, Ad Allobrogos & Tridentinos Rheticos singulas, Profectus etiam in Noricos ad Albertũ Cæsarem designatum, breui apud eum mansit, traducere in sententiam Basiliensium conatus, an potuerit, subsecuta statim illius mors incertum fecit. Octouiratũ ad conferendam Eugenij dignitatẽ institutum recusauit, quanquam sæpe oblatũ haud legitimum ratus magistratum, quem tanta de re priuati instituissent. Felicem tamen Antipapam aliquandiu secutus est, à quo legatus missus ad Federicum Cæsarem Alberto suffectum, laurea donatur, quod poëtarum insigne præcipuum Germani habent. Mox & inter amicos Cæsaris relatus, adscriptusq; secretarijs, haud multo post præfectus est, Ad ultimum ascitus inter consultores Imperij, inuidiã quanquam Italus inter Germanos breui superauit. Prima legatione Cæsaris nomine ad Tergestanos functus, seditiones in ciuitate exortas compressit, actis in exilium qui motum concitassent. Altera ad Eugenium aduersantibus amicis, quod offendisse illum grauiter uidebatur, oppugnata toties ad Basileam eius dignitate, Eo reconciliato, & rebus ex sententia confectis, diuertit ad patrem, ultimo iam confractum senio, nec enim deinde uidit amplius, paulo post mortuũ, Eugenij quoque Secretarius factus est absens, quo munere apud Felicem functus nondum se abdicauerat. Tertiam deinde obiuit legationem ad eundem Eugenium de duobus electoribus Cæsarum restituendis, quos illi Felici assensos, & grauia in illius dignitatem molitos, exautorauerat. Profectus est eadem de causa Francfordiam simul, ut neutralium conuentus dissoluerentur, hi erant qui dissidentibus cæteris, neque Eugenio neque Felici parebant, ueluti ad noua concilia atq; incerta spectantes, redijtq; iterum Romam ac rursus Franckfordiam, de cõditionibus acturus, itinere hyberno, & cui magnitudine niuium, ac ui exrescentium fluminum prope succubuit. Reliquijs contentionum Germanicarum tertia demũ legatione sublatis, exceptus est Romæ ob operam prosperè nauatam omnium ordinum supplicationibus, Aegrotãti Eugenio Germanos, quorũ opera uocatus in iudiciũ fuerat, reconciliauit secundũ supplicationẽ rebus Germanicis. Præfectus est Tergestanis, rumore temerè orto de præsulis morte. Cõpetitoribus multis q adsubitũ nũciũ coorti sũt, ab Eugenio repulsis, Mox cũ uiuere antistes nũciaret, Hypodiaconus efficitur, Eugenio mortuo comitiorũ custodiæ, pfuit iubẽte collegio, qd uiro opus esset ad eã rẽ minime factioso, Nicolaũ qui Eugenio suffect9 est, multo habuit ,ppẽsiore ,ppter uetus in Germania cõtuberniũ, in q et ille functus legationibus fuerat Eugenij nomine, Itaq; & cõfirmauit decretos ab Eugenio honores & nouos ipse addidit, Iusso qua die est coronatus aureã crucẽ ante ferre, & cõsultantib. de religionis sũma adesse, profectũ deinde Roma, certiore allato nũcio de Antistitis

Aeneas legatus ad regem Scotorum.

Aeneas soluendo uoto morbum contraxit.

Aeneus unus ex XII. uiris qui conuentui Basiliensi præfuerunt.

Octouiratus contra Eugenium institutus.

Felix Antipapa. Laurea præcipuum insigne poëtarũ Germanis.

Neutralium conuentus.

Nicolaus Eugenij successor.

tistitis morte, id quod Eugenius destinauerat, Tergestanis præfecit, ignarum eius rei donec in Germaniam peruenit, & Nicolai ad Federicũ & amicorum ad se literis rem cognoscit, Missus paulo post ad Mediolanẽses cohortãdos, ut mortuo Philippo duce sine legitima stirpe, Federico imperij iure se dederent, exclusus est, Erectis in libertatẽ ciuium animis, simul quòd Germanicis imperijs, repetita priorum temporum memoria abhorrerent, breui deinde circumsessis à Francisco Sphorcia Philippi genero, iussus iterum redire, collegis ad Nouicomum metu subsistentibus, ipse magno cum discrimine ingressus urbem, ciuibus, in contionem uocatis, maiorem partem eorum perpulit, ut Federicum acclamarent, Et cum armis quidem oppressuros alteram factionem pollicerentur, recusauit, indignum, nec è legatione sua esse dicens in stabilienda iusto imperio ciuitate cuiquam uim fieri, fuitq; constans opinio mansuram in fide ciuitatem, si subuentum in tempore obsessis fuisset, mox legatione altera aliam excipiente, Neapolim missus autor fuit regiæ affinitatis, Leonora Lusitanorum regis sorore Alphonsi nepte Federico desponsata. Interea designatus est Senensium Antistes absens, quamuis infensa nobilitate ciuitatis alium postularet, Senæ omni reiecta pompa maiorũ urbe agroq; lustrato redijt in Germaniam, quo tempore & matrem amisit, 68. annos natam. Cum enim Ladislaum Pannoniæ ac Boëmiæ regem admodum puerum fratris filium Federicus metu insidiarum, & quod regno immaturus adhuc esset, atque iniuriæ obnoxius, apud se educaret, adhibitis custodibus ne clam subduceretur, Boëmi indignum rati custodire, arceriq; à regno regem coactis copijs bellũ nisi dimitteret cominabantur, horum conatus statim compescuit ratione adhibita, Cur ita fieri oporteret maxime iniecto metu ueneni, quo paucis post annis dimissus à patruo puer fraude Boëmica absumptus est, ueniente in Italiã Federico recedens ipse, ut cum ciuitatibus de transitu cum Nicolao de corononado Cæsare ageret, suspectus haberi Senensibus cœpit, ueritis ne spe uendicandi imperij Cæsarem ad mutandum ciuitatis statũ impelleret eiectis popularibus, ac nobilitate ad pristinam libertatem restituta. Qua de re inter se cum agerent, & facta eius dictaq; clam palam ue explorarent, nec prodiere obuiam nec ubi domum uenit, frequentes salutauere. Cogitatum & de inferenda clam nece à potentioribus rumor fuit, Quamobrem Decemuiros adiens delere eam suspicionem frustra est conatus. Auxit inuidiam mortuus collega Pfullendorfius, & in æde uirginis matris loco celebri sepultus, quam rem argumentum adesse iam recepti imperij quærebantur, homine externo ueluti prodita libertate in ciuium sepulchra delato. Tum demum ut tempori cederet, Thelamonium se contulit, ueluti Leonoram excepturus ex Lusitania mari uenientem. Accitus inter hæc à Nicolao minime paruit, ualetudinem caussatus, suspicionem tamen eius literis sustulit, quod uulgatum erat, constare inter coniectores, Nicolaum aut moriturum intra Calend. Apriles, aut in uinculis futurum, periculum ex Federico portendi nouo imperatore, urbem armis uendicaturo, quo metu Nicolaus Federici aduentum extrahere in autumnum cupiebat, fatalem diem occupaturus, Sed Aeneæ literis confirmatus proposito abstitit, Leonoram comitatu regio haud procul à Pisis descendentem è naui Federici nomine primus excepit, quanquam ægreferentibus Germanis, qui aderant Federico propinquis. Pisas ingressos Florentini ex multitudine suspicione iniecta, cũ depellere mœnibus uellent, eius gratia atq; autoritate ui abstinuerunt. Idem ad Volaterras factum, quòd hæ urbes altera sub acta armis, exposita uideretur ad omnem motum nouitatis altera in finibus sita esset. Senæ ad aream Pomerij sponsa Federico exhibita, orationem habuit perelegantem, quæ puellæ Lusitanorumq; laudes complecteretur. Extat adhuc pro portis marmorea columna pompæ congressusq; monumentum. Cum ciues aduentu Federici nobilitatẽ relegassent, undiq; iuuentute ad custodiã urbis armata eos metu solueret, non obscura opera Federici discessum accelerauit. At tum demum remissa suspicione & propinquis, nobilitateq; omni reuocata, ipse publico ciuitatis nomine legatus ad Nicolaum designatur, continenti itinere Federicum sequi iussus, in quo resalutandis Cardinalibus, qui obuiam prodijssent, interpres fuit linguæ Germanicæ ignaris. Nicolaum

Aeneas Tergestanis præficitur

Ladislaus Pãnoniæ & Boëmiæ rex.

Collega Aeneæ nobilis Pfullendorfius.

Coniectores.

Leonora sponsa Federici Imp.

primum

primum adiens, cum omnia septa armis inuenisset, metu liberauit. Postridie orationem habuit de Imperatore coronando & uariam & plenam uetustatis, interpres & moderator omnium quæ inter Nicolaum & Federicum acta sunt, utriusq; in se gratiã auxit. Federico Neapolim ad Alphonsium coniugis auunculum eunte, Rhomæ substitit, dolore pedum demoratus, simul ut regem Pãnoniæ adhuc impuberem in aduentum patrui asseruaret. Orationes in reditu Cæsari duas habuit, Altera gratias egit Nicolao et Collegio patrum, Altera hortatus est ad bellum aduersus Turcas suscipiendũ, Et posteriore quidem ita mouit, ut exemplo ipse legatus cum summa potestate ad Pannonios, Boëmos, Noricos, cæteramq; Germaniam destinatus sit. Cum Florentini Federicum Pisana & Volaterrana iniuria offensum, ac deinceps Neapolim ab Alphonso incitatum existimarent, atq; ideo transitum prohibituri dicerentur, præmissus utrinq; suspitionem ademit, Ferrariæ Borsium à Cæsare Mutinensium ducem nominatum, primus salutauit, laudauitq; oratione clarissima. Venetis quoq; pro munificẽtia in Cæsarem iussus est gratias agere. Eodem paulo post à Noricis obsesso, emissus ad hostes altera quàm exierat hora, obsidionem dissoluit. Quo tempore & Boëmos Noricis ipsis conciliauit, Intercessit etiam rogationi Germanorum de maiorũ decretis antiquandis, cũ magna contentione res ageretur, contra Cæsaris dignitatẽ futura si decerneretur. Pannoniorũ apparatũ bellicum Federico imminentẽ discusit legatione bina. Quarum posteriore & pacem confecit nequicquam toto biennio petitam. Legationem Germanicam in Italiã susceptam, de bello Asiatico, per omnem Germaniã circumtulit, qua de causa peregit & conuentum Ratisponæ, ubi progressum in concionem omnibus qui aderant, excusisse lachrymas constat, deploratis Græcorum calamitatibus, & recenti clade Constantinopolitana in medium exposita, cupientẽ iam redire ad suos, nulla re alia Cæsar potuit cõtinere, quã spe iniecta Asiatici belli, pollicitus sequenti anno expeditionem quantis maximis posset uiribus suscepturũ. Profectus eodem studio Franckfordiam, quod in Ratisponensi cõuentu fecerat, ad suscipiendũ in Turcas bellum exciuit. Ita ut passim arma caperentur, constitutis ex eius sententia ducibus qui essent publico nomine rerum summæ præfuturi. Cæterum subsecuta statim Nicolai mors omnia peruertit. Opinio fuit Nicolaum uoluisse eum coaptare Collegio Cardinalium. Sed importunitate Regum, suum cuiusq; postulantium, ne recipere competitores cogeretur, & hunc neglexisse. Mortuo Nicolao rogationem principum Germaniæ priuato cõsilio euertit, petentiũ id quod diu tenuisse Galli dicerentur, ne quid Pontifici Romano statuere de templorũ præfecturis liceret. Legatione ultima missus ad Calixtum Nicolao suffectum, ubi iusiurandum exhibuit, Cæsarem illi pariturum, hortatus senem ad bellum Asiaticum suscipiendum, & lachrymas excussit, & ut statim ædificari triremes ad ripam Tyberis iusserit effecit, bellumq; maritimum ad Veris initium inferri. Perpulit mox & Alphonsium ad eandem suscipiendam expeditionem, Neapolim ad eum profectus, simul & bellum deprecatus est, quod idem rex duce Piccinino Senensibus intulerat, quoniam minus adstitisse ei bello Hetrusco uiderentur. Constatq; regem confessum propalam exortam sibi ab hoc pacem ui orationis, non impetratam, cum frustra Senenses tribus antea legationibus postulassent. Mansit autem apud regem compositis iam rebus menses aliquot, ac tum demum sero ægreq; dimissus. Vltimo discessu aliquoties obuolutus pedibus regem sic accendit ad bellum, ut ex templo & ueterem classem recensuerit, & nouam iusserit ædificari. Tum demum reuersus Romam, Cardinalis, postulatione patrum designatur. Qua de re ractæ Calixto sunt gratiæ ac patribus, Germanorum Pãnoniorumq; principum nomine. Fuitq; statim multis in ore prouidum senem Calixtum esse, qui adhuc uiuens successorem sibi creauisset. Fuit aũt illi adeo charus ut exercitum ab eo ad repellendum Hetruria Piccininũ impetrauerit, & mox legatos, qui peterent Soro Lolio cõsobrino suo remitti exilium, Mansit aũt eo in ordine menses circiter uiginti. Quo tempore postulatus à collegio Varmiensi ad mare balteum, Antistes urbis ne multo post à Ratisponẽsi ad ripam Danubij, recusauit utrunque, dicens iam se Italum esse oportere. Secesserat

Germanorum rogatio de maiorũ decretis antiquandis.

Mors Nicolai expeditionem Asiaticam peruertit.

Rogatio principum Germaniæ de templo præfecturis.

Aeneas cardinalis designatus.

rat ineunte æstate Viturnium lauandi gratia, & quod singulis annis uitare per id tempus cœlum Romanum consueuerat. Cum nunciatum est Calixtum obijsse, celeriorem eius reditũ patres fecere. Singuli ad properandũ exhortati, Est & inter redeundũ uulgo Pont. maximus consalutatus. In comitijs Põtificẽ suffragijs apertis acclamatum, prorupisse in lachrymas constat: Attonitum aliquandiu cum excitaretur, & lætandum amici esse contenderent, dixisse lætari tanto fastigio imperij eos posse, qui labores & pericula non cogitarent, Sibi uero iam omnia præstanda alijs fore, quæ ipse ab alijs & in Germania, & Pãnonia & in Italia toties postulasset. Cum à Cardinalibus & cœtu Antistitum, ac postridie à ciuibus per ordines singulos consalutaretur, eodem perstitit uultu. Perductus in solium conuentum Mantuæ indixit, cui affuturum se subscripsit ad Calendas Iunias, atq; hoc primum eius fuit decretum. Altero Ferdinandum Alphonsi filium à Calixto paulo ante hostem iudicatum, amicum declarauit, cuius & causas attulit, quòd nouum conuentum agitanti potiora uidebantur pacis consilia, quã belli, & inuoluere domesticis armis Italiam minus conuenire Asiaticis rebus arbitrabatur, etiam quod ictum ab Eugenio primum, deinde à Nicolao, postremo initio pontificatus à Calixto ipso renouatum cum Alphonso fœdus, id expressum cõtinebat, ut Ferdinandus patris regno succederet, & legati qui aderant, hoc idem postulabant ex fœdere in quod paucis ante annis Italia uniuersa consenserat, Et nisi fieret, certaturi armis uidebantur. Proceres ergo regni Alphonso mortuo sponte sua ad Capuam in filij sceptrum coniurauerant. Tamen ius regni & coronam ea demum conditione permisit, ne cui præiudicium fieret, simul & tributum à superioribus pensum regibus quotannis solueret, aureum nummum duodequinquaginta millia. Pontificis Romani fines neq; inuaderet ipse armis, neq; inuadere alios quãtũ in se esset, permitteret. Piccininũ regia stipendia merẽtẽ Assisio & Nucerio per Calixti mortẽ occupatis quã primũ iuberet excedere. Beneuentũ agrũq; Beneuentanũ restitueret. Terracinã ad usum imminẽtis belli relictam, exacto decennio redderet, Pacem quoq; dare Sigismundo Malatestæ conditionibus quas esset ipse dicturus. Arcem Hadrianam, Spoletinam Narniensem, Surianum à præfectis pecunia redemit, Et pro Hadriana quidem uigintimilia persoluta. Spoletinam uero præfectus magna Troili Firmani uix tradidit. Appetente iam uere, prius quàm urbe discederet, ne qui fierent in Latio & Sabinis motus, iurare finitimos coëgit in fœdus absente se duraturum. Fecit & decretum ex patrum consulto, nec si mori sibi extra urbem contingeret, comitia de sufficiendo Pontifice alibi cogerentur quàm Romæ. Præfinito etiam tempore, quo agentes extra Italiam Cardinales indies comitiorum expectarentur, Iudiciarios magistratus Roma uetuit discedere, legatis subditarum ciuitatum & decreta maiorum confirmauit omnia, & patrem tributorum paulo minus quàm dimidiam in triennium remisit prouocationes prouincialium ad Romanos magistratus ante reditum suum uetuit interponi, adiecta multa ei qui prouocasset. Ad exequilias iussis per thermas Diocletianas ad portam flamineam, atque inde ad pontem Miluium deuectus, redire seniores patrum in urbem iussit, æstatemq; expectare. Iter primum egit secundum fluminis ripam, haud longius quàm ad septimum lapidem daturus spatium, si qui uellent priuatim se alloqui. Narniæ concursum uulgi facto, ad equum umbellamq; corripiendam in discrimine fuit uitæ, gladijs in ora dimicantibus, quo metu reliquum iter Perusiam usque ac deinceps Mantuam lectica confecit, ad singulos quingentos passus imitatis lecticarijs. Deflexitq; Spoletum ad sororem, ubi & quatriduum substitit Assisij dimidio minus, arcemq; communiuit turri eximiæ crassitudinis angulo extremo. Perusiam ingressus est pompa præcedente, equo uectus candidissimo, duodecim eodem candore præcedẽtibus, stratis purpura, sine sessore, et qui frenos aureos manu ageretur, magistratibus purpuream umbellã auro intexam præferentibus, sub quã ipse candida syndone, stola aurea commissa, & purpureo galero uehebatur. Pompæ causam prætendit, quòd post eiectum Bonifacium septuaginta iam annis Perusini Pontificem intra urbem non aspexissent, Dedicauitq; phanum Dominici postulantibus ciuibus propter eximiam

Calixti obitus

Pij concursu populi periculũ.

Pompa pij Perusiam ingredientis.

miam

miam templi magnitudinem, & dona primus intulit. Fenestram quoq; eximiæ magnitudinis pone aram maximam opere uitreo iussit occludi, artificio & textura texellata. Maiores magistratus toga indui purpurea talari ad uiros sexaginta. Perusiæ legatos Allobrogum audiuit, ac postridie Federicum Vrbinatem uirum pace ac bello æque clarissimum, & quo postea Marso ac Piceno bello copiarum Imperatore est usus, circumnauigato Trasimeno, ubi ad Clauim amnem peruenit, Legati Senensiũ obuiam progressi, restitutos gentiles ad munia ciuitatis cum nunciassent, accelerare lecticarios iussit. Corsiniam haud amplius quàm triduum moratus. Vbi Senam uenit, cæteram q̃que nobilitatem restituit, beneficio populi quanquam diu recusantis dispersitq; per tribus, ut coire totum in corpus ciuitatis uiderentur. Restituere conatus est & duodecimuirales familias, ad capita amplius quadringenta, aliquando nobilitatem secutas. Sed uisus remissius postulasse, non tenuit. Statuit Antistitem urbis Metropolitem finitimis in iurisdictionem adiectis Grossetano Massano, Clusino Suauensi. Ciuibus Raticophanum munitissimum Hetruriæ oppidum, quod diu antea bello cœperant concessu patrum in perpetuum sub tributo concessit. Cum legati Cæsaris & Beticæ ac Lusitaniæ regum, & Philippi Burgundi Senam conuenissent, omnibus sequi se iussis Florentiam trium dierum itinere contendit, Tribus legationibus apparatu diuerso excipientibus, inter quas & Galeatius Francisci Sfortiæ filius sextumdecimum natus annum, à Mediolano usq; præmissus à patre, & cũ eo Ariniensis, Fauentinus, Foroliuiensis, & Forocorueliensis tyranni occurrerunt. Cæteris auream sellam per uices subeuntibus Galeatio per ætatem manum apponente, postridie ludi theatrales decreti, quibus leones cum equis concurrerunt. Mox cauea per medios spectatores dilapsi. Consultauit & de rebus Italiæ cum Cosma Senæ sui temporis prudentissimo, opibus uero quantæ nulli ne ueterum quidem priuato fuerũt, templa quoq; ab eo facta, reliquaq; ædificia percupidè inuisit, in queis circiter sexcenta millia insumpta existimauit. Sigismundi Ariminensis causam, qua proditionis accusabatur à Ferdinando rege, distulit in conuentum Mantuanum. Bononiæ septem equitum turmas, quæ secutæ Galeazeum illic substiterant, prius quàm urbem ingrederetur, iurare coegit futuras in ipsius potestate, fuitq; ciuitas in trepidatione, armata circa optimatum domos iuuentute ne quid innouaretur. Auxit metum Brogma orator quidem uehemens, cæterum qui parum consultè in gratulatione publica, ciuitatis conditionẽ deplorauit. Qua de re mox præuaricationis reus, in exilium actus est, non ante Pij reditum remissum à ciuibus. Ferrariam Lembo delatus est per flumen Padum, omni genere magnificentiæ exceptus à Borsio. Cæterum postulata eius de immunitate ciuitatis & remissione tributorum, reiecit, causatas temporũ difficultates, quibus augenda tributa in Asiaticam expeditionem essent non minuenda. Quamobrem Borsius Ferraria discedentem ad Stellatam oppidum secutus, uenturum se Mantuam cum recepisset, postea minimè præstitit. Ad eum locum Ludouicus Gonzaga Mantuanorum princeps occurrit, classe utrinq; in Naumachiæ speciem cõcursante. Ingressus Mantuã est sexto Calendas Iunias quadriduo prius quàm Romæ subscripserat, pompa eadem, qua Perusiam, nisi quod hic regum principumq; legati lecticam subiere. Præfecturæ urbanæ uigilesq; portarum parere ei iussi quum ipse statuisset. De conuentu acturus, orsus est à re diuina, supplicationibus per urbem totam continenti triduo decretis, exposita ratione belli suscipiendi in Turcas, paucis inuentis eorum, qui se conuenturos erant polliciti, religionis simul & Italiæ uicem deplorauit, oratione admodum mœsta & plena desperationis. Sed breui frequens esse conuentus cœpit, legationibus Trãspadanis, Mox & Gallica, & Burgũdia, Casimiri quoq; Getarum regis splẽdorem quàm Barbarorum apparatu. Venit & Blancha Frãcisci Sfortiæ uxor, Philippi filia, fœmina spectatæ probitatis, comitantibus eam quatuor alteris liberis, quorum Hyppolita natu maxima, iuniori Alphonso desponsata, latine orauit pereleganter, Pij studium in religionem complexa, Galeatio fratre orationem eius excipiente, qui ambo patris aduentum promisere. Inter hæc nuncio de Turcarum impetu in Peloponesum accepto, trecentos pedites mittit, quorum centum

Raticophanũ Hetruriæ oppidum.

Tres simul legationes ad Pium.

Ludi theatrales Florẽtiæ editi.

Stellata oppidum.

Ludouicus Gonzaga.

Blancha.

Hyppolita.

Galeatius

Turcarum in Peloponesum irruptio. *Sanderouia in ripa Danubij.* *Verdea oppidum.* *Belli in Turcos suscipiendi gerendiq; rationes.* *Dieterus archiepiscopus Moguntinensis.* *Besfariõ legatus ad Germanos.* *Pax Italiæ per Pium.*

tum Blancha mercede conduxit, Centurione Zanono Cremonensi. Ad eum terrorem accessere legati ex Rhodo & Cypro, & Lesbo, & Epiro, atque Illirico uenientes, omnes petituri auxilium. Auxit trepidationem Sanderouia munitissimum oppidum in ripa Danubij proditum Turcis. Itaq; Ragusinos auxilia pollicitos triremes duas armare nauigareq'ue primo quoq; tempore in Græciã iussit. Bellũ exortum in Germania cõpescuit, missis legatis Verdeaq; oppido erepto, Cæsari iusso restitui. Dedit Sigismundo Ariminensi pacẽ, cõditionibus quas tunc acceptas breui Gallico bello abrupit. Frãcisco Sfortia cũ quadringentis purpuratis ueniente, tum demũ non expectatis cæterarum gentium legationibus, rogationem tulit de bello suscipiendo, habuitq; orationem omnium quæ circumferuntur ipsius nomine, longè grauissimã, secundum quam consensu omnium qui aderant, bellum decretum est. Alteram tulit rogationem mari an tera gerenda res esset: & Italo milite, an externo: & quàm magno exercitu opus foret, & unde cogendum stipendium, ac sententiam ipse subiecit ad singula. Militem conducendum eum, qui uinci à Turcis non consuesset, præcipuè Germanum exercitum, neque minorem comparandum, quàm satis esset repellendo hosti, neque maiorem, quàm alere prouinciæ possent. Pecunias in Italia exigendas, corrogandas etiam in Gallia atq; Hispania esse. Cum de Imperatore exercitus referret, qui communibus auspicijs rem gereret, Francisco munus per ætatem deprecante, Legati Burgundi Philippo eorum duci receperunt, uotis quoq; ad eam expeditionẽ dãnato. Misit et Gorũ Loliũ Venetias ad cõmunicanda clam consilia belli. Rhodijs ad triremes celeriter ædificandas sexdecim millia aureum numum dedit ex pecunia Gallicana. Sed hæc belli consilia, mutatæ undiq; res oppressere, Nũciatum sub idem tempus triremes quatuor & uiginti ad ripam Rhodani, ædificatas ad usum Asiatici beli, Renati Galli filium correptas aduersus Ferdinandum coarmasse, ac notis ad Genuam rebus classeq; ad Lyrim amnem delata, Campaniam uexare. Optimates regni plærosq; ad Gallos deficere. Romæ Tyburtium & Valerianũ fratres illecta iuuentute Agrippæ phanum communisse, tractis per uim ad stupra ciuium, libris ac cæsis qui minus obsequerentur. Piccininum ad Gallos cum parte regij exercitus transfugisse, Sabellos Piccinini præsidia recipere, In Picenis Sigismundũ rupto fœdere oppida regia inuadere, Esinos & Anconitanos, & in Vmbria Fulginienses & Menanẽses propter fines tumultuari, Britannos eiecisse regem, Hispanos maiore fratre depulso, minorem regno imposuisse. nec à Germanis quietiora asseruntur, Pãnonios & Boëmos rege ueneno absumpto, distrahere in partes regnum, Noricos intra se armis certare, Moguntinis Dieterum Antistitem inferre bellum. Ad hæc tot simul coorta mala, uisus non nihil animo succubuisse, Redijt celeriter Senam, nec sine discrimine Pado inter nauigandum glacie districto, ut necesse fuerit securibus excidi. Ad res Germanicas sedandas legatum misit Bessarionem Cardinalem Nicenum, principem collegij, Regi subitaria collecta manu auxilium summisit, eoq; mox ad Sarnum profligato, nihil cunctatus, ueteres instaurauit copias, ac nouas addidit Duce Antonio sororis filio, Piccinino Federicum Vrbinatem & cum eo Alexandrum Sfortiam opposuit, Sigismundo Neapulionem Vrsinum, ac mox Federicum, qui illum ad Senegalliam magna uictoria fudit. Romam Centuriones aliquot præmisit, & equitum præfectos, qui Sicarios Tyburtianos cõprimerent. In Britanniam legatum præsulem Interamensem, quem mox abusum legatione, & pugnæ Britãnicæ immixtum, coniecit in uincula, presulatu quoq; amotum. In. Hispaniam etiam q fratrem maiorem restituerent. Redijt post hæc celeriter in urbem exorta in Campania & Picenis ac Sapinis bella ex propinquo suppressurus. Sed undiq; ex tanto motu rerum, bello ita incubuit, ut aliquando quatuor & sexaginta equitum turmis re gesta non antea desierit, quàm subactis undiq; hostibus, quòd multis ætatibus uix contigerat, uniuersæ Italiæ data pax fuerit. Bella suscepit inuitus, nec unquam nisi lacessitus, & nec sic quidem nisi prius commonuisset ab iniuria desisteretur. Et Sigismundo quidem non antea inferri arma iussit, quã ter denunciasset, missis etiam legatis, qui oppida repeterẽt, media pace per fraudem oc

cupata. Sabello Syngrapha manu sua scripta, conditiones æquissimas proposuit, quanquam obsesso rerum omnium inopi, utrumque deinde ui ad deditionem compulsum, seruauit quidem, cæterum erepta bello eorum oppida neutri restituit, præfatus iniuriam eatenus remittendam esse ne secundo possit inferri. Sigismundo conditionem quoque adiecit, ut in Peloponesum Dux belli aduersus Turcas proficisceretur, ubi postea biennio uaria fortuna bellum gessit. In Germania Dieterum Moguntinum Antistitem tribus legationibus monuit, mox decretis ipsius parere recusantem abdicauit, quanquam familia ortum potentissima, alterumq́ue suffecit. Visus est erexisse calamitatibus animũ, cum nunciaretur deletum in Picenis eius exercitũ, & domestici supprimere nuncium conarentur, ubi resciuit, nihil motus: Sigismundus inquit, si decies prælio uicerit, semel uictus fuerit, bello uincetur, quod mox instauratis copijs euenit. Ferdinando ad Sarnum profligato, insultantibus Gallis fortuna inquit belli nobiscum est, Nam ea quos primum fouet, postremo destituit. In Germania quoque uictis insigni calamitate qui eius autoritate bellum gerebant, nostrum inquit, erit iam uincere qui uicti sumus. Quæ tria bella quamuis principio deteriori conditione ubique fuerint, breui ex sententia confecit. Expugnari neque casibus Fortunæ aduersis, neque minis potuisse ex eo constat, quod post susceptum bellum nemini pacem dedit nisi uictor, quanquam & à Sigismundo post uictoriã Picenam, & à Gallis post fusas regias copias postularẽt conditionibus ut accipere nõ dare uiderent. Auxit fines Imperij Beneuento et Terracina iure fœderis à Ferdinãdo acceptis. Sabinos q ad Gallos defecerãt & Soranos atque Arpinates, et in Picenis ac Flaminea à Metaurẽsibus in Cesenatẽ usque Arimino excepto, armis obtinuit. Phano fortunæ, mari simul terraque oppugnato. Venetorũ quoque classe, quæ illatura præsidiũ uenerat opera Anconitanorũ pfligata. Cesenates Iureiurãdo adegit, ut post mortuũ eorũ tyrannum Sigismundi fratrem urbem atque agrum pontifici dederent, quod breui quanquam ipso iam mortuo fecere. Canale Tudertinorum oppidum longa obsidione pressum, cum machinis undique dirutum, non tamen ante promissa defensoribus præmia, expugnari potuisset, & laudauit qui defenderant, & Ducem eorum præfectum militum constituit. Quædam & sine bello obtigere in Aquitania Valentinensis & Diensis Tetrarchiæ, quæ sunt ad ripã Rodani à Ludouico rege incertum datæ sponte an maiorum testamento relictæ. In Peloponeso quoque Manouasia munitissimum situm oppidum à Peleologis traditum. In agro Tolphano prope centum cellas, montes aluminis patefacti, ex quibus prouentus annui aureum nummum paulo minus percipi quàm centum millia feruntur, Insolentiæ eorum, qui minus iusta peterent, aut molirent constantissime restitit. Oratores Cypriorum natum ex cõcubina regis filium exclusa Carlocta ex uxore suscepta regem dari sibi postulantium reiecit, quod Cyprum uectigalem promisisse regi Syriæ & iurasse quoque in eius uerba diceretur. Georgici Boemorum regis, quod Fantinum Dalmatium legatum cõiecisset in uincula, & mox quod male de religione sentiret, Regnum publicauit. Sigismundo Norico Cæsaris patrueli diẽ dixit, quod nulla fretus autoritate custodiri Cardinalem eundem Antistitem Brixinensem iussisset, interdixitq́ue aqua & igni, quanquam priuata amicitia inter præcipuos habito. Sigismundum Malatestam obloquentem de religione atque ideo in ius uocatum, nec comparentem damnauit. Simulachro quoque eius Romæ uicatim incenso, nec multo post fœdus Gallicum, in quo & Sigismundum contineri Galli contendebãt, recusauit, indignum dicens inire cum eo societatem, quem paulo ante damnasset. Tudertinis tyrannicum morem creandorum magistratuum sustulit, datis legibus quibus rempublicam gubernarent. Increpuit Senenses, quod legem tulissent ne qua deinceps rogatio fieret de nobilitate restituenda, atque adeo acriter, ut extemplo legem abrogarent. Arcem in Ianuensi magnis sumptibus ædificatam à Columnensibus, & loco munitissimo demoliri ex templo iussit Veliternis imminentem. Mittente Cæsare legationem paulo obscuriorem recusauit audire, postulauitque clariorem. Burgundam quoque ueluti superbiorem iniustaque decreta postulantem,

Dieterus Antistes Moguntinensis.

Pij magnanimitas.

Canale oppidum.

Sigismundus Cæsaris patruelis.

Simulachrũ Malatestæ Romæ uicatim incẽsum.

Superbia Pij.

Turcarum in Peloponesum irruptio. *Sanderouia in ripa Danubij.* tum Blancha mercede conduxit, Centurione Zanono Cremonensi. Ad eum terrorem accessere legati ex Rhodo & Cypro, & Lesbo, & Epiro, atque Illirico uenientes, omnes petituri auxilium. Auxit trepidationem Sanderouia munitissimum oppidum in ripa Danubij proditum Turcis. Itaq; Ragusinos auxilia pollicitos triremes duas armare nauigareq'ue primo quoq; tempore in Græciā iussit. Bellū exortum in Germania cōpescuit, missis legatis Verdeaq; oppido erepto, Cæsari iusso restitui. *Verdea oppidum.* Dedit Sigismundo Ariminensi pacē, cōditionibus quas tunc acceptas breui Gallico bello abrupit. Frācisco Sfortia cū quadringentis purpuratis ueniente, tum demū non expectatis cæterarum gentium legationibus, rogationem tulit de bello suscipiendo, habuitq; orationem omnium quæ circumferuntur ipsius nomine, longè grauissimā, secundum quam consensu omnium qui aderant, bellum decretum est. *Belli in Turcos suscipiēdi gerendiq; rationes.* Alteram tulit rogationem mari an tera gerenda res esset: & Italo milite, an externo: & quàm magno exercitu opus foret, & unde cogendum stipendium, ac sententiam ipse subiecit ad singula. Militem conducendum eum, qui uinci à Turcis non consuesset, præcipuè Germanum exercitum, neque minorem comparandum, quàm satis esset repellendo hosti, neque maiorem, quàm alere prouinciæ possent. Pecunias in Italia exigendas, corrogandas etiam in Gallia atq; Hispania esse. Cum de Imperatore exercitus referret, qui communibus auspicijs rem gereret, Francisco munus per ætatem deprecante, Legati Burgundi Philippo eorum duci receperunt, uotis quoq; ad eam expeditionē dānato. Misit et Gorū Loliū Venetias ad cōmunicanda clam consilia belli. Rhodijs ad triremes celeriter ædificandas sexdecim millia aureum numum dedit ex pecunia Gallicana. Sed hæc belli consilia, mutatæ undiq; res oppressere, Nūciatum sub idem tempus triremes quatuor & uiginti ad ripam Rhodani, ædificatas ad usum Asiatici beli, Renati Galli filium correptas aduersus Ferdinandum coarmasse, ac notis ad Genuam rebus classeq; ad Lyrim amnem delata, Campaniam uexare. Optimates regni plærosq; ad Gallos deficere. Romæ Tyburtium & Valerianū fratres illecta iuuentute Agrippæ phanum communisse, tractis per uim ad stupra ciuium, libris ac cæsis qui minus obsequerentur. Piccininum ad Gallos cum parte regij exercitus transfugisse, Sabellos Piccinini præsidia recipere, In Picenis Sigismundū rupto fœdere oppida regia inuadere, Esinos & Anconitanos, & in Vmbria Fulginienses & Menanēses propter fines tumultuari, Britannos eiecisse regem, Hispanos maiore fratre depulso, minorem regno imposuisse, nec à Germanis quietiora asseruntur, Pānonios & Boëmos rege ueneno absumpto, distrahere in partes regnum, Noricos intra se armis certare, Moguntinis Dieterum Antistitem inferre bellum. *Dieterus archiepiscopus Moguntinensis.* Ad hæc tot simul coorta mala, uisus non nihil animo succubuisse, Redijt celeriter Senam, nec sine discrimine Pado inter nauigandum glacie districto, ut necesse fuerit securibus excidi. Ad res Germanicas sedandas legatum misit Bessarionem Cardinalem Nicenum, principem collegij, *Bessariō legatus ad Germanos.* Regi subitaria collecta manu auxilium summisit, eoq; mox ad Sarnum profligato, nihil cunctatus, ueteres instaurauit copias, ac nouas addidit Duce Antonio sororis filio, Piccinino Federicum Vrbinatem & cum eo Alexandrum Sfortiam opposuit, Sigismundo Neapulionem Vrsinum, ac mox Federicum, qui illum ad Senegalliam magna uictoria fudit. Romam Centuriones aliquot præmisit, & equitum præfectos, qui Sicarios Tyburtianos cōprimerent. In Britanniam legatum præsulem Interamensem, quem mox abusum legatione, & pugnæ Britānicæ immixtum, coniecit in uincula, presulatu quoq; amotum. In. Hispaniam etiam q fratrem maiorem restituerent. Redijt post hæc celeriter in urbem exorta in Campania & Picenis ac Sapinis bella ex propinquo suppressurus. Sed undiq; ex tanto motu rerum, bello ita incubuit, ut aliquando quatuor & sexaginta equitum turmis re gesta non antea desierit, quàm subactis undiq; hostibus, quod multis ætatibus uix contigerat, uniuersæ Italiæ data pax fuerit. *Pax Italiæ per Pium.* Bella suscepit inuitus, nec unquam nisi lacessitus, & nec sic quidem nisi prius commonuisset ab iniuria desisteretur. Et Sigismundo quidem non antea inferri arma iussit, quā ter denunciasset, missis etiam legatis, qui oppida repeterēt, media pace per fraudem oc-

cupata. Sabello Syngrapha manu sua scripta, conditiones æquissimas proposuit, quanquam obsesso rerum omnium inopi, utrumque deinde ui ad deditionem compulsum, seruauit quidem, cæterum erepta bello eorum oppida neutri restituit, præfatus iniuriam eatenus remittendam esse ne secundo possit inferri. Sigismundo conditionem quoque adiecit, ut in Peloponesum Dux belli aduersus Turcas proficisceretur, ubi postea biennio uaria fortuna bellum gessit. In Germania Dieterum Moguntinum Antistitem tribus legationibus monuit, mox decretis ipsius parere recusantem abdicauit, quanquam familia ortum potentissima, alterumque ue suffecit. Visus est erexisse calamitatibus animũ, cum nunciaretur deletum in Picenis eius exercitũ, & domestici supprimere nuncium conarentur, ubi resciuit, nihil motus: Sigismundus inquit, si decies prælio uicerit, semel uictus fuerit, bello uincetur, quod mox instauratis copijs euenit. Ferdinando ad Sarnum profligato, insultantibus Gallis fortuna inquit belli nobiscum est, Nam ea quos primum fouet, postremo destituit. In Germania quoque uictis insigni calamitate qui eius autoritate bellum gerebant, nostrum inquit, erit iam uincere qui uicti sumus. Quæ tria bella quamuis principio deteriori conditione ubique fuerint, breui ex sententia confecit. Expugnari neque casibus Fortunæ aduersis, neque minis potuisse ex eo constat, quòd post susceptum bellum nemini pacem dedit nisi uictor, quanquam & à Sigismundo post uictoriã Picenam, & à Gallis post fusas regias copias postularẽt conditionibus ut accipere nõ dare uiderent. Auxit fines Imperij Beneuento et Terracina iure fœderis à Ferdinãdo acceptis. Sabinos q ad Gallos defecerãt & Soranos atque Arpinates, et in Picenis ac Flaminea à Metaurẽsibus in Cesenatẽ usque Arimino excepto, armis obtinuit. Phano fortunæ, mari simul terraque oppugnato. Venetorũ quoque classe, quæ illatura præsidiũ uenerat opera Anconitanorũ profligata. Cesenates Iureiurãdo adegit, ut post mortuũ eorũ tyrannum Sigismundi fratrem urbem atque agrum pontifici dederent, quod breui quanquam ipso iam mortuo fecere. Canale Tudertinorum oppidum longa obsidione pressum, cum machinis undique dirutum, non tamen ante promissa defensoribus præmia, expugnari potuisset, & laudauit qui defenderant, & Ducem eorum præfectum militum constituit. Quædam & sine bello obtigere in Aquitania Valentinensis & Diensis Tetrarchiæ, quæ sunt ad ripã Rodani à Ludouico rege incertum datæ sponte an maiorum testamento relictæ. In Peloponeso quoque Manouasia munitissimum situm oppidum à Peleologis traditum. In agro Tolphano prope centum cellas, montes aluminis patefacti, ex quibus prouentus annui aureum nummum paulo minus percipi quàm centum millia feruntur, Insolentiæ eorum, qui minus iusta peterent, aut molirẽt constantissime restitit. Oratores Cypriorum natum ex cõcubina regis filium exclusa Carlocta ex uxore suscepta regem dari sibi postulantium reiecit, quòd Cyprum uectigalem promisisse regi Syriæ & iurasse quoque in eius uerba diceretur. Georgici Boëmorum regis, quod Fantinum Dalmatium legatum cõiecisset in uincula, & mox quòd male de religione sentiret, Regnum publicauit. Sigismundo Norico Cæsaris patrueli diẽ dixit, quòd nulla fretus autoritate custodiri Cardinalem eundem Antistitem Brixinensem iussisset, interdixitque aqua & igni, quanquam priuata amicitia inter præcipuos habito. Sigismundum Malatestam obloquentem de religione atque ideo in ius uocatum, nec comparentem damnauit. Simulachro quoque eius Romæ uicatim incenso, nec multo post fœdus Gallicum, in quo & Sigismundum contineri Galli contendebãt, recusauit, indignum dicens inire cum eo societatem, quem paulo ante damnasset. Tudertinis tyrannicum morem creandorum magistratuum sustulit, datis legibus quibus rempublicam gubernarent. Increpuit Senenses, quòd legem tulissent ne qua deinceps rogatio fieret de nobilitate restituenda, atque adeo acriter, ut extemplo legem abrogarent. Arcem in Ianuensi magnis sumptibus ædificatam à Columnensibus, & loco munitissimo demoliri ex templo iussit Veliternis imminentem. Mittente Cæsare legationem paulo obscuriorem recusauit audire, postulauitque clariorem. Burgundam quoque ueluti superbiorem iniustaque decreta postulan-

Dieterus Antistes Moguntinensis.

Pij magnanimitas.

Canale oppidum.

Sigismundus Cæsaris patruelis.

Simulachrũ Malatestæ Romæ uicatim incẽsum.

Superbia Pij.

tem, Marti Iem Gallum, quòd uirginem incestasse uestalē ferebatur, præfectura amouit, quanquam scelus non constaret, subdens, in religione præfectos suspicione non minus uacare debere, quàm crimine. Gallum alterum Armeniaci tyrannum cum sorore consuetudinem stupri per speciem coniugij habentem, in iudicium tractum mulctauit, coniectis in carcerem qui falso decretum Calixti corruptis tabulis adhibuissent, actaq; res est magna contentione propter familiæ nobilitatem. Quædam minus uisus est uindicasse. Perusiæ Pandulphi Balionij ac filij cædem à patruele in spē hæreditatis securis illatam, & in Piceno acti Sentinatis eadem de caussa à patruo capti, ac mox strangulati, & in priore quidem causatus tempora extorqueri sibi parricidium quæstus est. Sentinatem obsessum ac mox sub conditione deditum dimisit omnibus exutum rebus, affectis tamen supplicio qui iuueni manus intulissent. Nonnulla facetijs excepit, aut morsu. Ludouico rege Gallorum nisi copias in Ferdinandi auxilium missas è Campania reuocaret, multa minante, ac rursus nisi desisteret auxilio, Gallos qui Romæ essent reuocare simulante, nihil respondit aliud, quàm: Et habitabimus laxius, & nugas non audiemus, castigata simul insolentia gentis & leuitate. Triballis confirmari sibi quem ipsi nominassent regem postulantibus, negauit esse sui iuris sed ad Pannonios pertinere, contendentibus liberos esse, Quid inquit seruitutem postulatis? Præfecturam Rhodiensem exhaustam à Gallo, Hispano commisit dicens: Gallicum morbum Hispaniensi medico curandum esse, quod Galli profusi Hispani frugales haberentur.

Apopthegma de Gallis.
In Triballos.

Conuentu Mantuano cum Burgundi duo millia equitum, quatuor peditum pollicerentur, Germani hominum armatorum duo & quadraginta millia. Vngari dimidio minus. Ragusini duas triremes. Rhodij quatuor, Cypri totidem. Legati ex Cilicia hominum triginta millia, dicentibus Gallis, non antea excitandum foris peregrinum bellum, quàm ipsorum domesticum sopiretur, Mirum inquit, Gallos qui semper aliàs uicerunt, hodie uerborum magnificentia uinci. Borlij quoq; legatis trecenta millia aureum nummum pollicentibus cum fidem non fecissent, non opus est, inquit, tot nummis dimidio contentis. Cum Veneti propter initium cum Turcis fœdus palam aduersarentur, clam tamen habita ratione quantum essent collaturi, Summam belli naualis dari sibi postularent & classem insuper triremum sexaginta, & uiginti nauium rostratarum ac peditum delectorum octo millia, & annuas decimas, & præterea quindecies centena milia ex publico, Hoc, inquit, Veneti est recusare non petere, Nos uero adeo uobis molesti non erimus, ut oneris tantum feratis. Hispanorum assertionem de miraculis eius, qui cum patre de regno contenderat, quanquam asseuerantissime instarent, irrisit, idq; ægrè ferentibus, an nescitis inquit, uita miracula fieri, non morte? Germanis offensis, quòd inter respondendum Matthiam Pannoniæ regem appellasset, tanquam ad eos ius regni pertineret, Sinite ait Matthiā tantisper nos regem appellemus, dum eum uos regnum tenere permittitis, temeritate simul & ignauia exprobrata, subdiditq; armis regna dijudicari non legibus. Clementem eum fuisse indicio est, quòd nemini petenti ueniam, non facile ignouit, alioquin pertinacibus inexorabilis. Bello regio parci Arpinatibus iussit ob Caij Marij, & Marci Tullij memoriam, quòd multi oppidanorum ita uocarentur. Donadeum oppidum Sabinorum direptum à suis grauissimè indoluit, ut opinio fuerit cogitasse eum de ducibus exautorandis. Correptos à suis greges Aquilanorum ad quinquies centena millia, quod uiolata fide ad Gallos defecissent, restituit, dicens non esse multandos, insontes, greges agrestium & multitudinis esse, defectionem à potentioribus factā, qua liberalitate dedere se uolentes, Aquilanos, reiecit ad regem. Expeditiones non nisi ex consensu patrum & sero suscepit, susceptis ita incubuit, ut aliquando non suppeditante ærario, atq; ægrè conferentibus socijs, accitis quæstoribus, iam inquit si opus est uendi me iubeo. Pecuniarū usque ad uitium negligens, ut nec aspicere quidem sustinuerit, Impensa belli ingrauescente, contraxerat aliquando ad ducenta millia æris alieni, quod ubi ex rationibus ærarij percepit, quæstoribus grauiter succensuit, iussis prima quaq; occasione dissoluere. Quæstori Vrbano usus est Iulio Forti Pisano, acris & animi & ingenij uiro. Sed contrahendo

Venetorum cum Turcis fœdus.

Pius ob Marij & Marci Tullij memoriam Arpinatibus parci iussit.

Pecuniæ cō temptus.

ære

ære alieno in sumptus bellicos paulo laxiore, quo factum est, ut exhaustis uectigalibus unde suppeditare domesticis sumptibus pecuniam posset, aliquando laborauerit, coactus unum in triclinium & ipsum admodum frugi familiam omnem redigere, ut aliquando exclamauerit: Et qui appeteret, & qui contemneret pecuniam, stultum esse. Sed neq; rationem fisci uectigalibus aut portorijs auxit, neque decimas antea exegit, quàm bello Turcis indicto, & tunc quoque moderatione adhibita, ne prophani ultra quàm trigesima grauarentur, ne'ue ad maiorem summam infimi magistratus, quàm supremi, utque Iudæorum uigesimæ non ex prouentibus, sed ex capite deducerentur. Instituit quatuor uiros ex collegio patrum de luxuria coërcenda. Primum Germanum, Alterum ex Gallis, reliquos in Italia. Sed homines diuersarum nationum ac morum, dum cunctantur, ipse è uita decessit. Nouum etiam collegium Abbreuiatorum ad uiros septuaginta literaturæ et moribus ex omni natione promiscue delectos, redacturus ad castigatiorem elegãtioremq; stilum acta publica uidebatur, quòd iam ab initio Pontificatus destinauerat, Sed deterritus diuersitate controuersiarum ac legum, differre se in magis ociosa tempora, non omittere testatus. Prouocationem ad futurũ conciliũ temere à nonnullis illatam, edicto summouit. Sceleratorum esse perfugium dicens eum iudicem petere, qui nusquam esset. Episcopos protonotarijs ordine subselliorum anteposuit mutata consuetudine maiorum, quanquam plærisque regio genere ortis. Cardinalium numerum duobus comitijs auxit undecim adiectis, laudauitq; singulos oratione diuersa. Sed nec priorum contempsit suffragia, nec de quoquam retulit, cuius ratio non omnibus constaret. Testamenta eorum qui Romæ decessissent libera esse uoluit, qui intestati obijssent: eorum bona ita demum referri in ærarium est passus, si nec propinqui comparuissent. Quæstore eius quædam supprimere uolente ad fiscum deuoluta, cum reddere ijs, quorum fuerant, iuberet, & ille uendita asseueraret, statim subdidit, redimantur. Nobilitati & studio sui & ex Germanorũ consuetudine fauit, respublicas non æque uisus probasse, diffiniebat multorum esse tyrannides, & quæ optima haberetur, in ea non minus bonis quàm malis periculum esse uirtutis, præmia non ferè nisi apud principes inueniri. Thomæ Paleologo ac liberis Peloponesi imperio depulsis in Italiamq; fugientibus occurri ad Anconã iussit, atq; omnia regio more subministrari. Carloctam quoq; reginã Cypri regno deturbatã à fratre atq; ad socerũ Allobrogum nauigantẽ, descendere ad Hostiã ac Romæ excipi, datis equis quibus iter reliquũ terra conficeret, uiatico etiã prosecutus. Accitis Romã ferè omnib. quos Turcæ patria eiecerãt, pecuniã ad uictũ annuũ cõstituit. Ceremonijs solennibus permagnificus, cæteris in rebus habitus est intra modestiam. Caput diui Andreæ ex Peloponeso delatum prosecutus est maxima pompa, Alexandro Cardinali Sentinati Anconam misso, qui à Græcis acceptum Narniam usq; deferret, ubi arce reconditum, exacto post anno tribus missis Cardinalibus diuersi ordinis, & decretis itinere toto supplicationibus, Romam iussit afferri, progressusq; obuiam ad pontem Miluium, medijs in pratis excepit. Tabernaculo extructo ad rem diuinam faciendam, ubi mox & sacellum erexit Ligustico marmore, & in Vaticano cellam dedicauit simulachro argenteo confecto. Vituruij festum eucharistiæ peregit insolito apparatu, strata undique sagis purpureis urbe, uelataq'ue linteis, quibus aureæ stellæ ueluti cœlesti affixæ globo interlucebant, ut excluso cœlo inter flores ad digiti crassitudinem, & diuersi generis cantus supplicatio procederet. Siluestres etiam homines hædera uestiti cum leonibus atq; ursis congredi uidebantur artificio mirabili, & uersus passim heroici canebantur fortium'que fistulæ utrinque ex aduerso sese ferientum murmure continenti demulcebant. Strauitq; omnem templi ambitum purpura. Catherinam Senensem cuius multa extare uidentur miracula ferebantur, in diuarum retulit numerum, apparatu æque magnifico. Ritus sacrorum & ceremonias ita ubiq; tenuit, ut ad Sublacum cœnobitas cœnam eodem apparatu, quo illis ministrari sibi biduo iusserit, quod & Capreolæ in Hetruria fecerat, Et ad cœnobium diui Benedicti in Mantuano & in Florentino ad Certusiam cum ibi substitisset.

Abbreuiatores.

Prouocatio ad concilium.

Pius Cardinalium numerum auxit.

Nobilitatis ac rerump. comparatio.

Carlocta Cypri regina.

Pompa in festo eucharistæ Vituruij habita.

Catherina Senensis.

Pius lustrandi orbis auidus. tisset. Lustrandi orbem & uagandi adeo cupidus, ut aliquando dederit calumniæ locum, Et legationem quidem Scoticam non inuitum suscepisse constat. Britanniam uero itinere obliquo, et unde circumspicere multa posset obijsse, dissimulata ueste Lundonias ingressum uoluisse etiam ad Orchades nauigare, sed deterritum malè toties tentato mari, dixisse tritum illud, plusquàm temere Neptunum accusare, qui tertio iactetur, & Scotiam quidem Noruegiamq; descripsit, facturus idem de Britannia si redire ad exactiorem inquisitionē licuisset. Allobrogem qui incertum specie sanctimoniæ an aucupandi pontificatus gratia solitudini se dederat, quòd locum delegisse amœnissimum ad ripam lacus Lemanij ferebatur, ultro adijt, locumq; descripsit. Habuit inter delicias & uallem Sarentanam quæ est in Rhetijs, fontium ubertate atque gratia eximiè *Vallis Sarentana in Rhetijs.* lætam, ubi & ædes ab eo constructa est. Profectione Mantuana commoratus Clusij diem unum, reliquias Laberinthi uetustate collapsi perquisiuit, & ad hostium fluminis Mincij diuertit in uillam, quam constans est apud accolas fama fuisse Virgilij agrum. Tusculanum & Albanum & Tyburtinum studio uetustatis perlustrauit, omnem ui- *Virgilij ager.* am quoque Appiam & aquæductus, & hostiam, & Troiani portum, diuersis secessibus inspexit. Et in Appia quidem obeliscos ad Hyppodromum iussit excauari. Hostiæ uero in discrimine fuit, grauissima exorta procella, compulsus metu inunda- *Pij periculum hostiæ.* tionis, nocte media cubiculo excedere. Phalerios quoque adijt, quòd audierat muros adhuc extare lapide quadrato, & Ocricoli eadem de causa substitit. Circumnauigauit Thrasimenum & Vulsinium lacum, & utrobiq; in altera Insularum pernoctauit. In Thrasimeno subscriptiones libellarias fieri quæ in lacu factæ notarentur, In Vulsino summo iugo insulæ erigi sacellum iussit, ubi est Christianæ uirginis phanum, & certamen concurrentium nauicularum despexit, proposito accolis præmio. Fontes sereno die adeo cupidè frequentabat, ut sæpe inter glaream & marginem cœnam postulauerit. Augustam & Alburnam, & deriuationem Anienis, uia Claudia ad Sublacum usq; inuisit. Salonam quoq; uia Tiburtina ad leuam deflectens Augustam ubi contegi ad uitandum æstum audiuit. Egit accolis gratias, statimq; occurrit. Struxit & Senæ fontem in hortis prope pomerium aqua ductu subterraneo deriuata, ubi diem sæpe totum decernendis rebus exegit, quem cum noctu quidam disiecissent, adeo tulit molestè, ut discedere statim uoluerit, quæstionem tamen ultrò offerentibus ciuibus, interponi uetuit, dicens satis magnam pœnam suam cuiq; stulticiam esse. Montium quoque delectabatur ascensu, ut in Romano & in Tyburtino prope nullū prætermiserit, Sed præci- *Amiata mōs in Hetruria* puè qui uirerent arboribus, & in longissimum prospicerent. Amiatam in Hetruria editissimum conatus ascendere ad media substitit, lecticarijs ægre subeuntibus. Senæ cum diuersaretur sæpe Capreolam secedebat, quo in loco iugum est pinu, cupresso, ilice, lauro consitum. Semitis per gradus sub umbra distinctis, nisi per hyemem aut pluuiam raro sub tecto aut prandebat aut spatiabatur. Secedebat singula quaque æstate ab ortu caniculæ, nisi qua re grauiore distineretur, aut in proximas urbes, aut si liberum esset in Hetruriam, Itineribus usus per æstatem nocturnis, stationes libenter secundum fontes habuit, aut flumina & riuos, si fontes non occurrissent. Inter eundum aut interrogabat proximos de ijs quæ prospiciebantur, aut ipse loquebatur, Historiam loci cum posset ubique subnectens. Vere atque Autumno Viturnia balnea repetebat aut Petriolana, destinauerat aliquando & Baiana petere, Sed reuocatus precibus Senensium diuertit ad Tusca, lauabatur perfricabaturq; à paucis & exiguo apparatu, ne quem deterreret eorum, qui prope lauabantur, qua de causa nec horam sibi nullam præscripsit. Abstersus paulo plus minusu'e mille passuum uehebatur. Perpetuo pon- *Pius quomodo tempora distinxit.* tificatu lecticarijs usus ubi nauigatio deesset. Annandi leuiter secundis fluminibus cum posset, occasionem auidissimè arripuit, quòd & minus quateretur, & lecticarijs parceret, Dierum ac noctium rationem ad horas usque distinxerat. Surgebat æstate ad primam auroram. Hyeme ad alterū Gallicinium. Studium ita partiebatur, ut inter legendum aut scriberet, aut dictaret paribus prope interuallis, nisi cū historias texeret,

quas

quas constat & uerissimè & festinantissimè scripsisse. Plerumque duas in horas, nonnunquam minus quàm in unā protracto studio: Exceptorem habuit Augustinū Patriciū, quem aliquādo ad horas quatuor exercuit: Sed duntaxat ualetudinarius & cum Chiragra laboraret: Deinde uel aderat rei diuinæ, uel ipse operabat, mox aut cum patribus cōsulebat, aut dabat subscriptionibus operam, quæ duo munera alternis diebus obiri solita, nisi cum feriæ aut solennia prohibuissent, nunquam intermisit. Subscriptiones etiam extra ordinem, ut quaquā postulator occurreret & in mensa, & in cubili faciebat. In itinere ubiubi subsedisset, acciri postulatores iubebat, nec unquā ad fontem aut umbram accessit sine pugillaribus. Secundum cōsultationes patrum aut subscriptiones, primum Oratores, mox priuati admittebantur: Cum aliquando unus è cubicularijs senem uerbosiorem facere dicendi finem clam submouisset, aduertens, repeti omnia iussit. Conuersusque ad cubicularium irato similis, an nescis, inquit, ex quo iniui pontificatum, alijs, me uiuere oportere, non mihi. Neminem plus triduo demoratus, Oratores sæpe qua die uenissent, cæteros postridie admisit, præscripta cuique hora, ne quem expectando fatigaret. Integritatem eorum qui secum uersarentur exactissime perquisiuit, repudiatis, quorum fama minus probaretur. Initio Pontificatus Secretariorū numerum, quod offerri quidam temerè dicerentur, ad paucissimos redegit, pauloque post ad duos Sorum Lolium consobrinum suum, & Iacobum Lucensem spectatissimæ probitatis uiros: Et alterius quidem ingenium ac uitam ita probauit, ut paulo post Antistitem Papiensem, mox & Cardinalem effecerit. Qui de postulatis referrent homines sibi asciuit moribus & doctrina probatissimos, præcipuum uero Agabitum Cyncium Romanum clarum in Poëtica quoque, sed iuris scientia longè eminentissimum, quem primum Anconitanis mox Camitribus præfecit Antistitem, maiora collaturus si diutius uixisset. Constantissimus fouendis quos semel esset amplexus, gloriabatur inter suos neminem sibi fuisse inimicum sua culpa. Dilexit ex priuatis Marianum Sozzinum Senensem iurisconsultum ueterem æqualem suum, & Procopium Boëmum, quem aliquando in Germania collegam habuerat. Ex Regibus Federicum Cæsarem, & Alphonsium Arragonem, & Matthæum Pannonium, extremo tempore, & Franciscum Sfortiam, quem bello Regio socium habuit. Præcipuè omnium complexus est Federicum Vrbinatem, cum rei bellicæ summam commisit: Ex patribus maximè Bessarionem Græcum Cardinalem Nicenum ætatis suæ doctissimum, quem & orare aliquando secundum se iussit, & legationem Germanicam commisit cum summa potestate. Caruaialium quoque Hispanum eiusdem ordinis clarum uirum quem iam senem & attritum legationibus ex Pannonia reuocauerat, dialogosque aliquot inscripserat. Ex domesticis plurimum apud eum potuit Sorus Lollius. Catharinam & Laudoniam sorores æque dilexit, & Laudoniæ quidem uirum ad equestrem erectum ordinem Vmbriæ præfecit. Ex quatuor filijs primum Antonium in familiam Regiam adoptatum Marsorum ad Lucanorum imperio præficiendum à socero rege curauit. Alterum Franciscum uiginti annos natum coaptauit collegio patrum. Reliquos duos Iacobum & Andream ac mediocres extulit opes. Catharinæ uero cum unicam haberet filiam minus uisus est præstitisse. Cæterum & præfecturas dedit genero, & ipsi ad uiginti millia aureum nummum comparauit: Auxit familiam numero adoptiuorum, inter quos sororis filios, & sororum consobrinum, & Cardinalem Papiensem, & cubiculariorum aliquot gentilitijs donauit. Alexandrum præterea Miraballum Neapolitanum, quem initio pontificatus ob eximiam liberalitatem familiæ reique domesticæ præfecerat, & oppidum Frascatam in Latio secessus æstiui gratia concesserat. Amicis & propinquis raro se subtraxit. Sermone gaudebat libero & festiuo, & qui modice exiret in iocum, fuitque ipse natura non infacetus urbanitate extemporanea. Occurrentibus aliquando in itinere Lusitanorum legatis, nos inquit ad hos, an hi ad nos ueniunt? Exeunte eo à cella Palatij cum Germanus senex arrepta lectica, ius sibi reddi exclamaret, una inquit de re, an de omnibus? Respondenti de una, statim subdidit, recte sapis: nam actū defuerat, si de omnibus postulasses. Alteri se sæpius pedibus com-

Catharina & Laudonia Pij sorores.

Alex. Miraballus.

Pij facetiæ.

mendanti, nescis, inquit, ò stulte, quàm debiles patronos imploraueris. Corsiniam quo in loco natum cum diximus, non comparentibus sodalicijs, solus, ait, meorum conuiuio desum: Paternum etiam fundum circumuisens, in quo pinus erat à patre qua die ipse natus est consita iam præalta, cum ad eam descendisset, hæc inquit, me admonet esse iam grandiusculum: Ad lacum Vulsinum contendentibus accolis de lectica sube unda, ita ut & gladios stringerent, repelli omnibus iussis, quàm stulte, inquit, simul & onus, & periculum quæritis? Ad Amiuatam porrigente pastore Cymbium lactis, ori admouit quanquam admodum sordidum, ridentibus qui aderant, & hoc inquit, dulcius, quàm Artaxerxis poculum, & qui sitit uitro non eget. Aedificandi studium bella interceperunt. Cæterum in Vaticano cellas templi maximi promiscuè passim ædificatas disijci iussit, ac mox secundum parietis tractum collocari, quo reddita est facies interior templi angustior & patentior: Addidit & cellam Diui Andreæ ad primũ angulum templi læua subeuntibus, ubi postea & sepeliri se iussit. Scalas quoque instaurauit pro foribus templi uetustate collapsas, strauitq; aream amplissimã uestibulo palatij communito turri excubatoria inchoatam, supra scalas marmoream porticum imperfectam reliquit. Est & ipsius arx Tyburtina, opere tumultuario confecta, quòd nec prohibuissent transitum, & iuuissent cõmeatu hostes, & recipere intra urbem ipsius præsidia recusassent, exprobrauitq; dubiam fidem, & diripi eorum agrum est passus, fuitq; & nostrum. Distichon:

Tybur habes arcem, quòd non tibi creditur hinc est,
Aeneas Phryx est, Tybur es agricolum.

Corsinianum ex oppido urbem Pientiam appellauit designatis magistratibus urbanis in speciem iustæ ciuitatis, Episcopo & prætorio ædificatis, Episcopum & triumuiros instituit, & certamina Gymnica per gradus ætatis. Construxit & ædes gentilitias eximia pulchritudine, Symmetria quadrangula, lapide suffusco extanti incrustatas ad digiti crassitudinem, commissuris paulo recedentibus, duplici ordine fenestrarum, annulis & cratibus ferreis, addiditq; porticum ad meridiem duplici concameratione, continuatione insuper accliui, & triclinia æstiua atque hyberna, & cellas promptuarias alte suffossas, hortosq; pensiles. Templum quoq; egregia structura & aream pro foribus, & cellas in ambitum templi aramq; subterraneam, uetuitq; in eum quenquam sepeliri præter sacerdotes & Antistitem, quibus & tumulum seorsum assignauit, tum uiolari parietem, picturaq; insigniri, aut appendi leones, aut cellas erigi, aut altaria præter quàm quæ ipse destinasset. Et prædia in sumptus annuos coëmit. Architecto ad summam futuræ impensæ longe præmetito, post perfectum opus addi centum iussit, dicens desipere Architectum qui de impensa, quàm nemo sit facturus ante præfiniat. Fecit & senex porticum gentilitiam concameratam, ædes quoq; adiuncturus, quarum iam aream strauerat. Erexit & cellam ad phanum diui Francisci, & in ea sepulchrũ parentibus marmore Ligustico hoc inciso Disticho, quod ipse condiderat:

Syluius hic iaceo, coniunx Victoria mecum est,
Filius hoc claudit marmore Papa Pius.

Cogitauerat Anienem ad Tybur usque nauigabilem reddere, portum quoq; Traiani repurgare, & in Pientino lacum facere, Orcia flumine occluso, ac riuo ex Amiantæ radicibus eodem deriuato. Ingenia sui temporis mirifice fouit, sed duntaxat probatissima, inuertens nonnunquam aliorum epigrammata, uisusq; contempsisse mediocritatem, contraxit inuidiam, dicere solitus Oratores & Poëtas, aut supremo aut nullo in loco esse oportere. Laudabat in dicendo candorem & uim orationis, apparatum uerborum nimium dicentis ocium appellabat. Iuuenis delectatus Poëtica, Niraphilenticum scripsit uersu magis facili & expedito, quàm accurato. *Pij scripta.* Poëmata quoq; in Epistolarum modum complura, flexu ætatis orationi incubuit, inuitatus rerum & legationum magnitudine, Scripsit ad Ladislaum Regem Boëmorũ adhuc adolescentem libellum unum de arte Grãmatica, mox alterũ de Regia institutione, cum in Germania ageret. De rebus Boëmicis ad Alphonsum, Ad Federicũ, de Noricis integros cõmentarios.

Rerum

Rerum sui temporis in Italia gestarum libros duodecim, quod opus nondum absolutum cum uita finiuit, uetuitque publicari, nisi emendaretur. De Eurialo, De ortu Nili, De studio uenandi, De Hæresi Hussitarum. De dignitate Cæsaris, De potestate concilij, De sanguine Christi, De ueritate Christiana ad Maumethem Turcam, De gloria belli suscipiendi ad Franciscum Sfortiam, De erratis Basiliensium, De Fortuna, De defensione poëtices, De miseria curialium singulos libellos, quorum magna pars dialogis constat. Descripserat in Pontificatu Asiam minorem, maiorem mors intercepit. Inchoauerat & aliquando historiam uniuersi orbis rerum ætate sua ubique gestarum: Sed omisit, ueritus ne parum explorata colligerentur. Loca libenter exscripsit stilo extemporaneo, mox castigaturus, Præter Scotiam & Noruegiam atque Luaniam, Rhodon quoque & Mitilenen, & Lesbon, & Cyprum expressit accurata breuitate. Et historiam quidem temporum recentiorum nemo putatus est & quæsisse diligentius, & uerius tenuisse. Reliquit epistolarum quatuor uolumina distincta temporibus, Orationes nemo temporum nostrorum, & nec ueterum quidem tot habuit, omnes ferè de rebus amplissimis. Cæterum sententijs quàm uerbis illustriores, Copia mira, & ad magnitudinem rerum excrescente, De uerborum delectu nonnihil illi Germania detraxerat, coacto sæpe apud Barbaros cultiora negligere. Sed earum magna pars exceptorum negligentia perijt, quatuor & uiginti extant. Pronunciabat uoce sonora & graui, uerum eodem spiritu semper & crebris interuallis, ut dicere ex tempore & sine cura uiderentur: Persuadendi longe potentissimus. Neminem ad se dicendo non traxit. In conuentu Ratisponensi male sustentatas à legato Cæsaris partes. ipse suscepit oratione extemporanea, ubi dicenti aduersario: & quando desines molestus Germanis esse, Cum inquit, tu incipies ill s molestus non esse. Præuidisse illum futura ex longo interuallo creditum est, prædixit quadriennio ante se in belli apparatu decessurum hoc uersu, quem ipsius manu uidimus scriptũ: In Turcas bellum dum parat occubuit. Senensi adultero afferenti de riuali querelã, nisi desieris inquit breui occidere, quod accidit nondum exacto mense. Legatis Venetis in conuentu Mantuano societatem aduersus Turcas recusantibus, fore ait, ut quod tunc reijcerent, decimo post anno sero essent rogaturi, quod euenit: Nam decimo post conuentum anno amissa Euboëa opem ex omni Italia imploratum circumiere. Cum Ludouicus Allobroga uir Carlotæ haud procul à Mantua transisset, Cyprum mari petiturus, nec eum ut par erat salutasset, breui, inquit, recta ad nos reuertetur, quod sequenti anno fecit Cypri regno depulsus. Statura fuit infra mediocrem, corpore per adolescentiam modico, flexu ætatis aliquanto pleniore, oculis lætis quidem, sed qui toruè in iram excandescerent, capite compacto, & ante diem cano, facie subcandida annis seniore, & ad minimam quanque ualetudinem statim concidente. Fuit laboris & inediæ, quàm frigoris atque æstus patientior. Calculo uexabatur prope menstruo, & assidua tussi, pedum usum iam pridem amiserat, cum rigore niuali, quam diximus, tum etiam superueniente podagra. Chiragra sero offensus & raro, Astrologas se manus habere iocabatur, quòd æquinoctiũ tumore prædicerent, quæ omnia adeo patienter tulit, ut constet legatione Germanica, impeditum grauiter podagra, tamen à collega, ut diem unũ subsisteret, adduci nequiuisse, & in aquis Patriolanis pertulisse duas in horas fistulã deuncem. Romæ quoque inter maximos calculi dolores continuasse orationem uix obtorto leuiter ore, ac submorso paulum labro deprensum. Magnitudinis eius signa quædam præcesserunt. Mater nocte posteriore quàm peperisset, uisa est in somnis puerum mitratum peperisse, diu grauiter sollicita de omine, donec signatũ Tergestanis antistitem audiuit. Corsiniani septimũ agens ætatis annum inter ludos pueriles Pont. Max. salutatus ab æqualibus, singulos ordine ad oscula pedis admisit, Alphonsus uenientẽ ad se Neapolim è fenestra digito amicis ostendens, En inquit, nobis Pont. Max. Federicus quoque Cæsar eũ è Cyminio monte Latiũ ꝓspexisset, eo acciri ad se iusso: cito his in locis regnabis Aenea, & qui tibi nunc imperamus, breui parebimus Romæ unus ex regijs purpuratis ad eum iam Cardinalẽ ueniẽs, cum lunas fagis legis intextas aspexisset, Exclamauit fore eum Pontificem Max. Quod agẽs ipse aliquando

Forsan Lituaniam.

Pij orationes xxiiij. extant.

Statura Pij.

Somniũ matris de Pio.

aliquando in Calabris audiſſet, eſſe in arcanis proximè futurum Ponficem ea ſigna habiturum. Qua in hora creatus eſt Pontifex Romæ, eadem Laudoniæ ſorori Corſiniani eſt nunciatus octoginta milibus paſſuum ſpatio, nec uiſus amplius qui nunciauerat. Incidit ſæpe in diſcrimen uitæ. Puerum penè trimum decidiſſe præcipiti loco, & prope exanimatum conſtat, à boue quoque impetitum cornibus, ac ter iactatum præter ſpem euaſiſſe, multis in locis confoſſum, in Britannia cum à cœna mercatoris amici reuerteretur, qui funabulum præferebat, ipſius in oculis occiſus eſt, propè ut ad eum uulnus perueniret. Et transfretatione Britannica ſereno die cum ad nauigandum inuitatus, ſerius ad nauem iam ſoluentem ueniſſet, quàm poſſet admitti, exorta mox tempeſtate, nauis & qui in ea erant haud procul à littore, ipſius in oculis demerſi ſunt. Mediolani cum febrim incidiſſet, grauiore accepto pharmaco penè conſumptus pro fluuio eſt, cum alterum medicus ſupparaſſet, pixide caſu effracta, periculo eximitur. Nec multo poſt Baſileæ peſtilentia contactus paulum ab interitu abfuit, ab amicis omnibus, præterquàm ab Andrea Panigalio deſtitutus, quem poſtea inter præcipuos habuit. Alpes Vindelicas Hyberno æquinoctio ingreſſus, paulum abfuit quin liquentium niuium lapſu obrueretur, ſemel ingenti globo deiectus. Apud paludes Pontinas, cum noctu per flumen Ligulam nauigaret, tribus horis limo inhæſit, naui quæ eum ſequebatur cum undecim uiris abſorpta. Ad Cumas quoque nocte cum appuliſſet, nauis oppreſſa eſt, ſed citra cuiuſquam diſcrimen, quòd haud procul à littore nec profundo admodum mari ſubſediſſet. Qua quoque die coronatus ad Lateranum eſt, in periculo fuit, ne à turba congratulantium opprimeretur, ut neceſſe fuerit perfractis ſcipionibus, gladijs arceri multitudinem, quod idem Poſtæ & Narniæ contigit. Inſidiæ bis illi ſtructæ, primum ab Euerſo tyranno adiutore Boccardo: cuius interceptæ ſunt ad eum literæ, habere ſe uenenum, quo ſimul paulum lectica illiniretur, ſtatim periturum, ſe quidem corrumpere aliquos ex lecticarijs uoluiſſe, uerum neminem inuentum, qui facinus recepiſſet, adhibendam eius autoritatem & præmia maiora proponenda. Quod ubi reſciuit, tantum admonuit Pazaliam præfectum cuſtodiæ corporis, ne quem parum cognitum lecticarium admitteret. Alteræ à ſicarijs Tiburtianis. Ii ex Hetruria ad exitum autumni redeuntem, nõnullos ſubornauerant, qui ueluti libellum porrecturi pugione conficerent. Sed illo properante, nondum cõfirmatis ad ſcelus animis, priuſquàm ueniſſet ad locum inſidiarum, patefacta res eſt. Et credidit alioquin facile ſe omnibus, fiducia tanta, ut profectione Mantuana aliquando per hoſtilem agrum ſine præſidio tranſierit. Mors quoque eius præcognita rumore paſsim diſsipato ad exitum anni ſexti dececeſſurum. Et ipſe in pratis Quintijs, cum ex urbe diſcederet, conuerſus ad mœnia, Vale, inquit, Roma, nunquam amplius uiuum me uiſura: Qua die atque hora deceſsit Anconæ in Hetruria Camaldi, quod eſt in Appenini iugo ſenex Germanus, uictu aſpero ſex & quadraginta annos intra ſacelli clauſtra emaceratus, atque inter cœnobitas miraculis clarus, egreſſus ad limen primum ueſtibuli, uidere ſe exclamauit magnum ſacerdotem corona triplici, & candido amictu deferri in cœlum, cantantium uirguncularum cœtu & nubecula ſeptum. Attonitis qui aderant, & quid eſſet conijcientibus, quarto poſt die, quantum itineris Ancona diſtabat, nuncius de morte eius affertur, tempore & habitu conuenientibus. Expeditioni in turcas uehementius incubuit, & feſtinantius, quàm eſſet è ualetudine, & alieno tempore, cum recens rediſſet è balneis, obijcientibus amicis ſenium & ualetudinem. Patebit, inquit, in cœlum reditus, ſi Romam non dabitur. Et phano expugnato, ſublatis in cœlum manibus, rectè, inquit, habet: Iam uocor ad bellum meum. Accelerarunt eius profectionem Philippi Burgundi magnificis promiſsis, & præterea Telephi Armeniæ, & Georgij Perſarum, & Aſiæ Meſopotamiæ, & Gorgoræ maioris Hyberiæ, & Vitebechi minoris, Regum Oratores Romam unà ad eum miſsi, diuerſa lingua, habitu diſpari, & cæteris quidem tonſi erant in morem noſtrũ capilli. Meſopotamijs globus unus in cincinni ſpeciem relictus intonſus, Veſtes omnibus laxæ deiectæ, pileo prælato & ſublimi. Horum cum unus dies ſingulos uiginti, carnis pondo deuoraret, Si in conuiuio, inquit, & umbra his

ſocijs

socijs dimicandum erit nobis, iam uicimus. Oratio eorum grauis & stricta. Centum uiginti milia armatorũ pollicebantur, & Pancratium Hyberum sociũ belli, uirum magnæ in re militari autoritatis, quã summam cum audiuisset, non creditam, & luxuriæ quàm bello aptiorem ratus: alere inquit tantum exercitum difficile erit Europæ. Maturandi causam etiam Pannonij dedere, quos postulasse à Turcis pacem constabat, conditionibus admodum iniquis. Quare misso statim equitum mille in annũ unum stipendio, ac spe aduentus sui facta, in fide continuit. Cruce signatorum etiam concursus ad Anconam factus, quos ad triginta milia ex Gallia atq; Hispania error attraxerat, uulgato temere Pontificem omnibus, qui ad bellum transmarinum proficiscerentur, & nauigium ad traijciendum, & uictum ad finem belli suppeditaturum. Igitur præmisso ad eos in aduentum suum continuendos, Carauaialio Hispano Cardinali, ac rebus per Italiã omnem compositis, *XIIII*. Calend. Iunias Roma proficiscitur, re diuina in templo maximo ad Vaticanum peracta, in quo descendere quoties urbe abiret, & aras singulas ordine uenerari consueuerat, ibi omnibus ad precandum rerum successum inuitatis, festinato ad pontem Miluium lectica delatus est. Auidius suscepto itinere incidit in febriculam, principio haud satis cognitam medicis, & ipse ne quid moræ obijceretur aliquã diu suppresserat, ea iam aucta magis quàm ut dissimulari posset, medicos inhibuit ne cui patefacerent, iureiurando & imprecationibus adactos. Ad pontẽ patribus ac turba omni dimissa, cum paucis Lembum conscendit aduerso Tyberi nauigaturus. Cum effusa patentibus pratis ciuitas abeuntem cõsalutaret, ac reditum audienti precarentur, prorupit in lachrymas, Substitit nocte prima ad Castellum Loboleum, confessus nauigationem eius diei difficilimam fuisse contrario flumine colluctanti, quod ex imbecilli potius ualetudine, quàm labore accidisse putatum est, nec ausus in ripam descendere, graui defatigatione cõtractus, noctem totam egit in Lembo. Postridie quanquam inhibentibus medicis matutinum iter, multo ante solis ortum soluere cum iussisset, ad oppidum Phianum peruenit nauigatione longissima, quadraginta milibus passuum uno die cõfectis. Cũ pridie illius diei ad decimum miliarium substitisset, pernoctauit & secundo in flumine. Hoc in loco dum ageretur de parte classis quæ structa ad portum Pisanũ penetrare in superũ mare per fretũ siculum iubebatur, uenireq; Anconam ad copias excipiendas, nũciatumq; esset, triremes Genuensium ad naues onerarias, quæ ad summam classis pertinebant nondum esse paratas. Et præterea Philippum Burgundum profectionẽ uerbis extrahere, commotus animo est, auxit molestiam prolapsus è ripa demersusq; in oculis adolescens ad remigium mercede conductus, tarde accurrentibus nautis, quod adeo tulit acerbè, ut precatus ueniam extincto, & abominatus casum nec lachrymas continuerit. Ad radices montis Soractis tædio nauigationis simul & mœrore extincti iuuenis, exponi se primum nauicula iussit, questus semper sibi nauigationes malè cessisse. Quod uerbum sinistre accipientibus cubicularijs & quid committeret se toties præsenti periculo interrogantib. ratus ad deterrendum se ab transfretatione Illyrica dictũ, q̃d sciebat inuitis multis se Italia excedere: neminẽ inquit cogimus, nec aliud locutus, reponi in Lembũ se iussit, Prouectus ad XV. millia passuũ lectica confectis supra Ocriculum, maximè consternatus, est obuia cruce signatorum multitudine, quos moræ impatientes retinere Caruaialius minime poterat & agmine cũ reuerterentur nec rapini abstinebant, quocirca medici auersuri eo spectaculo illius oculos, obcludi lecticæ uelum perpetuo itinere, causati uentos, iusserunt. Ab Ocriculo per Narniam Interamnamq; Spoletum ægrè. & itinere quatuor dierum peruenit, conquieuitq; totũ triduũ, & arce communita præsidiũ auxit. Iter deinde à læua per Fulginenses agens, Fulginensium quosdam subsequi ad Assisium iussos relegauit, præfinito in reditum suum exilio ausos & cœtus cogere, & præfecto urbis ubi ille Italia discessisset, iam tunc insidias præstruere, tyrannidem sibi per cædem accepturos, Instaurari & Assisij utranque arcem iussit. Superato deinde ad Fabrianum Apennino, iter flexit ad phanum uirginis Laureaneæ uota nuncupaturus, ubi & aureum obtulit calicẽ,

Pancratius Hyberus.

Cruce signatorum concursus.

 ac pate

ac pateram eximiæ magnitudinis. ingressus Anconam xv. Calend. Sextiles, Supplicationes trium dierum decreuit, præfatus initia rerum deo, cætera uirtuti cõmendanda esse. Nuncio allato de incursione Turcarum in agrum Ragusinum, milites ducentos ad corporis custodiam comparatos, cum paucis sagittarijs triremi expedita nauigare extemplo Ragusium iussit. Triremes Venetas numero duodecim, in quibus & Venetorum dux aderat, ubi appropinquare intellexit, deferri se iussit ad primum littus classem inspecturus, eaq; inspecta, subgemuit, una edita uoce, nuper sibi nauigandi occasionem defuisse, nunc occasioni se defuturum. In cubiculum relatus solui statim profluuio cœpit. Medicis nihil periculi promittentibus. Et hæc quoque principum miseria est, inquit, ne in morte quidem carere assentatoribus, Postulauitque eucharistiam, quam & triduo prius acceperat, & paulo ante ad Laurentanum, Acciri deinde patribus iussis, hortatus est ut in expeditione persisteret. Triremes et quæ in portu erãt & quas uenire per fretum Siculum nunciabatur, tradi Venetis iussit. Pecunias ad aureum nummum quadraginta millia ex decimis exactas Matthiæ regi Pannoniorum mitti in sumptus belli. Cum deficere uires sentiret, reijciens sese in Cardinalem Papiensem, fili inquit, curam meorum ipse suscipito, & huic expeditioni adesto. Interrogatus ab illo an sepeliri Romæ se uellet, non tenuit lachrymas, subdens, & quis id procurabit? Illo recipiente se curaturum, refici uisus est. Vocauitq; patres ordine ad osculum, postulata prius à singulis uenia, si minus recte rem Christianam administrasset. Lachrymãtibus omnibus & Bessarione eius uerba de re Christiana sanctissimè gesta excipiente, iterum amplexis omnibus inungi se iussit. Vbi concurrens & ipse precibus inter hymnos expirauit, uoce ultima ægre ædita, rogare omnes pro se precarentur. Decessit anno ætatis suo nono & quinquagesimo, religionis nostræ Millesimo quadringentesimo, sexagesimo quarto, decimaocta. Calend. Septembris, ex quo pontificatum inierat anno sexto. Pollinctores curato corpore cordatissimum affirmauerunt, præcordia execta in templo diui Ciriaci recondita fuere. Corpus decreto patrum subsequentibus ipsis relatum Romam est, & in cella diui Andreæ sepultum ad Vaticanum.

Turcarum incursio in agrũ Ragusinum.

Pij obitus & ætas.

Vita Pij à nobis paruo conclusa libello,
  Digna elephantini tergoris orbe fuit,
Larga, sed hoc illi Papiensis uena, nec unquam
  Dum cœli stabunt emoritura, dabit.
Campani exigua, & riuo deducta minuto
  Non explet, primum uix rigat illa labrum.
Cum tua mox ædes nũc pressa uolumina dicent
  Campanus dormit, suscitat iste Pium.
Debilis & quamuis, atq; omni manca labori
  Magnum si tetigit, dextera iuuit onus.
Si ego pone sequens, & post tua terga, priorem
  Laudabo, atq; autor non ero, testis ero.

FINIS.

Esse hoc in tumulo Pium secundum
Ne tu crede, Pius petiuit astra.
Terris gloria nominis uagatur,
Præterquàm ossa nihil reliquit urnæ.

Elenchus

Elenchus siue Index eorum quæ singulis Capitibus ab Aenea Syluio in Historia Bohemica tractantur.

PRæfatio Aeneæ Syluij tituli sanctæ Sabinæ, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis Senensis in historiam Bohemorum, ad illustrissimum principem & Dominum Alphonsum regem Arragonum. folio 81.

Cap. 1 De situ regionis Bohemicæ, de Fluminibus eiusdem & ciuitatibus, ac de Bohemorum moribus. fol. 82.

2 De origine gentis Bohemorum. fol. 84.

3 De Zechio, primo duce Bohemiæ. fol. 84.

4 De Croco, secundo Bohemorum duce. 85.

5 De Libussa, filia Croci, quæ pluribus annis rexit Bohemiam.

6 De Primislao tertio Bohemorum duce. 85.

7 De puella Valasca, quæ principatum Bohemiæ more Amazonum septennio potenter obtinuit. 86.

8 De puella Sarca, quomodo dolosè nobilem Stiradum deceperit mortiq; tradiderit. 87.

9 De Nimislao quarto, ac Muata quinto, Vortioq; sexto nec non Vinslao septimo Bohemorum ducibus. 89.

10 De Grezomislao, qui & Neclam dictus est, octauo Bohemorum duce & de graui bello quod gessit cum patruo suo Vratislao. 89.

11 De infidelitate Duringi, qui Vratislai filium sibi commissum interfecit, pœnamq; condignam dedit. 90.

12 De Nostirico nono, & Borsiouio decimo Bohemorum ducibus, qui et ultimus Paganorum ducum fuit, & tandem cum uxore sua fidem Christi suscipiens baptizatus est. 90.

13 De situ Morauiæ, & Suatocopio penultimo rege eiusdem, qui & primus Christianus inter reges Morauiæ fuit. 90.

14 De Spitigneo undecimo, ac Vradislao duodecimo Bohemorum ducibus. 91.

15 De sancto Venceslao martyre, tertiodecimo, & fratre suo Boleslao quartodecimo Bohemorum ducibus. 91.

16 De Boleslao quinto decimo Bohemorum duce. 92

17 De Boleslao sextodecimo Bohemorum duce. 93.

18 De Vdalrico septimodecimo Bohemorum duce. 93.

19 De Bisetislao decimooctauo Bohemorum duce. 94.

20 De Spitigneo decimonono Bohemorum duce. 95.

21 De Vratislao uicesimo Bohemorum duce. 95.

22 Vradislaus dux Maguntiæ in regem creatur per Henricum imperatorem quartum, regnoq; Bohemiæ, Poloniam, Slesiam, Lusaciã, Morauiãq; adiecit. 96.

23 De Conrado uicesimo primo, Bisetislao uicesimo secundo, ac Boleslai uicesimo tertio, nec non Borziuislao uicesimo quarto, Bohemorum ducibus. 96.

24 De Vladislao, uicesimo quinto Bohemorum duce & rege secundo. 90.

25 De Sobieslao uicesimo sexto, & Friderico uicesimo primo, nec non Conrado uicesimo octauo, ac Bisetislao uicesimo nono, atq; Venceslao tricesimo Bohemorum ducibus. 97.

26 De Primislao tricesimo primo Bohemorum duce, & rege tertio. 97.

27 De Venceslao Bohemorum rege quarto. Et de Othacaro Bohemorum rege quinto. 79.

Elenchus.

28 De sancto Venceslao Bohemorum rege sexto. 99.

29 De Venceslao Bohemorum rege septimo. 100.

30 De Rodolpho Bohemorum rege octauo. 100.

31 De Henrico Bohemorum rege nono. 100.

32 De Ioanne Bohemorum rege decimo. 100.

33 De Carolo Bohemorum rege undecimo, qui & postea Romanorum imperator factus, Carolus quartus dictus est. 101.

34 De Venceslao Bohemorum rege duodecimo, & qui rex Romanorum extitit. 102.

35 De perfidia, secta Hussitarum & de damnatis articulis illius. 102.

36 De Ioanne Hus & Hieronymo hæresiarchis, & in Constantiensi Concilio igni traditis. 105.

37 De morte Venceslai regis. 107.

38 De Ioanne Zischa, hæreticorum Hussitarum capitaneo, in armis strenuissimo ac uictoriosissimo. 107.

39 De Sigismũdo Bohemorũ rege tertio decimo, et Romanorũ imperatore. 108.

40 De ciuitate Thabor & extructione eius, fratribusq; Thaboritis. 108.

41 De Academitis hæreticis. 109.

42 Quomodo Sigismundus Bohemiam ingressus, coronam regni acceperit, minusq; feliciter pugnauerit. 110.

43 De Orebitis hæreticis. 110.

44 De multis prælijs & uictorijs Ioannis Zischæ. 111.

45 De Ioanne Rochezana presbytero hæretico. 114.

46 De morte Ioannis Zischæ. 114.

47 De Orphanis hæreticis, qui se post mortem Zischæ separauerunt à Thaboritis. 114.

48 De expeditione in Bohemiam, contra hæreticos & rebelles per Martinum Papam quintum instituta, & de infelici pugna contra eosdem. 115.

49 De inchoatione Basiliensis Concilij, & uocatione Bohemorũ ad ipsum concilium, ut fidei suæ rationem redderent. 117.

50 Oratio Iuliani Cardinalis ad Bohemorum legatos, responsiuaq; eorundẽ. 117.

51 De uictoria Bohemorum fidelium, & debellatione morteq; Procopij ac aliorũ hæreticorum. 119.

52 Quomodo Sigismundus Romæ coronatus, post multas dissensiones & bella cum pace & gaudio à Bohemis suscipitur. 121. (123.

53 De morte Sigismundi imperatoris, & quem reliquerit in testamento hæredem.

54 De sepultura Sigismundi imperatoris. 124.

55 De Alberto Bohemorum rege quartodecimo, & etiã Romanorũ rege. 124.

56 De morte Alberti inclyti regis. 126.

57 Quomodo Bohemi post mortem Alberti, eligunt in regem Albertum Baioariæ ducem, sed electioni consentire nolint. 127.

58 De Ladislao infante, Bohemorum rege quintodecimo. 128.

59 De morte Barbaræ imperatricis, uxoris Sigismundi. 130.

60 Quomodo Austriales Ladislaum regem ab imperatore petentes, non exauditi, bellum mouent, Nouamq; ciuitatem obsident. 131.

61 De electione Comitis Ciliæ, & priuatione administrationis suæ. 132.

62 De coronatione regis Ladislai. 134.

63 De reductione Vlrici comitis Ciliæ, & restitutione administrationis sibi factæ. 136.

64 De dolo comitis Ciliæ, Ioannem Huniadem ab administratione reni Vngariæ cupientis amouere. 136.

65 De cruce

65 De cruce signatis & pugna eorundem contra Turcas, uictoriaq; apud Albam in Vngaria habitis. 137.
66 De interfectione comitis Ciliæ per Ladislaum Huniadis filium patrata. 139.
67 De laude Ioannis Huniadis per regem Ladislaum pronunciata. 139.
68 De captiuitate filiorum Ioannis Huniadis, & de collatione Ladislai filij eiusdem senioris. 140.
69 De coniuge regi tradenda. 140.
70 De infirmitate & morte Ladislai regis. 141.
71 De opinione & causa infirmitatis & mortis regis. 142.
72 De Georgio Poggiebracio rege Bohemorum sextodecimo. 143.

In Historia rerum ubique Gestarum, quam alij Cosmographiam & mundi uniuersi historiam appellant.

Præfatio, folio. 281.
1 De mundo uniuerso, forma eius & plagis terræ. 282.
2 An mare circumnauigari queat sententiæ diuersorum. 282.
3 De marium & sinuum diuersitate, secundum uarios autores. 283.
4 De longitudine & latitudine & climatibus terræ. 283.
5 An sub æquinoctiali circulo ac torrida zona sint habitationes. 284.
6 Partitio nostræ habitabilis in Asiam Africam & Europam tres principales parteis, & ubi coniungantur. 284.
7 Qui Aphricæ, Europæ, Asiæ limites, & de diuisione Asiæ per Taurum montẽ. (285.
8 Generalis distributio Asiæ in sex præcipuas partes. 286.
9 De Seribus populis. 287.
10 De Gente Atocorum, Ciconibus populis seu ut alij uolũt, Sementinis, & quæ de Macino prouincia denarrauit Nicolaus Venetus. 287.
11 De Sacis populis, quos Nomadas appellant. 288.
12 De Massagetis, ubi de adolescente, qui tempore Pij Papæ Solẽ adorabat. 289.
13 De Antrophagis, Essedonib. Arimaspis, & id genus immaniũ hominũ. 289.
14 Qui populi inter Iaxartem fluuium & Hyrcanũ mare incolunt, & de habitantibus sub Polo Arctico, & Hyperboreis populis. 290.
15 De Arimphæis populis nõ absimilibus Hyperboreis, Cataio, & quæ de his locis enarrat Nicolaus Venetus. 291.
16 De Sogdianis & Bactrianis. 292.
17 De Aria & Hyrcania, & mirifica harum regionum uite. 293.
18 De secunda Asiæ parte, & Sarmatis generatim. 295.
19 De Albanis, & de bonitate soli sui & simplicitate gentis, & prisca eorum superstitione. 296.
20 De Amazonibus & Gargarensibus, & ex quibus prolem suscipiebant. 298.
21 De Iberia, Iberis, uictu, uestitu & respub. eorum & quomodo, quouè tempore Christi fidem susceperunt, quodq; Georgiani nunc appellentur. 300.
22 De Colchis & quæ flumina Colchidem claudunt, de melle amaro, de Tragelapho & quantum Colchis olim claruerit. 301.
23 De Dioscuriade & apud eam linguarum uarietate, aurati uelleris fabula, de uictu & uestitu eorum qui apud Dioscuriadem conueniunt. 302.
24 De Syracoris, Troglodytis, & nominum mutatione, Item de pellibus quæ ab ijsdem manant. 303.
25 De Alopetia in Mæotide insula, quæ mistorum hominum domicilium conti-

net, quantaúe opprimantur glacie & frigore. 304.
26 De Phanagoria, de Gigantibus Venerem adorantibus, de Polemonis regis morte. 304.
27 De Zogaris & Heniochis, de lemborum magnitudine, et eorum maritimis furtis, De Enochiorum regum pluralitate. 305.
28 De Scythis, eorum origine, de sedibus incertis, eorũ uictoria, & qualiter in hos triumpharint Romani. 305.
29 De Asiaticis, Scythis, & eorum ferocitate, unde Attilas, de eorum fœditate, & quomodo Vngaros uelint esse Scythas, quomodoue quidem Vngarica lingua sint loquentes. 307.
30 De Parthis, apud eos uario terræmotu, sermone misto, de eorum uario incessu, & de regum uaria successione, atque in bellis multa nunc regni populatione, nũc autem auctione. 308.
31 De Cosdroa tyranno & uictoria Heraclij, crucem Domini ablatam & iterum esse restitutam, De Maumethe pseudopropheta, nec nõ insigni uictoria Thamerlanis Partharum ducis. 312.
32 De situ Mediæ ac diuisione generatim, de montibus eius, fluminibus, Atropatia regione & lacu Spantha. 315.
33 De Media magna, & solo equis pascẽdis apto, ex hac Vescos equos genus habere, de herba quæ Medica uocatur, equorum nutritura abundantia. 316.
34 De Medorum in Venerem profusione, de uxorum pluralitate, & Medea quæ olim hic regnauit. 317.
35 De Armenia & quod Tigris in ea nascatur. 317.
36 De Armeniæ montibus uarijs, de arca Noë in montibus Armeniæ inuenta & quanta niue hi sint obruti. 318.
37 Qui fluuij sint in Armenia, de Arsino lacu, aqua quæ in illo propter celeritatem impermista feruet, de equorum apud eos bonitate & eorundẽ opulentia. 318.
38 De opulentia Armeniorum, auctione, Thanaide dea, de uestitu atque Sarapetis populis. 319.
39 De regibus & tyrannis qui Armeniam uicissim inuaserunt, atque grauissima inter se prælia commiserunt 319.
40 Quomodo Armeni Christiani sint effecti, et Tyridates gentis illius rex sit ad baptismum conuersus. 323.
41 Quanta sit longitudo, quantaúe latitudo Asiæ minoris. 323.
42 In quot sit diuisa Cheronessus. 325.
43 In quot sit diuisa Cappadocia. 325.
44 De situ minoris Armeniæ, quomodo Deum coluerit, & in errores nonnunquam lapsa. 325.
45 De Cathaonia, de Pyramo fluuio eiusque alueo. 326.
46 De Thianensi prætura, quot Cappadociæ præturæ, ubi Asiæ fanum in quod nudæ mulieres nudis pedibus primores ingrediuntur. 327.
47 De Argeo, & quomodo Cappadocia lignis careat, & de Argei situ. 327.
48 De Mazaca, de exemplo quomodo parentes uereri debent pueri hic gesto, quibus abundet Cappadocia, Onichitum lapidem in ea inuentum. 328.
49 De Ponto quare Cappadocia aliquando dicta sit Leucosyris, cuius sit figuræ Pontus. 328.
50 De Gadisonetica regione. 329.
51 De Themiscyra campo, & quomodo Pontus regio sit fertilis, & in ea uiri docti orti sint. 329.
52 De Sydina & soli fertilitate. 330.

53 De Coma urbe, et quanta incolarum superstitio, de uarijs Ponti regionibus, un de & Germani salis habeant excoctionem, De Sandaro monte ubi metal la effodiuntur, & qui Pontici Christum colant. 331.
54 De Heraclia ex qua Heracletus. 333.
55 De Henetis, Sinopēsibus & de eorū uico Harmena, unde Diogenes Cinycus & alij complures. 333.
56 De Galatia & in eam Gallici hostis pulchra uictoria. 335
57 De Lycaonia & lacu Tacta, de mira salis cōgelatione, & cuius fraude interierit (Amyntas. 336.
58 De Pisidis, & quomodo Storace syluæ abundēt. 337.
59 De Bithynia eiusq; urbibus compluribus. 337.
60 De Salone & Nicæa eiusq; figura. 339.
61 De Maiori Phrygia, eiusq; urbibus, & quomodo à Christo delapsi. 340.
62 De Mysis, Lydis, et Mænib. quomodo uiri hi literati & ad Christū proni. 341.
63 De insigni ciuitate quæ diu sub Attalicis regibus fortunata fuit. 342.
64 De Sardensibus & uiris apud hos excellētibus, de Troade & ad hanc pertinen tibus urbibus. 343.
65 De Adrastia & quomodo homines cum serpentibus cognationē habere dican (tur. 345
66 De Dardania. 346.
67 De Ilio duplici. 347.
68 De Ida, eius fluminibus & pulchra pinu. 348.
69 De Tenedo insula, et q̄d in ea castellū fuerit nobilissimū, quod cū Veneti et Ge nuenses pro eo multis inter se plijs cōtenderēt, cōmuni cōsensu est deletū. Itē de urbe Alexādria quæ prius Sigæa uocabatur, deq; in ea Smynthei delubro sacris muribus habitato 349.
70 De agro Lecti, cāpo Halysio, itē de salibus Tragescis qui Etesijs uentis spiran tibus, sponte nasci dicuntur. 350.
71 De Palæscepsi & qui in ea Socratici fuere Philosophi. Itē de Theophrasto & (eius bibliotheca. 351.
72 De Anderis, mirandoq; lapide, qui solus combustus in ferrū, cū terra quadā in argentū falsum, quæ terra si æs accepisset in aurichalcū uertebatur. De Pitana urbe Aeolica, quodq; apud eā lateres inuēti sint, q̄ super aquas innatarēt. 352.
73 De Cuma Aeolitarum urbium maxima, & quomodo Cumani insulsi & hebe tes sint putati. Item de Larissa. 353.
74 De Lesbo Aegei maris insula, & quot in ea memoratu dignæ sint. Itē qui Phi losophi, poëtæ et rerum scriptores ibidem floruerint. Insuper de fœmina, quæ urbem à Turcis una seruauit. 354.
75 De Ionia minoris Asiæ regione, De Mileto & Epheso, quæ totius Ioniæ urbes fuere clarissimæ. De Branchidis oraculum Didymeum Xerxi prodentibus. De uiris ex Mileto memoratu dignis, De Lamio Endymionis Astrologi mō te. Item de Auerno pestiferas exhalationes habente. 356.
76 De Samo Aegei maris insula, de tabulis statuis, & colossis in ea pulcherrimis, De Polycrate annulum aureum in mare proijciente, & eum paulò pòst in pi scis à piscatore accepti uētre inueniēte. De Pythagora Philosopho & q̄d Cal caphōtis confabulatoris sui animam diu noctuq; secum degere dicebat. 358.
77 De Icaria insula et quæ de ea dicta sint fabulosa. De Ortygia insula, in qua Lato na peperisse fertur. De Curetibus et Ephesiæ Dianæ tēplo nōnihil scitu digniſ simum. Item qui apud Ephesum uiri memoratu digni fuerint. 359.
78 De Colophone & qui ex ea fuere uiri clari. De Lebedo & quod eo in loco sceni corū histrionū fuerit collegiū. De Erythris ciuitate Ionica, De Corico mōte à quo & Corycei Piratæ sunt dicti. 360. (che ibi nascente. 361.
79 De Chio insula deq; in ea uino Aruisio Græcanicorū optimo. Item de Masti-

80 De Clazomenis & Smyrneorum sinu ac ciuitate. De Leucis gentibus et quod apud eas P. Crassus in prælio occubuerit. 362.
81 De Magnesia & de iuxta eam Thorace monte, apud quem Daphita Grammaticus propterea quod reges uersibus incesserat cruci est affixus. Vnde & prouerbuim (caue à Thorace) natum est. Item de Trallibus & ex eis uiris illustribus, & de Nissa, mirabilis naturæ antro Coronio. 362.
82 De Micale monte, De Hierapoli urbe, & quot aquas calidas habeat quæ in Tophum durabantur. Item de ore Plutonio nonnihil mirum creditu. 363.
83 De Caria & apud Halicarnassum Mausoleo. Item de Salmaci fonte celeberrimo. 364.
84 De Coo maris Aegæi insula Longoum à nostris iam dicta deq; in ea Venere ab Apelle picta, & quod in ipsa domus Hippocraticæ ostendatur adhuc ruinæ. 364.
85 De Astypalea maris eiusdem insula ex Cycladibus una, & quòd in ea Dianæ Cindalis templum fuit quod circumplui crederetur. Dein Mediterraneis tribus memoratu dignis urbibus Mylasis, Stratonicia & Alabandis. 365.
86 De Antiochia Asiatica, & Cibyreis populis linguis quatuor utētibus, quodq; apud eos facile erat ferrum extornari. De Caribus qui & Leleges dicti sunt. Item qui propriè dicantur Barbari. 366.
87 De Lycia minoris Asiæ tertia parte, deq; in ea Dorica Cherroneso, De Guido promontorio. Item de Caunis populis uiridem colorem habentibus. 367.
88 De Rhodo insula & quòd apud eam Telchines populi ferri & æris fabricā primi inuenisse dicūtur, De Colosso & Protogenis tabula, De uiris in ea claris, de religiosis militibus beato Ioanni dedicatis. Item de canibus Christianis aduentantibus & Turcas morsibus impetentibus. 368.
89 De Lycia in qua XXIII. urbes in suffragijs dandis participant. De tribus Chelidonijs insulis asperis, De Climace monte, qui iter facientibus cum pelago nudante peruius est, & quod apud eum Alexander per hyemem incidens, cum suis militibus mare fluctu restagnante, umbilico tenus est mersus. 370.
90 De Pamphilia & in ea Cataracte fluuio admodum quàm impetuoso, quodq; in ipsa Pamphilia Christi Euangelium sit susceptum, postea in Mahumetis dogma deuentum. 371.
91 De Cilicia duplici Trachea scilicet & Campestri, de emporio nomine Delus, apud quòd mancipiorum millia multa quotidie uenundabantur, De Arsinoē & Amaxia cedrinifera, De Scandalaro oppido, cuius dominus hominum uiginti millia armare posset. Item de Athenæo Philosopho, ruina domus per noctem oppresso. 372.
92 De Poëcilia petra scalis excisa, de Coryco monte & antro crocum optimum producente, deq; ibidem specu flumen ingens emittente, quodq; flumen ipsum à terra inuisibiliter absorptum in mare delatum exeat, De Zeniceto Pirata, qui capto monte Isaurico, se cum tota domo concremauit. 373.
93 De Zephyrio Ciliciæ promontorio & Anchiala urbe, in qua Sardanapali sepulchrum cum statua uidebatur. De Cydno flumine & eius natura, de Tarso & quod apud id uiri fuerint percelebres complures, inter quos & Paulus Apostolus. 371.
94 De Mallo urbe & qui apud eam uiri clari fuere, de montis Amani portis Amanides appellatis, de Pindo amne, iuxta quē Alexāder cū Dario cōflixit. 375.
95 De Cypro insula & in ea promōtorijs, quodq; in eo cuius summitas Olympus dicebatur Veneris Arceæ templum fuerit, quod mulieribus nec uidere, nec adire

adire licebat. De Clidibus & Carpasijs circum Cyprum abiacētibus insulis, De promontorio, unde qui Apollinis aram tetigissent præcipitabantur. Item de Treta, Boosura, Palapappho, Arsinoē altera, Hierocopia & Papho. 376.
95 De Acama promontorio, Nicosia Famagusta & Atraclensi hodiernis in Cypro urbibus, quod apud Colossum castellum cucurbitæ nascantur adeo ingētes, quòd ex eis picatis efficiantur dolia. Item quòd æs, metallum, uitriolum, rubigo æris, cannamellis ex qua saccharum excoquitur, plurimum apud Cyprum abundet. 377.
97 Historia de bello apud Cyprum facto. Item quomodo Iacobus Cyprius nothus Soldano fœdum & execrandum præstiterit iuramentum. 377.
98 Quo iure Soldanus Cyprum & Turca Rhodum sibi pertinere dicant. Item disputatio qui primum populi Asiam Minorem coluerint, quiq; duces apud eam armis præcipue claruerint. 381.
99 De Mithridatis Eupatoris laudibus admirandis. Item de mulieribus in Asia clarissimis. 382.
100 De Turcarum origine & moribus. Item de Ortomannorum progenie. 100.

In Historia Europæ.

Præfatio. 387
1 De Vngaria siue Pannonia, de Sigismundo imperatore catholicæ fidei ad unitatem insigni redactore, De Alberto rege Bohemi in imperatorē Ro. à Germanis electo. De Iacobo Marchiano & tumultum sedandum crucifixigero, de multis alijs & ducibus & regibus, inter quos de Marchia qui ex carcere ad regnum est uocatus. 387.
2 De Transyluania, Teutonibus, Siculis & Valachis populis eā incolentib. 391.
3 De Thracia & populo in ea, quomodo Byzantium, quod & Constantinopolis dicitur à Constantino imperatore Romanorum sit muris & pulcherrimis ædificijs auctum. Item de Synodo facta super Spiritus sancti processione. 393.
4 De Turcarum origine, propagatione, uictu, uestitu moribusq; eorum. 394.
5 De bello contra Turcas ab Vngaris duce Ioanne Huniade commisso. Item de altero ab eisdem contra eosdem magno Christianorum detrimento habito, facto. 396.
6 De alio bello per Huniadem, qui ignominiam apud Varnam acceptam abolere cupiebat, celeriter apparato, & quòd Amurates à uita priuata ad bellum ducendum sit reuocatus. 399.
7 De Mahumete fidei Christianæ feriali inimico, & quòd Constantinopolim Thraciæ urbem excellentissimam armis & Christiana fide spoliarit. 400.
8 De Mahumete in Vngariam ad Saum usq; flumen exercitū ducente, & ab Alba uulnere sub papillam accepto, turpiter fugiente. 403.
9 De Macedonia, urbibus, fluminibus, montibus & alijs in ea rebus. 403.
10 De Bœtia, Thebis & montibus fontibusq; sacris in ea. 404.
11 De Hellade quæ & Græcia & Attica est dicta. 404.
12 De Peloponneso & eius forma, de Isthmo, Examilio muro ab Amurato diruto. 405.
13 De Acarnania & strage memoratu digna à Ioāne Vintimilio in ea facta. 406.
14 De Epiro XIIII. gentes continente, quòd apud eam Paulus Aemilius imperator Romanorum urbes LXX. funditus euertit, quodq; in sinu Ambracio Cæsar Augustus Antonium & Cleopatram bello Attico deuicit. 406.
15 De Albania inter Dyrrhachium & Appolloniam, regione. 407.

16 De Illy-

16 De Illyricis gentibus, de Manichæis hæreticis, deq; matronis certo tẽpore post infirmitatem cum monachis promiscuæ manentibus. 407.
17 De Dalmatia & Croatia & ubi nam Liburnia. 407.
18 De Istria, hodie Schlauonia dicta, & quòd Pomponius Mela & Nepos Istrũ amnem à Danubio in Adriam fluere falso crediderunt. 408.
19 De Carnis & Iapidibus populis. 409.
20 De Carinthia, ritu apud eam in nouo principe creando, quomodo nobilis ex Ingonis principis conuiuio ad Christi fidem fuerunt inclinati, De consuetudine in fures, & de comite Henrico uiro corruptissimo. 409.
21 De Stiria olim Valeria dicta, quòd Fredericus comes uxorem suam amore cõcubinæ propria manu interfecit. Item quòd nobilis quispiam qui seipsum laqueo suspendere sæpe cogitabat, optimo in missa est usus remedio. 410.
22 De Austria & aliquot rebus gestis in ea. 412.
23 De Morauia per quam nulli propter latronum insidias, transitus patet. 414.
24 De Schlesia prouincia, de mira apud Vratislauiã urbem seditione, deq; Bulcone Opiliensi uiro neq; inferos neq; superos esse dicente, animamq; cum corpore interire putante. 415.
25 De Polonia regione uasta, quod in ea domus luto, et maceria componantur, equi Syluestres & uiri inueniantur, De Vladislao cum regno baptismum suscipiente, deq; Frederico Brandeburgensi & Alberto Bauario regnum quod libet pro se recusante. 415.
26 De Lituania, Vitoldo uiro sanguinario in ea regnante, de soli ad transitum æstiuo tempore difficultate, gentis in moribus qualitate & quæ super sacrorum diuersitatibus Hieronymus Pragensis eremita denarrauit. 417.
27 De Ruthenis & quomodo principatus apud eos soleat assequi. 419.
28 De Liuonia semiferos homines in una sui parte continente. 419.
29 De Prutenis & quomodo fidem Christianam à Teutonicis fratribus sanctæ Mariæ sumpserint. 419.
30 De Saxonia, & de fluminibus, gentibus & oppidis in ea. 422.
31 De Turingia & nobilibus templis in ea, de ritu mirabili super homine grauioribus uitijs inquinato. 423.
32 De aliquot alijs in Saxonia oppidis & rebus in ea gestis dignissimis. 424.
33 De Dania siue Dacia siue Suetia & Noruegia. De Margarita trium regnorum insigni domina, deq; uaria trium regum fortuna. 425.
34 De Bohemia succincte. 427.
35 De Phrisia, moribus gentis eius & soli qualitate. 428.
36 De Holandia & Traiectensibus & quomodo Friburgium in ius Sabaudiensium sit conuersum. 429.
37 De Hassia & aliquot rebus gestis in ea. 432.
38 De Francia nobili prouincia, origine Francorum & qui primum duces & reges in ea fuerunt. 432.
39 De Franconia, ubi de Alberto uiro in armis dexterrimo, & quod suis egregijs factis Achilles Teutonicus sit cognominatus. 435.
40 De Baioaria, & unde gens ipsa secundum Strabonem sit deducta. 437.
41 De in Marchionatu Badensi nonnullis rebus gestis. Vbi de Suitensium in hostes deuictos seueritate. 438.
42 De Ludouico Delphino Viennensi bellum in Basilienses mouente. De Amedeo Sabaudiæ duce, ex ducatu eremum, ex eremo summum pontificatum & ex summo Pont. Cardinalatum subeunte. Inde de Bolomero in lacum demerso & Ioanni Segobiensi Alcoranum Mahumetis traducente. 439.

43 Delo-

Elenchus.

43 De Ioanna uirgine Lothoringēsi Anglorum copias è Francia fugante, de Flocheto pontem arcis nouo commento inuadente, deq; Thalboto Anglo duce cum filijs ad Burdegalam in bello cadente. 440.
44 Quod Gandauenses supra uiginti millia ciuium amittentes, Philippo duci Burgundiæ se submisere, quodq; Delphinus Viennensis Agnetem occidere tentauerit. 442.
45 De Anglia insula & quod olim Britannia, quodq; Albion fuerit dicta. De rege Henrico, Sofulso, Eboracensi, & Somerseto, ducibus. 442.
46 De Scotia & mirādis apud Orcades arboribus suos fructus in aues mutātibus, Item de Hybernia. 443.
47 Quòd Hispania sit in quinque regna diuisa, & quòd apud ipsam nonnulla scitu digna sint gesta. 444.
48 De Genuensibus & eorum crebris in principatu reipub. mutationibus. 445.
49 De Mediolanensibus & uarijs apud eos rebus gestis, Philippo Maria et Francisco Sfortia ducibus. 446.
50 De Venetis & quod Franciscus Foscarius dux ab imperio depositus, animam indignatus statim emiserit. 449.
51 De Mantuanis. 450.
52 De Ferrariensibus & disputatione apud eos inter Græcos & Latinos facta. 450.
53 De Bononiensibus & factione inter Baptistam Cōnetulum & Hanibalē Bentiuolum. 451.
54 De Florentinis & diuersis apud eos rebus gestis. 452.
55 De Senensibus & eorum aliquot bellis, Item de Hermaphrodito. 455.
56 De Plumbiensibus, Galeatio Baldasino fortissimo milite. 456.
57 De Viterbio. 457.
58 De Roma & apud eam Eugenio, Nicolao quinto & Calixto tertio Pōtificibus alijsq; uiris multis percelebribus. 457.
59 De Vmbria & Piceno, diuersis in eis bellis à uarijs ducibus confectis. 462.
60 De Iosia duce Asculano. 464.
61 Quod apud Vrbinates dux Oddo & protonotarius Carpensis propter suam in fœminas libidinem fuerunt interfecti. 465.
62 De Sigismundo Malatesta duce Ariminensi. 465.
63 De Fauentia & Fabrienensibus. 465.
64 De Aquila Marsorum urbe, ubi de diuo Bernardino Senensi. 465.
65 De Neapolitano regno & multis prælijs per Alphonsum Arragoniæ regem & alios duces non paucos, in ipso regno Neapolitano & alijs locis factis. 466.

FINIS.

In Aeneæ Syluii opera omnia,

Index rerum ac uerborum copiosissimus.

A

Balatia insula, folio 294.f
abbas Scotia contra Aragoniæ regis eleemosynarium disputat 7.c
abbatis Scoti de Eugenio pōtifice disputatio 4.d
abbates à Christo nō sunt instituti 29.b
abdecamannus Saracenorum rex 195.c
abdera ciuitas 361.b
abderamij Saracenorū regis res gestæ 183.b
abeatus Syracorū rex 303.b
abnobij montes 431.a
abus mons 318.d
abusaci contra Rhodios res gestæ 370.d
abydus op. 350.e & 346.d
incēdio deformatur 346.e
abydensia 350.e
academitarum hæresis 109.c
acamas promontorium 376.f & 377.b & c
acarnania à Gothis uastatur, folio 166.f
acarnaniæ descriptio 406.d
acciaca bella 333.b & 338.f
accianū op. à Florentinis diruitur 257.c
accij Vicecomitis res gestæ folio 264.e
accon ci. à Christianis capta, folio 215.b
accona à Saladino capta 227.b
acerræ à Vintimilio proditione in deditionem acceptæ, folio 467.c
achæi pop. 404.f
achaica castra 346.f
achaiæ descriptio 406.d
acharaca uicus 363.b
acheium op. 346.f
achelous flu. 406.d
acherona ci. à Constantino obsessa 178.d
achillis nomen Tenedijs cur exosum 349.c
achillis templum 304.e & 346.f
achilleus uicus 304.e
achillæū promontoriū 349.b
achiuorū portus 346.f
aciani pop. 315.c
acilesina 318.d & 319.b
acira castel. 335.c
aconæ portus 333.b
acroceraunij montes 406.f
actiaca pugna 406.f
acticies fl. 296.e
adam Mollines capite truncatur 443 f
adamitarum hæresis 109 b & insania 427.c
adamitarū mores ac consuetudines 84.f
adæ ciuitas 353.b
adelbertus episcopus 92.e
adelphius historicus 314.f & 315.a
ademati Frāci res gestæ 193.a
adeodatus pont. Max. 178.d
adheser 313.a
adiabeni uastantur 322.d
adiatorix Romanos iugulat 333.b
adilbeida Andreæ Vngariæ regis filia, Vratislao nupta, folio 95.b
adirus flu. 349.a
adissiena 319.b
adoaldo Francorum regis filia desponsatur 174.d
adramyteum op. 341.c
adramyteum Atheniensium colonia 350.f
adramytteus sinus 353.a
adramyttini pop. 352.f
adramyttini sinus 350.e & f.
adrastia regio 345.b
adrensium defectiones 226.f
adrianus Pont. Max. multa in urbe ædificia restaurat 190.e
adrianus 1. Pont Max. 188.f
Adriani tertij Pont. Ro. lex, ne imperator pontificis electioni intersit 197.c
adrianus 4. Pont. 220.f
adrianus 5. pont. max. 250.e
adriani moles 202.e. & 254.f & restauratur 279.c
adrianopolis ci. obsessa 232.d
adropompi in Ionia res gestæ 356.f
adulatorū pernicies 701.a.b
adulterij poēma 101.b
adulterij poēma apud Parthos grauissima 309.b
adulterij uindicta 450.f
aduocatorum terra 82.f
æga promontorium 353.a
ægeæ oppidum 375.c
ægeum mare 324.d
ægyptus à Saladino subactus, folio 225.a
ægyptiorū cum Colchis cognatio unde 302.d
ægyptiorum cum Scythis de uetustate generis contentio 306.d
ægyrus uicus 354.c
ælea ciuitas 353.a
æmathia regio 393.b
æmilia ciuitas 187.c
ænea ciuitas 349 b
æneas Syl. ipse naturam & ingenium suū describit 534.c
æneas Syluius ambit sacerdotium 582.d & e
æneas Syluius quō abimis ad altiora conscenderit 756
æneas Syluius Tancredi Salernitanorū principis & eius filiæ fabulam, è uulgari sermone in Latinum conuertit 954
æneas Syluius sæpe scripsit in defensionem poētices 937
æneas Syluius scripsit elegias eglogas, & satyrā 937.b
æneas Syl. non suas epistolas scripsit ut ederentur 935 c

æneas

æneas Syluius descripsit etiã Austriæ historias 412.d
æneas Syluius orbis uniuersi situm, & gentes eius descri bere decreuit 386.c
æneas Syluius conficta morte præpositura spoliatur 532.e 533.b & 537.c
æneas Syluius insignis principis sui assentator 531.b.c
æneas Syluius multis ac diuersis morbis uexatur, folio 694.f
æneas Syluius peste in Basiliensi Concilio correptus folio 47.c
æneas Syluius cum Basiliensibus conspirauit cõtra Eugenium 45 .f
æneas Syluius habuit filium illegitime natum 510.f & 511.b
æneas Syluius Friderici Imperatoris ad pontificẽ fuit legatus 458 d
æneas fit Cæsaris secretarius folio 937.c
æneas Syluius Eugenij secretarius 458.f
æneas Syluius se malũ Theologum esse fatetur 553.c
æneas Syluius in poëtam coronatur 520.f & 337.b
æneas Syluius Apostolicus factus subdiaconus 458.b Ecclesiæ Tergestinæ Episcopus ibidem
æneas Syluius ceremoniarũ clericus 55.c
æneas Syluius fit Cardinalis Senensis 763.c
æneas Syluius in pontificem eligitur 859.a
æneas Syluius præparat se ad mortem 556 e
æneæ Syluij patria 556.f
æneæ Syluij genus & parentes 720.f
æneæ Syluij auaricia 528.f
æneæ Syluij de passione domini hymnus 552.f
æneæ Syluij de Criside comœdia 586 d
Aeneæ Syluij de fortuna somnium 611.b
æneæ Syluij de laudibus Baptistæ libellus 524.d
æneæ Syluij contra Turcas precatio ad Deum 923.b
æneæ Syluij ad Turcorũ Imperatorem suasoria epistola 872.b
æneæ Syluij sanum de scholasticis Theologis iudicium folio 604.d
æneæ Syluij amores 623.b
æneæ Syluij scortationes folio 531.a
æneæ Syluij ebrietas 579.b
æneæ Syluij immodica libido 511 a. 516.f. & 534 d
æneæ Syluio Tergestina primum ecclesia, deinde Senensis commissa 460 e item pontificalis dignitas ibidem
æneam Syluium pudet tractatum scripsisse de duobus amantibus 869.c
æneę ab incẽdio Troiano nauigatio 351 b
æoles pop. 344.f
æolica ciuitas 349.b
æolicæ coloniæ antiquitas folio 344 f
sub Aequinoctiali circulo sitne hominum habitatio, folio 254.d
æra uicus 304 c
æsculapij Coi templum 365 a
æsepus flu. 346.c & 348.f
æsepi fl. ortus 345.a
æthiops Iacobo Appiano ex concubina natus multis risum mouit insperatum, folio 456.c
ætolia reg. à Turcis subacta folio 396.d
ætolia à Gothis uastatur, folio 166.f
Africa ferè tota à Genserico domita 151.b
africa quamdiu sub Romanorum potestate 181.b
africa à Vandalorum fabiell berатur 144.c & 159.c
agamemnon Iphigeniam immolat 344.b
agamemnonis in Asia imperium 382.c
aganippe fons 404.f
agapetus pontifex 159.a
agatho Pont. Max. 178.f
agathonica martyr. 343.a
agelmandus Longobardorũ rex 169.a
agibran. dux Clusinus 185.c
agidus op. 373.b & 376.f
agilantes in cõuiuio obtruncatur 169.a
agilulphus Longobardorum rex 172.d
agilulphi res bello gestæ, folio 174 d cum Romanis pax 174.c
agios oppidum 394.d
agiprandi res gestæ 185.b
agnes imperatrix 205 a.b.c
agoritæ populi 296.c
agriculturæ apud Bohemos, & Germanos ueteres studium 84 f
agriculturæ laus 503 a & 578.d
agrippina ciuitas, quãdo Colonia appellata 434.d
agrippina Colonia ab Hilderico Francorum rege expugnatur 433.c
aiacis templũ & statura 346.f
aiacis tumulus 346.f
aidonis Aquitaniæ præfecti res gestæ 195.c
aistulphus Longobardorum rex 186.c
aistulphi regis contra fœderа res gestæ 186.c. mors 188.d
alabanda ciuitas 365.b & folio 366.c
alachis Longobardorum dux 179.b eius contra Bauaros res gestæ eodem
alani populi 308.d
alani à Valentiniano debellantur 151.a
alani ab Ecio superãtur 149.b

alani à Vesogothis uincūtur folio 149.a
alani Romanos debellant folio 433 b
alani à Sicābris ad internetionem delentur 433.b
alanorum origo 147 b
alanorum cum Gothis amicitia 169 a & 308.d
alanus Cardinalis S. Braxedis folio 460.f
alanuuij pop. 419 c
alaph Turcorum rex 219 b
alardi Neapolitani res gestæ, folio 248.e
alaricus Gothorū rex 434.d
alarus fluuius 193.c
alatheus Vesogothorum regulus 145 c
alazanius fluuius 297.c
alazonius fluuius 300.e
alba Græca ci. 137 c & 785 a
alba Græca à Turcis oppugnatur 138 d & 403.b
albæ Zenophanis filiæ imperium 374.f
albania sub Persarum olim imperio 297.c
albania à Turcis subacta folio 404.d
albaniæ descriptio 407.a
albaniæ fertilitas 297a
albani populi 290.e
albani Turcis tributarij facti folio 405.c
albanorum primordia 297.c
albanorū descrip. 296.f. inertia 297.a 9 ritus & mores ib.
albanorum ciuitas funditus euertitur 223.c
albanorum agri ab Alphonso depopulantur 467.a
albanorum contra Demetriū res gestæ 405.c
albanorū 26. linguæ 297.b
albanis reges à Traiano imperio dati 297.c
albaria ciuitas à Christianis capta 213.a
albaria ciuitas à Raimūdo obsessa 213.a
albericus Cunij comes 272.f
albericus ex urbe Ro. pulsus Vngaros in Italiam ducit folio 198.e
alberti Hetruriæ Marchionis contra Saracenos res gestæ, folio 198.e
albertus Austriæ dux 388. f. in Boemię regē coronatur ib.
albertus Austriæ dux imperator & rex Franciæ declaratur 256.e
albertus Austriæ dux regni heres à Sigismundo imp. Romæ declaratur. 123.c. coronatur 124 e. eius res gestæ 389.b. item contra latrones res gestæ 413.a. cum Heluetijs bellum 583.b. uirtutes 414.e
albertus Bauariæ dux 438.d
albertus Bohemorum & Romanorum rex. 124. e. & 125.a. eius cōtra Turcas expeditio 126 f. mors. ibid. cum polonis bellum 125.b. & c. mors 389.b & c
albertus Boioariæ dux Bohemorū rex declaratur 127.b
albertus Boioariæ dux Bohemiæ regnum recusat. 484 d
albertus Francorum comes folio 435.c
albertus Italiæ rex 199.c
albertus Marchio Brandeburgēsis Teutonicus Achilles 437.a eius encomium 436. e. & f. cū Norenbergensibus bellum. 436.f. contra Norinbergenses res gestæ. 481.b. & 483.a. fortitudo militaris 483.a. & 489
albertus Moguntiuensis episcopus dū Phrisios ad Christianismū adhortatur crudeliter occiditur. 429 a
albertus dux Monipolensis folio 426 f
albertus Monipolensis dux in bello à Margarita Noruegiæ domina captus & in triumphum ductus 426.f
albertus Cęsar prope Schafhusium op. interficitur 59.b
albertus imperator Ro. Henricum Bohemiæ regem regno deturbat 100.d
albertus Ro. imperator Bohemiam depopulatur 100.d & e. eius descriptio 389.b
albertus Romanorū rex 2.d
albertus Saxoniæ dux adolescens, cum fratre in arce Altenburgensi noctu clam captus & abductus 424.f
albertus dux Spoletan. 199.a
albertus comes apud Banbergam cæsari proditus obtrūcatur 436.d
albia regio 408.f
albicus archiepiscopus Pragensis 104.f
albici auaritia insignis 104.f
albigana ciuitas à Florentinis capta 272.e
albigaunēsis episcopi in Concilio Bas. protestatio 41 a & 43.c & 44.d
albigaunensis episcopi de neglectu prælatorum in concilio conquestio 38.c
albinus res Romanas Græce conscripsit 2 d
albion 442.f
albis fluuius 82.f. & 423.a
albeinus Longobardorū rex 144 e. & 161.b
alboinus Vngariæ rex 203.c
alboinus rex oratur ut bellū contra Italos suscipiat 168.f
alboinus Rosimundæ astutia occiditur 169 c. 170.d
alboini Longobar: regis res gestæ 169.b
albrici Cunij comitis res gestæ 279.c
albus fluuius. 318 f
alba mons 317.a & 318.d & 425 a
alcoran in linguam latinam transfertur 440.d
aldefondi Galatiæ regis contra Saracenos res gestæ folio 191 b
alemannia ab Vngaris depopulatur

pulatur 199.a Vide Germaniam
Alenconium à Delphino expugnatur 440.e
alermius S. Benigni Fructuariensis abbas 51.a
alexandria ci. 292.f.& 349.c
alexandria ci. ædificatur 223.c & 360.d
alexandria direpta 378.c
alexandria Aegypti obsessa folio 221.c
alexādria Aegypti à Cosdroa capta 312.f
alexandria Aegypti ciu. à Persis capta 175.b
alexandria Mediæ 315.b
alexandria à Francisco Sfortia Guliemo Montefer. adempta 449.b
alexandria ludi 361.b
alexandria mons 35[illegible].f
alexandrini Mediolanensiū imperio se committunt folio 447.b
alexandrinorū agri ab Atensibus depopulātur 447.b
alexandrinroū ad Gulielmū Montisferrati principē defectio 448.d
alexander abbas Vergiliacensis increpat Concilium folio 35.a
alexander Macedo & eius res gestæ 292.d. &.e. ambitio 359.c. uiolentia, crudelitas 293.a. crudele facinus 473.b & contra Darium res gestæ 345.a. Thalestræ concubitus 293.& 294.d. eius sepulchrum 347.b
alexander in Cydno fluuio lauit 375.a
alexander licet pro deo coleretur, multocies tamē edoctus: est uarijs casibus se hominem esse 359.c
alexandri Maroniæ ducis ebrietas. 477.c
alexandri patriarchæ Hierosolymitani facta, folio 328.f
alexādri pontificis cum Henrico imp. pax. 225.c
alexander 4. Papa 221.b
alexander quintus pontifex maximus 281.a
alexāder Sfortia 454.d & eius res gestæ 468.d
alexius Iurecconsultus 99.a
alexius imperator 207.b & eius res gestæ 209.b
alexius Græcorum imperator 225.c
alexij Murtili res gestæ 231.c
aliatis tumulus ancillarum, folio 343.b
alierus fluuius. 294.e
alifina ciuitas Brachiana, & Sfortiana factione periclitatur 962.d
almaricus Vesegothorū rex occiditur 160.f
almericus Cypri rex 23[illegible].a
almericus Hierosolymæ rex declaratur 221.c. eius in Aegypto res gestæ 222.d
almerici Regis Hierosolymi gesta 224.e
alnus Duringa dicta 9[illegible].d
alon fluuius 295.e
alopetia insula 304.d
alphonsus Arragonū rex doctorum uirorum assiduus amator 485.b
alphonsus Arragonum rex Neapolim expugnat 468.f & 469.a
alphonsus rex Neapolitanus decernitur 469.c
alphonsus Arrag. rex Genuensium naues demergit, folio 470.e
alphonsus Plumbinum opp. expugnat 456.f
alphonsus Castellæ rex 247.a
alphonsi Arrag. regis clementia 469.b
alphonsi Aragoniæ regis contra Neapolitanas res gestæ folio 466.d
alphonsi Arragoniæ ducis cū Genuensibus bellum nauale 466.d
alphonsi regis Arracū Genuensibus pax 469.c
alphonsi arragonum regis cōtra Turcam expeditio, folio 528.e
alphonsi Arragonū regis origo 471.c
alphonsi Arragonum regis uiua descriptio 470.e
alphonsi Arragoniæ regis uita doctissime descripta 470 c. & 471.a.b.
alphonsi Arragoniæ regis laus 478.d 951.c.& 952.d
alphonsi regis castitas & pudicitia 478.e
alphonsi Arragonū regis contra Florentinos res gestæ folio 453.a
alphonsi regis contra Turcas res gestæ 407.a
alphonsi Arragoniæ regis cū Rhenato bellum 466.c.& 467.a
alphonsi Arragoniæ regis cū Eugenio pax 469.c
alphonsi regis cum Italis pax folio 46[illegible].c
alphonsi Arragonum Regis cum Senensibus bellum, folio 455.b
alphonsi Arragonum Regis eruditio 6[illegible]2.e
alphonsi Arragonū regis animosum dicterium 469.b
alphonsi Arragonum Regis mors 143.a
alsatia olim Heluetia dicta folio 439.a
alsatia à Delphino depopulatur 573.b.c
alsatia ab Vngaris nascatur folio 199.a
alscio Sternebergius 124.f
alscio Risemburgensis Bohemiæ capitaneus declaratur 119.b
altaria in Concilio Basiliensi portatilia 57.a
altenburgum arx. 424.f
aluarus Hispaniæ gubernator decollatur 444.d

aluarl

aluari de Luna res gestæ folio 444.d
alunda Lotharij regis uxor, folio 199.c
amalasiuntha Theodatum regni consortem accipit, folio 158.f
amalasiũtha relegatur inuulsinensiũ lacus insulam ibid.
amalpha ciuitas direpta, folio 219.a
amanides portæ 375.c
amantini pop. à Romanis subacti 388.d
amantium discessus quã grauis ac intollerabilis 643.c
amanus mons 285.c.& 326.f. & 375.c
amardes fluuius 314.d
amardi populi 315.c
amasia ciuitas 329.c.& 330.f
amasia Romanorũ facta prouincia 332.d
amasis fluuius 331.a
amasiensium regio 331.c
amasiensium regio deserta folio 332.d
amasitis de Polycratis felicitate apophtegma 358.e
amastris arx 333.c
amastris ciuitas 333.c
amastris Dionysij Heraclię tyranni filia 333.c
amasynus 331.c
amathus oppidum. 377.a
amaxia ciuitas 373.a
amaxitus 349.c
amaxobij populi 419.c
amazones 296.d. & 383.c
amahones Asiam sibi uectigalem faciunt 87.a
amazonum regio 298.d. 299. a.& 330.e
amazonũ in Asia res gestę, folio 382.e
amazonum ad Alexandrum profectio 316.d
ambitionis memorabilia exempla 38.f.49.c. &. 50. d. & 138.f
ambracius sinus 406.f
ambrosius Bergamensium comes suspenditur 198.d
ambrosij ad Valentinianum epistola 34.e
ambulach Saracenorum in Hispania rex 194.e
ambulach Saracenus cum Carolo imperio pacem renouat 194.d
amedeus Lugdunẽsis episcopus 23.a.& 33.d
amedeus Lugdunensis episcopus Galliæ primas 33.b
amedeus Sabaudię dux in Romanum pontificem eligitur 45.c.& 46.d
amedeus Sabaudiæ dux ob potentiam utpote qui alterum in Gallia pedem, alterũ in Italia habebat, in pontificem est electus. 60.e
amedeus Sabaudire dux quomodo in Pontificem electus 58 d.& e.60.f
amedeus Subaudiæ dux, ex duce eremita, ex eremita pontifex, ex pontifice demũ factus cardinalis 439.b
amedeus Sabaudiæ dux pontifex factus Felix Quintus nominatur 439.c
amedei Sabaudiæ ducis laus 58.f..& 59.a.& 60.e.& f
amedei Sabaudiæ ducis filij folio 59.c
ameria ciuitas à Liuthprando capta 185.a
ameria ciuitas à Romanis recuperata 172.d
amicitiæ ueræ signa 585.b.& 589.c
amicitiæ natura 161.c
amingi in Italia res gestæ, folio 167.c
aminisa 330.d
ammirathus Saracenorũ rex folio 179.c
amnia insula à Carolo Marcello capta 183.c
ammias fluuius 334.f
amor quid 608.d
amor passio naturalis, folio 627.b
amor plus in se habet fellis quàm mellis 610.d
amoris descriptio 870.d
amoris uis 626.d.e.&.f.629.c. & 957.a.958.
amoris potentia 871.b
amoris ueri officium 75.e
amoris illiciti medela, folio 607.c
amorium oppidum 341.a
amorthei Saracenorum regis res gestæ 183.c
amortei regis cũ Carolo Marcello certamen 183.c
ampelus mons. 358.e
amphilochus 360.f
amphilochi cum Mopso certamen 375.b
amphilochi mors 375.c
amphisastrus 305.a
amurates 384.f
amurates Turcarũ imperat. folio 395.b
amurates cum magno exercitum in Hungariam proficiscitur 397.a
amuratis Turcarum imperatoris res gestæ 384.e.& 395. d.& 404.d
amuratis cruenta uictoria, folio 400.e
amuratis in Peloponneso res gestæ 405.b
amuratis contra Hungaros apud Vrnam uictoria, folio 405.c & mors 400.e
amyntas pastor 336.e
amyntæ regnum 336.f. res gestæ, & mors.ibid.
amyntæ contra Antipatrum res gestæ 336.f
amysini populi 329.a
amysum oppidum. 329.b
amysus 333.c
anacletus Papa 218.f
anacletus uniuersalem ecclesiam matrem suam appellat 11.a
anacleti papæ constitutiones folio

folio 219 b
anacreon Lyricus poeta folio 358.e
anacreon acino uuæ strangulatus interijt 358 e
anaitidis falsæ deæ templum folio 331.c
analogia 979.a
anastasius imperator 182.f
anastasius imperator fulmine ictus moritur 158.d
anchiala 374.e
ancillarum tumulus 343 b
ancona ciuitas à Gothis obsessa 166 f
ancona à Barbarossa obsessa folio 223 a
ancona à Saracenis capta atq; incensa 196 f
anconitani à Venetis debellantur 250.e
anconitani Venetos uectigalia mari imponentes, Romæ accusant 249.c
andegauia ciuitas obsessa, folio 183 a
andegaui ab Angliæ rege subacti 233 c
anderæ descriptio 352 d
andonius Longobardorum rex 161.b.& 169 a
andreæ Poum Kircheri fortitudo militaris. 131.b
andreæ Vngariæ regis res gestæ 234.e
andremonis in Ionia res gestæ 256.f
andriclus mons 373 b
androcli res gestæ 359 b
androdus Ephesum ædificat folio 356 f
androdi in Ionia res gestę, folio 356.f
andromache regnum 347.c
andromicus ad regium aspirat 226.d
andronicus philosophus, folio 369.b
andromici contra Latinos & Constantinopolitanos res gestæ 226.d
angelus Acciaiolus 266.e
S. angeli castellū ab Henrico imp. obsessum 208.d
angeli pro Venceslao contra hostes pugnant 91.c
anglia ad Christum conuersa folio 172.d
anglia Romanæ ecclesiæ feudataria facta 233 c
angliæ descriptio 442 f
angliæ reges à Pontifice Ro. creati 224 d
anglorum origo 509 c
anglorum eloquentia 548 e
anglum op. Lucaniæ ab Alphonso rege Arrag captum folio 467.b
anguigenæ populi 345.b
anguillaria ciuitas 267 c
anellus faber Neapolitanos obsessos prodit 468.e
anemurium promon. 373.b & c.376 f
anienis pons in uia Salaria, folio 168.e
animæ immortalitas 879.a. & 634.b
annatarum usus à Bonifacio. 9 pontifex inuentus 380.d
ausilæ ducis in Sicilia res gestæ 151.c
antandros 350 f
antandrum oppidum 350 f
antenor classis præfectus, folio 335 b
antenoris contra Romanos res gestæ 433.b
antenoris sepultura 433 b
antharis Longobardorū rex folio 171 a
antharis exercitum in Histriam mittit 171.b
antharis filiæ Francorum regis nuptias ambit 171 b
anthelmus Lucensis episcopus 205 a
anthemius imperator 154.e
anthonius imperij insignia deponit 154.f
anthemius laceratur, folio 155.a
anthenius insula 358 e
anthenoridas 351.a
anthenodorus Philosophus folio 375.b
anthonius Luscus 749 c
antiaui 241 c
anticeta fluuius 304.d
anticragus mons 37.a
antigonia ci. 339.b. 349.c
antigoni somnium 383.b
antilochi tumulus 346.f
antimenidis facta 354 f
antiochia ci. prius Reblata dicta 210.e
antiochia ab Arabibus occupatur 313.a
antiochia à Saracenis capta folio 176.e
antiochia capta à Turcis recuperatur à Christianis 212.c
antiochiæ primordia 293.b
antiochię ciuitatis descriptio 210.e.& 366.e
antiochiæ principatus Hierosolomytano regno coniungitur 218.f
antiochi cum Arsace rege bellum 310.e
antiochi Sotheri res gestæ folio 293.b
antiochenus ager à Turcis depopulatur 219.b
antiochenum conciliū cur congregatum 28.d
antiphellus 371.a
antissa ciuitas 354.c
antitaurus mons 317.a & 326.f
antitauri montis descriptio folio 318.d
antonius aurularis abbas 52 c
antonius Basianus Caracalla 145.a
antonius in sanctorum numerum recipitur 236.e
antonius Cardinalis S. chrysogoni 459.a
antonius Cardinalis Hilerdēsis 453.c
antonius S. Marci Cardinalis antiquitatis amator 480.d

antoni

antonius Candola ob prodi tionem incarceratur 468.d eius ad alphonsum defe- ctio 463.d. & cum alphon- so prælium 469.b
antonius Massetanus mino- rita, insignis concionator, folio 562.f
anton. Piceti Iureconsul. 57.c
antonij in Mediam expedi- tio 320.e
antonij Olzinæ res gestæ, & folio 454.e
antonij Scaligericũ cũ Fran- cisco Patauino bellum, & folio 277.a
antonij Vintimilli res gestæ. folio 470.d
antoniottus Adurnus Genu- ensium dux 278.e
antropathia Media 314.e
antropophagi 287.b
antropophagi populi, & eo- rum ritus & mores 289.c
anzitena regio 317.c
aorsi populi 303.b
apaitæ populi 330.d
apamia ciuitas 329.a.& 338.d & 340.d
apamia à Macedonibus ædi- ficata 315.b
apamia terræmotibus quassa tur 340.e
apaturum Veneris fanum, folio 304.f
apellis pictoris artificium, fo lio 365.a
apelliconis bibliotheca 351.c
apenninus mons 286.e
aphrica 285.a. Vide Africa
aphrodisium oppidum 350.f & 376.f
apollinis actij templum, fo- lio 406.f
apollinis in Chio templum, folio 361.c
apollinis Cillei templum, fo- lio 341.c.& 352.f
apollinis Delphici templum à Gallis direptum 335.b
apollinis Didymei oraculũ, folio 357.a
apollinis Didymei altaria, & folio 291.a
apollinis Grinei fanum 353.a
apollinis apud Hyperboreos templum 290.f
apollinis Smynthæi templũ, fol. 349.b & 349.c
apollinis Tymbræi templum fol. 347.c
apollinis cum Marsia conten tio 340.e
apollodoria secta 343.a
apollodorus orator 343.a
apolloniaticus lacus 339.a
apollonia ciuitas 339.a & 343.a & 404.d
apollonius 369.c
apollonius Malacus 366.e & 369.c
apollonius medicus 377.a
apollonius Philosophus, & folio 363.c
apophthegma Albi 104.f alphonsi 469.b. Calixti 3. Pont. Max. 460.f. Clodo- uei Frãcorũ regis 434.d. Fri derici Ciliæ comitis 411.a Henrici septimi 479.c. Mai nardi 119.a. Huniadis 390.e Hibres 366.d. Stratonici 368.e Vencesiai regis Ro. 106.f
apostolorum Concilia 20.d
apostolorũ symbolum in sy- nodo ordinatum 39.a
apulia à Roge. subacta 217.a
apulia à Siciliæ rege depopu- latur 221.b
aqua uiua oppidum 454.d
aqua eques Pragensis fortissi mus 112.f.& 113.d
aquila fluuius 83.a
aquila Marsorum ciu. 465.c
aquila Ponticus ueteris testa- menti interpres 332.e
aquilani 189.c
aquilani à Transemundo sub acti 185.b
aquileia à Bucelino depopu- latur 167.c
aquileia ab Hunnis obsessa, 155.c. & capta 153.a.& 199.c
aquileia ab Hunnis uastata, à Narsete restauratur 167.a
aquileia ciuitas ab Hunnis de leta 144.e. & 307.b
aquileiensis Cardinalis mors fol. 550.b
aquini in Noruegia imperiũ folio 426.e
aquisgraniũ à Friderico ob- sessum & captum 233.c
aquisgranensis ager à Lotha- rio depopulatur 201.b
aquitania depopulatur, fo- lio 224.d
aquitania à Francis subacta, & fol. 188.f
aquitania à Normannis uasta tur 196.f
aquitania à Vandalis occu- pata 147.c
aquitania à Vesogothis sub- acta 151.c
arabacis contra Sardanapalũ res gestæ 316.f
arabia Felix 287.a
arabum cum Parthis bella, fo lio 312.f
arachosia 293.b
aragoniæ regis Eleemosynarij de Eugenij infidelitate di- sputatio 7.b
aragus fluuius 300.e
aranearũ mira natura 297.e
araricus Gothorum rex occi- ditur 163.b
araris fluuius 3.a
aratus astronomus 374.e
araxarta ciuitas 319.a
araxes fluuius 317.b.& 318.e. & 319.a
araxis fl. 289.a.& 296.e. & 314.e
arbense oppidum à genuen- sibus per deditionem ca- ptum 275.b
arbenenses uincuntur 222.f
arbenses debellantur 272.e
arbor famosa 443.e
arbores in Scotia aues produ centes 443.c

Index.

arcadia regio 405.b
arcarnanes populi 406.f
arcei mensis sacerdotiũ 340.f
archadij mors 148.c
archas oppidum à Christianis obsessum 213.b
archedeus fluuius 303.b
archelaus sacerdos 331.a
archelaus Philosophus 352.f
archias poëta 333.b
archiepiscopalis sedes in Morauia cur defecerit 91.a
arcoadistus Armeniæ rex, folio 310.f
ardaburij Orientis præfecti res gestæ 150.e
ardaricus Zepidarũ dux, folio 151.c
aregisi Beneuẽtani ducis contra Campanos res gestæ, folio 190.e
arelatem oppidum Carolus Martellus Burgundensis ademit 183.c
arelatẽsis Cardinalis laus 51.a
arelatensis Cardinalis electorum in Concilio Basilien. primus 51.
arelatensis Cardinalis electoribus iuramenti formulam legit 54.e
arelatensis Cardinalis oratio qua expeditionem Pontificis se impediuisse negat, folio 49.b
arelatensis episcopus Concilij Basiliensis contra Panormitanum Hector 42.d
arelatensis episc. in Concilio Basil. sessionẽ inducit 41.c
arelatensis Episcopi sanctorũ reliquias in Concilio Basiliensis perquiri, & in absentium Episcoporum locum poni mandauit, & folio 43.b
arelatensis episcopi de principe suo conquestio 42.d
arelatensis Episcopi in Concilio Basilien. oratio, qua gratias agit ijs qui ecclesiæ salutem promouissent 45.a
arelatensis episcopi fides, constantia & fortitudo summa folio 48.d
arelatensis Episcopi pietatis, & constantiæ plena oratio, 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. & 32.
arelatensis episcopi oratio ad Concilij patres responsoria 39.b
arelatensis episcopi in Concilio Basiliensi fraudes 36.f & 37.c
areth oppidum 211.b. & c
à Turcis incenditur 212.d
arechusa fons 404.f
arethusa lacus 315.c
aretinorũ ciuitas à Carolo in deditionem accepta 276.d
Florentinis uendita eod.e
aretinorum castella à Ferdinando expugnantur, & folio 454.d
aretinorum cum Crotoniensibus bellum 242.c
aretinorum cum Florentinis bellum 260.d
argantonius mons 338.c
argensis Episcopi contra Panormitanum disputatio 6.f
argenta ciuitas à Raiualdo capta 265.a
argenta ciuitas expugnatur, folio 262.d
argentariæ 349.b
argentũ promontoriũ 361.b
argeus mons 327.b
argei descriptio 327.c
arginusæ insula 354.e
argonautarum fabula 409.a
argus ciuitas 327.a
aria regio 308.e
ariæ regionis descriptio 293.b
ariana hæresis 177.a
ariani poopuli 308.f
ariarates Cappadociæ rex, folio 326.c
ariaratis facta 328.d
ariminum oppidum à Gothis obsessum 166.c
ariminum à Longobardis captum 169.c
ariminum oppidum captum folio 162.e
ariminum oppidum restauratur 168.e
arimispi populi 289.c
arimphei populi 291.a
arinchij populi 296.e
arionis musici historia 354.f & 355.a.
aripertus Longobardorũ rex folio 177.c
ariouindi in Sicilia res gestæ, folio 151.c
arisbe oppidum 346.d
aristeus Poëta 345.c
aristodemus 363.c
aristonici res gestæ 362.e
mors ibid.f
aristotelis bibliotheca 351.b
aristotelis eloquentia, & folio 354.f
aristotelis libido 627.b
arithpertus rex 170.e
arithpertus Papiæ tyrannidẽ inuadit 180.d
arithperti Longobardorũ regis liberalitas & pietas, folio 181.b
arithmethicæ utilitas 990.d
ariulphus Romanum agrum depopulatur 173.a
ariulphus fœdus cum pontifice factum rumpit 173.b
arius fluuius 292.e & 308.f
armamentaria tria 344.e
armenia ciuitas 319.c
armamenia regio 320.d
armenia maior à Turcis subacta 235.a
armenia minor 210.e & 254.d
armenia pascendis equis apta folio 319.a
armenia ad Christum conuersa 326.e
armenia à Friderico imperatore subacta 229.a
armenia à duce Iasonis occupata 319.c

armenia

armenia à Parthis deuastatur folio 311.c
armenia à Parthis occupatur 320.f. item à Mithridate, ibidem
armenia à Thamerlano occupatur 313.a
armenia à diuersis gentibus multocies depopulata, folio 319.c
armeniæ castella depopulantur 323.a
armeniæ montes uarij, folio 317.c.& 318.d
armeniæ descriptio 317.a
armeniæ minoris descriptio, folio 325.c
armeni ad Christianã religionem conuersi 323.b
armeniaci Italiam depopulantur 278.d
armeniaci Heluetiam uastant folio 37.a
armeniaci Eugenij pontificis instinctu Basiliensium agros depopulantur 64.d
armeniacæ uestes 319.c
armeniorũ regni incrementa 319.b
armeniacorum contra Heluetios res gestæ 573.b.& c
armeniorum reges & tyranni 319.c
armeniorum regũ cum Medis familiaritas 314.e
armeniorum opulentia, folio 319.b
armeniorũ in Asia dux Christianus 385.a
armeniorum ritus & mores, folio 319 b
armenius color 319.a
armilaus Venetorum dux iaculo noctu transfoditur, folio 449.c
armozica 300.f
arnefrides Beneuentanũ ducatum ambit 178.e à Longobardis interficitur folio 178.e
arnestidis cõtra Hunnos res gestæ 152.d. mors eodem
arnoldus Bauarorũ dux 199.a
arnoldus Bauariæ dux, Italiæ rex à Veronensibus declaratur 199 a
arnoldus Brixianus hæreticus 220.f
arnoldus Kempenich in Cõcilio Basil. moritur 47.b
arnolphus Morauiæ regnum occupatũ Suatocopij filio possidendũ relinquit 90.f
arnulphus Franciæ rex 197.b
arnulphus Italiæ rex morbo pediculari moritur 198.d
arnulphi imperatoris de Suatocopio Morauorum principe uictoria 90.f
arnulphi in Italia res gestæ, folio 198.d
aroma mons 363.c
aromense uinum optimum, folio 363.c
aron Ammirathus Saracenorum 193.a
aropus 315 b
arpagia locus 345.a
arparium oppidum ui ab Alphonso captum 467.b
arpinum oppidum à Saracenis occupatum 181.a
arragoniæ regum catalogus, folio 445.a
arragonensium in Concilio Basilien. animositas 43.b
arragonũ regis preconia, folio 790.e
arrianus Alexandrinus historicus 392.f
arrigis dux Beneuentanus, folio 173.a
arriani à Iustino ex imperio deiecti 158.d
arrianum oppidum terræmotu absorptum 471.a
arrij Restionis frugalitas 56.f
ars, nullius precij 989.b
arsia 308.e
arsia fluuius 153.a
arsaces Parthianæ defectionis autor 310.d
arsacis res gestæ 310.& e
arsaica ciuitas à Parthis ædificata 315.b
arsamosata castellum 322.f
arsiniæ oppidum 359.c & 373.a. & b. & 377.a
arsinus lacus 318.f
arsissa palus 317.c
arta regio 406.f
artabazus Antonium prodit, folio 320.e
artabasi res gestæ 320.e
artabasi thesauri 319.a
artauadas Armenius singulari prælio cum Valare Gotho congreditur 163.c
artaxata ciuitas 318.f.& 319.a
artaxata ciuitas à Vologeso capta 321.a
artataxata ciuitas solo æquatur 321.c
artaxia 319.e
artaxias Magni Antiochi imperator 319.b
artemidorus aurea effigie donatus 360.f
artemisia Halicarnassi regina folio 383.c
artemisia Mausolo marito sepulchrum ædificat 364.e
artemisiæ fortitudo bellica, folio 364.e
artemisiũ promontoriũ 368.e
arthabanus Parthorum Rex, folio 310.f
arthaustus imperiũ concitata plebe sibi arrogat 186.d
arthaustus oculis orbatus in exilium mittitur 186.d
arthemidori res gestæ 337.b
aruisia locus 361.c
arxion Alemannus cohortis magister 207.b
asambecus 385.a
ascalonem op. Balduinus expugnat 220.d
ascalonẽses à Gothfredo uincuntur 214.e
ascalonitarũ fortitudo 227.b
ascalanorũ deditio 227.b
ascanius fluuius 339.c
ascanius lacus. 338.e
asculum oppidum à Gothis captum 164.c

asculanorum agri à Friderico imperatore depopulantur, folio 239.a
asculanorum bella 464.f
asia 285.a
asia quando ad Christũ conuersa 385.b
asia minor à quibus primum culta 381.b
asia minor à Parthis depopulatur 313.a
asia doctißimos protulit uiros 386.d
asia à quibus regibus subacta, folio 382.e
asia à Romanis subacta, folio 382.f
asia à Parthorum crudelitate liberatur 144.e
asia à Turcis depopulatur, folio 187.b
asia tota à Turcis subacta, folio 385.a
asiæ descriptio 325.a
asiæ generalis distributio, folio 286.f
asiæ Minoris partes 332.f
asiæ minoris magnitudo, folio 323.c
in asiam qui post cladem Iliensem uenerint pop. 382.e
asiarchæ populi 363.b
asij Hirtacidis regia 346.d
asimarus imperator 181.a
asimarus occiditur 181.b
de asino fabula iucũdißima, folio 599.b
asiotæ populi 290.c
aspaneus lucus 350.f
aspar captus cum filijs iugulatur 154.e
aspendus oppidum 372.d
aspiratio 988,d
aspisij populi 290.c
asporus flu. 325.c.& 330.d
asprandus Longobardorum rex creatus 182.d
asprandi cum Arithpetro conflictus 181.c
aspurgitani 304.f
assuades Zepida 166.f
assus ciuitas 352.c
assyria à Iuliano imperatore depopulatur 312.e
asisium oppidum 164.c
astacenus sinus 348.d
astannetis regio 317.c
astacus oppidum 338.d
astecinus sinus 338.d
astenses in deditionẽ ab Henrico imp. accepti 224.a
astensium ad ducem Aurelanienſem defectio 447.b
astolphi Aragonũ regis odium in Eugenium pontificem 439.b
astargius Fauentinus 2 3.b
astracha insula à Carolo Marcello capta 183.c
astronomiæ utilitas 990.f
asturga ciuitas expugnatur, folio 148.d
asturicani populi 296.e
astyagis res gestæ 317.a
astypalæa insula 365.b
astypaleæ insulæ descriptio, folio 365.b
astyra uicus 341.c.& 350.f
asylorum detestatio 360.d
atabyris mons 370.e
atacenus sinus 287.c
atarneus 352.f
atarnenses populi 352.f
aternus fluuius 198.e
athila dei flagellum & terror populorum 153.a
athilæ res gestæ 148 f. & 153.b & 307.a. mors 307.b
athilæ Humorum regis descriptio 152.d
athilæ Hunnorum regis regia folio 151.c
athilæ contra Romanos expeditio 152.e
athilæ Hunnorum regis res gestæ 144.e
mors ibidem, & 153.b
athalus Pergamenus martyrio coronatur 343.a
athalus tyrannus Catonis à Romanis uinctus Rauennam ducitur 149.b
athal9 ab Honorio manu priuatur & relegatur in Liparim 148.f
athali regis de agricultura libri 593.a
athali regis res gestæ 342.c & 148.f
athanalgidus Vesogothorum in Hispania rex 169.a
athanarici Vesogothorũ regis cum Romanis pax, folio 146.d
athanasius presbyter non Episcopus, Archiepiscopum disputando uicit 28.d
athaulphus Gothorum rex, folio 147.b
athaulphus Visogothorum rex 148.e
athaulphus à suis interficitur folio 147.a
athenais diuinatrix 361.c
athenæus philosophus, folio 373.c
atheniensium cum Mitylenеis contentio 355.a
atheniensium rudera 405.a
athesinorum contra Tridentinos bellum 533.a
athini Saracenorum regis res gestæ 183.c
atlas mons 286.e
atocorum gens 287.c
atraclesis ciuitatis descriptio, folio 377.b
atropatus dux 314.c
attalia ciuitas 372.d
attalicorum regum primordia 333.a
attalus tyrannus 149.b
Vide athalus
attica regio 404.f
atticæ descriptio 404 f. & folio 405.a
atticæ laudes 405.a
auares populi 161.b
auares ex Pannonijs in Noricum irrumpunt 161.b
auaritiæ detestandæ memorabile exemplum, folio 104.f
auerni locus 357.c
auersanarum Rhenato defectio 467.c

auersiæ arx ab Alphonso expugnatur 467.c
aufidia ci: à Vintimilio in ditionem accepta 464.d
auful Galatiæ rex 208.e
augeæ cum Hercule fabula, folio 342.d
augurũ Hirprãdi regis 186.d
augusta ci. 331.a
augusta Cæsarea obsessa folio 161.a
augusta prætoria 157.a
augustinus Theologorũ Aristoteles 28.f
augusti Cæsaris laus 685.b
augusti Cæsaris de Marco Antonio uictoria 406.f
augusti Cęsaris cõtra Mithridatem res gestæ 320.
augusti Cæsaris triumphus, folio 331.b
augustulus imperij insignia deponit 155.c
augustuli cum Genserico fœdus 155.b
auinio op. à Saracenis ui captum 183.c
auitus à Romanis imperator declaratur 154.d
aulicæ uitæ descriptio, folio 576.e & f
aulicæ uitæ detestatio folio 721. & 722.c
aulici principum multorum pestes 604 f. & 605.a
aurea pluuia 369.a
aureliani bello à Normannis uexantur 196.f
aureliani Cæsaris contra Gothos res gestæ 145.b
aurelij Augustini mors 151.b
aurelij Alexandri contra Persas res gestæ 311.c
aurelij Bassiani contra Parthos res gestæ 311.c
ausca ciu. 113.a. capta & funditus deleta 113.b
auserense op. à Saracenis captum & expoliatum 196.f
ausonium mare 406.e & f
austria bello à Bohemis uexatur 101.a & 412
Austria ab Vngaris depopulatur ibid.
austria à Ioanne Huniade uastata 129.b
austria à Ioanne Huniade direpta 412.e
austria Rhodolpho comiti Habsburgensi cedit 97.c & 98.d
austriæ descriptio 412.d
austriæ laus 490.d
austriæ ducũ priuilegia 528.e
austriæ principum cum Polonis dissidia 590.d
austriæ & Bohemiæ regũ fœdus 124.f
australes Sigismundum regẽ captum, armis liberare conantur 131.b
auximum op. à Belisario obsessum. 162.c
auximum à Gothis obsessum folio 164.e
auximum op. à Saracenis captum 184.f
auximum op. à Belisario captum 162.f
azara ciuitas 318.f
azo Estensis 237.c
azoni Marchioni Beatrix matrimonio copulatur 257.b

B

BAbach Sarmatorum rex. 154. interficitur. eod.
babucum op. à Siciliæ rege captum 221.a
babylonia ab Herode Parthorum rege obsessa 310.d
babyloniæ turris ædificatio folio 84.d
baccari in Lucretiam amor folio 636.d
baccharense uinum 480.e
bacchi certamina 361.a
bacchi inuenta 652.e
baccho Pannoniorum Rex, folio 388.d
bacchurius Iberiæ rex 301.c
badensis Marchionatus 438.f
bacmam Cassiani regis filius à Christianis interfectus folio 212.d
bactria 293.a
bactriani populi 292.d
bagadra fl. 308.e
bagnacauallum oppidum, folio 271.b
baiarum rudera 484.d
balach Partharum rex 218.d
balbura ciuitas 366.f
baldasar Cossa 280.f
baldatius Florentinorũ dux ex altissimis fenestris in forum præcipitatur 454.e
baldequin. Damasci regulus folio 218.f
balduinus Flandrensis Constantinopolitanus imperator 232.d
balduinus Hierosolymæ rex folio 214.e & 219.c
balduinus II. captus incarceratur 218.d
balduini II. Hierosolymæ regis res gestæ 218.d
balduini regis res gestæ 215.c & 224 e & 225.b & 238.c
balduini cõtra Gręcos & Turcas res gestæ 209.c. & 210.e & 219.c & 220.d
baldus Iureconsultus 271.c
balearides insulæ 369.a
baleares insulæ à Pisanis subactæ 216.d
baltheum mare 97.b & 419.b
baltheus sinus 419.b
banberg. oppidum 435.c
baptista Blasius Cremonensis, astronomus insignis, folio 450.d
baptista Conetulus crudeliter etiam post mortẽ tractatur. 452.d & eius seditiosum facinus 452.d
baptista Sciarra in summum pontificem conspirat 460.d
barbara Sigismũdi imp. uxor ambit Poloniæ regis nuptias marito nõdum mortuo folio 123.b
barbaræ Sigismundi Cæsaris uxoris nasutũ responsum folio 486.d

barbare Sigismundi imp. uxoris mors 130.f & 131.a
barbarismus 367.b & 978.c
barbationis Thracis res gestæ. 165.c
barbisa castellum 319.a
barchinonensis ager depopulatur 195.c
bardanes Parthorũ rex 320.f
bardonis mons 167.c
barensium ciuitas à Saracenis obsessa 203.a
bargasa oppidum 268.d
bargylia ciuitas 365.b
baro de Puchaim Cæsari recõciliatur 700.f
bartholomæus apost. 337.b
bartholomæus de pauis 51.b
bartholomæi Facij 480.d
barulũ op. obsessum 205.b
basilia locus 400.d
basiliense conciliũ legitime est conuocatum 76.f
basiliense concilium cur congregatum 45.a & 68.c
ad basiliense conciliũ contra Eugenij improbitatem cur non dissoluendum 67.a
basiliense Concilium cur põtifex, episcopi & alij prælati uenire recusarint 78.d
basiliense Concilium cæteris concilijs merito anteponẽdum 79.a
basiliense Conciliũ certauit pro episcopis 27.a
basiliensis Concilij congregatio 2.e Primordia 117.a
basiliensis Concilij frequentia quanta 43.c
basiliensis Concilij sessio tumultuosissima 41.c & 42.e
basiliensis concilij turbatio, folio 32.f
basiliensis Concilij tumultus folio 36.d & c
basiliẽsis Concilij decreta publicẽ leguntur 44.d
basiliensis Concilij decreta à Germaniæ principibus approbantur 3.c
basiliensis Concilij decreta à principum & regum oratoribus approbantur 44.c
basilien. Concilij acta 517.b.c
basiliensis Concilij decreta publicantur 41.a & b
basiliensium laus 35.a & 72.d & 73.a
basiliensium cum Delphino prælium 439.a & Delphino 573.c & 574.d
basilienſiũ pestis 46.d & c & f
basiliscus dux Rom. 154.e
basiliscus in Cappadociam relegatur 155.b
basiliscus in Nestorianam hæresim lapsus 155.b
basilici pop. 296.d
basilius Constantinopolitanus Imp. 201.c
basilij de poëtis sentẽtia 583.b
bataui natatores opt. 481.a
batha 305.b
bathon historicus 334.e
battifolle oppi. ab Ianthesco captum 277.c
bauaria unde dicta 161.b
bauari Sclauinos debellant folio 172.f
bauari Foroiuliensib. & Longobardis bellum inferunt, folio 191.b
bauzanum op. à Longobardis captum 179.b
beatitudo uera in quibus cõsistat 891.892.a & d
beatrix 204.f
bebrices pop. 381.c
babæ à Genuensibus captæ, folio 273.b
bebria regio uastatur 333.a
bebricia regio 339.c
bechingne castellum Hussitarum 106.e
bedericus presbyter apostata folio 115.a & b
bedericus præsbyter Stamicensis bellis assiduis Slesiã depopulatur 115.a
begdonis regio 339
beida 319.c
bela Vngariæ rex 226.f
bele Vngariæ regis cum Venetis pax 228.e
belera ci. à Liuthprando rege capta 185.a
belgij Gallorum ducis res gestæ 335.b
belgradum op. 785.a
belgradum oppi. ab Hunis direptum 153.a
belisarij cum Gothis res gestæ 161.b
belisarij contra Parthos bellum 164.e & 312.e
belisarij in Sicilia & Africa res gestæ 160.d
belisarij contra Vandalos in Africa res gestæ 159.c
bellerophontis uallum 366.f
belligardi mons à Delphino obsidione cingitur 543.b
bellonæ fanum 326.
beluarum op. à Nortmannis uastatum 196.f
benacus lacus 154.c
benedictus Caietanus 254.e
benedictus diaconus in Pontificẽ inuitus eligitur 200.f relegatur Hauspurgã. eod.
benedict. 2. Pon. Max. 179.a
benedictus 11. Pontifex Maximus 256.e
benedict. 12. Pon. Max. 264.f
benedicti uaticinium 166.d
benedicti uisio 35.c
beneuentum op. à Constantino obsessum 178.d
beneuentum à Friderico imperatori expugnatum 239.a
beneuentũ op. obsess. à Guistardo 207.a
beneuentũ op. à Normannis captum 204.e
beneu. à Totila obsessũ 164.d
beneuentũ incẽdio ab Othone rege deformatur 201.c
beneuentum op. à Saracenis incensum 199.a
beneuenti suburbia à Siciliæ rege capta 221.a
beneuentanus ager à Græcis depopulatur 191.a
beneuentani à Pipino obsessi folio 192.e

benus fluuius 490.d
berengarius Italiæ rex declaratur 199.b.
berengarius Foroiuliensium dux imperator Romæ declaratur 197.c
berengarij secundi res gestæ 198.f. Tertij uero 199.b
berengarij tertj cum Vgone pax 199.b
berengarij Italię regis sepultura 435.c
berengarij cõtra Vngaros res gestæ 198.d
berengarij de sacramento error damnatur 207.c
berengarij cum Arnulpho fœdus 197.c
berengarij mors 200.e
bergamum op. 154.e
bergamum op. ab Arnulpho captum 198.d
bergamum op. à Ioannæ Bohemiæ rege captum 263.b
bergamum à Luchino captũ fol. 265. b
bergamũ oppid. expugnatur fol. 180.e
bergamũ op. ab Amingo depopulatum 167.c
bergamum op. Mediolanensibus à Venetis ademptum fol. 450.d
beritum à Saladino captum fol. 227.b
berlinum op. 423.a
berna 128.e
bernabos Vicecomes 269.c eius res gestæ 270.d
bernabouis Vicecomitis captiuitas 277.a
bernabonis res gestæ 269.b
bernardini Senẽsis apophthegma 482
bernardus Aquensis Iureconsultus 51.b
bern ardus abbas Clarauallensis 219.c
bernardus Barchinonis comes 195.c
bernardus Burdegalensis episcopus 256.f
bernhardus Buscho 52.e
bernardus Italiæ rex in Franciã ductus decollatur 195.a
bernardus Toletanus episcopus Hispaniæ metropolitanus declaratur 209.a
bernardi Italiæ regis res gestę 195.a
bernardinus Senensis Italiæ apostolus 465.c. eius sepultura & miracula ibid. eius uita & mors ibid.
bernardinus Senensis canonizatur 459.a
bernardon Aquitanus Florẽtinorum dux 279.a
bertarij contra Pipinũ res gestæ 180.f
berta Carlomanni uxoris facta 189.a
bertoldus Romandiole comes 250.f.
berynthum à Balduino expugnatur 215.c
bessarion Cardinalis Nicenus 452.e
bessarion Græcus Cardinalis fol. 339.b.c
bessus captiuus ad Alexãdrũ Mag. ducitur 292 f. & 293.a
bethica regio 149.a
bibliotheca Aristot. & Theophrasti 351.b
bibliotheca ad S. Gallum in Heluetia 647.b
biblium op. à Saladino captum 227.b
bilimer cum Rithimere congrediens interficitur 154.f
biordus Michelottus 279.a
biorgi in Italia res gestæ 154.
bisetislaus 18. Bohemiæ dux fol. 94.e
bisetislaus 29. Bohemiæ dux fol. 97.a
bisetislaus Morauiæ princeps 94.e
bisetislaus Vratislai ex Adibeide filius 95.b
bisetislaus Pragæ obsidetur fol. 95.a
bisetislaus Spitigneum primogenitum successorẽ suum designat 95.a
bisetislaus exercitum in Hungariam ducit 94.e
bisetislai contra Polonos res gestæ 94.e
bisina Franciæ regina 433.c
bistricensis comitatus à Ladislao Huniadi datus 413.a
bistricium op. 391. c. Ioanni Huniadi à Ladislao dono datum ibid.
bistritium op. à Michaële Rylago expugnatur 391. c. incenditur 392.d
bithynia 225.b
bithynia à Gothis depopulatur 145.a
bithyniæ descriptio 337.c
bithynij pop. 339.a
bithorgus Alanorũ rex 154.e interficitur eod.
bituricensis conuentus 76.e
bizares pop. 330.e
bizeniæ castellum 91.b
bizetislaus Iutham Othonis imp. filiam ui rapuit ex monasterio 93.c
blaenna reg. 334.f
blanca Francisci uicecomitis uxor, Blancã à marito adamatam occidit 462.e
bleda Hunnorum rex 151.c & fol. 152.d
bleda fraterna fraude interficitur 152.e
blondus Foroliuiensis 459.b
blutium castellum 335.c
boetiæ discriptio 404.f
bofsorij cum Alphonso rege bellum 471.b
bohemia olim Theutonica fol. 83.b
bohemia quandiu in lutzenburgensium potestate fol. 100.f
bohemia Romanis tributaria 94.f
bohemia à uirginibus tributaria facta 88.e
bohemia olim sub episcopo Ratisponensi 92.d

bohemia multos Christi martyres produxit 82. d
bohemia ab Alberto imperatore Roman. depopulatur fol. 100. d & e
bohemia ab Henrico imperatore uastata 94. f 95. a
bohemia à Meschone depopulatur 93. b
bohemia ab othardo Saxoniæ duce depopulatur 94. f
bohemia à Sigismundo misere nascatur 10. b
bohemia fœmineo dominatu fraude liberatur 88. f
bohemia Theutonici generis homines à Spitigneo duce pelluntur 95. b
bohemiæ succincta descriptio 427. b & c
bohemiæ situs 82. f
bohemiæ latitudo & limites fol. 82
bohemiæ fertilitas 83. b
bohemiæ regum fortitudo fol. 81. c
bohemiæ & Austriæ regum fœdus 124. f
bohemiæ hereses 66. e
bohemiæ pestis crudelissima fol. 102. e
bohemica expeditio à Martino pont. max. contra hereticos instituitur 115. c. 116. e
bohemica terra, terra promissionis 115 a
bohemi ad Christianismũ cõuertitur 91. b
bohemi ueteres agriculturæ studiosi 84. f
bohemi ad militiam aptissimi 135. c.
bohemi uocãtur ad Basiliense conciliũ ut suæ fidei reddant rationes 117
bohemi suos inique Cõstãtiæ damnatos, in Basiliensi quæruntur cõcilio. 118. c
bohemi de iniqua in Cõstantiensis concilij in suas lata sententia Basileæ corã concilio conqueruntur 118. c
bohemorum antiquitas 84. d
origo ibid. c. & 173. b
bohemorum communis cũ Dalmatis lingua 83. b
bohemorum discordiæ & seditiones 664. d
bohemorum prima discordia 85. a
bohemorum ebrietas 83. c
bohemorum in Basiliẽsi concilio oratio, qua se in uerã ecclesiam nihil peccasse demonstrant 118. e
bohemorum conspiratio ad conseruãdã religionẽ 70. e
bohemorum contra Romanã ecclesiam articuli 118. c
bohemorum luxus & superstitiones 83. c
bohemorũ cum mulierib. pugna cruentissima 87. b
bohemorũ cũ Rodolpho imperat. pugna 98. f
bohemorum in Thusco campo strages 89. c
bohemorum de Vratislao uictoria 89 c
bohemorum mores & ingenia 83 c
bohemicarum uirginum uirilia exercitia. 86. f
bohemicarum uirginũ contra uiros lex 88. e
bohemundus contra Saracenos pugnans grauiter uulneratur 212. e
bohemundus captus incarceratur 215. a. liberatur redemptus pecunia 215. b
bohemundi fortitudo militaris 209. b
bohemundi res gestæ 207 b
bohemundi in Dalmacia res gestæ 215. b & c. cum Alexio pax. eod.
bohemundi contra Saracenos res gestæ 211. b
bohemũdi cum Rogerio fratre prælium 208. f
boibi oppida 188. d
boij pop. 437. b.
boioaria 161. b
boioariæ descriptio 437. a & b
boioariorum primordia fol. 437. b
boioariorum regio 82. f
boiorum in Pannoniam migratio 437. e
boizlaus bohemiæ rex ab Othone Franco debellatur fol. 200 d
boleslauia Bohemiæ umbilicus 94. d. sedes imp. ibid.
boleslaus Bohemiæ dux Cracouiæ excæcatus interijt fol. 94. e
boleslaus 3. in conuiuio oculis priuatur 53. a
boleslaus 15. Bohemorum dux 92. e. eius pietas ibid.
boleslaus 16. Bohemiæ dux fol. 93. a
boleslaus fratrem Venceslaum uocatum conuiuium occidit 92. d
boleslaus Vratislai ex Drabonucia filius 91. b. & 95 c
boleslai innata impietas fol. 91 b
boleslai mors 92. e
boleslao Cracouia à Meschone principe erepta 93. a
bolomerus Amedei Sabaudiæ ducis consiliarius, in Lemannum lacum demergitur 439. c
bomberga ciuitas episcopalis 435. c
bombergensium cum episcopo dissidium. 68 f
bonifacius 3. Pontifex Maximus 174. e
bonifacius 4. Pontifex Maximus 174. e
bonifacij 7. res gestæ 201. c. mors 202. d
bonifacius 8. Pont. Max. 254. f. eius mors. 256. e
bonifacius 9. Pontifex maximus 277. c
bonifacius Thrax Africæ pro Honorio curator. 149 c
bonifacij corsicæ comitis res gestæ 196. d

bonifa-

bonifacij impia de põtificis potestate opinio 16. d
bonifacij in Mauritaniam fuga 150. f
bonifacij contra Mahercium & Gallionẽ res gestæ 150. f
bonitium op. 247. c. à Carolo oppugnatũ eod. captum 248. d. & restauratum 259. c
bonitienses Florentinis uenduntur 248. f
bononia mater studiorum & seditionum altrix 452. d
bononia ab Albrico expugnatur 280. e
bononia à Balthas. Cossa capta 280. f. item à longobardis 184. f. & ab archiepiscopo Mediolanensi fol. 267. b
bononia Pontifici restituitur 446. e
bononienses Gibellinos urbe expellunt 250. d
bononiensium contra Albricum res gestę 280. e
bononiensium agri depopulantur 264. e
bononiensium à Florentinis defectio 264. f
bononiensium contra Entiũ res gestæ 240. f
bononiensium cum Foroliuiensibus bellum 250. d
bononiensium cum Venetis bellum 249. b
bononiensium cum uicecomite bellum 269. c
bonorum uaria genera 878. e
bonosij episcopi causam cur Damasus à se reiecerit 14. f
booslaus regulus à zischa captus 111. a
boosura ciuitas 377. a
borsiuoius bohemorũ dux à beato methodio cum ludmilla uxore baptisatur 90. e
borsiuoius Christianam religionẽ inter bohemos spargit 91. b
borsius Ferrariensium princeps 450. f
borziuislans uratislai ex Suatana filius 95. c
bosiuoius Nostorici fili⁹ Praganorum ducũ ultimus 9. e
bosnenses 407. b
bosnenses pop 388. d
bosphorus Cimmericus fol. 304. d. & e
bosphorus Thracius 324. d
bosphoriani pop. 304. f
bosphoranorum ducum potentia 304. f
bosus Dauarius 244. d
boues equina cauda 288. d
bouinarum pons 233. c
bozzenæ puellę pulchritudo fol. 93. b
braccianorum contra ludouicum de uermeres gestæ fol. 448. d
brachati pop. 319. c
brachius montonensis 280. f
brachij Perusini res gestæ fol. 465. c
brachij cum Sfortia simultas fol. 463. a
branchide pop. 292. e
brandeburgens. marchia Frederico burggrauio Nurenbergensi dono data 388. f
brandeburgensis marchię descriptio 423. a
branderosiorum apud Rom. magistratus initia 246. f
brela Croci bohemiæ ducis filia 85. a
brelum castellum 85. a
brẽni Gallorum ducis res gestæ 335. b. mors ibid.
brielum op. 431. a
britannia à Pictis & Schotis depopulatur 150. e
britannia à Gratiano tyranni de occupatur 148. d
britannia ferro & igni uastatur 195. b
britanniæ descriptio 442 f
britanni à Saxonib. grauiter uexantur 155. c
britannorum prima origo fol. 84. d
britannorum cum Pictis & Schotis fœdera 150. e. uide Anglos
britones 278. f
britones à Carolo Caluo debellantur 196. f
britones à ludouico uincuntur 194. f
britonum cum Carolo Francorum rege fœdus 190. e
brixia ab Amindo depopulata 167
brixia grauiter obsessa 269. c
brixia ab Henrico imp. expugnatur 259. a
brixia à luchino uicecomite obsessa 265. b. & capta eod.
brixia mediolanensibus à uenetis adempta. 450. d
brixiani Gibellinos ex urbe pellunt 25[illegible]. f
brixienses debellantur 100 e
brixiensium cum Francisco Sfortia bellum 447. c
broda ciuitas 83. b
broda Theutonica ciuitas à Pragensib. expugnata 111. b
broda Theutonicorum ciuitas à zischa capta & incensa 111. c
brugensis episcopi de Eugenio disputatio 5. b
brugia ciuitas capta. 233. b
bruma morauiæ ciuitas 108. e
brunduiium recuperatum fol. 164. f
brundusium à Rogerio obsessum 205. b. & c.
brunichildis Francis imperat 172. f
bruno episcopus tullensis in papam eligitur 204. d
brutiorum agri à Gothis depopulantur 147. a
brutiorum ciuitates ab Alphonso in deditionem acceptæ 467. c
brutus britannorum plantator 84. d
bryxillum op. 167. a. & obsessum 167. c
bubaganus ex rex 203. a
bubo op. 366. f

bucharoedi res gestæ 193.a
bucteri pop. 4 1.b
budaiia ciuitas muro cingitur 152 b
budę oritur Hungarorum & Theutonicorum magnus tumulus 388 f.& 389.a
budas Indorum rex 652 f
budinge colonia 83.b
buduicium op. 83 b
bulconis Opiliensis insania fol. 415 b
bulgari pop. 393.c
bulgari ad Christum conuersi 197.b
bulgari à Longobardis grauiter uexantur 169 a
bulgari Mesiam & Pannoniã occupant 179.a
bulgari Thraciam inuadunt fol. 157.b. & 178.f
bulgari ab Vngaris tributarij facti 193.d
bulgarorum bellum 193 c
bulgarorum cum Constantino imp. bellum 190.f
bulgarorũ contra Saracenos res gestæ 194 d
bulla dissoluendi concilium Basil. 73.a
bulla de profectione in Turcos 91 f
bulpari Pannoniam inuadũt fol 195.c
bura ciuitas 406.d
burbensis episcopi facundia fol 23 b
burbonium op. à Francis captum 188.f
burdegala à britannis recuperatur 442.d
burdegala à Normannis uastata 196.f
burdegalia ciuitas ab Abderamio capta 183.b
burdegalia ciu. à Carolo martello capta 183 c
burdegalia à Frãcis expugnatur 441.b
burdegalla à Clodouco occupata 157.c
burdinus papa 21 .c
burgensis delitiæ Hispaniarũ fol 3 a
burgensis episcopi, oratoris Hispani de Eugenij hæresi disputatio 7.a
burgensis episcopi ad ineundam concordiam in concilio bas. exhortatio 35.d
burgensis episcopi in concilio bas. consilia 37 b
burgundia imperialis 203.c
burgundiones à Carolo martello subacti 183.c
burgundiones ab Ecio debellantur 149 b
burgundionum seditiones fol. 203.b
burgundionum sedes 147.c
burgundionum reges 433 c
bursa ciuitas 400.e
bursa Turcarum emporium fol. 339 c
busactores pop. 431.b
byzantium op. 394.d
byzantium à turcis obsessum fol. 395.c
byzantium altera Roma fol. 394 d
byzantium à Mahumete obsessum 400.f 401 a
byzantium descriptio 400 b expugnatio 402.d & e

C

CAbira ciuitas 31.a
cabiræ ciuitatis descriptio 365 f
cacannus bauarus 181.a
cacanni Hunnorum regis in Pannoniam & turingiam irruptiones 172 f
cacanni res gestæ 174.f
cacanni Sclauinorum regis contra bauaros res gestæ fol. 172.f
cadena ciuitas 327.a
cadim mons 285.b
cadmus mons 340.c & fluuius ibid.
cadolus Parmensis antipapa fol. 205.a
cadurchi pop. 314.d
cadusij pop. 314.d & 315.c
cagrandena reglo 317.c
caicus fluuius 342 d & e. 343.a & 353.a
caici fluuius fons. 350.f
caieta ciuitas à Iacobo Arragone obsessa 253.b
caieta ciuitas 280.c
caieta à Petro Arragone capta 466 e
caieta ab Alphonso bis capta fol. 471.b.
caipha ciuitas à Christianis obsessa 214 e
cælesyria regio 210.f
calibassa chialipium & matrẽ eius Mahumeti pdit 400.e
calicona tumulus 347 c
calistus Pontifex 217.
calixtus Pont. Herbipolensi episcopo indignatur 817 b
calixtus Pontificis contra turcas res gestæ 3 0 d
calixti 3 Romani pontif. uita fol. 460.f eius contra turcas expeditio 137.b
calixti 3. pontif uafre ad Alphonsum dictum 460 f
calixti 3. pontif. memoria & eruditio admirabilis 461.c
callibassæ res gestæ 400.d
callipolis op. 345 c.
calliopolis à turcis expugnatur 395.b
callisthenes Alexandro diuinos honores denegans incarceratur 292 d.
calpas fluuius 337 c
calabenses pop. 366 f
calabria à Saracenis depopulatur 201 a
calabria ab imperatoribus cõstantinop. subacta 201.c
calabria à Frederico Arragone occupatur 255 b
calamus ad fistulas idoneus fol. 340 d
calapini res gestæ 384 c
calapini turcarum imp res gestæ 395. c
calathini ab Alphonso expugnantur 468.d
calchas augur 360 f

calchas & mopsus quæstionibus contendunt 361.a
calcaphontis anima cum Pythagoras conuersatur 358.f
calcei querno robore 86.d
calcidonens. synodus 517.c
calui montis presbyteri ridiculosum factum 481.c
calybes pop. 382.d
calycadnus fluuius 373.b
calydnæ insulę 349.b
calymna ciuitas 368.e
calystes portus 361.b
cambala 319.a
cambisena regio 297.c
cambisena regio 318.e
cambisus fluuius 314.d
camela ciuitas. 213.b
cameria uicus 331.a
caminum op. 423.a
camisena 309.a
campania à Gothis depopulatur 147.a
campaniæ oppida mœnib. à Gothis nudata 165.b
campaniæ oppida à Gisulpho depopulantur. 181.a
campania ab Hũnis depopulatur 154.d
campania à Ricardo depopulatur 205.c
campaniæ ciuitates à Narseta subactæ 167.c
camusæ ad Turcas defectio fol. 407.a
canusium op. à Rogerio captum 214.e
can imperator 291.b
cana promontorium 353.a
canæ ins. 354.e
canas mons 353.a
canas oppidum Petrus de columna occupat. 214.f
canæ locrorum op. 353.a
canabus Gothorũ rex ab Aureliano uictus & in clade interfectus 145.b
cancellarij in Pistoria gens seditiones excitat 255.c
candima uallis 467.c
candinopolis op. 333.a
canes Christianorum contra Turcas uigiles 370.e
canis magni imperium fol. 317.a
canniorum à Rhodijs defectio 368.e
canis sepulchrum 368.d
canuti cum Carolo Daniæ regno contentio 427.a
capus 351.b
caper fluuius. 340.e
capha urbs à thamerlano expugnatur. 313.a
caphalia urbs 213.b
capistrani insatiabilis ambitio 138.f. mors ibid.
capitolium Rom. à totila incensum 165.a
capitolium Rom. à Guistardo captum 208.e
cappadoces regẽ petũt 332. f
cappadocia in prouincias diuiditur. 325.c
cappadocia caret lignis fol 327.c
cappadocia à Parthis depopulatur 311.c
cappadocię descrip. 325.a & b
cappadociæ maioris descriptio 326.e
cappadociæ fertilitas 328.e
cappadociæ preturæ 327.b
cappadorus fluuius 328.e
capraria insula à bucelino depopulata 167.c
capreæ op. captum 468.e
capri amnis fons 285.c
capria lacus 372.d
capuana ecclesia metropolitana quomodo facta 201.b
capua à Saracenis capta fol. 203.a
capua à Saracenorum improbitate liberatur 203.a
capua à Rogerio capta fol. 208.f
capua ab Hunis depopulatur 154.d
capua à Ricardo Normanno capta 205.c
capua arx Alphonso dedita fol. 469.b
capuani crudeliter à Fuluio tractantur 355.a
caramãnus dux turcarũ 326.c
caramani imperium magnũ fol. 385.a
carambris promontorium fol. 333.c
carbonia sylua 182.c
cardina uallis. 467.b
cardinalis crucifer 2.e
cardinales cur rubeo galero, ac uestitu incedant. 40.d
cardinalium nomen unde fol. 41.c
cardinalib. galeri rubei quando concessi 241.b
cares pop. 382.d
cares milites optimi 367.a
cares cur barbari ab Homero appellati 367.a
caresina regio 349.a
caresus 349.a
cari Narbonẽsis cõtra Persas res gestę 112. d. mors. ibid.
cariata ciuitas 292.d
carica insignia 267.a
carię descriptio 364. d. & e
carij mensis templum 340.f
carinthia 97.c
carinthię descriptio 409.b
carinthiæ dux uenator imperij 410.c
carinthiæ principum admirabilis electio 409.c. & 410.d
cariustus fluuius 301.c
carlinga regio 434.e
carloioannes Cõstantinopolitanus imp. 271.c
carlota Portugalliæ regna fol. 379.a
carmala fluuius 327.a
carmania 308.f
carmylesus locus 371.a
carni pop. 409.b
carniola 97.c
carniola duplex 409.b
carolus Andegauensis 440.e
carolus Aurelianensis dux ex carcere liberatur 442.e
carolus balbus in imperatorem ungitur 197.a
carolus. II. bohemię rex 101.b
carolus balbus & contra Normannos

mannos res gestę 197. Item eius regis sonum 101. b
carolus caluus in Lemouicæ urbis regem ungitur 196. f
caroli calui res gestæ 196 e & f
carolus Danię rex prælio superatus regno pellitur fol. 427. a
caroli Daniæ regis impietas fol. 427. a
carolus Francorum rex Ro. Augustus appellatur 192. d
carolus Francorum rex donatione à parente pontif. Ro. factam confirmat 190. d
caroli francorum regis cũ Ludouico Delphino contentio 440. c
caroli francorum regis res gestæ 191. a
caroli Frãcorũ regis in Italia res gestæ 189. c. cum pontif. Ro. pax & fœdus 190. d
carolus Gozaga mediolanenses prodit 448. f
caroli Gonzagę crudelitas in ciues mediolanenses 448. e
caroli de Gonzaga res gestæ 448. d. eius defectiones ib.
carolus Hierosol. & Siciliæ rex declaratur 246. f. 247. a
carolus magnus fuit Germanus 434. f
caroli magni cõtra Vuestphalos res gestę 431. b
caroli magni res gestę 434. f
caroli magni cum Saxonibus bella 422. f
caroli magni mors 194. d
carolus martellus 182. e
carolus martellus 255. a
caroli martelli res gestæ 182. f
caroli martelli contra Saracenos & Vesogothos res gestæ 183. b & c
Caroli martelli contra Saracenos felix uictoria 183. b
caroli martelli contra Gallos & Saracenos res gestæ 185. c
caroli martelli res gestæ 434. e
carolus II. rex Neapolitanus fol. 257. b
carolus simplex Francię rex fol. 197. b
caroli II. Siciliæ regis contra Saracenos res gestæ 265. b
caroli secundi Siciliæ regis filij 255. a
caroli Valesij comitis res gestæ 255. b
caroli Vngariæ regis cũ Florentinis bellum 276. d
caroli zeni res gestæ 272. e
caroli zeni res gestę 273. a
carolomannus 185. c
carolomannus in clericum ordinatur 986. d
carolomanni res gestæ 197 a
carolomanni mors 187. a
carolorum nomẽ apud Francos celeberrimum 180. d
caron historicus 346. d
carpasia ciuitas 377. a
carpasiæ insula 377. a
carpharat Aegyptius princeps 211. a
carpus martyr. 343 a
carrensium cum Genuensib. pax 272 f
carthago Africæ ciuitas à Sisulpho capta 150. f
carthago à Vandalis occupatur 151. a
carthago Africæ à Persis capta 175. b
carthago Africæ à Cosdroa capta 312. f
cartharum inuentio 599. e
carolus cum Canuto fratre de Danię regno contendit fol. 427. a
carolus Franciæ rex ad regnãdũ inutilis degradatur 197. b
carura 340. f.
caryanda lacus 365. b & insula ibidem.
cæsaraugusta obsessa 161. a
cæsaris martiuengi contra Alphonsum res gestę 468. d
cęsaris eligendi ius quando Germanis cõcessum 202. e
cęsaris dicterium 560. e
cæsarea ciuitas à Lõgino munita 169. b
Cęsarea magna ciuitas 327. c
cęsarea cappadocię à Christianis capta 210. e
cæsena ciuitas frustra per hyemem obsessa 167. c
cęsena ciuitas 271. b
casertinus regulus ab Alphõso rege Arrag. in fidem receptus 467. b
casimirus Lituanię dux 415. f
casimirus Polonię rex bohemię regnum ambit 143. b
casimirus Polonię regis germanus bohemię rex declaratur 124. f
casimiri Polonię regis cum fratribus bellum 478. e
casimiri regis res gestę 101. a
casinense monasterium euertitur 173. a
caspar schlick trium Cęsarũ cancellarius 475. a
caspiana reg. 297. c
caspiæ pop. 316. d
caspię portæ 299 c
caspię portę 316. d
caspię portę quã late pateant fol. 316. e
caspia iuga 316. d
caspius mons 302. e
caspium mare 283. a & b.
caspij montes 285. c
caspij montes 317. a & b
cassianus rex 210. e
cassianus rex ab Armenijs trucidatur 212. e
cassij contra Parthos res gestę 311. a
cassinense monasteriũ ędificatur 182. f
cassinense monasterium direptum 239. a
cassiope Epirotarum colonia 406. f
castabala op. 327. b
castellatũ op. captum & direptum 278. d
castellina ci. obsessa 454. d
castelli ciuitas expugnatur 261. c & 262. d
castinus apud Vercellas in clade captus 150. e

cast

castini in africam profectio 150.d.cum bonifacio simultas 149 c. erga eundem dolus 150.d
castrutius cõiuratorum apud lucenses dux 261.a
castilonum op. 455.c
castini constantij cæsaris ducis res gestæ 149.c
castitatis uirginalis memorabile exemplum 92.d
castrucius lucensis tyrannus 261.b
castrutij de florentinis præclara uictoria 262.d
castrumfrancum à florentinis occupatum 272.e
castrumfrancum à cartia expugnatur 275.b
castrum nouum à carolo obsessum 276.d
casubia regio 84.f
catage pop. 290.e
cataractes flu. 372.d
catarum op. incẽditur 272.e
catelani pop. 308.d
catelanorũ primordia 308.d
cathaium. 291.b.& c.
cathelemorum in concilio Bas. animositas 43.b. cum genuensibus pax 272.e
cathaminenses pop. 337.a
cathauiensis episcopi contra arelatensem in concilio oratio 40.e
cathaonia 325.d.326 e.& f.
cathelanorum cum Estensibus bellum 260.f
cathones pop. 326.e
catinus mons 260.e.obsessus expugnatur 260.f
catina ci.expugnatur 242 .f. 253.a
catinum op. à florentinis occupatur 263.b
catinum op. à castrutianis captum 263.b
caucasus mons 286.d
caucasus mõs 296.d.& c.302. e.& 318.d & 317.b
caucones pop. 381.c
caucones è proprijs sedibus pelluntur 333.a
caunus ci. 368.e
caynanum op.ab alphonso rege arrag.receptum 467.c
cayrum op.ab almerico obsessum 222.d
caystri flu.fons 360.f
cœllius antipater 283.a
cœlij pollionis res gestę 320.f.& 32.a
cebrena ci. 347.b
cebrena 347.c
cebrenia reg. 348.a
cebrenorum cum scepsijs inimicitia 347.b
cebrini pop. 350 e.
cecilianus episcopus accusatur 14 f
cedissa 518.d
cedri arboris copia 373.a
celanorum agri ab alphonso depopulantur 467.a
celendris ciuitas 373.b
celenis 340.d
celenorum iugum 285.b
celestinus 1 pont. max. 229.a.& 254.e. & 239.b
cenchrius flu. 359.b
centum op. 184.f
centumcellæ ci.depopulatur à saracenis 194.d
centumcellas, diogenes contra gothos tuetur 166.d.& e
centumcellas narses in suam potestatem recipit 167.b
centumcellensis portus 196.d
centumcellense oppidum ui captum 196.d
cepæ ci. 304.f
cephis rex longob.fraude suorum occiditur 170.e
ceramus op. 368.d
cerasus. 330.d
ceraunia reg. 296.e.& 256.f
ceraunij montes 296.d
cercetæ pop. 330.d
cerines castellum 380.e
cerines op. 377.b
certetarum regio 305.b
ceruæ pariturae in dianæ insulam tranant 361.a
ceruia op. 250.d
cerulanus lacus 318.f
cesena ci.à longobardis capta 184.f
cesennius petus 322.e
cesennij peti cum corbulone colloquium 322.f
cessa ci. 303.a
cestrus flu. 372.a
cetheus princeps senatus, suspectus ex urbe Rom. pellitur 164.e
cetius flu. 342.d
cecij pop. 342.d.353.c
chalcedonẽsis synodus 20.d
chalcedonensis synodus iudicat hæreticos qui contra concilium sapiunt 22.e
chalcedonense cõcilium 14. d.& 28.d
chaldei pop. 330.d.& e
chalybes pop. 330.e
chaones pop. 406 e
charadrus 373.b
charcathocerta sophinæ regia 318.d
charindas flu. 314.d
charonium 357.c
charonium antrum natura admirabile 363 b
charra obsessæ 224.d
charta ci. 293.b
cheanitæ pop. 303.b
chelidoniæ ins. 371.b
chenides pop. 296.d
cherinthus hæreticus 360.e
choromocrates dianæ ephesiæ tẽplum restaurat 359 e
cherronesus 405 a.b
cherosonesus dorica 367.c
cherronesus pulchra 361 b
cherronesi descriptio 323.b
cherronesi diuisio secũdum diuersos. 325.a
chersiphronis opera 359.a
chezip.mons 84.e
chialapinus à mahumete strãgulatur 400.e
chij caput 368.d
childeberti contra garibaldũ bellum 171.e

chilianus histrio pogglebracium de sacris sapienter interrogat 135.a
chilpericus suessionum dux 170.c
chimera uallis 371.a
chimeræ fabula 371.a
chiorum primordia 353.c
chilpericus burgundiorum Rex à fratre interfectus 156.f
chilperti contra carolū martellum res gestæ 183.a
chius insula & eius descriptio 361.c
choatras mons 285.c
chordica mons 317.c
chorocunda 304.c
chorocūdamētis locus 304.c
chotis armeniæ rex 320.f
christalli multitudo 290.d
chrisippus philosophus 374.c
christus uerus Deus & homo 884.d
christus uerus Deus & homo 889.c
christus uerus mesias est, qui à Deo promissus 882.d.& e
christi diuinitas turcis ignota 883.c
christi incarnatio 889.a
christi crucifixi imago turpiter à turcis tractata 402.c
christianus de gregregino præpositus S. petri in brunia 49.b
christiani in bohemia duro afficiuntur supplicio 105.a
christiani peregrini pro christi fide lapidibus à turcis obruitur. 378.f
christiani à turcis cruēto prælio uincuntur. 5 5.b
christianorum fides 882.d.& 883.a
christianorum ieiunia 900.d
christianorum religionis antiquitas 834.f
christianorum nomen quando fidelibus impositum 210.f
christianorum de saracenis et turcis cruenta uictoria 210.d
christianorum de turcis cruēta uictoria 212.d
christianorum de turcis uictoria 530.d.& 536.f.& 537.a
christiana lex iudaica multo dignior 898.d
christianus Daciæ & noruegiæ rex declaratur 426.f.& 427.a
D. christophorus martyrio coronatur 371.c
christophorus boioariæ princeps & daciæ rex 125.e
christophorus boioarie dux fit daciæ & noruegiæ rex 426.f
chrysa ciuit. 349.c.& 350.d.& 350.e
chrysaoreus conuentus 366.d
chrysopolitanus uicus 337.c
churunnus bulgarorum rex interficitur 194.d
cibistra ci. 327.b
cibotus ci. 340.d
cibirei pop. 366.f
cicero libros tres de temporibus suis carmine scripsit 938.f
cicones pop. 287.c
ciconiæ aquileiam ab hunnis obsessam produnt 153.a
cidissa 326.d
cidissa mons 330.d
cidrelli in ionia res gestæ 356.f
cilbianus campus 363.c
cilia ciuitas 411.a
ciliæ comitis mors deploratur 785.a
cilices pop. 382.d
cilices piratæ 372.f
cilices troiani 375.c
cilicia 254.d.& 325.b.& 327.b
cilicia urbs 210.f
cilicia armenia minor 210.c
cilicia à græcis subacta 225.b
ciliciæ descriptio 372.c
ciliciæ nomen unde 352.f
ciliciū principatus tres 342.d
cilla locus 341.c
cilleus flu. 341.c
cilli monumentum 352.f
cimbrorum cum Romanis bellum 560.d
cimmerica 363.a
cimmerij pop. 382.c
cimmericum op. 304.d
cimmericorum in bosphoro potentia 304.d
cimmericus bosphorus 304.d.& c
cincius gregorium pontificem missam celebrantem, captiuum abducit 206.e
cincij Romani res gestæ 205.b
cincij domus & familia turpiter tractatur 206.e
cineæ admirabilis memoria 594.c
cingulum op. 462.f
ciniata castellum 334.f
cinitum op. occupatū à christianis 209.c
circitij pop. 315.c
cisthena ci. 350.f
cisthenæ ins. 371.a
cithæron saltus 404.f
cius op. 338.d
cizana castellum 551.c
claffo longobardorum rex 169.a
clagefurtinum op. 410.e
claromontensium ciuitas incenditur. 237.e
classense op. captum 170.d
classense op. à feroaldo dolo captum 182.f
classense op. captum atque dirutum 185.c
claudij cæsaris statua aurea 145.b
claudij imperatoris cōtra gothos res gestæ 145.b
claudij pulchri contra piratas res gestæ. 377.c
clauium potestas 18.c
clazomene 362.d
cleandria 349.a
cleanthes philosophus 352.c

clebus dori filius 344.f
cledouei fräciæ regis in italiã expeditio. 177.c
clemens 4. pont maximus 246.f
clemens 5. pont. maximus 256.f
clemens 5. pont. maximus 259 a
clemens 6. pont. maximus 265.c
clemens 7. pontif. maximus 272.d
clementis babyloniæ regis ducis res gestæ 214.e
clementis ad iacobum apost. epistola 17 a
cleomathus pugil. 363.a
cleon iouis sacerdos nimia crapula moritur 339.a
cleonis latrocinia & proditiones 338 f
cleopatra ab augusto cæsare uincitur 406 f.
cleopatræ facundia 511 b
clephis longobardorum rex 170 d
clerici ceremoniarum 52 f
clerici soli in concilijs iudicant 17.c.19.a
clericorum scandala 70.f
clides insulæ 376.f.377.a
climata terræ 283 c
clitatus sacerdos 331.b
climax mons 371.b
clodomiris à bothimaro fugatus occiditur 161.f
clodoueus crinitus franciæ rex 433 b.c
clodoueus francorum rex christi religionem recipit 433.c
clodoueus francorum rex cur factus christianus 434.d
clodoueus à francis baptizatur 157.a
clodouei in alemannos expeditio 156.f
clodouei franciæ regis in alemannia & aquitania res gestæ 434.d
clodouei aduersus gundobaldum bellum 156 f
clodouei francorum regis cũ syagrio bellum 434 d
clodouei regis de S. martino dicterium. 434.d
clotarij francorum regis in fratrem crudelitas 175 b
clotarius metensium rex 170.e
clugia ci.273.a.capta ab auria eod.
clugia à genuensibus capta 274 e
clugia à uenetis expugnatur 274.d
clugia depopulatur 198.d
clugium op. à liuthprando captum 184.e
coaphus thaboritarum contra prutenos dux 120.e
coburca op. 424 f
codoocus longobardorum rex rugilandiam occupat 156 d
cœna domini 670 a 672.a
coitus nihil aliud nisi morb. comitialis 891.b
cadme op. 357 c
codrini in patriam pietas 31 b
colchidis regionis descriptio 301.c
colchorum laus 302 d
colchorum cum ægyptijs cognatio unde 302.d
colle op. à senensibus obsessum 248.f
collensium agri depopulantur 259.c
colonia agrippina obsessa 232.f
colonia ab henrico occupatur imperatore 215.b
colonia à francis occupatur 433. uide agrippinam.
coloniensis episcopus fautor Basiliensis concilij 3 a
colophon ciuitas & eius descriptio 360.f
colophoniorum primordia 356 f
colossus castellum 377.b
colossi oppidum 381.a
colossum op. à saracenis demolitum 177. b
colucius florentinorum cancellarius 454 f
columna op captum 254.f
columna in aëre diuinitus suspensa. 301.b
comacina insula ab arithpertoo depopulatur 180 c
comaclum op. captum 189 a
comaclum captum ueneti incendunt 200,d
comagona 318.d
comana ci. 326. f. & 331.b. & 331 a.
comanus 327.b
comæ urbis descriptio 331.c
comedus mons 288.c
comenses à burgundis grauiter uexantur 156.e
comenses mediolanensis imperio se committunt. 447.b
cometa apparet 768.& 785 a
comissena regio 308 e
comitauia ci. à lischa capta. 111.a
communio sub utraque specie 121.b
cõmunio sub utraque specie 672.c.673.a.& 676.d
communionis sub utraq; speciæ uera institutio 104.e
complexio 1015.a
coinum à frãcisco Sfortia in deditionem acceptum 449 b
cummundi lepidarum regis res gestæ 161 b
commutatio 1015 c
conapseni pop. 296 e
concha ciuitas mari submersa 188.d
confluentia à sabaudiæ duce occupatur 447.b
concensis episcopus castellæ regis orator 33. d
concensis episcopi in concilio protestatio. 42.d
concensis episcopi in concilio Basi. conquestio 33.d
concilium apostolorum 20.d
concilium non tantum papæ sed

ſed epiſcoporum etiam omnium ſententiā poteſt reſcindere 14.f.& 15.a
concilium an papam degradare poſsit 15.c. & 17. a & b
concilium an pontificijs artibus reuera diſolui poſsit 21.a
concilium, inuito papa, ſi maior pars prælatorum conſentiat, indici poteſt 20.c
concilium generale an immediate poteſtatē habeat à Deo cuncta ſtatuendi 22.d
concilium generale an ſit ſupra papam 7.c
concilium ſupra papam 6.d &7.a
concilium cur ſupra papam 10.f
ad concilium non ſoli epiſcopi uocandi 27.c
concilium uniuerſale eccleſiam repręſentat 13.b
concilium iuri poſitiuo non ſubiectum 6.e
concilium deponit pontificē 18.f
conſilij concluſio non epiſcoporum ſed cōcilij fuit nomine approbata 42.f
concilij Baſil. electores 49.a triumuiri ibid.
concilij generalis autoritate omnia ſubijcienda 22.d
concilio conuocato papa incipit ſuperiorem habere, & ceſſat in eo plenitudo poteſtatis 19.a
concilio generali papa ſubijcitur 6.d
concilio generali omnia cōpetunt quæ eccleſię 12.e
in concilio non patrum dignitas, ſed ratio ueritatis ſpectanda 27.b
concilia generalia quam ob cauſam inſtituta 15.c
concilia quomodo auſpicanda 19.b
cōcilia cur à clericis tantum generantur eiectis laicis 17.c
concilia à pontifice indicenda & finienda ſunt 19.c
concilia quorum impulſu & conſenſu congreganda 20.d
ad concilia congregāda tempore magni cōſtantini & aliorum cæſarum non quæſitus eſt papæ conſenſus 20.d
concilia non ſtant caduntq́ue papę iudicio ſed eccleſiæ 21.a
concilia non principatuum, ſed eccleſiæ nomine congreganda 42.c
concilia quare congreganda 80.d
concilia multa magnis impēſis fruſtra conuocata & celebrata 67.c
conciliorum titulus 13.b
conciliorum tria genera 24.d
in cōcilijs generalibus ardua tantum negotia tractanda 15.b
in concilijs ſemper aucta eccleſiæ Ro poteſtas 71.b.c
conclauis in quo baſileæ pontifex creatus eſt deſcriptio 55.a
concluſiones theologorum in concilio Baſ. 4.f.5 a
concluſionū præcepta 1033.b
concordiæ commendatio 558.e.& f
conduplicatio 1015.c
confirmationis & confutationis præcepta 1027.c. & 1031.b
conimitium op.421.c. oppugnatur à polonis. ibid.
coniugium ſeruitutis ſpecies 258.c
coniunctio 1015.c
coniunctionum in oratione uſus 1010.f
conon pontifex, max. 179.c
conon à militibus ſuis interficitur 165.c
conradini pietas. 134.e
cōradus abbas de luzella 51.c
conradus 21. bohemiæ dux 96.f
conradus 28. bohemiæ dux 90.a
conradus marchio ferrarienſis rex hieroſol. 228.f
conradi imperatoris in terrā ſanctam expeditio 336.e
conradus monteferrarienſis 229 b
conradi montis ferrati comitis res geſtæ 227.b.& mors 229.b
conradus rauſes erneſtum & albertum ſaxonię principis furtiue rapit 424.f
conradus ſueuus Rom. imp. 203.b.& eius contra turcas res geſtæ 219.c
conradus de uuinſperg camerarius imperij 62.d
conradus uuinſpergenſis baro, concilij Baſilienſis protector. & eius pietas 43.b.c
conſentia brutiorum ciui ui capta & direpta a gothis 147.a
conſentia ci.a ſaracenis capta & incenſa 201.a
conſtantienſe concilium cur & quomodo celebratum 105 a
conſtantienſe concilium conſenſu ioannis pontificis congregatum 20.c
conſtātienſe concilium non minoris autoritatis quām nicenum 13.c.& 14.d
conſtantienſis concilij decreta 5.b 30.f
in conſtantienſi concilio quare pontifices degradati 80.d
conſtantius in balneo interficitur 178.f
conſtantius à gerontio occiditur 148.e

conſtan-

constantij Cæsaris facta 148.c
constantij res gestę 177.a.& b. & 178.d
constantij contra alanos res gestæ 149 a. mors eod.b
constantij contra persas res gestæ 312.d
constantinopolis triangularis 40.b
constantinopolis op.337.c. & 394.d
constantinopolis imperat. Rom.sedes 144.d
constantinopolis incendio deformatur. 157.b
constantinopolis à mahumete obsessa 401.a
constantinopolis op. à saracenis obsessum 184.d
constantinopolis à normannis uexatur 197.b
constantinopolis à Rogerio incenditur. 220.c
constantinopolis à turcis expugnatur 137.b.& 40.b. 402.d.& 460.d.& 679.a.& 680.e.& 704.d
constantinopolis à uesogothis obsessa 145.c
constantinopolis expugnatur 231.c & 232.d
constantinopolis sæpe capta 681 a. uide byzantium.
constantinopolitana clades 678.f
constantinopolitana clades 692.f.& 710.f
constantinopolitana pestis 184.d
constantinopolitana schola 705.a
cõstantinopolitana synodus 19.b.& 179.a.& 180.e.& 197.b.& c.& 394.d
constantinopolitanæ urbis ædificatio 681.a
constantinopolitanæ urbis descriptio 678.f. & 679.a
constantinopolitanæ urbis laus 704.d.& e
constantinus puer orientale obtinet imperium 198.c
constantinus imp. 176.f
constantinus imperator constantinop. 201.a
constantinus ciochysis imperator constantinop. 204.e
constantinus imperator idolatriæ detestatur 188.e
constantinus græcorum imperator crudeliter à turcis tractatur 680.e
constantinus.6.Imper.ob crudelitatem à matre in carcerem coniectus excæcatur 191.b
constantinus ad lateranense patriarchium promouetur 188.f
constantinus in concilio lateranens.damnatur Ro.188.f
constantinus papa 182.d
constantinus tyrannus interficitur 148.e
constantinus tyrannus apud Arelatum interficitur 150.e
constantinos Romanam ecclesiam multis ornat beneficijs 60.b
constantinus Romam spoliat 178.d
constantinus Rhegiæ episcopus decollatur. 188.e
constantini cæsaris res gestæ 877.b
constantini cæsaris contra alanos res gestæ 149.b
constantini cæsaris contra gothos res gestæ 145.b
constantini cæsaris in peloponeso res gestæ 405.c
constantini imp pietas 185.c
constantini imp. de burgaris triumphus 190.f.mors eod.
cõstantini imperatoris somnium 594.d
constantini.6. imp. crudelitas ac libido 191 a
constantini classis in bulgaros parata procellis submergitur 189.b
constantini in fratres impietas 178 f. cum saracenis res gestæ ibid.
constantini magni mors 338.d
constantini magni mors 348.d
contentio 1015.a
contrarium 1015.b
consules Romæ quando cessarint 169.c
conuersationis quotidianæ præcepta. 974.b
conuersio 1015.a
coorum urbis descriptio 364.f
coracesium 372.d
coralis lacus 336.e
coramani imperium 376.d
coranda 82.d
corarius mons 361.a
coraxes flu. 301.c
corbana persarum regis militiæ princeps 212.e
corbeus 336.d
corbuli res gestæ 321. b.& 322.e
corbulo magnifica de se cæsari scribit. 322.e
corbulonis cum peto colloquium 322.f
corcira insu. à gothis direpta 166.f
cordica mons. 317.b
corea regio 317.e
coricus mons 361.b
corinthus colonia nobilis 405.b
coriphanitis lucus 350.f
corma 309.a
cornelius fuscus 144.f
cornelij forum ædificatur 170.d
cornelij forum à narsete obsessum 168 d. solo æquatum eodem.
cornelij forum op. à gothis restauratur 168.d
coros mons 286.d
correctio 1915.e
corregia depopulatur 243.b

corsica à Mauris depopulatur 193.a. & à Saracenis eod.b
corsica à Saracenis occupatur 194.d
corsorum apud Roma. familia potentissima 214.f
cortona ciui.de diocœsi Aretina separatur 262.d
cortoniensiũ agri à ferdinando depopulatur 454.d
coruorum cum falconibus certamen 451.b & c
corycæi latrones 361.b
coricum antrum 374.d
coricus littus 371.b mons 373.c
corzena regio 318.c
cosdroas zeliorbem Hunorum regem confodit 161.b
cosdroe res gestæ 174.b & f & 175.a
cosdroe tyranni res gestæ 312.f
cosiæ sylua 182.c
coska procopium in strage interfecit 120.c
cosmi medici florentini laus 454.c
cossei pop. 315.c & 316.d
cotharena regio 317.c
cotilus collis 348.f
coum promontorium 364.f
coziæ op. 136.f
cracouia obsidione cingitur 101.a
cracouia à meschone principe bohemorum duci erepta 93.a
cracouia capta & funditus euersa 94.e
cracouiæ ciuitatis descriptio 415.c
cracouiensis antistitis commendatio 590.d
cragus mons 285.b & 371.a
crambusa ci. 371.b
crambusa ins. 373.c
cramburgensiũ agri ab Alberto depopulantur 479.b
crangus fl. 373.b
crapulæ incensæ 272.f
P. Crassi contra Aristonicum res gestæ & mors 362.f
crassi contra Parthos res gestæ 310.f & 311.a
crates grammaticus 375.b
crema op. 243.c
cremma ci.capta 336.f.ab Henrico Cæsare obsessa 221.c à Venetis capta 447.b
cremona bello misere ab Henrico cæs.uexatur 222.d.expugnatur 259.a
cremona ci.ab Agilulpho obsessa 174. d.sola æquata. eod.
cremonẽses gibellinos ui urbe expellunt. 258.f.ab Henrico imp.debellantur.258.f
creophylus famius 358.f
crescentius numetanus ambit imperium 202.d
crescentij numetani apud Rom.res gestæ 202.d
crescentij castellum 202.e
crescentij castrum demolitũ 208.e & mors 202.e
cressus op 354.a
creta insula alexio reddita 231.c
creta ins.bello à Maleæ comite uexatur 233.a
creta insula à saracenis occupatur 197.b.à saracenorum crudelitate liberatur 201.c
creta uenetis rebellis 233.b
creta à uenetis in colonię formam redacta 233.b
cretense uinum bohemis acceptissimum 83.c
cretum op. 508.c
crimoaldus francorum rex 434.c
crispoius britanum dux 196.f
croatia reg. 408.d
croatia mulier australis à turcis capta 407.c & 408.d
crocauia bohemiæ arx quando ædificata. 85.a
croci secundi bohemorum regis imperium placatissimum 85.a
crœsus gentiũ dominus 323.c
crœsi diuitiæ 343.a
crommyum pomont. 373.b
crommyum promont 376.f
crõmyũ promontoriũ 773.c
cronina uicus. 333.c
crctona ci. 277.b
crotoniensium cum Aretinis bellum 242.c
crudelitatis memorabile exẽplum 89.b
crudelitatis exemplum 90.d
crudelitas impiorũ erga christianos ueros 105.a
crudelitatis memorabile exẽplum 313.c
crystalli in capadocia copia 328.e
ctesias historicus 368.d
cucurbitæ stupendæ magnitudinis 377.b
cumades persa. 166.f
cumæ op. descriptio 352.b
cumæ primordia 344.f & 354.d
cumæ à narcete obsessæ 168.d & à longobardis occupatæ 183.b
cumarum rudera 484.d
cumanorum porticus 353.b
cumanorum ritus & mores 352.b
cumitus anglorum rex 203.c
cunctatio in rebus fudei ac religionis perniciosissima 30.e
cunigundæ bohemiæ reginæ ad othacarum maritum oratio obiurgatoria. 98.d, e
cuniperti longobardorum regis mors 179.c
cunispergium op. ædificatur 97.c
cupidinis descriptio 870.d
cupidinis triumphus 871.a
curialium miseriæ 721.722.
curias mons 377.a
curiam op. 377.a
curmenũs ducis cum S. uenceslao prælium. 91.c
cursius donatus à florentinis interficitur 257.c

cur

curtij Romani in patriam pie tas 31.b
cutha ci. occupatur 125.b
cuthna ciuitas 83.a
cuthna Antichristi crumena 111.c
cuthna ci. à Pragensibus capta 111. b & restaurata iterū à Zischa expugnatur 113.b
cuthnenses à Sigismūdo debellantur 111.c
cybelia uicus 361.c
cybotus 336.f
cyclopes 348.a
cyclopica uita 297.a
cydnus fl. 373.f & 375.a
cyeni in filiū crudelitas 349.c
cymbricus uicus 304.d
cynicum op. 339.b
cynossena 367.c
cyprus fl. 296.f
cyprus insula & eius descriptio 376.e.f
cyprus insula diu sub Græcorum imperio 387.c
cyprus insula cur ueneri sacra 377.c
cyprus insula à ricardo anglo rege capta 378.d. genuensibus tributaria facta 378.e. à turcis capta 378.e
cyprus ins. in græcorum potestatem redacta 378.f
cyprus insula quo iure sub soldani potestate 381.b
cyprus insula à Romanis occupata. 377.c
cyra ciuitas 292.d
cyrillus S. methodij frater 91.a
cyrillus Romæ impetrat, ut sclauorum lingua, eius gentis hominibus rem diuinā facere possit 91.a
cyrocondama ci. 304.e
cyri campus 363.c
cyrus flu. 294.e. & 296.c. & 295.f. & 300.d.e. & 314.d. & 317.b. & 318.e
cyrus persarum rex agriculturæ studiosus 503.b
cyrus persarum rex, medorū regū ad persas transfert 317.a
cyri persarum regis res gestæ 292.d & e
cyri persarum regis contra sacas stratagema 288.f
cytoras op. 330.d
cytorum op. sinopēsium emporium 333.c
cyzicum op. 341.a
cyzicus insula 344.e
cyziconorum res gestæ 344.e

D

Dacia regio 388.d
dacia 419.b & 426.e
dagistei ducis res gestæ. 168.e
dagobertus francorum rex 182.e
dagoberti francorum regis res gestæ 182.e
dahæ pop. 310.d
dalmatæ pop. 388.d
Dalmatia ab othone depopulatur 201.c
dalmatia à saracenis uastatur 197.c
dalmatia à sclauinis occupata 173.b
dalmatiæ descriptio 407.c
damanetica reg. 334.f
damasceni obsidione cinguntur 220.e
damascus opp. à saracenis captum 176.e
damascum tamerlanes expugnat 395.c
damasci urbis descriptio 220.e
damasci op. expugnatio 313.b
damasus cur bonosij episcopi causam tractare noluerit 14.f
damasi ad iudices capuanę synodi epistola 14.f
damasi de conciliorum autoritate sententia 14.e
damiata ægypti ciuitas 234.e capta eod. & f
damiata ciuitas recuperatur à turcis 235.a
danala 335.c
dandariorum regis res gestæ 306.f
danduli uenetorū ducis res gestæ 231.b. & 232.e
daniæ descriptio 425.c
dani Romano imperio subiecti 193.b
dani ad internitionem deleti 393.a
danorum marchia 426.e
danorum cum salanio conflictus 194.f
daniel francorum rex 182.e
dantes poēta 256.d
danubij inundatio 593.c
daphita grammaticus crucifigitur 363.a
dardani pop. 382.d
dardaniæ descriptio 346.f
dardaniæ urbis primordia 347.a
dardanorū duo principatus 356.e
dardanium promontorium 346.e
dardanum op. 346.e
daritis 314.d
dascyliticus lacus 339.a
dascylium op. 339.a
datiui casus usus 599.a
daua flu. 288.d. & e.
daui pop. 422.e
dauid rex uerus fuit poēta 596.f
daximonetica fœlix 329.c
decij pannoniensis contra gothos res gestæ 145.a
decimarum legitimus usus 104.d
decuriones Romæ creantur 200.d
dædala loca 368.e
dædali fabula explicatur 605.c
dæmonum cum sanctis patribus conflictus 35.c
deghi res gestæ 260.f
degi res restæ 258.d
deiotarus philadelphus paphlagoniæ rex 334.f
deiotari in suos crudelitas 336.d
delphinus alsatiam depopula-

latur & helueccios debellat 573.b.&c
delphinus eugenij instinctu Basiliensium agros depopulatur. 64.d
delphini franciæ regis primo geniti mors 101.b.&c.
delphini cum principe sabaudiæ bellum. 101.b
demetrius grammaticus 352.d
demetrius mathematicus insignis 330.d
demetrius à totila uincitur 164.d
demosthenes balbuciens, lapillo linguam formauit in melius 975.a
demosthenis ambitio 571.c
dentium ex fœtore morbi 112.e
deorum in numerum qui antiquitus recepti 652.d
deorum 12. aræ 350.c.& 353.a
derbæ ciuitas antipatri regia 336.f
derba ab amyntha capta 336.f
dertusensis episcopi uaticinium 53.b
dertusensis episcopi in concilio Basi. oratio 53.b
desiderius casinensis abbas in papam creatur 208.c
desiderius hetruriæ dux longobardorum regnum affectat 188.d
desiderius traiectensium episcopus è ciuibus eiectus 429.c
desiderij cum gregorio pont. fœdus 188.d
despotus seruiæ in ungariam fugit cum sacerdotibus 126.c
detzelaus archidiaconus cracouiensis 51.c
deucalionis diluuium 355.b
deus cur suos præcipue uarijs plagis uisitet 558.d
diabolus fraude sanctos aggreditur 35.c
diacopena regio 332.d
dianæ astyemæ lucus 350.f.& templum 341.c.& 359.a
dianæ cindialis templum 365.b
dianæ coloene templum 343.b
dianæ ephesiæ templum 359.b.c
dianæ ephesiæ templum in asia à gothis spoliatur atque incensum 145.a
dianæ ephesiæ templum in conditur 359.c
dianæ munychiæ templum 359.b
dianæ pergeæ fanum 372.d
dianæ perasiæ fanum 327.b
dianæ sarpedoniæ fanum 375.c
dianæ tauropolæ festum 326.f
dianæ insula 361.a
diaxis flu. 290.d
didymena ciuitas Romanorum colonia 370.f
diduri pop. 296.d
diefoldia à traiectensib. creatur episcopus 429.c
dies trium horarum 443.c
dieuitz castellum 93.b
dieuizum castrum à mulieribus contra uiros munimentum ædificatum 87.a
diezelai cracouiensis archidiac. luxus 55.c
dietzelai cracouiensis archidiaconi querela 55.c
dilatio in causa religionis perniciosissima 30.
diluuia diuersa 593.c.& 594.d
dindimus 148.d
dindimena 336.d
dindimene matris templum 344.c
dindima mons 336.d.& 344.d.c
dioclecianus agriculturæ studiosissimus 503.b
diodorus dialecticus 365.b
diodorus zonas 343.b
diodori triphonis res gestæ 372.f
diogenis contra gothos res gestæ 165.c
dionysius archiepiscopus strigoniensis 389.c
dionysij ariopagitæ sepultura 478.f
diopolis op. 331.a.& 333.a
dioscuræ regio 302.f
dioscuriadum conuentus 302.f
dipoldo prouincia surimensis ex hæreditate paterna dimittitur 90.e
dirce fontes 404.f
discordia mundi regna omnia dissipantur 558.e
diuitum nequitiæ 640.e
docimitis siue docimeus lapis 341.a
doctorum ridiculosa creatio 599.b
dodonæ oraculum 406.e
dolobella contra trebonium res gestæ 362.e
domitius syluius à uenetis ob rem male gestam ducatu priuatur 208.
dominica ualentis imp. uxor, constantinopolim à ueso gothis obsessam seruauit 146.d
domiciani cæsaris crudelitas 612.f
S. dominicus canonizatur 236.e
dominicanorum ordo confirmatur 234.f
dominici syluij uenetorum ducis res gestæ 207.b
domitia urbs incendio defor matur 208.e
donatus cecilianum episcopum accusat. 14.f
dordracensium perniciosum incendium 431.a
drabonucia multo sanguine ad principatum sibi uiam facit

facit. 91.c
drabonutia socrum strangulari iubet 91.c
drabonutia ob crudelitatem terræ hiatu absorpta 92.e
drabonutiæ uradislai uxoris audacia & scelus 91.b
drago apuliæ dominus eiusq; res gestæ 203.a
drotulæ sueui longobardorũ ducis res gestæ 171.a
drusiana à mortuis resuscitatur 360.e
duringus data mortis optione in alni arbore seipsum suspendit 90.d
duringi nefandum facinus, qui uratislai filium sibi cõmissum interfecit 90.d
durich Athilæ filius à suis interficitur 161.b
dyrrhachium à rogerio obsessum 207 b.c
dyrachium op. expugnatur 234.d e
dirachium op. instauratur 232.e

E

EBoraceusis episcopus argentinæ moritur 47.a
eborini in austrasios licentia 180.d
ebredunensis ager à longobardis depopulatur 170.f
ebrietatis punitæ memorabile exemplum. 288.f
ebrunensis episcopi de eugenio pontifice disputatio 4.d
ecbatana metropolis mediæ 314.e
ecbatana mediæ caput 315.b
eccelini res gestæ 237.b.243.a
eccelini contra tridentinos res gestæ 243.a
eccelini crudelitas 243.b
ecij contra burgundiẽses res gestæ 149.b.150.e.15.b
ecij contra diuersos res gestæ 150.e
ecij cum francis pax 150.f
ecclesia quid 12.e.& f.& 13.a
ecclesia non à principibus sed à deo suam accepit potestatem. 42.f
ecclesia supra christum fundata 10 f.
ecclesia complectitur tam bonos quàm malos 9.c.& 10.d
ecclesia num erret 8.f.9.a
ecclesia non potest errare 9.b
ecclesia uincit cum læditur 10.f
ecclesia uniuersali concilio repræsentatur 13.b
ecclesia uniuersalis non errat 18.f
ecclesia in summis etiam tribulationib. triumphat 45.c
ecclesiæ autoritas 22.d
ecclesiæ caput christus 10.e leges 42.f
ecclesiæ sanctitas & potestas 8.f
ecclesiæ fides intemerata 9.a
ecclesiæ uniuersalis autoritas 11.a.& b
ecclesiæ autoritati qui detrahit hæreticus iudicãdus 11.c
ecclesiæ uniuersalis leges 42.f
pro ecclesiæ salute & incolumitate moriendum 32.d
ecclesiæ uniuersalis clades 712.e
edissa ciuitas 210.e.& 219 c
edissa urbs obsessa à turcis 219.b.capta & direpta eod.
eduardi angliæ regis contra saracenos expeditio 260.d
educatio filiorum diuersa ex educantium diuersis moribus nascitur 91.b
educatio puerorum in quib. consistat 966.f
educationis contemptæ pœna 328.d
egidius francorum rex 433.c
egra ciuitas à ioanne bohemiæ rege recepta 101.a
eizingeri, in conuentu triticiburgensi coram principib. oratio 132.c. item ad ciliæ comitem 134.d
electores consilij Basiliensis 49.a
electorum ad pontificiam dignitatem in concilio Bas. numerus 50.e
electorum Romani imperij origo 202.e
elephãtum multitudo 288.d
eleutherius italiæ exarchus, regem italiæ se declarat 175.a
eleutherij cum longobardis pax 175.a
eleutherij in italia res gestæ 174.f
eloquentiæ & picturæ collatio 646.f
eluidij prisci facta 321.a
emanuel græcorum imperator 219.c
emerita regio à ualentiniano depopulatur 151.a
emodus mons 285. c. & 287.a
endimionis sepulchrum 357.c
engolisma à normannis uastata 19[illegible].f
ennij res gestę 170.f
entius sardinię rex 238.f. & 250.d. à bononiensibus uincitur 240.f
ephesiorum primordia 356.f. 359.b
ephesiorum dictum in hermodorum 360.d
ephesiense concilium sine autoritate sedis apostolicę conuocatum. 19.c
epictetus 335. c.& 337. c. & 338 f
epicurus philosophus 346 d
epiphanius turcinẽsis episcopus 154.f.& 155. a
S. epiphanij miracula 377.b
epirus à gothis uastatur 166.f
epiri descriptio 406.e
epirotarum urbes 70. à paulo æmilio funditus euertuntur 406.e

episcopi pontificij apostolorum successores 18.c
episcopi nascentis ecclesiæ quales 39.d
episcopi à præsbyteris quomodo differant 29.a
episcopi ex tota italia uix duo inuenti sunt ad bonũ ecclesiæ intenti, ex hispania nullus 43.b
episcoporum in primitiua ecclesia penuria 30.d
episcoporum autoritas in cõcilio contempta. 42.f
episcoporum nostri temporis diuitiæ & luxus 30.d.e
equorum in armenia multitudo 319.a
eraclius oriẽtis imperator declaratur 174.f
eraclius ad incantationes se conuertit 176.d
eraclij libido & luxus 175.a
eraclij præclara de persis uictoria 175.c
eraclij cum cosdroa pax ignominiosa 175.b
erdtfordia op. 423.b
eresburgum op. ad amnem luppium edificatur 190.e
ermengarij res gestæ 194.d
ernestus bauariæ dux 438.d
ernestus saxoniæ dux in arce altenburg noctu clam captus & abductus 424.f
eroldus in paternum daniæ regnum reducitur 194.f
eruditionis commendatio 601.c
eruli à longobardis uicti 169.a
erulorum in italia res gestæ 155.b
esaias propheta fuit poëta insignis 596.f
eschines orator 357.b
essedones pop. 287.b
estenses marchiones excommunicantur 264.d
estensium cum cathelanis bellum 260.f
estẽsium principum domus semper doctis amica 451.a
estensium contra ferrarienses bellum 260.f
estoris fauentini res gestæ 454.d & e
ethimologia 979.a
ethruscis leges à carolo bohemiæ rege impositæ 101.c
eucharistia 670.e
eucharistiæ uera institutio 121.b
eucharistiæ uerus usus. 104.e
eudonis uesogothi contra francos res gestæ 183.a
euersi cum ursinorum familia contentio 461.b
eugenius 4. pontifex è ciuib. Romam uocatur 457.c
eugenius pont. maximus irritat ecclesiam 76.e
eugenius deuastator ecclesiæ 29.c
eugenius ecclesiam ut uentus arundinem agitauit 45.c
eugenius initam concordiã principum ante conciliũ, respuit 2.f
eugenius cur à concilio Bas. abhorruerit 71.b
eugenius pontifex à principum oratoribus inimicus ueritatis declaratur 44.f
eugeniana hæresis publicæ examinatur 4.e. prædicatur 35.b
eugeniani. concilij decreta dissipare conantur. 4.d
eugeniani hæreses ubique prædicantur 35.b
euriali franci amores 624.f
euripidis de aleo. & augea tabula 342.d
euripili imperium 342.d
europa 285.a
eumenis thesauri 374.f
eumenidis res gestæ 342.f
eumenium op. 341.a
eupatoria ciuitas 330.f
eupatoris imperium 332.f & 333.a
euphratis fons 317.a. fluuius 284.e. 317.b
eusebia regio 327.b ciuitas 327.e
eutychiana hæresis damnatur 157.c & 158.d
eutichi contra leonem pontificem facta 184.f
examites latro ungariã miserè depopulatur 391.b
exarchatus in italia cessat 188.e
excõmunicationis ratio 13.b

F

FAgiolani res gestæ 260.e
falconum cum coruis prælium 451.c
fames ingens 161.b. 208.e. 213.a. 147.a
famosa arbor 443.c
felix rauenensis archiepiscopus crudeliter tractatur 181.c
feliciana hæresis damnatur 191.a
S. ferinæ cingulum 487.b
feroaldi spoletanorum ducis res gestæ 182.f
ferraria 146.f. 159.a
ferraria à frisco incenditur 257.b
ferraria pontifici Ro. à longobardis restituitur 188.e
ferrariensiun seditio 278.e
ferrariense conciliabulum 5.a
ferrum aqua in cuprum uertitur 712.f
fides quid 21.b
fides basis sola scriptura 21.c
fidei symbolum in sinodo conflatum 39.a
fideles libenter propter ueritatis confessionem moriuntur 32.d
filij cur tantoperè à parentibus diligantur 510.f. & 511.a
filiorum educationem non admittentium horrẽda pœna 328.e

florem

florentinorum cum roberto rege pax 259.c
florentinorum cum uenetis fœdus 501.c
florentinum cōcilium 215.a & 452 f. & 394.c
focas constantinopolitanus patriarcha deponitur 197.b
focas cū gothis congrediens interficitur 164. e. occiditur 174.c
folianum op. captum direptum ac incendio solo æquatum 454.e
fons olei 292.e
forma fugax 609.a
formicæ rubeæ cibus hominum 288.d
formicarum in agro bononiensi mira pugna 451.b
forum cornelij op. 187.c
forum iulij op. igne à cacanno absumptum 174. f. uide iulij forum
foroiulianorum cum clauis certamina 181.a
forolíuium op. à pōtifice obsessum & incendio defor. matum 251.c
foroliuienses exules suos recipiunt 250.d
foroliuiensium contra guidonem fortitudo. 251.c
fortuna plus malis quàm bonis propitia 612.e
fortuna optima rerum omnium dispensatrix 569.c
fortunæ dominium 636.e. & fanum 462. f. inconstantia 761.a. & b. & 391. a. & 601. b templum 345.b
fortunatæ insulæ 355.b
francia orientalis & occidentalis 434. f. & 435.a
franciæ descriptio 433.a limites 434.e
franciæ regum primordia 433. d & c.
francorum origo 433. a. nomen unde natum 333.b
francfordia ad moganum 435.c
francofordia ad oderam 423.a
francfordiensia comitia 2.e
francfordiensium pestis 2.f
francíscanorum monachorū commendatio 960.
franciscus martorellus alphōsi ad senenses legatus 455 b
franciscus petrarcha poëta laureatus 265. c. barbaris eloquentiam restituit 600.d
francisci Sfortiæ laus 463.b 447 b. & 453. c. & 468 d
frācisci Sfortiæ cum uenetis bellum 135. c. 449.b
fratrum diuersa ingenia ex diuersa educatione 91.b
fratrum pulchra de morte contentio 331.b
friderici arragonis res gestæ 255.b
friderici Barbarossæ in armenia res gestæ 326. e. mors ibid.
fridericus brandenburgensis princeps bohemiam depopulatur 112.e
friderici cæsaris laudes 650. f. & 151.a
friderici ciliæ comitis crudelitas & libido 411.a
friderici ciliæ comitis de Romanis apophtegma 411.a
friderici imperatoris dicterium. 484. e. encomium 414.e. sobrietas 479.a
fridericus marchio brandeburgensis regnum recusat 416. f. & 484.d
fridericus palatinus excommunicatur 858.f
friderici palatini præclara de tribus principibus uictoria 855.b
frisia 428. a. uide phrisiam
frugalitatis commendatio. 513.b
fuluij cum capuanis crudelitas 355.a
fuldensis monasterij primordia 429
furti pœna 410.e
furti pœna apud Scythas. 306.d

G

GAbrini cremonensis crudelitas 612.f
galatia 325. b. 335.a
galatij res gestæ 278.e
galileæ principatus 226 f
galli apud alexandriam profligantur 447 c. capitolium obsident, & urbem capiunt. 30.e
gallorum antiquitas 509 c. ambitio 507.a
gallorum sacrilegia ultione diuina punita 335.b
gallici nominis terror 335.a
gallinæ lac 358 e
gattus uiterbiensium princeps apud locum uicensem obtruncatur 457 b
gaudentij facta 149.b
gaufredi contra turcos res gestæ 228.e
genitiui casus usus 999 b
genua ciuitas 181 b
genua à gibellinis obsessa 261 b
genua ciuitas à saracenis capta 199.b
genuensis archiepiscopatus primordia 219.a
gensericus Romanum inuadit imperium 154 e
geometriæ utilitas 990.d
S. georgij societas 278.f
germanorum laus 685. b & c. fortitudo 32.f
germanorum ueterum ritus mores, ac studia 84.e
germanorum contra turcos res gestæ 392. e. uide teutones
germanis quando ius imperatorem eligendi datum 202.e
germanici cęs. de parthis triumphum 311.c
glorię cupiditatis memorabile exemplum 1:8 f
glossę singu. reprehensio 6.e

glycerius Imperator Ro. con stituitur 155.a
gordena regio 317.c
gordiani imp. cōtra parthos res gestæ 311.c
gothofredus hierosolymorū rex coronam respuit. 214.d
gothfredi danorum regis cō tra frisones bellum 193.b
gothfredi danorum regis res gestæ 192.f
gothi suorum regum assidui interfectores 163.b
gothi ex italia fugantur 144.c
gothi cruento prælio à clau dio imp. uincuntur 145 b
gothi pecorum more uen duntur 145.f
gothorum mulieres habitu uirili indutæ contra aure lianum pugnant 145.b
gothorum in germania res gestæ 426. c. in italiam ir ruptiones 144 f
gradatio 1015.b
gradensis ecclesia primatum super multos ducatos ade pta 222.c
gradus ineruditis hominib. conferuntur 599.f
grammaticæ commendatio, & eius partes 976.d & c
gratiani cum uesogothis pax 146.d. mors ibid.
gratitudinis commendatio 587.a
grecanica ecclesia Romanæ subiecta 231.b
græcia doctrinarū omniū ma ter 386 c
græciæ laus 929.c
græciæ nomen unde 404.f
græci ab othone iuniore uin cuntur 201.b
gregorius gordiani filius mo nasteria in Sicilia ædificat 170.f
gregorius montelongus 243. c. & 238. c. eius res gestæ 243.c
gregorius 2. pont. concilium congregat 185.a
gregorius 7 pont. max. 206. d. dum missam celebrat ca ptiuus abducitur ibid.
gregorij pontificis præclara facta 172. e. & 173 b
S. gregorij pont. max. mors 174.d
gregorij brixensis episcopi mors 539.a
gregorij hanniburgensis iu e consulti de morosa uxore dicterium 486.d
gregorius uicensis episco pus 52. d. & eius constan tia & integritas ibid
grezonislaus 8. bohemorum dux 89. a. Neclam dictus ibid.
grimoaldus pipini filius oc ciditur 182.e
grimoaldi beneuentani du cis res gestæ 177. c. & mors 178.c
grisea secta 3.c
gryphes auri custodes 289.c
guarini ueronensis laus 451.a
guelphorū & gibellinorum factiones 101.c
guelphorum gibellinorūq; factionum origo 238.f
guibertus archiepiscopus Ra uen. fit pontifex 207.c
guido bonatus astrologus 251.c
guido cremonensis antipa pa 221.c
guido petramala gibellinorū dux 261. b. & eius res gestæ eod.
guido dux spoletinus 197. c. cum Berengario pugnat imp eod.
guidonis saracenorū ducis res gestæ 199.a
guidonis de appia gallici cum foroliuiensibus bel lum 251.c
guilbertus excommunicatur 206 c
guilhelmus austriæ dux 591.a
guilhelmus gallicus achaiæ & bithyniæ princeps 246 c
guilelmus calabriæ dux 213.f
guilelmus grisant abbas in pontificem eligitur 270.d
guilielmus hugonis archidia conus metensis 51.c
guilielmus saxoniæ dux bo hemiæ regnum ambit 143.b
guilielmi saxoniæ ducis cum friderico fratre con tentio 424.e
guilelmus siciliæ rex apu liam depopulatur 221.b
guilelmus siciliæ rex à ponti fice excommunicatur 221.a
guiscardi res gestæ 205 b
gypsum farinæ immixtum, est causa mortis 336.c

H

HAlaricus cum uesogo this italiam depopu latur 146.f
halberstadium op. 423.
halberstadiensium consuetu do quadragesimalis 423 c
halæ ciuitates germaniæ à sa lis coctione dictæ 332.d
hanibal sciuit uincere, uicto ria autem uti nesciuit 30.e
hanibalis bentiuoli seditio sum facinus 452.d
hebræorum antiquitas 84 b
hebræorum religio 146.f. & 147.a
hectoris fortitudo 248.d
hectoris lucus 346.f
helone cypri reginæ facinora 378.f
heluetiorum cum delphino prope Basileam pugna 574 d
henricus tertius à filio debel latur 215.b. & excommuni catur 206 .f. reconciliatur difficulter ecclesiæ eod.
henrici roscensis fortitudo militaris 131.c. & res gestæ 412.f
henrici bauariæ ducis res ge stæ 199.c
henrici primi imperatoris Ro. castitas 203.a

henri

henrici 4. imperat. res gestæ fol. 207.c
henrici 7. imperat. Rom. res gestæ 200.e
heptacometæ pop. super arboribus & turribus habitant 330.e
heraclea ciuitas 309.a. à Christianis capta 210.e
heraclia op. 357.c. à Missesijs ædificatur 335.a. depopulatur 193.a
heraclius patriarcha Hierosolymitanus 226.e
heraclius hæresi inficitur fol 144.f
heraclij imper. cum Cosdroa bellum 312.f. de Persis triumphus 144.e
heracliani res gestæ 148.f
heracliæ ciu. descriptio 333.b
heraclides Mus 361.c
heraclides Platonicus philosophus 333.b
heraclitus Scotinus 360.d
heraldorum officium 653 b
heraldorum nomen atq; offitium unde exortum 652.d
herbipolis ciuitas 435.b
hercinia sylua 82.f
hercules cur à Dardanis non ueneratus 346.f
herculis à mulieribus deceptus 627.b
herculis in Asia imperium 382. e. in India res gestæ fol. 652.f
herculis monstrorum domitoris facta 653.a cum Amazonibus bellũ 298.e & 299.a. somnium 502.d
herculanum promontorium fol. 330.d
henricus est qui aliter scripturam interpretatur, quã spiritus s. sit opinio 22.f.
heretici fugiendi 360.e
heretici iudicandi qui conciliorum decreta respuãt 22.e
heregorgo op. 339.b
heria insula à Normannis deuastata 196.f
herix mens 531.c
herlinus 212.f
hermagoras orator 353.c
hermannns Aspel 588.d
hermengildus Vesogothorũ regis filius ob fidem catholicã à patre iugulatur 161.c
hermeniorũ res gestæ 373.a
hermi campus 343.a
hermias eunuchus 352.e
hermocreontis statuarij mirabile opus. 345.b
hermodorus 360.d
hermonasta ci. 304.f. & 330.d
hermus fluuius 343.a.& b.& 353.c.& 354 d.& 357.a
herpa 328.d. & 327.a
herodes Parthorũ rex 310.f
herodis 39. filij 311.a
herodis Parthorum res gestæ 310.d
heroes unde nominati 652.e
heroum præmia & priuilegia 653.c.& 154.d
herostratus Dianæ Ephesiæ tẽplum incendit 359.c
hesiodus poeta 353.b
hesperidum horti 518.f
hetruria à Saracenia depopulata 199.b
hetruscorum fluuium tenuitas. 1.c
hibernia Romanę ecclesiæ feudataria facta 233.c
hibernicum bellum 224 d
hiera promontorium 371.b
hierapolis op. 364.d
hierbidonum gens 296.d
hieremias poeta fuit insignis fol. 596.f
hierocepia ciuitas 377.a
hieronymus Pragẽsis eremita 417.c
hieronymi Bohemi in concilio Cõstantiensi constantia 105.b & c
d. hieronymi de poetarum lectione censura 842.f. & 943 a
hieronymi Pragensis de Lituanis admiranda narratio 418.d
hieronymi ad Nepotianum de clericorũ uita dicterium fol. 42.f
hierosolyma à Saladino oppugnatur 227.c
hierosolyma à Christianis obsessa 213.c capta 214.d
hierosolyma à Cosdroa tyranno occupatur 312.f
hierosolyma capta 211.a
hierosolyma à Saracenis capta 176.e item à Turcis capta 203.a
hierosolymę descriptio elegans 213.c
hierosolomytanum regnum à Saladino depopulatur. fol. 226.e
hilarius papa sua decreta per Synodum uult approbari fol. 14.f
hildebrandus Spoleti dux fol. 189.c. & eius cõtra Græcos res gestæ 191.a
hildebrandini cum Senensibus bellum 455.c
hildericus dux spoletanus fol. 185.a
hildericus francorũ rex 433.c Coloniam Agrippinam expugnat 433.c
hildocho Longobardorum rex 169.a
hippicus mons 303.b
hippici montes 296.d
hippocrates medicus 365.a
hippoboton paratum 315.a
hippolytus 298.f
hippus op. 300.d
hippus fluuius 300.c.& 301.c.& 333.a
hircanus mare 283 b
hirenes imperatrix 190.f Cõstantinum imp filium captum oculis spoliat 191 b
hirprandus rex 186.d
hismealitis Sinopensium dominij res gestæ 332.e
hispania à Childeberto depopulatur 160 f.& 161.a
hispania citerior à Frãcis subacta 190.e

hiſpania tarraconenſis à ueſogothis ſubacta 151.c
hiſpaniæ deſcriptio 444.d
laus 492
hiſpanienſe bellum 311.b
hiſtopolis 330.d
hiſtoriæ laus 981.b & 282.d
hiſtria ab Hūnis uaſtata 172.f
hiſtoria à Sclauinis occupata fol. 173.b
hiſtrionum collegium 361.a
hollandia 431.a
holandiæ deſcriptio 429.b
holmus op. 373.b
homerei nummi 362
homerus Aſiaticus 386.d
homeri laus 596.c
homeri patria 353.b.& 362.d. & præceptores & eruditio 359.a
homeri de terra opinio 282.f
homeri apud Smyrneos ſtatua 362.c
homeuoius britonum dux fol. 196.f
homo non ſibi ſolum naſcitur 562.d
hominum diuerſa ſtudia fol. 593.a
hominū tria poſt diluuium genera 348.d
homines maleficio redempti ad metallorū effoſsionem miſsi 332.d
homonades fluuius 372.f
honela fluuius 423.a
honoria Valentiniani imperatoris ſoror Athilæ regis nuptias ambit 153.b
honoriaci 148.d
honorius 4. Pontifex Max. fol. 252.c
honorij res geſtæ 148.c
honorij Cæſ. mors 149.c
horatius Romanus Iliadem Homeri heroico carmine tranſtulit 459.b
horta ciuitas à Romanis recuperata. 172.d
hortanum oppidum à Rom. captum 199.a
hoſpicij uiolati memorabile exemplum 93.a
hoſtes quibus medijs reconciliandi 591.a
hudo fluuius 296.c
hugo Gerardi 52.f
hugo Luſignanes Cypri rex fol. 270.d
hugo Metenſis archidiaconus proceſſū aduerſus Eugeniū publice refert 3.b
hugo Senenſis medicus inſignis 450.f
hugonis magni contra Turcas res geſtæ 209.c
huia caſtellum & emporium fol. 335.c
huldricus uide ulricus
humagum à Venetis captum 222.e & incenſum 272.f
humanę uitæ fragilitas 81.a
humilitas ſoror nobilitatis fol. 33.b
hungaria non longè ab ortu tanais 388.d à Biſetislao depopulatur 54.e
hungaria tota in Huniadis poteſtate 136.e
hungaria ab Amurate depopulatur 397.a
hungaria à Romanis ſubacta fol. 388.d
hungaria à Turcis depopulatur 137.b.&c. & 403.a
hungariæ deſcriptio 387.c
hungariæ corona ſacra, à regina clam ſubtracta 389.a
hungariæ imperiumq; latum fol 387.c.& 388.d
hungari à ſcythis orti 307.c
hungari ladiſlai imperium recuſant 129.b
hungari Romanorum leges & iura contemnunt 95.a
hungaris teutonicum nomē exoſum 388.f
hungarorum præclara de turcis uictoria 397.b
huguitius fagiolanus 256.d & 257.c & 259.c. & eius res geſtæ 260.d
huniades Hungariā uniuerſam in ſua habet poteſtate fol. 136.e. Vide Ioanni Huniad.
huniadis filij capiūtur 140.d
huni Auares ſe nuncupant fol. 161.b
hunni à Carolo Francorum rege ſubacti 191.a
hunni à Francis deficiunt fol. 191.b
hunni germaniā & galliā depopulantur 197.e
huni Italiam inuadunt 149.c Oſtrogothos ſuo ſubijciūt imperio 145.b. Veſogothos è ſuis ſedibus expellunt 145.c
hunnorum deſcriptio 149.c ferocitas 307.a ritus & mores 145.b. irruptiones 144.d. & 197.c
hunnorum in africa res geſtæ fol. 151.b
huſpedia ciuitas 306.f
huſsitæ templa in Bohemia pontificiorū deijciūt 106.d ſacerdotis domum diripiunt 107.a. conſules è prætorij feneſtris in forum præcipitant. ibid.
huſsitarum fides religio & articuli 102.f & 103.a & b.c
huſsitarum religione Bohemia labefactatur 82.d
huſsitarum articuli 67.b. hæreſes ibid.
hybernia 443.c
hybreas Rhetor 365.c
hydaſpes fluuius 315.c
hyla à nymphis captus abducitur 338.e
hyla feſta Pruſienſium 338.c
hylas fluuius 343.a
hymeri Scythæ res geſtę 310.f
hypanis 304.c
hyrcania regio 292.d
hyrcaniæ deſcriptio 293.b.& c & ei⁹ mira fertilitas 293.b
hyrcanium mare 294.d. eius magnitudo ibid.e

I

Iacobellus 82.d
iacobellus Miſnenſis 104.e

iaco-

iacobinus bossius Mediolani obtruncatur 448.e
iacobus appianus 278.e
iacobus Appianus Plumbinẽsium princeps 456.e
iacobus Auennius 229.c
iacobus Archiepiscopus Treuerensis 483 b
iacobus Gaballus Veronensis 274.f
iacobus caluus 744 d
iacobus capotius 237.c
iacobus Carazolus 276.d
iacobus Caynanus 464. e decollatur ibidem.
iacob. episcopus Ferretanus rubeo galero à põtifice donatur 461.c
iacobus de Ladrona 695.a
iacobus Marchio Badensis fol. 438.f
iacobus marchianus minorita Budensibus Euãgelium pdicat 389.a
iacobus Nicosiensis episcopatus 379.a
iacobus Picininus 449.a. Senensium castella expugnat fol. 455.c
iacobus scotiæ rex 443.c
iacobus de secusia 51.a
iacobus teupolus Cretæ dux fol. 233 b
iacobus uermes. 277.& 278.
iacobi caudola facta 338 f
iacobi Cypri regis iuramentum impium & horrẽdum 330.f. ad Soldanũ prorestitutione sua oratio 379.c
iacobi Piccinini Venetorum ducis res gestę 455.c
iacobi de Portugalia Cardinalis laus 461.a
iacobi Saltzburgensi constantia in concilio Bas. 51.c
iacobutij Candolę pro Isabella regina bellum 466.f
iadera ci. 408.d. ab Hunnis direpta 153.a & à ladislao capta 280. f. à Venetis debellata 231 b
iambrasus fluuius. 358.d
ianotus Salernitanus 275.c
iantescus Petramala 277.c
d. ianuarij sanguinis miracula 483 c
ianus Cypri rex Turcis tributarius factus 378.e
iapides pop. 409.b
iaronurus Bisetislai ex Iura filius 94.e. ex poloniæ militia reuocatus Bohemiæ fuit episcopus 95.c. ordinatur regem exors 95.b
iasonia 297.c
iasonis in colchos nauigatio fol. 297.c
iasonium 330.d
iassus insula 365.b
iaxamatæ 256.d
iaxartes fl. 290. d & 291.a & b
iberia Romano imperio subiecta 301.a
iberiæ reg. descriptio 300 d f
iberiæ rex ipse Euãgelium suis predicat 301 b
ibnalach Saracenorum in Hispania rex 190 e
icariæ insulæ descriptio 359.a
icari Dædali filij fabula 359.a & 605.c
icarium mare 359 a
iconium op. 336.e
iconium op. à Christianis captum 210. e
ida ciuitas 350.d
idę montis descriptio 345.a & 347.b. & 348.f.
idæus sinus 350.e
idoaldus Longobardorum rex 175.a
idreus Carię rex 164.e
ieiunia Turcarum 900. d
iethu Longobardorum rex fol. 169 a
iglaria ciuitas 83.b & 121.a
iglariæ concilium congregatur 121.a
ignis in Argeo fossę 337.c
ildebrandus monachus 204. d exarchidiacono fit Pontifex 206 d
ildebrandi contra Ricardum & Gulielmum res gestæ fol 205 c
ildouadus à Builla in conuiuio interficitur 163.b
ildouadi Gothorum regis res gestæ 163.a
ilium duplex 347.b
ilium Homericum ubi 348.e
ilium nouum 348.e
ilium cur incensum 350.f
ilium quo loco reuera conditum 347.b
ilij primordia 348.a. destructio 348.d
illyricus ager ab Ostrogothis uastatur 151.c. item à Sclauis 174 f. Vesogothis fol. 146.e
illyrij pop. 388. d. à Turcis subacti. 396.d
imber aureus 369.a
imbrus arx 368 e
imaus mons 285.b. & 288.d
imola ciuitas 187.c. ædificatur 170 d. expugnatur 267.b. Pontifice restituitur 446.e
in phasim prouerbium 302.f
india 286.f
indiæ mulierum in maritos pietas 32 d
indigoia 151 c
indulgentiæ promittuntur ijs qui Romanam ecclesiã ab hoste defenderent 104. f. & 105.a
inferi portæ peccata 8 e
iniustitia genera duo 44. e
inimici quibus medijs reconciliandi 591.a
innocentius 2. pontifex 218.f
innocentius 3. pont. 230.f
innocẽtius 4. põt. max. 239. b
innocentius 5. Pontifex maximus 250.e
innocentius 6. Pontifex maximus 266.d
innocentius 7. Pontifex maximus 281.a
interiectionum in oratione usus 1012. e
inundationes perniciosissimæ 593. c

ioanna Aragonum regina fol. 445.a
ioanna Lothoringensis uirgo Anglorum copias fugat ex Francia 440.d
ioannes Accius 277.c
ioannes agnellus 269.c
ioannes cardinal S. angeli in ungariã proficiscitur 397.a
ioannes Antonius princeps tarentinus à uitellisco captus 466.f
ioannes apostolus 343.a
ioannes episcopus Argensis fol. 63.b
ioannes aurispa 451.a
ioannes Aulegius 267.c
ioannes baptista 93.a
ioannes de bachenstein auditor Cameræ 33.a
ioannes de bachenstein auditor 3.b
ioannes barbaricus 272.f.& fol. 273.a
ioannes barbadicus 273.b
ioannes bentiuolus 279.c
ioãnes 10. bohemię rex 100.f
ioannes brennus 238.d. Hierosolymæ rex 237.a
ioannes britannię rex muri ruina opprimitur 256.f.& fol. 257.a
ioãnes burgundiæ dux à turcis captus 395.c
ioannes capistranus ungarorum concionator 403.a. in Husitarum errores inuehitur 414.f
ioannes cardinalis de columna 234 d.
ioannes Caynus Mediolani turpiter interficitur 448.e
ioannes chrysoloras constantiæ sepultus 600.d
ioannes cincius 251.a
ioannes de monte Comito fol. 51.a
ioannes de comite senator Rom. 270.d
ioannes episcopus constantinopolitanus coacta Græcorum synodo Oecomenicũ se appellat 172.e
ioannes cypri rex ueneno necatur 379.a
ioannes deseritanus 445.a
ioannes Dienlinsist publicus concilij basilieñsis scriba 4.f
ioannes Eich iureconsultus fol. 2.f.3 a
ioannes eporgiensis episcopus 51 a
ioannes Gersius Vuestphalus fol. 477.b
ioannes Gryllus 252.d
ioannes Haucut Pisanorum dux fortissimus 269.c 270.d & e
ioannes Hesler 817.c
ioannes Himyad 713.b
ioannes huniades Austriã depopulatur 129.b. & 412 e comitatum bistercẽsem donoaccipit 132.d. regni ungariæ coronam frustra petit 412.e. ad principatum euehitur 413.a
ioannes Hus Cõstantię comburitur 105.c
ioannes Lubecensis episcopus inter budam & uiennã moritur 47.b
ioannes ordelauus 277.b
ioannes placius 125.a
ioannes Platina Italię exarchus 179.c
ioannes Polamor 121 a
ioannes de Poli 236.e
ioannes 12. Pont. Max. 200.d
ioannes 12. pontifex ob uitę turpitudinem publice ab Othone rege castigatur fol. 200.f
ioannes 13. Pont. Max. 100.f fol. 201.
ioannes 21. Pontifex. Max. fol. 250.e
ioannes 22. Pont. max. 260.e
ioannes 23. pont. max per cõcilium degradatus 19.b
ioannes 23. pont. max. dat indulgentias ijs qui ad tuendam Romanã ecclesiam inducerent 104 f
ioannes præmonstratensium ordinis cum suis in pretorio pragensi dolosè interficitur 111.c & 112.d
ioannes prochitius 251.c
ioannes Rabensteinus 125 a
ioãnes de Ragusio episcopus Argiensis 65.b
ioannes Ricius eques 278
ioãnes Rochezan Pragensiũ apostolus 117.c. Pragensibus zischã reconciliat 114.d
ioannes Rohacius 122.f
ioannes Segobiensis 440.d.
ioannes Segouius 3 b & Segouius 5.b. ortam in concilio basilieñ. tumultum sedat 34 d
ioannes de Segouia archidiaconus de uilla uisossa 48.f
ioannes Silentiarius costantini ad Aistulphũ legat. 186.e
ioannes Siitzenrode procurator fiscalis 52.f
ioannes Smiricheus 132.e. ore suo damnatur ibid.
ioannes comes Taliacogius moritur 461.b
ioannes tarantasiensis archiepiscopus 51.b
ioannes de tierstein concilij basiliensis protector 32.f & fol. 53.c
ioannes tolner 831.c
ioannes prior traiectensis 3 b
ioannes de turicella iureconsultus 52.f
ioannes episcopus uaradinensis captus 140.d
ioannes de ualle brito theologus insignis 51.c
ioannes ungnadus à Frederico imp captus 411.b
ioannes episcopus zamorensis cardinalis 461 a
ioannes zischa Husitarũ religionis capitaneus 107.b
ioãnis Apostoli facta & antrũ fol. 360.c. & f
ioannis comitis Armeniaci incestus 440.d
ioannis bohemię regis in terram

am sanctam expeditio 263. b
ioannis brabantini statuarij nobile opus 100.d
ioānis de bregna in regē Hierosol. coronatur 233.a
ioannis brixionensis episcopi uisiones 99.c
ioannis camesini Constantinopolitani res gestæ 174. f
ioannis Capistrani ambitio fol. 403 c laus 396. f. res gestæ 137.c
ioannis Cliuensis ducis cum episcopo Coloniēsi contentio 431. c
ioannis cypri regis socordia & luxus 378.f
ioannis Philippi Fliscæ contra Alphonsum res gestæ fol 470.a.
ioannis Huniadis nomē quā terrificum 397.b. res gestæ 909. b. apophthegma 390. e. laus 393. a cum Gischra bellum 390.d. contra Turcas res gestæ 138.d. 139. c. & 396. e. & 400. d
ioannis Huniadis clementia & humanitas erga hostem proditorē 137.b. mors 138.f
ioannis Huniadis res gestæ fol. 390 e. & 391.a
ioānis Huniadis in Dania res gestæ 393.b
ioannis Hussi ingeniū & mores 103.a
ioannis Hussi constantia 105 b. & c
ioannis Iustiniani contra turcas res gestæ 400.c.
ioannis Morauorum episcopi mors 96.e
ioannis premonstratensis monachi seditiosa cōtio 106.f
ioannis Pinani mortem deplorat Syluius 47.c
ioannis Schlaui contra Turcas fortitudo 402.d
ioannis Segouij Theologi cum Panormitano disputatio 6. d in concilio Bas. de nouo pontifice eligendo oratio 46.f. & 34.e frugalitas 56. f. constantia 35. c. & 36.d
ioannis Smirichei eloquentissimi hominis ad regem Ladislaum literæ 132.e
ioannis cardinalis Tarentini contra Alphonsum & Franciscum Aquitanum res gestæ 468.e
ioannis Vaiuodæ res gestę fol. 564. f. & 565.a
ioannis uatadiensis episcopi dicterium 4[?]6.d
ioānis uattari res gestæ 23[?]. d
ioannis uiceconitij bohemi indignum facinus 411.b
ioānis uitellisci patriarchę Alexand. in campania res gestæ 466. f
ioannis uintimilij Siculi contra Turcas res gestę 405.d & 467.c. & 464.d. & 909. b
ioannis uintimilij fortitudo militaris 466.e
ioannis uitellici Alexandrini res gestę 457. b cum Iacobutio pax 466. f
ioannis uuiclefi lucubrationes 103 a
ioannis zischę facta memorabilia 111.a uide zischam.
iofredus campaniæ comes fol. 201.a
iones 405 a
ionica regio 353.c.& 356.f
ionicæ colonię 356.f
ionium mare 406.f
ioppe op. à Christianis expugnatur 214.e
ioppe ciuitas obsessa à Saracenis, liberatur 218.d
iopienses à turcis expugnantur 230.f & 231.a
iordanus historicus 307.c
iorsines Saracorum rex 306.f
iosephi historię Hebraicę scriptæ 834 f
iosię Asculani ducis res præclare gestę 464.f
iosophat uallis 213.c
iouinus tyrannus occiditur fol. 14[?].e
iouinianl imp. cum Parthis bellum & pax. 312.e
iphigeniæ immolatio 319.b
iporedienses à burgūdis grauiter uexantur 156.e
iracūdia qua ratione frenanda. 512.c
ireneus 360.e.
iris fluuius 329.c
irus fluuius 330.f
isaaces ab Ostiensibus captus & in uinculis occisus fol. 164. f
isabella Lotharingiæ ducissa 466. e eius bella diuersa ibidem f
isach imperator Constantinopolitanus 226.e
isach captus à fratre redimitur 231.a
isacius Italiæ exarchus 175.a
eius sacrilegium 176.d
isacius imperator constantinopolitanus 204.e
isacij exarchi sacrilegiū 176.a
isaura ciuitas 336 f
isauri pop. 370. f
isauria regio 337.b
isaurica regio 336. e
isaurica regio à Romanis subacta 336.f
iseri pop. 409.a
isidis templum 377.b
isidorus Sabinensium episcopus 394.e
isidorus Cardinalis à Turcis captus & uili precio redemptus 402 f
ismenius fluuius 404.f
isnardus Guarro 445.b
isondæ pop 296.e
isa insula 355.b
issicus sinus 375.c
issus op. 375.c
ister fluuius 393 a
isthmus 323.c.& 324.d
isthmum perfodere conatur Demetrius 405.b
istriæ descriptio 408. f
isauria 325.c
italiæ in numero episcoporū

cæteras uincit nationes 29 b
italia ab Hérico 7. imp. Rom. grauiter uastata 100.f à Radagaso Vesogotho depopulatur 146.e
italia fame uexatur 161.b
italia Transpadona à Burgundionib. & Francis depopulatur 167.c
italia à Longobardis oppressa 144 c. ab Odoacre deuastatur 144. e. Ecij instinctu ab Hūnis depopulatur 149. c & 155. c
italia à Gundobaldo Burgundiorum rege uastatur 156.e
italiæ exarchus 169. c. magistratus 169.c
italici prædones perniciosissimi 362. f
italianus forlanus 464.c & eius res gestæ 464. c
iudeus in fide sua constantissimus comburitur 488. e
iudęi baptizantur 176 d ex bauaria exterminantur 438. d. in Bohemia trucidātur 102. c. ex Francia fugantur fol. 257.a
iudei Pōtifici in cōcilio Bas. Mosi obtulerunt legē 63. b
iulianus Cardinalis S. Angeli concilij Bas. præses 64. d. intempestiuæ diligētiæ apud Eugenium accusatur ibid. & fol. 66. e
iulianus Cardinalis sancti Angeli Eugenij pontificis in Vngariam legatus 389.c
iulianus Cardin. ab Vngaris interficitur 565.c
iulianus uicus 466.f
iuliani cardinalis uaticinium fol. 70. e
iuliani cardinalis constantia & magnanimitas 25.f
iuliani cardinalis ad Eugeniū epistolæ excusatoriæ 64. e 75.b. in Bas. concilio ad bohemorū legatos oratio 117. c. ad Germanos oratio exhortatoria 116.f
iuliani contra Parthos res gestę 312. d
iuliani apostatæ diuinitus illata mors 312.e
iuliopolis op. 338.f
iulius Aquila eques Romanus 306. f
iulij Cæsaris stemma 348. e cū Iliensib. amicitia 348. e
iulij Marsi contra Parthos res gestę 320. f
iulij Pelignij Cappadociæ prę sidis facta 321.a
iulij forū op. obsessum 174. f
iunonis templum 363. b
iupiter Abretanius 339.a
iupiter Cretensis Asiæ imperator 382. e
iouis Chrysaorei templum fol. 366. d
iouis hostia 201. c
iouis Militaris templū 365.c
iouis in morimena fanum fol. 327 b.
iouis apud Rhodios colossus 369 a
iuramentum electorū in concilio Bas. 54 e
iuramenti turpissimi formula 380.f
iuramenti autoritas 477. b
iusiurandi uiolati memorabile exemp. 93.a
iustinianus Partitiatus Venetorum dux 195. c
iustinianus 2. imperio deiectus narib. mutilatur 180.e
iustiniani auaritia 163.a. crudelitas 181. c. erga Trebellium ingratitudo eod. 181. c contra Parthos bellū 312. e. res gestæ 159.b
iustiniani 2. imp. inconstantia 179. c. & 180. d
iustinian. 2. imper. res gestæ fol. 179 c
iustinopolis 199 c. Istri caput 408. f. à bucelino deuastatur 167. c
iustinopolis ciuitas à Genuensibus capta 275. b
iutha à Bizetislao Ratisponę ex monasterio rapta 93.c
iuthæ prudentia 99. a. uirile facinus 93. c. ad partē commiserationis plena oratio 93. c. & 94. d
iuthæ mors 95 b
iuthēberga ciuitas obsidione cingitur 112. f
iuuania ciuitas 437.c
iuuenis dijs pro hostia cæsus fol. 89. b
iuuenis imperiti ad Rerū publicarum gubernationem non sunt admittendi 606.e

K

Kalo Ioannes Constantinopolitanus imp. 355. c

L

Labacus flu. 409 a. & b.
labacum op. ab Alberto obsessum 479. b. à Tillię comite oppugnatū fol 409.b
labranda uicus 365.c
lacedęmoniorum animosum ad Philippū respōsum 32 e
lacterium promontorium fol. 365. d
lada insula 357. c
ladislaus Alberti filius in regem eligitur Vngariæ 566. d & f
ladislaus banus budæ captus fol. 564. d
ladislaus Ciliæ comitem obtruncat 193.a
ladislaus Garus 388.e
ladislaus Huniadis filius obtruncatur 390.e
ladislaus Hungariæ rex apud Pestam designatur 390. e coronatur 389. c. & 690. f & 691. b
ladislaus Neapolitan. rex Romanam ecclesiam infestat fol. 104. f
ladislaus Poloniæ rex in bello occumbit 536. e & 537. a
ladislaus rex captus & incarceratus 131. a
ladislaus rex Vngaris à Sylvio commendatur 558. c

Index.

ladislaus Vngariæ rex Eugenio Pontifici commendatur 645.c
ladislaus infans Bohemiæ regnum ambit 127.a b.&.c Bohemorum rex declaratur 128.e.129.b
ladislaus in Neapolitanum regnum restituitur 280.d
ladislaus inimicus religionis Rochezanianorum 134.f
ladislaus rempublicam suam probe instituit 131.c
ladislaus ex carceribus liberatur 131.c
ladislaus decollatur 140.e
ladislaus in quadrigis repertus confoditur 396.f
ladislai pueri innata liberalitas 129.a.&b.
ladislai Alberti Bohemiæ regis ex Elizabetha filij natiuitas 127.a
ladislai regis descriptio 508.e.genus 510.d.&561.a
ladislai regis pietas 141.b
ladislai regis coronatio 134.f.& 591.c
ladislai regis laus 944.f
ladislai regis nuptiæ 825.a
ladislai regis mors 815.c.& 142.
ladislai Vngariæ regis pedagogus capitur 952.f
laicis non danda in concilijs iudicandi potestas 17.c.& 19.a
lampedonis mulieris facta folio 298 e
lambertus Italiæ rex 198.d
lamissio Longobardorũ rex folio 169.a
lamponia ciuitas 352.e
lampsacus oppidum 345.c
lana ex arboribus nata 287.b
lancosargi pop. 83.b
lanos fluuius 287.b
laodicea ciuitas 340.d. à Macedonibus ædificata 315 b ciuitas à Turcis capta 227 b ciuitas à Tancredo expugnatur 215.a
laodiceæ incrementa 340.e
lapathus ciuitas 376.f
lapidis miraculosa natura, folio 352.e.&.f
lapidis Caroli castellum expugnatur 112.e
lapitharum regio 404.e
laranda ciuitas 336.f
larissa ciuitas 319.c &.353.c 349.c.& 353.c
larissa Caistriana seu Ephesinia 354.d
larissæ in Asia tres 353 c
larius lacus 171.b
lateranense concilium 29.b
laterinum castellum à Guidone euersum 262.d
latini nostro tempore Grecos bellicis artibus & omni doctrinarum genere uincunt folio 451.a
latmius fluuius 374.d
latmius mons. 357.c
latmius sinus 357.c
latmius uicus 374.d
latinus Ioannis & Pauli Cardinalis 461.b
latinorum imperij apud Constantinopolim finis 245.b
latonæ patria 290.f. fabula 359 b. lucus 368.d
lauda ciuitas à Venetis cœpta 447.b. in Mediolanensium potestatem recepta 447.c ab Arithperto capta. 180.e
laudunensium agri ab Othone imp.depopulātur 201 b
laureata ciuitas 736.f
laurentius Rocella 36.e
laurentius Rouarella 820.d
lausanensis episcopi prudentia 36.e
lebedus 361.a
lebedum op. à Adeo Pompo ædificatum 356.f
leches Zechij fratres in orientem migratio 84.f
lectum op. 344.f.& 350.e
lectum promontoriũ 345.a
lecti descriptio 350.e
legnitium op.in potestatem Bohemorũ receptũ 131 a
legũ institutio ac autoritas 8.e
legum contemptus reipublicæ pernicies 8.e
leleges pop. 298.d.& 337.b.& 350.e.& 352.e.& 353.c.& 357.a.& 382.d
lemnos insula 370.d
lemouicæ à Normannis uastatæ 196.f
lemugildus Vesogothorum rex filium ob fidem catholicam iugulat 171.c
leneburgensiũ salinæ 425.b
leno cum scortorum grege terræmotu absorptus 340.f
leo imperator imagines & sculpturas sanctorum comburit 184.e
leo Pontifex adhortatur Athilam ut ex Italiæ finibus discedat 153.a
leo 2 Pont.Max. 179.a
leo secundus imperator declaratur 155.a
leo 3.Pons.Max. in processione tumultu facto intercipitur 191.b
leo 8.pont.Max. 200.f
leo 9. Pont.Rom. 204.d. in bello à Normannis captus 204.e
leonis Græci imperatoris res gestæ 194.d
leonis imperatoris facta 154.d
leonis 4. imp.res gestæ 190.f
leonis imperatoris cum Pontifice dissidia 184.d
leonis Papæ de Niceni concilij constitutionibus sententia 14.d
leonis Pontificis contra imperatorem facta 184.f
leodrisius Cribellus 449.b
leonardus de Piscia 65.a
leonardi aretini laus 535.c
leonardi episcopi Patauiensis sepultura 614.c
leon. Venerei res gestæ 449.a
leonellus Estensis Marchio folio 453.c
leonellus Ferrariensium princeps 450.f

leonidas Stoicus 369 b
leonidis fortitudo militaris folio 31.b
leonina urbs à Cardolo occupatur 205.b
leonina ciuitas ab Henrico imp. capta 208.d
leonnorij Gallorũ ducis res gestæ 335.c.
leonora Augusta 478.e
leonoræ Augustæ sobrietas folio 479.a
leonoræ Augustæ de saltationis turpitudine dicterium folio 485 a
leopoldus Austriæ Marchio Morauiã depopulatur 96.d
leopoldus Austriæ Marchio ab Vratislao uincitur 96.d
leotharij in Italia res gestæ folio 167.c
leontius imperiũ Constãtini inuadit 180.f
leontius naso mutilatur 180.f
leontius occiditur 181 b
lesbia colonia 349.b
lesbia insula 355.b
lesbi Lapithi filij res gestæ folio 355.b
lesbiorum insula 344 f
lesbo insula Gatellusius donatur 268.e
lesbos Aeolicarum urbiũ metropolis 354.e
leuce oppidum 362.e
leucophris insula 349.b
leucosyria 328.e
leucosyri populi 329 a. 382.d
leucotheæ fanum 302 d
leus littus 361.c
leyta fluuius 490 d
liberi patris certamina 361.a
liburnia prouincia 508.d. à Bucelino depopulatur 167.c
liburniæ populi debellantur, folio 222 f
libus castellũ ædificatur 86.e
libusa post parentis obitum Bohemiæ gubernatrix constituitur 85 b
libusa prouinciæ administrationẽ reijcit 85.c. Primislao matrimonio iungitur 86.e
libusæ ad subditos suos oratio 85.b. sepulchrũ 86.e
libyssa 339.c
licianum oppidum 277.b
licium castellum à Zischa captum 109.a
licius fluuius 121.a
ligandi & absoluẽdi potestas sacerdotibus tantum tradita 18.d
liguria à Rothare Longobardo subacta 177.b
limenia ciuitas 377.b
limissum 377.b
limira oppidum 371.a
lindeuti Pannoniæ tyranni res gestæ 195.a
linum 345.c
linusiæ Cochleæ 345.c
lipsensis academię primordia folio 103.a
literarum bonarum commendatio 502 d
literarum uariationes & deriuationes 986.c.&.987.a
litemesce ciuitas 83.a
litomericium oppidũ 83.b
lituaniæ descriptio 417 a
lituani ad Christum conuertuntur 417 c solem, syluas, & malleum ferreum adorant 418.c
lituani ut pecudes trucidantur 421.a
lituanorum præstigia 418.d ritus & mores 417. b. & c. & 418.d
liuiæ Augusti christal. 290.d
liuonia ad fidem Christi conuersa 232 f
liuoniæ descriptio 419.a
liuthpertus Longobardorum rex 179.c
liuthprandi res gestæ 185 a. & b. cum Leone Pontifice pax 184 f
lodouicus Bauariæ dux excõmunicatur 261.a
lodouicus protonotarius de Roma ad Basiliense concilium uocatur 23.b
lombardia paradisus Italiæ, folio 205 a
longinus Rosimundæ, nuptias ambit 170.d
longini res gestæ 169.b
longobardia 197 c. ueteribus ignota regio 393.b à Friderico imp. debellata 223.c
longobardi Italiam inhabitant 192.e
longobardi à Carolo in potestatem accepti 101.c
longobardi Franciam inuadunt. 170 f. Germaniam, Pannoniam & Italiam depopulantur 144 e
longobardi ab Henrico imp. 7 uicti 100 e
longobardi Rugilandiam occupant 156.d.& 169 a
longobardi regium nomen odiosum habentes, duces eligunt 170.e
longobardorum nomen unde 169.a
longobardorum primordia 169 a. reges 169.a
longobardorũ in Galliã citeriorem eruptiones 170.f
longobardorum in Italiam irruptio 169 b. res gestæ 166.f. & 167.a. cum Romanis inducia 170 e & 171.b
longobardis Romæ sedes in Vaticano cõceditur 189.c
loryma 367.c
lorymus fluuius 371.a
lotharingia unde dicta 196.e à Francis depopulatur 197.a
lothoringia à Lothario Francorum rege subacta 201 b
lotharius rex 219.a
lotharius Italiæ rex 195 a
lotharius Germaniæ rex declaratur 199.b
lotharius imperator imperio se abdicat 196. f. fit monachus 197.a
lotharius de cõcubinatu arguitur 13 a
lotharij cũ fratrib. bellũ 196.c
lubecensis episcopi cõtra sessionem

sionem in Concilio institutã protestatio 41.c
lubecensis episcopus factionum in Concilio Bas. recõciliator 44.e
lubecensium potentia 424.d
lubecensis episcopi de conclusione Concilij Basiliensi conquestio 37.c
lublana ciuitas 409.b
luca ciuitas factionibus periclitatur 255.c
luca ciuitas obsessa 223.a.ab Americo capta 264.e
luca ciuitas à Florentinis obsessa 263.b.& 264.f. Florentinis uendita 266.d. item à Genuensibus 263.b
luca ciuitas à Gothis restaurata 168.d. Narsete capta 168.d
luca ciuitas Philippo Francorum regi donatur 264.f
luca à Pisanis obsessa 266.d capta 266.e. Pisanorum uel Fagiolani dominio subdita 260.d
lucenburgense oppidum à Philippo Burgundiæ duce subactum 442.e
lucenses ab Henrico imp debellantur 259.a.à Pontifice excommunicãtur 257.c
lucensium factiones 261.a
lucensium agri depopulantur 248.d
lucensium agri à Pisanis depopulantur 260.d
lucensium bella 242.d
lucensium castella expugnantur 245.c
lucensium cum Huguitione pax 260.d
lucensis principatus Vratislao cedit 89.a
luceolum op. à Romanis recuperatum 172.d
luceria ciuitas Saracenorum 239.a.obsessa 248.d. à Carolo expugnatur 247.b
luceria ciuitas à Pipino capta 192.e.à Constantino,capta, ac solo æquata 178.d
luchinus Vicecomes 265.a
lucianus Auria Genuensium dux 272.e
luciani Auriæ contra Venetos facta 272.f
lucij Pontificis facta 226.d
lucretiæ descriptio 624.d. historia 959
luculli Ro. res gestæ contra Sinopenses 334.e. de Mithridate uictoria 320.d item de Tigrane ibid.
ludmilla Slamborij comitis filia 91.b
ludmilla Praganorum ducissa cum marito baptisatur 90.e. Christianam religionem in Bohemia promouet 91.b
ludmilla inter sanctas relata miraculis claret 90.e
ludouicus Aquileiensis patriarcha 464.d. in Basiliensi concilio moritur 47.a
ludouicus Cardinalis Arelatensis 25.c
ludouicus Bauariæ rex 195.a & imperator Ro.260.d
ludouicus 5.Bonifacij comes folio 246.d
ludouicus Delphinus Agnetem occidere tentat 442.e
ludouicus Delphinus Alsatiam depopulatur & contra basilienses pugnat. 573.b
Ludouicus Franciæ rex Palæstinam petens, à Saracenis intercipitur 220.e canonizatur 255.a
ludouicus Landgrauius Hassiæ ad imperium uocatur 432.e.& 433.a
ludouicus episcopus Lausanensis 52.c.& 54.d
ludouicus Marchio Salutiarum 62.d
ludouicus Montesię magister folio 445.a
ludouicus protonotarius, folio 38.f.39.a
ludouicus Visensis episcopus 52.d Ioannis Portugaliæ regis in Concilio Basil. orator ibid.
ludouicus Vngariæ & Poloniæ rex 591.b
ludouici Andegauensis res gestæ 276.e.cũ Alfonso bellum 471.b
ludouici Cardinalis Aquiliensis contra Turcas res gestæ. 370.d
ludouici Patriarchæ Aquiliensis animosa in Concilio Bas.oratio 32.f
ludouici Bauariæ ducis contra patrẽ bellum 437.c.481.c
ludouici Boioariæ & Friderici Austriæ principis de imperio Ro. contentio 101.a
ludouici Bosonis Burgundię regis res gestæ 198.f
ludouici Delphini cum Basiliensibus bellũ 439.a. cum Carolo Francorum rege cõtentio 440.e.pax. ibid.f. res gestæ 240.e.198.d.in Saracenos expeditio 248.f
ludouici Marchionis Mantuani encomium 450.e
ludouici Palatini cũ Moguntinensi episcopo bellũ 438.e
ludouici Pij imperatoris res gestæ 194.e
ludouici protonotarij Romani memoria admirabilis 24.f. mors perniciosissima 24.f.& 25.a
ludouicus de Rocha Pisanus folio 270.d
ludouici Visensis constantia & integritas 52.e
ludouici Vngariæ regis facta 266.f
lues in castris Ferdinãdi 454.e
lugdunum à Carolo Marcello Burgundis ademptum folio 183.c
lugdunẽsis episcopus orator regis Galliæ in Concilio Basiliensi 7.a
lugdunensis archiepiscopi in concilio Bas.consilia 37.a
lugdunense concilium 39.c. 239.c.

239.c.& 249.c
lugea palus 409.a &b.
luna ciuitas 23.b.euersa 190 d
lunæ apud Hyperboreos admirabilis prospectus 291 a
lunę apud Albanos templum folio 297.b
lupanaria sacra 331.b
lupicinus Rom. dux 145. c
occiditur. ibid.
lupoldus Austriæ dux 358.e
lupus contra Bauaros pugnās interficitur 178.e
lupus Foroliuianorum dux Longobardorum regnum affectat 178.d
lupus presbyter Rochezanæ infensissimus 119.b
lusatia Bohemorū regno adiecta 96.d
lusatia à Zechij familia occupata 84.f
lusitania à Vesogotis subacta folio 151.c
lusmicius fluuius 83.a.109.a 201 c. 332.f
lycaoniæ descriptio 336.d
lycia 325 b. 367.b. descriptio 370 c
lycomedes sacerdos 331 b
lycus fl 330. f.318. e. 340. c. 437 b
lydiæ portæ 341.c
lydorum potentia 382.f
lyrnessus locus. 341.c
lyrnessum oppidum 372.d
lysimachi apud Ephesios res gestæ 359.b
lysimachi Agathoclis filij res gestæ 342.e

M

Macedonia à Gallis uexatur 335 b.à Gothis occupatur 145 a à Sclauinorum militibus uastatur 166.e.à Turcis occupatur 404 e
macedoniæ descriptio 403.c. limites 393 b
macedonum imperium quā latum 404.c
macedonum in Epiro res gestæ 406.c
machareus 355.b
macharei filiæ & lex 355.b
machurius Hydrunti præfectus 167.b
macinum prouincia 288.d
macriani contra Gothos res gestæ 145.a
macrones pop. 330.d
madeburga 423 b
madri pop. à Parthis debellantur 310.e
masseus Vegius poëta 452.f
magarsi p pop. 314.d
magdalena Caroli Franciæ regis filia Ladislao desponsatur 140.f
magdeburgenses archiepiscopum & clerū ex urbe eijciunt 68.e
magistani suis sedibus pelluntur 323.a
magnesia à Turcis subacta folio 404.e
magnesiæ descriptio 362.f
magnetia ciuitas terræmotu deiecta 344.d
magnetes pop. 363.a
magni canis imperiū 317 a
maguntia à Gallis obsessa, folio 434.e
malhercij res gestæ 150.f
mahometus Turcarum imperator 687.a
mahometes sub papilla in expugnatione Albæ uulneratus aufugit 403.b
mahometes detestatur diem in qua Albā expugnare tentauit 403 c
mahometis origo 312.f. primordia 124.f.175.c
mahometis religio unde creuerit 895.b
mahometis doctrina quatenus ueræ religioni consentanea 881 a & b
mahometis mira commenta. 895.b miracula 900.e.& f. de Christo iudiciū 872.f in Christianos crudelitas 402.f 680.e.cōtra Christianos res gestæ 873.a 396.d
mahometis res egregiæ gestæ folio 144.f
mahometis in Hungariā expeditio 403.a res gestæ 400 f 384.f. pro Iacobo Cypri rege oratio 380.d
mahometeæ legis pernicies folio 385.c
mainardus princeps Nouædomus 117.b
mainardi regimen 128.c
contra Thaboritas fortitudo 120.e.& f.
maioranus imperator 154.d
maiorica insula 194.d. ab Aragonum rege subacta 235.c
maladę uirginis fortitudo militaris 87.b
malatesta Arminiēsis 266. d.e
malia ciuitas 354.e
malleus ferreus apud Lituanos pro deo cultus 418.e.
malius oppidum 375.b
malochus Galabrię & Apuliæ gubernator 202.f
maluasiæ castrum 246.e
malus 344 f
mammeus pons 216 d
mandragoras à Seleuco opprimitur 310.d
manfredonia 190 f.ab Alphōso in potestatē recepta 499.c
manfred. Neapolitan. 241.a
Siciliæ rex 244 f.eius res gestæ 241.c
monichæi heretici 407.b.& c
manlij aquilij in asia res gestæ folio 362 f
manni Florentini iocosum dictum 472.f.& 473.a
mantianus lacus 318.f
mantua ciuitas ab agilulpho expugnata 174 d.ab amingo depopulata 167.c.ab Eccelino obsessa 243.b.à Matilde occupata 215.b.à Mediolanensi duce obsessa 279.a
mantuanus conuentus 859 c
mantuanorum bella perniciosissima 450 e
manuel Græcorū imp. 336 c
manusira ciuitas 210.c

marcellinus pontifex Idolis seruiuit 9.a
magnetes populi 340.f
marbarmad Saracenorũ Amirathus 194.c
marcia aqua 248.e
marciani de achila somnium folio 153.b
marciani Cæsaris de sacrilegis sententia 15.c
marcionis Pontici Hæreses folio 332.e
marcomania castrum captum folio 258.d
marcomedes Franciæ dominus 433.b
Marcus Antonius ab Augusto Cæsare uincitur 406.f
marcus Corarius 379.b
marcus Ganutus 238 d
marci Catonis in Arbinũ historicum scomma 2.d
marci Sannucij res gestę 232.f
mardi populi 314.d
mardi Armeniam depopulãtes fugantur 322.d
mare an circumnauigari possit 282.f
marsicani à Stephano inditionem accepti 185.b
margaritus Siculus dux classis 227.b
margaritæ Noruegiæ dominę contra albertum monipolensem res gestæ 426 f
margiana pro. 293. b. regio 315 b
margiani pop. 292.d
margus fluuius 289.a. 308.f. 315.c
maria Hungarię uirgina 299.c
mariam nirginem solam constantem in fide hæsisse, in morte Christi, quidã somniarunt 9.c
mariandini pop. 333.a
mariandini res gestæ 333.a
marianus Sozinus iureconsultus insignis 456.e.622.d
mariani Sozini Senensis apophtegma cõmentaria in decretum copiosissima 525.c
marius arpinas 425.c
marij contra Cimbros res gestæ 560.d
marsia fluuius 340.d
marsiæ cum Apolline contentio 340.c
marsi ab Alphonso subacti folio 469.c
marsilius Cararius obtruncatur 450.d
martianopolis ciuitas 152.d
martiani cũ Auito pax. 154.d
martinopolis op. 423.b
martin. Austrasiæ regul. 180.d
martinus Deuera arragonum regis orator 25.c
marti. I. Pontifex 177. a. 251.a
martinus pontifex Basiliense concilium indicit 64.d. cõtra hæreticos expeditionẽ in bohemiam instituit 115 c Romæ captus ad Cõstantium mittitur 177 b
martini Põtificis electio 76.f
martyres primitiuæ Ecclesiæ quàm fortiter impijs restiterint 31.a.& b. 105.a
marubius fluuius 296.e
marundæ pop. 314.d
matildis comitissa 204.f
masdoranus mons 286.d
masicitũ promontoriũ 285.b
masius mons 318.d
massabatica 314.f
massageræ pop. 285.e. 419. 289. Solem adorant 289.a
massagetum obscœna libido ritus & mores 289.b
massilia in Gallia ædificatur 362.f. Burgandis à Carolo Martello adempta 183.c
mastelzerij contra Gildonem Africam sibi uendicantem res gestæ 146.e
mastiches 362.d
mastinus Scaliger 264.e.& eius res gestæ 265.a
mathera ciuitas 205.a
destruitur 201.c
mathildis 95. patrimoniũ Petri dat sedi apostolicæ 96.d. aliquot oppida suo subiecit imperio 215.b. ab Henrico imperatori apud Parmam uincitur 207.c
matrana 314.c
matrimonium reuera seruitus 298.c
matrimonij cõmẽdatio 587.c uiolati pœna 101.b.
matrimonij apud Turcas parui momenti 385.a
matthæus Albigaunensis episcopus 41.a
matthæus Marufus 274.f
matthæus Vicecomes Gibellinorum dux 258.c
matthæus Vrsinas Cardinalis 251.a
matthias Hunniadis filius captiuus in Austriã ducitur 140.f. ex carcere uocatur ad Hungariæ regnum 391.a
mauri Corsicã inuadũt 193.a item Siciliam 195.c
mauritania à Vandalis depopulatur 151.a
mauritius Barcharensis archiepiscopus antipapa 217.b
mauritius imperator 170.e. captus securi percutitur, folio 173.c.176.f
mauritij imperatoris somnium 173.c
mauritij Romanorum imperatoris lex 172.e. cõtra Hunnos res gestæ 172.f
mausolus Cariæ rex 364.e. eius sepulchrum 364.e
maximiani imp. contra Parthos bellũ 312.d. mors ibid.
maximus Rom. dux occiditur 145.c
maximus in Hispaniam relegatur 148.e
maximi ducis auaritia 145.c
maximi tyranni mors 153 c
mazaca ciuitas regina urbiũ, fol. 327.c
mazacea oppidũ 327.& 328.d
mazacini Charondæ legibus utuntur 328 d
meander fluuius 340.f. 363.c
mechia mons 89 a

medarses Persarum rex 175.c
medea medorum regina 316.f
media Antropatia 34.e
media Maior 314.c
mediæ ambitus 375.a.&.b. descriptio 314.d.315.a
medi asyriorũ regibus quã diu subiecti 316.f
medorum regni primordia 316. f.ritus & mores 316.c. &f. diuitiæ 315.b
medorum regnum ad Persas quomodo translatum 316.f &. 317.a
medorum cum armeniorum regibus familiaritas 314.c. in Venerem profusio 316.e
medica herba 315.a.porta 315.a
mediolanum à Conrado Ro. imperatore obsessum & incendio deformatum 203.b ab Aiboino in deditionem acceptũ atq; direptũ 169.c à Friderico imp. solo æquatur 222 d.ab Hunnis captũ atq; direptum 153.a.à Varaia obsessum & captũ 162. e restauratum 223.a
mediolanensium respublica 447.c.262 e.448.d
mediolanensiũ factiones 258. e.seditiones 258.f.448 f
mediolanensium fames 161.b 449.a
mediolanensium castrum captũ 447.a.restauratur 449.b
mediolanensium agri ab Accio depopulantur 264.c
mediolanẽsiũ res gestæ 446 b cum uenetis fœdus. 448 f
mediolanensis ecclesia à subiectione Romanæ ecclesiæ quã diu se subtraxerit 204.c
mediolanensis ducis fœdus cum Venetis 747.c
megalopolis 331.c
magarenses cæci cur appellati folio 394.d
mela fluuius 317.b
melamphilus insula 338.e
melancus Codri pater 356.f
melandani pop. 296.d
melania 373 b
melas flu. 326.d.362.e.372.d
melęna promontoriũ 361.c
melitina regio 325.c
melico Sardẽsis antistes 343.c
mel amarum 302.d
mellis fontes 327.c
melnica castellum 91.b
melphia 202.f
mendacij detestatio 572.f. & 573.a
menipp⁹ catocas orator 366.d
mensa Primislai ferrea 86.d
memoriæ bonæ signa 975.
mendicantium per Bohemiã priuilegia 83 b.118.e
meneothei in patriam pietas folio 31.b
memnon Rhodius philosophus 352.e. & eius sepulchrum 346.a.uicus ibid.
menodorus Trallianus Ionis Larissæi sacerdos 363.b
merburgium op. 423.b
mermandalis fl. 298.d
mermodonas fluuius 300.d
mæones pop. 341.c 381.c
meothæ 304.d
mæotis magnitudo 304.d. frigore cõcreta pedibus permeatur 304.e. eius descriptio 304.d.&.e
mæotica palus 294.d
meroueus Frãcorũ rex. 152.e 433.c
mesembria ciuitas à Venetis direpta 245.a
mescho Bohemiam depopulatur 93.b. Bohemorum duci Cracouiam fraude eripit 93.a.insidijs captum Boleslaũ luminibus priuat 93 a
meschonis perfidia 93.a
mesia à Bulgaris occupatur folio 179.c
mesopotania regio 317.c. Cosdroa occupata 174.e à Cosdroa tyranno 312.f à parthis depopulatur 312.a item à Thamerlano 313.f
metensium agri depopulantur 440.f
methamaucum op à Genuensibus captum 273 b
S.Methodius morauorum archiepiscopus 90.c
methodius morauiæ regem excommunicat 91.a.relicta archiepiscopali in Morauia sede,fugit in Bohemiã 91.a
metrodorus Philosophus folio 352.d
metymna Lesbi uxor 355.b. portus 354.c
michael Achenacus Græcorũ imperator declaratur.203.b
michael Brunon 52.f
michael Eutheriachis imperator Constantinop. 203 b
michael Nouitus Constantinopolitanus imper. 204.c
michael Rylagus 390.c. Bistritium op.expugnat 391.c
michaelis Græci imperatoris res gestæ 194.d
michaelis Palęologi res gestæ folio 245.b
michaelis pfullendorphij de imperio sententia 484.f
michaelis Rylagi crudelitas folio 391 c
migdonum campus 330.c
milada monasteriũ S.Gregorij ĩ arce pragẽsi ędificat 92.c
milesiorũ res gestę 333.a.334.d
miletopolis op. 339.a
miletopolitanus lacus 339.a
miletũ op.357.b. expugnatur 357.b.à Neleo conditũ 356.f
militaria præmia 653.c. 654. d
milya ciuitas 366.f
miniatenses grauiter ab Henrico imp. uexantur 259.c à Fagiolano uastãtur 260.e
micinerius tibicen & poẽta folio 361.a
mintius uelitrẽsis episcopus fit.Pont.Max. 204.f
misa fluuius 83.a
misna depopulatur 116.d
misnensium in Bohemia res gestæ 110.e
missessus imperium affectãs interficitur 178.f

mithrlda-

mithridates Eupator Pont. Rex 328.f
mithridates Eupator multarum in Armenia ciuitatū conditor 326.d
mithridates à Lucullo uictus ad Tigranem fugit 320.d.e. cum uxore uestibus suffocatur 321.a
mithridates regis 296.d
Mithridatis Bosphorani res gestæ 306.f
mithridates Eupatris potentia 302.e filius fictiti⁹ 331.b. res gestæ 334.e.&f. 310.e. 382.f. & 383.a. cū Pompeio bella 326.d. 320.e. thesauri 331.a. 383.a. mors 316.f. sepulchrum 383.b
mithridatium castellum 335.c
mitylenæ insul. 354 e.ci.355.b
mitylene Macharei filia 355.b
mitylenensium uaria fortuna 355.c. intestinæ seditiones 355.a.cum Atheniensib. discordia 355 a
mitylenæus sinus 350.e
mixna ciuitas 423.b
moaphernes 302.e
modoecia ciui. oppugnatur (244.e
modris flu.337.c.
moganus flu. 435.b
moguntiæ Germaniæ principes, ob pestem Francfordiensiū, congregantur 2.f.3.a
monothelitarū hæresis damnatur 179.a
monoraticum uinum 325.c
monsilicis oppidū destruitur (173 a
monsmalus 215 c
mons pilosus obsessus 205.b
montaltum oppidum 236.e
montani populi 315.c
montani hæresis 341.a
montocastellū ab Alphonso obsessum 453.b
montemsilicem Petrus Rubeus expugnat 265.b
Mophus augur 360.f.361.a. eius cum Amphilocho certamen 375.b
morauia depopulatur 115.a
Alberto Austriæ duci dono datur 112.f.à Leopoldo marchione Austriæ latrocinijs infestatur 96.d.Bohemorū regno adijcitur 96.d à zechij familia occup. 84.f
in morauia cur archiepiscopalis sedes defecerit 91.a
morauiæ descrip.90.e. 414.f. diuisio 95.a.&b
morauiæ Rex ob religionis contemptum à Methodio excommunicatur 91.a
morauiæ regnū ab Arnolpho occupatū 90.f.extinctū 91.a
morauiæ regnū in Bohemiā transfertur 96.d
moraui pop.82.f.ab Alberto Bohemiæ rege uincuntur, fol. 389 b
moraui à Cyrillo ad Christū conuersi 91.a
morauorum potentia 414.f
morespurga 199.a
morimena regio 327.a. ciuitas 328.336.d
mortis meditatio assidua quā necessaria hominib. 644 f
mori & si omnib.formidabile, omnibus tamen necesse 575.a.576.d
morsensis familia apud Germanos honestissima 432.d
mostici montes 303.a.317.a 325.b
mosmeti pop. 330.e
mugellani à Pisanis bello uexantur 269.b
muglenses debellantur 231.b
mulier oppidum à Turcis defendit 355.c
mulieres nudis pedibus super prunas ardentes ingredientes 327.b
mulieres magnorum malorū causæ 609.b
mulieres Vissegradense castrū obsidione cingūt 87.a
mulierum incōstantia & malicia 571.a
mulierum pernicies 609.b
mulierum in bohemia aduersus uiros conspiratio 86.f. & 87.a
mulierum de uiris nō incruenta uictoria 87.a
mulierem impudicam custodire difficile 631.b
muliebris astutiæ memorabile exemplum 634.e
muliebris fallaciæ memorabile exemplum 87 c.88.d
multauia fluuius 83.a. 97.a
mumoli Romani ciuis res gestæ 170.f
mundile res gestæ 162.e
mundi forma rotunda 282.e
mundi ducis contra Gothos res gestæ 160.d
mundizico Athilæ regis pater 152.d
munerum corruptelæ 102.d
mura fluuius 410.f.& 411.a
murasis op.à Christianis captum 210.e
murium oraculum Teucris datum 350.d
murmanius dux captus capitali supplicio afficitur 194.f
musca oppidum 108.f. à zischa expugnatum & direptum 109 a
mustaphas 384.f. & eius res gestæ 396.d
mutina à Bohemio rege capta 263.c
mycale mons 363.c.357.c
mygdonia regio 339.c
mygdones pop. 339.a.381 c
mylasa ciuitas 365 b
myletum op. 364.e
myndus 365.b
mynetis principatus 341.c
myonnesi descriptio 361.a
myra ciuitas 370.f.371.a
myriandrus 375.c
myrma ciuitas 353.b
myrmidones pop. 404.f
myronis opera 358.d
mysia regio 338.e. 341.a
mysiæ reg. descriptio 341.a.b
mysi pop. 341.a.338.e.393.c
myuntesium primordia 356.f
myus oppidum 357.c

nabiani pop. 303.b
namata 5 Bohem. dux 89.a
nameus op. 350.f
naomis portus 97.c
napis 305.c
narbona ciuitas à Carolo martello obsessa 183.c
narmia, ciuitas 962.d 184.c à Bessa capta 160. c. item à narsete 167.b
narrationis præcepta 1021.a
narses apud iustinianum imperatorem accusatur 168.c
narsetis perfidia 144. e. pietas 167 a. res contra gothos gestæ 166.e.167.b. & c. 167.b.168.c.
narthecis insula 358.d
natisanis pons 178.c
nauarri à Carolo in deditionem accepti 193.a
nauferij contra Pipinum res gestæ 188.f
naugardia ciuitas 479.a
naulum à florentinis occupatur 272.c
naupontus 409.b.409.a.
neandrini pop. 350 c
neapolis ciuitas 359.b.ab alphonso rege capta 467.b ab alphōso expugnatur 469.a. itē à Belisario 160.d 469 b. item ab henrico & constantia 229. b.ab Hunnis 154.d. à Totila 164.d.eodem.
neapolis restauratur 241.b
neapolitanum regnum turbatur 266.f
neapolitani obsessi ab Anello fabro produntur 46[illegible].c
neapolitani reges cur Hierosolymæ reges scribāt 235.a
neapolio Cardinalis ursinus fol. 257.c
neclam principis iustissimi imago 90.d. 89.b
neclam iuuenem quem sortes designauere dijs pro hostia cædit 89.b
neclam duringi nefandum facin⁹ morte ulciscitur 90.d
neclam moriens nottoricum principatus hæredem instituit 90.c
neetionis principatus 341.c
neleus miletum ædificat 356 f
nelei bibliotheca 351.c
nemesis templum 345 b
neocles Epicuri pater 358.f
neoptolemus glossographus fol. 345.b
neptai ciuitatis amplissimæ descriptio 291.b
neptuni Heliconij festa 359.a
neronis effigies 323.b.castra fol. 223.b
nessei pop. 290.c
nestor dux fauentinus 465.c
neuuenburgensis ci. 423.b
neumētani debellātur 205.b
nibarus mons 318.d
nicanoris facta 342.c. & mors ibidem
nicasius Ramensis episcopus ab Achila rege capite truncatur 152.f
nicea obsessa à Christianis 209. c. à Gothfredo capta 339 b. item à turcis capta & munita 209.b
niceæ op. descriptio 339 b
niceas coorū tyrannus 365.a 339 b. (190.f
nicenum cōcilium 31.b.23.d
nicephorius lucus 342.f
nicephorus botoniates imperator 207.b.captus fit monachus eodem.
nicephorus græcorum imperator 201.b
nicephorus à pontifice excōmunicatur 207.b. in carcerem cōiectus lingua & oculis orbatur 191.a
nicete res gestæ 193.b
nicolaus amici theologus parisiensis 4 f. & 34.b
nicolaus Amici concilij acta repetit & nouam sessionē indicit 41 c
nicolaus Aucupis nortmannus 3.b
nicolaus de cusa Eugenianorum Hercules 3.c
nicolaus de Dinckelspihel fol. 718.f
nicolaus fregosus 445.c
nicolaus Gallecus Thaboritarum sacerdos 117.c
nicolaus pistoriensis 451.b
nicolaus Sagundinus 384.d
nicolaus tibout nortmannus theologus insignis 51.b
nicolaus uenetus de mancino 287.c
D. nicolai sanctitas 371.a
nicolai gallici admirabilis eruditio 22.f
nicolai Laurentij scribæ apud Rom. seditio 266.a
nicolai Picenini militaris fortitudo 39.c
nicolai Pinicini res gestæ 463.a.452.f
nicolai Pisani uenetorum ducis contra genuenses res gestę 268.c
nicolai saguntini encomium 452.f. scripta 307.b. nicomedia ciuitas 348.d. à Gothis depopulatur 145.a
nicomedis cum mithridate bellum 334 f
nicopolis Armeniæ ædificatur 326.d
nicopolis in sinu Ambracio fol. 406.
nicosia ciuitas 377.b
nidou Heluetiæ op. 3.a
nigropont. op. obsessū 223.a
nigropontis insula 233.b
nilco baro Valdescenensis fol. 110.d
nilco grussinabarus litubur gensis 110.d
nili ortus 647.c, inundatio 334 c.& 235.a. paludes 284.c
nillas gothorum dux captus Romam ducitur 160.c
nimislai ducis stupiditas & inertia 89.a
nini regis in Asia res gestæ fol. 382.c
niphates mons 315.c.317.b
nisa ci. expugnatur 530.d
nisea 294.f

nisei equi 319.a
nisibis oppidum 322.c
niuium in Armenia crassitudo 318.e
nobilitas plerunq; ex sceleribus nascitur 640.d
nobilitas uera uirtute paratur 84.e
nobilitatis gradus 640.d
nobil. soror humilitas 33 b
nodeæ uirginis fortitudo militaris 87 b
noæ arca in Arinemie mõtib. post diluuiũ reperta 318.d
nogardia ciuitas 419.a
nomades pop. 288.e.300 d
nora ciuitas 327.a
noradinus Turcorũ rex 225.a
noradini res gestę 220.d
nor ationes hæretici 28.d
noraxus oppidum 327.a
norba 220.f
norinbergæ descriptio 436.d
norinbergen.cõuentus 547.e
norenbergensiũ cũ Alberto Marchione bellum 436.f. & 481.b. 483.a
norenbergensia comitia 2.d. comitia 116.d
noricus ager à Visogothis depopulatur 146.e
norici pop. 436.e.437 b
normania à Francis subacta, fol. 441 b
normanni Aquitaniam depopulantur 196 f
normannorum in Italia bellum 204.e.in diuersas prouincias excursiones 196.f.
norossi populi 290.e
noruegia regio 426.e.419.b
nostiricus 9. Bohemorũ dux fol. 90 d
noua ciuitas ab Australibus ob captum Sigismundum imperat.debellatur 131.b
nouæ ciuitatis in Stiria descriptio 515.f
nouariana hæresis 257.a
nouariensiũ à Medio Lanensibus defectiones 418.d
nouarienses se Mediolanẽsiũ imperio commitũt 447.b à Normannis grauiter uexantur 196.f
nouus locus ciuitas 331.a
nouus murus, locus 345.d
nubes uiginti cubitis è terra sublimes inter se pugnare uisæ 455.a
nuceria obsessa 276.f ab Alphonso rege Arrag. per deditionẽ capta 467.b.163.d
numerorum in oratione certa habenda ratio 1013.f
numidia à Vandalis depopulatur 151 a
nycosia ciuitas à Trugosio ui capta 378.e. à Turcis direpta 378 e
nysa ciuitas 363.b

O

Obordma regio 317.c
obrinea fluuius 435 b
occupatio 1015.c
oceanus 283.c
ochus fluuius 292.d. 294.f. & 292. f
octauianus Cardinalis Vbaldinus 245 b
octauianus ueteranos suos honorat 653.b. & c. 654.d. à Pontifice excommunicatur 221 c
octauiani sepulchrum instauratur 157 a
oddo Columnẽsis dux apud Vrbinates ob libidinẽ in matronas nobiles populari tumultu obtruncatur 465 a
oddonis Burgundię ducis in terra sancta res gestæ 230.d
odoardi Angliæ regis res gestæ 252.f
odonati res gestæ 312.d
odera fluuius 423.a.82.f. & 415.a
odacer Italiæ rex appellatur 156.d. Italiam seruitio præfecit 144.e
odoacer Rugorum milites ad internitionem usque deleuit 156.d. à Theodorico contra fœdera interficitur, folio 156 f
odoardi Angliæ Regis cum Francis bellum 253.c
oenæ incolæ ouis uictitant, folio 294.f
oencẽ oppidum 359.a
oenones sepulchrum 347.b
olana castellum 319.a
olbia ciuitas 372.d
olbus ciuitas 374.f
oldericus Bohemorũ rex 203.c
olei fons 292.e
oliga 334.f
olgasis 334.f
olgasi montis descript. 334.f
olondæ populi 296.e
olomucensis episcopatus in Morauia inimicus 414.f
oltenna fluuius 423.c
olybrius Leonis imperatoris dux 154.f. occidentalis imperij à Romanis imperator appellatur 155.a
olympius Italiæ exarch. 177.b
olympus mons 371.b. 377.a. 338. oppidum f. 371.b
olympus Mysius 338 f
omonades populi 336.f
onesecriti error 292.d
onochiti lapidis prouentus. opa ciu 318 f (328.e
opandix metallum 319.a
ophiusa insula 368.f
opij Sabini res gestæ 144.f
opitergini ad Genetenses & Taruisinos migrant 178.e
oqueni populi 431.b
oraculum murium Teucris datum 350.d
oratio quibus uerbis apte au spicanda 997.a
oratio numerosa quomodo exornanda 1013 c
oratio obliqua 999.a
oratio ornata ex uerbis multiplicanda 1007.a
orationis concinna compositio 993.a. iunctura & positio 992.f. natura & dignitas 995. b. partes 994. f
orationis prolixitas uitanda fol. 994.d

in oratione uerba ociosa & superuacua uitanda 995.c
in oratione dignitas & natura rerum consideranda 995.b
orationes quibus uerbis sint auspicandæ 997.a 1016.f
oratoria ars à Græcis ad Italos ab Italis & Germanos translata 647.a
orbalisena 326.d
orbisena prouinciæ 326.f
orta ciu. à Linthprando capta folio 185.a
orcanes Turcarũ imp. 395.b. & eius res gestæ 384 e
orchisena regio 318.e
orebitarum fratrũ exercitus, 115 a. hæresis 110.f
orestes in Italia captus, occiditur 155.c
orestis in Cathaon. facta 326.f
orgasi populi 290.e
orientale imperium quoties mutatum 309.c
orithiæ mulieris facta 298.e
orlioze fluuius 83.a
ormisda 313.a
orodes Colchorũ rex 306.e
orontes fluuius 375.c mons 285 c. 314.d
orphani in horreis cõflagrantur 120.f
orphanorũ descriptio 120.f. exercitus deletur 120.e. hæresis 114. f
ortona ciuitas à Pipino capta fol. 192.e
orthographiæ præcepta 985.c
ortorocaras mons 286 e
ortygia sylua 359 b
os lacus 346.f. 347.c
os porci fit pontifex Ro. 196.e
os Plutonium 364.d
osiris 382 e
osmundus Anglus canonizatur 461.a
ostasius Polotensis 264.d
ostilia Veronensium 156.e
ostrogothi ab Hunnis uexantur 151.b. 145 b. in Italia delentur 169.a
ostrogothorum nomen obliteratum 168 d
ostrogot. incursiones 145.a
othardi Saxoniæ ducis cõtra Bohemos res gestæ 94.f
otho episcopus Maguntinensis 435.c
otho imperator 202.d. 232 f
otho rex à piratis captus in Siciliam ducitur 201.c
othonis Germaniæ regis in Romanos crudelitas 201.a contra Berengarium & Albertum res gestę 199.c. item contra Bohemos 200.d. item aduersus Vngaros. eodem 233.a
othonis Rufi imperatoris in Bohemos obraptã filiam expeditio 93.c
othacarus Bohe. rex 97.c. 98 f imperatori Ro. iurat 98.d
othocarus Marchio Morauię 97.b. & quintus Bohemorum rex ibid.
othacari cum Rodolpho comite Habspurgẽsi dissidia 97.c. & 98.d
otrea ciuitas 339.c
ottar Hunnorum rex 152 d
ottattij turris capta 468.e
ottomanni Turcarum imp. res gestæ 384.d. & e. 395 a
ottomannorum progenies, folio 384.c & f
oxiphetheon 350.d
oxus fluuius 292.d. 294 f

P

PAcori res gestæ 310.d. 311 a
pactias mons 358.d 362 f
padua ciu. ab Hunnis direpta 153 a. à Vene. obsessa 265.a
paduanus ager depopulatur, fol. 237.b
paganus Bulgarorũ rex 188.e
palatinus Rheni excõmunicatur 858 f. tres principes captiuos abducit in arcem suam 855.b
palæpaphus oppidum 377.a
palæscephis 349.a. & b. 350.c. & 151 a
palentinus ager depopulatur fol. 148.d
palemonis facta in bello Troiano 333.b
palestina à Saracenis occupatur 195.c
palladis templum 347.c
pallianum oppidum 236.e
palmarum lucus 361 c
pamphylia 325.b. 171.c. ad fidem Christianã conuersa, fol. 372.c
pamphyliorũ primordium, fol. 372.c
pamphilicum mare 285.b
pamphilona ciu. à Francis capta 190.e. & solo æquata eo.
panaxagorus 298.f
panda fluuius 356.f
pandarus 371 a
pandulphi Malatestę res gestę fol. 269.b
panætius philosophus 369.b
panionia ciuitas 359.a
pannonia à Bulgaris occupatur 179 a. 195 c. item à Bulgaris 195.c à Galis 355 a. ab Hunnis 172.f. à Longobar. 169. a
pannonia misere depopulatur à diuersis 388.d
pannoniæ descriptio 387.c
panormita festo die fidei causam agi negat 38.f
panormitanus Arragonũ regis in Concilio Basiliensi legatus 26 d. Eugenianorũ Achilles 42.d. Papam ecclesiæ dominũ constituit. 6.f Eugenij malas artes publicauit 43 c
panormitani de Eugenio disputatio 5.b
panormitani in Concilio Basiliensi oratio 5.c. & 23. b. & 33.c
panormitani in patres Concilij aperta conuitia 38.e
panormus portus 359.b
panthicapeum op. 304.d
papa & Cardinales auaritiæ serui 677.b
papa possit'ne rem inferre in ulto concilio 21.a

papa nullam potestatẽ habet contra Concilium 6.d
papa num Cõcilia possit dissoluere 5.b.uide pontifices
paphlagoniæ descriptio 323.c
paphlagones pop. 330.e.332.f
paphus ciuitas 377.a
papia obsessa 189.b.& c.& iterũ ab Alboino obsessa 169.c ab Vngaris capta 199 a. obsidione à Longobardis cincta 187.a
papiensium intestinæ discordiæ 447.b. ad Franciscum Sfortiam defectio 447.b.c
papiense Concilium 77.a
papias Hieropolitan⁹ Episc. (360.e
papuscon 122.f
papyrius martyr. 343.a
paracanda ciuitas 292.d
paradisus terrestris 284.e
paradisi locus ubi 647.c
paracoathia 314.d
paracoathiæ montes 318.d
parbrunium oppidum 194.e
paracoatras mons 314.d
parenita 319.b
parentium oppidum 408.f ab Hunnis direptum 153.a
parenticum à Venetis captũ, folio 222.e
parescitacini populi 314.f
pariades mons 317.a
pariadra 318.d 330.d
pariadra mons 330.f
parij populi 310.d
parisienses à Normannis grauiter uexantur 196.f
parisiense Concilium 256.d
parisiorũ suburbia ab Othone imp. incensa 201.b
parium oppidum 345.b
parma ciuitas obsessa 240.d à Bohemię rege capta 263.c & a Matilde 215.b. à Francisco Maria in deditionem accepta 449.b.item à Gallinico 173.a
parmenses à Friderico imp. crudeliter tractantur 240.e à Longobar.grauiter uexantur 167.a. item à Scaligero (264.f
parmenses Guelfos urbe expellunt 259.a
parmadi populi 290.e
paropamissus mons 286.d
partharis Beneuentanus dux fol. 178.e
parthenias insula 358.e
parthenius fluuius 333.c
parthia regio 286.d.308.e
parthi Scytharũ exules 309.a ab Ardaburio profligantur 150.e.à Iustiano bello superantur 159.b
parthorũ primordia 309.a & c. ritus & mores 309.a. b
parthorũ imperij initia 310.d limites 308.f
parthorum collegium 309.a cum Hyrcanis familiaritas 309.a. innata ad belligerandum felicitas 309.a.bella diuersa 309.c. cum Romanis bella 311.c
parthis p̃dicatur euãgel.313 c
parthoatras mons 286.d
participiorum in oratione usus 1007.b. 1008.e. 1007.b
partitiua nomina in oratione quomodo usurpanda 998.f
parui populi 431 b
paschalis Veneto. dux 450.e
pascalis põt.Max.194.f. 214.e. & 215.c.& 216.d.
pascasi⁹ Siciliensis episcopus 19.c.absq; autoritate pontificis Concilium in Epheso conuocat 19.c
passeres à Strabone in os Plutonij immissi 364.d
passerinus Bonacosa 262.d
patara ciuitas 370.f.371.a
patauium oppidum 433.b. ab Agilulpho obsessum 173.a à Bucelino depopulatum 167.c.à Longobardis incensum 173.a
patauiæ descriptio 739.c
patauiensis episcopus præpeditur cõfirmari propter Cæsaris indignationem 697.a
patauienses episcopum expellunt 68.f
patauini paludes suæ ditionis,ab Hunnis fugati,inhabitant 156.d
patauinorum cum finitimis contra Henricum imperatorem fœdus 222.d
patauricena regio 308.e
patibulorũ tria genera 123.b
patricius Ro.tyrannus 154.e
patrimonium Petri 96.d
patrocli tumulus 346.f
patronax Brixianus Casinensem monasteriũ ædificat 182.f
paulus apostolus doctor gentium 375.b
paulus Affiarta 188.f
paulus Vergerius 951.c
S.pauli progenies 345.c mors 386.d
pauli Aemilij in Epiro res gestæ 406.e
pauli Antiocheni episcopi de natura Christi opinio 28.d
pauli Vergerij Iustinopolitani laus 392.f
paupertas in senibus ac illiteratis miserrima 1.b
pazaites Rex cauea inclusus per totam Asiam circumuehitur 313.b. 395.c
pazaitis Turcarum imperatoris res gestæ 384.e. 395.b parthis bellum 313.a
pazemanetica regio 330.f
paxani populi 303 b
pedasium promont. 377.a
pedasus oppidum 350.e
pediculorum mons 357.c
peium castellum 335.e
pelagi⁹ põtifex eligitur 168.e
pelagura pontificis ad Venetos legatus 257.b
pelamidum copia 330.e
pelasgia insula 355.b
pelasgi populi 353.c. 382.d
peltina ciuitas 83.b
peligni ab Alphonso subacti, (469.c
pelinæus mons 361.c
peltinus campus 363.c
peloponnesus tota Turcarũ imperio adiecta 405.c
peloponnesi descriptio 405.a

pelzina ciuitas obsessa à zischa 111.a item ab Orphanis & Thaboritis 119.b
præsidio munitur 107.c
pelzinensis territorij deuastatio 111.a
peneus fluuius 404.e
penthasileæ fortitudo militaris 298.f.&.299.a
penthyli res gestæ 344 f
penuinonis Foroiulianorum ducis res gestæ 182.f
pentapolis 137.c
pera ciuitas 401 a. oppugnatur 273.c
perasiæ deæ cultus 327.b
perenses Mahumeti deditionem faciunt 402.f
perfidiæ exemplum 93.a
pœna 90.d
perga ciuitas 372.d
pergamenũ cur à scribis tam care uendatur 599.b & c
pergamum oppidum 342 d.e
perinium depopulatur 320.d
perona ciuitas à Pragensibus capta 111.b
M perpennæ contra Aristonicum res gestæ 362.f
perpetua à Francisco uicecomite extra matrimoniũ amata à Blanca interficitur, fol. 462.e
persæ Armeniã inuadũt 319.c
Aegyptum depopulantur, fol. 175 b
persarũ imperij limites 291.b
persarum cum Heraclio strages cruentissima 175.c
persesij populi 296 d
pertharis Longobardorum rex 179.b
perusia urbs obsessa 165.b
à Constantino capta 160. e
item à Gothis 165 c. à Narsete 167.b. item à Rachisio 186.c. à Romanis recuperata 172.d
perusini seruitutis iugũ excutiunt 279 b
perusinorũ cũ Aretino episc. bellum 261.c. gloria 361.a
contra Fulginatenses res gestæ 251.b
pesta Vngariæ 390.e
pestis dira grassatur 102.e
184. d. 234. f. 248. f. 785.b
pestis in Italia crudelis 267.b
pesus oppidum 345 c
peti Cesennij in Armenia res gestæ 322.e
petnelissus fluuius 372.d
petra ciuitas ab Alexandro capta 292 d
petramala ciuitas 260.e
petreus uicus 304.e
petrinus Cypri rex 271.a
petrus abbas S. Cucuphatis, folio 52.e
petrus Anglic⁹, sophista 117.c
petrus apostolus per congregationem apostolorum recte deprehenditur 15 a
pet. cur Simon appellat⁹ 14.d
petrus nullam habuit prærogatiuam præ cæteris Apostolis 12.d
pet. apostolus generali Concilio obedire coactus 15.a
petrus solus totius Ecclesiæ gestauit personam 16.d
petrus quibusdam Ecclesiæ caput 12.d
petrus uertex & os collegij apostolorum 16.d
pet. Arrago Sardiniæ rex 251.c
& eius contra Carolum res gestæ 252.d
petrus de atro 52.f
petrus Auria 272.f
pet. Borgia Ecclesiasticæ militiæ dux 461.a
petrus Corbariensis monachus 262.f
petrus Dresensis de Eucharistia contra Pontificios disputat 104.c
petrus Gambacurta 278 e
petrus Grauinæ comes 260.d
petrus Gulielmus Lateranensis ecclesiæ Bibliothecarius 183.a
petrus imperator Constantinopolitanus 234 d
petrus de Luna 80.d
petrus Morroneus 260.d
pet. Philardi Cretensis 281.a
petrus Rubeus Venetorum dux 265 a
petrus Teupolus 237.c
petrus Trauersarius 239.b
petrus de Tridia 57.c
petrus Vineus 238 c
S. petri castellum 368.d
S. petri oppidum 370.d. & e
petri patrimoniũ 204.f. 96.d
petri sedes Patriarchalis ubi, fol. 210.f
petri Auriæ res gestæ 274.e
petri Columnæ res gestæ 214.f
petri Eremitæ contra Saracenos res gestæ 209.a
petri Fregosi encomiũ 445.c
& eius in Cypro res gestæ, fol. 271.a
petri Pauli Vergerij Iustinopolitani laus 392.f
petri Rogerij facta 252.d
petri Starenbergij fortitudo militaris 108.d
peuce insula 393.b
phacemonetica regio 331.c
phaëtontis fabulæ explicatio folio 605.c
phangoria ciuitas 304.f
phanarea reg. 330.f
phanæ 361.c
phanias Philosophus 354.f
pharasmenes Iberorum rex 320.f. eius facta 321 c. cõtra Mithridatem res gestæ 320.f
pharnacia 329.a. 330.d
pharnacis mensis fanũ 331.a
phassas cum suis interficitur folio 165.c
phasilis op. 371.c. tribus 371.b
phasis fl. 302.f. 318.e. 300
phasis oppidum 302.d
phazemonensiũ thermæ 331 c
phellus 371.a
Pheltei Rugorum regis contra Erulos res gestæ 156.d
pherea ciuitas 406 d
philadelphia terremotu corruit 343.c (342.c
philleterus Thien. eunuchus

phileterus autor generis regum Attalicorum 333.a
philibertus Cõstantiensis episcopus 122.d
philippa regis Angliæ filia Hẽrico Pomeraniȩ regi despõsatur 426.f
philippicus captus excecatur 182.d
philippi Nizepoli somnium fol. 180.f. exilium 182.d
philippus Aurea 267.c
philippus Angliæ rex 222.d
philippus Frãciæ rex 260.d
philippus comes Gebennensis 62.d
philippus Mediolanensium dux 445.b
philippi burgũdiæ ducis laus 654.f. res gestæ 442.e. defectio 440.d. uotum contra Turcas 478.f. contra Turcas expeditio 397.c contra Traiectẽses bellum 429.c.& 430.f
philippi ducis burgundiȩ pater securi percutitur 612.f
philippi Franciæ regis res gestȩ 233.b. 252.f
philippi mariȩ res gestȩ 446.f 446.d.
philippi tarentinorum ducis res gestȩ 255.a. 260.e
philippi tidicij res gestȩ 261.c
philomeliam 340.f
philomena ciuitas 212.e
philomenia ciuitas capta à Frederico imp. 229.a
philosophiæ utilitas 352.d 928.d. laus 619.c. & 620.d 991.a
philosophus quis 991.a
philosophi qui reuera dicendi 485.c
phithiophagi 305.b
phocea 354.d
phœnicia à tigrane ui capta fol. 320.d
phœnicus mons 371.b
phœnix mons 367. & castellum ibidem.
phœnicis auis descrip. 554.d
phraatis Parthorum regis gestæ 310.e.& f. 311.a & b.
phrisiæ descriptio 428.a libertas 429.a
phrisonum ritus & mores 429.a. summa apud Romanos autoritas 429.a
phritionia 344.f
phrycius mons 354.d
phrygia 337.c. 341.a
phrygia parua 338.e
phrygiæ maioris descriptio fol. 340.d
phryges pop. 338.e. 341.a.& fol. 382.d
phrygius campus 363
phryntius tragic⁹ poëta 357.b
physcus op. 368 d
phthiraphagorũ natio 302.f
phylemon poeta 374.e
picentium regio uarijs infortuni procellis agitatur fol. 962.d
picenum op. infestatur 162.e
picinini contra Senenses perfidia 478.e
pictaui à Normãnis grauiter uexantur 196.f
pictauorum agri depopulantur 183.b
picti britanniam depopulantur 150.e
picturȩ laus 647 b
picturæ & eloquentiæ collatio 646.f
pilati patria 436.e
pileus Pelasgorum dux 353.c
pimolisena regio 332.d
pinara ciu. 370 f. & 371.a
pindus fluuius 375 c
pinenses à trausemundo subacti 185.b
pinus Odelafus 280.f
pinus pulchra & spaciosissima 349.a
pipinus Aquitaniæ rex 195.a Austrasiȩ regulus 180.d Francorum regnum ambit 180.f
pipinus Francorum rex pontifici multas urbes tradit fol 188.d
pipinus nanus 434.e
pipini imperium 185.c. res gestȩ 186.d. 192.e. 188.e. item contra Longobardos res gestæ 187.a. & contra Mauros. 193.a. Venetos 193.b & Vngaros 191.b
pipini Frãcorum regis mors fol 182.e
piponi Florentini res gestæ fol. 486.f
pisa capta & direpta 251.b
pisanum concilium 29.b
pisanum concilium non rite congregatum 20.e. & f
pisanorum cum Florentinis propter portoria bellum fol. 269.b
pisanorum contra Genuẽses bellum 238.f. 252.e
pisanorum cum Genuensib. cruenta pugna 252 f. in Saracenos expeditio 213.d
pisanorum sagittarij Romæ trucidantur à seditiosis ciuibus 259.b
pisanis datur archiepiscopatus 219.a
pisanei Venetorum ducis mors 275.b
pisander poeta 369.c
pisandri sepulchrum 366.f
pisidia regio. 332.f
pisidæ pop. 337.a. 370.f. 371.c
pisidorum regionis descriptio 337.b
pissias Gothorũ dux captus Romam ducitur 160.e
pistoria ciuitas fame à Castrutio ad deditionem compulsa 262.f
pistorum op. à Pisanis uastatũ 269 b. restauratum 257.c
pistorienses florentinorum imperio submittuntur fol. 263.c
pistoriensium agri depopulantur 242.e.& 260.e
pistoriensium arx à Philippo carnotẽse expugnatur 262.f
pistoriensium cum Castrucio fœdus 261.b

pistoriensium florẽtinus pax fol. 263 a
pistoriensium ciuitas deditione capta 257. c. mœnibus & fossis spoliata. eodem
pittacus Mityleneus 355. a
placentia ciuitas à Gothis obsessa 164. e capta à Venetis occupatur 447. b. expugnata 447. b
placentini à Longobardis uexantur 167. a
placentinorũ à Mediolanensibus defectio 448. d
placidia 149. a
placidiæ uirilia facinora 150. d
platanius 373 b
platonis de ciuitate gubernatoribus documentum 50 e
plinij error 324. d. 409. a
plumbinũ op. obsessum 453. b. oppugnatur 456. f
pluuia aurea 369. a
plumbinensium primordia fol. 456. e
pluto 305. c
plutonis templum 363. b
plutonium os. 364. d. 363. b
podius sancti Venceslai comes 91. c
poecila petra 373. c
poesis encomium 619. c. 596. e
poetica Iurisprudentia melior 621. a
poetices uituperium 938. d
poeticæ dignitas 596. d. 621. a
poeticæ laudes 937. c. & 938. c. & 943 a
poetici dictis omnibus non adhibenda mens 983. b
poetæ cur hodie pauci 594. e 595. c. 599 a
poetæ cur hodie tam pauci fol. 599. a
poetæ quo iudicio & fructu sint legendi 598. f
poetæ cur Tibizando scribant 600. d
poggiebricus ab histrione de sacris sapienter interrogatur 135 a
pogglebraciũ op. 83. b. 113. b
pogius Florentinus 454. f
pognitius fluuius 436. c. 435. c
pola ciuitas 408. f. incenditur 238. f. & 275. b
pola ciuitas ab Hunnis direpta 153. a. à Venetis capta 230. d. 222. e
pola à Venetis subacta 222. e
polemo rex 303. c. 304. f
polentia uicus 146. f
policleti error 291. a. 294. d
poliena locus munitissimus fol. 349. a
polignium op. 303. a
polimartium op. à Liuthprando rege captum 185. a. à Romanis recuperatũ 172. d
polimbotras 653. a
politianum op. 277. b
polonia depopulatur 94 e 240. e. & 126. e
polonia bohemorum imperio adiecta 96. d
poloniæ descriptio 415. c
poloniæ regis cum Alberto bohemiæ rege bellum 125. c 126. d. cum Cæsare pax 547. a. bellum cum fratrib. Teutonicorum 488. f
poloniæ principum cum Austriacis dissidia 589. & 590.
poloni unde dicti 84. f
poloni ad Christum conuertuntur 92. f
poloni ab Alberto duce Austriæ uincuntur 389. b. item à Bisetislao 94. e. & ab Vdalrico Bohemiæ duce fol. 83 b
polonorum primordia 84 f. & fol. 173 b
polonorum cum Rodolpho Sagouiæ principe prælium atrox 422. d. cum Teutonicis fratribus certamen 421. a & b. & 422. d
polycarpus Smyrneorũ episcopus 360 e
polyphagi 303. b
polycratis imperium 358. e fortuna ibidem.
polymedium 350. f
pomaratium ab Alphonso captum 453. a
pomerantia regio 74. f. 423 a
pompeij in Armenia & Ponto res gestæ 328. f. item contra Mithridatem 320. e
pompeiopolis ciuitas 367. b 370. f. 384. e
põpeiopolis ædificatur 334. f
pomponij Melæ error 408. f & 409. a
pons ciuitas frustra à Pragensibus obsessa 111. b
pons ex utribus factus 292. f
ponticum mare 337. e
ponticæ regionis descriptio 328 f. & 329. a
pontifex Romanus num ecclesiæ minister aut dominus 6. f. unde seruus seruorum dicendus 6 f
põtifex uicarius Christi 9. 12. e ecclesiæ uicarius 11. a
pontifex uerius dicitur uicarius ecclesiæ quàm Christi fol. 17. b
pontifex Romanus caput militantis ecclesiæ 16. e
pontifex ecclesiæ quidẽ membrum sed caput nequaquã fol. 16. f
pontifex Romanus cum suis dominium affectat contra manifestam scripturam fol. 7. a
pontifex potest errare peccato obnoxius 8. f
põtifex maiori quolibet alieno est Christiano 8. e
põtifex ob fidẽ & ueritatẽ bonos beneficijs spoliat 52. e
pontifex non solus conciliũ constituere potest 19. c
pontifex Rom. non est supra concilium 8. d. & e. 79. c
pontifex summus qua ratione in concilio Basiliensi electus 58. d
pontifex in concilio Cõstantiẽsi concilio subiectus 13. b
pontifex concilio generali subiectus 6. d. 10. f. & 12. e

pontifex an per concilium deponi possit 15.c & 17.a. & b
pontifex non custos debet esse castrorum & mœnium, sed animarum 76.b
pōtifex Romanus non sufficit ad conuincendos & iudicandos hereticos 15.c
pontifex non audiens ecclesiam iudicatus Ethnicus & publicanus 11.a
pontifex uxoratus num eligendus 59.b
pontifex quando schismaticus 20.f
pontificis autoritas 12. d. 20.f. 19.c
pontificis max. potestas unde 847.b
pontificis summi autoritas à Christo instituta 801.a
pontificis Romani offitium fol. 70.d
pontificis Romani coronatio quo apparatu & quibus ceremonijs fiat 61.b.& c
pontificis primatum qui auferunt hæretici iudicandi fol. 11.c
pontificis noui in cōcilio Basiliensi electio quàm difficilis 48.e
pontificis nouis electio trib. tantū uiris in concilio Bas. commissa 49.a
pontificis fautorum in concilio Bas.improbitas 42.e
pontificem eligendi potestas clero & pop. Rom. adempta 200.f
pontificem abutentem clauibus Ecclesia deponere potest 11.a
pontifici Romano cur obediendum 14.d
pontifici omnis ecclesię prælati cur subiecti 8.e
pontifices cur in constantiensi concilio depositi 80.d
pontifices Romani multi hęretici & peccatis apertis obnoxij 9.a
pontificis Romanorum electio cardinalibus quando concessa 204.f
pontificum Romanorum nomina cur in electione mutata 196.e
pontificum aduersus ueritatis assertores arma uiolenta. 52.d
pontificium Rom. constitutiones, minus proprie leges ecclesiæ appellãtur 13.c
pontificiæ insulę preciū 62.f
pontificale in concilio Basil. conuiuium 63.c
portuensis urbs à Vitige capta 161.a
populonium op. 453.b.& 456.e. captum & direptum fol 193.b
porcenallus bellicensis episcopatus 52.e
porciæ amor erga maritū defectum 626.f
porphyria ciuitas à Christianis obsessa 214.e
porri regis res gestę 653.a
portuensis ciuitas à Gothis capta 164.e. à Totila expugnatur 165.c
possideum 357.a
possidium 361.c 365.b
possidonius 369.c. 296.f
possonium op. 740.f. 115.b
pozonium op. 132.e
pactium op. 341.a
practius fluuius 346.d
praga op. 83.a incendio deformata restauratur 99.a
praga nouis mœnibus cingitur 101.c & 86.c
praga uetus & noua 83.a
praga à Gregorio per proditionem capta 128.f. ab Henrico imp. & Othardo obsidione cingitur 95.a. à Neschone obsessa & capta 93.& b. à Sigismundo rege expugnata 110.d. itē à zischa 113 b.
praga diu obsessa & deniq; expugnata. 100.f
pragæ oppidum unde dictū fol. 86.c
pragæ scholę artium liberalium à Carolo imp. instituitur 101.c
pragę pestis crudeliter grassatur 102.e & 129.c
pragæ templa diuersis sanctis dedicata demoliūtur 110
pragensis ecclesia quãdo Metropolica facta 102.d
pragenses iudæos interficiūt 102.e. Sigismundo desciscunt 108.f. urbem zischę tradunt 110.d
pragensium prętorium expugnatur 112.d
pragensium cum Hussitis bellum cruentissimum 108.d cum Hussitis induciæ & pax 108.e
pragensium consules Ioannē præmonstratensem, & eius confœderatos dolo interficiunt 111.c
pragensiū tria millia à zischa trucidantur 113.b
praganorū duces 89. & 90.c
pragitanus Vissegradēsis præpositus 110.f
pragmaticæ constitutiones 861.a. & 863.a
pratenses Florentinorum iugum excutiunt 271.a
praxitelis opera 360.d
praxiphanes 369.b
præneste diruitur 254.f
pręnestini debellantur 206.a
præpositionum in oratione usus 1011.a. & 1012.d
presbyteri ijdem qui episcopi 29.a
presbyteri num iudiciariam habeant in ecclesia potestatem 28.f
præstigia ueneficarum quàm efficatia interdum 89.c
præzorum oppidū expugnatur 117.a
priamus rex regum 346.f in clade contra Romanos interficitur 433 b

priami regnum quàm amplũ fol. 356.d
priapatius parthorũ rex 310.e
priapi fabula 345.b
priapum op. 545.a
prichichi elenotesis doctrina & eloquentia 115.c. & 116.d
priene ciuitas 357.c
prienensiũ primordia 356.f
prigeniza territorium 423.b
primislaus 1. Bohemorum rex. 97.b. ab equo in bohemiæ ducem electus 85.c ab aratro ad bohemiæ ducatum uocatus calceos querno robore facto secum adfert 85.d inuerso uomere cibum in mensa ferrea sumit 86.d. Libussæ matrimonio iungitur. 86.e
primislai calcei à bohemis cur seruati 85.e
primislai somnium 86.f
ad Valascam epistola 88.e
principis iusti officium 477.a
principes iustę ætatis eligendi 606.a
principes literati dijs similes fol. 603.a
principes doctrina & eruditione excellentes 602.d
principum orientalium contra Turcam confœderatio fol. 850.d.& 851.a
principum uitia unde nascantur 605.b
principibus non deest magna peccandi facultas 604.f
principatum gerere res periculosa 604 f.& 605.a
priscus Patricius imperium affectat 174.e
priscos Theodosij imper. in Scythiam legatus 151.c
priuilegia auferẽda sunt, quæ contra utilitatem publicã sunt concessa 846.f
proconesus antiqua 345.c
procopius Rabensteinus eques nobilis 127.b
procopius Rasus 117.c.114.f
procopij res gestæ 119.c
procopij biclinensium comitis contra Othardũ res gestæ 94.f
procopij magni res gestę 113.a. mors 120.e
procopij cum Pragensibus pax 120.d & e
prodigia 451.b & c. 455.a. 456.d.768. e.
prolixitas in oratione ingrata 994.d
pronominum in oratione usus 1001.a
prosper cardinalis 461.b
protarchus Epicureus 365.b
prothonotarius Carpẽsis ob libidinem inexhaustam ob truncatur 465.a

PROVERBIA.

Carica arma & signa 367.a
Caue à Thorace 363.a
Colophonem addere 361.a
Corycæus 361.b
Cui nullum negotiũ erat Harmenã muniuit 334.d
Cumani non sentiunt porticum &c. 353.b
Dum bella uigent, utendũ est mendacijs 572.f.& 573.a
Ex multis malis minimũ eligendum 639.b
Facies hominis, facies leonis 358.f
Mercator nauiga & expone iam omnia uenundata sunt 373.a
Nõ facile custoditur quod à pluribus amatur 636.f
In Phasim 302.f
Spem pretiũ emere 544.d
Sus Mineruam. 545.a
Sylosontis opera locus amplus est 358.f
Vitiosos & fallaces Vuestphalia facilius quã stultos gignit 432.d
prudentia utrum sit idem habitur cum scientia 594.e
prug op. 277.c
prusæ op. descriptio 338.e
prusia ci. 333.a.338.d & e
prusiæ regis res gestæ 338. d & e
prusia Vlinrigia dicta 97.e. à Polono subacta 438 f. fratribus Teutonicis adempta 421.a. restituta 421.b
pruteniæ descriptio 419.c
pruteni ad Christum conuertũtur 92.f. à Thaboritis & Orphanis debellãtur 120.e
prutenorum ciuitatum conspirationes 478.d in fratres teutonicos rebellatio fol. 421.c
psaltul apud Hebreos metrico carmine constant 596.f.
psatis fluuius. 296.e
psillis fluuius 337.c
psyta fluuius 305.b
ptarsconis contra thaboritas fortitudo 120.e
phtheleus lacus 346.f
ptolemais op.372. d. à templarijs occupatur 227. obsidetur. à turcis 253. c. expugnatur 229. a & b
ptolemæus Sublacensis 215.a
ptolemei macedoniæ regis res gestæ 335.b
pubecha mons 89.a
puerorũ ingenia quomodo formanda 966.e
pulchra pinus, locus 349.a
punctandi modus 1014
purgellinum castellum incendio deformatur 112.d
purpura regum tantum erat uestitus apud ueteres 356.f
puteolorum rudera 484.d
pygæ pop. 359.b
pygella ciuitas 359.b
pyiei in Ionia res gestæ 356.f
pylemonia reg. 335.d
pyrenei montes 286.e
pyramus fluuius 326.f.375.b
pyrrha ciuitas 357. c. promontorium 350. f
pyrrhus patriarcha occiditur fol. 177.a
pyrrhi Antiocheni cum bohemundo induciæ 212.e

pythagoras Philosophus fol. 358.e & f
pythana 350.f.
pythana ciuitas 352.f
pythanei pop. 352.f
pythia 345.e
pythius mons 545.c
pythodoris Pōti regina 363 b
pythodoris regina 383.c
pythodoris imperium 332. d & e
pythodorus 363. b
pythuisa ciuitas 345.c
pythuisa à xerxe Themistocli in uinum data 345.c

Q

Quadratus Syriæ pręses 321.a
Quercus in castelli modum munita 420.e
Quinda, locus 374.f

R

RAbani Treuerensis episcopi contra concilium Basiliense maleuolentia 3.b
rabani Veronensis res gestę fol. 233.b
rabi oppidum 111.a
racemi miræ magnitudinis fol. 293.b
rachisius rex 186.d. monachus ordinatur 186.e
rachisius Foroiulianus 185.b
rachisius Longobardorum rex 188.d. & res gestę 186.e
radagasi Vesogothorum ducis res gestæ 146.e
radgæ uirginis fortitudo militaris 87.b
radamisci res gestæ 320.f. crudelitas 321.a & b
ragiana regio 314.d
ragimbertus tyrannidē apud papiam inuadit 1 0.d. arma in regem suum mouit fol. 180.d
raginfredi cum theobaldo ciuile bellum 182.e
raginfredi mors 1 3 a
ragusium captū 223. & 232.e
rainaldus Vrsinus plumbinēsium princeps. 456.f
rainaldi Alemanni fortitudo militaris 209.b
rainaldi obitij res gestæ 262.d
raimundus Albioli Canonicus tirasonensis 52.e
raimundus cardonius Hispanus 261.c
raimuudus Conchensis abbas 51.b
raimundi sancti Egidij comitis res gestæ 209.b. 213.a
raimundus comes tripolitanus res gestę 227.a
raimundus Ptolemæus fol. 270.d
raimerus bondelmontus fol. 240 f
ramola ciuitas 213.c
ramula ciuitas à Christianis capta 214.e
ranio comes 223 b
raphael aduanus Genuensiū dux 445.c
ras fluuius 290.d. 296.d. 305.b
rascia 126.e
rascia ciuitas à turcis depopulatur 388.f
rasciani pop. 388.d
rassus rex 257.a
rastiani pop 393.c
ratha fluuius 288.d. & ciuitas eodem
rathodus Frisonum rex 182.e
ratiocinatio 1015.a
ratispona ciuitas 478.e
ratisponense cōcilium 656.e
rauenna pentapolis 184.f
rauenna Sabinensium oppidum 157.a
rauenna ciuitas 187.a capta 163.a 186.e. à Belisario obsessa 162.f. item à Feroaldo 171.a. à Liuthprando 184.e 185.c. à theodorico 156.f
rauennæ frumenta incendio consumpta 163.a
rauennæ mœnia ampliantur fol. 153.c
rauennæ exarchatus 187.c. & 188.d
rauennatis episcopi cum Romanis pontificibus contendunt 153.c
rauennates à theodoro magnis cladib. afficiūtur 181.c
rauennensium primordia & incrementa 157.a
raxes fluuius 296.f
razatenis cum Heraclio bellum 312.f. res gestę cōtra Christianos 175.b
relata ciuitas 210.e
regetæ ciuitas 160.d
reginaldus bononiæ comes suo comitatu deturbatur fol. 233.b
reginaris Gothorum ducis res gestę 166.f
religio uana iudicanda quæ sceleri locum facit 94.e
remensium urbs ab Attila capta 152.f
renaldus Inanfiliatius 278.e
renatus Lotharingiæ dux fol. 135.c
renundus Molānus regulus Alphonso reconciliatur fol. 466.e
renundi bulli res gestę 464.e
renundi Candolæ cum Alerandro Sfortia prælium fol. 468.d
repetitio 1015.a
retium Austrię op. obsidione cingitur 115.b
rex à tyrāno quomodo differat 8.d
rex suis & proprijs obligatus legibus 8.e
regis Christiani descriptio fol. 8.d
reges omnes ex seruis nati fol. 84.e
reges quomodo instituendi fol 928.e
regum primordia 8.d
regum uita morti conferenda 90.f
regum apud bohemos sepultura 107.b
regnandi libido 85. 380 e & f & 450.e
reucinum op. in agro Florentino

tino expugnatur 454 d
rhaecas dux belli 305.a
rhaga ciuitas à Macedonibus ædificata 315.b
rheæ deæ templum 345.c
rhegia ciuitas obsessa 269.c
rhegium à bohemiæ rege captum 253. c. à Gothis obsessum 166. d. à Lucio theutonico captum 270. f
rhegiensis ciuitas à Gonzaga per deditionẽ capta 265.a
rhegma locus 374.f
rheheæ montes 345 c
rhimus fluuius 390. d
rhenatus Siciliæ rex regno exuitur 440.f
rhenati regis res gestæ 449 b 468. f. & 469.a. cum Alphõso bellum 466. e & 467.a
rhesus fluuius 349 a
rhetium oppidum captum à procopio 115.b
rhetoricæ laus 9 9 a
rhitimer Gothus cum Alanis pugnat 154.e
rhodius fluuius 346.e
rhodus insula 368.f
rhodus insula à turcis occupatur 257.a. 369.b
rhodus insula à turcis subacta 381.b. 177 b
rhodus oppidum 369.a
rhodiorum primordia 368.f antiquitas 369.a. calamitates 369.c
rhoites fluuius 349.a
rhombites fluuius 296.e. minor ibid. & 304.d
rhombitarij pop. 304 d
rhosum op. 375.c
rhutenorum regionis descriptio 419.a
rhyndacum oppidum 339. a fluuius 344.d
rhytium oppidum 346.f
ricardus Hannibalensis 251 a
ricardus Manfredus Fauentinus 264. d
ricardus Vesogothorum rex fol. 171.c
ricardi angliæ regis res gestæ fol. 230.d. 378. d
ricardi Normanni in campania res gestæ 205.c
ricardus Vesogothorum rex filiæ Francorum regis nuptias ambit 171. b
ricardus ad fidem Christianã conuertitur 171.c
ringus Bauariæ dux uictus occiditur 191. b
riperia ciuitas ferro & igne uastatur 273 a
rirelucas 402.f
rithimer aduersus socerum bellum suscipit 154 f
ritihmer socerũ lacerari à carnificibus iubet 155 a. misere moritur eodem
riuellum oppidum direptũ fol. 219.a
roacius suspenditur 123.b
robertus Antisiodorẽsis imperator 236.f
robertus Calabriæ dux 256 f
robertus Flãdriæ comes 209. ab Anglo bello superatus, oculis priuatur 215.b
robertus Guiscardus 205. a excommunicatur 206 d
robertus magnani 52 f
robertus Normandiæ comes fol. 209.b
robert⁹ rex à monacho in eucharistia intoxicatur 259.c
roberti bauariæ ducis res gestę 280. d
rochezana ciuitas 114 d
rochezana à bohemis ad episcopatum uocatur 947. Romanã reprehendens ecclesiam apud Bohemos saluã ueritatem euãgelij esse profitetur 127. a
rochezanæ fides & disputationes 121. b 122. d. & f
rothomagensium fortitudo fol. 441.a
rodoaldus Longobardorum rex 177 c
radicophanum op. 96 d
rodolphus 8. bohemiæ rex fol. 100.d
rodolphus Hasslę comes in imperatorẽ eligitur. 249.c
rodolphus saxonię dux Alemãniæ rex declaratur 207.a
rodolphus Varaneus 271.b
rodolphi burgũdiorum regis contra Berengariũ res gestę 199.a
rodolphi comitis Habspurgensis facta 97. c. & 98. d
rodolphi imperatoris Rom. cum Othacaro pax 98 e bellum eodem. f
rodolphi imperatoris iustitia & integritas 488.c
rodolphi saxoniæ principis contra polonos res gestæ fol. 422 d
rogerius Apulię dux 208.
rogerius Italiæ rex 217.c
rogerij Siciliæ comitis res geste 214. c
rogerius ligius ecclesię factus fol. 207.a
rogerius ea quę in Italia amiserat, recuperat 219.c
rogerij contra bohemundũ fratrem bella 208 f. & 209.a
rohas hunnorum rex 152.d
rolandus Parmensis clericus fol. 206.c
rolus lacus 343.b
roma ab Agilulpho obsessa 173.b. 187.b. à Gothis 147. a 165 c. & 166. d 715.b
roma à Gothis deformata, à belisario restauratur 165.b
roma ab Hunnis incenditur fol. 153.c
roma ab Isauricis militibus Gothis prodita 164. f
roma à Liuthprando rege obsessa 185. a. item à Narsete obsessa 167. b. à Saracenis 196. d. Totila obsessa 164. c & incensæ 165 a
romanus Pontifex non est ecclesiæ caput 16. e uide Põtifex
Romani multarum gentiũ imperium tãquam inutile reieceerunt 307.a

romani imperij morbi 567.a
romani imperij pontificis potestas unde 8.f
romani pontificis iugum reijciunt 249.c
romanorum origo 84.d. libertas 195.b. dira fames 147.b
romanorum cum longobardis induciæ 171.b. in henricum imp. seditio 259.b. in hungaria siue pannonia res gestæ 358.d. cum mithridate bellum 382.f & 383.a
romanorum obsides in campania liberantur 165.b
romanorum uirgines pudicitiam ab hoste custodientes in tiberim se præcipitant 92.d
romanum imperium quomodo ad germanos translatum 434.f
romanum aduersus norationes, qui se catharos uocabant, concilium 28.d
romanæ ecclesiæ potestas & autoritas 5.c
romanæ ecclesiæ potestas unde 801.a.& 802.d.
romanæ curiæ uitia 763.a
romanæ curiæ omnia sunt auro uendibilia 549.c
romandiola prouincia 192.e. 202.f. bello uexatur 239.a
romandiola ueteribus incognita regio 303.b
romandiolæ imperium à bononiensib. amissum 270.d
romaniæ descriptio 393.c
rosana alexandri uxor 292.e
rosensium regulorũ agri depopulantur 131.c
rosimunda helmechildi uenenum clam propinat 180.d
rosimundæ mulieris astutia 169.c
rostochium op. 423.a
rotenburgensis ciuitas ab ulmensib. alberto bauariæ duci tradita 438.e
rothabites interficitur 182.f
rotharis bergomensiũ dux, rex decclaratur à militibus 130.c
rotharis lõgobardorum rex 177.a. captus in carcere iugulatur 180.c
rothifredus normãnorũ rex christianus factus baptizatur 197.a
roxani pop. 393.a
rubeus anguillarius 252.e
rubei fratres 264.f
rubinum à uenetis captum 222.e
rubinus antiquus cardinalis de cypro 57.a
ruthema uastatur 340.c
rudericus burgensis episcopus 126.e
ruffinus dum imperium sibi parat, interficitur 146.c
rufus anguillariæ comes 249.a
rugilanda prouincia à longobardis occupata 169.a
rugilandia prouincia depopulatur 156.d
ruglate ciuitas 160.d
ruinum op. captum & incensum 272.f
rupesmonachi oppidum ab anglorum rege obsessum 233.c
rusa ci. à christianis capta 210.e
russanum op. calabriæ à totila per deditionẽ captũ 165.c
russia depopulatur 240.e
rusticæ uitæ laus 503 a & b
rusunia 84.f
rutheni pop. 593.a

S

SAbaudiæ ducis contra domũ austriæ bellũ 583.b
sabaudiæ ducis cum delphino franciæ bellum 101.b
sabbas saracenorũ dux 196.f
sabbati cum heraclio bellum 312.f
sabbatinus aquæductus Romæ restauratur 190.c
S. sabæ monasterium destruitur 245.a
sabinianus pont. max. 174.d
sabinus bulgarorũ rex 188.c exilio damnatur 148.f
sabinum castellum à Guidone euersum 262.d
saburus interficitur 178.d
saca celebritas à Cyro instituta 288.f
sacani pop. 296.d
sacapena regio 317.c, 318.e
sacarum gentis excursiones 288.f
sacasena regio 318.e
sacasina regio 288.f
saccon torlatus 268.d
sachari decoctio 377.c
sacæ pop. 288.e
sacerdotum officia 801.b
sacramentum corporis & sanguinis christi quomodo tractandum 670.e, 671.a & 672.d
sacramẽti corporis & sanguinis Iesu Christi uera institutio. 104.c. 121.b
sacramenta ecclesiæ à Christo instituta 801.a
sacramenta ecclesiæ septem 677.a
sacrilegus est qui apertæ ueritati resistit 15.c
saczania flu. 83.a
safra uesogothorum regulus 145.c
sagia uicus 337.c
sagrus mons 314.d
sal infatuatum sunt prælati indocti 17.a
sal quo uolucres capiuntur 336.c
salis mira congelatio 336.d.e
saladinus turcorum rex 225.a. Hierusalem expugnat 227.c
saladini res gestæ 226.c. 227.a 228.d. 230. stratagema 228.f mors 230.e
salagasus op. 336.f
salamina ci. 377.a
salamis 377.a
salamus abderitorum regulus 194.f

salamina ciuitas 377.a
salamis 377.a
salamus abderitorum regulus 194.f
salardi ungarorum ducis in italia res gestæ 199.a
salaria uia 168.e
salas flu. 431.a
salentini à siciliæ rege subacti 221.b
saligium castellum 332.d
salinguerra ferrariensis 283.c
salernum per deditionem captum 207.a
salertini ab alphonso in deditionem accepti 467.c
salomon rex sapientissimus uerus fuit poëta 307.f
salomonis uxores à concubinæ 595.a
salomonis templum & christianis expugnatur 214.d
salomõ ungariæ rex à suis in carcerem coniectus 206.d
salon op. 339.b
salona ci. à gothis obsessa 160.d. à mundo duce Ro. capta 159.c
salonensis caseus 339.b
saluanus senensis prouincialis 243.a
S. saluatoris arx in mari ædificatur 471.a
saltatio nõ uirginum sed meretricum ludus 485.a
saltzburga ciuitas 437.c
saltzburgenses archiepiscopi 438.d
saluciarum marchio ut potẽtum superbiam uitare posset, porcariam puellã in syluis inuentam in uxorẽ ducit 531.a
samandrius hectoris filius 351.a
samij obsessi 358 f
samaria ciuitas 293.b
sammite pop. 290.e
samora 300.f
samus insula 358.d.& e
samanei pop 296.e
sandaracurgium mons 332.d
sandaracurgius mons 334.f
sanctitatis uocabulum multa significat 10.e
sanctona à normannis uastata 196.f
sanctorum reliquiæ in concilio Bas. in absentium episcoporum loca, religionis ergò positæ 43.b
sandalium op. 336.f
sangarius flu. 333 a. flu 336. d. 337.c
sanni pop. 330.d
saona ciuitas à roberto rege capta 261 b
saona flu. 296.e. 302.f
saonum armaturæ 303.a
sapor persarum rex 145. a. & eius cum Romanis bella 312.e
sapothremi pop. 296 d
sappho mulier doctissima 354.f
saraceni ex africa fugantur 180.f. item ex sicilia 196. d. italiã misere depopulatur 198.e. à iustiniano imp. uincuntur 179.c
saracenorum in africa & libya res gestæ 181. b. item in creta 197.b. italia 199.a. in diuersis regionibus 176. e. & f. 177.a.b.&.c
saracenorum in syriam irruptio 176.e. cum turcis amicitia 187.b
saracenorum strages cruentissima 212.f. 181.a. 183.b
sarannia ciuitas obsessa 241.
sarapta pop. 319.c
sarca puella in nemore strictis pedibus ac manibus insidiose arbori alligatur 87.b
sarcæ puellæ nefandum facinus 87.c.& 88.d
sardanapali cum arbace bellum 316.f. sepulchrũ 374.e
sardis op. 343 a
sardinia à mauris depopulatur 193 a. item à saracenis uastatur 193.b
sardesium initia, incremẽta, & uastationes 343.b
sargausa prætura 327.a
sariphus mons 186.d
sarmatæ 305.b
sarmatæ asiani 296.d
sarmatia à gothis occupatur 145. b à theodorico depopulatur 154.f
sarmatiæ terminus 82.f
sarmaticæ pilæ 296.d
saromena 329 b
sarpedonis promontorium 373 b
sara colũnensis 254.f. à piratis liberatur 356.c
sarracina arx 220 f
sarus flu. 326.f
satãbia arx 464.d
satalita ciuitas 373.b
satalicum mare 373.b
satmoëtis flu. 350 e
saturnalia festa à turcis celebrantur 383.c
satyri monumentum 304. e
sauera ciuitas 327.a
sauo flu. 222.d
sauromatæ 306.d
sauui flu. ortus 409.b
saxoniæ descriptio 422.e
saxonię ducum cum brunsuicensibus de electoratu dissensio 424 e
saxones ab henrico imp. uincuntur 206.e. francis confœderati deficiunt 191.b. rebellis à carolo francorum rege debellãtur 190.e. rebellantes iterum uincitur à carolo francorum rege 191.a
saxonum origo 290. e. antiquitas 422.f. ebrietas 475. c.& 476.d. in britannos sæuitas 155.c. cum carolo magno bella 422.f
saxonũ cõtra ungaros res gestæ 199 b
sbigneus cracouiẽsis episcopus 415.c
scabini uuestphalorum iudices 431.c
scaphatum à rhenato in deditione acceptum 467 a

ſcamander flu. 348.f
ſcamandrus flu. 351.b
ſcamandri oſtia 346.f
ſcamandrius 347.b
ſcandania 426.c
ſcandalũ caſtellum à balduino conditum 217.a
ſcandalorum op. 373.b
ſcandinauia in ſ. 169.a
ſcarparia ci. ædificatur 237.c
ſcarperia ab aulegiano obſeſſa 237.c
ſcarpeta odelafus gibellinorum princeps 256.d
ſcautia inſula 144.d.e
ſcinatæ pop. 308.f
ſcenicorum hiſtoriorum collegium 361.a
ſcepſis op. 350.e
ſchaduienna op. 493.c
ſcharlinum op. 836.d
ſchlaui pop. 409.a
ſchoti britanniam depopulãtur 150.e
ſchoti britanniam inuadunt 151.b
ſcientia quid 594.f
ſcipionis africani pudicitia & caſtitas 478.e
ſclauini ad chriſtianam religionem conuerſi 172.f
ſclauinorum gens à bauaris bello uexatur 172.f
ſclauinorum milites italiam depopulantur 166.e
ſclauonia 173.b
ſclaui pop. 388.d
ſclaui pop. 407.b
ſclaui agrum illyricum occupant 174.f
ſclaui à carolo francorum rege domiti 191.a
ſclauorum antiquitas 84.d
ſclauorum gens à cyrillo ad chriſtum conuerſa 91.a
ſclauorum lingua eius gentis hominibus ſacrificia facta concedente pontifice Ro. 91.a
ſclauorum contra ſaracenos res geſtæ 201.a
ſclauorum ex Aſia in europam migrationes 84.d
ſclercij equitis fortitudo militaris 89.b.& c.
ſcleſiæ deſcriptio 415.a
ſcorpionũ multitudo 366.e
ſcortationis apud anglos pœna 472.f
ſcortationis uitium abominabile apud deum & homines 608.e.& f
ſcortator omnis eſt idolatra 608.f
ſcotiæ deſcriptio 443.c
ſcriptura ueteris & noui teſtamenti fidei baſis 21.c
ſcrutiniorum in concilio Baſ. modus 57.c
ſcultenna flu. 177.a
ſcuni oppidum & à ſaracenis captum 204.d
ſcylex cariandrus 338.e
ſcylax hiſtoricus 365.b
ſcymmitæ pop. 296.d
ſcythia depopulatur 154.f
ſcythiæ deſcriptio 305.c
ſcythiæ aſiaticæ deſcriptio 307.a
ſcythiæ limites 305.c
ſczthæ pop. 144.f
ſcythæ pop. 286.f
ſcythæ orientales 288.e
ſcythæ Romanorum tributarij 433.b
ſcytharum deſcriptio 291.c
ſcytharum origo 305.c
ſcytharum cum ægyptijs de generis uetuſtate contentio 306.d
ſcytharum ritus & mores 306.e.307.b
ſcytharum cum diuerſis bella 306.e.&307.a b
ſcythis flu. 291.b
ſcythauri 289.c
ſebaſtia à thamerlano capta 313.b
ſebaſtianus zianus 223.a
ſebaſtiani comitis contra alanes res geſtæ 151.a
ſebaſtopolis 302.f
ſebaſtopolis ciuitas 331.a
ſecula ci. ab henrico imp. diruta 224.e
ſedechias hebræus 197.a
ſeiani inconſtans poteſtas 723.c.& 724.d
ſelenus flu. 373.b
ſeleucia ciuitas 314.c
ſeleucia ciuitas 315.b
ſeleucia 373.b
ſeleucia pieriæ 375.c
ſeleucia à parthis depopulatur 311.c
ſeleucus rex à gallis in aſia uincitur 310.d
ſeleuci perſarum regis res geſtæ 310.d.& e
ſeleuci cum antiocho de regno contentio. 310.d
ſelgæ urbis primordia 337.a
ſelgenſes pop. 337.a
ſelgenſium libertas 337.b
ſelgeſſus 336.f
ſelinuſius lacus 350.f
ſemantinus mons 286.e
ſemantini pop. 287.c
ſemiramidis agger 327.b
ſemiramidis agger 331.c
ſenectutis apud albanos honos 297.b
ſenio confecti mactantur à maſſagetis 299.b
ſenes cur plerumque ad rem magis attentti quàm iuuenes 529.a
ſenenſe concilium 77.a & 78.e
ſenenſes à carolo ſubiugantur 248.f
ſenenſium bella 242.d & e
ſenenſium diſcordiæ & bella diuerſa 455.b
ſenenſium agri depopulantur 247.b
ſenenſium agri depopulantur 259.c
ſenenſium præclara de florentinis uictoria 243.a
ſenonum prouincia à francis occupata 150.f
ſenſadolus 212.e
ſententia 1015.a
ſepta urbs à ſaracenis occupata 181.b

Index.

septemuadus fl. 349. c
sepulturę regum apud bohemos 107. b
sepusium op. 301 b
sepusium 712. f
sequana fl. 440. f
sera ciuitas 287. b
seramidis murus 318. f
seranes populi 302. f. & 303. a
sergius pont. max. 1306. e
serica regio 288. c
sera ciuitas 287. b
serbi pop. 296. d
seres pop. 287. a
serici confectio 287. b
serpentes assi ab hominibus deuorati 288. d
serpentum cũ hominibus cognatio & familiaritas 245. c 418. d
seruilij isaurici res gestæ 336. f 370. f
seruia à turcis occupata, & recuperatur huniade 396. e
seruij pop. 388. d
serui numine afflati & diuinantes 297. b
seruorum sacrorum, quos numine afflatos putabant, multitudo 326. f. 327. b. 331. a
seruitus 332. f
seruitutis dure memorabilia exempla 312. d 395. c
seruitiorum in concil. Bas. numerus 57. c
sesamus 333. c
sessio electorum Romani põtificis 58. d
sessio Basiliensis concilij tumultuosissima 41. c. & 42. e
sestoris res gestæ 382. c
sestus op. 346. d
seuerinus 1. pont. maximus 176. d
seuerus bohemiæ & morauię episcopus 95. c. eius mors ibid.
seuerus patriarcha aquileiensis hæresi inficitur 173. c
seuerus pragensis episcopus 95. a
sextimanæ aquæ 161. c
Sfortia attendulus cutignola 280. d
Sfortiæ cum brachio simultas 463. a
Sfortiadum gloria 361. a
siagrius francorum rex 433. c
sibenburgenses populi 391. c
sibinicum op. ab hunnis direptum 153. a incensum 272. c
sibylla diuinatrix 361. c
sibinensium contra turcas res gestæ 392. c
sicambria ciuitas 433. a
sicambri 431. a. libertate à romanis donantur 433. b
sicambrorum contra alanos res gestæ 433. b
sicera bohemorum potus 83. b
sicilia an sit duplex 507. b
sicilia ab ariouido & ausila grauiter uexata 151. c à friderico heragone occupatur 255. b. à genserico debellatur 151. b. à mauris incendio deformatur 195. c
siciliam arabes & saraceni depopulantur 173. b
siculi ungarorum uetustissimi 191. c
siculorum ritus & mores 391. c. contra carolum coniurationes 251. c. contra philippum ducem tarentinum res gestæ 255. a.
sida 319. c. cumanorum colonia 372. d.
sidena 329. c. 345. a.
sidon ciuitas obsidione capta 215. c
sigæa 349. c
sigæum op. 346. f. promontorium 349. b
sigibertus francorum rex 170. c. & f
sigibertus metensium rex 170. 5171. a
sigefridus magontinensis archiep. 206. e
sigericus uisogothorum rex 149. a. à suis intersicitur eod.
sigillus scitarum rex 298. f
sigismundus archiepiscopus saltzburgensis 438 c
sigismũdus ungarię rex 388. d
sigismuudus caroli 4. imp. filius à lodouico ungariæ rege in regni spem adoptatur 102. d. Romę ab eugenio coronatur 121. a creditorẽ uerberat 473. b. duos & triginta regulos securi percussit 487. b. zistam sibi cõciliare magna ignominia conatur 114. e. imperij principes pisoniũ cõuocat. 115. b. taboritas ciuitate donat 662. d
sigismundus malatesta 453 b. 454. d.
sigismundus cum suis in puteo necatur 160. f
sigismundi coributi in bohemiam profectio 112. d
sigismundi bohemorum regis & Romani imp. res gestę 108. d. in bohemiam profectio 110. d. contra bohemos expeditio 111 b
sigismundi ungariæ regis cõtra turcas res gestæ 102. d 395. c. 388. d. & e. cum pragẽsibus pax 18. f
sigismundi Rom. imp. ad improba petentem dicterium 485. c
sigismundi imperatoris de peculatu dicterium 485 a
sigismundi cæsaris prouerbium 473 c. mores 123. b. sepultura 124. d
sigismundi maletestę cum senensibus contentio 455. c. in poëtam crudelitas 363 a. nefanda facinora 465. b
sigma ciuitas à castrutio expugnatur 262. c. à florentinis occupatur 245. c. item à genuensibus 275. b. ab hunnis 153. a. ab octauiano occupatur 221. c
signiulus uastaniæ gubernator degradatur 194. f
silphij copia 362. d

sim

Index.

simpylus mons 341.c
silax flu. 329 c.
siluina urbs à christianis expugnatur 228.d
S.simeonis portus 210. f. & 212.d
simias grammaticus 369.c
similiter cadens 1015.b
similitudinis formæ memorabile exemplum 89.b
simois flu.346. f.347.b.& c.
simonisius campus 348 b
simonetus monachus 460.e totam pacat italiam ibid.
simon musicus 363.a
simon de monteforti 230. f. & 231.a
sindaca 308.e
sindegetus bambergensis episcopus factus pontifex 203.c
sindicus portus 305.b
sindorouia castellum 126.e. à turcis obessum.ibid.
sindronium à turcis obsessum 389.a
sinegundæ memorabilis castitas 203.a
sinibaldus pontifex 239.b
sinopensiũ primordia 334.d
sinopicæ multitudo 328 e
sinopice regionis descriptio 334.e
sinopicus sinus 324.d
sinuum mariumque diuersitas 283.b
sipilus mons 343.c
siracusæ à bohemundo captæ 203.f
sirbis flu. 371.a
sisigis gothorum dux 163.a
sispiritida regio 319 a
sisualdus brentorum rex 167.b
sisulphus 169.b. 173. c.& eius res gestæ 150. f. 151.a
sitacina regio 314.f
sitia 220.f
slagenuerdium op. 83.b
slamborij comes castelli bizeniæ 91.b
slesia sub anuo tributo bohemiæ principi data 95. a. bohemorum imperio adiecta 96. d.101.a
slesia depopulatur 115.a
slesitarum natio 82.f
smaragdus italiæ exarchus 173.a. eius res gestæ 171.a cũ Romanis induciæ 171.b mors 174.f
smaragdi 290.d
smyrna amazon 357.a
smyrna ciuitas 362.e. à lydis euersa 362. e. à tamerlane funditus deleta 362. e. à turcis diruta 211.b
smyrnæ primordia & incrementa 357.a
snoima ciuitas 123.c
soatium op. frustra obsessum fol. 111.b
sobieslaus 26. Bohemiæ dux fol. 97 a
sobieslaus Vladislai ex Suatana filius 95.c
sobal castellum in Syria ædificatur 216.f
socratis constantia 31.b & 573.a
sogdianæ limites 292.f
sogdiani pop. 292.d
sol à Lituanis ueneratus fol. 418.d
solis apud Rhodios colossus 369.a
soldani res gestæ 225.b.369.b 370.d. 378.e.
soldani cum Thamerlano bellum 313 b
solduedleum op. 423.a
soli ciuitas 374.e
solij pop. 377.b
solmissus mons 359.b
solecismus 367. b 374. c.& 978.f
solodorum heluetiæ op.3.a
solona colonia 408.d
solonis facunda prudentia 557.a
solima mons 371.b
solymanni babyloniæ regis res gestæ 210.d 214 d
solymi pop. 366.c 371.c
solymus mons 366.e
solus op. 377.b
somnium æneæ syluij de fortuna elegantissimum 611. b.& c.antigoni 383.b.caroli bohemiæ regis 101 b.constantini imperator. 394.d. marciani achila 153.b. mauricij imp. 173. c. philippici 180.f
sophena regio 317.c
sophina regio 318.d
sara ciuitas à longobardis capta 181.a. incensa 239.a
sochenis contra gallos res gestæ 335.b
spadines rex aorsorum 303.b
spanta lacus 314.f
spartenbas indorum rex 652 f
spinale op. metensi ecclesiæ adeptum 440.f
spinulæ cum florentinis bellum 263.b
spirituum immundorum cum patribus sanctis conflictus 35.c
spitigneus 11. bohemorum dux 91.b 94.c.95.a
spitigneus borsiuoij filius parenti in regno succedit 91.b
spitigneus teutones ex bohemia cedere iubet 95. a moriẽs absque filijs fratri principatum relinquit 91 b.
spitignei crudelis ambitio 96. a.& b contra morauos & fratres germanos bellũ 95.a
spira galliæ ciuitas 100.e
spolatana arx bellisario dedita 165.a
spoletanus ager à græcis depopulatur 191.a
spoletanus ducatus 189 c
spoletum op. à constantino captum 160.e

spo

spoletum op. à gothis 164 c. à linthprando obsessum 185.b
spoletini longobardorum ducis res gestæ 184.c
sproua flu. 423.a
sprauppinga 438.d
sryxillum op. à longobardis obsessum & captum 171.b
stadia ins. 368.f
stalimina insula 370.d
stasanorum alexandri sodalis 377.b
stauracij res gestæ 193.c
stemna 85.a
stendalum op. 423.a
stephanus carnoti comes 209.b.212.f
stephanus despotus bosnæ baptizatur 407.b
stephanus ungariæ rex baptizatur 92.f
stephanus plonerius 57.c
stephanus pontifex 182. d. 188.f.194.f.204.e
stephanus protomartyr. 27.b
stephani patricij res gestæ 185.b
stephani porcarij equitis in nicolaum 5. pont. max. insidiæ 459.c
stephani ungariæ regis res gestæ 222.f
sterinium op. 423.a
stilliconis uandali res gestæ 146.e.146.f. cum gothis pax. eod perfidia. eod.
stiltiuergium op. ob orphanis expugnatur. 116.f
stiradus nobilis inter bohemos eques sarcæ puellæ insidijs captus rotæ supplicio afficitur. 87.c.88.d
stiphana lacus 331.c
stiria 387.c
stiria ungaris ob othacaro adempta. 97.c
stiriæ descriptio 410. f. 50 .c
stocolnume oppidum à carolo occupatur 427.a
stomalimnes uicus 365.a
storacinæ hastæ 337.a
storax arbor 337.a
storza à belisario uincitur 160.d
strachia insula à carolo marcello capta 183.c
strages cruentissima 212. f. 210.d
strapilia zepidarum rex fugatur. 156.e
suardeni pop. 296.d
stratagema cyri contra sacas 288.f flocheti. 440. f. saladini 228.f. zischæ 108.f
strategia 327.b
stratiquas pragensis ecclesiæ episcopus. 92.e.& f
stratiquates boleslai filius 92.e
stratocles 369.b
straton flu. 314.d
stratonici dictum 352.e & 368.e
stratonicia ciuitas 365.b.366.e
stratonica macedonum habitatio 366.d
suatana uratislai uxor 95.c regina coronatur 96.e
suatatiæ uirginis fortitudo militaris 87.b
suatocopius morauorum princeps religionis studiosissimus 90.c. à cyrillo baptizatus 91. a. ab arnulpho imperatore debellatur & fugatur 90.f. exul eremum ingreditur fratribus ignotus 90 f
subiectio 1015.b
subincolepus pragensis ecclesiæ pastor 104.d
subiunctiuum uerbum pro indicatiuo 1006.f
subletia uallis 467.a
suboci pop. 290.e
substantiuorum nominum in oratione usus 100.e
successio regnum dat non electio 559.a
sueropilus dalmatiæ rex ad christianismum conuertitur 197.b
suesionum agri ab Othone imp. depopulantur 201.b
suesona ciuitas 433 c
suetela ciuitas obsessa 115.b
sueui saxones à finibus pellunt. 171.a
sueuorum natio secundum ptolemæum 83 b
sueuorum fortitudo 685 b
suidrigal lituaniæ princeps 417.b
suitensium cum thuricensibus bellum 438.f. crudelitas 438.f.& 439.a. superbia 582. e. fortitudo militaris 439.a
suitrigall lituaniæ ducis crapula & luxus 480.d
ulmonenses à ludouico ungariæ rege domiti 266 f. à Rhenato obsidione cincti 467.a
sundis op. 423.a
suno franciæ dominus 433 b
supinis quomodo oratio exornanda 1007.b
suriani pop. 211.a
surimensis prouincia dipoldo ex paterna hæreditate data 90.e
susatenses expugnantur 431 c
susatensium ab ecclesia coloniensi defectio 431.c
suscij pop. 315.c
sutrium op. à longobardis captum 184.f. à Romanis recuperatum 182.d
syagrij francorum regis cum clodoueo bellum 434.d
sydinæ descriptio 330.f
syllabarum consimilium cōcursiones 993.c
syllæ contra mithridatem res gestæ 383.a
syllax op. 411.a
syluerius pontifex 159 a. in exilium mittitur 161. a. 162 d
syluester II. pontifex diaboli ca fraude pontificatum inuadit. 9.a
syluestri chlemensis episcopi de militum ocio dictc rium

rium 484.c
syma insula 368.d
symadicus lapis 341.a
symbolum fidei in Synodo compositum 39.a
symmach⁹ pont.creatur 157.c
symnada ci. 340.f.&341.a
synderonia ci. 396.d. capta & direpta ibid.& 126.f
syndica regio 304.f
synodus generalis num plenariam remissionem dare possit 11.c
synodorum tria genera 24.d
synodalis autoritas 14.& e
syraces pop. 303.b.
syracorum regio 303.b
syraceni pop. 296.d
syracuse à Saracenis recuperatæ 178.f
syracusanorum ciuitas à gothis obsessa 166.d
syria à Basilio & Constantino depopulatur 201.c. item Parthis 311.c. 312.d. 322.e. à Tigrane 320.d. à turcis subacta 225 a
syriæ encomium 386.e
syrochus persarum rex 176.e. & eius contra fratrem & heraclium imperatorem res gestæ 312.f
syromedia reg. 314.d
T
TAbeaus campus 364.d
tabin 287.b.& 2 9.c
tabor mons 217.a
tabrobana insula 284.e.36.
taboritarum descriptio 661.a & res gestæ ibid. fides 661.c. ritus & mores 662.e. furor 591 b.&c.
tacta Cappadociæ 336.d
taddeus sinuestanus 239.c.
tagurus 287 b
talboti res gestæ 431.a.& b
talabrota ci. 293.b
talianus forlanus 464.e
tamerlanes 382.f. smyrnam expugnat 362.e
tamerlanes terror gentium 395.c ira Dei ibid.
tamerlanis scytharum regis cōtra turcas res gestæ 359.c crudelitas ibid.
tana Venetorum castellum fol. 303.c
tancredi soboles 202.f
tape ciuitas 293.b
tapirdi pop. 315.c
taprobanæ insula 287.a
tapuri pop. 314.d
tapyri pop. 293.b
tarentuli 297.c
tarcodementi res fortiter gestæ 375.c
tarentinus cur in mogūtinensem conuentū uenire noluerit 3.b
tarlati ab aretinis interficiuntur 257.c
tarmensium ad alphonsum defectio 466.f.
tarmensium arx expugnatur 466.f. & 467.a
tarsi pop. 409.b
tarsus op. 374.f
tarsenses studiosi philosophiæ 375.b
tartari pop. 393.a. ut pecudes trucidantur 421.a
taruisina ciuitas obsessa 237 b expugnata 167.c
taruisium oppidum à francisco carria obsessum 274 f ab ungaris expugnatum 198.d 167.c.
taruisinum Austriæ ducibus permittitur 275.b
tassilo bauarorū rex 172.f.uictus ab hostibus, pertesus uitæ fit monachus 191.a
tatecuzma Vlrici ciliæ comitis uxor 397.a
telchinis insula 368.f
telmissias promontorium fol. 370.f
telmissus op. 370.f.371.b
telephi fabula 342.d
taurinum op. 785.a.frustra à sisualdo obsessum 167.c. direptum à turcis 874.e
taurinenses ab henrico imp. in deditionē accepti 25?.e
taurinensis ager à narsete depopulatur 167.c
taurini à Burgundis grauiter uexantur 156.c
tauropolium 3 9.a
taur⁹ mons 285.b. & c.316.d. 317.b. 371.b
taur⁹ montis descriptio 318.d diuersa nomina 285.b.& 286.d
taxis ungariæ rex italiam depopulatur 199.c
tecta fictilia 300.f
tectosages pop. 335.a
tectosagetum regio 335.c
tegnus mons 342.d
teia gothorū rex 167.a.in clade occumbit 168.d
tei populi 361.a.& b
temnum op.deuastatur 349.c
tempe 404.e
temperantiæ laus 513.b
templarij saracenis consentientes,afficiuntur supplicio fol. 257.a
templariorum religio eradicatur 259.a
tenedos insula. 349.b
tenediorum regionis descriptio 349.b
tenus Coloniæ Lesbiæ imperator 349.b
terdona ci. à Friderico imp. Rom.capta 221.a.222.d
terdenēses mediolanensi imperio se committunt 447.b
ter entij uilla 101.c.Caroli Bohemię regis facta 101.b et c
temeriū promontoriū 364 f
termilæ pop. 371.c
termopylarum angustię 404.f
terpandri musici inuēta 355.a
tertulius fraude occiditur fol. 149 b
tera lydorum regia 345.c
terræ uniuersę ambitus 902.e
terraconensis cardinalis 23 b fol. 37.a
terraconensis Cardinalis obiurgatoria ad suos,in Concilio oratio 40.f
tetrarcharum in Gallogræcia

concilium 335.c
teucrorum origo 382.d
teudelinda Garibaldi Bauarorum regis filia 171.c. Longobardorum regina 172.d
teuthras 382.c
teutones Budæ ab ungaris trucidantur 389.a
teutonum origo 391 c. contra turcas res gestæ 392.e
teutonici generis homines ex Bohemia pelluntur 95 a
teutonicorum fratrum religio 421.b. cum polonis prælium cruentum, 421.b. & 422.d. pax 421.b. 288.f. 478.d
teutonicorum fratrum ritus 420.f prælium 421. a
thabiena regio 308.c
thabor arx & asylum hæreticorum 83 b
thabor oppidum 109.a
thaboritę fratres 109 a. in horreis conflagrantur 120.f
thaboritarũ descriptio 120 f. duces 114 f. 115.b. bella 114. 115.b
thaboritarum exercitus deletur 120 e
thabreni pop. 290.e
thacouia ciuitas expugnatur. fol. 116.d
thales milesius 357 b
thalestris Amazonum regina 299.c.& 300.d. eius cum alexandro concubitus 293.c & 294.d
thamerlani parthi fortitudo 313.a
thamerlani in obsidionibus distincta coloribus tentoria 313.b. nefanda crudelitas 313.c.
thamonita 319.b
thanaidis deæ diuinus apud Armenios cultus 319.b
Tharsius fl. 345.a
thato Longobardorum rex 369.a
thaurinum opus 137.c
thealdum castellum expugnatur 257.b
theatensium urbs capta & incensa 192.e
thebæ ciuitas 341.c. 372.d.a turcis occupatur 404.f.
theium oppidum 333.a
thelesius Bulgarorum rex Cõstantino fugatur. 188.e
themiscyra ciuitas 299.a. 329. a.& b. 330.e.& f
themistoclis apohthegma 941.a
themoetæ populi 296.c
theodatus ab optaro interficitur 160.e
theodati eruditio 158.f
theodebertus rex fran. captus interficitur 175.a
theodeberti regis facta 15 .e
theodemirus rex 154.f
theodobaldus Metensiũ rex Italiam longe lateq; depopulatur 162.c. interficitur 170.c
theodosius ab imperio deiectus 183.b
theodosij imp. apud thessalonicenses lata lex 404.d
theodosij imp. Rom. contra Vesegothos res gestę 146.d mors ibid. & 152 d
theodosij contra saracenos res gestæ 196 f
theodericus francorum rex 180.d
theodoric⁹ nagel canonicus Rigensis 52.f
theodoricus odoacrem contra fœdera occidit 156.f
theodoricus uesegothorum rex Italiæ imp. 144.c
theodoricus de morsa Coloniensis archiepiscopus concilij Basiliensis acerrimus propugnator 3.a. 485.c. 4 1.c
theodorici maguntinẽsis episcopi cum palatino bellum 438.e
theodorici Ostrogothorum regis statua equestris 156 d
theodora imperatrix constantinopolis 204 c
theodorus bossius obtruncatur 448.e
theodorus calliopa Italiæ exarchus 176.f
theodorus epirotarum dux 234.d
theodorus primicerius obtruncatur 155.b
theodorus Vattarus græcorum imp. 245 a
theodori Cyrenensis ad regẽ lysimachum respõsum animosissimum 31.c
theodori Italiæ exarchi cum longobardis pugna 177.a
theodori Lascheri res gestæ 231.c
theodotus bactrianorum rex 293.a. 310 d.
theodotus bactrianorum rex 310.d
theodotion Iudæus 360.c
theofanus fl. 296.c
theonnestus musicus 365.a
theophanes 298 d. historicus 354.f
theophilia ciuitas 210 f
theophyli Paleologi contra turcas fortitudo 402.d
theophylactus Italiæ exarchus 181.a
theophrastus philosophus 354 f. eius bibliotheca 351 b
theramenes Atheniensis forti animo cicutam bibit 31.b
therba croci bohemiæ ducis filia sortilega 85.a
therdonẽsium à mediolanensibus defectiones 448.d
thessalia à turcis subacta 404 e
thianensis præturæ descriptio 327 b
thimuntis regio 339.c
thirrhæus poëtæ facũdissimus 597 a
thmesis figura 994 c
tholistobogi pop. 335.c
tholomaida à saracenis capta fol. 99.a
thomas apostolus Parthis Euangelium prædicat 313.

thomas de corsellis.3.b.48.f. 51.c
thomas ertordẽsis episcopus canonisatur 262.d
thomas fregosus 445 b
thomas de haselbach theologus 718.f
thomas maurocenus patriarcha 232.d
thomas pirkemerus 694.d
thomas de scotia triumuir 51.c
thorax mons 363.
thorismundus 152. f. & eius in gallia & hispania res gestæ 154.d
thotena regio 317.c
thracia à bulgaris depopulatur 157.b.178.f. item à gothis 145.a. ab ostrogothis 151.c.à saracenis 193.b.à sclauinorum militibus 166.e.à uesagothis incendio & rapinis deformata 145.c
thraciæ descriptio 393.c
thuricensium à suitensibus defectio & bellum 438.f.
thuringia 82.f
thuscula ciuitas 229.b
thusculani debellantur 205.a 223.b
thuscus campus 89.c
thyatira ciuitas ab aristonico capta 362.e
thymbria uicus 357.c
tibareni pop.330. d. montes 318.d
tiberis ingens inundatio 171.b
tibicines è tẽplis electi 349.e
ticinum op. direptum 153.a
tigranes rex 320.d.& eius res gestæ.ibid.& 322.d
tigranes tigranocertæ obsidetur 322.e
tigranis armenij contra mazacinos res gestæ 328.d
tigranis thesauri 319.a
tigranocerta ciuitas ædificatur 320 d.obsidetur 322.d.
tigranocertæ incrementa 328.d
tignis flu. 284. e.315. c. 317. b
tigridis flu. ortus 317.b
timanus flu. 407.b
tirambe pop. 296.e
titra flu. 127.f.
tlon ciuitas 370.f
tmolus mons 341.c.343.c.flu. 343.c
toaris lacus 318.f
toleta ciuitas à galatiæ rege capta 208.e
toletum op. à childeberto captum 160.f
toletanũ conciliũ 28.f. 171.c
tholetanus ager depopulatur 148.e
tolistobardi pop. 335.a
tolosa ci. occupatur 157 c.
thomas de aquina canonizatur 262.d
torrentes aurum deferentes 303.a
torentini à roberto subacti 205.a
tortosa ciuitas à christianis obsessa 213.b
tospitis palus 317. c.317.b.regio 317.c
totho nepensium dux 188 f
totila gothorum rex 163.b. & eius res gestæ 163.c. & 164.d
totila pontem supra tybrim erigit 164.f proditione Romam capit 164. f. pugnans interficitur 167.a
trachea ci. 373.b. rastellum 382.f
traductio 1015 a
tragelaphon animal 302.d
tragesti sales sponte nascũtur 350.e
tragurium op. 408.d. ab hunnis direptum 153.a.223.a
traiani imp. res gestæ 388.d
traiani pons 167.b
traiectum op. 429.b
traiectenses à põtifice & burgundiorum duce debellãtur 429.c. excommunicãtur 429.c
traiectensium potestas, ritus & mores 429. b. rebellio 429.c.& 430.f
traiectensis episcopi potentia 429.b
trallianorum urbis descriptio 363.a
trana ciuitas obsessa & capta 205.c
transeundi res gestæ 185.b
transfigurationis dominicæ festum instituitur 461.b
transyluania à turcis misere depopulatur 392.e
transyluaniæ descriptio 391.c
transitio 1015.c
trapezus op. 330.d
trapezuntij christianã fidem recipiunt 332.e
trasemundi spoletani cum liuthprando bellum 135.a
trauna flu. 738.d
trabellius bulgarorum rex 181.b
trebonius à dolobella captus 362.e
trete concilium cõgregatur 215.a
tremulus pons 167.c
trabelli pop. 388.d. 393 c
tributes pop. 314.d
tricium op. incensum 244.e
tridentum muro cingitur 157.b
tridenti obsidio 179 b
tridentini ab athesinis depopulantur 533.a
tridentinorum cum ecellino bellum 243.b
trinitatis misteria explicantur 886 d & 887.a
tripolis regulus 213.b
tripolis ci. à parthis capta 313. b. direpta 253.a
tripolitanus comitatus 226.f
triquetra 323.c
tristanæ uirginis fortitudo militaris 87.b
triciburgum op. 132.f
triumuiri concilij Basiliens. 49.a
triumuirale de moribus hominum iudicium 49.c

troadis descriptio 544.d
trogetis lacus 336.c
trogilium ins. 358. d. & promontorium ibid.
trogini pop. 335.a
troglodita pop. 303.b
troia urbs habitatoribus adimpletur 203.a
troiani campi descriptio 347.c. incendij causa 350.f
troianorum potentia 344.f 356.d
troianorũ post Ilium incensum emigrationes 433.a
trugosij res gestæ 376.e
tusensium cum florẽtinis fœdus 455.a
tudertum op. à Romanis recuperatum 172.d
tulensium agri depopulantur 440.f
tunisij rex à rogerio tributarius factus 219.c
turca adhortatur ad christianismum 876.c
turcæ cur à teucris originem habere credantur 394.f
turcæ asiam inuadunt 187.b. hũgaris pacem petũt 397.b
turcarum origo, ritus & mores 3 3.c 384 f. uictus, uestitus, ritus & mores 394.f. 910.e. religio 385.a. 385.c. 895.b. fides 882.d & 83.a. ieiunia 900. d. horrenda impietas 402.e. matrimonia 126.f. in diuersas regiones irruptiones 395.a. in lesbo res gestæ 355.c
turcarum in expugnatione cõstãtinop. crudelitas 680.e cum Auaribus conflictus 384.d. cõtra christianos res gestæ 209.b.c. 873.a. de christianis uictoria 565.a.b. 907.b. 915.a. crudelitas coercenda 655.a. 658.d. & 659.a. & c
turcis bellum est inferẽdum 659.b.c. & 660.d. 678.f. & 679.a. 92 .929.930.a. & c
turiani mediolani urbe eijciuntur 251.b
turingia ab hunnis depopulantur 172.f
turingiæ descriptio 423.b
turingi pop. 422.e
turingorum in italia res gestę 155.b
turismundus zepidarum rex à lõgobardis uincitur 161.b
turriculum castellum obsessum 217.b
tusci pop. 296.d
turonense concilium 222.d
turonensis episcopi in concilio Bas. oratio 38.d
turonensis archiepiscopi obsessionem in concilio conquestio 44.e
turoniũ op. à germanis obsessum 230f. à normannis uastatum 196.f
turpitudinis significatio ad animum & corpus referenda 525.b
tyatira ci. 345.a
tyberias ciuitas obsessa 227.a. à christianis capta 214.e
tyberiadis principatus 226.f
tyberis inundatio 190.e. 236.e
tybur op. à totila in potestatem acceptum 164.e à uictige gothorum rege obsessum 160.f
tyburtini friderico imperatori se submittunt 221.a
tymbræ campus 347.c
tymbræus flu. 347.c
typhonis fabula 343.c
tyrambes 304.d
tyrammon grãmaticus 351.c
tyrannorum 30. imperium 145.a
tyrãnidis memorabile exemplum 313.c. 417.a
tyridates armeniæ rex baptizatur 323.b. eius res gestæ 311.b 321.c
tyridatis & corbulanis colloquium 323.a
tyrolenses pop. 438.f
tyrolensium contra tridentinos res gestæ 428.f
tyrtamus 354.f
tyrus op. 244.f. à christianis captum 218.c.
tyrsi scytharum regis in asia res gestæ 382.e

V

VAccã abbas de Dona suo legauit monasterio 47.b
uada ci. ab antonio olzina occupatur & ampliori fossa communitur. 454.e
ualachia regio 393.a
ualachi pop. 232.e 381.c 388.d
ualachorũ duę factiones 993.a
ualamir Ostrogorum dux 151.c
ualaris cum Artuoda singulare certamen 163.c
ualasca puella bohemiæ principatum obtinet 86.f dea iudicatur 87.b horrorib. imperium in uiros pollicetur 86.f. trucidatur 88.f. insepulta feris & uolucribus esca præponitur 88.f
ualascæ ad suas pro conseruatione libertatis oratio 86.f
ualascæ uirginis ad suas animosa ad pugnam adhortatio 87.a
ualdensium secta 103.b
ualens imp. Rom. in thracia cruento prælio à uesogothis superatur 145.c
ualentia ci. ab arragonum rege capta 235.c
ualentinianus cęsar Ro. 150.d
ualentiniani cum genserico pax 151.a. rupta ibi. item cum genserico 152.d
ualeria regio 387.c. 410.f
ualeriæ descriptio. 410.f
ualerianus imp. à Sapore persarum rege coniectus in uincula 145.a
ualeriani res gestę 166.f 312.d ignominiosa seruitus ibid.
uali pop 296.a

uallia Visogothorũ rex 149.a
ualemir Scythiam depopulatur 154.f
ualona ciuitas 407.b
à Turcis expugnata ibid.
uelranus Traiectensium fit episcopus 429.c
ualtarich longobardorũ dux folio 169.a
ualuenses à Trausemũdo sub[illegible]acti 185.b
uandabanda regio 293.a
uandali pop. 147.b
uandalorum communis cũ Sclauis lingua 173.c
uandalorum in Germaniam irruptiões 147.b itẽ in Mauritaniam & Numidiã 151.a
uandali à Vesogothis grauiter bello uexantur 150.f
uandalesia regio 149.a
uaradienses episcopus ex captiuitate liberatur. 833.c.& 834.f.& 839.b
uaraias mediolanum obsidet 162.c.ab Ildouado interficitur 163.b
uardanus fluuius 296.e
uarmudus Hierosolymitanorum patriarcha 218.d
uarnerius Hauspergẽsis 259.a
uascones debellantur 194.f
uasconia regio 149.b. depopulatur 183.a
uasconia à Clodoueo capta 157.b. à Frãcis subacta 190.c item à Theodorico 157.c
ubaldini debellantur 271.a. & 267.b
ubericus Carraria 265.b
ubertus Farinata 245.c 246.d
uberti à Florentinis urbe eiecti 242.e
ubertus Pelauicinus 243.
udalricus Bohemorum dux 93.b. fratri germano oculos effodit 93.b
udalrici ciliæ comitis dicterium 482.d
udalrici Bohemiæ ducis contra Meschonem stratagema folio 93.b
udę populi 296.d
uestaris foroiuliensis dux fol. 178.e
uegius poeta basiliensis Canonicus 612.e
uelisca monasterium 93.a
uellera ab arboribus depexa fol. 287.b
uenceslaus martyr 13. bohemorum dux 91.c
uenceslaus 4. bohemiæ rex 87.b. 99.a. 100.d. 102.d.
uenceslaus 6. bohemorum rex 99.a
uencesla9 bohemiæ rex 100. d. eius ebrietas & interitus ibidem.
uenceslaus bohemiæ res 97.a à fratre incarceratur 388.f
uenceslaus Romanorum res ob innata uitia aliquoties infectatus & captus 102.e.f
uenceslaus Vratislai ex Drabonucia filius, Ludmillæ educandus traditur 91.b
uenceslaus angelis ab hoste defenditur 91 c
uenceslaus à fratre occiditur 92.d
uenceslaus bohemiæ ac Romanorum rex defunctus à piscatore clam sepultus fol. 107.b
uenceslai ingenium ac mores 91.c. innata pietas 91 b in ministrum crudelitas fol. 473.b
uenceslai corãdi presbyteri, ad bohemos pro rege contra Husitas oratio 106.e
S. uenceslai mircula 91.c. 92.e
uenedes pop. 419.c
ueneficarum carmina quantũ possint 89.c
ueneris acreę templum 377.a
ueneris Apaturię fabula 304.f
ueneris mons 531.c. portus 531.c. potentia 871.b
ueneris nudę simulachrum fol. 365.a
ueneris Paphię templum fol. 377.a
uenetiæ 3?3.b. ab Alemannus uastata 15?.f
uenetæ urbis origo 156.d. 159.b. 433.b
ueneti mercatores ab. Alberto Berengarij filio infestantur 200.d
ueneti apud carauagiam magno prælio superãtur 447.c
ueneti fame pressi adriatico mari uectigalia imponunt 249.b. à Genuensibus pacẽ petunt 273. a. ab Ildouado gothorum rege debellantur 163.b. à pipino uincuntur 193.b. à pontifice excommunicantur 257.b. sili fluminis clausuram expugnant 275.b
ueneti à turcis debellantur 449.b. 378. f.
uenetorum cũ mediolanensibus amicitia 447. cum francisco maria societas ibid.
uenetorum cum anconitanis bellum 250.e. item cum bononiensibus 249.c. cum frãcisco Sfortia 135 c. cum genuensibus 250 e. 267.c. & 263.d 378.d
uenetorum fines ab adriensibus depopulantur 203.a
uenetorum & genuensium contentio 378.d. 244.f. grauis seditio 249 b. contra cretenses res gestæ 233.b. item in Dalmacia 231.b. contra genuenses 274.e.f & 275.a. & contra Henricum imp. 238 f contra iadrenses 231.b. contra lucianum & & petrum Auriam 272.f. in palestina contra saracenos 218.e. contra Philippum Mariam 446.e. contra saracenos 196.f. contra Vngaros res 222.e.& f.
uenetorum bello parta potestas 232.d. potentia 449. e. cum genuensibus pax 349.c
uenetorum de saracenis uictoria 197.b

uenetorum reipub. incremẽta 170. d. priuilegia 192. d cum Balduino rege fœdus 218. item cũ Carolo 2. contra Constantinopolitanum imp. 257. a cum Florentinis, ienuensibus & Bononiensibus 501. c. cum Frederico imp. & Siciliæ rege 224. e. cum duce Mediolanense fœdus 747. c. 448. cũ Soldano induciæ 233. b
uenetorum ciuitas perniciosо incendio deformatur fol. 215. b
uenetorum naues à Villamarina incenduntur 406. f
uenetorũ noua ciuitas ab ungaris incenditur 198. d
uenetis prohibetur ne mercimonia occidẽtis in Asiam perferant 195. c
ueniam petendi ratio 2. d
uentidij cõtra Parthos res gestę 311. a
uera castellum munitissimũ fol. 314. f
uerborum uitanda abusio fol 996. d
uerborũ apta in oratione dispositio 1002. c. & f. 1003. d
uerba otiosa in oratione uitanda 995. c
uergilius impaciens amoris fol. 627. d
uergiliacensis abbas 38. f
uergiliacẽsis abbas Spirę moritur 47. b
ueritas in medio tyrãnorum constanter est profitenda 31 a. 32. d
ueritatis uis 7. b
uerona ciuitas ab Alboino in deditionem accepta 169. c ab amingo depopulata 167. c. à Francis obsessa 189. c. itẽ à Gonzaga obsessa 265. b. ab Hunnis direpta 153. a 156. d. item à Ludouico Bosone 198 f. à Theodorico 156. c
uerona ab ugolotto direpta fol. 278. d
ueronensium cum carolo bohemiæ rege bellum 101. b
ueronense concilium 226. c
ueronensium cum finitimis contra Henricum imperatorem fœdus 222. d
ueronianus 148 d
uerrina augusta 154. c. 155. a. in cappadociam relegatur fol. 155. b
uesogothi in diuersas regiones incursionem faciunt 146 d. 145. a. stipendio priuati in pannoniam secedũt 146. e. ab Hunnis suis sedibus eijciuntur 145. c
uesogothorum nomen à Carolo Martello deletũ 184. d
uesogothorum elata de Valẽte imp. Rom. uictoria 145. c aduersus Vandalos expeditio 150 f
uesogothis Arrianæ hæresis dantur episcopi 145. c
uesois Aegyptiorũ rex 306. e
uestia ciuitas 205. b
uetitum, uetustissimũ apud Vuestphalos iudiciũ 431. c
ugo magnus Parisiẽsis 200. d
ugo Candidus Cardinalis 206. e. excommunicatur eodem
ugonis Arelatensis comitis in Italia res gestæ 199. a
ugonis cum Berẽgario 3. pax fol. 199. b
ugonis Magni facta 212 f
uicarium oppidum ui captũ & direptum 468. d
uicentia à uenetis obsessa fol. 265. b
uicentini incẽdio deformantur 237. b
uicentinorum cum finitimis contra Henricum Imp. fœdus 222. d
uicissitudinis rerum memorabilia exempla 601. b. & c
uicleuonis mons 110. c
uictiges Gothorũ rex 160. d. e captiuus Cõstantinopolim ducitur 144. c. 163 a Arminum obsidet 162. c
uictolinum oppidum à Castrutianis captum 263. b
uictoria ciuitas à Friderico imperatore delineata 240. d
uictoriæ moderationis memorabile exemplum 469. b
uictorini nummi 240. d
uictor Pisaneus 272. e
uiennensis urbis descriptio 718. e
uiennense concilium 259. a
uiennę Austrię comitia indicta 131. c
uigilius pontifex 162. d. 164. e in exilium mittitur 165. a romam reuocatur 168. e
uillamarina regiæ classis præfectus uenetorum triremes incendit 406. f
uilsnacum op. 425. b
uina exusta 343. c
uincentia ciuitas ab Alboino in deditionem accepta 169. c. ab Amingo depopulata 167. c. item ab Hũnis 156. d. 153. a
uincentius Hispanus canonizatur 461. a
S. uincentij in mari turris à Rhenato expugnatur 467. c
uindelici Saxonibus contermini 173 c
uinigisus Spoletanorum dux fol. 191. b
uinslao Praga & bohemię ducatus cedit 89. a
uiomarchus britonum tyrannus 195. a
uirgines bohemicæ adolescẽtes in amorem pellectos interficiunt 87. b
uirginalis castitatis exẽplum memorabile 92. d
uirginum in bohemia castrum 87. a
uirginum bohemicarũ exercitia uirilia 86. f
uiriatus Hispanarum Romulus 476. d
uirtutis autoritas 34. d

uirtutis premia 653.c
uiscella Pruthenorum amnis folio 82.f
uiscera fluuius 431.a
unislaus 7. Bohemorum dux folio 89.a
uismaria ciuitas 423.a
uisegradensis arcis munitiones factæ 85 b
uisegradense castrum 86.e. 106.f. expugnatũ à Pragensibus 110.f. & 111.a. item à Primislao captum 88.f
uissegradum oppidũ nouis muris cingitur 101.c
uistela fluuius 419.c
uisurgis fluuius 431.a
uitæ humanæ fragilitas & miseriæ 81.a
uitalis cũ Gothis infeliciter pugnat 163 b
uitalianus Pont. Max. 177.c
uiterbienses thermæ 82.d
uiterbiensium in pontificem factiones 238.f
uiterbiensium agri depopulatur 236.e
uiterbium pontifici proditione ablatum 278.e
uites miræ magnitudinis, folio 293.b
S. uiti oppidum 409.a
uitoldo Lituaniæ dux ad Bohemiæ regnum uocatur, folio 112.d.388.e
uitoldi Lituaniç ducis crudelitas in suos 417.a. 480.f imperium insolentissimũ: 494.f.& 495.a
uitrioli copia 377.c
uiuendi honestæ præcepta, folio 524.f
uladislaus baptizatur 415 f.
uladislaus uratislai filius 95.c
uladislaus 25. Bohemiæ dux, folio 296.f
uladislaus quo iure Vngariç regnum occupauerit 534.
uladislai poloniæ regis laus 563.c. & 564. d. res gestæ 488.f.421 a
uladislaus rex in prælio interficitur 565.b
uladislai Poloniæ regis cum fratribus teutonicorm bellum 488.f
uladislai res gestæ 421.a
uladislai Hungariæ regis cũ Friderico imperatore fœdus 390. d. res gestæ 416.f. 129.b.390.d
ulinrigia 97.c
ulina ciuitas 121.a
ulmerigi pop. 419.c
ulricus Austriæ Cancellarius, & episcopus seditiosus, ex asylo raptus ac à Friderico captus 411.b
ulricus Ciliæ comes 131.b. Huniadem ab administratione regni Hũgariæ amouere conatur 136.e. ab exilio ad suos reuocatur 136. d Polonis incarceratur 389.c
ulricus Ciliæ comes ladislai fraudibus interfectus 139.a
ulricus eizingerus 131. b. ab Alberto incarceratur 413.c
ulrici Eiezingeri facta 413 b
ulricus Pataujensis episcopus Ladislai ad Franciæ regem legatus 141 b
ulricus Rosensis regulus 109. c.127.b
umbriæ ciuitatum bella perniciosissima 462.d
umbrorum regio à Longobardis depopulatur 170.e
ungaria depopulatur 240.e
ungariæ fertilitas 712 f descriptio 557.b
ungariæ regni status miserrimus 557.b
ungariæ regnum sub adulterino rege periclitatur 558.e
ungari à Carolo Francorum rege domiti 191.a. in Germania miserè trucidantur folio 200 d
ungari spreta Ladislao regni hæredẽ regis Poloniæ filiũ introducunt 563.b Ladislaũ renuunt 582. e.& 583.a
ungari à Pipino Franco in ditionem accepti 191.b
ungarorum encomium 557. b. in Germaniam incursiones 199.a. contra Græcos & Bulgaros res gestæ 198.d. apud posonium conuentus 692.e.& 996 f. cũ Turcis conflictus 682.e. de Turcis uictoria 564.f.565.a
uuacho Longobardorũ dux folio 169.a
uocalium in oratione concursus quomodo uitãdus 993.a
uocamanum op. à Petramala captum 261.b
uogize uicus 109 b
uolandum op. à Corbulo captum 321.c
uolaterrani à Fagiolano uexãtur 260.e
uolegradensis ciuitas Moraujæ regni caput 90.f
uologallicus à Turcis interfectus 212.
uologesi cum Corbudone pax 322. f. cum Tyridate induciæ 323.a. res gestæ 321.a.311.c
uoluptatis detestatio 225.c
uorastę uirginis fortitudo militaris 87.b
uortigerus Saxonũ dux 151.b
uortius Bohemorũ dux 89.a
uratislauia ciuitas 415 a. ab Henrico Slesiæ duce occupata 101.a.& à Ioanne Bohemiæ rege recepta ibid.
uratislauiæ urbis primordia 89.a perniciosa seditio, folio 415.a
uratislauienses ob consules obtruncatos securi percuciuntur 108.f
uradislaus Bohemorum dux 91.b.95.b
uradislaus Moguntiæ in regem creatur 96.d
uratislaus Vortij ducis filius 89.a. in prælio occũbit 89 c
uratislai in Austria res gestæ 96.d cum nepote bella 89.a nefanda crudelitas. 89.b

uratislai 20. ducis ex Adibelde filij 95.b
uratislai regis cum Saxonibus inimicitiæ 96.c. in Hungariam fuga 95.b
uratislai uxor à Spitigneo capta 95.b
uratislao Lucensis principatus cedit 89.a
urbanus Pontif. Max. 245.b. 270.d 272.d. 276.f. & 277.a
urbani Pontificis contra Saracenos expeditio 209.a
urbetellum op. à Picinino captum 456 d
urbinates Oddonem & Carponsem prothonotariũ homines libidinosissimos obtruncant 465.a
urbinatium principes 465.a
urbinum op. captum 189.a
è Belisario receptum 162.e
à Carolo obsessum 252.e
urbinus adolescens solis cultor 289.b
urciorum obsidio 244.d
ursarus mons 344.d
ursaria ab Alphonso obsessa folio 468.d
ursæ animalis cum Lituaniæ rege conuersatio & familiaritas. 417.b
ursinorum apud Ro. habitatio 259.b. odium in Euersum 461 b
ursus anguillarię comes 265.c
uuę miræ magnitudinis 293.b

VV

Vuestphalia 431.a. uitiosos & fallaces citius quàm stultos gignit homines 432.d
uuestphaliæ fertilitas 432.d
uuestphali à Carolo magno bello uexantur 431.b. ad religionem Christianam conuertuntur 431.b
uuestphalorum ritus & consuetudines 431.b.& c
uuicleui libri comburuntur
uuicleui laus 103.b (104.d
uuilhelmus Constantiẽsis iureconsultus 3.c
uuirtenbergẽses comites imperio rebelles, ab Henrico imp. grauiter debellantur folio 100.f
uuirtenbergensium comitũ insolentia & improbitas folio 479.c
uuissegradense castrum à Zischa obsessum 107.c
uuittenberga ciuitas 425.a
uuormatiæ conuentus prælatorum congregatur 206.e
uxij populi 316.d
uxor qualis ducenda 531.a

X

XAndri populi 310.d
xantum oppidũ 370.f
xanthus ciu. 371.a. flu. 371.a
xanthus scriptor uetustissimus 343.c
xanthus ex lanifice fit eques, & Hanibalis filij tutor 452.d
xenarchus philosophus 373.e
eius mors ibidem
xenophanes 361 a
xerxena [illegible] 3[illegible].b
xerxes septem stadium mare ponte iungit 346.d

Z

ZAcharias pontifex Max. fol. 185.b
zachatæ populi 296.d
zagarolum op. diruitur 254.f
zageius mons 285.c
zagrus mons 314.d. 315.c
zaliadras Antiochi magni imperator 319.b
zanbelloti panni confectio, (377.c
zariadra 319.c
zastanę uirginis fortitudo militaris 87.b
zatus ad Carolum Gallorum regem deficit 191.b
zauisius 99.a
zazensis principatus Vratislao cedit 89.a
zaziorum ciuitas 83.b
zechius Croatinus gentẽ Bohemitarum condit 84.e
zechij familia 84.f. imperium placatum 85.a
zegeiguer 305.b
zela ciuitas 331.c. Persicorum regum templum 331.c
zelia ciuitas 345.a
zeliæ campi 349.a
zeliorbis Hunnorũ regis contra Ro. res gestæ. 161 b. 312.c
zenicetus cũ tota familia crematur 374.d
zeniceti Piratæ sedes & mõs folio 374.d
zeno coronatur imperator à filio 155 a
zenonis castrum 244 e
zenocles orator 352.f
zephyra ciuitas 364.e
zephyrion 365.b
zephyrium promont. 374. c.
zepidarum nomen quando extinctum 161 c
zepidarum rex 361.b
zeugma ciuitas 320.d
zeusides Medicorũ scholam ædificat 340.f
zibellinarum pellium apud Lituanos copia 417.b
zigari cũ pueris & uxoribus europã peruagantur 305.b
zigopolis op. 330.d
ziuchi pop. 296.e
zischa sagitta confossus oculum amittit 111.a. moriens mandat suis, ut ex pelle sua tympanum militare in hostium terrorẽ faciant 114.f.
zischæ religio 110.e in Austriam profectio 112.f. militaris prudentia 483.b. uafre consilium 108.f. res gestæ 107.c. 487.b. 661.b.
zischæ ducis ad suos milites oratio 115.c
zischæ ducis fortissimi mors (114 e
znoynea ciuitas 415.a
zofinga Heluetiæ op. 25 c
zogori populi 305 a
zona torrida 284.d
zosini Papæ de statutis generaliũ cõciliorũ, sentẽtia 14.d
zoto dux Beneuentanus Casinense monasterium euertit 172.f. & 173.a

FINIS.

B

Venerabili & Doctissimo uiro Magistro Ioanni de Segouia, Theologo excellenti, [redacted] Felicis ad dietam [redacted]uricensem, Oratori.

hic felix 5° fuit antypapa factus in concilio basiliensi contra Eugenium Papam.

Aeneas Syluius Senensis, domino suo Ioanni de Segouia, sacræ Theologiæ magistro, salutem dicit.



Oronationem [redacted] uario rumore notam esse tibi, tuisq; collegis arbitror. Quia tamē uaria apud nos cōficta esse opinor, quæ inter se non cohæreant, dignum ipse putaui meis literis satisfacere ueritati, [redacted]em efficere ueridicam, remq; (ut gesta est) ad unguem referre: atq; (ut breuior sim) iam incipio. Romanorum pōtifices coronari in generalibus Cō-

C cilijs raro auditum est, tu tamen & Alexandrum Pisis, & Martinum Constantiæ Coronatum audisti, sed præcedet huius coronatio tanto illas, quāto & Felix illos nobilitate anteit. Ita enim iudicium eorum est, qui & illas, & hanc contemplati sunt. Referam igitur ego de hac, sed paucis: non enim ut historicus scribo, sed ut seruus [redacted] res gestas epistolari genere doceo. Transeo electionem de hoc [redacted] autoritate huius synodi factam, quam alio loco non paucis uerbis scripsi: prætereo legationē sibi missam & consensum per eum præstitum, de quibus tu plane instructus es. Pergo ad coronationem, quæ nono Calendas Augusti celebrata est in ciuitate hac Basiliensi. *Coronatio Felicis.* Ipse autem [redacted] triginta ante diebus, octauo Calendas Iulij, ingressus erat: cuius introitus suum habere tractatum meretur, sed non omnia uno in tempore scribi possunt. Locus [redacted]athedralem [redacted]clesiam late patens, ubi spectacula populo fiunt: illic sublimis tumulus constructus est, & super illum altare, excelso in angulo: desuper preciosi panni, ne uel pluuia, uel sol noceret. Prospectus exinde in omnem plateam fuit: huc clerus, & uniuersa nobilitas, ipseq; coronandus pontifex conscendit. Existimati sunt hominum circiter duo milia tribunal conscendisse. Venerat præcedenti die Ludouicus Sabaudiæ dux, ipsius [redacted] generatus: uir comis aspectu, & affatu placidus, consilio & animo iusto: statura illi mediocris, & oculi præalbi. [redacted] *Ludouicus Sabaudiæ dux.*

F autem

Philip. comes Gebennensis. Ludo. Marchio Salutiarum.

autem [redacted] alter generatus profectus erat Philippus comes Gebennensis, summa uirtute, & honesto corpore, honestisq; moribus adolescens: sociusq; illi Ludouicus Marchio Salutiarum fuit, quo in homine nescias formam, uel eloquētiam magis admirere. Magna præterea tam ducem ipsum, quàm etiam [redacted] tota Sabaudia sequuta nobilitas erat, sui principis uisura coronationem: contenderantq; ita (ut fit) singuli spectabiliores uenire. Itaq; fuit magnus uirorum, magnusq; equorum apparatus: quorum numerus ad quatuor milia dijudicatus est. Ex Alemania, Marchio de Rœtelē iuuenali ætate decorus, flauos uento crines fatigans. Conradus de Vuinsperg, Romani Imperij hæreditarius camerarius, annis & sensu senex. Comes de Tierstein, cui nemo forma comparandus iuueni uiroq; fuit, nec adhuc senem senex æqualem habet, Oratores Argentinēsis, Bernēsis, Friburgensis, Solodorēsesq;, omnis circunuicina nobilitas confluxit. Tantaq; forensis populi multitudo concurrit, ut nulla capi platea posset: ac si iocari licet, quicquid uini erat, sit bibitum. Capita hominum ad q[redacted]quaginta milia credita sunt. Ciuitas uero mille robustos iuuenes in armis habuit, ne quid tumulti, ne quid rixarum fieret prohibituros: aciem non minus timēdam, quā admirandam, horum alij tribunal, alij palatium obseruare. Tecta omnia domorum, fenestrasq;, & arbores uiri fœminæq; obsederant. Platea uero sic populo plena fuit, ut nec sinapis grando dedisset locum. D

4000. equorū
Marchio de Rœtelen.
Conradus de Vuinsperg.
Comes de Tierstein.
50000. hominum.

Descriptio Felicis.

Quibus omnibus expectantibus, aduenit in ipso diei ortu Felix electus, ueneranda canicie, decorus aspectu, & facie tota prudentiam præ se ferens singularem. E Statura hominis (ut filiorum) communis, forma egregia, quātum senio datur, pilus albus, cutisq;. Sermo paucus & morosus. Ante ipsum prælati infulati, & clerus urbanus cum reliquijs introierant. Locatus ille in præeminenti sede est: cæterisq; considentibus, & facto ubiq; silentio, ceremoniæ inchoatæ sunt, quare sic peritum se Felix ostendit, ut nihilo monitoris eguerit. Putassetq; nemo patrem illum secularibus negotijs quadraginta, aut eo plus annis uersatum, tantum unquā otij p[redacted]habere, ut ritum ecclesiæ sic imbiberit. Castigabat itaq; ipse per se aliorum errata, nec aliquid uel minimum extra ordinem fieri ferebat. Celebrauitq; missam suam, & cantando, & legendo, plusquā dici posset solenniter, nihil omittens, nihil peruertēs. Mira res omnibus, & spectaculo digna uidebatur, patrem illic grandæuum celebrare, illic prolem insignē celebranti seruire. Quasi enim nouellæ oliuarum circum alta[redacted]nati officiose, attenteq; (quantum laicis permittitur) ministrabant, meritoq; dici hunc Felicem omnes aiebāt, qui post exactam laudabiliter in seculo uitam, post administratum feliciter ducatum, generosamq; sobolem educatam, [redacted]. Vidisses plurimos præ lætitia lachrymantes, benedicentesq; dominum, qui ad tantum spectaculum uiuere eos permisisset, qui rem suis oculis intuerentur, antea nec uisam, nec auditam ulli.

Erubescat hinc infelix Pogius in sua inuectiua.

Duo filij patri principi celebranti ministrant.

Fuit tamē inter hæc (ut sæpe accidit) res una, quæ risum mouit. F Moris est, ut inter ipsa solennia precationes pontifici fiant: quas primus diaconorum Cardinalium inchoat, Scriniarijq; & iudices subsequuntur: hic autem loco iudicum aduocati responderunt. Cantantiq; Ludouico Cardinali sanctæ Susannæ, uiro maximo, & ceremoniarū apprime gnaro (qui presby[redacted] diacono fuit) responsuri aduocati, & scriniarij cantandum adeo dissonā emiserunt, ut non solum risum, sed et lachrymas ab oculis omnium excusserint. Nec maior de ulla re octo post diebus, quàm de illorum cantu sermo sit habitus. Quod etsi aliqui sibi dedecori existimauerunt, ego quoniam inter illos fui, nihil mihi ignominiæ putaui, inscitiam cantus: quam rem nemo unquam non leuis p[redacted]aggressus est. Ideoq; & sequenti die, cum apud Prædicatores idem officium exigeretur, canticare meū carmen non erubui.

...scriniariorū cātus.

Pretiū infulæ Pontificiæ.

Vt igitur finita missa est, [redacted]q; ipse [redacted] consecratus, sacer Tiaras triplici corona insignis, compluribus gēmis præluci[redacted]llatus est. Spectanteq; uniuersa multitudine, & animam cōprimente Ludouicus Cardinalis (cui id officij quod Hostiensi episcopo debetur synodus commiserat) quasi fructum suorum laborum iam colligens, coronam ipsam excellentis pretij, quàm plurimi ad triginta millia aureorum censuerunt, felici capiti Felicis imp[redacted]. Moxq; per uniuersos acclamatum est, [redacted] postmodumq; plenariæ indulgentiæ, quas nunquam antea populus ille habuerat,

A habuerat, concessæ sunt. Completisq; coronationis solennijs, ex tribunali in processio nem est itum: omnesq; in equis per ordinem progresi sunt, qui huiusmodi est habitus. Primi omnium laici, & uulgaris turba famulantium. Secundo nobilium distinctæ fami liæ. Tertio nobil[redacted]ites. Quarto loco barones, comites, & marchiones. Quinto, dux ipse cõsilio suorũ comitatus, aureis uestibus in terram demissis. Inter hos, ut potuit, expompare nixus est quilibet. Hic qui ostro & auro tecti, hic saga militũ gemmis & argento onusta: hic tubæ, tibicinesq;, & mimorum cohors præludẽs: uariæ uestes, uaria ornamenta, ut nulli sat uidisse sit uisũ. Post hos urbanus clerus in pedes reliquias sanctorum uectitans, et puerorum cantantium candidus ordo. His succedebat umbraculũ rubei croceiq; coloris, & apud illud scutiferi, quos honoris uocãt locati erant, rubeos gestantes pileos. Iuxta hos fuissent præfecti nauales, si qui adfuissent, sed loco illorum hæremitæ Ripalliæ, quos milites sancti Mauritij uocitãt, suffecti sunt uiri graues, & æuo præmaturi, qui Felicis [redacted], & seculi & religionis fuerant comites, & qualis habitus illius antea fuisset, in suis habitibus præmonstrabant, plurimũq; reuerentiæ uidebantur mereri. Illinc Prioribus quibusdam pluuialia sine mitra gerentibus locus fuit. Mox successere scriniarij, & aduocati, pluuialia ex transuerso gestitantes, habitum cantui quem habuerant ualde conformem. Idẽ gestamen debitum erat his, qui sequebãtur, iudicibus, quod

B minime obseruatum est incuria promotorũ: habuerũt autem cappas & pileos, tanquã prælati: Hos sequuti sunt abbates, & inde episcopi ornati pluuialibus, infulatiq; equis insidẽtes faleratis. Hoc in ordine præteriuimus duodecim equos qui ante umbraculum candore niuali, quales Rhesus ad Troiam duxit, rubeo tamen tegmine uestiti collotenus, procedebant. Secundum episcopos, saluatoris nostri domini Iesu inter magna luminaria corpus deferebatur. Cuius conducendi cura Ioanni episcopo Argensi Theologo non minus utilis, quàm laudatæ doctrinæ, tanquam sacristæ commissa erat. Sequenti in ordine duo Cardinales, duoq; episcopi, Dertusẽn. Vicensisq;, qui diaconorum Cardinalium tenebant locũ. Vltimo in loco [redacted] aureo tectus papilione triplicem gestans coronam, populoq; benedicens, unus omniũ oculis desideratus, incessu maturo procedebat, Marchione de Rœtelẽ & Conrado de Vuinsperg equum eius ductantibus. Post eum thesaurarius, clericiq; cameræ, & qui pecunias in populũ iaciebat, ornatu decenti ueniebant. Simul quoq; principum, qui aderant Oratores, magnaq; & confusa populi multitudo: Sicq; per plurimos ciuitatis recessus est itum, donec Iudæi illum expectãtes noua & fallaci spe ducti, legem Mosaicam obtulerunt, quã ipse laudãs, ritum damnauit eorum. [redacted] in [redacted] Prædicatorum uentum est, ubi fratres cum Priore obuiam procedentes, [redacted]q; ante altare statuentes, claues cœnobij sibi dederũt. Moxq; finito lætitiæ cantico, hora iam post meridiem tertia magis ad quie

C tem, quã ad prandiũ, quamuis adhuc ieiunus foret. dimissus est Felix. Altera die illuc ad missam omnes conuenere, qua finita, consummatisq; nonnullis, quæ restauerant ceremonijs, prælatis omnibus qui interfuere, duo argentei nummi, & unus aureus traditus est: atq; exinde tota multitudo ad conuiuiũ cõuocata, ubi nec lex Orchia, nec Faunia, nec Licinia locum habuerit, nullaq; alia sumptuaria, quibus uel pretium eduliorum uel obsoniorum copia præscribitur. Cœnitatum est, ut libuit, laute, sumptuoseq;, pransitatum quoq;. dubium est enim, prãdium an cœna fuerit: horis circiter quatuor, homines plus mille cœnati feruntur. Pincernæ [redacted] pulcherrima proles, duo filij fuerunt, Architriclinus Marchio Salutiarum. Ad horam tertiam post meridiem cessatum est. In hora uero quinta, eodem ordine quo itum erat, reditũ est: ductusq; [redacted] ad Virginis templum, q[redacted]ũ, in palatium per posticũ ad quietem redijt. Hæc de coronatione [redacted] Felicis [redacted], uolui ut scires: Tu nunc ista quibus uis communica, daq; operam, ut patrem hunc quem tanti facio, quàm primum repetas, feliciaq; de uestro conuentu nobis reportes. Vale, ex Basilea.

Idibus Augusti. Anno domini, millesimo, quadringentesimo quadragesimo.

Ordo Pompæ põtificiæ, quã processionem uocant.

M. Ioãnes Rag...

Iud... runt ... si legem.

Cœna pontificia.

A PRAEFATIO AENEAE Syluij tituli sanctæ Sabinæ, sanctæ Rom. ecclesiæ Cardinalis Senensis in historiam Bohemorum, ad illustrissimum principem, & dominum Alphonsum regem Arragonum.

Nteritura esse quæque nascuntur, atque homines in primis, quos ea de causa mortales appellant, omnes norunt, plurimi damnant. Nam cur hominem natura finxit, cui negata immortalitate spacium breuissimum uitæ indulsit, cornicibus & ceruis, quorum nihil intererat, longissimum largita est æuum? Sed cui de naturæ operibus permissum, quam nihil esse aliud, quàm Deum uel Dei B decretum dixerim. Ego illud mihi persuadeo, nisi mors introisset in orbem terrarum ex duobus alterum fuisse necessarium, aut terræ scilicet, quàm incoleremus, amplitudinem sine fine patuisse, aut humanam generationem interdictam. Nam quis mundi ambitus homines capiat, in horas absque mortis periculo nascentes? Tot præterea calamitates hominem circumsiliunt, ut mori satius sit, quàm uitam producere miseram. Optabant fortasse utcunque uiuere, quis uitæ alterius adempta spes. Serui, & huiusmodi homines, mortem sibi aliquando consciuerunt. At homini Christiano, qui Deum fabricasse mundum constanter credit, nec dubitat illum gubernare quæ condidit, iniquitatem quoque omnem ab eo alienam putat, sacri ueteres noui'que sermones fidem faciunt: qui animas ex corporibus excedentes, in alia loca meare tradunt: in quis præmia pro benefactis, supplicia pro malefactis expendant, quamuis in hac mortali uita, & uiros bonos in aduersis rebus oppressos, & iniquos homines sæpenumero blandis fortunæ afflatibus in sublime raptos cernimus. Licet in omni gente, quæ sub cœlo est, hoc uidere, Bohemia tamen testimonio satis fuerit. In qua nostra ætate reiecta Romæ ecclesiæ obedientia, conculcata parentum religione, sacerdotibus Chisti occisis, fanis sanctorum dirutis, sine fide, sine bonis moribus in latrocinijs, in adulterijs, in omni spurcitia uiuentes, aduersus potentissimos reges, in- C numerabiles populos, peritissimos duces, structissimos exercitus inuicti perstiterunt, ex quibus plerique ad hoc æui peruenere delitijs affluentes, plerique cum diu ex arbitrio uixissent, non morbo, non gladio ex hac luce, sed naturæ necessitate senio confecti abierunt, ut si nihil aliud quàm præsentis uitæ cursum animo uoluas, beatos iudices: qui tot uictorijs potiti, apud suos ciues charissimi, inter opes quàm plurimas inoffensi morbis, quantum homini licet, æuum produxere. Contra uero infelices dicas, ac superis odiosos fuisse, qui pro lege patrum custodienda, pro ueritate, pro iustitia, pro honestate, aut in exilio pauperes obiere, aut in medio uitæ cursu rapti, ante ora suorum miserabili cruciatu necati sunt. Sed uerissima est Christianæ religionis assertio: quæ post uitam huius seculi patere alteram asserit, his qui religiose uixerunt iucundam & beatam, reliquis molestam & infelicem. Cui sententiæ & Iudæi & Saraceni & gentiles, & ipsi quoque Philosophi consentiunt, quos ueri conscios & humanæ uitæ magistros putant. Nemo homo est, cui non insit aliquid boni; & id Deus in terra & hac transitoria uita remunerat. Neque enim mole malorum obstante cœlestem conferre lucem potest. Vitia apud inferos plectuntur. Viris bonis, quis terra clausa est, cœlum patet. Peregrina in terris uirtus, in cœlo ciuis. Zischa igitur, Ciaccho, Ptasco, quos felices Bohemi credidere, tot præliorum uictores, t

imperio

Episcop
rentinus

imperio præditos. Coranda quoque & Iacobellus, quibus ut Apostolis Christi, aut angelis è cœlo missis, populorum aures patuere: cum Procopijs pugna cæsis, cum Ioanne ac Hieronymo Constantiæ in magna synodo igni dãnatis, apud inferos pœnas dant temeratæ religionis, in æternumq; dabunt. Eosq; procul dubio Rachezana sequetur, & qui ei auscultant, diuinæ legis temeratores, nisi ante finem uitæ suæ resipuerint. Viri cõstantes, qui uel exilium uel carcerem uel cædem pro testamento Christi fortiter pertulere, cum rege suo in cœlo regnant, ex aliena uictoria triumphantes, quorum multa milia Bohemia tulit. Nam sicut Hussitarum insania Bohemicum nomen labefactauit, ita & fortium uirorum cõstantia illustrauit. Nec prouincia est, quæ tempore nostro plures Christi martyres quã Bohemia produxerit. Inter quos equitem fuisse non est ambiguum, nobilibus parentibus ortum quem captum ab Hussitis, admotum ignibus, pedes primũ, deinde tibias, mox genua coxasq; postremo reliquas corporis partes exuri passum, quã illorũ insaniæ cõsentiret. Admiranda sunt, quæ tempestate nostra inter Bohemos emersere, siue pacẽ siue bellũ recenseas. Mihi uero dũ ualetudinis causa in balneis Viterbiensibus ago, procul ab negotijs Curiæ, haud indigna cura uisa est, res Bohemicas scribere, atque hominibus nostris ex barbaris, quæ partim uidimus, partim uero auditu accepimus, digna memoratu nota efficere. Sunt enim multa, quæ in communi nosse perutile est. Et dum cogito, cuius potissimum nomini dedicẽ, tu primus occur- E ris, qui seculum nostrum non doctrina solum ac bonis moribus, sed splendore quoq; rerum gestarum exornas, & quasi clarissimum quoddã sydus illustras. Tibi ergo Bohemicam historiam dedico. nam tuo nomini inscripta, facile cum rerum tuarũ notitia, quas doctissimi celebrarunt, ad posteros trãsferetur: nam ego ab origine gentis in hanc usq; ætatem, si Deus dabit, producam. In qua & si uetera digna sunt memoria, illustriora tamen noua existimo, quæ tum certa, tum admirabilia sunt. Nec mea sententia regnũ ullum est, in quo æuo nostro tot mutationes, tot bella, tot strages, tot miracula emerserint, quot Bohemia nobis ostendit. Hæc ego tuæ maiestati libens pandã. Vale: & quod ab homine deditissimo tibi mittitur, quodcunq; est, legito, boniq; consule.

D

De situ regionis Bohemicæ, de fluminibus eiusdem, & ciuitatibus, ac de Bohemorum moribus, Cap. I.

Ohemia in solo barbarico trans Danubium sita, Germaniæ portio est, Aquilonis flatibus tota ferme exposita. Cui ad Orientẽ, uergẽs latus Morauí obtinent, & Slesitarũ natio, Septẽrionẽ ijdem Slesiæ ac Saxones, qui & Misnenses & Thuringi appellantur. Ad Occidentem Aduocatorum terra est Boioariorumq; regio. Meridionalem plagam tum Boioarij, tum Australes habent, qui ripas Danubij utrasque accolunt, nec alia Bohemiæ quàm Theutonũ terra cõiungitur. Regionis longitudo latitudoq; penè parem formam rotundam ferunt, cuius diametrum trium dierum itinere expedito pateat. Sylua uniuersam claudit, quam ueteres Herciniã uocauere, cuius & Græci scriptores & Latini meminerunt. Flumina quæ terram irrigant, uniuersa in Albim exonerantur. Hic in montibus exoriens, qui Bohemiam Morauiam'que disterminat, mediam ferme prouinciam perlabitur, primo in Occidentem, deinde in Septentrionem uersus, ubi' prouinciam relinquit, per angustias montium & abrupta conuallium præceps Saxoniam petit, quàm duas in partes dirimens in Oceanum fertur, ibi'que à Rheno flumine æquo terrarum spacio distans. Quod plerique Germaniæ terminum, Sarmatiæq; quondam dixere: sed nostra ætate Oderam fluuium, qui Slesiam intersecat, & ipsum Viscellam Prutheno rum amnem Germania prætergressa Albim in alueo continet. Amnes alij, quos Bohemi

F

Hos alij Bauaros uocant. *Hercinia sylua.* *Albis.* *Odera.*

A Bohemi memorant, Orlioze, quod Aquilam signat, Egra qui ex nomine oppidi, quod aluit, uocitatur, in terra Aduocatorum exoriens apud Litomericiam Albi miscetur, sed cunctos Multauia excedit, qui Metropolim regni Pragam influit, hic Saczaniam & Lusmicium & Misam & Albim secum trahit. Oppida toto regno memorabilia. Praga regi pontificiq; honesta sedes, neq; minor neq; ignobilior Etrusca Florentia, tris in partes diuisa, quis nomina indidere, paruam Pragam, ueterem, ac nouam. Parua sinistrum latus, Multauiæ fluminis occupat: collicq; coniungitur. in quo sita est regia, ac sancti Viti pontificale augustumq; templum. Vetus Praga in plano iacet, uniuersa magnificis operibus adornata. inter quæ prætorium & forum & lætam curiam, & collegium imperatoris Caroli, mirificis efferunt laudibus. Iungitur autem minori Pragæ lapideo ponte quatuor & uiginti arcuum. Nouam ciuitatem, à ueteri fossa disiungit profunda, utrinque munita muro: & in quam facile fluminis aqua deriuari potest. Hæc quoque ciuitas ampla est, & ad colles usq; protenditur, quorum alterum sancti Caroli, alterum sanctæ Catharinæ appellant, tertium Vissegradum, in arcis modum exædificatum, ubi & collegium est, cuius præpositum, & cancellarium regni & principē uocant. Post Pragam Litemesce, altera in Bohemia pōtificalis ciuitas, uicina Morauis. Cuthna quoque haud parui nominis habetur: ubi argenti inexhaustæ uenæ suffodiuntur, quamuis nostra ætate sæpius capta exhaustaq; fuerit: & in ipsas argenti fodinas pluuiales aquæ deB riuatæ. Nec Buduicium contemnere oportet, quæ splendidum et munitum, habet etiam nomen Slagenuerdium. Eaduū, Luna, & utraq; Broda, altera Bohemica, altera Theutonica: Budinge Colonia, Litomericium, Poggiebracium, & quod reginis dotale dicunt, Grezium: potens insuper, & diutina obsidione memorabilis Pelzina, Zaziorūq; ciuitas, & si Bohemiæ dederis Iglaria, qua iter est in Morauiam: Postremo arx hæreticorum asylumq; Thabor, memoria nostra ex ruinis alterius Hauschæ, difficili loco conditum oppidum, & ab Sigismundo Cæsare ciuitatis honore donatum. Gelida prorsus regio, pisce atque armentis abundans, cum uolucre ferisq; frumenti ferax. Sicera pro uino utitur, illi Ceruisiam uocant, quasi ex Cerere factum. Ager toto regno optimus. Circa Zazium colles, apud Litomericium consiti uineis. Vinum quod nascitur acerbum, ditiores ex Austria atq; Hungaria importato utuntur. Sermo genti & Dalmatis unus. Mos uetus in hanc usque diem seruatur, in templis sermone Theutonico plebes docent, in cœmiterijs Bohemico. ubi secularium presbyterorum collegia sunt aut monachorum prædia possidentium. Solis mēdicantibus libertas fuit, qua uellent lingua populum instruere. Quæ res palam indicat, regionem ipsam olim Theutonicā fuisse: sensimq; subintrasse Bohemos. Quod Strabonis testimonio confirmare licet, cuius hæc uerba septimo commentario inuenies. Sennones, Sueuorum natio, ut superiC us dixi, partim intra, partim extra syluam habitat, Getarum contermina genti. Sueuorū quidem gens amplissima, è Rheno siquidem usque ad Albim peruenit fluuium, eorum etiam portio trans Albim loca depascitur, quemadmodum Emondori & Lancosargi. Hæc Strabo. Plebs toto regno bibula, & uetri dedita, superstitionumq; sequax, & auida nouitatum. Quoties Cretense uinum caupones uenale proponunt, inuenies quam plures, qui iuramento adacti, nunquam cellam uinariam egredientur, nisi exhausto dolio. Idem efficiunt in electis Italiæ uinis. Qui paulo excellunt, atq; inter plebes nobilitatemq; medij sunt, audaces, uersuti, ingenio uario, lingua præcipiti, rapinarum auidi sunt, quibus nihil satis esse possit. Nobilitas gloriæ appetens, belli perita, periculorum cōtemptrix, ac promissi tenax: quamuis eius ingluuiem explere difficillimum. At uniuersum simul si expendas populum, non est qui religioni aduersetur. Sed profecto in omni gente, qualis rector, talem inuenies & populum. Quomodo autem & unde hoc genus hominum in Germaniam uenerit, scripsi iam pridem integerrimo & præstantissimo patri Dominico Cardinali Firmano, tuæ serenitati amicissimo. Id hoc loco repetere non grauabor, quando historiæ, quam teximus, omnino quadrat.

Egra. *Multauia.* *Praga.* *Litemesce.* *Cuthna.* *Buduicium.* *Slagenuerdium.* *Thabor.* *Sicera.* *Ceruisia.* *Bohemia olim theutonica.*

De origine gentis Bohemorum, Cap. II.

Sclauoni. BOhemi sicut cæteri mortalium, originē quā uetustissimā ostendere cupientes, Sclauorum se prolem asserunt. Sclauos autem inter eos fuisse, qui post uniuersale diluuium condendæ famosissimæ turris Babel autores habentur: atq; ibi dum linguæ cōfusæ sunt, Sclauonos, id est uerbosos appellatos, proprium idioma sumpsisse. Relicto deinde campo Sennaar, Ex Asia in Europam profectos, eos agros occupasse, quos nunc Bulgari, Seruij, Dalmatæ, Croaci & Bosnenses incolunt. Nondum ego quempiam legi autorem, cui fides adhibenda sit, qui tam alte suæ gentis initium reddiderit: Hebræos excipio, omniū mortalium primos. Multi ex Germanis satis se nobiles arbitrantur ex Romanis ortos, Romani ex Teucris, originem ducere gloriosissimum putant. Franci qui & Germani fuerunt, Troianum se sanguinem esse dixerunt. Eadem Britannis gloria satis est, qui Brutum quendā, exilio profectum, generi suo principium dedisse affirmāt. At Bohemi longe altius orsi, ab ipsa confusionis turre se missos iactitant. Cæterum, nec qui tunc principes fuerint, nec quem regem habuerint, nec cuius terræ cultores extiterint, nec sub quo duce, nec quibus periculis in Europam uenerint, nec quo tempore tradunt. Fuisse illic Sclauonos aiunt, dum labium uniuersæ terræ confusum est. Vana laus, ac ridenda. Quod si qui Bohemos imitari uelint, nobilitatem generis ex ipsa uetustate quærentes, non iam ex turri Babylonica, sed ex Arca Noë, atq; ex ipsa deliciarum Paradiso, primisq; parentibus, & ab utero Euæ, unde omnes egressi, facile sibi principia uindicabunt. Nos ista tanquam anilia deliramenta prætermittimus. Omnes reges ex seruis ortos, omnes seruos ex regibus, scripsit Plato. Veram nobilitatem solo atque unica uirtus gignit. Multa sunt quæ de Bohemis uera ac memorabilia traduntur, ad ea nugis omissis, festinat calamus. D E

De Zechio, primo duce Bohemiæ, Cap. III.

ZEchius Croatinus haud obscuris parentibus ortus, gentem Bohemicam condidit: quā homicidio domi perpetrato iudicium ultionemq; fugiens, in regionem eam uenit, cui nunc Bohemia nomen est: ac montem incoluit Chezip uocatū: quod uocabulum latinè, respiciens, interpretatur. Surgit enim ex medio camporum æquore fluuios intuens, qui præcipui Bohemiam irrigant, Albim, Multauiam, atq; Egram. Terram incultam fuisse tradunt, nemoribus atq; sentibus asperam, ferisq; quàm hominibus aptiorem. Credimus id quidem: nam prisci Germani, qui ea loca tenuerunt, pastoralem uitam agentes, agrorum culturam neglexerunt, ac more Nomadum alimoniam ex pecoribus trahentes: domesticum in carris tollentes instrumētum, quocunque sors tulit & opinio, cum suis armentis conuertebantur. Non assentimur Bohemorum historiæ, quæ Zechium illum, omnemq; familiam suam (nam frater cognatiq; fugæ comites erant) glandibus ac syluestribus pomis tantum uitam duxisse affirmat, obliterato iam tum glandium usu, nec post diluuium ex his fuisse hominibus uictum crediderim. Illud mihi persuasibilius fuerit, Zechium paucos, inuenisse cultores, quos lacte ac uenatu uiuentes, arare terram, triticum serere, fruges metere, uesciq; pane docuerit: atq; ita sibi rudes homines ac penè feros, ad usum mitiores uitæ redactos subiecerit. Nec rursus apud me pondus habet, omnia tum fuisse communia, atq; tam uiros quàm fœminas incessisse nudos, neq; enim illa regionis temperies est, ut hominem asseruare nudum queat ex Dalmacia uenientem, ubi non defuit uestis usus: nisi fortassis in argumentum quis aduexerit Adamitas, qui nostra tempestate apud Bohemos emersere, cōmunione rerū omnium, nuditateq; gaudētes, quos breui deletos constat. Zechio frater fuit nomine Leches, paupertatis & exilij comes. Hic ubi germanum agris ditatum, bobusq; potentem animaduertit, ad Orientem profectus in magna camporum planicie sedem collocauit: Poloniamq; nomen ex loco dedit. Nam planicies, Sclauonica lingua Pole nominatur. Cuius hæredes innumerosam multitudinem breui coaluerunt, ac Rusiniam. Pomeraniam, Casubiamq; sui generis hominibus impleuerunt. Zechij quoque familiam, Bohemos, id est, diriuos appellant, mirum in modum germinantes: non solum prouinciam à se dictam, sed Morauiam Lusatiamque pulsis ueteribus incolis occuparunt. F

Chezip.

A parunt. Dum uixit Zechius, nihil temere, nihil tumultuose actū: eius imperio sine cōtrouersia obtemperatū. At eo uita functo, cum quisq; sibi principatū uindicaret, diu seditionibus agitata prouincia est, sine principe, sine certa lege, iudicio tantum multitudinis gubernata. Postremo cum potentiores imbecilles opprimerent, serum atque incertum esset populare remedium, ex re uisum est rectorem assumere, qui omnibus præsidens imbecilles ac potentiores pari iure gubernaret.

De Croco, secundo Bohemorum duce, *Cap. IIII.*

ERat per idem tempus apud Bohemos uir nomine Crocus, iustitiæ opinione insignis, ac propterea magnæ apud uulgus autoritatis, hunc sibi principem deligunt, summamq; ei rerum committunt. Cuius tanta moderatio fuit, ut non aliter quàm pater à prouincialibus coleretur. Neque enim ad suam uoluptatem, sed pro subditorum utilitate ac quiete prouinciam rexit, ferocemq; populum non tam imperio, quàm beneuolentia quietum continuit. Hic arcem apud Stemnam condidit, quā de suo nomine Crocauiam nominauit. Moriens autem tres filias reliquit, Brelam, quæ castellum Brelum ædificauit, herbarū ac medicinæ peritā. Therbā siue Therbizā augurē & sortilegā. Tertiā Libussam, quæ ut natu minor fuit, ita diuinarū humanarumq; rerum scientia maior. Crocauia.

De Libussa, filia Croci, quæ pluribus annis rexit Bohemiam, *Cap. V.*

B LIbussa autem uelut una ex Sybillis habita post obitum patris fauente populo pluribus annis prouinciam gubernauit: & priusquàm Praga ædificaretur, arcem Vissegradensem cōmuniuit: fuitq; suum imperium patribus plebiq; iuxta gratū. Postremo non crudelitate aliqua non tyrannide aut socordia usa: sed rectum iudicium faciens popularem fauorem amisit. Contendebant coram ea duo ex optimatibus de possessione agrorum. Sententia ex bono & æquo dicta: potentior humiliori damnatur. Ille tanquā iniuria esset, potentiorem in iudicio succumbere, populares appellans, indecorū esse indignumq; ait, tantum populum, tot proceres, tantum imperium, unius fœminæ subesse arbitrio. Ad cuius uocem excitata multitudo, muliebre regimen accusare, uicinarū gentium mores in medium adducere, uirum qui sibi dominetur expetere. Libussa, indicto silentio, desiderium se populi animaduertisse dicit, neque se illos eo frustraturam, imperium subditis, non sibi, post patris obitum tenuisse. Iubet ad diem posterū redeant. Obtemperatum est, itum atq; reuentum.

De Primislao tertio Bohemorum duce, *Cap. VI.*

LIbussa in concione ubi adesse multitudinē uidit. Ego uobis, inquit, Bohemi in hāc usq; diem, placite, molliterq;, ut mulieribus mos est, imperaui: nullū quod suum esset eripui: nullum læsi. Matrem experti estis, non dominam. At uobis meum regimen ingratum. More humani ingenij mecum agitis. Nihil diu placet homini. Pium, iustumq;
C principem desiderant populi magis quā ferunt. Estote ergo iudicatu meo liberi: uirum qui uobis præsit, quiq; suo arbitratu capita uestra iudicet, sicut optastis dabo. Ite, equum meum albicantem sternite, atq; in campo late patente, adducite, liberum effrenemq; ibi dimittite: sequentes eum quocunq; ierit. Curret equus aliquandiu, denique ante uirum subsistet, in mensa ferrea comedentem: Ille mihi coniunx erit, uobis princeps. Gratus sermo concioni fuit. Emissus equus decem millia passuum percurrit. Postremo ad flumen Bieli ante aratorem constitit, nomine Primislaum. Secuti proceres popularesq; postquam stantem equum, & aratori blandientem adulanteq; uiderūt, accedētes propius: salue, inquiunt, bone uir, quē nobis superi dederunt principem, Solue boues, atque ascenso equo nobiscum uenito. Libussa te uirum, Bohemia ducem poscit. Agrum colere, gregem pascere, nauim regere, texere, suere, ædificare, multi se ignorare fatentur. Magistratū in urbibus agere, regem agere, gentibus ac nationibus imperare, quod est difficilimum, nemo sibi à natura negatum dicit: etsi pleriq; siue laboris odio, siue ocij amore, oblatis regnis abstinuere. Primislaus, quamuis agrestis nuncios benigne excipit, facturumq; postulata respondit. Tanta est mortalibus regnandi cupido, nemo se regno indignum putat. Solutos boues, ut fabulosa est omnis antiquitas, eleuatos in aëra ferunt, & in altissimam præscissæ rupes speluncam delituisse, nunquā postea uisos. Stimulum

H uero,

uero, quo boues urgebātur, terræ defixum, mox frōduisse, ac tris corili ramos emisisse: D
ex quibus duo statim exaruerunt, tertium in arborem eiusdem generis procerā excreuisse. Non recipio ad me ueri istius periculum, apud autores ista quærantur. Vidi tamen inter priuilegia regni, literas Caroli quarti Romanorū imperatoris, diui Sigismundi patris, in quibus hæc tanquam uera continentur, uillæq; illius incolæ in qua hæc gesta creduntur libertate donantur, nec plus tributi pendere iubentur, quàm nucum illius arboris exiguam mensuram. Sed nec mihi Carolus fidem facit. Nam leges plerunque creduli sunt, nec quidquam non uerum putant, quod generis sui claritatem astruit. Primislaus igitur audita legatione, inuerso uomere, pane caseoq; apposito, uiam quasi grandem facturus, cibum sumpsit. Ea res Bohemorum animos confortauit, mensam ferream, de qua Libussa uaticinata fuerat, in uomere cognoscēres. Stupentes edentem circumstāt, saturum equo imponunt: iubentq; festinare. Inter eundum, quid sibi uult stimulus frondens interrogant, & cur duo rami mox aruerunt. Ille, qui diuinādi peritia calleret, tris sibi liberos nascituros ait, ex quibus duo funere immaturo deficiant, tertium nobiles fructus editurum. Quod si ager totus aruisset ante uocationem, genus eius masculinum perpetuo regnaturum fuisse, cum ante tempus accersitus sit, eam spem ademptam. Interrogatus, cur nam calceos querno robore factos secum afferret. Seruandos in arce Vissegradensi respondit, ostendendosq; posteris, ut scirent omnes primū qui principatum inter Bohemos accepisset, ex agro fuisse uocatū, neq; insolescendū esse, qui ex humili fortuna soliū ascenderit. Seruati calcei diu apud Bohemos, religiose habiti, ac per sacerdotes tēpli Vissegradensis ante reges delati, dum pompa coronationis educitur. Cū Vissegradum appulisset Primislaus, ingenti fauore plebis atq; honore exceptus est: Libussamq; sibi matrimonio iunxit. Nec diu moratus, Pragense oppidū aggere atq; muro cinxit. De cuius nomine dum disceptaretur, iussit Libussa ex artificibus, qui primo occurrerit, rogari quid ageret, ac ex primo uerbo eius uocari oppidum. Interrogatus faber lignarius quispiam: limen se agere dixit, quod Bohemice, Praha dicitur. indeq; nomen urbi datum. Sed corrupto uocabulo posteri Pragā dixere. Exinde leges conditæ, quibus Bohemi lōgo tēpore usi, prouincia pace & ocio fruens, opibus aucta est. Et Libussa castellū Libus ædificauit, non lōge ab Albi flumine: quod morienti sepulchrū fuit. Qua mortua, imperium ad Primislaū solum rediit, quod uiuente coniuge eius maximo cōsilio administrauit, fœminarum, quæ illa uiuente plurimū poterāt, autoritas extincta.

Non omnes sed tristātū libertate donati, & hodie usque liberi.

Mēsa ferrea.

Calcei querno robore. E

Origo nominis Pragæ.

Libus.

De puella Valasca, quæ principatum Bohemiæ more Amazonum, septennio potenter obtinuit. Cap. VII.

SEd fuit inter uirgines, quæ Libussæ ministrare solebant, Valasca puella ingenti spiritus & Amazonicæ gentis, quæ clanculum accersitis comitibus, Heram, inquit, o sorores perdidimus quæ nos à uirorum contumelia uindicauit, nec passa est seruire uiris, cōtra, uiri eiusdem imperium subiere, nos reginarum honore fungebamur. Nūc iugum asperum & miserrimum ferre oportet, nisi libertatem nobis ipsis uendicemus uilissima mancipia sumus. Quod si uobis id animi est, quod mihi, facile pristinam autoritatem obtinebimus. Ego secretorum Libussæ conscia, Therbize quoq; sortes noui, herbarū uires non minus quàm Brela calleo, quod tres habuere sorores, hoc mihi soli datum est. Adsistite audēti, uobis imperium in uiros polliceor. Probant singulæ Valascæ cōsilium, coniurant, poculum recipiunt, quo uirile genus odissent. Interea loci Primislaus uirginem sibi per quietem sanguineum ministrare potum uidet. Territus somno, ac malum quod erat futurum suspicatus, primores terræ admonet, ne tantum licentiæ fœmineo sexui præbeatur. Mos enim uirginibus erat equos ascendere, fatigare cursu, flectere in gyrum, hasta contendere, gestare pharetram & arcum, sagittare, iaculari, uenari, nihil officij uirilis omittere. Quod Primislao tum periculosum, tum bonis aduersum moribus uidebatur. At proceres ridere principem fœmineum sexum nil ausurum magis credere. Mirari tanto magis atque amare puellas, quanto agiliores ac doctiores dicerentur. Valasca monere interdiu noctuq; conspirationis socias, spem bonam facere, audaciam augere, poculis atque carminibus mentes earum à uirorum amore auertere,

F

Somnium.

Virginum mos.

Dicuius

A Dicuim plures allicere, prouinciam uniuersam ueneno inficere. Vbi nam uirginum ac nuptarum satis conuenisse arbitratur, mandat omnibus suos uiros, parētes, germanos, filios mares, omnes somno uinoq; sepultos nocte occidant, armis equisq; arreptis, in cāpum prodeant, non longe à Praga monstratum. Maturatur scelus. uirorum quantum imperatum erat interficitur, ueniunt in campum armatæ fœminæ, prostratoq; uirorum exercitu, qui parricidas insequebantur, ducem in arce Vissegradensi obsident. Quam cum expugnare nequirent, castellum sibi haud procul inde in prærupto undiq; colle natura q; munitissimo ædificant, quod Dieuizum appellant, quasi uirginum castrum. Dieuizæ nanque eorum lingua uirgines nuncupantur. Res uisa patribus plebiq; perniciosissima, tum propter admissum scelus, tum quod illarum exemplo reliquas adduci fœminas uerebantur, & hostem cuiq; domi esse formidabile fuit. Hortantur itaq; principem ut puellas bello coërceat, se cum copijs affuturos promittūt. Primislaus se à Dijs admonitum ait, perituros omnes, qui puellas armis lacessant, tempus aliud expectandum. Illi spreto consilio, coacto sine principe exercitu, castra ad Dieuizum ponunt, puellasq; cingere obsidione pergunt. Valasca nil territa, in maiori discrimine maiorē adhibet animum, comites ne mente labantur, plena fiducia hortatur, aduenisse tempus affirmat quo toti Bohemiæ leges imponant, uidere se omnes prouinciæ optimates in suam B potestatem uenisse, uires tantum acuant, uictoriam in manibus esse. Neq; nouum uiros mulieribus obedisse, Amazones sibi Asiam uectigalem fecisse, pugnasse ad Troiam. Thesei atque Herculis arma contempsisse. Si consilium atq; animus mulieribus adsit, uires haud quaquam deesse, nullius Bohemi cōsilium suo præferre. Vbi persuasum multitudinem animaduertit, palantes hostes & nil tale uerentes, aggreditur. Fit trepidatio totis castris. Mox fœda oritur fuga, instant uirgines, uirosq; passim trucidant. Neq; aliter pugnatum est, quàm si muliebres uiri animos, uiriles fœminæ induissent. Pauci ex ea pugna euaserunt, quos uelocitas equorū, non sua uirtus, à morte redemit. Singularis audaciæ in hoc prælio septem puellas fuisse memorant. Maladam, Nodeam, Suataciam, Vorastam, Radgam, Zastanam, Tristanam Reginam sua manu septē uiros interemisse. Spolia ingentia capta, præmia pro meritis reddita, septē quæ uirtute præstiterant, torquibus aureis atq; armillis donatas, Valascam ueluti deam habitam. Neq; post id prælium Bohemis aduersus puellas audaciam fuisse. Ille populare agros, abducere prædas, rapere, occidere, uillas incendere, potentiam indies augere, fingere interdum se uirorum amore teneri, amatorias epistolas nobilibus adolescētibus mittere, detestari fastum atq; insolentiā Valascæ, simulare fugā, rogare, ut in syluam potenti manu uenirent, ac se raperent. Iuuenes qui puellarum facinora magis admirarentur quàm odissent, uicti blandicijs, captiq; nonnullarum specie, erant enim pleræq; pulcherrimæ, impetrata facessunt. C Sed ingressi syluas, insidijs circumuenti trucidantur. Alij noua fraude in arcem uocantur, Valascam uelut per traditionem comprehensuri. Qui mox intromissi, ad unum necantur. Vbi iam nulla fides uirginibus est, commentum inauditum excogitant.

Dicuim. *Dieuizum.*

De puella Sarca, quomodo dolose nobilem Stiradum deceperit, mortiq; tradiderit, Cap. VIII.

SArca erat inter puellas admodum honesta facie, sed animo impuro, & ad omne scelus parata. Hanc in altissimo nemore strictis pedibus ac manibus arbori alligant, tubamq; uenatoriam, ac uasculum medone plenum iuxta ponūt. Ipse in insidijs haud procul delitescunt. Solebat hac iter sæpe facere Stiradus nobilis eques inter Bohemos, opibus & autoritate potens, & qui puellarum tyrannidem præ cæteris abhorreret atq; persequeretur. Is ergo cum syluam pro suo more uenaturus intrasset, puellamq; uinctam conspicatus esset, miserabūdus quid sibi ea res uellet percontatur. Cui Sarca: Nosti, inquit, quot scelera his in regionibus Valasca perpetrarit, dum sibi potentiam regnumq; uendicat. Ego quoque pariter in furorem acta, insaniam eiusdem aliquādiu secuta sum. Peccaui fateor, pœnituit me tamen tot ineptiarū deniq;, cogitauiq; quo nam modo scelestam relinquere uitam possem, statim ab iniqua discedere domina. Sed dum comitem fugæ quæro, prodita captaq; huc deducor, hic de me statuerat supplicīū sanguinaria carnifex.

Tuba uenatoria.

nifex. Interea dum ligor, dumq; mihi ultima uerba dicuntur, ut auditus est tuorũ canum latratus, atq; hinnitus equorũ, illæ meæ sociæ salutẽ pedibus quæsiere. At ego te uir clarissime, quem unum perfida turba metuit, per nobilitatem tuam oro miserere infelicis fœminæ. Solue me obsecro, atq; abducito, aut si hoc non placet, iugula me potius quàm hic uiuã deseras. Nanq; ubi abieris, mox aderat iniqua uirginum cohors, meq; diris lacerabũt modis. Iuua tua manu perire. Stiradus lachrymis motus muliebrib, puellæq; forma captus, equo desiliens uincla soluit, rogatq; medonis uasculum, simulq; tuba apposita quid sibi uelint. Tum Sarca, medonem, inquit, optimum carnifices attulerunt, quo inter cruciandum uter, hũc iam læta securaq; bibam, & hausto sumpto, quod reliquum fuit Stirado propinauit, qui pariter bibit. Erat autem potus suauissimus, quem Bohemi ex albo melle conficiunt, sed quàm mulieribus saluber, herbis & carminibus adhibitis, tam uiro pestilens, qui mentem Stiradi prorsus alienauit. Exinde, tuba hæc, inquit, mea fuit dum uenarer, quam mihi mortuæ ad collum suspendere statuerãt pessimæ, quasi uenatricis signum. Inflabo ut intelligant me uiuentẽ, suisq; manibus ereptam esse. Moxq; tuba cecinit. Valasca ubi sonitum audiuit, ex composito cum armatis puellis adest. Stiradum incautum capit, comites eius obtruncat. Ferũt dum hæc agerẽtur, auditum tota sylua ingentẽ ueluti ridentium strepitum, ubi dum esset hominũ solitudo, creditũ dæmones de puellarum facinore ac fallacia cachinnatos. Illas uero instructo exercitu Stiradũ cathenis uinctum, in cõspectu arcis Vissegradensis deduxisse, ibiq; prospectante Bohemorum principe nobilẽ uirum rotæ supplicio, quod est inter Germanos atrocissimũ ac miserrimum, peremisse. Post hæc iam plane regionis dominas uiros sibi adsciuisse, ex quorum cõplexu nouis fœtibus rempublicã sustentarẽt, sancitumq; lege, ut natæ fœminæ diligenter asseruarentur, masculis dextri oculi eruerentur, amputarenturq; pollices, ne uiri facti arcus tendere aut armis uti ualerent. Idq; aliquandiu factitatum. Septem annis ea pestis Bohemiam afflixit, tributariaq; magna ex parte prouincia uirginibus fuit. Qui detrectauere imperium intra mœnia clausi, nusquã exire audẽtes, magnis incõmodis acti sunt. Deniq; cum necessaria deessent, eoq; perducta res uideretur, ut coactos fame deditionem facere oporteret, tumultuarie principem adeunt, dirum puellarum bellum deplorant, ignauiam ducis accusant, malle se fœminis obedire quã perire inedia dicunt, aut populũ tueatur, aut meliori cedat, probris & contumelijs minas adijciunt. Primislaus tot angustijs circumuentus, cum nõ tam armis, quã sortibus ualeret, plebẽ paucos adhuc dies exspectare hortatur, id si faciant, puellarum excidium imminere. Paret multitudo. Ipse medio tempore scribit Valascæ, iniussu suo optimates prouinciæ arma in eam sumpsisse, placere sibi eos subijsse pœnas. Se illam filiæ loco amare, neq; inuidere principatum, quæ cõiugis suæ Libussæ discipula extitisset, imperium uirtuti suæ deberi, quæ Bohemiã uirili audacia bello attriuisset, senium suum regno ineptũ, neq; filio impuberi gubernationem credendam, monere ut arcem Vissegradensem ex manibus suis accipiat, sic Bohemiam totam in potestatem eius uẽturam, filio quam uelit partem faciat. Sibi priuato restat, quod ætatis uiuere libeat, atq; in agrũ reuerti, quẽ reliquisset inuitus. Potestatem quã sibi fœmina tradidisset, iure optimo se fœminæ restituere. Capitur Valasca suis artibus, amissaq; puellarum cohorte, tradi sibi arcem postulat. Intromissæ uirgines, apud principem opiparè epulantur. Interea prosilientes ex insidijs iuuenes armati, puellas omnes trucidant, nec morati castellũ Dieuizũ cum exercitu petũt. Valasca recognita, furore amens, cum paucis obuia egreditur, consertoq; priusquã comites assint, dum strenue pugnat, inter confertissimas hostiũ turmas occiditur. Subsecutæ uirgines, ubi dominam cecidisse cognoscunt, non tam spe uictoriæ, quàm ultionis ardore certamen instaurant. Pugnatum est aliquandiu, nunc huc, nunc illuc uictoria inclinante: ad extremum infeliciter præliantes fœminæ, cæsis quã pluribus, fugæ se cõmiserunt. Subsecuti hostes, uno agmine uictores cũ uictis castellũ irrupere, potitiq; arce, quicqd fœminei sexus inuentũ est, ferro extinxere, atq; hoc pacto magnanimi iuuenes dominatu fœmineo Bohemiam liberarunt. Valasca inter fœminas clarissimas numeranda, plus ausa quàm sexui suo congrueret, insepulto cadauere iacens, feris ac uolucribus esca fuit.

Bohemia uirginibus tributaria.

Valasca occiditur.

D E F

De Nimis-

A *De Nimislao quarto, ac Mnata quinto, Vortioq́ sexto, nec non Vinslao septimo Bohemorum ducibus, Cap. IX.*

PRimislao ex Libussa tres filij nati, duo immaturo rapti funere, tertius morienti se ni hæres dictus, Nimislaus nomine, quod nihil excogitãs interpretatur. Fuit enim stupidi ingenij & prorsus iners: inter scorta & concubinas ocio marcens. Mollicíem eius fortuna confouit: quæ pacem illi perpetuã dedit, nullo uicinorũ arma mouẽte, nec seditionibus studente populo, quẽ diutina uirginum bella prorsus extenuauerant. Huic Mnata filius subsecutus est. Mnatã Vorcius, cui duo fuerunt filij, Vinslaus & Vratislaus. Inter quos moriens partitus est terram. Vinslao Praga & ducatus Bohemiæ cessit, Vratislao Lucensis principatus, qui post Zacensis dictus est.

Nimislaus.

De Grezomislao, qui & Neclam dictus est, octauo Bohemorum duce. Et de graui bello, quod gessit cum patruo suo Vratislao. Cap. X.

EX Vinslao natus est Grezomislaus, qui & Neclam dictus est, unicũ timoris et pacis exemplũ. Cuius ignauiã in animo uoluẽs patruus, optimũ instrumentum ad subigendum sibi Bohemiam ratus, arma mouens plura aduersus eum bella feliciter gessit. Quibus magnificatus & auctus, urbẽ condidit inter duos mõtes Mechiã & Pubechã, quã de suo nomine Vratislauiam nuncupauit. Neq; contentus prioribus uictorijs, noB uum nepoti bellũ indicit, capitalẽ pœnã interminans, qui gladij longitudinem æquãtes in prælio deessent. Iubet quoq; purpuratos suos falcones atq; accipitres secum afferãt, quos humana carne pascere uelit, non ad pugnã, sed ad cædem iturus. Postremo se nulli ætati parsurum dicit, ipsosq; lactentes pueros ab ubere matrum rapi, atq; cõfodi mandat, mãmasq; mulierũ pullis equorũ sugendas tradi. Insolens sanè ac superbissimus, & fortasse crudelior quã si uicisset. Parte alia, Neclã uir muliere corruptior, trepidare atq; pauere, nihil consilij, nihil spei habere, ultimam uitæ suæ diem aduenisse putare, non gladium intueri, non milites affari posse, alieno tamen ductus consilio se pugnæ interfuturum dicit. Et accersito clã Sclercio nobili equite, figura corporis sibi quã persimili, animi fero fortitudine & corporis robore dissimilimo. Fuit enim manu promptissimus & audaci animo, atq; in primis rei bellicæ peritissimus. Hunc suis armis indutũ, ac insignibus principalibus honestatum, quàm paucissimis rem scientibus, dare duces munia iubet. Multa interim uatũ præsagia, fœminarũ quoq; spiritu, ut aiunt, phitonico imbutarũ uaticinia exquiruntur. Ex quibus una placandos Deos hostia respondit, sic enim uictoriam repromitti. Cui Neclam plus religioni quã armis fidens, cæso quem sortes designauere iuuene, morem gessit. In alia parte mulierem fuisse tradunt, quæ priuigno bellũ petituro, Vratislaum in pugna casurum, maioremq; populi partem cum eo interiturã prædixerit, posse tamen euadere iuuenem, si sibi crederetur. Adolescenti se credere, atq; im C perata facturum respondenti, iussisse ut pergeret, quãdo remanere domi capitale esset, primum qui obuius fieret occidere, atq; utrasq; aures cadenti amputare, & in pera recõdere. Exin gladio inter priores equi pedes signum crucis in terram facere, qua deosculata, equum ascendentem fugam maturare. Pugna in campo, cui Thusco nomẽ est, cõmittitur, concurrunt acies, magnis utrinq; uiribus ac clamoribus certatur. Stat belli fortuna diu anceps, multi hinc atq; inde uulnerantur, prosternũtur, occiduntur. Ad ultimũ Bohemi, qui non pro gloria, aut ampliando imperio, sed pro uita, pro focis, pro aris, pro uxoribus ac liberis in aciem uenissent, desperatione in uirtutem uersa, audacibus animis inuicto robore præliantes, uictoria potiuntur, non sine Sclercij magna laude & summa gloria, cuius in hoc bello tum ars, tum uirtus, plurimum ualuit. Occiditur tamen inter præliandum, & ut iusserat, in eo campo sepultus est, ubi prælium gestum, suaq; morte uitam, ducis, & patriæ liberationem obtinuit. Parte autem alia, duce prostrato, quàm paucissimi euaserunt. Aiunt adolescentem, qui nouercæ iussioni paruerat, domum redeũtem, uxorem suam, quàm unice amauit, interemptam reperisse, ambabus carentem auribus, pectusq; confossam, & quas hosti amputauerat aures, coniugis suæ fuisse, stupentem tristemq; cognouisse. Tantum præstigia possunt, aut ueneficarum carmina mulierum.

Iuuenis pro hostia cæsus.

De infidelitate Duringi, qui Vratislai filium sibi commissum interfecit, pœnamq; condignam dedit, Cap. XI. D

BOhemi parta uictoria, occiso Vratislao, terram eius ferro atq; igne deuastant: inuentumq; Vratislai filium impuberẽ, principi tradunt. Qui misertus ætatis, patruelem educandum Duringo, ad Egram fluuium imperium possidenti, Vratislao potentissimo quondam comiti tradidit. Qui cæca cupidine captus, tanquã initurus principis gratiam, puero qui super Egram, qui tum glacie constructus erat, perfracto gelu pisces quærenti, gladio caput abstulit, secum Pragam deferens, ubi ad Neclam introductus est, proferens cruentum caput, solium, inquit, tuum hodie firmaui, aut perire hoc, aut te oportuit. Securius in utramuis aurem post hac dormies, æmulo regni sublato. Motus haud aliter quàm erat princeps tam diro spectaculo, perfidiam, ait, nulla beneficia uincunt. Vt aleres puerum, non ut occideres, credidi. Te neque meum imperium, neque amici memoria, neque innocentis pupilli miseratio retraxit ab scelere. At mihi quietem parare uoluisti, cui ergo meriti hæc sumito præmia. Ex tribus mortibus, quam malueris optionem habeto: aut gladio teipsum confodito, aut laqueo perstringito guttur, aut ex Vissegradensi rupe præceps ruito. Duringus accepta sentẽtia, in alni arbore, quæ propinqua fuit sese suspẽdit, alnus postea quãdiu remãsit, arbor Duringa dicta est. *Alnus Duringa dicta.*

De Nostirico nono, & Borsiuoio decimo Bohemorum ducibus. qui & ultimus Paganorum ducum fuit. & tandem cum uxore sua fidem Christi suscipiens baptizatus est, Cap. XII. E

NEclam ultro moriens, Nostiricum maiorem natu filium hæredem instituit. Dipoldo prouinciam Surimensem testamento dimisit. Nostirico Borsiuoius filius successit, ultimus Paganorum ducum: qui tamen & ipse imperãte Arnolpho Cæsare, à beato Methodio Morauorum archiepiscopo, cum Ludmilla coniuge ad baptismi gratiam perductus est. Nongentesimo nonagesimo quinto anno post Christi saluatoris nostri ortum, Ludmilla sancta mulier habita, etiam miraculis clarissima fertur. *Ludmilla.*

De situ Morauiæ, & Suatocopio, penultimo rege eiusdem. qui & primus Christianus inter reges Morauiæ fuit, Cap. XIII.

SVatocopius eo tempore Morauis imperabat, Christianæ religionis cultor, & dignus cuius memoriam ad posteros referamus. Morauia trans Danubium iacet, cui ad orientem Hungari Poloniq; regnum possidẽt. Moraua disiuncti amne, qui nomen regioni dedit, occidentem solem Bohemi excipiunt: Australes meridianum: Septentrionale latus Slesitæ occupant. Ager uini frumentiq; ferax, gens rapinis assueta, nulli tutum iter nisi armato, potentioriq; præbet. Hic multos annos regnatum. Hungari, Bohemi, Russiani, Poloniq;, Morauorum principi paruerunt, princeps ipse Romano Imperio. Caput regni ciuitas Volegradensis. Suatocopius regum penultimus, cum aliquandiu feliciter regnasset, tandem Arnolpho imperatori tributum pendere recusans, commisso prælio, cum suos cadere animaduertisset, clam sese pugnæ subtraxit, atque ut erat mutata ueste incognitus, salutem fuga quæsiuit. Cũq; ad montẽ uenisset, cui Sambri nomẽ est, abiectis armis, equo dimisso pedibus iter fecit, & tanquã uiator inops, uastissimã ingressus eremũ tam diu pomis arborũ, atq; herbarũ radicibus uitã sustentauit, donec tris eremi cultores obuios habuit, quibus sese adiungens, usq; ad extremũ uitæ perseuerauerit incognitus, patienter ac sedato animo incõmoda quæq; ferens. Vbi uero obitus affuit, accersitis eremitis, nondum, inquit, quis fuerim nouistis, Rex ego Morauorum, prælio uictus ad uos confugi, & regiam uitam & priuatã expertus morior. Nulla regni fortuna est tranquillitati eremi præficienda. Hic securus somnus, dulces herbarum radices atque undas efficit, ibi curæ atque pericula nullum cibum, nullum potum non amarum reddunt. Quod uitæ mihi fata dederunt, apud uos felix peregi, in regno quicquid eius transactum est, mors uerius quàm uita fuit. Sepelite me hic postquam anima corpus liquerit, Morauiamq; deinde petẽtes, filio meo, si adhuc uiuit, hæc nũciate. Atq; his dictis uita excessit. Arnolphus interea uictoria potitus, regnũ Morauiæ Suatocopij filio, quẽ de sacro fonte leuauerat, possidendũ reliquit. Is ab eremitis edoctus de fortuna patris, quẽ *Morauia.* *Suatocopius.* F

cecidisse

A cecidisse in prælio existimauerat, corpus eius ex eremo defossum; Volegradum retulit, atque in sepulchris maiorum condidit. Fuit autem Suatocopij filius, quanquam Christianorum sacris imbutus, minus tamen quàm decuit, sacerdotes Dei ueneratus. Qui uenationem aliquando facturus, archiepiscopo Methodio imperauit, ne ante suum reditum diuina perageret. Exspectauit Methodius ad meridiem usque tandem negligi rem diuinam ueritus, Deo sacrificium cœpit offerre. Interea princeps, ubi se neglectum animaduertit, sacram ingressus ædem, multitudinem canum intromisit, tubasq; clangere iubēs, ad altare usq; progressus, conuitia multa ingerens, uix manus à uiolatione sacerdotis abstinuit. Ob quam rem, paucis post diebus Methodius in Bohemiam fugiens, regem extra ecclesiam fecit, regnūq; sacris interdixit. Quo facto, nō solum archiepiscopalis sedes in Morauia defecit, sed in se ipso quoq; regnum extinctum est. Mortuo nanq; paulopost excommunicato rege, imperij Morauorum partem Theutones ac Bohemi, partem Poloni, atq; Hungari diripuerunt. Methodius in Bohemia aliquandiu moram traxit, deinde Romā se contulit, ubi fratrem suum Cyrillum comperit, qui baptizato quondam Suatocopio, Morauis Christiana sacra crediderat, multasq; alias Sclauorum gentes ad fidem Christi conuerterat. Referunt Cyrillum cum Romæ ageret, Romano pontifici supplicasse, ut Sclauorum lingua, eius gentis hominibus, quos baptizauerat, rem
B diuinam faciens uti posset. De qua re dum in sacro senatu disceptaretur, essentq'ue non pauci contradictores, auditam uocem tāquam de cœlo in hæc uerba missam. Omnis spiritus laudet dominum, et omnis lingua confiteatur ei. Indeq; datum Cyrillo indultum.

De Spitigneo undecimo, ac Vradislao duodecimo Bohemorum ducibus, Cap. XIIII.

BOrsiuoius autem, coniunxq; Ludmilla, Christianam ueritatem amplexi, fidem catholicam inter Bohemos magnopere ampliarunt. Ludmilla filia fuit comitis Slamborij castelli Bizeniæ, quod postea Melnica dictum est. Ex qua tulit Borsiuoius duos filios, Spitigneū & Vradislaum. Primus patri succedit, sed moriens sine filijs, fratri principatum reliquit. Coniunx Vradislai Drabonucia, mulier audax & ad scelus prona, duos pariter filios uiro peperit, Venceslaum & Boleslaum. Priorem Ludmillæ tradidit educandum, alterum ipsa enutriuit. Alumni ex nutricibus imitati mores. Venceslaus pietatem colere, mansuetudinem præ se ferre, Christiana sacra uenerari, elargiri multa pauperibus, nulli noxius esse. Boleslaus idolorum sectari culturam, honores ambiciose quærere, adulterari, rapere, occidere, in scelera cuncta prolabi. *Melnica.*

De sancto Venceslao martyre, tertiodecimo, & fratre suo Boleslao quartodecimo Bohemorum ducibus, Cap. XV.

PAter suprema ordinans, Ludmillæ, cuius integritatem prudentiāq; optime nosset,
C quousque liberi adoleuissent, gubernationem prouinciæ dimiserat. Id ægre Drabonuciæ fuit, Tymam & Symonem nefarios homines submittēs, socrū in castello Thetim strangulari iussit. Ipsa deinde imperium accepit. In omnes crudelis, in Christianos sæuissima & intolerabilis, ac propterea Venceslao etiam filio infesta, cui præferre fratrem non dubitauit. De Venceslao hæc referuntur. Potus cibiq; parcissimum fuisse tradunt corporis maiestate decorum, uirginitatem ad ultimum uitæ seruasse, diuina in templis officia, diurna nocturnaq'ue nunquam neglexisse. Et noctis quidem tempore nudis pedibus super glaciem ac niuem iter agentem, uim frigoris minime sensisse, Podium uero eius comitem cum caligatus obriguisset, iussum uestigia Venceslai pedibus premere concaluisse. Postera die cruenta sancti uiri uestigia inuenta. Iniisse eum populo perurgente, adhuc uiuente matre, principatum. Duci uero Curmensi, nulla iniuria lacessito, cum exercitu in Bohemiam ingresso, atque agros uastare conanti, armatum cum copijs occurrisse, uocatoq; in colloquium, singulare certamen obtulisse. Accepta ab aduersario conditione, ubi manus conseri debuit, angelos uisos qui Venceslaum protegentes arma ministrarent, territum ea nouitate Curmensem, ex equo prolapsum ueniam petiuisse, Bohemum libenter humiliato pepercisse, monuisseq'ue ne deinceps aliena cuperet. Similem angelorum comitatum uidisse aiunt imperatorem, cum *Venceslaus.* *Angeli uisi Venceslaum pugnantē protegentes.*

Venceslaus adolescens in eius curia obseruaretur, eamq; ob causam brachium sancti Vi D
Ecclesia cathedralis. ti dono ei dedisse, in cuius honore Cathedralis ædes in Praga constructa est. Ferunt tūc Bohemiā sub episcopo Ratisponēsi fuisse, ac propterea cum Venceslaus Volgangum præsidem, qui postea inter sanctos relatus est, ad consecrationem eius basilicæ summis precibus inuitasset, respondisse pontificem, coram deo iam iam templum suum dedicatum esse, quod futuram Metropolitam cerneret, missuram se tamen, qui sua uice Venceslao satisfaceret. Creuerat iam Venceslai nomen, miraq; populi charitate atque admiratione celebrabant. Sed quanto cæteris acceptior erat, tanto acrius in se odium fratris matrisq; concitabat, ac propterea licet dimittere seculum, & in monachum tonderi destinasset, non potuerunt infelices animæ sancti uiri propositum expectare, sed impatientes moræ, piam principis intentionem scelere præueniunt. Fit conuiuium apud
Venceslaus à fratre necatur. Boleslaum, matre iubente, uocatur Venceslaus. Qui & si mortem instare prædixerat, facta tamen cum sacerdote de peccatis suis ex more Christiano confessione, fraternam domum ingreditur, ibiq; statim Boleslai manu percussus interijt. Dicat aliquis homicidam suipsius Venceslaum fuisse, negetq; cœlo dignum, qui certæ se morti obtulerit. Nos Gotthorum instante procella plurimas Romæ fuisse puellas legimus, pudicitiæ suæ uim inferri timentes, & ne in manus hostiles inciderent, in Tyberim sese præcipitauerunt, quæ postea miraculis choruscantes, sanctorum honores meruere. Venceslai sanctitati qua die cæsus est Christum Deum testimonium præstitisse, memoriæ prodiderunt, qui E
regi Daciæ per uisum apparens, suo martyri ædem construi mandauit. Ipsum autem Venceslaum multis miraculis claruisse, atque inter sanctos martyres ab ecclesia receptum tradunt. Drabonuciam paucis post diebus fatis suis trahentibus, ultionemq; parricidij exigentibus, hiatu terræ apud arcem Pragensem absorptam. Boleslaum multis sceleribus nobilitatum, morbo absumptum duos filios reliquisse, Boleslaum paternum nomen referentem, & Stratiquatem.

De Boleslao, quintodecimo Bohemorum duce. Cap. XVI.

Boleslaus imperio potitus, patrui magis quàm patris æmulator extitit. Religionem
Milada. enim Christi extollens, uiginti ecclesias erexit. Huic soror fuit Milada, eximia specie uirgo, sacris imbuta literis, et multa pollens eruditione. Quæ cum Romam orationis causa petiuisset, à Ioanne pontifice maximo benigne excepta, ipsius autoritate monasterium sancti Georgij in arce Pragensi construxit, ibiq́ue sacerdos consecrata est. Eadem quoque sancti Viti ædem, à Venceslao fundatam, in pontificalem eleuari obti-
Ditimarus. nuit. Ditimarus natione Saxo, & opinione sanctitatis insignis, primus ibi episcopus
Stratiquas. consecratus, cui Adelbertus successit, nobili genere apud Bohemos natus Stratiquas, Boleslai frater, relicto seculo apud Ratisponam Baioariæ ciuitatem, in cœnobio sancti Emerani monasticam uitam elegerat. Quem Pragam forte aduenientem aggressus F
Adelbertus pontificalem ei Cathedram offert, qui cum esset regis frater, ex rege natus, facile populum sub religione continere posset, nam sibi non esse facultatem eiusdem regendæ plebis, quæ rapinis & adulterijs assueta, ius fasq; omne contemneret. Stratiquas mundanas dignitates quasi malas pestes effugiendas esse respondit, monasterium sibi & præsentem uitam suauem præstare, & futuram promittere meliorem, in eo se uiuere moriq́ue uelle. Scribunt autores Adelbertum his auditis prophetico spiritu plenum Stratiquati dixisse. Poteras modo pontificali honore cum salute defungi, at quod nunc recusas, in perniciem tuam uehementer expetes. Abijsse deinde Roma, ac cum fratre suo beatæ uitæ Gaudentio in monasterio sancti Alexij tam diu delituisse, donec iussu Pontificis maximi suas oues repetere iussus est. Quibus cum esset prorsus ingratus, in Hungariam profectum, regem Stephanum baptizasse, quem inter sanctos relatum aiunt. Exinde Poloniam ingressus Gaudentium fratrem in Ecclesia Gneznensi prædicaturum Euangelium, pontificem ordinasse. Postremo Prutenos adijsse, apud quos dum Christi legem prædicat, gladio cæsum, martyrio uitam finisse. Interea Stratiquatem mutato proposito, Pragensem ecclesiam poposcisse, neque repulsum fraterno regioq; fauore adiutum. Sed dum apud Maguntinum archipræsulem agit, sacris de more imbuendus

A buendus, inter duos episcopos iacētem pronū, diabolico spiritu arreptū, tamdiu uexatū, donec animā exhalauit, Adeodato natione Teutonico, ecclesiam commissam.

De Boleslao sextodecimo Bohemorum duce, Cap. XVII.

BOleslaus duobus et triginta annis imperium potitus, ex uita decessit, relicto successore filio sui nominis Boleslao tertio. Huic Mescho Polonorum princeps, Cracouiam per fraudem eripuit. Bello deinde orto, uastatis agris, induciæ demum dictæ, statutumq; uti ambo duces apud Cracouiam conuenirent. Boleslaus accepta fide eo pergit, atque in conuiuio captus, luminibus priuatur, comites eiusdem crudeliter necati, exceptis Vrisbuicensibus insidiarum conscijs, scelerisq; participibus. Qui dum reuersi, tanquam magno ex periculo euasissent, publicam fidem atque iusiurandum & iura hospitij à Polono uiolata queruntur. Vbi fides habita, Ianurem Boleslai fratrem dolo necare conantur. Cocharem inter Vrisbuicenses consilio, opibus & autoritate maior, adolescentem sub specie uenationis in syluam tractum, ad stipitem arboris alligatum, sagittis confodi iussisse fama est, diuum Ioannem baptistam ab eo precibus exoratum, hirsuto tegmine sagittas excepisse, uxoremq; eiusdem per uisum commonuisse, periclitanti uiro opem ferret. Interea famulum principis Oueram nomine, ex periculo prolapsum, proditiones populo exposuisse, illum tanta nouitate commotum, correptis mox armis in syluam procurrisse, captisq; proditoribus atque occisis, ducem saluum reduxisse. In eo loco ubi hæc acta sunt, monasterium ordinis sancti Benedicti, quod Veliscam appellatur, constructum, & aram maiorem ibi sitam, ubi arbor religatum Ianurem tenuit. Mescho autem coacto exercitu, longe lateq; Bohemorum populatus agros, Pragam denique obsidione cinxit, eamq; biennio fame laborantem obtinuit, excepta arce Vissegradensi, quæ in fide Ianuris mansit.

Ioannes Baptista.

B

De Vdalrico, septimodecimo Bohemorum duce, Cap. XVIII.

FVerat & alter Boleslao frater, Vdalricus nomine, quem pater Henrico imperatori nutriendum dederat. Is audita Meschonis proditione clam ab imperatore dimissus, castellum Dieuizum natura & arte munitum ingreditur. Exin collecto raptim milite, colles occupat, qui Pragæ supereminent, tubasq; clangere iubet. Mox alta uoce præconem Pragensibus nunciare, uictos prælio Polonos fugam cæpisse, uictorem principem cum exercitu adesse. Qua uoce accepta Polonorum præsidium, quod urbem tenebat, metu perculsum excessit, Pragenses aucti animo insecuti, complures in fuga captos necauere. Mescho cum paucis in Poloniam se recepit. Vdalricus Pragam ingressus, germano suo, siue proditoribus suggerentibus, siue quod ætatis beneficio illum sibi præferri uerebatur, effodi oculos iussit. Multa huius facinora referuntur, partim reprehensione, partim laude digna. Inter cætera & illud narratur, redeuntem ex uenatione, C puellam uidisse in uilla quadam, iuxta puteum uestimenta lauantem, nomine Bozzenam, quod beatricem interpretatur, elegantem forma, & moribus, supra quam par esset agresti uenustatis, captum specie & alloquio modesto, quamuis amici aduersarentur, coniugem accepisse. Bizetislaum ex ea natum. Is cum adoleuisset. Iutham imperatoris Ottonis Rufi filiā, quæ apud Ratisponam in monasterio nutriebatur, quamuis nunquam uidisset, sola fama commotus, ui rapuit, solusq; cum illa ad patrem perrexit, comitibus uelocitatem eius insequi nequeuntibus, ab imperatore ex fuga retractis atque occisis. Non improbauit pater factum, sed ammiratus audaciam, tantum se filium genuisse gauisus, matrimonium cum rapta in Morauia celebrari mandauit, tanto præstantiorem filium æstimans, quanto nobilius est, imperatoris quàm uillici filiam amauisse. Imperator ea contumelia motus, iure iurando affirmat exercitum in Bohemiam ducturum, terram malis affecturum, sibiq'ue sedem in medio regni collocaturum. Statimq; cum exercitu Bohemiam instar torrentis cuncta secum rapientis, ingreditur. Contra Vdalricus filiusq'ue castra mouent. Iam duo exercitus ad iactum teli conuenerant. Tum Iutha, Iutha.
cuius ex iniuria bellū ortum, crinibus sparsis, scissa unguibus facie, uicto periculorū magnitudine muliebri pauore, ausa telis sese inferre uolantibus inter primas acies prosiliēs, patris alloquium, priusquàm furor ardeat amplior, exposcit. Quo impetrato, fateor,

inquit

inquit pater, iustum te bellum mouisse, cuius filia rapta est illumq; pœna dignum, qui te contempsit, nisi compulisset amor, cuius cæca consilia sæpe ueniam meruere. Sed age ob secro, pone ante oculos quem armis insequeris. Gener tuus, mihi maritus, cui tantope re irasceris & fortasse nepos tuus, eius filius in uentre meo conceptus est. Parce oro filiæ, parce nepoti, patrem illi, mihi uirum dimitte. Non est degener maritus, nec solui consummatum matrimonium Romana ecclesia sinit, nec tibi uictoriæ potestas est. Vtrique uires, utrique belli artes suppetunt. Mars dubius casum respicit. Ne obsecro pater, mei causa tantam militiam morti obijcito, parce, cui ego prior læsa peperci. Illacrymatus pater audita filia, facturumq; se quod illa uellet, nisi obstaret iuramentum. Tum Iutha. Et maritus inquit, meus iureiurando adstrictus est, Theutoniam armis lacessere. Sed uana religio quæ sceleri locum facit. Vim criminibus sacramenta non addunt. Expromissorem maleficij diuina maiestas odit, factorem exterminat. Inueni tamen si libet uiam, qua te simul promisso, uirumq'ue soluam. Veniet cum patre gener ad pedes tuos, ueniam commissi petet, te regem, te dominum profitebitur. Neque impedimento erit, quo minus sedem in medio Bohemiæ colloces, ibiq'ue ius dicas. Postremo curiam tuam in Theutonia petens, uillas aliquas, quas iusseris, inter equitandum maritus diripiet. Placuit imperatori consilium filiæ, atque in eius uerba fœdus ictum, exercitus consalutati, & in Boleslauia, quæ umbilicum tenere Bohemiæ creditur, sedes imperatoris lapidea erecta, perpetuum rei monimentum principibus terræ insigne datum imperialis aquilæ. Exin Bisetislaus Morauiam ex paterno indulto rexit, Polonosq;, qui magnam eius partem occupauerant, bello deleuit, eorumq; multa milia, ligatis post tergum manibus, in Hungariam uenundandos misit.

Bisetislaus.

De Bisetislao decimooctauo Bohemorum duce, Cap. XIX.

DVm hæc aguntur, Anno post Christi ortũ tricesimo ac millesimo Boleslaus apud Cracouiam excæcatus interijt, Vdalricus quoque frater eius uita functus est. Quare cognita Ianure & ipse cæcus, Pragam ueniens, ducatum gentis suopte ingenio nepoti dimisit. Bisetislaus ea re animo auctus, quamuis multa iniuria lacessitus, exercitum in Hungariam duxit, magnamq; inde prædam retulit. Quinque ei ex Iutha fuerunt filij, Spitigneus, Vratislaus, Conradus, Iaronurus, & Otto, quorum fiducia plenus, etiam Polonos ulturus, auum pulsare bello non timuit, Cracouiamq; armis captam funditus euertit. Gneznenium quoque Metropoliticam urbem diripuit, multorumq; martyrum sacratissima inde corpora asportauit, & crucem auream. ccc. pẽsantem libras. Quod cum imperator Henricus, eius nominis secundus, accepisset, indignatus iniussu suo Poloniam uastatam esse, Bisetislaum aut resarciri Polonis damna, aut bellum expectare iussit. Ille nihil se imperatori, nisi tributum debere respondit à maioribus institutum. Pendebat autem dux Bohemiæ Romano imperio quotannis. C. & xx. boues, & argenti puri. cl. marcas, id se neque neglexisse hactenus, neque neglecturum. Si quid amplius iusserit imperator, à bono & æquo recedere, se libertati gentis nihil detracturum. Imperator his auditis, ex Ratispona in Bohemiam copias traducit. Othardo Saxonum duce ex altera parte cum exercitu properare iussit. Ingressus syluam, qua Bohemiam cingi diximus, præcisis arboribus iter interceptum reperiens, milites uiam securibus aperire iubet. Magnus hic labor equiti. Erant enim uastæ magnitudinis arbores, multaq; rubeta incidenda, priusquam iter pateret. Ob quam rem, cum iam opere peracto ad interiora peruenissent, nec hostis in conspectu usquam daretur, fessi ac sitibundi proiectis armis flumina petunt. Bisetislaus ex insidijs prodiens, palantes atque inermes aggressus, stragem haud paruam effecit. Imperator repentino commotus malo, multis suorum desiderantibus, fuga salutem petit. Othardus uero iam fines Bohemiæ ingressus, Septentrionalem prouinciæ parte longe lateq'ue populatus, his cognitis, cum præda domum reuertitur. Procopius comes Biclinieñsiũ, cum parte copiarum aduersus eum missus, fortuna parũ prospera usus, tanquam pecunia corruptus, effosis oculis, manibus pedibusq; obtrũcatis in flumine Bicline demersus. Nec tamen eo pacto quies Bohemiæ data. Nã sequẽti anno Henricus Imperator, & Othard9 maiorib. collectis copijs rede-

A redeuntes, transmissa sylua ferro ac flamma cuncta uastarunt, Bisetislaum armis diffidentem intra Pragæ mœnia clausum obsederunt. Seuerus tunc episcopatum urbis gerebat, iure iurando imperatori obnoxius, ex cuius indulto pontificali sede præerat. Is noctu cum pluribus ad Henricum confugit, obtinendiq; urbem uiam ostendit. Quare fractus animo Bisetislaus, errati ueniam petijt, dictæ sunt pacis leges, quas uoluit imperator, & trium annorum tributum pensum, Slesia sub annuo tributo auri triginta, argenti cl. marcarum Bohemiæ principi tradita. Secundo & quinquagesimo anno post millesimum à Christi saluatoris aduentu, pace cum imperatore composita. Hungariam sibi subigere Bisetislaus aggreditur, cuius populus suis utens legibus, Romanorum imperium contemnebat. Sed ingressus hostilem prouinciam, mox ardenti febre correptus, ultimum instare diem intelligens, uocatis Bohemiæ primoribus, Spitigneum primogenitum, successorem suum designat, reliquos filios Morauia inter eos diuisa, parere fratri iubet, atq; his demandatis uita decedit, quarto Calē. Maij. corpus eius Pragam translatum apud parentes sepultum.

De Spitigneo decimonono Bohemorum duce, Cap. XX.

Spitigneus ut regnum primum potitus, omnes Theutonici generis Bohemia excedere iubet, nec matri potestatem manendi facit. Exinde Morauiam infestis petens ar-
B mis, fratres bello aggreditur. Vratislaus audito germani aduentu, relicta in Olomucio coniuge, ad regem Andream in Hungariam confugit. Conradus & Otto fratri se dedunt. Vxor Vratislai capta, aliquandiu in uinculis habita. Postremo suadente Seuero episcopo dimissa. Dum uirum in Hungaria petit, uicina partui in itinere decedit. Mœstus ea re coniunx, ab Andrea rege consolationem accepit, qui filiam suam Adilbeidam nuptam ei tradit. Quod cum Spitigneus accepisset, ueritus ne uires Hungaricas in se frater armaret, missa legatione sine causa illum ex Morauia abijsse dicit, nihil hostile timēdum fuisse. Nam cur frater fratrem oderit, secundo post se loco genitum. Seruasse se abeunti bona non abstulisse, redire eum ad suos debere, cuncta ei salua esse. Nec frustratus est fratrem, redeunti quæ armis abstulerat, cuncta restituit. Iutha uero à filio deiecta, cum secundo nupsisset, breui mortua est, cuius corpus in Bohemiam trāslatum, in sepulchris principum condidere.

De Vratislao uicesimo Bohemorum duce, Cap. XXI.

Spitigneo uita defuncto, Vratislaus successit. Qui Morauia rursus inter fratres diuisa, Iaronurum, quem pater ecclesiæ dedicatum exortem regni fecerat, in diaconum uel inuitum ordinari iussit. Is relicto Christi habitu, ad Poloniæ duces confugiens, militarem disciplinam sectatus est. Fuerunt Vratislao ex Adibeide tres liberi, Bisetislaus, & duæ fœminæ, Ludmilla & Inditha. Verum Adilbeide mortua, uxorem alteram ex Po-
C lonia duxit, nomine Suatanam, ex qua Boleslaum, Borziuislaum, Vladislaum, Sobieslaumq; suscepit. Inter hæc Seuerus episcopus, qui Bohemiam Morauiamq; sacerdotio tenuerat, Ioanne in Morauorum ecclesia sibi substituto, iam grauis senio ex uita decedit. Ob quam rem Conradus & Otto Vratislaum precibus onerant, Iaronuro fratri ut ecclesiam Bohemiæ ab imperatore impetret. Annuit Vratislaus, neque imperator aduersatus est. Iaronurus ex Polonia reuocatus, relicta militia, episcopus ordinatur, ac mutato nomine Gebardus appellatur. Qui mox spiritu superbiæ inflatus, Morauiam non minus sibi quàm suo antecessori delatam dicit, illum exterum, se ciuem, illum infimo loco natum, se regia stirpe ortum. Ingressus Morauiam, Ioannem episcopum, qui cedere nollet, contumelijs & uerberibus afficit. Vratislaus, qui Ioannem amaret, ea re commotus, Romanum pontificem contumatiam Gebardi uti corripiat, scriptis hortatur. Missus est in Bohemiam Rodolphus cardinalis, qui causa cognita delictum puniat. Is uocatum Gebardum, cum minime paret, sacerdotio abdicauit. Sed rogatus à clero, dignitatem ei restituit, iubens & ipsum & Ioannem intra annum coram summo sacerdote se exhibere. Paruerunt ambo. Sacerdos maximus ambobus auditis, Gebardum mouere sacerdotio statuit, fecissetq́ue, nisi preces interuenissent Mathildis uirginis, filiæ Bonifacij ducis Lucani, quæ tum Romæ fuit, ex Bohemorum sanguine nata. Mathildis.

Hæc

Hæc est illa Mathildis, fama inclyta, & apud historicos late memorabilis, quæ à Radicophano Senensis agri oppido usque Ceperanum, interiacentem terram donauit ecclesiæ, posteri patrimonium beati Petri appellarunt. Huius ergo interuentu, Romanus præsul utrunque sacerdotem sua diocœsi contentum esse, ac remissis iniurijs, in patriam reuerti iussit. D

Patrimoniū Petri.

Vratislaus dux Maguntiæ in regem creatur per Henricum imperatorem quartum, Regnoque Bohemiæ, Poloniam, Slesiam, Lusaciam, Morauiamque adiecit, Cap. XXII.

INter hæc Leopoldus Austriæ marchio, Morauiam latrocinijs magis quàm iusto bello infestam reddit, nec Conradi aut Ottonis, qui tunc prouinciæ præsidebant, preces audit. Illi fraterna solacia expetunt, Vratislaus collecto raptim exercitu Austriam ingressus, instar horridæ tempestatis obuia quæque prosternit, occurrentem Leopoldum prælio uictum, in fugam conuertit, ipse onustus spolijs domum reuertitur. Post hæc anno sexto & lxxx. supra mille ab ortu saluatoris Christi, apud Maguntiā in Concilio principum ab imperatore Henrico, eius nominis quarto, Vratislaus rex declaratur, Morauorum regno, quod supra extinctum diximus, in Bohemiam translato, Polonia, Slesia, Lusacia, Morauia, Bohemorum imperio adiectæ. Gilbertus Treuirorum Archiepiscopus cum eo Pragam missus, qui coram prouincialibus regem inungat, regalibusque adornet insignibus. Id eodem anno factum, acclamante populo, Vratislao regi salus honor atque uictoria. Suatana quoque regina cū eo coronata. Mortuus est per idem tempus Ioānes Morauorum Episcopus, cuius ecclesia, instante Gebardo Pragensi unita est. Quæ res illi maioris insolentiæ fomentum fuit, adeo, ut præsente rege interesse diuinis minime dignaretur. Ob quam causam Vratislaus, indulgente Alexandro Papa. iij. natione Senen. collegium canonicorum regularium in arce Pragensi erexit, in quo dum res agitur diuina, non præpositus tantum, sed decanus, & sacerdos, diaconusque, & subdiaconus, rē diuinam facientes, episcopalibus ornamentis utuntur. Et præpositus quidem cancellarius regni appellatus, principis honore defungitur. In fundatione autem eius ecclesiæ, regem suis humeris duodecim cophinos lapidum gestasse ferunt. Religiosum principem, dignumque qui primus inter Bohemos regio diademate uteretur. Gebardum uero indies magis atque magis insolescentem, ac propterea à Morauorum plebe repulsum, dum per Hungariam ad Romanum pontificem questum iniurias proficiscitur, apud Strigonium morbo correptum interijsse, Cosinamque illi suffectum. Fuerunt Vratislao, & cum Saxonibus, & cum germano, qui Morauiam obtinebat, inimicitiæ. Illos per filium uicit, germanum ipse ex Morauia armis expulit, urbemque Olomucensem possidendam filio tradidit. E

De Conrado uicesimoprimo, Bisetislao uicesimosecundo, ac Boleslao uicesimotertio, nec non Borziuislao uicesimoquarto, Bohemorum ducibus, Cap. XXIII. F

VIta functus Vratislaus non filium sicut optauerat, sed Conradum fratrem habuit successorem. Qui septimo mense potitus imperio, morbo correptus, nepotibus ex fratribus locum fecit. Quinque eos fuisse diximus, qui sibi inuicem pro natiuitatis ordine successere. Duos ex his Vrbuicenses, perpetui regum hostes, fraudibus interceptos necauere.

De Vladislao, uicesimoquinto Bohemorum duce & Rege secundo, Cap. XXIIII.

PEnultimus Vladislaus nomine, ex Bisetislao fratre nepote sui nominis, cum CCC. galeatis equitibus auxilio Henrici sexti Romanorum imperatoris Romam misit, qui plurimas inde reliquias sanctorum reportauit. Inueni in historia Bohemorum post Vratislaum primum regem, pluribus annis interregnum fuisse. Nam Conradum fratrem eius, ac deinde Vratislai filios non regis nomine, sed ducis tantum usos, tanquā regni decus homini, non prouinciæ datum fuisset. Vladislaum uero quarto loco Vratislao natum, à Friderico primo, sibi & posteris regiam dignitatem obtinuisse, et cum in expugnatione Mediolanensi egregiam operam nauasset, imperatori mirifice gratum,

leonem

A leonem rubeum bifurcatæ caudæ, in clypeo albi coloris insigne regium accepisse, candelabrum quoque Salomonis ex Mediolano asportatum, in ecclesia sancti Viti Pragensis recondisse. Pontem super Multauiam, qua uetus Praga minori iungeretur, magni operis ædificasse, quam Ratisponensi præferunt, in quatuor & uiginti arcus, ut antea diximus, protensum.

De Sobieslao uicesimosexto, & Friderico uicesimoseptimo, nec non Conrado uicesimo octauo, ac Bisetislao uicesimonono, atque Venceslao tricesimo Bohemorum ducibus, Cap. XXV.

POst eum Sobieslaum quinque annis ducatu functum, à prouincialibus exactum in exilio interijsse, exin Fridericum Vladislai filium successisse. Post Conradū, qui apud Apulos in Italiam secutus imperatorem, decessit. Conradum Bisetislaus sequitur, qui & Henricus dictus est. Et cum esset Pragensis episcopus, quindecim annis pontificatum simul & principatum Bohemiæ tenuit. Post eum, ducatum obtinuit Venceslaus frater eius. Hos quoque regis nomine abstinuisse constat, siue quia magis ui quàm iure imperauerunt, siue quod indultum imperatoris Romani sumendæ coronæ, more maiorum obtinere non ualuerunt.

De Primislao tricesimoprimo Bohemorum duce, & rege tertio. Cap. XXVI.

B VEnceslaum tribus mensibus ducali autoritate functum, Primislaus Vladislai secundi regis filius, armis deiecit, & à Philippo Romanorum imperatore Frederici secundi fratre, quem Romana ecclesia non accepit, tertio loco inter Bohemos reges coronatus est.

De Venceslao Bohemorum rege quarto. Et de Othocaro Bohemorum rege quinto, Cap. XXVII.

PRismislao duo fuerunt filij, Venceslaus & Othocarus. Venceslao regnum Bohemiæ cessit, Othocaro Marchionatus Morauiæ. Fuit autem Venceslaus unioculus, & sine liberis decedens, regnum Othocaro reliquit, qui & alio nomine Primislaus appellatus est, inter Bohemiæ reges quintus, belli appetens, & magnorum operum effector, cui nec animus in rebus arduis, nec consilium defuit. Imperium quod à fratre susceperat, ex mari Baltheo, quod falso pleriq; Oceanum putauere. est enim mediterraneus sinus usque ad Danubium protensum, ad internum, nostrumq; mare, quod Adriaticū dicimus, extendit. Nam cum obijsset Fredericus dux Austriæ sine liberis, soror eius Margarita hæreditatem accepit. Nupserat hæc olim Henrico imperatori, Frederici secūdi filio, eoq; sine sobole uita functo in patriam redierat. Eadem iam anus Othocarum sibi uirum adsciuit, qui non tam coniugis ætatem, quàm dotem animo uoluens, sterile matrimonium contraxit, & principatum nobilem consecutus, more humano, quanto possedit, tanto maiora cōcupiuit. Vlricus eo tempore Carinthiorum principatum tenebat.
C Qui cū uirili sobole careret, accepta ex Othocaro pecunia, Carinthiam illi, Carniolam, Marchiam, Sclauonicam, & portum Naonis, tradidit. Veronenses, exinde Feltrenses, Taruisini, & multi ex foro Iulij, ultimo sese ei submiserunt. Bellum Hungaris indixit, commissoq'ue prælio, uictor ingentem prædam reportauit, Stiriamq; prouinciam illis ademit. In Prussia, quam ueteres Vlinrigiam uocauere, superatis Tartaris urbem condidit, quam Cunispergium, id est montem regium uocant. Sed quantum aucta eius potentia est, tantum etiam insolentia creuit. Qui uiuente legitima uxore, et quæ sibi tantum imperium adiecerat, alteram superduxit Cunigundam Regis Maschoriæ filiam. Vocatus per principes electores ad imperium, contempsit, palam inter suos iactitans, pluris Bohemiæ regem, quàm Romanum imperatorem esse. Rodolphus itaque Habsburgi comes, qui magister Curiæ Othocari fuisset, non minus belli quàm domi clarus, Christianæ reipublicæ præfectus est, missis ad Othocarum legatis, Austriam & Carinthiam, cæterasq; uicinas Italiæ prouincias tanquam iuris imperij repetit, quando nec Austria muliebre fundum esset, nec Carinthiam iniussu Cæsaris Vlricus uenundare potuisset. Renuit Othocarus, & imperatori, qui aliquando sibi seruiuisset, impacato respondit animo. Sed interuenientibus amicis, ea lege reconciliati sunt, ut Austria imperatori

tori cederet. Exin datis acceptisq; filiabus, affinitas utrinq; iungeretur, prouinciæ de qui bus lis esset, dotales fierent. Adeptus Austriam Rodolphus, Othocarum in uerba sua iurare more maiorum exposcit. Id superbo regi grauius uisum, tãquam ex domino seruus fieret. Exoriuntur nouæ lites, bellum indicitur. Cumq; iam duo exercitus ad mille passus alter alteri proximus conuenissent, ueritus Othocarus Rodolphi potentiam, iniustamq; belli causam animo uoluens, legatos mittit, qui se iuraturum dicant, si modo intra tentorium imperiale honoris sui causa fieri Rodolphus uelit. Accipit conditionem imperator potius, quàm belli fortunam experiatur. Suggestum in tentorio sublime paratur, ibiq; aureum solium eminentiori loco erigitur, Rodolphus diademate & imperialibus insignibus conspicuus, considentibus electoribus imperij, cæteris baronibus circumstantibus, aduenientem regem sedens exspectat. Ille cum paucis regni sui optimatibus ingressus, concenso suggesto, ad pedes imperatoris genua flectit, proinde ex ueteri consuetudine admotis sacrosanctis iureiurando se adegit. Interea tentorium arte compositum, à summo usque deorsum, in quatuor proscissum partes, decidit, regemq;, ut erat in alto loco ad imperatoris genua supplex, uidendum exercitibus præbuit. Stabant circum armatæ acies, rei exitum spectantes, sed quàm læti Theutones gloriosum imperatorem suum uidentes, tamen indignabundi Bohemi, quod rex eorum humiliari magis quàm prælium experiri uoluisset. Stupefactus ea re Othocarus, quamuis dolo magis quàm casu cecidisse tentorium ignoraret, subticendum tamen in præsentia censuit, petitaq; ab imperatore uenia, plenus irarum domum redijt. Quem, tametsi sua sponte satis fureret, magis tamen ac magis uxor incendit. Quæ cognito rerum successu, aduenientem regem hisce uerbis allocuta fertur: Hæccine nobis spolia, hanc belli gloriam domũ refers? Dediti omnes hodie tua opera ueluti mãcipia, ueluti pecudes sumus. Regina prouinciarum Bohemia, tributaria facta. Cum te olim superasse prælio Tartaros, exuisse castris Hungaros, Stiriam armis adeptum esse, Italiam cum exercitu penetrasse audiueram, felicem me quæ tali nupsissem uiro, patrem qui me regi magnanimo tradidisset, sapientem existimabam, neque reginam esse ullam orbe toto, cui me cedere oporteret. Nunc falsa omnia experior. Nam quæ mulier me infelicior, quis te uirorum omnium ignauior? Austriam prouinciarum nobilissimam, tot urbibus, tot proceribus insignem, nulla necessitate coactus, ex manibus tradidisti. Stiriam, Charinthiam, & quas possidebas in Italia ciuitates, turpi metu reliquisti, cum comite Habsburgensi infimi generis affinitatem contraxisti. Postremo ei, qui satelles tuus quondam fuerat, iureiurando exhibito, te submisisti, & seruus serui factus, tu simul ac maiorum tuorum gloriam offuscasti. En uirum qui magnitudine animi renuisse imperium uideri uult. Laudarem, si te illi non subiecisses. Age, si tibi animus uirilis deest, neque gladios intueri potes, sine me regem esse, experiar profecto, Bohemis an Theutonibus imperium debeatur. Sunt Poloni, sunt Saxones ac Francones, qui nostra signa sequuntur, sunt Slesitæ Morauiq;, & uerebimur belli tentare fortunam? Vtinam aut tibi meus animus fuerit, aut mihi obedientia, quam te habere animaduerto, sentiret profecto Rodolphus, neque uires aduersus dominos ualere, neq; dolos. Othocarus, qui uxoris charitate teneretur, eamq; uerum locutam animaduerteret, simulq; animi magnitudine irrogatam contumeliam ferre non posset, accersitis regni primoribus, collectisq; nouis copijs, Rodolpho, qui dolo secum egisset, bellum indicit, neque ille certamen detrectat. Conueniunt ambo cum exercitibus, in campis Austriæ trans Danubium, commissum est atrox prælium, diuq; Marte dubio depugnatum, cum Bohemi multitudine ac robore, Sueui quibus Rodolphus maxime fidebat, ordine ac arte superiores essent. Cecidere quàm plurimi ex utraque parte, maior tamen strages Bohemorum ædita. Ad extremum, relictus à suis Othocarus, dum fortiter pugnat, inter consertissimas hostium acies occiditur. Ferunt Stirienses duos domi nobiles, quorũ frater ab Othocaro per iniuriam extinctus fuisset, eum toto prælio quæsitum, cum certis indicijs cognouissent, in ultionem fraternæ cædis obtruncauisse. Corpus eius permittente Rodolpho in Bohemiam translatum regio honore sepultũ. Prælium ipsa die beati Ruffi peractum, anno ab incarnatione uerbi, 78. post ducentos & mille.

Vxoris ad Othocarũ oratio.

Othocarus occiditur.

A & mille. A populatione Bohemiæ imperatorem abstinuisse, quæ genero deberetur.

De sancto Venceslao Bohemorum rege sexto, Cap. XXVIII.

Venceslaum Othocari filium, septem annos natum, ab Othone marchione Brandeburgensi in Franconiam abductum, regnumq; tutorio nomine ab eo quinq; annis gubernatum, reuersum puerum sub imperio matris fuisse. Illam Zauisium quendam ex Baronibus, potentem, amasse, cuius nuptias adeptam, multas regni opes ad eum contulisse. Sed ipsa breui morbo extincta, Zauisium captum, neciq; traditum, regnum deinde ex Venceslai arbitrio ordinatum. Quo regnante, eo ipso anno, quo Tholomaida à Saracenis occupata, in hanc usq; diem tenetur, Pragam fermè uniuersam igne familiari exustam, liberalitate regis, ciuiumq; diligentia atq; impensa ita instauratam, ut fœlix incendium fuisse uideretur. Rodolpho Albertus filius successerat imperator. Huic non minores inimicitiæ cum Venceslao, quàm inter parentes eorum fuere. Has Iutha Venceslai coniunx atq; Alberti soror, mulier uiro cautior magno labore diremit. Charissimus apud Venceslaum Alexius quidam, pontifico iure consultus habitus est. Qui multa de Romanorum nobilitate cum eo locutus, usq; adeo animum regis illexit, ut Iutham filiam, admodum paruulam, in clara Vrsinorum familia gentili cuidam matrimonio spoponderit. Hinc secuta inter Vrsinos & Bohemiæ reges amicitia, quæ apud Matthæ- Iutha.

B um eiusdem familiæ cardinalem plurimi fuit. Is enim rogatus à Venceslao, Getium Vrbeuetanum, utroque iure consultum, in Bohemiam misit, quo regnum sub leges reduceret. Sed impediuere principes, quibus incerta esse omnia lucrum est. Huius Venceslai soror, nomine Agnes, Rodolpho nupsit, imperatoris Rodolphi filio, qui Pragæ moriēs ibi defunctus iacet. Ex ea natus est Ioannes, qui Albertum Cæsarem circa flumen Rhenum non longe ab oppido Schauffhausen, dum simul amice iter agerent, sua manu interfecit. Deinde pœnitentia ductus, Clementem quintum pontificem maximum, qui sibi purgationem indulgeret, apud Auinionem adijt. Pontifex imperatoris occisionem ab imperatore iudicandam ait. Venit igitur Pisas Ioannes, ubi cum Cæsar Henricus septimus eius nominis imperator considebat, à quo iussu religionem ingredi eremitarum sancti Augustini, in eaq; perpetuo pœnitere non recusauit. Mortuus est tandem in eadem urbe, & in æde sui ordinis sepultus. Tumulum eius nos eo anno uidimus, quo iussi ab imperatore Frederico tertio sponsam eius Leonoram ex Portugalia uenientem, sororis tuæ filiam, cum alijs collegis ducturi Senas accepimus. Mater eius Ioannis cordata mulier fuit, & ingenio feroci. Quæ cum accepisset germanum suum contentum regno Bohemiæ, delatum imperium recusasse, At ego inquit, si rerum potiar, glebaq; una mihi modo desit, aut quod reliquum est subijciam, aut imperio excedam. Ferunt in coronatione Venceslai, non minus nouem ducenta equitum milia apud Pragam ex regia

C curia cibos accepisse, peditum uero infinitam multitudinem pastam. Subiecisse & Polonos sibi Venceslaum, à quibus inuitatus, in ciuitate Gnezno diadema susceperit. Filium quoque sui nominis tredecim annos natum, petentibus Hungaris regem dedisse. Sed cum Bonifacius pontifex maximus, Carolum adolescentem, Caroli regis Siciliæ filium eo iussisset, & Hungarorum animi mutarentur, filium suum Albæ coronatū, & sacram simul coronam ad se recepisse. Nec diu postea tertio & tricesimo ætatis suæ anno, ex tabe obijsse. Mortem eius Bohemos magno mœrore prosecutos. Fuerat enim mansuetus & clementissimus princeps, & admirandus opinione sanctitatis, quæ postea uel miraculis confirmata, traditur Ioanni Brixionensi episcopo, si uera est fama per quietem apparens, cum eum flentem tristemq; reperisset, interrogauit, quæ nam esset causa mœsticiæ. Dicenti se mortem eius æquo animo ferre non posse, incredulitatem exprobrauit, qui sacris eloquijs fidem nō adhiberet, in quibus hæc uerba potuisset aliquando legisse. Cum te cōsumptum putaueris, orieris ut Lucifer & habebis fiduciam proposita tibi spe, & defossus securus dormies. Requiesces, nec erit qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi, subiungensq; paruam esse eius fidem, atque inanem, si mortem sanctorum miseram putaret, repente disparuit. Episcopus excitatus, uerba quidem sibi dicta memoriter tenuit, sed ubi nam scripta essent in sacro codice penitus ignorauit.

rauit. Euoluto autem concordantiarũ libro, undecimo apud Iob capitulo, quod quære- D
bat inuenit. Ad tumulum autem eius insignis latro cum accessisset, exprobrans mortuo uitam, lapideæ statuæ super sepulchrum iacẽti, colaphum incussit, nec mora cæcitate percussus impietatis suæ pœnam dedit. Statua postmodũ in sacrario erecta est, & alia ænea loco eius reposita, Ioannis Barbantini egregij statuarij nobile opus.

De Venceslao Bohemorum rege septimo, Cap. XXIX.

VEnceslao filius eius successit, quamuis eodem nomine, moribus tamen longe dispar. Qui cum ebrietati, & turpissimæ parti corporis dies noctesq; indulgeret, & aliorum bona diriperet, aliorum uxoribus illuderet, apud Olomutium Morauiæ ciuitatem, dum solus in domo decani pontificalis ædis perambulat, tribus uulneribus confossus, duodeuiginti natus annos interijt. Ignoratus est necis author, quamuis Conradus eques Thuringus, cruentum gestans pugionem, exire regiam uisus fuerit. Nam is prius obtruncatus est populari tumultu, quàm crimen confiteretur.

Venceslai iunioris interitus.

De Rodolpho Bohemorum rege octauo, Cap. XXX.

VEnerat forte eo tempore Pragam dux Carinthiæ Henricus, cui altera ex sororibus regis, nomine Anna, natu maior, iam pridem nupserat. Hunc Bohemi regem sibi deligunt. Id ægre fert Albertus imperator. Qui repente coactis copijs Bohemiam ingressus, Henricum regno deturbat, Rodolphumq́ue filium suum regem constituit. E
Elizabet senioris Venceslai relicta in matrimonium ei tradita, quo regnum eius solidius esset. Qui cum magna Bohemorum spe regnare cœpisset, subitaneo morbo correptus, primo regni sui anno absq; liberis decessit.

Rodolphus rex octauus.

De Henrico Bohemorum rege nono, Cap. XXXI.

POst obitum Rodolphi dissidentes inter se Bohemi, alij Fridericum Rodolphi fratrem, alij Henricum, quem deiecerant petierunt. Vicit Henrici factio, trucidatis alterius partis autoribus. Et quamuis Albertus imperator cum magnis copijs Bohemiam ingressus, regionem longe lateq; afflixerit, Henricum tamen regno deijcere non potuit, prius à nepote, ut ante diximus, occisus, quàm meditata in Bohemis exequeretur. Successit Alberto Henricus septimus, de quo paulo ante mentionem fecimus, comes Lutzelburgensis, consilio & animo iuxta potens. Hic Elizabeth alteram Venceslai sororem, octo & decem annos natam, clam iussam ad se uenire, apud Spiram Galliæ ciuitatem Ioanni filio suo quatuor annis minori matrimonio coniunxit. Eodem quoque tempore, tribus comparatis exercitibus, unum ipse in Italiam duxit aduersus Brixinenses, quos armis uictos, imperata facere compulit, Lombardosq; omnes in potestatem accepit. Alterum aduersus comites Vuirtenbergenses direxit, sacro imperio rebelles, qui bus ex octoginta castellis & munitissimis oppidis, quæ obtinebant duo & septuaginta F
armis expugnata ademit. Tertium ex Franconibus ac Baioarijs comparatum, duce Petro archiepiscopo Maguntino, cum filio in Bohemiam misit. Hic est ille Henricus, qui Romæ coronatus renitente Roberto rege Neapolitano Florentiam obsidione arctissima cinxit, Pisas, Senasq; in potestate habuit, & apud Bohemicum conuentum in agro Senensi hostili fraude ueneno extinctus fertur. Cuius corpus in uetusto ac nobili templo Pisarum, sublimi loco post aram amici condiderunt. Pugnatum est in Bohemia pluribus locis, cum alij Bohemorum Ioannem regnare cuperent, alij Henrico studerẽt, qui iam cum tribus imperatorum filijs de regni possessione contendisset. Obsessa est deniq; Praga regni caput, diuq; oppugnata, cum Henricus & Marchio Misnensis haud pigre mœnia tuerentur. Ad extremum tamen oppidanorum proditione Ioanni tradita, hostis in arcem sese recepit, nec multis post diebus Hẽricus in Carinthiam profugit. Ex eo tempore usq; ad imperatorem Sigismundum, Bohemia in potestate Lutzelburgensium ferm è centum uiginti sex annis fuit.

Henricus septimus.

De Ioanne Bohemorum rege decimo, XXXII.

IOannes potenti manu regnum gubernauit, et patre in Italia agente apud Germanos uicario nomine administrauit imperium. Patre uero defuncto, cum plurimæ Italiæ ciuitates

A ciuitates ei sese dedissent, penetrauit alpes cum exercitu, easq; non paucis annis tutatus est, tum Fredericus Austriæ, & Lodouicus Baioariæ princeps, de Romano imperio inter se contendunt. Fuerunt ei & cum coniuge graues dissensiones, Baronibus regni reginam à rege subtrahentibus, tanquam Bohemorum inimico, qui Theutones in primis haberet acceptos. Ventum est ad arma, affectum magis calamitatibus regnum. Vix tandem compositæ lites. Post hæc Egra à Ioanne recepta est. Vratislauiensium ciuitas, quā dux Slesiæ occuparat Henricus, Legnicium quoq;, & quàm plures aliæ Slesiæ ciuitates, Ioanni subijciuntur. Geritur & aduersus Australes bellum, in quo uictor Ioannes suos milites præda non modica ditat. Cum regnum Poloniæ quiete obtinere non posset, Casimiro acceptis uiginti milibus marcarum argenti, rursum cedit. Cracouiam tamen obsidione cingit, sed deficiētibus comeatibus abire compellitur. Cæcus effectus à rege Francorum aduersus Anglicos in auxilium accersitus, cum lectissima equitum manu cōsanguineo solatium tulit, prælioq; memorabili et cruentissimo se immiscuit, in quo cum multis milibus cæsus interijt, cum regnasset quinq; & triginta annis. Bellū in celebritate sancti Ruffi gestum. Hinc ea dies apud Bohemos atra atq; inominabilis habita, quæ duos reges hostili gladio abstulisset.

De Carolo Bohemorum rege undecimo, qui & postea Romanorum imperator factus, Carolus quartus dictus est, Cap. XXXIII.

B VNum & triginta annos agebat Carolus tum filius eius ex Elizabeth coniuge natus. Is uiuente patre, apud Tartaros feliciter dimicauit, ciuitates Lombardiæ à patre acceptas armis tutatus est. Pugnauit adolescens cum Veronensibus, eos prælio fudit. In ea pugna bis equo deiectus, non dubitauit tertium conscendere, facinoraq; fortissimi militis ædere. Ferunt eum iuueniliter lasciuientem, cum Parmæ ageret alienos thoros non paucos polluisse, neque increpatum à patre abstinuisse. Fuisse per idem tempus Delphino Franciæ, cum principe Sabaudiæ bellum, cui cum rogatus Ioannes auxilium ferre statuisset, nocteq; decretum iter præcessit, uisum est in somnis Carolo, iuuenem forma conspicuum, militari manu raptum, eminentiq; loco unde uideri ab omnibus posset uestimentis exutum, moxq; uirilia ei eiecta. Carolo ex proximo adolescente qui speciem supra humanam uenerabilis adstabat, eaq; sic geri mandauerat, quisnam hic iuuenis esset tam crudeliter acceptus, & cur eo supplicio afficeretur interroganti responsum datum, Delphinum esse regis Franciæ primo genitum, qui talibus modis acciperetur, sic plectendos esse, qui aliena matrimonia uiolarent. Experrectum Carolum summo mane patri somnium recitasse, rogasseq; ne frustra exercitum fatigaret, Delphinum enim non egere auxilio, quem interemptum esse non dubitaret. Contempsisse patrem uerba filij, somniq́ue nihil inesse ponderis respondisse, duorumq; dierum itinere C cum exercitu profectum, certum accepisse nuncium, Delphinum in obsidione cuiusdam castelli, sagitta in incertum missa, confosso inguine expirasse, copias eius dissipatas esse. *Delphini mors.* Carolum in uilla Terentij Parmensis agri, quo in loco uisum uiderat, in honore beatæ uirginis Mariæ collegiatam ecclesiam erexisse, magnificeq; dotasse, quæ adhuc extat. Patronus eius est præcentor ecclesiæ Pragensis, quemadmodum eiusdem Caroli literæ attestantur, quas nos uidimus legimusq;. Nomen huic Carolo in baptismo Venceslaus fuit, quod in confirmatione à Carolo Francorum rege mutatum est, apud quem pueritiæ rudimenta peregit. Fuit autem hic Carolus uir magnorum operum, qui regnum Bohemiæ, tum religionis cultu, tum legum ac bonorum morum disciplina illustrauit. Nam schola liberalium artium ab eo in Praga erecta est, noua ciuitas mœnibus cincta, palacium regium magnificentissime exædificatum, monasteria multa fundata, arces constructæ admirabiles, pax toti regno dedita. Adeptus imperium, rursus Italiam ingressus, Longobardos in potestatem accepit. Gibellinos, qui iam pridem Florentia exulauerant, eiectis Guelphis, in suum locum restituit, reliquis Ethruriæ partibus pro suo arbitrio leges dedit. Coronatus Romæ magnifico apparatu, nouatores rerum, qui aduersus ecclesiam sentiebant, Romano pontifici iudicandos tradidit. Ioanni fratri suo Morauiam possidendam concessit. Vissegradum nouis muris ac propugnaculis communiuit.

niuit. Corpus sancti Viti Pragam detulit. Pontem Multauiæ, qui exundationibus corruerat, in Praga restaurat. Ecclesiam Pragensem ad Metropolicum decus erexit, cum antea Maguntino pontifici subiecta esset. Clarus profecto imperator, nisi Bohemici regni magis, quàm Romani imperij quæsiuisset. Illud quoque nomini suo non paruam inussit maculam, quod Venceslaum ex filijs suis natu maiorem, in imperio sibi successorem adhuc uiuens ordinare conatus est, idq́ue pecunia. Nam cum principes electores haud facile ad eam rem trahi possent, quod uirtute obtinere non potuit, precio comparauit, promisis cuique electori centum milibus aureis. Quos cum repræsentare non posset, publica illis Romanæ reipublicæ uectigalia obligauit, perpetuum imperij malum. Hinc Romana potestas ad nihilum redacta, nec post hac extollere caput imperium potuit, cum principes electores omnia sibi retinerent, imperatoremq́ue iureiurando adigerent, ne pignora reuocaret. Sigismundus alter Caroli filius à rege Hungariæ Ludouico in spem regni adoptatus est. Ibiq; tandem coronam adeptus, pugnauit feliciter contra Turcas, triginta duos Turcarum regulos securi percussit. Tumultu populari captus, ac uiduæ, cuius uirum occiderat, in custodiam traditus, beneficio linguæ libertatem adeptus, regnum armis recuperauit. In quo fortunam utranque expertus, inter uiros claros enituit. D

De Venceslao Bohemorum rege duodecimo, qui & Rex Romanorum extitit, Cap. XXXIIII. E

VEnceslaus ætatis suæ anno secundo, permittente patre, regni Bohemici sceptrum assecutus, exin quindecimum agens annum, cum coniuge sua Ioanna, apud Belgas ciuitate Aquensi, Romani regni coronam accepit. Quarto deinde anno pestis sæuissima Bohemiam populata est In Praga uero quatuor mensibus in una tantum, sancti Stephani parrochia tria milia funerum & quinquaginta fuere. Sexto deinde anno regina decessit, & altera superducta est ex domo Baioaria, nomine Sophia, longe uiro suo præstantior. Inter hæc Pragenses populari tumultu excitati, atque in furorem acti, *Iudeorum strages.* Iudæorum domus inuadunt, bona eorum diripiunt, domos incendunt, atque inter duas horas, non sexui, non ætati parcentes, infelicem gentem gladio cædunt. Perijsse aliquot milia feruntur, seruati complurimi infantes misericordia bonorum ciuium, baptismi gratiam acceperũt. Calamitosum genus hominum Iudæi, inter Christianos agentes, qui ubi paululum abundare creduntur, mox tanquam Iesu Christi Dei nostri maiestatem contempserunt, aut religioni illuserunt, non fortunas tantum, sed uitam quoque amittunt. Impune apud Pragenses flagitium fuit, tum quia populi haud facile corriguntur scelera, tum quia Venceslaus desidia corruptus, præsenti rerum statu contentus, neque præterita corrigere, neq; futura curauit præcauere. Fuit enim Venceslaus longe patri absimilis, uoluptatum sequax, ac labores refugiens, uini quàm prorsus regni curiosior. Ob quam rem captus à Baronibus, decem & septem hebdomadas in custodia habitus est. Ioannes dux Lusaciæ & Procopius Marchio Morauiæ magno reipublicæ malo eum libertati reddiderunt. Captus & secundo per Sigismundum Hungariæ Regem fratrem suum, & Alberto Austriæ duci in custodiã datus. Custodia eius in egregijs ædibus apud Viennam habita, quibus exinde cognomen Praga datum, quod eas rex Pragensium incoluisset. Sed cum parum diligenter custodiretur, fugam arripuit, regnoq; rursus potitus est, neq; tamen uitam mutauit. Sed priori consuetudine uino ciboq; marcens, luceq; dormiendo nocti coniungens, ab electoribus imperij comprobante Romano Pontifice imperio deiectus, domi torpens illaudatum egit æuum. F

De perfida secta Hussitarum, & damnatis articulis professionis illius, Cap. XXXV.

SVB hoc rege, nostra demum memoria, ætatis uero suæ anno circiter quinquagesimo, perfida Hussitarum insania ortum habuit, cuius & originem, & progressum hoc loco prosequi animus est, quando ea pestis omnem penè Germaniam conturbauit, neque adhuc extincta, regni Bohemici magnam partem occupat. Rexerunt scholam Pragensem usque in ea tempora Theutones. Id molestissimum Bohemis fuit hominibus natura ferocibus, atq; indomitis. Ex quibus uir quidam genere nobilis, ex domo,

A domo, quam Putridi piscis uocant, apud Oxouiam Angliæ ciuitatem literis studens, cum Ioãnis Vuycleui libros offendisset, quibus de realibus uniuersalibus titulus inscribitur, magnopere illis oblectatus, exemplaria secum attulit. Inter quæ de ciuili, de iure diuino, de ecclesia, de diuersis quæstionibus, contra clerum pleraq; uolumina, ueluti preciosum thesaurum patriæ suæ intulit. Imbutus iam ipse Vuycleuitarum ueneno, & ad nocendum paratus, tum quod erat familiæ suæ cognomen, Putridum piscem, id est, fœtidum uirus, in ciues suos euomuit. Commodauit autem scripta, quæ attulerat his potissime, qui Theutonicorum odio tenebantur. Inter quos Ioannes eminuit, obscuro loco natus, ex uilla Hus, quod anserem significat, cognomentum mutatus. Hic cum esset ingenio peracri, & lingua diserta, multumq; dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, auide admodum Vuycleuitarum doctrinam arripuit, eaq; Theutonicos uexare magistros cœpit, sperans eo modo cõfusos Theutones, scholas relicturos. Quod cum succederet, à Venceslao impetratum, ut Pragense gymnasium ritu Parisiensis gubernaretur. Ea res magistratum scholæ Theutonibus abstulit. Quàm ob causam commoti magistri, ac discipuli Theutonici generis, iureiurando adacti, uno die supra duo milia secuti, apud Lipsicam Misnæ ciuitatem, trium dierum itinere à Praga distantem, uniuersale studium erexere. Bohemis scholæ suæ gubernatio libere patuit, quorũ princeps

B est habitus Ioannes Hus, lingua potens, & mundioris uitæ opinione clarus. Qui ubi satis fidei comparatum sibi existimauit, uenenum quod iam pridem occulte cõceperat, palam euomuit. Fundauerat opulentus quidam ciuis in urbe Pragensi, sub nomine sanctorum Matthiæ & Matthæi haud ignobile templum, quod Bethleem appellauit, redditibus additis, ex quibus duo prædicatores alerentur, qui festis profestisq; diebus uerbum dei Bohemico sermone plebibus insinuarent. Horum alter Ioannes assumptus est. Qui cum se libenter audiri animaduerteret, multa de libris Ioannis Vuycleui in medium attulit, asserens in eis omnem ueritatem contineri, adijciensq; crebro inter prædicandum se, postquam ex hac luce migraret, in ea loca proficisci cupere, ad quæ Vuycleui anima peruenisset, quem uirum fuisse bonum, sanctum, cœloq; dignum non dubitaret. Sequebãtur Ioannem clerici ferè omnes, ære alieno grauati, sceleribus ac seditionibus insignes, qui rerũ nouitate euadere pœnas arbitrabantur. His & nonnulli doctrina celebres iuncti erant, qui cum in ecclesia consequi dignitatem nõ potuissent, iniquo animo ferebant sacerdotia maiorem censuum his committi, qui quamuis nobilitate præirent, scientia tamen uiderentur inferiores. Excæcauit eos, inuidia, ut qui uiderant & qui intellexerant, non intelligerent. Proruperunt in blasphemias, & cum aliquibus ignaris fortasse ac uiciosis maledicere possent, in omnes latrare sacerdotes cœpere, & ab ecclesia catholica recedentes, impiam Valdensium sectam atque insaniam amplexi sunt.

C Huius pestiferæ ac iam pridem damnatæ factionis dogmata sunt, Romanũ præsulem reliquis episcopis parem esse, inter sacerdotes nullum discrimen. Presbyterũ non dignitatem, sed uitæ meritũ efficere potiorẽ. Animas è corporibus excedẽtes, aut in æternas e- *Dogmata Hussitarum.* uestigio pœnas mergi, aut perpetua cõsequi gaudia, purgatoriũ ignẽ nullum inueniri. Vanum esse orare pro mortuis, & auariciæ sacerdotalis inuentũ. Dei & sanctorũ imagines delendas. Aquarum palmarumq; benedictiones irridendas. Mendicantium religiões malos dæmones inuenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos eleemosyna. Liberam cuique prædicationem uerbi dei patere. Nullum capitale peccatum, quantumuis maioris mali uitandi gratia tolerandum. Qui mortalis culpæ reus sit, eum neque seculari, neque ecclesiastica dignitate potiri, neq; parendum ei. Confirmationem, quam chrismate pontifices inducunt, & extremam unctionem inter ecclesiæ sacra minime contineri. Auricularem confessionem nugacem esse, sufficere sua quenq; Deo in cubili suo confiteri peccata. Baptisma fluuialis undæ, nulla interiecta sacri olei mixtura recipiendũ. Cœmiteriorum inanẽ usum, quæstus causa repertum, quacunq; tegãtur tellure humana corpora nil distare. Templum dei late patentis ipsum mundum esse. coartare maiestatem eius, qui ecclesias, monasteria, oratoriaq; construunt, tanquam propitior in eis diuina bonitas inueniatur. Sacerdotales uestes, altariũ ornamenta, pallas, corpora-

lia, calices, patenas, uasaq; huiusmodi, nil habere momenti. Sacerdotem quocunq; loco, quocunq; tẽpore, sacrum Christi corpus conficere posse, petẽtibusq; ministrare, sufficere si uerba sacramentalia tantũ dicat. Suffragia sanctorum in cœlis cum Christo regnantium, frustra impetrari, quæ iuuare non possunt. In canonicis horis cantandis dicẽdisq; frustra tẽpus teri. Nulla die ab opere cessandũ, nisi quæ dominica nunc appellatur, celebritates sanctorum rursus reijciẽdas. Ieiunijs quoq; ab ecclesia institutis, nihil inesse meriti. Subinco, cognomine Lepus, claris parẽtibus apud Bohemos ortus, per idẽ tempus Pragensem ecclesiam pontificio retinebat, consilio & animo illustris. Qui oriẽti calamitati obuiam ire cupiens, priusquàm amplius debaccharetur, libros Ioannis Vuycleui ad se ferri, omnesq;, doctorum uirorum consilio adhibito, publice concremari iussit. Supra ducenta uolumina fuisse traduntur, pulcherrime conscripta, bullis aureis tegumentisq; preciosis ornata. Ioanni prædicatio interdicta, & adiectæ minæ, si quando priores in populo errores uulgare auderet. Ipsi Praga excedens, apud uillam, ubi sibi origo fuit ac cognomen, permittente loci domino, qui eius insaniæ fauebat, uocare plebes, ac docere non desistit, multa in Romanum præsulẽ, multa in reliquos ecclesiæ pontifices maledicta congerens. Vtq; populi animos sibi magis ac magis conciliaret, Decimas haud aliter quã eleemosynas sacerdotibus debitas adstruit, liberum prædia posidẽtibus, si uelint eas dare, si nolint nullo iure cogi posse. Nondum error de sacramento altaris irrepserat. Sed attulit nouam pestem Petrus Dresensis (id oppidum Misnæ superstitum) qui cum alijs Theutonibus paulo ante Bohemiam reliquerat. Cognitus inter suos, quia Valdẽsi lepra infectus esset, patria pulsus, uelut hæreticorum asylum Pragam repetijt, puerorumq; docendorum curam accepit. Apud ecclesiam sancti Michaëlis per id temporis populum prædicando instruebat Iacobellus Misnensis, literarum doctrina, & morum præstantia iuxta clarus. Petrus hunc aggressus mirari se ait doctum & sanctum uirum, qui diuina eloquentia plebibus exponeret, errorem illum non animaduertisse communionis Eucharistiæ, qui iam pridem ecclesiam pessundasset. In qua sub una tantum specie, dominicum corpus populo ministrat, cum apud Ioannem Euangelistam & Apostolum Christo dilectissimum, sub duplici specie panis uiniq; sumi iubeatur, dicente apud eum saluatore: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis uitam in uobis. Commotus his Iacobellus, cum perquisitis uetustis sanctorum doctorum codicibus, Dionysij præsertim, & Cypriani, communionem calicis laudatam inuenisset, prohibitus apud sacellum archangeli Michaëlis prædicare, in templo maiore Sancti Martini cathedram sortitus, publice commonere populum cœpit, ne deinceps cõmunionem calicis, sine qua saluari nemo posset, quoquo pacto negligerent. Huic omnes hæretici cõsenserunt, haud modica gestiẽtes lætícia, quod articulum inuenissent in Euangelica lege fundatum, per quem Romanæ sedis uel ignorantia, uel nequitia argui posset. Odioso quamuis hæc animo rex intelligeret, desidia tamen corruptus, & inertia torpens, impune debacchari sinebat hæreticos. Subinco archiepiscopus ubi nullum aduersus tantum emergens malum in Venceslao præsidium inuenit, ad Sigismundum Hungariæ regem confugit, obsecrans atque obtestans, ut negligentiam fratris emendet, neque labefactari orthodoxæ fidei sacramenta permittat. Dat fidem Sigismundus petiturum se breui Bohemiam, ecclesiæ catholicæ consulturum. Sed dum dies die ducitur, Subinco apud Postinium in Hungaria moritur, & Albicus ei sufficitur, natione Bohemus, arte medicus, & Sigismundo propterea charus, unicum extremæ auaritiæ baratrum. Qui claues cellæ uinariæ nulli alteri quàm sibijpsi credidit, & animalia uiuentia dono accepta mox uendidit. Et quia sumptuosos esse coquos didicerat, abiectam anum popinæ suæ præfecit. Interrogatus aliquando, sonorum omnium quem molestius audiret, maxillarum, inquit, ossa frangentium. Idoneus profecto pontifex, qui surgenti fomentum hæresi daret. Infestabat ea tempestate Romanam ecclesiam Ladislaus rex Neapolitanus, aduersus quem Ioannes Papa tertius & uicesimus bellum decernens, plenariam peccatorum remisionem indulsit his, qui ad tuendam ecclesiam arma induerẽt. Recitabatur in ecclesia Pragensi decretum pontificis.

Quod

Petrus Dresensis.

Cõmunio sub utraq; specie.

Subinco archiepiscopus.

A Quod cum quidam sordidæ artis homines audissent. Ioannem Papam Antichristum esse magna uoce clamauerunt, qui crucem cõtra Christianos decerneret. Eos e uestigio senatus in carcerem rapi iussit, populus uero susceptis armis, dimitti omnes petijt. Sed placatus oratione senatus, tanquã uita captiuorum in tuto esset, suam quisque domum rediere, de illis clam supplicium sumptum. At cum sanguis extra prætorij ianuam deflu ens indicium necis fecisset, iterum occurrens populus, interemptorum corpora rapuit, & aureo circumuoluta panno per omnes urbis ecclesias detulit, clamantibus eiusdem sectæ sacerdotibus. Isti sunt sancti, qui pro testamẽto Dei sua corpora tradiderunt. Exin cadauera in sacrario in Bethleẽ reposita, quasi martyrum reliquiæ aromatibus condita.

De Ioanne Hus, & Hieronymo hæresiarchis, in Constantiensi Concilio igni traditis, Cap. XXXVI.

DVm hæc aguntur, generale Concilium apud Constantiam Sueuorum urbem cogitur. In quo de rebus Bohemicis sermo habitus, patrum mentes ingenti cu ra confecit, uoluentium animo quonam modo sanari prouincia posset. Placuit'que tandem, Sigismundo Imperatore suadente, Ioannem & Hieronymum ad Synodum uocari, qui tum cæteris eiusdem regni doctiores, tũ populi ductores, ac hæresum prin cipes habebantur. Venerunt ambo, non tam uerecunde aliena discere, quàm sua impu B denter ingerere parati, docendi quippe quàm discendi cupidiores, & populares aman tes aures. Auditi sunt in consessu patrum Ioannes ætate maior & autoritate habi tus, doctrina ac facundia superior Hieronymus. Lecti ex omni natione partes diui ni atque humani iuris doctores, sæpe cum his colloquium habuere, dogmata eorum à lege diuina aliena esse monstrarunt, neque bonis conducere moribus. Rogaue runt, ne plus sapere quàm ecclesia uellent, sed saperent ad sobrietatem. Peregrinas o piniones relinquerent, Ingenia sua, quæ quidem essent nobilissima, Vuycleuitarum insania ne fœdarent. Eloquentia, qua præditi essent, in corroborandis ecclesiæ institu tis, non euertendis, in edocendis populis, non dedocendis, exercerent. Posse eos & in conspectu Dei, in ecclesia militante sublimem consequi locum, si reiectis nouitati bus patrum uestigia sequerentur, inuentionesq́ suas uniuersali Concilio submitterent. Stetere in proposito pertinaces Bohemorum animi, neque uicti rationibus uinci uolue re. Se ueraces, se sancti Euangelij æmulatores, se Christi discipulos esse. Romanam ec clesiam, cæteras'que per orbem dispersas, longe à traditionibus Apostolorum abijsse, quæ opes ac delicias sectarentur, dominatum in populos, & primos in conuiuijs accu bitus exquirerent, canes, equos alerent, ecclesiarum bona, quæ Christi pauperibus deberentur, per lasciuiam luxum'que consumerent. Aut nescire prorsus diuina man data, aut scientes contemnere. Primores magnæ Synodi, ubi pertinaciam & immuta C biles animos perditorum hominũ animaduerterunt, membra ecclesiæ putrida, quæ sa nari non poterant, ne reliquum corpus inficerent resecanda censuerũt. Lata'est in cõ sessu patrum aduersus contumaces sententia, cremandos esse qui doctrinam ecclesiæ respuerent. Prior igitur Ioannes combustus est, Hieronymus diu postea in uinculis habitus, cum resipiscere nollet, pari supplicio affectus. Pertulerunt ambo constanti animo necem, & quasi ad epulas inuitati ad incendium properarunt, nullam emitten tes uocem, qui miseri animi posset facere indicium. Vbi ardere cœperunt, hymnum cecinere, quem uix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quàm isti incendium. Pogius Florentinus, ætatis nostræ nobilis scriptor, de morte Hieronymi ad Nicolaum Nicoli conciuem su um, elegantem scripsit epistolam, quamuis paululum sua consuetudine in mores cle ri inuectus uideatur. Cineres exustorum, ne raperentur à Bohemis, in lacum proiecti. Discipuli eorum ex eo solo terram abstulere, in quo ignis fuit, eam'que ueluti sa cram secum attulere in patriam. Ioannes ac Hieronymus apud Bohemos marty rum honores meruere, nec minores quàm Petrus & Paulus apud Romanos habi ti. Nunciatis enim in Bohemiam, quæ Constantiæ gesta fuerunt de Ioanne ac Hierony mo, discipuli eorum sequacesq́ omnes in unum conuenientes, memoriam in primis de functorum

Ioãnes et Hieronymus ignĩ traditi.

functorum consecrant, celebrandāq; quotannis omnes decernunt. Exin per amicos nō nullas sibi ecclesias è rege tradi extorquent, in quis suæ prædicare plebi, sacramētaq; ministrare libere possint. Neq; hoc modo cōtenti, apud Sclauoniā nobile monasterium fratrum prædicatorū extra mœnia oppidi situm, è fundamentis deijciunt. Eaq; prima ecclesiarū ruina in Hussitarū nouitate facta decurritur, in ecclesias, monasteriaq; passim, nobilissima superis dicata tēpla ferro atq; igne uastātur. nullum ergo regnum ætate nostra in tota Europa tam frequentibus, tam augustis, tam ornatis tēplis ditatū fuisse, quā Bohemicū reor. Tēpla in cœlū erecta, longitudine atq; amplitudine mirabili, fornicibus tegebātur lapideis, altaria in sublimi posita, auro & argēto quo sanctorū reliquiæ tegebantur onusta, sacerdotū uestes margaritis tectæ ornatus omnis diues, preciosissima suppellex, fenestræ altæ atq; amplissimæ cōspicuo uitro & admirabili opere, ut lucē præbeant. Neq; hæc tantū in oppidis atq; urbibus, sed in uillis quoq; admirari licebat. Fuit inter cætera monasteriū Aulæ regiæ, apud ripā Multauiæ, qua Mosa fluuius illi iungitur, situ in quo regum corpora cōdebantur, singularis excellentiæ. Nam præter ædem magni & memorabilis operis amplum dormitoriū, cæterasq; monachorū officinas magnifice cōstructas, habuere circuitum, qui non paruum conclusit hortum, ambitum uocauere. In huius lateribus uetus nouūq; testamentum ab initio Genesis usq; ad Apocalypsim Ioan. literis maiusculis in tabulis scriptū, continebatur, notis quo altius irent paulatim crescētibus, ita ut à summo usq; deorsum facilis lectio præberetur. Sed hoc decus post Venceslai mortem, Hussitarum rabies deleuit. Qui postquā ecclesias quā plurimas deiecerunt, monasteria incenderunt, castellum petentes, cui Bechingne nomē est, octo ferè miliaria ab oppido, quod nunc Thabor appellant, triginta circiter milia hominum conuenere, atq; ibi trecētas mensas in patentibus campis erexere, ex quibus populo sacramētum calicis ministrarunt. Terruit ea congregatio Venceslaum, uerentem'ne tumultu facto in se arma cōuerterēt, regnumq; sibi adimerent. Nec sua res periculo caruit. Venceslaus ei saluti fuit, cognomēto Coranda, singulari facūdia presbyter, & in plebibus auditus. Qui dum populū de republica admoneret, inter cæteraq; locutus est, Quanquā, inquit, uiri fratres, ebriosum atq; inertem sortiti regem fuimus, si tamen cæteros expendere principes pergimus, nemo est quem nostro regi anteferamur, quem rectè omnium regum specimē dixerim, quietum, benignum, nostri amantem. Nam quis eo regnante nos lacessere audet? licet nos ex uoto uiuere nostro. Si nō est eadem sibi, quæ nobis de religione sententia, ritum nostrum neq; ipse perturbat. neq; alios perturbare sinit. Quibus par esse arbitror preces pro eo ad Deum fundamus, utq; singuli ei uitam rogemus, cuius desidia nostra salus, nostra quies est. Quod cum ab exploratoribus rex cognouisset, quieto animo fuit, & factus ex tepido frigidus, Corandum inter amicos habuit. Per idem fermè tempus surrexit & alius pseudo sacerdos apud Pragam, Ioannes quidā ex ordine Præmonstratensium impius monachus, & ad omne scelus audax. Qui cum prædicaret apud sanctum Stephanum in Piscina, neq; bene sapere uideretur, inde amotus monasterium Carmelitarum inuasit. Hæc suasere hæretici, ut suam potentiam ostentarent. Singulis fermè diebus sacrā eucharistiam per suas ecclesias circūuectabant. Quas cum paucas esse dicerent, ductore Nicolao uiro nobili, eius loci domino, unde Ioannē Hus originem trahere diximus, in regiam tumultuarie prorumpentes, Vēceslaum orauere, sibi ut ampliores ecclesias elargiret, qui iam populi maiorem partem obtinerent. Audiuit rex benigne Nicolaum pro multitudine loquentem, utq; in posterum diem rediret iussit. Deinde misso populo ad Nicolaum, qui remanserat cōuersus, tu, inquit, qua me regno eijceres orditus es telam, at ego laqueum inde efficiam, quo te postea strāgulem. Ille enim à regis conspectu abiens, populares magis ac magis incendit. Rex in arcem Vissegradensem urbi uicinam, paruoq; tantū fluuio distinctā, sese recepit, et paulo post in castellum nouum, quod ipse construxerat, quinto distās lapide, cum paucis adijt, missis ad fratrem oratoribus, qui eius auxilium implorarent. Consulibus autem nouæ ciuitatis Pragensis, ne ulterius ab hæreticis dominicum corpus in Pompa deferri sinerent, impetrauit.

De morte

A *De morte Venceslai regis, Cap. XXXVII.*

AT hæretici pridie calendas Iulij apud ecclesiam Carmelitarum conuenientes, ad ædem sancti Stephani eucharistiam per plurimas plateas atque ecclesias armati circumtulere, ibique domum sacerdotis suis ineptijs non consentientis diripuere. Et sublato clamore ingenti, furentes prætorium petiere. Consules undecim metu perculsi fuga saluati sunt, septem qui remanserant, & cum his iudex urbis, atque alij nonnulli ciues, raptim intercepti, ex altissimis fenestris in forum præcipitati, lanceis ac uerubus irati populi excepti, dirum spectaculum dilaniati præbuere, stante in foro Ioanne monacho, & sacrum Christi corpus sanguinario populo ostentante. Camerarius regni, qui cum trecentis equitibus ad sedandum tumultum occurrerat, ubi furentem plebem animaduertit, de sua uita solicitus, fuga sibi consuluit. Ea cum regi renuntiarent, cunctique circumstantes attoniti facinus detestarentur, at ego (inquit pincerna) futura hæc præscieram. Quem rex indignatus correptum, repente ante pedes suos prostrauit, & arrepta pugione conatus est interficere. Sed impeditus est à circumstantibus, ægre illi uitā dimisit. Nec mora paralysi correptus, ægrotare cœpit, atque infra octo & decem dies, signatis nominibus hæreticorum, quos neci destinauerat, fratrem assidue uocitans, & amicorum auxilia anxius expectans, ante uita excessit, quàm uocati principes adessent, cum regnasset an-
B nis quinque & quinquaginta, uixisset & duobus amplius. Consueuerunt corpora regū apud Bohemos priusquā sepelirentur octo diebus, aromatibus condita, per sacraria urbis circumferri plangique, & sequentibus amicis ac Baronibus conclamari. Hoc in Venceslao neglectum, non audente regina ingredi nouam ciuitatem. Delatum est cadauer ad ecclesiam sancti Viti in arce, & inde ad Aulam regiam, de qua paulo ante meminimus, ibique conditum in sepulchro, quod ipse sibi delegerat. Sed postea cum monasterium ipsum ab hereticis diriperetur, & sepulchra regum affringerētur, cadaueraque abijcerentur, pisciculos quispiam nomine Muscha, Venceslao uendere solitus, regis, quē amauerat, corpus clam collegit, & in loculo apud se domi condidit. Interiecto deinde tempore, rebus in meliorem formam redactis, cum Venceslai corpus inquireretur, acceptis uiginti aureis illud reddidit, tum'que circumgestatio ex more facta, & iustum regi funus exhibitum.

De Ioanne Zischa, hæreticorum Hussitarum capitaneo, in armis strenuissimo, ac uictoriosissimo, Cap. XXXVIII.

REcens obierat Venceslaus, cum Ioannes Zischa nobilis genere ex loco, cui Trosnouia nomen, censu tenui. In curia regis à puero enutritus, & bellicis exercitatus, uno carens oculo, quem strenue pugnans iam pridem amiserat, infectus Hussitarum ueneno, & rapinarum auidus, collecta perditorum hominum multitudine, in ecclesias,
C quæ restabant, impetum fecit, simulachra Sanctorum, & imagines magni Dei perfregit. Monasterium Carthusiensium Pragæ uicinum inuasit, & direptum monachos eius ordinis tanquam populo inutiles, qui ueluti sues in claustro saginarentur, migrare alio iussit. Venere per idem tempus ex mōtibus Pragam cccc. circiter uiri, cum mulieribus, lepra Hussitarum infecti, atque in foro sedentes, cibum ex magistratibus petiere. Consulatus metu plebis, quæ aduenarū miserebatur, cibaria eis publicitus ministrauit. Zischa hos sibi adiunxit, arcem Vissegradensem, quæ negligenter custodiebatur, inuadere cupiens, ad locum, quem Cruces appellant, profectus est. Ibi supra quadraginta milia uirorum ex hæreticis conuenere. Qui suam multitudinem conspicati, animum ad omne facinus audacem sumpsere. Multa ibi aduersus Sigismundum Cæsarem, quem regium hæredem suis conatibus infensum norant, excogitata atque decreta. Exin Zischa, duce Coranda, de quo supra meminimus, Pelzinam, ubi complures esse suæ factionis amicos non ignorabat, ualido præsidio muniit, qui apud Cruces remanserant, arcem Vissegradensem inuasere. Sophia interim anxia, quo se pacto tueretur, crebris nuncijs ac literis Sigismundum uocare, uicinorum auxilia petere, atque in omnes partes mentem dirigere. Sigismundum malo usum consilio, in Turcas, qui se iam pridem castris exuerant, arma prius mouere, quàm Bohemiam petere libido incessit. Quod si exercitum

Pragam

Pragam duxiſſet, antequàm uires hæreticorum concaluiſſent, nunquam ea incendia, quæ poſtea uidimus, Germaniam exuſiſſent. At dum ille Turcas laceſſere parat, Bohemiam amiſit, & Hungariam non defendit. Ea propter cum ſerum eſſet eius auxilium, regina Tenchone Vuirtenbergenſi regnum gubernans, ex theſauro regio copias comparauit, arcem Pragenſem & minorem ciuitatem, quæ arci adiacet, præſidio firmauit, ponti Multauiæ, ne trãſitus illac eſſet hæreticis, ligneas turres ac ianuas adiecit. At illi paſsim per regnum conuentus agitare, ſolicitare populos, hos minis terrere, illos blanditijs allicere, implere Nouam ciuitatem ſuis hominibus, dies noctesq; conſultare, quibus modis ſummam ſibi rerum acquirerent. Cum quibus Petrus Starembergius apud inſulã Benedicti cõfligẽs, æquo marte prælium diremit. In Praga aucta hæreticorum alluuie, pro ponte pugnatum, multisq; utrinq; cadentibus, pons denique in poteſtate Huſsitarũ factus, decliuioris partis Pragæ minoris fideles in altiorem ſeſe partem receperunt, atque inde conuerſi acribus animis inſtaurauere certamen. Pugnatum eſt die noctuq; continuis quinque diebus, ſæuiſsimis ac crudelibus auſibus, multi utrinq; caſi, magnifice domus exuſtæ, prætorium infimo loco ſitum, incenſum atq; deletum. D

De Sigiſmundo Bohemorum rege tertiodecimo, & Roman. imperatore, Cap. XXXIX.

CVm hic eſſet rerum ſtatus, legati Sigiſmundi ſuperuenere, qui regni gubernationem accipientes, cum ciuitate Pragenſi ea lege inducias fecere, ut arce Viſſegradenſi reddita, liceret ciuibus ad Sigiſmundum oratores mittere, deq; re ſua cum eo trãſigere. Ziſcha Pelzinam, Pictam, & alia quæ occupauerat loca reſtitueret. Cõditionibus acceptis atque completis, externi hæretici urbem reliquere, conſulatus ex priſco more gubernationem inijt, quietior reddita ciuitas, non tamen Catholici, qui exceſſerant, redire auſi. Expectabant autem Sigiſmundi aduentum, cuius præſentia ſeſe tutos arbitrabantur. Sed interruperunt ſpem literæ ab eo miſſæ, in quibus ſcriptum erat ipſum breui uenturum, regnumq; eo modo gubernaturum, quo pater ipſius Carolus prouinciã gubernaſſet. Quibus ex uerbis intellexerunt hæretici ſectam ſuã excluſum iri, quæ regnante Carolo nondum ortum habuiſſet, proinde magis ac magis indignari. Sigiſmundus autem ad feſtum natiuitatis dominicæ, Brumam, quod eſt Morauiæ oppidum, petijt. Ibiq; Pragenſibus ueniã petentibus ea lege pepercit ut cathenas & repagula tota ex urbe deponerent, ſuos magiſtratus acciperent. Paruit attonita ciuitas, cũ primores regni eleuatis in cœlum manibus aduentũ noui regis gratulabũdi expoſcerent, eiusq; rectores ſine controuerſia reliquæ urbes admitterent. Nec dubiũ uidebatur, quin tota Behemia labes Huſsitarum exceſsiſſet, ſi ex Bruma Sigiſmundus recta uia ſe Pragam contuliſſet. Sed diuertit ille, ut fortaſſe fati ſui erat. Vratiſlauiamq; Sleſiæ caput acceſsit. Quo in loco populus urbanus non diu antea conſulatum à Venceslao fratre ſuo cõſtitutum per ſeditionem obtruncauerat, cuius ſceleris autores ſecuri percuſsit. Quod ubi Pragæ renunciatum eſt, diffiſi de uenia ciues, exemplum Vratiſlauienſium ueriti manifeſto deſciuerunt, & allecto præmijs Cenchone, qui arci Pragenſi præerat, in totum regnum literas dedere, ne quiſpiam Sigiſmundo aditum præberet, qui Dalmatiæ linguæ hoſtis eſſet, nec alia cura teneretur, quã regni perdẽdi, qui antiquam Pruthenorum ciuitatem ordini iure pignoris obligaſſet, Brandenburgenſes autem à corona Bohemica alienaſſet, Iohannem ac Hieronymũ in Conſtantienſi Concilio cremari nõ ſolum permiſiſſet, uerumetiam procuraſſet, dogmata quæ ipſi ſequerentur, toties conatibus impugnaret. E F

De ciuitate Thabor & extructione eius, fratribusq; Thaboritis, Cap. XL.

Ziſchæ uafre conſilium.

ZIſcha dum hæc aguntur, relicta ex fœdere Pelzina, bis à fidelibus inuaſus, bis uerſutijs uſus ex pene uicto uictor euaſit. Erant aſpera loca in quibus pugnare oportuit, hoſtes in equis, milites ſui omnes pedites, nec certamen committi niſi pedeſtre poterat. Vt ergo deſiliere ab equis aduerſarij, mulieres quæ de more ſuum exercitum ſequebãtur, proijcere pepla in terram iuſsit, quibus implacita per calcaria equites, prius extincti ſunt, quàm pedes expedire ualerent. Ipſe deinde Muſcam petijt, oppidum ad Luſnitium amnem in ripa ſitũ, ex quo Copius & Vlrichus fratres, ueræ fidei cultores, eiuſq; loci domini, non paruam populi partem eiecerant cum hæreticis ſentientem. Id Ziſcha

Quadra-

A Quadragesimæ nocte aggressus, armis expugnauit, dirupit, incendit. Sed & Liciũ quoque castellum, ab eo loco mille passuum distans, quo se Vlrichus receperat, ui cepit, Vlrichum familiamq; suam gladio occidit, uni tantum uita retenta, qui reliquos obtruncaret. Cumq; ciuitatem quam incoleret muro cinctam non haberet, locum natura munitum ad eundem amnem elegit, uix octo stadijs ab Auscha separatum. Hunc mœnibus cinxit, & ut quisq; tentoria fixerat ita ædificare sibi domos imperauit, ciuitati Thabor indidit nomen. Nam & comites eius, fratres Thaboritæ appellabantur, tanquam cum tribus Apostolis saluatoris Christi transfigurationem in monte uidissent, indeq; suas opiniones mutuati essent, quas fidei ueritates appellant. Ciuitas quamuis altis defensa rupibus, muro tamen & antemurali cincta est. Lusmicius amnis maiorem urbis partem alluit, quod reliquum torrens non modicus ambit. Qui cum recte in Lusmicium tenderet, saxeo colle impeditus, qua longa est ciuitas flectere ad dexteram iter coactus, in fine urbis maiori fluuio miscetur. Spacium quo per terram acceditur, nam pene insulam duo amnes efficiunt, uix pedes triginti protenditur. Hic fossa profunda manu facta, & triplex murus ea crassitudine, quæ nullis effringi machinis queat. Turres in mœnibus crebræ, & propugnacula, quæ ipsi Thaboritæ expugnãdarum urbium magistri excogitauerunt, locis opportunis constructa. Hic refugium omnium hæreticorum, arcemq; Zischa primus erexit, qui eum secuti sunt, pro suo quisq; ingenio muni
B menta urbis auxerunt. Nos qualem uidimus ciuitatem descripsimus. In amne Lusmicio auri grana reperiuntur, ciceris æquantia magnitudinem, quæ nullo egent purgamento. Nondum equites apud Thaboritas militauerant, cum essent omnes fermè infimæ plebis homines, & qui non tam nouam fidem secuti, quàm iudicia & carceres fugisse uidebantur. Nicolaus magister monetæ, quem Sigismundus ad res curandas in Bohemiam miserat, primus omnium equorum copiam Thaboritis fecit, qui cum mille equitibus in uico, cui Vogize nomen est, nouis Zischæ motibus occursurus consederat. In hunc nocte ipsa parasceues Zischa ex improuiso prorumpens, omnes illi equos ademit, arma surripuit, uicum incendit. Milites suos equos ascendere, saltare, currere, flectere in gyrum docuit, neque posthac absque alis equitum copias duxit. Nicolaus in arce saluatus est.

De Academitis hæreticis, *Cap.* XLI.

INter hæc & alia apud Bohemos nephanda & inaudita prius emersit hæresis. Pichardus quidam ex Gallia Belgica, transmisso Rheno, per Germaniam in Bohemiã penetrauit, qui præstigijs quibusdam fidem sibi concilians, breui tempore non paruã mulierum uirorumq; plebem ad se traxit, quos nudos incedere iubens, Adamitas uocauit. Et occupata insula quadam, amne Lusmicio cincta, filium Dei se dixit, & Adam uoca *Pichardus.*
C ri. Connubia eis promiscua fuere, nephas tamen iniussu Adam mulierem cognoscere. Sed ut quisq; libidine incensus in aliquam exarsit, eam manu prehendit, & adiens principem, in hanc, inquit, spiritus meus concaluit. Cui princeps respondit, ite crescite, & multiplicamini, & replete terram. Aiebat cæteros homines seruos esse, se uero & qui ex eis nascerentur liberos. Ex ijs quadraginta uiri insulam exiere, & intrantes uicinas uillas, euaginatis gladijs super ducentos agrestes interfecere, quos diaboli filios asserebant. Zischa ijs auditis, quamuis sceleratus, scelus tamen exhorruit. Habet enim hoc natura hominum, ut aliena magis quàm sua quisque uitia perhorrescat. Neque summa mala diu inulta manent, ultoremq; mali sæpe malum cernere licet. Direxit igitur in eos exercitum, expugnataq; insula, Adamitas omnes gladio deleuit, duobus tantum reseruatis, ex quis gentis superstitionem cognosceret. Audiui ego ex Vlricho Rosensi præstanti regulo, cum agerem in Bohemia, fuisse apud se uiros & mulieres eius sectæ captiuos, & mulieres quidem palam dixisse, non esse liberos, qui uestibus & præsertim fœmoralibus uterentur, easq; in carcere apud se peperisse, quas cum anno elapso simul cum uiris igni tradidisset, ridentes cantantesq; flammarum incendia pertulisse.

Quomodo Sigismundus Bohemiam ingressus, Coronam regni acceperit, minusq́ feliciter pugnauerit, Cap. XLII. D

SIgismundus interea conuocatis Slesiæ ducibus, ingressus Bohemiam, Græcium, exinde Cuthnam infesto exercitu petit. Cenchonem, ut arcem Pragensem sibi reddat magnis spōsionib. allicit, equitum quatuor milia, qui urbem lacessant, ibidem collocat. Cencho bina proditione insignis domum reuertitur. Pragenses Zischam accersiunt, qui cum Thaboritis nihil moratus, urbem accepit in potestatem. Duo tantum ex Baronibus Nilco Crussina Lituburgensis, & Nilco Valdescenēsis, ac pauci nobiles, Pragensium signa sequebantur, reliqua multitudo ex plebe collecta. His primum studium fuit arcem oppugnare. Locus ipse natura munitus, non aliter quàm uinci fame posse apparebat. Clausi aditus, ne quid commeatus importaretur. Sigismūdus fumo iter opperuit, obsessisq́ necessaria præbuit, nec diu postea ciuitatem ipsam, accersitis ex imperio auxilijs, obsidere decreuit. Ferunt in castris eius Saxoniæ duces, Marchionesq́ Brandēburgenses, & gener eius Albertus Austriæ princeps. Oppugnata est ciuitas sex hebdomadibus. Ipse uero Sigismundus in æde Metropolica, quæ in arce sita est, regni coronam accepit. Conradus natione Vuestfalus archiepiscopus, qui postea in hæresim prolapsus est, sacris solennibus rite peractis, diadema ei imposuit. Albicus enim iam pridem dignitati cesserat, cum familiam edentem bibentemq́ ferre non posset, & minori contentus officio, auaritiæ seruiebat. Oppugnabatur summis uiribus hæretica ciuitas. Medio tempore reguli Rosenses, & Chrageri, Thaboritæ castra tenentes, à Nicolao Hus, quem Zischa cum parte copiarum eo miserat, prælio uicti exuuntur, Græcium quoq́ reginæ ab hæreticis expugnatum. Imminet urbi Pragensi sublimis mons, quē Vidlechonis appellant, hūc ne hostes occuparent Zischa præsidio munierat. Cum quis Marchio Misnensis congressus, magnam militum suorum partem amisit. Misnenses enim cum iam montis cacumen occupassent, in partem coacti, quæ prærupta erat acrius oppressi, ubi retinere impetum non ualuere, alij cæsi sunt, alij ex monte deturbati per abrupta dilapsi perierunt. Sigismundus obsidione dimissa Cuthnam se recepit. Per idem tempus uulgauerant hæretici ipsa die Pentecostes ignem de cœlo casurum, qui urbes Bohemicas omnes exureret. Ob quam rem magna ex parte ciuitatum mœnia relicta die prædicta, cum imbres tota fermè Bohemia uehementes fuissent, religio in risum conuersa, multum hæreticis opinionis detraxit. Vicit tamen obstinatio eorum, quos rapinarum cupido magis quàm fidei zelus pellexerat. Zischa apud Pragenses degens, ex consilio suorum sacerdotum, omnes basilicas delere adorsus est, quæ sanctorum nominibus dedicatæ fuerant. Neque enim fas esse dicebant, alteri quàm soli Deo templa sacrari. Hinc plurima monasteria & nobiles ecclesiæ uno impetu in ciuitate disiectæ. Id Pragensibus ægre fuit, quibus seruandum ædificiorum decus uidebatur. Orta dissensione, iurgioq́ sensim obrepente, Zischa cum suis abijt, & ad Thaboritas reuersus multa fidelium loca expugnauit. Inter quæ Pragitani præpositi Vissegradensis oppidum diripuit, in quo uiros ac mulieres cum pueris & infantibus cunctosq́ loci sacerdotes in ecclesia conclusos, immisso igne combussit.

Marchio Misnensis.

E

F

De Orebitis hæreticis, Cap. XLIII.

FVit & alia in Bohemia hæreticorum factio, fratrum Orebitarum appellata, quæ territorium Græcēse uicinasq́ gentes magnis affecit cladibus, pestifera atq́ immanis, neq́ Thaboritarum crudelitate ulla ex parte inferior. Aduersus quam Martinus quintus Pontifex maximus nominatim crucem decreuit, neq́ tamen in plures annos extirpari potuit. Huius sectæ homines, quotiens sacerdotes nostros intercepere, aut igne cremauerunt, aut nudos rigente hyeme super glaciem colligatos dimisere. Quos parui momenti existimarunt, dissectis uirilibus abire permiserunt. A Pragensibus inter hæc summis uiribus ars Vissegradensis oppugnatur. In qua cum cætera abessent, equinæ carnes aliquandiu pro cibo fuere. Ad extremum nisi ad certum diem Sigismundus auxiliū ferret deditio promissā, uerum ea lex adiuncta, ut ueniente Sigismundo Vissegradenses prorsus quiescerēt. Affuit inter diem dictum imperator, ignarusq́ cōditionis

A locum ingressus arctum sub arce, in quo facile ab obsessis defendi poterat, cum ille datã fidem obseruassent, inuasus repente à Pragensibus, ingẽte perpessus stragem, rebus infectis retro abijt. Ceciderũt ex Morauis quatuordecim proceres, ex Hungaris cæteris'que gentibus quàm plurimi, arx Pragensibus dedita.

De multis prælijs & uictorijs Ioannis Zischæ, *Cap. XLIIII.*

Zischa dum hæc fiunt, Booslaum regulum, cui Cygneo cognomen fuit, qui multis antea cladibus hæreticos affecerat, in oppido suo munitissimo ui cepit & in hæresim suam pellexit. Qui ad Rethium paucis post annis, dum hæreticorum copia ducit, uulneratus interijt. Erant in territorio Pelzinensi complura cœnobia, opibus et structuris insignia, ex quibus Zischa quinqꝫ combussit. In monasterio uero Claronensi, quod munitius fuit, præsidium posuit. Huic Sigismundus exercitum admouit, Zischa autem in eum copias ducente, turpi fuga recessit, nec diu postea Bohemiam quoque reliquit, Zischa ad Pelzinam duxit. Sed cum ciuitatẽ egregie defensam expugnare desperaret, inde soluens Comitauiam petijt, non parui nominis oppidum. Quo ui capto populares cum sacerdotibus in ædibus ligneis reclusos, frustra ueniam petentes exussit. Cum uero ante oppidum, cui Rabi nomen est, cõuocatis fratribus Thaboritis & Orebitis castra teneret, obsessosqꝫ summa ui oppugnaret, oculum quo uno lumen cœli uidebat, sagitta B confossus amisit. Inde Pragam ad medicos uectus, quamuis ex uulnere curatus uitam retinuit, lucem tamen haud quaquam recuperauit. Nec propterea castrensem laborem, aut rei militaris curam dimisit. Cæco populo, cæcus placuit ductor. Res apud posteros plus admirationis habitura, quã fidei, Pragenses autem Peronã, ubi magnum inerat Sigismundi præsidium, armis ceperunt, & paucis uita reseruatis, puberes utriusqꝫ sexus interemerũt. Expugnarunt & Brodam Theutonicam, interfecto præsidio, mox Cuthnam pluresqꝫ alias ciuitates dedentibus oppidanis in potestatem acceperunt. Cũ uero ad oppidum cui Pons nomen est, & à Misnensibus possideretur, copijs ducerẽt, occurrentibus Saxonibus, non audentes congredi, redierunt. Posthæc Sigismũdus electoribus diẽ statuit, ut in celebritate diui Bartholomei ad Occidentalem plagã Bohemiam cum copijs ingrederetur, ipse ad Orientalem latus cum Hungarorum exercitu aggressurus. Venere Maguntinus archiepiscopus & Coloniensis, Comes palatinus Rheni, Saxoniæ duces, Marchio Brandenburgensis, & plurimi ex Alemania põtifices, cæteri suos misere. Castrametati ad oppidum Soazium munitissimum locum, expugnare non potuere. Vastatus est undique per circuitum ager, continuata obsidia ad festum usque sancti Galli, tumqꝫ soluta cum Sigismundus ad præmissum diem non adesset. Ille autem collecto ex Hungaris, Austrialibus ac Morauis exercitu circa solennia Dominicæ natiuitatis Bohemiam intrauit, & cum aliqua oppida ui ceperit, Cuthnenses per C deditionem accepit. Sed irruente in se Zischa quamuis cæco, pauidus trepidusqꝫ multis ex suis interfectis nobilibus, & amissis impedimentis effugit. Prius tamen Cuthnam exussit, quàm Thaborenses propter argenti fodinas crumenam Antichristi uocabant. Zischa itinere unius diei imperatorem secutus, magna fugientium præda ditatus est, & oppidum Brodam, quod Theutonicorum uocant, ui captum incendit, quod postea quatuordecim fermè annis sine habitatore permansit. Imperator amnem Iglariam ponte trãsmisit. Pio Florentinus, qui equites in eam expeditionem quindecim millia ex Hungaria duxerat, per glaciem iter habuit, quæ multitudinis pondere dissoluta, multos mortales in profundum rapuit. Hac uictoria elatus Zischa magis ac magis in ecclesias desæuit. Nec iam amplius ullam pati aut statuam sanctorum, aut picturam poterat, nec tolerandum esse putabat, qui prisco more sacerdotalibus indutus uestibus rem diuinam conficeret. Ob quam rem maiores quàm prius inter eum & regni proceres, inimicitiæ obortæ. Consules uero Pragenses insolentiam Ioannis apostatæ Præmõstratensis iniquo ferentes animo, eum in prætorium uocauere, & nouem simul scelerum principes, tanquam de republica cum his aliquid acturi, intromissosqꝫ statim gladio percussere, & quasi nihil actum esset, pacatam ciuitatem arbitrati, domos quisque suas petierunt. Sed ministri parum cauti, dum atrium aqua proluunt, cruorem interemptorũ per

Cuthna crumena Antichristi.

aquæductum in forum transmisere. Eo uiso, non latuit populum res gesta. Tumultus D
e uestigio factus, expugnato armis prætorio, undecim primarij ciues, qui rei autores pu
tabantur, occisi, collegium Caroli direptum, & nobilis bibliotheca disiecta. Mulieres
quæ Ioannem monachum ueluti diuinum habebant, caput eius intercipientes, pluribus
diebus ululantes, per urbis ecclesias circumtulerunt, beatum uociferantes, sanctum &
Deo plenum uirum, qui pro ueritate & patrum traditionibus occubuisset. Contra ue-
ro sacrilegos nepharios atque hominibus odibiles, qui sacro & optimo sacerdoti manus
iniecissent, postremo inter sacras reliquias aromatibus conditum Ioannis caput obtinu
ere. Per idem tempus castellum Purgellinum in quo paruum Sigismũdi erat præsidiũ,
& quo multi Pragẽses rectæ fidei cultores, cum liberis & uxoribus confugerant, per in
curiam arsit, qui superfuerunt incendio, Pelzinam se contulere. His actis nonnulli Bo-
hemorum reguli, & consulatus Pragens. legatos ad Vitoldum Lutuaniæ ducem mise-
re, eumque sibi regem asciuerunt, aduersante Zischa, eiusque factione, qui liberis homini-
bus regem habendum esse negabat, & eum potissime, qui gentium ritu uiueret. Vidol-
dus Sigismundum Coributum, cum duobus milibus equitum in Bohemiam misit. Qui
apud Pragenses magnis exceptus honoribus, ciuitatem breui ad meliorem formam re
degit, nobilibus, & qui quiete uiuere uellent, blandus atque amicus, in insidiosos & faci
norosos asperrimus uindex. In huius aduentu munitissimum castellum in monte situm E
oppugnare placuit, quod Lapidem Caroli uocant. Hic Sigismundus quartus centuri-
as militum præsidio liquerat. Castra tribus locis posita sunt, obsidio sex ducta mensi-
bus. neque die, neque noctu omissa oppugnatio, quinque balistæ maiores ingentia saxa
per omnes horas intra mœnia iactauerunt, uasa circiter duo milia cadaueribus, & huma
no excremento plena in omnes emissa, tantũ miseris obsessis fœtorem attulere, ut omni
bus infectis dentes aut deciderent, aut nutarent. Tolerauerunt tamen forti animo, &
hyemem usque protraxere certamen, accepto clam ex Praga medicamento, quo den
tes contineri possent. Fons erat extra mœnia in medio præruptæ rupis, unde aquam
oppidani necessariam hauriebant, & turris desuper uetusta, qua tuerentur aquantes.
Hanc Pragenses diruere machinis conabantur. Fama est in potestatem obsessorum pri
marium quendam Pragensem ciuem casu factum, eumque in turris culmine deligatũ, da-
to per irrisionem in manu flabello, quo lapides balista missos quasi muscas abigeret,
parsuros quippe conciui suo Pragens. arbitrabantur. illos nulla misericordia flexos sa-
xa ingentia quamplurima proiecisse, hominem uero cum diem integram intactus per-
seuerasset, hostium magis misericordia, quam ciuium suorum humanitate seruatũ. Inte-
rea Fredericum Brandenburgensem principem, magnis copijs Bohemiam ingressum,
longe lateque prædam agentem, Pragenses ab obsidione discedere compulisse, Vidoldũ
uero, rogatu Vladislai Poloniæ regis, qui cum Sigismundo Cæsare in finibus Hunga- F
riæ conuenerat, patruelem suum Coributum ex Bohemia reuocasse. Putauit ea re Si-
gismundus hæreticos externis auxilijs destitutos, mox imperata facturos. Sed lõge de-
ceptus. Nam illi magis ac magis insolescentes, subactis intra regni fines Catholicæ fidei
cultoribus, exercitum extra Bohemiam duxere uicinas longe gentes populati. Ferunt
Zischam in Austriam profectum, cum agrestes armenta quæque nauibus in insulam
Danubij transportassent, uitulos suesque nonnullos per negligentiam in ullis dimissos,
ad ripam fluminis tandiu deuerberasse, donec pecus insulam depascẽs, mugitum, grun-
nitumque audiens, desiderio similis animantis fluuium transnatauit, eoque modo magnam
prædam abactam. Per idem tempus Sigismundus imperator Alberto duci Austriæ ge
nero suo Morauiam, ne defensore careret, dono dedit, quamuis iam plerique illius pro-
uinciæ proceres ad Hussitarum insaniam defecissent. Eo quoque tempore Ericius rex
Daciæ, & infans Petrus regis Portugaliæ familiaris, germanus Iacobi Ordinalis san-
cti Eustachij excellentis & clarissimi uiri, imperatorem accedentes, ambo rei militaris
peritissimi, exercitum eius & copijs & auxilijs auxere. Ob quam rem castra ad Iuten-
bergam Morauiæ oppidum, Hussitarum peste infectum, statim posita, obsidio tribus
mensibus eo loco ducta. Eques apud Pragenses cognomento Aqua, satis opulentus
fuit, &

Fœtor dentibus inimicus.

A fuit, & inter suos ciues autoritate præditus. Is sororis filium nomine Procopium, cum sobole careret, in suum adoptauit, eumq; grandiusculum, ad Galliam, Hispaniam, Italiam, deniq; Hierosolymam secum adduxit, reuersus in presbyterum ordinari curauit. Qui surgente in patria Hussitarum nouitate Zischæ adhæsit, & cum esset robustus & manu promptus, nullius'que fugax laboris, magno loco apud eum habitus, primos ductauit ordines malus malo aptissimus. Hic est ille Procopius, qui postea ob res fortiter gestas magni cognomen obtinuit. Huic prouincia Morauiæ commissa est, & Iutenbergensium defensio. Qui non parua militum manu accepta inuitis obsidentibus, commeatum in obsessum oppidum importauit, irritamq; Sigismundo fecit obsidionem. Dederat imperator Marchionibus Misnensibus Ponte & Auscam, super Albim fluuium, ut eas ciuitates præsidio tuerentur. Obsederunt Ausch Zischa simul cum Pragensibus, Fredericus Marchio Misnensis pater eorum, qui modo prouinciam regunt, & frater eius Lantgrauius Thuringiæ, collecto ex Saxonia, Thuringia, Misna, & utraque Lusacia milite, obsessis auxilium ferre statuerunt. Commissum est ante urbem prælium, incerta diu uictoria pependit, cum fortissimi utrinq; caderent, & nunc illi uicti uictoresq; uiderentur. Ad extremum cæca cæcum secuta, penes hæreticos fuit. Burggrauij Misnenses & Chirpogenses, & comites Glicenses, multiq; nobiles in eo prælio ceci

B derunt. Ex quibus plerique proiectis armis, flexis genibus frustra supplices uitam petierunt. Nouem milia ea pugna ex fidelibus cæsa, Auscha capta, & funditus deleta. Elatus ea uictoria Zischa, insolentius indies agere ecclesias, passim delere si qua restabant, sacerdotes qui more maiorum sacra peragerent crudeliter persequi, nobilibus infensus esse, ciuitatibus grauia imperare tributa. Pragensium qui detrectarant eius imperium, uicos & uillos incendere. Ob quas tres Pragenses Baronum auxilio freti aduersus eum copias eduxere. Ille cum se armis imparem animaduerteret, ad Albim usque profugit, eratq; penè comprensus, nisi pater Georgij eius, qui nunc regno potitur, Poggiebracium oppidũ transitum sibi præbuisset. Nec sic sua res tuta facta est. Fuerunt & hostibus alio loco pontes per quos Albim transmiserunt, sed Pragenses fugientis ultimum agmen insectati, complures Thaboritas necauere. Peruentum est denique ad montes, ubi Zischa uallem ingressus, cum loci angustias eas esse nosset, in quib. explicare hostes suas acies minime possent, stare signiferum iussit. Exin commilitones pro tempore hortatus, pugnæ copiam fecit. Certamẽ atrox commissum uictor Zischa tria millia Pragensium cecidit, reliquos in fugam uertit. Nec moratus, Cuthnam à Pragensibus instauratam, iterum ui cepit, atque incendit, & qui Pragenses inerant eodem igne consumpsit. Moxq; successu rerũ tumens, infestis signis Pragam petijt, et ad sagittæ iactum castrametatus obsidere urbem cœpit. Erant & in ciuita

C te & in exercitu plurimi, qui hoc dissidium detestabantur, & alij Zischam, alij Pragenses accusabant. In castris quoq; tumultuatum est, dicẽte milite, indigne esse eam urbem armis premi, quæ caput regni esset, neq; de religione secum dissentiret, casurã breui Bohemorum potentiam, si se hostes diuisos norint. Materiam belli satis magnam à Romano imperatore præberi, stultum esse consilium in se arma uertisse. Accepit Zischa quæ uulgo dicebantur, & aduocatam in concionem multitudinem, uas uinarium quod forte aderat conscendens, Nolite, inquit, amari super me fieri fratres, & hominem accusare, qui uobis salutem peperit. Recentes uictoriæ sunt, quas me duce cõsecuti estis, nunquã ego in aliquem locum uos duxi, unde uictores non rediretis. Vos clari, uos diuites, ego uestri causa lumen amisi, & iam in tenebris ago, nil mihi ex tot bellis feliciter actis, nisi nomẽ inane superest. Vobis pugnaui, uobis uici, nec laboris pœnitet. Nec mihi cæcitas dura, nisi quod rei nostræ priore ex more consulere nequeo. Nec ego Pragẽses mei causa persequor, ipsi uestrum sanguinem, non meum sitiunt. Parũ eis fuerit me iam & utroque cassum lumine perdidisse, uestras illi manus timent, & fortes in periculis animos. At uos certe, aut illos perire oportet, qui dum mihi parant insidias, uestras animas expetunt. Domestica nobis arma timenda magis quàm externa, ciuiles auferre seditiones oportet. Pragam prius expugnabimus, seditiososq; ciues exterminare licebit, quàm

Zischæ oratio ad populum.

K 3 Sigismun-

Sigismundo diuisionis nostræ nuntius afferre posit. Cum paucis eiusdem animi tu- D
tius imperatorem expectabimus, quàm sibi nobiscum dubij Pragenses in castris militent. Verum ne me amplius accusetis, liberam uobis consulendi facio potestatem. Si libet Pragensibus pacem dare, non abnuo, insidiæ modo absint. Si bellum decernitis, præsto assum. In utramuis partem declinaueritis. Zischa uestri consilij adiutor erit. His dictis, mutati militũ animi, bellum decreuere, multitudo arma capere, festinare, muros adire, prouocare hostem, pro portis urbis pugnam ciere, egredientes ciues in urbem repellere, Zischa ad oppugnationem urbis cuncta parare.

De Ioanne Rochezana presbytero hæretico, Cap. XLV.

Ioannes Rochezana.

OPpidum est Pragensis ecclesiæ, non longe à Pelzina, cui Rochezana est nomen. Ex hoc loco puer obscuris parentibus, censuq; tenuissimo natus Ioannes nomine, Pragam uenit, mendicatuq; uictum quærens Grammaticam & Dialecticam didicit. Cum adoleuisset nobilis cuiusdam pueri pædagogus factus est, & cum ualeret ingenio, linguaq; promptus esset, in collegio pauperum receptus, auditor Iacobelli fuit. Postremo presbyter ordinatus, prædicare uerbum dei Pragensibus cœpit, ex oppido unde ortum habuit, Rochezanæ, cognomen ducens. Et iam nomine & autoritate ualebat, cum Zischa Pragam obsideret, exijt ergo consentientibus ciuibus, & in castra profectus ciuitati Zischam conciliauit. E

De morte Ioannis Zischæ, Cap. XLVI.

SIgismundus autem ubi Zischæ cuncta ex sententia cedere animaduertit, & iam illũ esse unum, ex quo res Bohemiæ penderent, clam sibi eum conciliare tentauit, gubernationem totius regni, militiæ quoq; ducatũ, & ingens auri pondus quotannis promittens, si se regem nominaret, & in uerba sua ciuitates iurare cogeret. Magnam profecto Regiæ maiestatis ignominiam, & imperialis gloriæ dedecus, atq; insaniam reipublicæ Christianæ sempiternam, Sigismundum pluribus annis prouectũ, ex imperatoribus natum, & ipsum imperatorẽ, cuius nomẽ Italia, Gallia, Germania, & omnis Europa uenerata est, quem Barbaræ nationes timuerunt, supplicem uidit nostra ætas homini haud ex parentibus admodum nobilibus nato, seni, cæco, hæretico, sacrilego, & in omne scelus audaci, pecuniam & summos honores offerre, ut suarũ esset partium dignaretur. Sed auertit diuina pietas eam pestem & tantum malum è medio Christianorũ eripuit. Nam Zischa conditionibus annuens, dum conuentus complecturus Sigismundum petit, inter eundum apud castellum Priscouiam, diuinitus, ut par est credere, peste tactus, expirauit, monstrum detestabile, crudele, horrẽdum, importunum, quod postquàm manus humana conficere non ualuit, digitus Dei extinxit. Ferunt illum cum ægrotaret interrogatum, quo nam loco mortuus sepeliri uellet, iussisse cadaueri suo pellem adimi, carnes uolucribus ac feris obiectari, ex pelle tympanum fieri, eoq; duce bella geri, arrepturã fugam hostes, quã primum eius tympani sonitum audierint. Thaborenses, qui reliquas picturas abominantur, Zischæ tantũmodo, & angeli cuiuspiam calicem manu tenentis, effigiem supra portam urbis pinxere, eiq; sacra quotannis agunt. F

Moritur Zischa.

De Orphanis hæreticis, qui se post mortem Zischæ separauerunt à Thaboritis, Cap. XLVII.

ZIscha mortuo ingens mœror inuasit exercitum, trepidari, lamentari milites, accusare fortunam, quæ ducem inuictum, morti uincendum dederit. Nec mora duæ factiones exortæ. Altera Procopium magnum, quem Rasum uocauere, cuiusq; supra meminimus, sibi ducem præfecit. Altera nullum inueniri posse dictitans, qui iure Zischæ succederet, selectis paucis qui communi concilio bellum administrarent, sese Orphanos appellauere, inter quos potior habitus est Procopius, cognomento minor, atque ita Thaboritæ in duos exercitus diuisi, alij uetus nomen retinuere, alijs Orphanorum ut diximus, ob mortem ducis inditum nomen. Qui & si aliquando inter se dissentirent, ubi tamen extrinsecus uis ingruit, iũctis uiribus in unis castris sese defenderunt. Muro circundatas urbes nisi necessariorũ emendorum gratia perraro ingredi, cũ liberis & uxoribus in castris uitam agere. Curribus quàmplurimos habere, his pro uallo uti.

Proce

A Procedentes ad pugnam, duo ex his cornua facere, in medio peditatum claudere, alæ equitum extra munitiones prope adesse. Vbi congredi tempus uisum, aurigæ qui cornua ducerent ad imperatoris signum, comprehensa sensim qua uoluerunt hostium partes, ordines quadrigarum contrahere, intercepti hostes quibus sui subuenire non possent, partim gladio à peditatu, partim missilibus ab his, qui erant in carris, uiris ac mulieribus necari. Equitatus extra munimenta depugnare, quem si forte quis oppressisset fugientem, mox aperti currus excipere, indeq; uelut ex ciuitate mœnibus cincta defendi, eoq; modo uictorias quàmplurimas consequi, cum eam pugnandi peritiam uicinæ gentes ignorarent, & ager ille Septentrionalis late patens, ad explicandas bigarum quadrigarumque ordines peridoneus haberetur. Egrediebantur duo exercitus, alter Slesiam, alter Morauiam populabatur, uicinasq; regiones assiduis incursionibus infestabāt. Theutones per circuitum habitantes, alios Philistæos, alios Idumæos, Moabitasq; uocabant, Bohemiam terram promissionis esse dicebant. Cumq; in proximam prouinciam exissent, prius cum præda depopulatis agris reuertebantur, quàm hostis cognouisset aduentum. Erat & tertius exercitus, quem fratrum Orebitarum appellari diximus. Huic autor fuit Bedricus presbyter Stamicensis, natione Morauus, qui bellis assiduis Slesiā affectauit. Hic etiam hodie uiuit, & urbem Coloniam appellatam possidet. Qui spreta religione Christiana, calcatoq; pontificio iure uxorem publice duxit, & illa mortua alteram ex Polonia superduxit, ex qua filios suæ nequitiæ sectatores sustulit. Cū obsiderent Suetlam oppidum in Austria, Thaboritæ simul & Orphani duabus noctibus & una die absq; intermissione mœnia expugnauere, superueniente autem Alberto eius terræ principe cum exercitu, ut auxilium oppidanis afferret, pugnatum est quatuor ferme horis nutāte hinc aut illinc uictoria. Ceciderunt ex utraque parte primi bellatores. Postremo ita discessum est, ut currus suos Thaboritæ amitterent, Albertus castris exutus abiret, quod negligentia Roperti Vallensis factum credidere, qui tum ductor exercitus fuit. Rediit tamen paulopost Procopius Rasus, & oppidum Retium in Austria celebri obsidione cinxit. Pragenses eius signa secuti, & Bohoslaus Cygneus, cuius supra meminimus, qui eo loco sagitta confossus interijt. Retium ui captum, direptum, atque exustum, in quo multi mortales periere, Burggrauius Maldeburgensis, loci dominus, captus & Pragam ductus in carcere diem obijt. His gestis, uocati ab imperatore Bohemorum principes, ad eum usque Posonium profecti sunt. Id oppidum Hungariæ, in finibus Austriæ, atque in ripa Danubij situm. Neque ingressi mœnia, in tentorijs è regione urbis mansere. Egressus ad eos Sigismundus, multa de iure suo locutus, paternum atque auitum regnum repetere, si qua essent quæ prouincialium mentes ab sese alienarent, ea ablaturum, Bohemis ex quibus natus esset, pacificum, benignumq; regem futurum. Illi se armis ab eo sine causa impetitos dicere, ciues suos in Constantia contra publicam fidem exustos inauditos Bohemiæ primores tanquam hæreticos à Romana ecclesia damnatos, regnum sacris contumeliose, interdictum, non esse tam exiguam Bohemorum potētiam, quæ suo nequeat honori consulere. Responsum à Sigismundo benigne datum ad obiecta, oblatumq; generale concilium, in quo suam innocentiam Bohemi ostendere possent, si se uniuersalis ecclesiæ iudicio submittere uellent.

Obit9 Bohoslai Cygnei.

De expeditione in Bohemiam, contra hæreticos & rebelles per Martinum Papam quintū instituta, & de infelici pugna contra eosdem, Cap. XLVIII.

AT Martinus pōtifex maximus, ubi armatam hæresim crescere indies animaduertit, priusquàm pestis amplius inualesceret, Cardinalem Vintoniensem natione Anglicum, regia stirpe natum, in Germaniam proficisci iussit, qui contra Bohemicā labem uicinas gentes in arma concieret, cui & imperator adiumento fuit. Instituti sunt tres exercitus. Saxoniæ duces, & quas uocant Stagnales ciuitates in primo militauere, secundum ex Franconibus constitutum Marchio Brandenburgensis ductabat. Tertio præfuit Otto Threuerensis archiepiscopus quem Renenses secuti sunt, Baioarij quoque, & ciuitates Sueuorum imperiales. Ingressi Bohemiam tribus locis postquā syluam penetrauere, iūcti simul ante Missam castrametati sunt. Hanc urbē Prichicho Elenotēsis

inter hæreticos quantum doctior ac facũdior, tantũ crudelitate ac perfidia nequior, præcedenti nocte ex fidelium manibus eripuerat. Erat igitur consilium exercitus, hanc urbẽ prius recuperare, quàm ultra procederẽt. Sed cum hæretici collecto raptim milite in eos properare nunciarentur, non uisum hostem fugerunt, Thacouiamq; petentes, instrumẽta bellica cum præda ibi dimiserunt. Nondum Cardinalis in exercitu fuerat, sed ad Thacouiam fugientibus occurrens, admiratus est tot ducum, tot fortium uirorum pauidam fœdamq; fugam, magnis præcibus ut redirent in hostem, omni ex parte debiliorem hortatur. Quod cum frustra niteretur, & ipse turpis fugæ comes effectus. Vix syluã ingressi erant, cum superuenientes Bohemi postremum agmen lacessere cœperũt. Facta est pro fusior ac pauidior fuga, nec prius Theutones fugere, quàm Bohemi persequi destiterũt. Hostes impedimentis direptis, Thacouiam expugnãtes, machinisq; bellicis potiti sunt. Exin Misnam populati, cum per Franconiam redirent, ne Bambergen. agrum, Normbergensemq; uastarent, pecunia placati diuitem exercitum reduxere. Sigismũdus his cognitis, Normbergam profectus noua principũ auxilia comparat. Martinus quoq; pontifex maximus Iulianum Cardinalẽ Sancti angeli, literis ac moribus excellẽtem, cum ea legatione in Theutoniam mittit, ut Bohemis bellum inferat, & adueniente tempore in Basiliensi Concilio, quod propediem futurum erat, nomine apostolico præsideat. Is Germaniam ingressus, mox Normbergam, ad Sigismundum se cõfert, quo in loco perfrequentes Germanorum reguli conuenerant. Decreta est noua in Bohemos expeditio. ad viij. Calen. Iulij. dux belli Fredericus Marchio Brandenburgensis declaratus, qui Cardinalem sequeretur. Ingressus est Bohemiam per uiam quæ ducit ad Teplam. In ea expeditione Albertus & Christophorus Baioariæ, & Fredericus Saxoniæ duces fuere. Ioannes & Albertus Brandenburgenses principes, cum patre quem penes belli summa erat, Herbipolensis, Bambergensis, Eistetensis episcopi, Societas Sueuorum, quam sancti Georgij uocant, & imperialium ciuitatum, Maguntinus, Treuerensis & Coloniensis antistites, auxilia miserunt, & cum his prouinciarum suarum primores, supra quadraginta milia equitum fuisse traduntur. Peditum minor erat numerus. Nam Germani patentibus freti campis, equestres plerunque pugnas agitant. Promiserat & Renatus Lothoringiæ princeps in eam expeditionem sese uenturum. Sed domestico bello implicatus, dum comitem Videmontensem oppugnare nititur, neque promisso satis fieri potest, neque Comes Palatinus Rheni, qui Videmontensi opem tulit, aduersus Bohemos ire permittitur. Cardinalis dum eos opperitur, ad calendas usque Augusti profectionem suspendit. Albertus interea ex Austria ducens, cum ad dictum diem adesse Cardinalem minime intelligeret, impar Bohemicæ potentiæ retrocessit. Ingressus deinde Cardinalis, numerosum exercitum ductans, multas hæreticorum uillas incendit, oppidaq; diripuit, in quibus non auaritia tantum, uerum crudelitas etiam militum grassata est, qui mares cũ fœminis obuios, senes puerosq; passim necauere. In extremis tamẽ regni partibus ea calamitas desæuit, cum duces copiarum interiora petere formidarent. Bohemi qui iam pridem hostem affuturum acceperant, expeditas in armis legiones coëgerant, et ubi fidelium domicilia reperiebant, ea ferro atq; igne uastabant. Inter quæ Stiltiuergium oppidum ab Orphanis expugnatum ac direptum, puberes ad unum necati. Interea siue proditio in exercitu fidelium fuit, quod plurimi putauere, siue inanis sua sponte mentes hominum pauor inuasit, totis castris trepidatum est, & priusquàm hostis ullus in conspectu daretur, fœdissima cœpta fuga. Miratur Iulianus unde hic timor, quæ ratio tãtum exercitum fugere suaderet, ambire duces, hortari arma expedirent, aciem instituerent, forti animo hostem expectarent. Non de regni gloria aut agrorum possessione certari, de uita, de religione, de Christi honore, de animarum salute bellum geri. Turpe Germanis esse, quorum nobilitatem uirtutemq'ue totus orbis celebraret, ex prælio fugere, mori satius, quàm hosti nondum uiso cedere. Neq; secure intra mœnia habitare posse, qui campos hosti relinquerẽt, arma uiros nõ muros tegere. Nisi gladijs modo libertatem suam tueantur, aut casuros breui hostili ferro, aut seruitutem morte miseriorẽ laturos. Sed frustra apud eos cohortatio fuit, quorum pudorem metus euicerat. Ablata sunt raptim

Iuliani ad fortitudinem exhortatio.

signa,

A signa, & tanquam nullus esset in exercitu ductor, tumultuose quisq; non expectato imperio, non salutato comite, multi etiam proiectis armis non aliter quàm si hostis à tergo instaret, rapido cursu fugam maturauere. Quibus & Cardinalis inuitus sese comitem dedit. Hostis paulo post ex metu alieno factus audax affuit, impedimētisq; omnibus quib. per syluam non erat facilis exitus, & ingenti præda potitus est. Albertus tamē cum accepisset intrasse Bohemiam Cardinalem, & ipse iterum ex Austria coactis copijs in hæreticos duxit, Præzoro uiamq; munitum oppidum oppugnare adorsus est. Sed fuga Cardinalis cognita, ab incepto destitit, & per Morauiam, quæ nōdum ei parebat infesta signa circumferens, supra quingentas uillas ferro atq; igne deleuit. Oppida multa ui cepit atq; diripuit, mortalium maximam cædem fecit. Adeoq; gentem illam afflixit, ut iugum eius accipiens, parere sibi ea lege promiserit, ut circa religionem id sequi teneretur, quod Basiliense Concilium decerneret.

De inchoatione Basiliensis Concilij, & uocatione Bohemorum ad ipsum Concilium, ut fidei suæ rationem redderent, Cap. XLIX.

EXactus ex Bohemia legatus, Basileam se contulit, ibiq; concilium celebrauit Sigismundus, qui per tempus expeditionis Norimbergæ se continuerat, ad coronam imperij Romæ suscipiēdam iter ingressus, primoribus regni Bohemiæ literas dedit, in
B quis scriptum erat, se natione Bohemum, nulli genti magis quàm suæ affectum, Romā non aliam ob causam petere, quàm coronæ suscipiendæ gratia. Id decorum Bohemorū genti accedere, cuius honestandæ sibi maxima semper cura fuerit. Cœptum esse iam sua opera Basileæ concilium, hortari eos qui se audiri de religione cuperent, eo proficisci, nec plus sapere uellent, quàm mater ecclesia catholica, auditurum benigne conuentum rationes eorum, tantum operam dent, ut cum Synodo de religione conueniant, sibiq; redeunti paratum regnum reseruent. Neque enim arbitrari se Bohemos eius imperium fugere, cuius pater, frater, auus, apud eos regnauerint. Nec se alia lege regnaturum, quàm cæteri Christiani reges. Scripsit & ipsa Basilien. Synodus Bohemis, ut legatos mitteret, qui fidei suæ rationem ostenderent, securitatem itineris, & dicendi quæ uellent libertatem promittens. Fuerunt inter Bohemos duæ sententiæ, Orphani & Thaboritæ, & plebes fermè omnes, eundum esse negabant, Ioannis & Hieronymi exemplum in mediū afferentes, qui Constantiam ad Synodum profecti, sub fide Sigismundi publice combusti fuissent. Nobilitas uero Mainardum secuta principem Nouæ domus, uirum cordatum & ingenio dextero, petendum esse concilium prorsus aiebat, nec tolerandos uideri qui nouas peregrinasq; de fide sententias, nouumq; ritum religionis inuenissent, nisi dictorum factorumq; rationem uniuersali ecclesiæ redderent, & quæ uulgo inculcauerāt, coram doctis deferrent. Vicit hæc sententia, legatio ccc. equitum Basileam missa. Cuius
C principes fuere, Gulielmus Coska, non tam equestri dignitate quàm ecclesiarum direptione insignis, Procopius cognomento Rasus. Idem magnus multis uictorijs magnisq'ue sceleribus nobilitatus, Ioannes Rochezana pseudo Pragensium apostolus, Nicolaus Gallecus Thaboritarum sacerdos, & Petrus Anglicus patria profugus, ac solis elenchis in disputatione confidens. Effusus extra mœnia urbanus populus, ex Synodo quoque complures, aduentum fortissimæ gentis pro portis expectauere. Alij frequentes in plateas qua transitus esse conuenere, matronæ, pueri, puellæ fenestras atq; tecta complere. Alij hunc, alij illum digito designare, peregrinos habitus, non uisa prius uestimenta mirari, horribiles hominum facies, truces notare oculos, nō esse alienum dicere ab ea hominum specie facta, quæ fama prodiderat. In unum tamen cuncti Procopium defigere lumina, illum esse qui toties fidelium fugisset exercitus, qui tot oppida subuertisset, tot hominum milia neci dedisset, quem sui pariter atq; hostes metuerent, inuictum ducem, audacem, intrepidum, neq; labore, neq; timore superandum.

Oratio Iuliani Cardinalis, ad Bohemorum legatos, Responsiuáq; eorundem, Cap. L.

EXceptos Bohemorū legatos hospitaliter, postridie in concione accersitos, Iulianus Cardinalis benigne allocutus, & longa & luculēta oratione, quæ adhuc extat, ad ea

quæ

quæ pacis & unionis essent, cohortatus est, ecclesiam Christi saluatoris sponsam omnium fidelium matrem esse, dictitans claues ligandi atque soluendi habere, candidam sine ruga, sine macula, in his quæ necessaria ad æternam uitam esse creduntur, errare non posse. Qui eam contempserit, alienum, prophanum, & quasi æthnicum, publicanumque censendum, eam nusquam melius quàm in generali concilio repræsentari. Statura conciliorum ecclesiæ placita existimari, concilijs non minus quàm euangelijs credi oportere, quorum autoritate & ipsa sacrarum literarum eloquia præcepta sunt. Bohemos qui se filios ecclesiæ dicerent, uoces matris audire debere, quæ filiorum obliuisci non potest, eos iam pridem seorsum à matre uixisse, neque id nouum esse. Complures aliquando fuisse, qui matrem reliquere, redijsse tamen qui salutem optauere. Regnante diluuio omnes perisse, qui extra arcam remansere, dominicum agnum in unis ædibus comedendum, extra ecclesiam non inueniri salutem. Hanc esse conclusum hortum, signatumq'ue fontem, cuius aquam si quis biberit, non sitiet in æternum. Ex re sua sapuisse Bohemos, qui eius aquæ fluenta apud concilium requisierint, matremque tandem audire statuerint. Facessere iam odia debere, ponenda esse arma, omnemque belli materiam procul abijciendam, audituros benigne patres quæcunque Bohemi pro sua causa dicere uelint, tantum parati animo sint, ne bene consulta sanctæ Synodi consilia respuant, quibus non Bohemos tantum, sed omnes Christi fideles conquiescere oportet, si modo æternæ uitæ participes esse uelint. Audita est cardinalis oratio summo patrum consensu. Bohemi pauca respondere, quibus par facundia non esset, se neque concilia, neque ecclesiam contempsisse, aduersus inauditos sententiam Constantiæ latam, nihil de religione Christiana detrahere, incorruptam apud se patrum autoritatem manere, quodcunque Bohemi asserant sacris literis atque Euangelio confirmari, uenisse ut innocentiam suam uniuersali ecclesiæ patefaciant, petereq'ue publicam audientiam, in qua laici quoque adsint. Neque id negatum. Interrogati quæ nam illa essent, in quibus a Romana ecclesia dissentirent, quatuor articulos proposuere. De communione diuinæ eucharistiæ, quam sub specie panis & uini sumendam his qui salui esse uelint, necessario affirmabant. De ciuili dominio, quod clericis interdictum diuina lege dicebant. De prædicatione uerbi dei, quam liberam permissamque passim omnibus arbitrabantur. De publicis delictis, quæ nulla ratione toleranda putabant, etiam maioris mali uitandi gratia. Nam quamuis plurima sint, quæ Hussitarum perfidia aduersus catholicæ fidei ueritatem astruere ac prædicare non dubitant, coram concilio tamen, doctorumque patrum cœtu, hæc tueri tantummodo posse arbitrati sunt, eaque regni nomine dicta. Verum cum legatus alia de Bohemis accepisse se affirmaret, quæ Christianas aures offenderent, inter quæ illud esset, quod religiones mendicantium inuentum esse diabolicum prædicarent, assurgens Procopius, neque hoc falsum est, inquit. Nam si neque Moyses, neque ante eum patriarchæ, neque post eum prophetæ, neque in noua lege Christus dominus, neque apostoli mendicantes instituere, quis non intelligit diaboli tenebrarumque opus esse? Excepta est ingenti cachinno Procopij uox, legatus uero ut erat mansuetissimus pater, argumentationem indocti hominis placite dissoluit. Neque enim prophetarum patriarcharumque placita, & quæ Christus instituit, quæ sanxerunt apostoli, duntaxat à deo esse docuit, uerum ecclesiæ quoque decreta, quæ sancto dirigente spiritu ducitur, opera dei esse monstrauit, quamuis & aliunde mendicantium uita ex Euangelio sumpta uideri possit. Selegerunt Bohemi quatuor magistros, qui suos articulos ex diuina lege sumptos ostenderent. Qui eos confutarent ex cœtu patrum totidem assumpti, uiri præstantes, & ad dicendum parati. Disputatum est quinquaginta diebus, multa in utranque partem adducta. Postremo cum uicta Hussitarum perfidia uinci nollet, ad tractatus uentum, tentatum, si fortasse amici trahi possent. Missi & oratores ex concilio in Bohemiam, uiri doctissimi, & qui gentis uersutiam nossent. Multa cum Bohemis agitata, nunc pacis spes facta, nunc belli metus.

De uictoria

A *De uictoria Bohemorum fidelium, & debellatione morteque Procopij, ac aliorum hæreticorum, Cap. LI.*

DVm hæc aguntur, Thaboritæ et Orphani Mainardo cæterisque nobilib. infensi esse cœperunt, eorumque suspectas actiones habere, tanquam cōsilio auscultarent. Neque uana opinio. Conuenere nanque sæpe inter se Barones, errorem suum recognoscere, miseros se dicere, qui cum regis imperium abdicauerint, Procopij iugum ferant. Illum dominum esse, illum pro sua libidine prouinciam regere, uectigalia exigere, tributa imponere, delectum habere militum, exercitum quo uelit ducere, rapere, spoliare, occidere, nullum pati qui suis consilijs aduersetur, nobiles iuxta atque ignobiles ei mancipia esse. Nullum hominum genus infelicius esse Bohemis, quos semper in castris uersari oportet, æstates atque hyemes sub diuo agere, in duro iacere solo, arma in omnes horas uersari, nunc ciuilibus bellis, nunc externis agitari, aut bellum geri, aut belli metum impendere. Excutiendum tandem crudelis tyranni iugum, neque ferendum, ut qui cæteras gentes armis uicerint, Procopio seruiant. Placet accersire publice conuentum procerum & ciuitatum, in quo regni status reformetur. In eo Mainardus ei regno bene esse dicit, in quo neque per ocium marceant homines, neque per bellum atterantur. Bohemos hactenus expertos fuisse quietis, attritum assiduis calamitatibus regnum, periturum breui nisi B occurratur. Incultos iacere agros, homines atque armenta sensim deficere, id accidere, quod omnia in potestate unius sita essent, qui sine consilio procerum ciuitatumq'ue pro suo arbitrio rem gerit. Illi salubre bellum esse, nam si paci locus sit, imperium eius statim casurum. Deligendum unum esse ex nobilitate ducem, cuius potestas annua sit, nonnullosque ei adiungendos, quorum consilio domi bellique rem publicam administret. Ne uero usurpare sibi Barones imperium uiderentur, ex media nobilitate assumendum ducem consuluit. Itum est fauente conuentu in sententiam Mainardi, Alscio Risemburgensis antiquæ nobilitatis homo, sed tenui censu, dux gentis declaratus, quem capitaneum uocauere. Cæterum maiestatis insignia apud eum fuere, autoritas apud Mainardum extitit. Procopius his cognitis, Orphanos & Thaboritas in expeditionem ducens, ad urbē Pelzinam, quam fideles incolebant, castra ponit, atque undecim continuis mensibus pertinaci obsidione, crebrisque oppugnationibus urget. Oppidani extrema omnia passi, ac iam fame pereuntes, ad synodum Basiliensem misere oratum, ne fidelem urbem in manus hæreticorum peruenire sinerent. Patres, quibus non esset publicū ærarium, ex priuato argento symbolum dedere, auri octo milia nummum Mainardo mittentes, qui collecto exercitu subueniret obsessis. Per idem tempus ea pars Pragæ, quæ noua ciuitas appellatur, ab Orphanis imposito præsidio tenebatur, cuius præfectus erat presbyter Lupus Rochezanæ infensissimus, aduersus quem prædicando plebem incitabat. Ille in ueteri C ciuitate, apud ædem sanctæ Mariæ ante lætam curiam inhabitabat, Lupumque suis ipse sermonibus probrosisque maledictis lacerabat. Ob quam rem crescentibus odijs, clauserunt Orphani aditus ueteris ciuitatis in nouam, turresque ligneas plurium tabulorū erexere, quibus oppidanos in aduersa ciuitate missilibus infestarent. Ea occasione usus Alscio, conuocata nobilitate, nihil esse imperium suum dicit, quod Thaboritæ Orphanique contemnant, regnum mature periturum, nisi magistratibus pareatur. Rogat proceres in medium consulant. Placet omnibus cum ea manu militum, quam Mainardus comparauerat, Pragam peti. Nec morati ueterem ciuitatem ingrediuntur, ligneas turres amoueri, parereque omnes Alscioni iubent. Negant Orphani ducem esse, quem neque ipsi, neque Thaboritæ suscepissent. Fit tumultus, committitur in urbe prælium. Lupus ubi suos cedere animaduertit, pluresque cadere, salutem pedibus petijt. Disiectæ turres ciuitatis omnes, in potestatem Alscionis factæ. Pelzinēses recognita, Procopio e muris illudere, hortari suis ciuibus opem ferat, alienos ne lacessat. Stultū esse eum qui sua tueri nequeat, infestare aliena. Nisi suopte ingenio ab obsidione discedat, uenturos breui proceres, qui nolentē cogāt. Ficta ea Procopius credere, atque oppidanis ad ferendā fortius obsidionē blādimenta oblata. At ubi certum nuncium de gestis Pragensibus accepit, soluta mox obsidione, plenus irarum, cum omnibus copijs uersus Pragam iter dirigit. Properanti com-

communes amici occurrunt, de pace inter eum & nobiles agunt, diuisum inter eos regnum stare non posse, consulendum communi quieti, neq; concordia sine uiribus, neq; uires sine concordia sufficere, ciuitatibus eius populi inexpugnabile munimentum esse, qui cōcordibus animis arma tractaret, lites ex arbitrio ducis componi posse delectis ex utraq; parte pari numero uiris, quorum consilio leges pacis dicerentur. Procopius demum ita se pacem habiturum respondet, si noua Praga sibi restituatur, si munitiones deiectæ reficiantur, si Pelzina eo in statu reponatur, in quo fuerat ante dissolutam obsidionem, nam comeatus iam eo importati fuerant. Nobiles ubi res factu difficilimas peti uident, Procopiumq; uincula, uerbera, cædes minari, cum alia uia pax inueniri non posset, armis decertare constituunt. Relicta itaq; ciuitate, cuius mature animos non ignorabāt, obuiam hosti pergunt. Ventum est ad locum inter Brodam Bohemicam & Burim, quatuor milibus & quingentis passibus à Praga distantē, in agris latepatentib. Ibi currus cōtra currus incurrunt, & sublato clamore alteri alteros contumeliose compellunt. Decreuerat Procopius haud quaquā pugnæ copiam facere, nisi ex occasione prærogatiua daretur. Erat ei animus recta uia Pragam petere, ubi nō dubitabat nouam ciuitatem sibi portas aperturā. At equitatus nobiliū munitiones eius prætergressus, dū forte ultimam partem apertam uidet, raptim ingreditur, cædemq; magnam facit. Hostes improuiso malo præuenti, quod agant nesciunt. Trepidatur totis castris, insolita res terrorē auget. Neq; enim intra munitiones curruum intrasse prius equites aliquando uiderant. Cædūtur passim pedites, fit fuga aperta ex altera parte mole quadrigarum. Instant nobiles, sternuntur ubiq; fugientes. Procopius ubi suos retinere non potest, nec audire hortamenta, periculum, metusq; finit inter confertissimos hostes dilapsus, cum cohorte quam sibi ex fortissimis magis quàm amicissimis delegerat, aliquandiu hostis impetum retinet, multisq; cæsis, uictoriam penè hostibus eripuit. Sed circumuentus multitudine equitum, nō tam uictus quàm uincendo fessus, telo in incertū misso transfoditur. Pari modo & alter Procopius, quem minorem appellari diximus, in eodem globo fortiter pugnans occumbit. Atq; is finis duobus illis perniciosissimis ac deterrimis monstris fuit. Sic Thaboritarum & Orphanorum scelerati exercitus, inuicti prius, uicti ac deleti sunt, Procopium rasum quis occiderit ignoratum est, quamuis Coska, de quo supra meminimus, id facinus honestum dignumq; præmio suum dixerit, qui tum partes nobilium sequebatur. Primus eius uictoriæ autor habitus est Mainardus, post eum Ptarsconis magna uirtus uisa. Coapcho uero Thaboritarū equitatum ductabat, rei militaris apprime peritus, & qui multis aliquādo damnis Prutenos affecerat, & à rege Poloniæ uocatus, usq; ad Gedanum, & Mare Balthcum, uictorem exercitum duxerat, ex hoc prælio fuga dilapsus, cum magna parte equitatus in Coloniam sese recepit. Confecto bello cum multa milia captiuorum essent, Mainardus concilio procerum accersito, perdere pessimam plebem statuit, quæ nutrita in armis omnem ætatem in castris egerat, nec sub legibus uictura credetur, rapinis, cædibus, atque adulterijs assueta. Qua stante, pacatum regnum stare non posset. Sed ueritus ne simul innocentes interficeret, qui ex agris coacti ad pugnam uenerāt uoce præconis edici iubent, nondum bellum peractum esse, fugisse Coapchonem, Coloniam expugnari oportere, uicinasq; per circuitum gentes, quæ regnum popularentur, armis domandas. Ad eam rem necessarios, qui sub Procopijs militassent, uiros fortes et in bello exercitatos, decretum eis ex publico stipendium, donec regnum pacaretur. Proinde omnes qui stipendia facere uellent, in horrea sese proxima reciperent, cauerent, nerudes inexpertosq; belli secum admitterent, Illos sua rura, suasq; lares repetere posse. Introierunt horrea, quæ apud Bohemos in uillis ex maceria culmo tecta frequenter sunt, pleraq; Thaboritarum & Orphanorum milia, homines nigri ad solem & uentum indurati, aspectu tetri atq; horribiles, & qui circa fumum in castris uixissent, aquilinis oculis, impexo crine, promissa barba, corporibus proceris, membris hispidis, cute adeo dura ut ferrum quasi lorica repulsura uideretur. Clausa sunt confestim ostia, & ignis immissus horreis, quo fex illa & colluuies hominum, ignominiosum agmen, post multa quæ patrauerat scelera exusta, contemptæ demum religionis pœnas dedit.

Maioris Procopij mors. Occasus Procopij minoris

Thaboritæ & Orphani duri homines in horreis igne conflagrātur.

Quomo-

A *Quomodo Sigismundus Romæ coronatus, post multas dissensiones & bella, cum pace & gaudio à Bohemis suscipitur,* *Cap. LII.*

SIgismundus interim ab Eugenio pontifice maximo Romæ coronatus, Basileam petierat, dissidioq; patrum quod tunc erat cum Eugenio ad tempus sedato, Vlmam se contulerat. Ea est Sueuiæ ciuitas, ad ulteriorem Danubij ripam sita, Licius amnis qui Sueuos à Baioarijs disterminat, è regione urbis in maiori flumine exoneratur. Hic audita Thaboritarum Orphanorumq; clade, legatos in Bohemiam mittit, regni proceres commendat, qui uiros nocentes deleuerint, hortatur regni quietem procurent, seseq; regem suscipiant, quem fratri successorem ius gentium dederit. Illi magno numero apud Ratisponam eum conueniunt, Regemq; suum salutant. Venerũt & seorsum, Coapcho et Ioannes Rochezana, de suis rebus acturi. Legati quoq; Basilienses, qui Pragæ fuerãt, & cum Bohemis certo modo conuenerãt, eo se contulere. Sigismundus auditis quæ de religione in communione placuerant, conuenta probauit, eaq; seruari mandauit. Exin poscentibus Hungaris, nauibus per Danubium uectus, Budam petijt, ubi reformato rerum statu, uocatis ad se Bohemorum principibus, in Alba regali sexaginta milia nummorum inter eos distribuit, pecorumq; maximum numerũ. Dicta die qua uellet Bohemiam ingredi, non moratus Iglariam uenit. Vbi concilio cum Bohemis habito, conuen-
B ta legatorum synodalium iterum comprobauit firmauitq;. Ea huiuscemodi fuere. Bohemis ac Morauis ecclesiasticam unitatem, pacemq; complectentibus, seq; in cæteris omnibus, præterquã in usu cõmunionis utriusq; speciei, uniuersalis ecclesiæ fidei ac ritui conformantibus, autoritate domini nostri Iesu Christi, & ecclesiæ sponsæ suæ, sub duplici specie panis, scilicet ac uini, his qui consueuissent diuinæ eucharistiæ cõmunicare licebit. An uero ex præcepto dei id fieri debeat, generale Concilium in Basilea congregatum diffiniet, & quid utilitati fidelium salutiq; congruat lege in perpetuum ualitura cõstituet. Quo facto, si perseuerauerint Bohemi in eiusmodi communicationis desiderio, idq; missa legatione petierint, sacer conuentus Bohemiæ ac Morauiæ sacerdotibus communicandi sub utraq; specie personas sibi subiectas, & in annos discretionis constitutas, & quæ id reuerenter postulauerint, libertatem impartietur, ea conditione adiecta, ut inter communicandum plebem publice instruant, non sub specie panis carnem Christi tantum, nec sub specie uini solum sanguinem, sed sub qualibet specie totũ & integrum cõtineri Christum. Breuis concordiæ notula, uerum tot sententiæ quot uerba, quibus peregrinæ de fide sententiæ, diuersisq; de religione ritibus obuiari iubeatur. Et quod ecclesia uniuersalis credit, quod seruat, genti Bohemorum credendum seruandumq; præcipitur, circa cõmunionem tantum permissa nouitas. Cæterum inter Bohemos & imperatorem aliæ pactiones interuenere, quibus ecclesiarũ prædia occupatoribus iure pignorũ relicta sunt,
C donec certa pecunia reluerentur. Religiosis utriusq; sexus, quibus adempta monasteria essent, exulibus quoq; spes reditus interdicta, Rochezanæ Pragensis ecclesiæ præsulatus promissus, de disponendo ecclesiarum Bohemicarum regimine summo pontifici facultas oblata. His sic constitutis, Rochezana cum alijs quatuor presbyteris, nomine totius cleri sibi adhærentis, sedente Sigismundo pro tribunali in foro ciuitatis erecto, assistente Alberto genero magnaq; procerum & oratorum circumstante corona, obedientiam Romanæ ecclesiæ sese præstare professus est. Sequenti uero die, haud absimili solennitate absoluti sunt ab anathemate, cæterisq; censuris hæretici, & in ecclesiam per concilij legatos introducti. Vbi cum diuina celebrarentur, Rochezana perfidiæ suæ non immemor, altare accedens, diuina re peracta, uni quem iusserat ex laicis adesse, sacramentum ex calice dedit. Et quamuis Ioannes Polomor, alter ex concilio legatus in aliena ecclesia id sibi non licere assereret, eumq; prohiberet, in proposito perstitit. Ob quam rem pene in irritum conuenta ceciderunt. Composita tamen lis est, ex eo conuentionis capite, quo sancitũ erat, ne paucis pacta uiolantibus communis concordia rumperetur. His compositis, Sigismundus nona septembris, Anno sexto & tricesimo supra millesimum & quadringentesimum ab ortu Saluatoris domini, Pragam uenit, ubi, qui paulo ante Bohemorum hostis ex adulterio natus, Antichristi filius, sacrilegus, publicis hominum

L uotis

uotis perdendus censebatur, extremis honoribus exceptus est. Barones ac ciuitates in D
eius uerba iurauerunt, & magistratus suos quos ipse constituit acceperunt, certãtes in-
ter se, quis alter altero suo regi obsequentior uideretur, ut est humanum ingeniũ utran
que in partẽ commodatũ, siue persequi, siue obsequi malit. Philibertus episcopus Con-
stantiensis, natione Gallicus, & collegæ sui ex Basilea missi, ecclesiasticos introducere
ritus, sacerdotes instituere, ex missarum solennibus uulgaria uerba, cantilenasq; detra-
here, sanctorum imagines reducere, aquam benedictam in ædibus sacris reponere, ba-
ptismatis fontes sacrare, altaria ornare, spurcitias omnes abolere. Paruere complurimi,
quibus mens sanior fuit. Rochezanæ complices resistere, obloqui, blasphemare plebẽ
modis omnibus auertere. Ipse quoq; inuentor malorũ ex parrochia sanctæ Mariæ an-
te Lætam Curiam, quam propria temeritate inuaserat, amoueri minime potuit, neq; la
niare sermonibus suis inter prædicandum Romanã ecclesiam prætermisit, legatisq; sæ-
pe necem per insidias machinatus est. Sigismundus autem cum ecclesias pollutas intra-
re nollet, templum sancti Iacobi, quod fratrum minorũ fuerat, & in quo machinæ bel-
licæ tum seruabãtur, restitui sibi poposcit. Annuit ciuitas, & aliqui monachi introducti
sunt, qui uerbum dei prædicarent. Id olim ne Zischa subuerteret, armati carnifices de-
fendere, sepulchris maiorum consulentes. Redierunt & alij mendicãtes, tum Celestini,
Slaui, serui Sanctæ Mariæ, Theutones, Hierosolimitani, & nonnullorum monasterio- E
rum abbates. Sacerdos quoq; sancti Georgij in arce Pragensi, quæ principis honore
defungitur, & pastorali baculo utitur, sacris præfecta uirginib. ab exilio remeauit. Hæc
ex ueteri more quotannis in celebritate sancti Viti nouellum regi panem offerre tene-
tur. Restituti sunt & Cathedralis ecclesiæ Canonici ac uicarij & mansionarij, ornamẽ-
ta altaribus reddita, diuinum officium instauratum. Legati Basileam missi, qui declara-
tionem super articulo communionis expeterent, cumq; nulli essent ecclesiæ redditus,
ex quibus ali templorum ministri possent, iussit imperator, ex fisco regio per singula ca
nonicorum capita hebdomadatim aureum nummum distribui, minoribus clericis dimi
dium dari. Ea res annuo aureorum sex milia apud ecclesiam Cathedralem absumpsit.
In alia quoq; templa donaria collata. Noua iam facies urbis, nouus populus, uerus re-
dijsse religionis cultus apparebat. Quibus ex rebus liquet imperatorem, quæ fœdera cũ
hæreticis percussit, necessitate magis admisisse, quàm uoluntate, uoluisse illum paternã
hæreditatẽ quoquomodo intrare, sensimq; regni possessione accepta more maiorum
subter ueram Christi religionem prouinciã reducere. Iamq; reges ei populiq; Christia-
ni de regno recuperato cõgratulabantur, eiusq; nomẽ in omni ecclesia magnum erat.
Eugenius quoque pontifex maximus auream rosam indicem suæ lætitiæ ad eum misit.
Thaboritæ qui superioribus cladibus superfuerant in oppido conseruati, ea lege in gra
tiam recepti, ut quinquennio toto suis moribus uiuerent, religionis cultum mutare nõ F
cogerentur, iura ciuitatis haberent, signum ferrent, in sigillis rubra cera uterentur, tri-
buti nomine singulis annis sexagenas decem penderent. Sed cum nephandas eorum
consuetudines Sigismundus accepisset, quibus illi circa rem diuinam uterentur, quin-
quennium haud expectaturum se dicere, correpturũ propediem sceleratæ ciuitatis insa
niam. Rochezanam hortari Romanæ ecclesiæ se subijceret, sic posse pontificatum sibi
committi, superbienti, & aliena de fide sapienti, ascensum desperandum esse, qui uel con
secratus episcopus eijci deberet. Ille mente superba, & opinione sua inflatus, dietim pe-
ior, dietim uenenosior effici, monachorum reditum ægerrime ferre, quorum sermones
non minus quàm suos acceptum iri uerebatur. Ob quam rem occurrente inter prædi-
candum sermone de monachis, Venerunt, inquit, noui dietim ad nos dæmones, quos
monachos uocant. His studium est eijcere nos de ueritate, at si uiri fuerimus, prius san-
guinem effuderimus. Id Sigismundus ubi accepit, imo nos, inquit, Rochezanæ sangui
nem non inuiti ante aras libabimus. Non latuit Rochezanam Sigismundi sermo, qui
ex amicis commonitus clam aufugit. Eius ecclesia Papusconi bono & docto uiro com
missa, quem nos postea exulem, perturbatis iterum rebus in Noua domo uidimus, pri-
usquam Bohemiam intrasset Sigismundus. Ioannes Rohacius, nobili loco natus, inge
nio

A nio malo, mente pessima, non longe à montibus Cuthnis, intra syluas in ædito colle castellum ædificauit, uocauitq; montem Syon, asserens ex eo loco ueritatem aliquando exituram, quæ gentem Bohemicam libertate donet. Euntibus ad Iglariam cæteris nobilibus imperatorem suscepturis, ipsi domi manens, uicinis infestus prædas agitat, instigantibus nonnullis Baronibus, quibus pax noxia, bellum salubre uidebantur, Sigismundũ quoq; lacessit, armenta boum & ouium, quæ illi aduehebantur ex Hungaria rapit. Itinera quæq; insecura, infesta reddit, neq; purpuratis regibus abstinet. Sigismundus Henricum Ptarsconem, qui hominem corripiat, cum exercitu mittit, obsidio quatuor ducta mensibus, castellum summa ui occupatũ. Sed in cacumine montis situm, uallo, fossa, murisq; opportune munitum, difficile superauerat. Eriguntur turres, quæ munitiones murosq; superent, tela intus iaciuntur, multi utrinq; cadunt, obsidentium plures, in quos tela haud frustra cadebãt. Accessum ad muros altior fossa prohibebat, quæ licet aqua caruit, laboriosum tamen periculosumq; militi erat, sagittis undiq; cadentib. in eam descendere, atq; inde rursum uallem quo muri præcingebantur ascendere. Cuniculis igitur aditus in fossam paratur, relicto terræ aliquãto, ne fraus intelligi posset instar ostij ante fossam. Expectatur uentus, qui ex castris in castellum spiret. Is ubi uehemens datus est, armati aditum ingrediuntur, tormenta ænea quàm plurima simul incenduntur, uentus fu-
B mum in castellum rapit, milites aperto cuniculorum repagulo in fossam prosiliunt, & admotis scalis uallum ascendere nitũtur. Prandebat tum forte Roacius, pauci qui pro muris excubabant clamorem attollunt. Fit tumultus, concurritur undiq; ad defendendum uallum. Roacius quoq; relicto cibo, sumptis armis auxilio suis ex arce aduolat, pugnatur eodem tempore pluribus locis acerrime. Vbi Roacius adest, hostis ex alia parte uallum superat, stragemq; late faciens castellum ingreditur. Roacius dum ire in arcem festinat, præcluso itinere capitur, arx quoq; ui rumpitur. latronibus qui eo confugerant intercepis, sacerdotiq; Hussitarum uesaniæ participi, qui sacramenta ministrabat hæreticis, indita uincula, ducti omnes Pragam, suspendio uitam finiere. Furcarum, quibus damnati pœnas dedere, triplex differentia fuit, & sublimior Roacius pependit, imam tenuere latrones circiter nonaginti, media sacerdotem arripuit nomine Medium, atq; ita Medius in medio furcarum, damnatam animam deuotamq; sathanæ reddidit.

De morte Sigismundi imperatoris, & quem reliquerit in testamento hæredem, Cap. LIII.

AEgrotare interea Sigismundus cœpit, exaugente morbum senectutis incommodo. Barbara imperatrix de retinendo imperio solicita, Henricum Ptarsconem Sterenbergium, Georgium Poggiebracium, & alios plerosq; Barones, quorum autoritas apud Bohemos potior, clanculũ ad se uocat, Sigismundum breui moriturũ asserit, futuras in regno turbationes nisi rei suæ quã celerrime consulant, quietis unicam uiã
C esse, si se uiduam rex Poloniæ ducat uxorem. Id ei suasu facile. Nam quis matrimonium renuat, quod dotalia duo regna sequantur, eaq; maxima, & opulentissima? Suo nomine & in Hungaria & in Bohemia oppida munitissima custodiri, comites Ciliæ alterum fratrem, alterũ nepotem, auxilia præbituros, multos in Hungaria proceres, suas partes complexuros. Placet Bohemis imperatricis consilium, datisq; dextris fœdus ineunt. Mulier iam anus, nouum coniugium mente complexa, filiam quæ in spem regni creuerat, & Alberto duci Austriæ nupserat, ex animo dimouet, nec aliud, quam noui concubitus gaudia meditatur. Inexhaustam fœminæ libidinem, quæ tumulo quo propior est, eo genialis thori, nuptialisq; facis cupidior & curiosior redditur. Non latuerunt imperatorem furentis fœminæ excogitatus. Qui postquam referentibus medicis moriendum sibi esse cognouit, ex Bohemia cuius sibi dubia fides erat, in Morauiam se uehi iussit, uisurus filiam priusquàm uita excederet. Illa cum uiro ad eum in ciuitatem uenit, quã Snoima uocant. Ibi mox Barbara uirum secuta, custodiæ traditur. Vlricus Ciliæ comes præmonitus, fugam arripuit. Imperator uocatis in cubiculum Hungariæ ac Bohemiæ primoribꝰ, aduentasse resolutionem sui corporis, nec iam amplius se uiuere posse affirmat, iturum se patrum uiam. Cæterum priusquàm oculos claudat, de salubri statu regnorum suorum uelle cum eis agere. Albertum Austriæ ducem, generum suum esse, & uirtute præ-

 stantem,

ſtantem,& generis nobilitate ſublimẽ, cum ſe non minus amare quàm filium, ſucceſſo rem itaq; ſuum nominare,rogare ſupremam uolũtatem ſuam exequantur,beatum id regnum futurũ,cui Albertus imperauerit. Exin legatos nominat, qui ſe mortuo Bohemiã petentes,in conuentu procerum teſtamentum ſuum patefaciant.Inter quos Gaſpar Slichius princeps fuit,matre Italica ex comitibus Alti collis agri Tharuiſini,patre Theutonico natus,ex familia Lazana prouinciæ Franconiæ,ingenio dextro, facundia ſuaui,doctrinæ cultor,ad omnia genitus quæcunq; ageret. Quem uſq; adeo fortuna & uirtus extulit, ut quod erat prius inauditum, trium Cæſarum ſucceſſiue regnantium cancellariæ præfuerit, unus ex ducibus Sleſiæ filiam ſibi in matrimonium tradere non recuſauit. Sigiſmundus illi Egram & Cubitum,& alia in Franconibus oppida dono dedit. Albert9 in Hungaria Calcſium,& Albam eccleſiam,Fredericus in Auſtria Græcium. Verſatile profecto ingenium,& naturæ bonitas ſingularis,quæ inter tot imperatores,morib.prorſus diſpares,pari gratia uiuere potuit. Nos huius amicitia in curia Frederici Cæſaris uſi, ſi quid profecimus quod ſcimus quàm tenue eſt,adiumento eius conſecuti ſumus,Epiſcopatum certe Tergeſtinũ, unde reliquæ dignitates prouenere,ipſe nobis primus com mitti curauit.Mortuus eſt Viennæ ex apoplexia,& apud Carmelitas cum cõiuge ſepultus. Sigiſmundus ſupremis ſuis ordinatis,inter amicorum manus defecit. D

De ſepultura Sigiſmundi Imperatoris, Cap. LIIII.

ALbertum Barones qui aderant ex Hungaria & Bohemia,concordibus animis regem ſalutauere.Ipſe miſsis in Bohemiam ſuis & Sigiſmundi legatis,uerſus Poſonium iter flexit. Miſerabile ſpectaculum, & humanarum rerum ſingulare documentum, imperatrix. captiua & Imperatoris cadauer unà uehitur. Occurrunt lugubres Hungari, nec tenere lachrymas in tanta rerum nouitate poſſunt. Hinc defuncti regis corpus fletum elicit, inde reginæ uincula commiſerationem excitant. Solatur tamen miſeros noui regis electio,cuius uirtutis multa extabant documenta. Duo inter ſe oppugnantes curæ occurrebant,altera ſepeliendi regis,plena mœroris, altera coronandi,læta iocundaq;. Iuſta prius defuncto regi perſoluta corpus eius in Varradino,ut in ultima uolũtate placuerat,ſepultum. Albertus in Alba regali,cum coniuge ſua Elizabeth, Calendis Ianuarij ſummo conſenſu,& applauſu populi coronatus eſt. E

De Alberto Bohemorum Rege quartodecimo, & etiam Romanorum Rege, Cap. LV.

LEgati in Bohemiam profecti,uulgato Sigiſmundi teſtamento, Albertum uicinum, potentem,nobilem,uirtute præſtantem Bohemis amicum,regem aſſumi petunt.Ioannis,Caroli,Venceslai,et ipſius Sigiſmundi erga regnum merita commemorant. Natam ex eorum ſanguine Elizabeth, non eſſe paterna hæreditate priuandam. Inter Bohemiæ reges & Auſtriæ principes fœdus extare,procerum conſenſu & imperiali autoritate firmatum,ut deficientibus altera domo maſculis hæredibus,altera regnum accipiat. Defeciſſe maſculos in Bohemia regiæ ſtirpis, ſucceſſorem ex Auſtria uocandum. Neque alium regno idoneum uiderent, quàm Albertum, qui & uxoris, & ſuo iure, & ſoceri iudicio, præferendus ſit. Futurum eum regem quem Bohemi ex cœlo miſſum putent. Hungari quem cupide regem acceperunt, Bohemis haud aſpernandum. Flectitur his Bohemorum conuentus, Albertus pridie nonas Maias rex deſignatur. Verum proceres qui cum Barbara conſpirauerant,non alio pacto in Albertum conſentiunt, quàm ſi poſtulatis ſuis mos geratur. Alſcio Sternenbergius eorum nomine Albertum adijt, ſed fruſtra eius preces fuere. Albertus fermè Bohemis, quæ ſocer affirmauit. Interea Barbara, dimiſsis quæ poſsidebat in Hungaria inexpugnabilibus caſtellis, libertati reddita eſt, duodecim milia auri nummum, locis parentibus, quoad uiueret, ei ſingulis annis conſtituta. Prarſco de uoluntate Alberti ab Alſcione certior factus, accerſitis ex factione ſua primoribus, quorum pars potior hæretica fuit, Huſsitarum ſequax erroris, Caſimirum regis Poloniæ germanum, tredecim annos natum, regem appellat, miſsiſq; oratoribus auxilia petit, quibus nobile regnum ei conſeruari poſsit. Inter hæc & electores imperij apud Francfordiam conuenientes, rem Romanam Alberto commendant. At F

A illi acceptare imperium iniussu Baronum Hungariæ haud quaquàm licebat. Id enim eis promiserat, cum se regem accepere. Vocati primores regni, negabant ex usu esse Hungariæ regi Theutonicis cæterisq; gentibus imperare. dum Sigismundus Romanæ rei consulturus, Italiam, Germaniam, cæterasq; prouincias perageret, Hungariam Turcarum direptioni patuisse. Multa in utranque partem dicta. Postremo uicti precibus, Frederici ducis Austriæ tunc adolescentis, assensum dedere, imperium summa Germanorum congratulatione ab Alberto susceptum. Nec mora legati ad regem Poloniæ, nomine gentis Bohemicæ missi, Ioannes Rabensteinus, & Ioannes Piacius, oratum, ne fratrem turbare Bohemiæ regnum patiatur, meminerit inter Bohemos ac Polonos ueteris amicitiæ, Albertum ex Sigismundi testamento, & prouincialium decreto, regem esse, non potuisse paucos qui Casimirum uocauere, ius regni ad alterum transferre. Si pergat alienum regnum fratri parare, caueat ne de suo certare cogatur. Polonus ad ea Bohemos sibi amicos esse fatetur, cupere beneuolentiam perpetuo stare, ac fratri quem primarij barones regem uocauerint, ius auferre non posse, Polonis ac Bohemis unam esse linguam, & unam utrique genti originem, cum Theutonicis nihil Bohemis esse commune. Nihil prouincialibus incommodius, quàm sui regis uocem non intelligere, atque in omni loco interpretis egere. Regnum sibi suum satis tutum fidumq; esse, neque se exter

B nam uim ullam timere. Proinde orare ut fratrem potius recipiant, quàm ipsi ab eo recipiantur, donatosq; preciosis pellibus, ut est mos gentis, oratores dimisit. Legatis autem alterius partis, missurum se prope diem auxilia pollicitus. Albertus medio tempore Iglariam petit, quo in loco ab Vlrico Rosensi, Maiurando, plurimisq; Bohemiæ procerib. percupide expectabatur. Ptarsco uero per nuncios eum rogat, ne prius regnũ ingrediatur, quàm sibi factioniq; suæ faciat satis. Neq; enim passurum se regem esse, quem ipse non elegisset. Albertus quod maior pars regni statuisset, id ratum esse debere respondit, hortari ne regem quietum interturbet. Inuenturum benignum regẽ si paci consulat, sin pergat res innouare, plus belli reperturum quàm uelit. Exin motis castris Cuthnam occupat, quam Ptarsco sine præsidio reliquerat. Petenti Pragam frequens populus occurrit, atq; ut hostium uictori congratulantur. Et quamuis iterũ Ptarsconis factio conuentum peteret, priusquàm rex coronaretur, reiectis precibus, tertio Calendas Iulij solenni pompa coronã accepit. Ptarsco uero Coloniam, & alias suæ factionis ciuitates impigre muniuit. Cumq; duo milia equitum ex Polonis ad eum uenissent, populari eorũ agros cœpit, qui regem introduxerant, et tanquã diu Bohemia quieuisset, nouo exultãs bello, adeo gloriabundus in cãpis exijt, ut captiuos nobiles, quos forte interceperat, ea conditione iuratos dimitteret, ut se non prius repræsentarent, quàm castra muris Pragensibus admouerentur. Albertus & si auxilia ex Austria Hungariaq; asciuerat, illis tamen

C non expectatis hosti copiam pugnandi fecit. Quam Poloni detrectantes, per montes Cuthnæ, & Sobeslauiam, ad Thaboritas se contulere, amicam sibi ciuitatem, castrisq; ante urbem positis, Albertũ expectauere. Ipse cum copijs egressus, per Benescauiam ad ad eos festinans, legatos præmisit, qui Polonis dicerent. Inter Casimirum, cuius causam agerent, seq; belli præmiũ Bohemiam esse, cauerent ne incendia agitarent. Experirẽtur prælio, cuius prouincia esset, cultam potius quàm desertam mallent, sese morã minime facturum quin pugna litem regni definiat. Poloni ad hæc huiuscemodi respõsum dedere. Ex æquo se ferre animo Alberti arrogantiã pugnam petentis, nam superos superbis infensos esse. Venturo non defuturum prælium, Polonos faciem hosti, non terga ostentatare solitos. Lætus eo nuncio Albertus quadrato agmine in conspectum hostis aduolat. Quo intra castra se cõtinente & ipse castra sua è regione Thabor ad iactum lapidis tormentalis metatus est. Pugnatum singulis diebus in cãpo, qui medius inter bina castra iacebat, nunquã totis uiribus in fortunã belli uentum, Polono non tam facile egregia manu facinora ædẽre, quàm uerba magnifica ore iactante. Erant in castris Alberti, Christophorus Baioariæ princeps, qui postea regno Daciæ potit9 est, Fredericus Saxoniæ dux, & Albertus marchio Brandenburgensis, cuius nomẽ ab eo tempore cultũ, magnumq; fuit. Triginta milia militum Alberto parebant, Polonis quatuordecim milia, quorũ ca-

ſtris iuncta ciuitas, magno adiumēto erat. Tormenta quoq; ænea in utriuſq; caſtris plurima, maiora apud Albertū fuere. Ex quibus uni quod erat maximū, ignem admoueri iuſsit cuius lapis emiſſus miræ magnitudinis, cum præter opinionem in caſtris hoſtium cecidiſſet, multos mortales interemit. Vidiſſes paſſim corpora ſine capite iacentia, capita quoq; pedes, membraq; ſine corpore in cruore fluitare, iumenta humi procūbere mortua. Neq; enim primo ictu duntaxat, ſed multiplici ſaltu pluribus in locis decidens ſaxū ſtragem fecit. Quare conſternati Poloni relictis caſtris intra urbem ſe recepere. Georgius Poggiebracius per idem tempus cum Thaboritas peteret, nam & ipſe Ptarſconi iunctus erat, in alam quandam Alberti equitum forte incidens, commiſſo prælio hoſtē proſtrauit, atq; hinc primum homini nomen datū. Albertus uero cū expugnari Thaboritas aliter quàm fame nequiret, ſoluta obſidione Pragam rediјt. Poloni exhauſti argento, amiſsis equis, pedib9 in patriā abiere. Fridericus Saxonum princeps, dimiſſo rege domū rediens, hoſtiū inſidias incidit, Sed nihil improuiſa re motus, ordinata raptim acie, ea conſtantia, ea fortitudine pugnā iniјt, ut penè uictus captusq; uictores uicerit, cæſisq; quàm pluribus captos abduxit. Rex Poloniæ nondum cognitis quæ in Bohemia ſuis acciderant, cum duobus magnis exercitibus Sleſiam ingreſſus, in Bohemiā properabat. Sed intellecta ſuorum fortuna, populatis hoſtium agris domum rediјt. Albertus autem relicto qui regnum gubernaret Vlrico comite Ciliæ, per Sleſiam Gorliciū uenit. Vratislauienſibus uero, ea eſt ciuitas nobilis ac præpotens, & Sleſitarum caput, Albertū marchionem Brādenburgenſem petentibus belli ducem dedit, qui Poloniam ſæpe infeſto exercitu petens, longe lateq; prædas egit. Non multis poſt diebus actū de cōcordia. Rudericus Burgenſis epiſcopus, natione Hiſpanus, doctrina ac uirtute præſtās, arbiter litis ex Baſilienſi concilio, miſſus, Albertū conuenit. Diſceptatū eſt inter legatos partiū, non conuenientibus, induciæ belli dictæ, conuentus in aliam diem apud Vratislauiā ſtatutus. Eo ueniēs Albertus, ex gradu forte prolapſus, grauiter læſus plurib. diebus ægrotus decubuit. Exin claudus effectus, infecta pace per Morauiam in Auſtriam rediјt. Interea comes Vlricus, qui Bohemiæ præerat, inter Barones de uendicando ſibi regno agere cœpit. Albertus cognito eius ſtudio properatim ſtipendia ſubtraxit. Ille materia adempta qua Bohemorum animos ſibi conciliabat, ex prouincia diſceſſit, nec ultra remiſſus eſt, regni cura Mainardo & Vlrico Roſenſi commiſſa. Per idem tempus Deſpotus Seruiæ, quam Raſciam uocant, cum ſacerdotibus & nobilibus in Hungariam profugerat, Turcarum impetum ueritus, uno tamen relicto filio, qui caſtellum Sindorouiam in ripa Danubiј ſitum, & à Turcis obſeſſum, tueretur. Albertus Hūgaris inuitatus, obſeſſis opem laturus, Budam petiјt. Interea Georgius Palotius, Strigonienſium pontifex, diem obiјt, qui coronam regni, diuitemq; regum ſuppellectilem in arce ſeruauerat. Qua re cognita, Albertus eo ſe confert. Arx reginæ deditur. Quæ dū theſaurum regni coram Baronibus ad eam rem ſelectis recognoſcit, coronam beati Stephani regis, quam ſacroſanctam putant, clam ſurripuit, annuiq; cuſtodiendam tradit, cætera obſignatis occludit arcis.

De morte Alberti inclyti regis, Cap. LVI.

ALbertus Budam reuerſus, non expectatis auxiliјs, aduerſus Turcas exercitum ducit, caſtra inter Titiam amnem ac Danubium collocat. Interea Turcarū imperator euicto caſtello, excæcatoq; Deſpoti filio, cuius ſororem in matrimonium duxerat, domum abiјt. Crudelis, qui neq; coniugiј affectum ſenſit. Verum Turcis matrimoniј neceſſitudo leuis, apud quos ſinguli pro opibus plures uxores habēt, regibus eo amplius nubere licet. Ita animus multitudine diſtractus, nullam pro ſocia, pariter omnes uiliter habet. Albertus ubi expugnatam Synderouiam, Turcas abiјſſe cognouit, dimiſſo exercitu Budam rediјt. Sed inſolito feruentis Auguſti calore uexatus, dum peponib. nimium oblectaretur, in uentris ſolutionem incidit, ſentiensq; periculum, moriturus in patria Viennam repetere ſtatuit. Iter ingreſſus, cum iam Strigonium præteriјſſet, in uilla quæ Longa dicitur, condito teſtamento ſexto Calendas Nouembris deceſſit, princeps liberalitate ac fortitudine clarus, & qui cæteris rebus longe religionis ſtudiū antepoſuit.

Albertus moritur.

Quomodo

A *Quomodo Bohemi post mortem Alberti, eligunt in regem Albertum Baioariæ ducem, sed electioni consentire nolint, Cap. LVII.*

BOhemi qui Alberti regis causa inter se dissidebant, cognita morte, apud Pragam conuenientes, unum totius regni corpus efficiunt, atq; ad eligendum nouũ regem ad octauũ Calen. Maias diẽ statuũt. Rochezana qui dudũ apud Græcium exulauerat, domum reuertitur, suoq; more insaniens, Romanam ecclesiã cardinalesq; patriarchas, cæterosq; p orbem episcopos blasphemãs, apud solos Bohemos incorruptæ ueritatis in ueniri sacramẽta dicit, preciosissimum Christi sanguinem paruulis ac dementibus præbet. Sacerdotes suæ temeritati aduersantes, domo pellit, popularibus communionẽ sub specie uini recusantibus, ecclesiasticam sepulturam interdicit. Redeunt damnata tempora, suumq; placitum, suum quisque ingenium recepit. Regina Elizabeth iam filium ex Alberto pepererat octauo Calend. Martij. Ladislaum nomine, atq; Hũgarorum ei coronam imposuerat. Mittuntur ad eam legati, qui dicant ad eligendũ regem diẽ statutã. Si quid iuris in regno Bohemiæ ad se spectare confidat, oratores mittat, qui rem suam agant. Regina natum ex Alberto filium in cunabilis ostẽdit, rogat ne paterna hæreditate pupillum exuant. Tẽpus mittendi legatos arctũ esse, neq; enim amplius quã dies quindecim superérant. Si prorogetur terminus, missurã qui pueri iura edisserant. Erat inter B legatos Procopius Rabensteinus nobilis eques, doctrina ac morũ lenitate præstabilis, cuius nos amicitia pluribus annis oblectauit, Is cum Alberto seruisset, habiturum se curæ ait, quæ regina mandaret. Reuersus in Bohemiam eos primũ adijt, qui partes Alberti fouerãt. Exponit reginæ desideriũ, suadet proferri cõuentũ. Res digna exauditione uidetur. Verũ Ptarsco, & qui Alberti recusarant imperium, cum iam Pragæ cõuenissent. regno cõsulendũ quã totius esse dixere, reginã spernere, instare, ꝑperare, uocare absentes. Illi diem ex die consulto proferre, moræ causas nectere. Interea legati ab regina ueniunt, fit frequens cõuentus. Intermissi Oratores proceres rogãt, Sigismũdi & Alberti suorum regum meminerint, nepotẽ filiumq; ne respuant, contra ius gentiũ paternã hæreditatem puero ne adimant. Fœdera cum Austrialibus percussa ne uiolent, pupilli atq; orphani miserẽtur. Sunt non pauci, qui læto fauore legatorum postulata suscipiunt. At qui Albertum oderant, filium regẽ negare, cuius patri tanquã regi nõ paruissent. Infantem regno inutilẽ esse, regẽ à regendo dictũ, qui regendus sit regẽ uocari nõ posse. Antequã Ladislaus adolescat, lõgũ tempus effluxurum esse, interim regem assumi qui per se regat. Satis esse Ladislao si post quatuor & uiginti annos ad regnũ uocetur, medio tẽpore locum alteri faciat. Reges regno dari, non regna regibus. Fredericũ Austriæ ducẽ, iam Romanorũ regem electum, Bohemis indulsisse, uti quẽ uellent regem sibi ascierẽt. Vicit hæc sententia. Albertus itaq; Baioariæ dux, maiore procerũ uoto rex declaratur, C qui apud Venceslaũ quondam nutritus, Bohemicæ linguæ non ignarus erat. Mittũtur ad eum primores regni, inter quos Vlricus Rosensis, homo semper se tẽpori accommodãs, princeps fuit, qui licet Alberti partes olim defenderit, huius tamen sententiæ suasor extiterat. Quibus ea res indigna uidetur, hi Procopium ad Fredericum Cæsarẽ clam ire iubent, rogantes nobile regnum ne pupillo negligat, cuius tutelam susceperit. Iam enim Elizabeth Hungarorum incõstantiã uerita, qui ad Poloniæ regem defecerant, Ladislaum ad eum miserat educãdum. Fredericus audito Procopio, missis ad Albertum Baioarium nuncijs hortatur, ne regnũ sibi alienum usurpare præsumat, quod tũ difficile, tum ignominiosum fuerit Bohemis, quibus defuncti regis hæres esset, non licuisse alium eligere, neq; se potestatem eam dedisse, quemadmodũ in Bohemorum conuentu nõnulli ementiti fuerant. Procopiũ uero in Bohemiã remittit, qui ius Ladislai haud quaquã se neglecturum asserat. Albertus ea uirtute atq; animi moderatione usus est, quæ postquã reges esse cœpere, rarissima semper fuit. Nam uenientibus ad se Bohemorũ legatis, ample & nobile regnum offerentibus gratias egit, qui se unum ex omnibus elegissent, cui parere uellent, dignumq; tanto imperio iudicassent. Multa se idcirco debere Bohemis neque id unquã beneficij obliuioni daturum, At cum regis Alberti soboles extet, indecorũ esse cum alterius iniuria regnũ quærere, paternam hæreditatẽ nulli auferẽdam,

Ladislai natiuitas.

Alberti Baioariæ ducis prudens ac modesta ad Legatos responsio.

qui pupillos suo iure dispoliet, Dijs atq; hominibus inuisos pœnas aliquãdo patrati sce D
leris dare, cognouisse se non uano rumore fœdus antiquum inter Bohemos & Austria.
les extare, deficiente mascula sobole principem ne foras assumãt, fidem seruare pulchrũ,
ne cui temere noceatur cauendum. Scelestem execrabilemq; uocem illorum, qui regnã
di causa ius uiolandum astruunt. Atq; ita maiorem se spreto regno monstrauit, & si ue.
rum fateri licet, clarissimũ egit regem. Nam regnũ apud eos qui spernũt, nõ qui cupiũt.

De Ladislao infante Bohemorum Rege quintodecimo. Cap. LVIII.

BOhemi ab Alberto repulsi iterum conuenientes legatos ad Cæsarem mittunt, pe. tentes tutorio nomine uti regnum accipiat. Is in Belgiam se iterũ dicit, coronæ su. scipiendæ gratia, cum redierit de re ipsa transacturum. Reuersum potentissimi ex Bohe. mia proceres adeunt. Inter quos Ptarsco cum esset Alberti filio infensus, seorsum Fre. dericum alloquitur, regem ut seipsum faciat hortatur, facile id futurum si tutelam pupil. li reijciat. Nam cum cæteri desint, Bohemos suopte ingenio regnum sibi oblaturos, cui ex fœdere tanquam seniori Austriæ principi debeatur. Negauit Fredericus orphani, cu. ius tutelam gereret, hæreditatem se quoquo pacto inuasurum, nec tamen Bohemiã tuto rio nomine administrare uoluit, quàm sine profusione magna pecuniarum retinere non poterat. Nam Bohemi nisi ex regibus quotidiana munera accipiant, ab officio recedũt. Neque est regnum cuius fiscus abundat. Regiæ possessiones in priuatas manus perue. E nere, argentifodinæ unde opes regiæ in immensum creuere, maiore ex parte periere. Di stracti census, uectigalia prorsus extincta, nisi populares in sumptus regios pecuniã con ferant, quàm uocant, bernam, aut rapere unde uiuat regem oportet, aut precaria regen. tem mendicare. Suasit igitur imperator ipsi ut per se prouinciã regerent, donec pupillus adolesceret, donatosq; oratores à se dimisit. Domum reuersis gubernatores eligere pla cuit, Inter quos Ptarsco & Mainardus priores habiti. Stetit aliquandiu concordia di. scors. Nam licet Mainardo Ptarsconiq; factionum capitibus parum conueniret, & al. ter conuenta cum concilio habita seruanda esse diceret, catholicarum tutor partium, al. ter sperneret, Rochezanæ amicus, ab armis tamen abstinere, mediumq; quoddam tem. peramentum inuentum est, quo partium cuiq; suo uoto liceret uiuere. Verum Ptarsco ne ui morbi repente extincto, Mainardi potestas aucta est, cui tum Pragenses, tum for. tiores regni ciuitates paruere. Id ægre fuit aduersæ parti, quæ Ptarscone defuncto ad Ge orgium Poggiebraicum se contulerat, eumq; sibi ducem elegerat, iam tamen rei milita ris peritia, rebusq; strenue gestis insignem. Orare igitur ne iacere suas partes sinat, Mai. nardũ indies crescere, Pragã in potestate habere regni Metropolim, sacerdotes qui Ro. manum introducant magnificare, qui ueritates patrum sequerentur persequi. Occur. rendum temeritati hominis qui peregrinos mores patriæ anteponat, Pragam ei aufe. rendam, neq; id esse difficile, ciuibus non placere Mainardi regimen. Rochezanam mul F tos habere amicos, qui excitato tumultu arma capessant, audendũ esse fortib. uiris, for. tunã ipsam aperire uictoriam. Georgius ipse qui suapte natura magna cuperet, collauda tis suasoribus nonnullos in urbem ire iubet, qui pertentatis ciuium animis quæcunque inuenerint ad se referant, postquam multi aures adhibent coniuratione facta inuadendæ urbis dies constituitur. Coniurati incendium in parte urbis admodum remota excitant, concurritur ad restringendũ ignem. Interea Georgius ex aduersa parte cum copijs mu ros inuadit, nec mora proditores in instanti portas aperiũt, extollitur clamor ut capta ur be solet. Hinc tremor suprema timentium, inde exultatio uictorũ exaudiri. Trucidan. tur passim resistentes. Mainardus in eo tumultu captus in carcerem coniectus, ibiq; ue tandem obijt, siue tædio diutini carceris, siue ut pleriq; putauerũt exhausto ueneno. Ex illo tempore sine controuersia Praga in potestate Georgij fuit, neq; posthac aduersari palam uoluntati eius ex Baronibus quisquam præsumpsit, quibus potestas suspecta uisa durum imperium, in concionibus laudare hominem, probare regimen, blandiri, adulari, eum esse dicere, qui tandem regni calamitatibus modum ponat. Id nulla uia rectius fieri posse, quàm si rex in regnum ueniat, precari, numen obtestari, id patriæ non dene. get, legatos ad Cæsarem mittat, instet, urgeat, facturum tutorem denique quod in pu- pilli

Berna.

Praga per proditionem capta.

Mainardus incarcere uitam finit.

A pilli rem sit. Si pergat aduersari, nihil Bohemis imputandum alium regem quærentibus. Sententia quāuis ingrata Georgio, accepta in auribus populi refelli non potuit. Missi ad Cæsarem oratores nihil impetrauere, pupillaris ætas excusationem præbuit, quā sæpius idem tentaretur. Venere plurimi ex Bohemis ad Fredericum uisendi regis gratia. Inter quos Georgius nomine Giscra, armorum gloria clarus, qui partes eius unus fermè defenderat in Hungaria, cum rex Poloniæ regnum inuasisset, prædones sæpe acie fuderat, Ioannem Huniadem bis castris exuerat, rebellantes Hungaros magnis cladibus affecerat. Is ubi ad conspectum regis intromissus est apud Nouam ciuitatem, quo in loco tunc aderamus astantibus plurimis illachrymans Ladislai manum exosculatus, in hunc modum uerba fecit: Video te tandem teneoq́ mi rex, si scires quæ pericula propter te audiui, quibus me laboribus implicui, quod aduerso corpore uulnera accepi, En cicatrices testimonio sunt, patri ego tuo tibiq́ uitam deuoui. Nulla uis est, nulla fortuna, quæ alienare animum à te meum possit, officia mea sola tibi auferet mors. Sed tu hæc per ætatē non intelligis. Et subridens. Quod inquit, mihi præmiū fidei ac laboris erit? & quod das militi tuo stipendiū? Sextum tūc annū agebat Ladislaus, qui postquā Giscra finē dicēdi fecit, oculos huc atq; illuc circumuoluens, loculos Ioannis magistri cameræ suspiciens ex philecteria pēdētes, qua ille nūmos more Theutonico pauperibus erogādos asseruabat, hanc tacitus arripit, æraq́ sex tantum, neq; enim plura inuenit, illinc deprompta Giscræ dono dedit. Admirati omnes pueri factum, & prouidum et liberalem futurum iudicauere. Giscra innexos postmodum auro nummos è collo suspendit, regiæ gratitudinis monimentum. Hungari qui mortuo Alberto regem Vladislaum ex Polonia uocauerunt, diu imperium Ladislai obtrectauere, bellumq́ aduersus Turcas infeliciter fecere, in quo Vladislaus fortiter pugnans obtruncatus est. In conuentu deinde ciuitatum procerumq́ Ladislaus rex appellatus, missa legatione ad Fredericum in qua regni primores fuere, decretum electionis exposuit, Ladislaum in Hungariam mitti coronandum postulauit. Responsum est recte Hungaros egisse, qui regem tandem suum recognouerint, electione inde haud quaquam opus fuisse in eo, quem natura regem dedisset, neq; coronandum esse, qui semel coronatus sit. Puerum adhuc egere tutore, nullius tutelam salubriorem ei esse, quā Frederici imperatoris & proximi consanguinei. Expectarent ætatem regno idoneam, interea per se regnū administrarent. Diu inter Hūgaros & imperatorem ob negatū regē inimicitiæ fuere, et armis quoq; tentata res est. Ioānes Huniades infestis copijs Austriā ingressus, quamuis ferro atque igne agros uastauerit, regem tamē coronāq́, & quæ repetabat in Hungaria castella, obtinere nō potuit. Pugnauit iterum contra Turcas, à quibus magno prælio uictus, humilior factus, Cæsaris beneuolentiā & petijt & impetrauit. Ob quā rem quamuis sæpe & ab Hungaris & à Bohe-

Ladislai pueri factū, quo futura liberalitas præmonstratur.

C mis Ladislaus peteretur, res tamen ad duodecimū eius annum protracta est. At cū Fredericus imperialis coronæ suscipiendæ gratia Italiam petere statuisset, rursus Bohemi, Hungari, & Austriales, legationibus seorsum missis imperatorem fatigauere, Ladislaū reposcentes, postulata omnibus negata sunt. Ad Bohemos, qui ea de re conuentū Pragæ habituri erant, ac ferocius agere uidebantur, regem alium electuri, nisi mos eis gereretur, legatos mittere placuit, quib9 & nos additi sumus. Prouinciales, quib. apud Pragam dies statuta fuerat, grassante illic peste, in Beneschauia conuenere, quos in frequenti conuentu, præsidente Georgio Poggiebracio, in hūc modū allocuti sumus: Petiuistis ex Cæsare uiri Bohemi, Ladislaum regis quondā uestri filium ad uos mitti, idē Hungari, idem Austriales, importunis precibus exigunt. Si uobis mos geritur, illos offendere necesse est, si preces aliorum audiantur, contemnere uestras oportet, si necessarium sit alterum ex duobus, uestrā amicitiam præferret imperator. Vetus est enim maiorum suorum cum Bohemica gente fœdus, & acceptorum ultro citroq; beneficiorū memoria recens. Sin uirtus claritasq́ pensitāda est, quis Bohemico nomini nō inuideat, cuius uictorias tempestate nostra plures numerare licet, quam reliquæ gentes omnibus seculis cōparare poterunt? Verum Cæsari hoc tempore in hanc electionem descendere haud quāquā necessarium uidetur, quando eo pueri ætas est, quæ neq; nobis neq; Hungaris usui esse po-

Oratio per legatos Frederici imperatoris ad Bohemos Procopio recitante.

esse potest. Esto, ueniat in Bohemiam Ladislaus, quod inde regno emolumentū cedet? Ille ne ius litigātibus dicet? statim reipublicæ reformabit? aduersus hostes copias ducet? belli, pacis'ue munia obibit? Nihil horum præstare potest, cui recte tutela opus est. Illud in primis eius aduentus faciet. Regis pōpa ducenda est, ornanda regia, adhibendi ministri, curia more progenitorum apparanda. Ad hæc grandi pecunia opus. Vobis nullum ærarium esse audio, nullos cēsus, nulla uectigalia publica. Ad uestras igitur opes recurrendum, uos præstare sumptus, uos regem alere, uos inexplebilem curiam & insatiabiles ministros explere oportebit. Video præterea inter uos nō paucos esse proceres, consilio, autoritate, atq; opibus penè pares. Cura regis uni cōmittenda erit, non omnibus. Ille dominus, ille rex uester iudicabitur, qui regis corp⁹ in potestate habebit. Et qs uestrū est, qui non eum honorē sibi quā alteri maluit? Semina inter uos discordiarū petitis, nisi prius in unū conueneritis, qui regis curæ præsit. Vos his incōmodis Fredericus liberat, qui suo sumptu pupillum regiū gubernans, dissensionū uobis fomitem aufert. Nec uos latet, quandoquidem tenera regis ætas est, corpus eius in potestate Cæsaris rectius esse, quàm in alterius cuiuspiā. Ille enim consanguineus est, ex eadem familia natus, & imperator. Et quis pupillo regi conuenietior tutor detur, quàm princeps principū? Si sit inter uos & Hungaros contentio coram extraneo iudice, de custodia corporis regis, par causa uestra atq; illorum iudicabitur. Vtriq; regem petitis, utriq; fidelitatis documenta præstabitis. Verum in hoc illi superiores erūt, quia natum apud se regem, coronamq; dicent. Apud Cæsarem uestra causa longe iustior est, quàm Hungarorum, seipsum tamē in cura patruelis uobis præfert. Curate regnum, pupillum sibi dimittite, quem postquā pubes fuerit, uobis in primis credit. Quod uerò oratores uestri dixere, alium regem accersiendum à uobis esse, id magis terroris incutiēdi causa dictum imperator existimat, quàm quod animo uestro ea sententia sedeat. Neq; enim uestra fides incorrupta prius, hoc repromittit, neq; progenitorum Ladislai in uos collata beneficia hoc exigunt, nec innocens eius ætas quicquam demeruit. Cæterum uoluite animo prius ut sapientes decet, quem nam Ladislao præferre possitis, cuius sanguinem, si matris originem memoriæ tenetis, quatuor Romanorum imperatores produxere. Si paternā prosapiam exquiritis, quinquies imperatoria dignitas in Australi domo resedit. Obscuritatem quærat necesse est, cui tanta claritas nō satisfacit. Addite potentiā, amicitias, clientelas. Austriā uobis uicinam possidet, Morauia, Slesia illi parent, Hungari, & si res nouas moliri uideantur, ab officio tamen non recedent. Imperator à quo regnū uestrū dependet, sanguineo suo non deerit, nec ius familiæ suæ negliget. Baioariæ Saxoniæq; duces, Marchionesq; Brandenburgenses, & omnes fermè Germaniæ principes, Ladislaū propinqua necessitudine attingūt. Non potest hic pupillus offendi, nisi & tota Germania lædatur. Hæc superflue uobis cōmemorari non ambigo, uerum ita iussit imperator. Ille in Italiam pupillum secum adducet, reductum, puberemq; factum, si perstiteritis in fide, ad uos primum mittet. Vos interea pro grauitate, integritateq; uestra, quod in rem Bohemici regni, pupilliq; sit, consulere admonet. Verisimilis oratio uisa, neq; sine fauore accepta, acceptioremq; Procopius noster collega reddidit, qui patrio sermone, latinæ linguæ ignaris uerba nostra interpretatus est. Iussi sumus ex conuentu paululum abire, mox euocatis responsum datum. Redditæ imperatori gratiæ, qui eam legationē misisset, atq; in dimittendo rege, Bohemos præferre cæteris. Accipere se bene consulta consilia, missuros ex nobilitate sua primarios iuuenes, qui Cæsarem Italiam petentem sequantur, ei'que ministrent. Expectaturos quiete reditum, quem felicem faustumq; superum benignitate futurum exoptent.

De morte Barbaræ imperatricis, uxoris Sigismundi. Cap. LIX.

APud Græciū Barbara imperatrix ea tempestate decedit, inexhaustæ libidinis mulier, quæ inter concubinos illaudatum æuum publice agitans, sæpius uiros petijt quàm peteretur, neque Christianæ, neq; alteri cuipiam religioni astricta, quippe quæ superos inferosq; ullos esse negabat. Ferunt eam ancillas suas sæpe orantes ieiunantes'ue increpasse, quæ corpus suum frustra macerarent, fictum'que cœli numen placare uerbis cre-

A bis crederent. Viuendum suauiter dum uita suppetit, fruendumq; uoluptatibus. Id tantum homini datum, cuius anima cum corpore simul extinguitur, somniare qui alteram uitam sibi promittunt. Congrua moribus sententia. Nam qui relicto animi cultu uolu ptati corporis se dedere, grauati uitiorũ sarcina, nõ quibus explicent uitãq; corrigãt, sed quæ cœptũ iter approbent, ea dogmata facile imbuũt. Neq; inquinatis mentibus solamen ullum ualentius, quã totum extingui morte hominem opinentur. Vna salus desperanti cœlum, inferos non timere. Corpus Barbaræ quamuis infidelis fœminæ, Bohemi Pragam tulere, peractoq; funere in sepulchrum regium cõdidere. Nec defuere sacerdotes, qui prophanum cadauer ecclesiastico ritu sepelirent. Non sunt regibus scriptæ leges, nec in Bohemia quicquam non permissum. Fredericus postquam quieturos Bohemos intellexit, quorum motus in primis uerebatur, reclamantibus Hungaris & Austrialibus, assumpto secum Ladislao rege, Italiam ingressus augustalem coronam à Nicolao quinto pontifice maximo Romæ accepit. Exin uisitato apud Neapolim rege Alphonso, cuius tum opes florentissimæ fuerunt, cuiusq; neptem in matrimoniũ duxerat Leonoram, regis Portugalliæ filiam, moribus ac forma præstantem, domum rediit. In eo itinere Ladislaus sæpe fugam molitus est, consilio pedagogi fretus, cum quo postea captus, usq; in hunc diem custoditur in uinculis.

B *Quomodo Austriales Ladislaum regem ab imperatore petentes, non exauditi, bellum mouent, Nouamq; ciuitatem obsident, Cap. LX.*

AVstriales interea suasore Vlrico Eizingero, sumptis armis præsides prouinciæ à Frederico institutos ui pellunt, gubernatores ex seipsis duodecim eligunt, summam rerum Eizingero cõmittunt. Inuentorem quoq; nouitatum alterum Vlricum Ciliæ comitem in societatem accipiunt, auxilia ex uicinis gentibus accersiunt, reuersum imperatorem, missis legatis, aut regem Ladislaum tradere, aut bellum expectare iubent. Postulatis non tam reiectis quàm suspensis, impatientes magis moræ quã belli, infestis signis Nouam ciuitatẽ petunt. Committitur primo aduentu atrox pro portis prælium, nullus sagittis modus, cadunt sine numero tela. Bombardæ stragem hostium horrendam adunt. Miserabile uisu, disiecta passim membra equorum atque hominum cernere, cruorem late fluentem aspicere. Qua densissima fuit, unus perfregit aciem lapis emissus, idem alius atq; alius fecit, prostratis quæcũq; occurrere inermibus atq; armatis, nec tamen intermissa pugna. Conglobati hostes, magis ac magis insistere. Vbi res gladio geri cœpit, ac uir uirum manu prahendit, equus equum impulit, pugnatum est aliquandiu æquo Marte. Postremo Cæsarianorum acies, non tam uirtute quàm multitudine superata, terga dedit, atque in urbem trepide se recepit, unius militis Andreæ Poumkircher, postea à Cæsare ad Baronatum suffecti, audacia ciuitatem tuta est. Qui

Atrox bellum ante Nouam ciuitatem cõmittitur.

C ne uictores cum uictis uno agmine irrumperẽt, tamdiu pro porta solus impetũ tenuit, donec conuersi fugientes, globo facto, ex loco difficili hoste repulso, ianuam clausere. Firmata est deinde obsidio, & oppugnata machinis mœnia. Ex Bohemis solus Henricus Rosensis cum ducentis equitibus, peditibus ferme octingentis in castris fuit. Hungari nondum uenere. Neq; enim per inducias bellum inferre Cæsari licebat. Austriales circiter duodecim milia militum expeditos in armis habuere. Georgius Poggiebracius Cæsari, cuius erat amicus, opem laturus, sedecim millia militum congregauerat. Sed audita concordia, in agrum regulorum Rosensium exercitum duxit, uillasq; late populatus est. Imperator enim interuentu Caroli Marchionis Badensis, Sigismundiq; Salzburgensis archiepiscopi, Ladislaum è manu sua dedit, Austrialibus multa promittentibus, quæ mox barbara fide negauerunt. Inter cætera conuentum erat, ad tertium idus Nouembris conuentum Viennæ habere, in quo uocati utriusq; partis cõsanguinei, Bohemi quoque atq; Hungari, de tutela regis nondum puberis iudicarent. Ladislaum interea in potestate comitis Ciliæ extra Vienn degere, nihil prius administrare quàm consilij decretum fieret. Verum puer postridie in urbem ductus, summis nouisq; honoribus exceptus, e uestigio magistratus in ciuitate creauit, præfecturas tota prouincia instituit. Sacerdotia donauit, regio more curiam erexit. Hungari ad eum uenere, inter

quos Ioannes Huniades fuit, qui tum comitatum Bistercensem regia beneficentia consecutus, haud aliter quàm principes consueuere, nouæ dignitatis insignia suscepit. D Accersiunt & regem suum Bohemi, cum Georgio Poggiebracio, quibus nõ minora Ladislaus pollicitus, quàm pater atq; auus promiserant. Postquã dies affuit cum imperatore constituta, Ludouicus Baioariæ & Gulielmus Saxoniæ duces, Albertus quoque Marchio Brandenburgensis, Carolus Badensis, & multi ex Germania prælati ac principes aduenere. Frequens conuentus habitus. In qui præcipiente Ladislao, oratores imperatoris inter quos & ipsi fuimus, ita auditi sunt, ut uicti apud uictorem. Frustra æquitas, frustra honestas, in medium deducta. Cuncta ex arbitrio comitis gerebantur. Ipse pro rege uerbum facere, ac respondere, qui neq; leges, neq; pacta uictorẽ obligare posse aiebat. Fredericum & iure simul & bello excidisse, armatis ac fortibus iura fauere. Postremo infectis rebus conuentus dissolutus. Nicolaus Cardinalis sancti Petri, doctrina & uitæ integritate conspicuus, ad componẽdam pacem Apostolico imperio missus, ab Austrialibus reiectus est. Ladislaus quamuis rex appellaretur, alieno tamen arbitrio ductus, in regnis suis triumuiratum deduxit. Ioannes Huniades Hungariam rexit, Poggiebracius Bohemiam, Vlricus Austriam. Penes hunc maior autoritas, qui regẽ in potestate habens, illis quoq; imperare posse uidebatur. Promiserat Vlricus & Hungaris & Bohemis regem ad eos prope diem uenturum. Hungaris primum satisfacere statuit, E diem illis apud Pozonium cõstituit. Conueniũt frequentes Hungari, res ibi pro uoluntate Huniadis ordinantur. Potentiori omnia parẽt. Vlterius regnum ingredi, neq; regi, neq; comiti uisum. Fit reditus in Viennã, Bohemis dies instituitur, qua regẽ coronandũ Pragæ suscipiant. Erat inter Bohemos Ioannes Smiricheus, homo nobilis, & facundiæ gratia inter primos constitutus. Is postquã regẽ Bohemiam ingressurum cognouit, literas huiusmodi ad eum dedit. Ioannes Smiricheus Ladislao regi salutem. Venturum te quàmprimum in regnum tuum probo, si modo imperaturus ueneris, non pariturus. Inermem impotentemq; intrare non laudo, si non bicipitem mater peperit, ut ex duobus capitibus unum Viennæ apud amicos dimittas, alterum Bohemorũ dubiæ credas fidei. Vale. Epistola comiti reddita est, qui cognito tenore Georgio eam remisit. Ille accersito procerum concilio, inter quos Iohannes non in postremis erat, literarum sensum, suppresso scribentis nomine, recitat, quid mereatur scriptor percũctatur. Dignũ morte primi iudicant, nec Ioannes suo loco sententiam dicere iussus, aduersari audet, proditorem & ipsum patriæ, afficiendumq; summo supplicio censet, qui ea scripsit. Profertur mox epistola eius manu conscripta, & impressum annuli signum recognoscitur. Damnatus ore suo, comprehenditur, duarum horarũ tempus datur, in quo si uelit, & animæ suæ saluti, & domesticis rebus consulat. Nec diutius, uitæ dimissus, gladio percutitur. Sic uir F magis eloquens quàm cautus, dum alienam seruare uitam studet, perdidit suam.

De eiectione Comitis Ciliæ, & priuatione administrationis suæ, Cap. LXI.

COmes interea, ut quàm splendide regem in Bohemiam duceret, haud ignaue operam dabat, ad eam rem non parum auri necessarium erat. Publicum ærariũ exhaustum qui eam summam crederent, neq; negociatores, neq; proceres inueniri. Mos est Austrialibus, quotiens repentina principi necessitas ingruit, ex subditis pro modo facultatum pecuniam exigere, quàm uocant Steuram. Id tamen irremissu prouincialium haud permissum. Huc ergo reuertitur. Conuocantur apud nouum Triticiburgum pro ueteri consuetudine quatuor ordines, Sacerdotes, Barones, Nobiles, Ciuitates. Ibi comes præsente rege conuocationis causam edicit. Iter in Bohemiã regi necessarium ostendit, qua pecunia sit opus exponit, principi suo ut subueniant hortatur, neq; inopem mẽdicantiq; similem ad coronam suscipiendam ire permittant. Conuentus deliberandi copiam petit. Ibi Eizingherus, qui iam pridem à comite suspectus, extra regis gratiam eiectus, occasionem qua se uindicaret expectabat, idoneum nactus tempus, uocatis seorsum primoribus, quos sibi fidos, comiti infensos credit, ita locutus fertur. Quid agimus uiri Austriales, semper'ne Ciliensis mancipia erimus? Imperatoris iugum excussimus, ut comiti seruiremus? Moderatius certe illius regnum fuit, tolerabilior duratio. Ille in

A Ille in Austria natus, nostrorum principum sanguis erat, & si uerum fateri libet, nostri domini dominus. Quia tamen ex re sua magis quàm principis nostri prouinciam rexerit, arma sumpsimus, præfectos eius eiecimus, regem nostrum uindicauimus. Hic ille nostra demum ætate principatus honore donatus, nos omnes pro seruis habet. Cui nostrũ de republica consilium creditur, iniussu nostro rex in Hungariam ductus est, superis gratia qui remiserunt incolumem. Nunc nescientibus nobis promissus Bohemis, Hungarica Bohemicaq; negocia solus comes pro libidine sua ducit. Neque contentus duorum regnorum gubernatores uectigales sibi fecisse, Austriã solus exhaurit. Nam quota portio est, quàm regius sumptus accipit: quicquid reliqui est, comiti cedit. Maior ei quàm regi familia seruit. Taceo concubinam instar reginæ cultam, cuius uirum conciuem nostrum ò Viennenses interfecit. Plena prædonibus & meretricibus domus eius, inter hos regias opes effundit. Magistratus, præfecturas, sacerdotia uendit: ubi non sufficiunt publica furta, ad priuatas facultates manus admouet. Quicquid olim peccauere opulenti, hodie plectitur, nulla uetustas impunitatẽ criminis habet. Neq; tuta innocentia est, inconuicta punitur scelera. Et offendisse maiestatem conuincitur, quisquis diues habetur. Nemo suæ substantiæ certus dominus. Equi, serui, liberi, coniuges uestræ, pro libidine comitis auferuntur. Quibus in Bohemiam pergat pecunijs fateor non iniqua
B postulatio est, si fraus absit. Cautiorem me comitis artes ac uersutiæ reddunt. Si hæc pecunia non regi quæritur, nouum aliquod bellum, nouum argentum pariet. Nostris alitur malis, sua quies: pax eius, nostrum bellum est. Insecurum facit nostra securitas. Pudet me patientiæ nostræ, qui si uiri essemus, facile opprobrium hoc è nostris oculis eijceremus. Sed fuit hactenus prohibita conuentio, nunc simul congregatis reipublicæ licet consulere. Resumite alacres spiritus, amicos quisq; uestros commonitos reddite, ac imperium præsto cum armis adsint. Accingimini mecũ, aut uobis libertatem, aut mihi mortem parabo. Illud in primis mihi ex usu uidetur, multitudo ne regi postulata deneget, paucos ex primoribus eligat, qui regem adeuntes semotis arbitris prouinciæ necessitates exponant. Non dubium quin uobis mihi id muneris, demandetur. Ego, si regis alloquendi facultas detur, exclusurum me comitem nequaquã ambigo. Placet Eizingheri consilium, dant inuicem dextras, iureiurando se astringunt alterum alteri non defuturũ, donec comes eijciatur. In conuentu prouincialium quæ uolunt ex sententia ordinant. Nec morati, regem adeuntes, daturos argentum prouinciales offerunt, esse tamen quæ soli sibi mandata perferant, rempublicam Austriæ concernentia. Iussis exire cæteris, soli apud regem manent. Ibi Eizingherus regem Austriali sanguine natum dicit, nullos sibi fideliores Austrialibus esse. Imperium eius illis naturale, cæteris uiolentum. Consilium ab his recipi oportere qui amant. Moleste ferre Austriales principis sui negocia non
C bene administrari, expilari prouinciã, uexari subditos, uicinorum odia prouocari. Comitem domitare suos, regem ad inopiam redigere. Ladislaum regem uocari, comitẽ regnare, bellum ab eo cum imperatore nutriri. Gubernatorẽ aũt Hungariæ annuo quatuor & uiginti milia nummũ regi pẽdere, comiti duodecim milia. Idipsum reliquos prouinciarum præsides facere, omnes comiti uectigales esse. Nihil dubiũ quin ea mẽs hominis ad regnũ quoq; aspiret. amouendũ eum priusquã meditata perficiat. In atrocibus delictis etiã cogitationes plectendas esse. Posse haud difficile comitem eijci, uerum taciturnitate opus. Aperto consilio postquã cuncta placent, intromisso comite deliberatio cõuentus exponitur, promissa pecunia dicitur. Viennã tamẽ dum exigitur esse petendam, ordinandã ciuitatem, ne quid in absentia regis turbarũ exoriatur. Ficta pro ueris pleriq; referũt. Cõmendat deliberata comes. Eizingherus Viennã præcurrit, senatũ de mẽte regis edocet, cuius reditus ciuitati iucundissimus fuit. Nihil prima die actũ. Postera summo mane Eizingherus regiam adit, collocatis in proximo diui Augustini tẽplo mille armatis, qui præsto ad signum irrũpant, alios tectis armis intrare palatium iubet. Conueniunt frequentes consiliarij, regem in cubiculo salutant, proceres exiturum in aulam expectant. Ex familia comitis nemo intromittitur. Vltimus omnium adest ipse comes, qui apud concubinã dormierat, nec tam cito uenisset nisi uocatus ab amicis in palatio nouas

parari accepisset. Pulsanti fores non patuere, donec furens calcibus insultauit. Vbi ad regem uentum est, silentiũ aliquandiu seruatũ. Deinde Eizingherum innuẽte rege ita locutum accepimus. Ab hac hora comes regiam tibi curiã interdictam scito, abi quolibet gentiũ. Neq; posthac gubernatoris nomẽ, neq; consiliarij, neq; regij familiaris usurpes. Hæc me tibi dicere rex iussit. Ad ea comes nihil mutato uultu, forti & constãti animo indignum se, cui talia dicerentur respondit. Aemulorum suorum ea esse, nõ regis, solere principes qui de se benemeriti essent, his meliora referre, se patri Alberto, se matri Elizabeth, se ipso Ladislao summa fide seruiuisse, pro eo prius fudisse sanguinem quàm nasceretur. Bella eius tam difficilima confecisse, fuisse in carceribus, patrimonium fudisse imperatoris odium incidisse, ut regnum ei conseruaret, scire se benignum regem habere, et accipi beneficij memorem. Quæ dicta essent uerba, moribus suis non cõuenire. Eizingherum ea excogitasse, qui iam pridem sibi fuisset infensus, quoniam pro sua libidine expilari regis bona non potuisset. Orare ne plus inimicorum odia quã sua merita ualerẽt, ne bonitatẽ regiã aduersariorũ malignitas uinceret. Fit silentium locuto comite, non satis certo sentitur, an rex in sententia persisteret, & mutatum eius animum ratione comitis uerebantur, inclinaturi quo ille se uerteret, ex cuius nutu pendere uictoriam norant. Eizingherus de statu suo solicitus, nihil cunctandum ratus, priusquã rex comiti responderet, Ita, inquit, ego mandante rege uerba feci, nihil de meo locutus sum, ipse adest, ipse me iudicet. Dabo merito pœnas, si meam tibi comes non regis uoluntatem exposui. Effare tãdem rex optime, nec nos ultra suspensos teneto. Tum rex placide, ut cõsueuit, ex mea, inquit, intentione ac uoluntate locutus est Eizingherus, atque his dictis subticuit. Vidisse erectas Austrialium mentes, & iam comiti tanquã uicto eiectoq; insultantes. Ille ad proceres exiens quos in aula congregatos diximus, eiectionis suæ contumeliam exposuit, consilium atq; auxilium expetẽs. Quibus in uoluntate regis omnia sita respõdentibus, ad sororẽ regiam se cõtulit, ab ea præter lachrymas & muliebrem eiulatũ nihil extorquet. Et iam undiq; per palatium ire armatos animaduertit. Cedendum itaq; potenti inuidiæ censuit, neq; parum putauit ex inimica ciuitate saluũ corpus educere. Cliẽtes eius audita rei nouitate sibi quisq; fuga consuluerant. Tacitus igitur & confuso similis cum quatuor tantum comitibus ex aula discedens, in patriam suam cõcessit. Albertus Marchio Brandenburgensis ne populares saxa in eum iacerent, ad portam usq; tutum iter fugienti præbuit. Verum quis prohibitæ manus fuere, linguæ libertate usi probrosa in abeuntem maledicta omnis generis congessere. Inconstantis fortunæ singulare documentum. Nam qui paulo ante tutor regis, & secundum in Austria caput erat, in quem omnium oculi respiciebãt, qui belli pacisq; munera solus agebat, unico regis uerbo potestate priuatus, inops consilij, & animo confusus abijt.

De coronatione regis Ladislai, *Cap. LXII.*

REx paulopost magnificẽtissimis apparatibus Bohemiam petijt, atq; in Praga summos consecutus honores, regni coronam accepit. Bohemiam in eius sumptus suorum quisq; censuum tertiam partẽ contulere. Ex ea pecunia coronationis solennia peracta sunt, supportata curiæ onera, & nonnulla coronæ castra redempta, quæ uel Georgio Poggiebracio, uel amicis eius commisere. Mansit ibi non paruo tempore Ladislaus, nec unquam hæreticorum ecclesias quãuis rogatus intrauit, nec sacris eorum interfuit. Presbyter quidam ex factione Rochezanæ, in sacello arcis rem diuinam facturus, sacerdotali ueste ornatus ad altare conscenderat. Rex eo in loco sacra quibus interesset celebrare iusserat. At ubi hæreticum id muneris occupasse, nec uelle alteri locum facere didicit, misso magistro militũ, prophanũ sacerdotẽ nisi abiret rapi extra sacellũ, & de proxima rupe præcipitari iussit. Illi charior uita quã contumacia fuit. Rochezana in celebritate corporis Christi sacram eucharistiam per urbem deferentem ex fenestra conspicatus, nullũ reuerentiæ signum præbuit. Percunctantibus amicis ut quid sacramentum inhonestasset: Non me latet, inquit, diuinissimũ Christi corpus dignius esse quã per me satis honorari possit, nec mea reuerentia gloriam eius auget, neq; dehonestatio decus imminuit. Verũ mihi cauendũ, ne dum Christũ honoro, sacrilegũ presbyterũ Rochezanã po

pularibus

A popularibus approbasse uidear, quorũ plerunq; mores ex principe pendent. Nec illi me- deum contempsisse putabunt, cuius sacratissimũ corpus catholici presbyteri manu sum mis semper honoribus prosecutum uidere. Grauis hæreticæ factioni iam mora regis in Bohemia esse cœperat, cuius sacra ab eo & à cæteris principibus dietim confluentibus contemnebantur. Et iam qui decepti errabant, aliorum contemplati mores, suas inepti as cognoscentes, relicta Hussitarum perfidia, ad ecclesiam reuertebantur. Ob quã rem cupientem in Austriam reuerti regem, nullus hæreticorum est aduersatus. Prius tamen quàm rediret, Vratislauiam nobilem urbem reuisit, Slesiarum caput. Ibi cum diuinis in teresset in æde pontificali, frequentesq; principes conuenissent, Poggiebracius quoque proximus regi adstaret, fama est, eaq; uulgata, Chilianũ quendam parasitum ex his, qui stulticiam simulantes alios stultos faciant, Poggiebracium his uerbis compellasse. Quo uultu sacra nostra respicias plan'e aduerto, animum non intueor. Fare obsecro, non'ne satis nitida tibi uidetur nostra religio? Vides'ne quàm multi & magni principes, & ipse rex noster unum ritum sequantur? Cur non his potius quàm Rochezanæ cõsentis? An plus sapere paucos Bohemos quàm reliquam Christi ecclesiam censes? Quin relicta in condita plebe, nobilitati te iungas nobiliter. At Poggiebracius, Si tua hæc sunt uerba, inquit, non es quem simulas, tibi tanquam prudẽti respõdeo. Sin aliena, satis facere me

Chilianus histrio Poggiebracium de sacris sapienter interrogat.

B illis oportet, audi ergo. Ecclesiasticas cerimonias sua quisq; pro fide gerit. Sacrificia ea fa cimus, quæ credimus Deo grata. Neq; nostri arbitrij est credere quod uelimus. Victa magnis rationibus mens humana, uolens, nolensq; capitur, utq; natura instituta est, alte ra facile trahitur, altera elabitur. Mihi persuasa est meorum sacerdotum religio. Si tuam sequor, homines fortasse fallam animæ meæ contrarius, Deum qui corda inspicit ne- queo fallere. Neque me tui similem esse decet. Aliud Histrioni, aliud uero nobili con- uenit. Hæc uel tibi habeto si sapis, uel his referto, qui te submisere. Comes Ciliæ dum hæc agũtur fractus animo, & omni spe reliqua destitutus, ab eo petere salutem coactus est, cuius saluti fuerat insidiatus. Ad Fredericum igitur confugiens, malo se usum consi lio dicit, qui dominũ suum reliquerit atq; impugnauerit, recepisse se patrati sceleris pœ- nam, regia curia deiectum, & in alienis hospitijs auxilia mendicare coactum. Pœnitere quamuis sero prioris uitæ, dignus tamẽ cuius Cæsar misereatur, qui non tã nouisse quã prodesse possit. Restiturum Austriam si suo consilio fides sit, nam secum primores pro uinciæ sentirent. Petit errati ueniam, & in posterum magna pollicetur, si pristinã in gra- tiam recipiatur. Cæsar cui uerba dare difficillimum esset, multa se comitis defectione passim damna tulisse commemorat, eaq; resarciri expostulat. Neque Austriam sibi pro mitti sufficere, quæ non esset in comitis potestate, si sua que possideret comes traderet, posse reconciliationem sequi. Sin minus, non placere pœnitẽtiam, quæ nõ sentiret pœ-

C nam. Diu res agitata est. Postremo cum Fredericus facta cuperet, comes uerba offerret, infecto negocio discessum est. Erat per idem tempus inter Franciscum Sfortiam Me- diolani ducem, & rempublicam Venetorum graue atq; atrox bellum. Alphonsus Sy- ciliæ rex Venetos adiuuabat, atq; ob eam causam Florentinus Francisci amicos armis premebat, eumq; Senenses sequebantur. Nec dubium erat quin Francisci conditio mul to inferior uideretur. Quod cum ipse aduerteret, externa ex Gallis auxilia accersiuit, cõ- ducto grandi stipendio, Alphõsi æmulo, Renato Lothoringiæ duce, qui paulo ante ex regno Liciæ fuerat expulsus. Huius aduẽtu magna fortunæ inclinatio facta est, & Vene torum exercitus loco pulsi, debiliores uisi sunt. Sensit hæc Ciliæ comes, atq; hinc suæ mi seriæ finem sperare cœpit. Missisq; ad Venetos legatis, uenturum secum ingentibus Bo hemorum copijs, auxilio pollicitus est, & finem bello impositurum, si stipendia daren- tur. Neq; id erat difficile. Nam Bohemi nouarũ rerum cupidi, & in armis educati, nullo imperio domi teneri queant, si quis militantibus mercedem offerat. Adhibuerũt aures Veneti. Sed cum longinqua militia multum auri exposceret, oblatam potius cum hoste pacem accipere, quàm dubium emere bellum uoluerũt. Frustratus ijs Comes, postquã foris nullum exilij sui præsidium reperit, per amicos reconciliari Ladislao quærit. Neq; amplius aduersata fortuna est. Inuisus Baronibus Eizingherus, quorum auariciæ atque

rapinæ obsistebat, conseruare gratiam regis nequibat, cum illi modo per seipsos, modo D per filios, qui regi diu noctuq; astabant, Eizingherũ criminarentur, & indigne pulsum comitem dicerent, regi propinquum, & qui sibi regnum restituisset. Libuit igitur ab exilio reuocare comitem.

De reductione Vlrici comitis Ciliæ & restitutione administrationis sibi facta. *Cap. LXIII.*

Vlricus comes Ciliæ, q in exiliũ missus fuerit reuocatq magnifice excipitur. Eizingherus urbe relicta exiliũ quærit.

COmes ijs gestis, per amicos clam regi reconciliatur, reuersurusq; Viennã magno & splendido apparatu, mille ducens equites expeditos in armis, adit, uenienti rex obuiam extra urbem factus est. Primores, nobiles, populares, omnes secuti salutare, amplecti, laudare comitem, certare inuicẽ, contumeliosius eiecerint, an magnificentius rereuocauerint. Mira rerum mutatio. Qui paulo ante mœstus in exilium ierat, in triumphantis modum reuertitur. Eizingherus, qui culmen potentiæ consecutus eum deiecerat, quod in alium statuit, in seipsum pati cogitur. Intrante nanque urbem comite, ipse cum amicis egreditur, spontaneum exilium eligens. Lubricus apud reges primus est locus, solida potestas unius uoluntate subnixa. Ferunt comitem, Eizingheri cognito recessu, laudasse hominem, qui fortunæ ludibrio se subtraxerit, paratam ei turpissimam fuisse mortem, si iudicium expectasset. Vsurum optimo consilio, si curiales procellas perpetuo declinauerit. Nec tamen sibi ipsi curiæ mores placere, fluxa incertaq; omnia esse omnibus horis instare pericula, acceptam superiori anno ignominiam mẽti suæ semper E hærere, semper ante oculos esse turpem eiectionem, contumeliosum exilium, probrosa uerba, mirari quod non peiora pertulerit. Deo gratias agere, qui sibi pristinum statũ reddiderit, satisfactũ honori suo esse, nec plura cupere. Mãsurum tamdiu apud regẽ, donec eiectionis infamiam gloriosi reditus rumor extinguat, potentiã deinde, & regis amicitiam, & populares aures malle se dimittere quã perdere. Non tam fortiter ea fecit quàm dixit sapienter. Potẽtiã qui consecutus fuerit, nemo tam facilè deponit, quàm damnat. Retinent amici, implicat gloriæ cupido, obstat inimicorum metus, semper est quod crastinare compellit. Facilius Gordij famosum in Asia nodum quis soluerit, quàm potẽtiæ regniq; blandicijs sese explicauerit.

Potentia facile uituperatur, difficile abijcitur.

De dolo Comitis Ciliæ, Ioannem Huniadem ab administratione regni Hungariæ cupientis amouere. *Cap. LXIIII.*

HVngari postquã regem in Austriam redijsse accipiunt, legatos ad eum è uestigio mittunt, utq; in Hungariam ueniat, suumq; regnum uisitatum petũt. Ioannes Huniades per idẽ tempus Hungariã fere uniuersam in potestate habuit, regiæ arces in manu eius fuere, equestres pedestresq; copiæ uni ei paruere. Id nonnullis regni Baronibus inuidiosum ac molestum erat, atque in primis comiti Ciliæ, qui locum eius optabat, nec post lectionem ab eo promissum acceperat aurum. Criminari ergo Ioãnẽ, regi odiosum efficere illum regẽ esse, non Ladislaũ, uectigalia ad eũ cuncta deferri, munitissima regni F oppida, arces, equos, arma, in potestate eius esse. Nihil dubiũ quin regni coronam quærat, si nequeat per Christianos, conaturum per Turcas, quibus bis magnos Hungarorum exercitus prodiderit. Palam Turcis infestum uideri, clanculum esse amicum. Bis fidem ab eo uiolatam, reginã Elizabeth, introducto rege Poloniæ, cõtra ius fasq; repulsam. Polonum quem accersierat, in bello desertum. Si pergat in Hungariam Ladislaus, in eius manu aut ui, aut ueneno periturum. Id solum quæri, dum regis in Hungariã transitus petitur. Quin prouincias ex arbitrio suo regunt, eos sine fraude dolisue superioris præsentiam expetere, insidias proculdubio in caput regis paratas esse. Præueniendum facinus, & in autorem uertendum scelus. Promittendum in Hungariã iter, prius tamen Ioannẽ sub specie pacandi regni ad curiam euocandum, uenientem capiendum atq; necandum, sic Ladislaum paterna regna perfrui posse. Tutissimum illud consilium ac salubre uisum, compositis insidijs, Ioãnes ad regem uocatur. Ille ab amicis de fraude certior factus (difficulter enim res magnæ silentur) pariturum se regi in Hungaria respondit, iturumq; quocunq; iusserit, extra regni fines non esse obnoxium. Mittuntur igitur ad eum primores curiæ cum comite Ciliæ, qui secum in finibus Hungariæ conueniant ad oppidum Coziæ, conuentumq; Viennam abducere, si nequeant, intra oppidũ

arte tra-

A arte tractum interficiant. Ioannes ad iactum teli cum duobus milibus equitum constitit, colloquium in campis offerens. Comes Ciliæ se regis uicem gerere ait, gubernatori eos adire qui regis mandata perferant, haud indecorum esse, necq; se ita ignobilem, ut cedere Ioanni debeat, colloquium intra oppidum et quietius & honestius haberi posse. Ioannes legationem ad se missam dicere, legatos ei cedere ad quem mittatur, de nobilitate non esse in præsentia certandū. Cæterū in Hungaria, Comites Ciliæ regni gubernatores sequi solitos, postremo munita se oppida minime ingressurum, nisi præsidium intus habeat, æque ut Comes. Ita rebus infectis discessum. Noua deinde fraus excogitata. Vicerunt Ioannem cōmunes amici, aduentus in Viennā promissus, si modo rex principesq; nominatim suis literis securitatē facerent. Oblata sunt omnia quæ optauit. Ille ad octo milia passuum Viennæ appropinquauit. Ad quē Lambergius nobilis eques, iussu comitis egressus properare eum festine iussit. Iam enim rex magno comitatu obuiam exisset, & cum eo Comes, qui literas publicæ fidei afferret. Motus eo nuntio Ioannes, triginta ferm è stadia uersus urbem profectus est, inspiciensq; late cāpos, cum neminem exire obuiā cerneret, in propinqua uilla consedit. Tantisper moratum, Comes cum quadraginta tantum equitibus adijt, & ne regem occurrentem moraretur, equū repente ascendere, festinareq; iussit. Ioannes late, inquit, campi patent, necq; ego uel re B gem uel alium quempiam uideo uenientem. Tum Comes æstum causatus, regem intra uineas & arbores expectare in umbra dixit. Interrogatus de literis apud regem eas esse respondit. Intellexit fraudem inesse Ioannes, seq; uerbis incassum duci. Conuersus ad Lambergium, recte, inquit, mentitus es mihi. Cui Lambergius. Quæ iussit Comes ea dixi. Si quis error inest, eum argue. Ipse suam causam agat, qui mandauit, mihi parere necessarium fuit. Rursus Ioannes Comitem intuens, siccine ludificare homines pergis? Fraude me appetis? ego te ui possem perdere. Incideras in foueam quàm fodisti si uellem. Quis prohibere potest, quin de te hodie ultionem accipiam, dignaq; tuis factis præmia reddam? Reuerentia regis te saluum facit, illi tuam uitam dono, non tibi, caue posthac, ne meos ante oculos ueneris. Atq; ita rursum cōueniendi spes adempta. Multa post hæc inter Hungaros & regem agitata sunt, & cum ipso Ioāne pactiones habitæ. Arces nonnullæ regi redditæ, rex ipse Budam profectus.

De cruce signatis, & pugna eorundem contra Turcas, uictoriamq; apud Albam in Hungaria habitis, Cap. LXV.

INterea mortuo Romæ Nicolao 5. Pontifice maximo, qui Eugenio quarto successerat, Calixtus tertius Petri cathedrā est adeptus. Qui cognita Mahumetis Turcarum imperatoris uoluntate, Hungariam sibi armis subijcere cupiētis, iam enim Cōstantinopolim Græciæ culmen expugnauerat, Ioannē cardinalem sancti angeli, uirum industri C um ac magnanimū, cum legatione in Germaniam misit, Septentrionis uires in Turcas concitaturum. Coactus est exercitus non tam armatus quàm fidelis. Vulgus incomptum, populares inopes, arma sumpsere, quos æternæ uitæ præmia cōmouerūt, opulenti homines, præsenti rerum statu contenti, domi mansere. Odiosus plerūq; potentibus sermo diuinus, quibus desunt facultates leuis in cælum uolatus. Mahumetes autem Constantinopolitana uictoria superbus, congregatis ingentibus copijs, in Thracia per tribulos in Hungariam properans, centum quinquaginta milia pugnatorum ducere ferebatur. Et inflatus opinione sui, tantoq; tumens exercitu, nil dubitare, quin deuicta Hungaria, Illiricos penetrare sinus, atq; intima rura Liburnorum, & fontem superare Timaui, rerumq; caput Italiam atq; Romam uno impetu subigere posset. Verum parua urbs, & alioquin nobilis, tantos eius conatus retinuit, Thaurinum appellauere maiores, nostra ætas illam uocat Albam, ad confluētes Danubij Sauiq; sitam. Hanc primam oppugnare statuit, propter opportunitatem transeundi fluminis. Iohānes Capistranus ordinis Minorum professor, uitæ sanctimonia clarus, ea tempestate Hungaros in arma publicis sermonibus excitabat. Qui ubi appropinquare Turcas accepit, nihil moratus, in Albam se contulit, haud paruam cruce signatorum manum adducens. Ioannes quoq; Huniades contractis raptim copijs, eò profectus est. Cardinalis Budæ remansit, auxilia

M 3 undiq;

undiq; ciens. Rex ubi aduenisse Turcas cognouit, nec uires Hungaris esse, quæ tantam uim ferre possent, mobiles gentis animos ueritus, neq; satis tutam Budæ moram arbitratus, sub specie uenationis urbem egressus, in Austriam propere se recepit. Turca interim apud Albam castrametatus, summis uiribus eam urbis partem oppugnare adoritur, qua plan patuit aditus, dispositisq; tormentis raræ atq; insolitæ magnitudinis priores muros aperuit. Vacuum haud paruum spacium intus erat, usq; ad murum alterum. Hic cruce signati stationes habuerũt. Parum tecta armis acies, gladijs hastisq; tantum hispida, uerum ferocitate animi, & cœlesti auxilio tuta. Ingressi per muri ruinas Turcæ, atrox cum his prælium commisere. Capistranus ex turri clamitans Christianos hortari, uexillum crucis ostendere, opem de cœlo promittere, maledicere hostibus, Dei præsentiam implorare. Huniades modo huc modo illuc cum globo militum currere, instaurare ordines, pro fessis ualidos, pro saucijs integros sufficere, imperatoris ac militis officium exequi. Pugnatũ est summa utrinq; ui, modo nostri, modo Turcæ pedem referre. Hinc uiuentium clamor, inde morientium audiri gemitus. Audaciores, primiq; bellatores confossi gladijs cadere, super cadauera passim strata belligerari, pulsi extra mœnia hostes. Instante suo imperatore, urgente, castigante, Turcæ iterum irrumpere, iterum pugnare, acriter Christianos in ultimum discrimen adducere. Postremo Christiana uirtute repulsi, denuo periculi magis quàm pudoris anxij, oppidum fœda relinquere. Rursus sequentibus cruce signatis, extra muros pugnam instaurare. Mox ex proposito fugere, & quàm remotissime ab oppido Christianos protrahere. Interim aciem à latere immittere, quæ reditum in urbem egressis intercipiat, furentes nostri ac uictoria exultantes, in quod præcipitarentur discrimen non aduertere, paulum processuris, & à fronte, & à tergo periculum imminere. Vidit ex muris Capistranus transuersum hostium aciem, insidiasq; cognoscẽs, reuocare suos cœpit. Cum parum exaudiretur, tympanis ac tubis confundentibus uocem, præceps in pugnam dilabitur, atque inter duas acies, inter tela uolantia percurrẽs, clamoribus ac signis cruce signatos redire coẽgit, apud quos nulla erat Huniadis uel fides uel autoritas, quorum magna pars Theutonica fuit, Hungarico infensissima generi. Fraudati magna spe Turcæ in castra redierunt, cum quatuor et uiginti horis interdiu noctuq;, nunc muros quatiẽtes, nunc manu pugnantes prælium protraxissent. Multi ex utraque parte cecidere, plurimi ex Turcis, & hi quidem præstantiores. De cæsis hostibus uaria sentẽtia est. Quidam super quadraginta milia perijsse tradiderunt, nonnulli uiginti milia cæsa fuisse affirmant. Alij ad summum quatuor milia cæsa fuisse dicunt, quod nobis infra uerum esse uidetur. Neq; enim in tanto exercitu uideri clades ea octiduo potuisset. Maior profecto iactura tantum imperatorem fugere compulit, qui sequenti nocte incensis castris ac machinis, cum toto exercitu trepidus abijt. Nec tam audax superbusq; uenerat, quàm timidus dimissusq; fugam arripuit. Traditum est sub pupilla confossum, confossum, salutem desperasse, uulnus eius obsidioni finem dedisse, inter fugiendum plures quàm in acie perijsse. Victoribus ea tãtum præda relicta est, quæ non potuit ignis absumere, tormenta scilicet ænea, & arietes ferro graues, machinarũq; ingens uis. Huniadis & Capistranus huic bello interfuere, uterq; rem gestam scripsit, neque alterius mentionem fecit, alteruter solidam sibi rei gestæ laudem usurpauit. Ingens dulcedo gloriæ, facilius contemnenda dicitur, quàm contemnitur. Spreuerat Capistranus seculi pompas, fugerat delicias, calcauerat auariciam, libidinem subegerat, contemnere gloriam non potuit. Qui summo Pontifici bellum, atque exitum belli describẽs, nulla Huniadis, nulla Cardinalis facta mentione, totum suum esse dixit, quod gestum erat, quamuis Deum in primis uictoriæ confessus fuerit autorem. Nemo est tam sanctus, qui dulcedine gloriæ non capiatur. Facilius regna uiri excellentes quàm gloriam contemnunt. Verum paulòpost & Huniades & Capistranus alter morbo, alter senio obiere. Felices animæ quibus tam claro peracto prælio, tanto populorum fauore quæsito, ægra relinquere corpora datum est.

Fuga Turcarum.

Capistranus gloriæ cupidus.

De inter-

A *De interfectione Comitis Ciliæ per Ladislaum Huniadis filium patrata, Cap. LXVI.*

LAdislaus audita Huniadis morte,suadente Ciliæ Comite in Hungariam rediјt,duobus sibi ut uidebatur æmulis liberatus,altero qui fraude,altero qui ui suum regnum appeteret.Nō minus Huniadis obitus,quàm Turcarum afflictæ cordi fuit,qui sublato aduersario Hungariam iam sibi parare nō dubitat. Cæca humanæ mentis iudicia,sæpe læta pro tristibus,pro lætis tristia ducunt, futuri nulla homini certitudo. Nemo nouit quid uesper uehat,nemo tam superis amicus est,ut crastinam sibi lucem promittere possit.Multi dum se credidere deiectos, in sublime rapti sunt,multos exilia claros facere,& optata consecutis sæpenumero exitio turpitudiniq; fuerunt.Comiti multo salubrius fuerat Huniadē uixisse,qui Hungariam suæ neci destinatam clausisset. Nunc metu uacuus, regem in Albam ducit,hostiū spolia recogniturum,et campos uisurum,ubi prælia gesta, ubi barbara castra fuere.Eam urbem Ladislaus Huniadis filius, ualido præsidio retinebat.Qui uenienti regi, purpuratis,togatisq; portas aperuit,armatorū circiter quatuor milia ab ingressu prohibuit.Hic dum Mora trahitur,rem diuinam spectante rege, consiliū de morte Comitis in abdito cōclaui proceres ineunt. Vocatus eo Comes,an iret aliquādiu hæsitauit.Exin diploide uix penetranda ferro indutus, proficiscitur. Venientem Ladislaus proditorē compellat,qui patri sæpe necem parauerit, infensumq; sibi regem red-
B diderit,nunc diem uenisse quo scelerum pœnas luat. Sunt qui Comitem prius arguisse Ladislaum dicant,tanquam regi rebellem, qui eius armatos intrare oppidum uetuisset. Illud constat,Comitē arrepto ex manu armigeri gladio,Ladislai caput petentē,nonnullos interiecisse manus,digitos amputasse,exorto clamore Hungaros irripuisse,defendētemq; se magno animo Comitē multis cōfossum uulneribus obtrūcasse. Nec moratos, ea nouitate regem perculsum adeūtes,occisi regni hostem dicere, digna meritis præmia reddita.Regi nihil timendum esse,cuncta eius imperio patere, nunc regnum eius incipere,prius apud Comitem fuisse.Rex quanquā uehementer commotus erat tam atroci facinore,supra tamen quā eius ferebat ætas dolorem atq; uim compressit,nec dubitauit ui cæsum Comitem profiteri. Amicis uero circunstantibus, ferendumq; quodcunq; id esset dicentibus atqui sic necessitas, inquit, exigit. Ferendum est quicquid uitari non potest.Adeptam comiti uitam reddere non possumus. Ille suo fato functus est,nobis nunc nostra manent, quæ Deus optimus maximus meliora faxit. Iussitq; defuncti cadauer plaustro impositum Ciliam deferri,atq; in sepulchris maiorum condi.

De laude Ioannis Huniadis per regem Ladislaum pronunciata, Cap. LXVII.

IPse autem rex,Alba relicta comitāte Ladislao,Budam repetere statuit,inter equitandum ad oppidum Huniadum peruenit.Ibi coniunx Huniadis obuiā facta est,ob mortem mariti lugubri ueste induta,puellæq; quæ circa eam erant deiectis in terram uulti- *Consolatur rex uxorem Huniadis.*
C bus, pullis amictibus mœrorem præ se ferebant. Rex matronam complexus, indigna sunt, inquit, hæc uestimenta quæ ob mortem uiri tui deferas, Ioannes Huniades de morte transiuit ad uitam. Ille Hungariam Christo,mihi regnum seruauit,Christiani nominis hostes fudit, fugauit, perterruit,pacem Hungaris peperit,salutem cunctis fidelibus aperuit. Fortia eius facta etiam hostes admirati sunt,& uitam & mortem posteritas consecrabat. In prælio strenuus, domi mitis, in bello uicit hostes, in ægritudine seipsum superauit. Consilio ac manu suas acies sustentauit, perfregit hostiles. Vbi adesse extremum uitæ tempus agnouit, & urgere uim morbi, non est passus dominicum corpus ad se deferri,neque enim dignum existimauit seruum à domino uisitari, surrexit è lectulo quamuis labentibus membris,& cum deficiente uirtute suis pedibus ire non posset,in ædem se uehi sacram iussit. Ibiq; de more Christiano, si qua extabant rerū humanarum uestigia sordium,confessione detersit.& sacro sanctā accipiens eucharistiā, inter sacerdotum manus terrena fastidientem animam exhalauit. Et quo illum migrasse credimus,nisi ad eū pro quo tot bella depugnauit? Ad imperatorem suū perrexit fortis miles,cū Christo regnat,q pro Christo tot periculis se obiecit.Iam pridē debitū sibi cœlū tenet,nō est cur,diuinitate fruentem lugere oporteat.Cōgaudere gaudēti æquius censeo. Facescant intēpestiuæ lachrymæ,superuacaneiq; luctus, absit omnis mœror atq; in pri-

mis lugubres habitus, pullasq; uestes exuite. Atq; his dictis, purpureas tunicas auro distinctas afferri iussit, easq; uiduæ ac filijs dono dedit. Puellas quoq; sua dignitate donatas, mutare habitū increpauit, totūq; diem lætitiæ dari. Conuiuia demū splendide apparata, inter epulas & uina saltatū cantatumq;, quasi celebres nuptiæ per lusum & iocū actæ. D

De captiuitate filiorū Ioānis Huniadis, & de collatione Ladislai filij eiusdē senioris, Cap. LXVIII.

HIs blandimētis allecti Huniadis filij, nihil iam dudum ex cæde comitis in caput suū uerti posse considebant. Itaq; posito metu, regem usq; ad Budā secuti sunt, aulāq; in primis æstimati cultiq; frequentabant. Verum amici comitis regias aures dietim pulsare, illustrem principem auunculum regiū sine causa necatū conqueri, maiestatē grauissime læsam dicere. Inultū tam atrox scelus relinquendū non esse, corrigendū audacē iuuenem, ac temerariam audaciam nisi mature coërceatur, in furorē uerti. Nullum inueniri clementē uirum qui iuuentutē crudelitate insigniuerit. Arma in manus nepharij adolescentis periculosa esse, ausurū proculdubio etiā in regem, qui regi proximū obtruncauerit. Iam illi regnandi spem factam, patrē eius idem concupiuisse, animū seni, nō uoluntatem defuisse. grauiorem ætatē discrimina quæq; metiri, iuuenem quodcunq; libuit factu facilimū credere, per æqua & iniqua ad regnum tendere. Occurrendū priusquā malum amplius serpat, in Ladislao & facta & meditata inueniri facinora ultimo supplicio digna. Rex siue ijs motus, siue suapte natura incensus, designata hora qua filij Huniadis ambo in regiā concessissent, armata iuuenū manu portas claudi iubet, adolescentesq; captos in carcerē rapi. Cū quib. & Ioannes episcopus Varadinensis, raræ uirtutis, ac facundiæ, & pleriq; alij cōpræhensi sunt, tanquā cædis comitis et insidiarū quæ regi pararentur conscij. Ladislaus quatuor & uiginti natus annos, egregio corpore adolescens, flauis de more crinibus super humeros passis, reuinctis post tergum manibus, talari atq; aurea ueste indutus, & eadem fortasse quā sibi pauloante rex donauerat, in publicū producitur. Erecta ceruice, oculos hinc & illinc spectantibus, impauidus atq; intrepidus ad supplicium pergit. Vbi ad locū uentū est quo ceruix amputāda erat, iussus genua flectere, pauca prius pro sua excusatione locutus, carnifici paruit. Præco cui damnatorū crimina publicare mos est, imperato silentio, nihil aliud dixit, nisi eo modo corrigi, qui domino suo infideles essent: Carnifex religata Ladislai coma ne collū impediret, iussus percutere, nutans libansq; uix tandē quatuor ictib. candidam ceruicē abscidit, * atq; ita nobilis adolescēs occiso comite parentauit eius in uinculis retentus est. Episcopus Varadinensis, multum instante Cardinale Sancti angeli, qui tum legatū apostolicum agebat, Dionysio episcopo Strigoniensi, eidem quoq; Cardinali & pari legatione fruenti, secundū canones iudicandus traditur, de cæteris captiuis suspensum iudicium, qui tamen paulo post fractis carcerib. euasere. Rex Budæ non diu moratus in Austriā se recepit. Matthiā Huniadis filiū coæuū, captiuum ducens. Cum per Strigoniū iter faceret, uocatū ad se Ioannem Varadinensem præsulem, bono animo esse iussit, ijs uerbis usus. Cū essem Budæ, feci quod uoluere Barones, neq; enim mei iuris eram. Quod te cepi illorū fuit, quod te supplicio culpaq; libero, meum est. Spectata mihi tua uirtus, nihil de te sinistrum credi sinit. Abi, & quem gessisti hactenus episcopatum gere. E F

Ladislaus gladio petitur.

** Hic locus nobis non satis integer uidetur, nec tamē aut quicquā detrahere aut ex nostro aliquid adijcere ausi sumus, sed studiosè lectoris arbitrio relinquimus emendandum.*

De coniuge regi tradenda. Cap. LXIX.

IN Austria de coniuge regi tradenda diu cogitatum, multæ uirgines offerebantur, tantum coniugium expetentes. Verum nobilissimo regi quæ coire merito posset, nulla dignior uisa est Magdalena, Caroli regis Franciæ filia, tum propter ætatem conuenientem, egregiam, formam, pudicos mores, tum propter sanguinis excellētiam, raramq; nobilitatem & maiorum eius late gloriam. Placet legatos mittere, qui sponsam petant, de loco nuptijs eligendo contentio exoritur, Hungari Budam, Austriales Viennam, Bohemi Pragam tantæ celebritati deputandam aiunt. Diu res trahitur nutante rege. Ob eam causam Georgius Poggiebracius cum octingentis expeditis equitibus in Austriam usque ad Danubium proficiscitur, magna se habere dictitans, quæ regi pandat. Tranare iussus atq; urbem ingredi. Viennam sibi suspectam ait. Rogatus per nuncios quæ uelit pandere, negat se alteri quàm regi arcana dicturum, non esse ab re trans fluuium re

A gem pergere. Eundũ ne fuerit, aliquãtisper hæsitatũ. Senatui nõ placebat tantum licentiæ dare subditis, insolẽtes eo modo fieri, & maiestatẽ uilescere. Ladislaũ gubernatoris mouebat autoritas, et aliquod subesse arduũ existimabat. Neq; latebat eũ honestate utilitati cedere, ac tẽpori seruiendũ esse. Perrexit igitur inermis ad armatũ, tria milia equitũ secuta, togat⁹ magis quã loricatus exercitus. Tẽtoria in ulteriore Danubij ripa protesa, dimisso spacio inter bina castra, et tabernaculũ in medio collocatũ, in quo rex cũ gubernatore cõueniret. Quatuor dieb. colloquiũ productũ est, rex per noctẽ in urbẽ redijt. Primus congress⁹ public⁹ fuit, in q̃ salutatio de more facta, et honos regi habit⁹. In altero atq; itẽ altero, duo tantũ sermonis testes adhibiti. In quarto semotis arbitris, sol⁹ cũ rege Georgi⁹ tabernaculũ introiuit, uerba inter eos habita nõ sunt ꝓdita. Ex ijs tamen quæ postea secuta sunt, manifestũ, de trãsitu regis in Bohemiã fuisse tractatũ. Vbi sermone sæpius habito nõn coiẽre uolũtates, indignabũdus Poggiebraci⁹ minabũdusq; retro in Morauiã iter flexit. Regi haud salubre consiliũ uisum est, dimisisse hominẽ male pacatũ, quẽ penes regni potestas esset, q nocere pariter ac minari posset. Misit ergo primores ex curia proceres, qui placatũ retraherẽt, sin minus, facturũ postulata regẽ promitterent. Inuẽtus in itinere, nec de reditu uerbũ fieri passus est, nec de sententia sua quicquam detraxit. Promissus itaq; in Bohemiã regis trãsitus, & nuptiarũ solẽnitas Pragæ destinata. Nec dicto fides defuit. Or
B dinatis Austriæ reb. etiã ante diem dictã ingenti rex apparatu Bohemiam petijt. Intranti Pragã, Rochezana cũ sacrilego presbyterorũ comitatu põpam ducens, obuiam uenit, et habita oratione, fausto feliciq; reditu cõgratulatus est, uix admonẽte Poggiebracio rex gratias egit, hæreticũ ac pestiferũ toruis oculis clerum inspiciens. Vbi uero maioris ecclesiæ sacerdotes sacra ferentes occurrerãt, Hos, inquit, dei ministros agnosco, atq; ab equo prosiliens, cõsalutatis omnib. sacram crucẽ osculatus est. Erant enim Romanæ fidei sectatores, qui pro testamẽto Dei exiliũ lõgo tempore passi, Sigismundi tandẽ uocatione sua loca recuperauerant. Hæc Ladislai pietas multorum offendit animos, qui Rochezanæ studebant ineptijs. Suppressum tamẽ ac dissimulatum odium. Inde duæ legationes missæ, altera ad imperatorẽ Fredericum de pace actura, in qua princeps fuit Eizingherus, altera ad Carolum Franciæ regem, eius filiam petitura. In hac primas partes gessit Vlric⁹ Pataniensium præses, moribus ac doctrina præditus, quẽ tradunt octoginta equos albicantes duxisse. In ea legatione septingenti equites profecti sunt, quadrigæ auratæ, matronæ ac uirgines splendido apparatu, quæ sponsam ducerent, uestes præterea donaq; tanto matrimonio missa. Tertia quoq; legatio ad Calixtum pontificem maximum decreta erat, quæ controuersias de religione dirimeret, regnumq; Bohemorum Romanæ ecclesiæ coniũgeret. Super his quarta cura regis urgebat animum, cõparandi contra Turcas ualidi exercitus, quo tandem nostra ætate scelerata Mahumetis superstitio pelli ab Euro-
C pa posset. Iam de concordiæ formula cum Frederico cõuenerat, instruebantur regiæ nuptiæ maximo sumptu, splendidissimo apparatu, Imperator & Augusta uocati, ambæ regis sorores cum uiris eam celebritatem accessuræ ferebantur. Saxoniæ, Baioariæ, Slesiæ, Franconiæ, Rheni principes, multi quoq; ex Gallia reguli, uenturos se promiserant, nõ solũ nuptias ornaturos sua præsentia, uerum etiã tuenda republica Christiana cõtra Turcas acturos. Sed hos tantos cogitatus, has pulcherrimas institutiones, tantũ rerũ ordinẽ immatura mors ac repẽtina regis interrupit. Incertæ uanæq; cogitationes hominũ, futurum quicquid cæca caligine Deus occuluit, ipse sibi gubernacula retinet uniuersi. Nihil sine suo nutu mortales agitant. Sapienter ab eo iusteq;, cũcta reguntur, sæpe in cõspectu eius æquissima sunt, quæ nobis uidẽtur iniqua. Nihil perperam, nihil temere diuina maiestas agit, nos cæci uersamur in tenebris, minimum est quod cernimus. Ad regimen animæ nostræ liberum nacti sumus arbitrium, ad saluandas animas lux reddita Christianis. De regimine ciuitatum, de mutatione regnorum, de orbis imperio, minimum est quod homines possunt, magna magnus disponit Deus.

De infirmitate & morte Ladislai Regis, Cap. LXX.

LAdislaus igitur decimo calen. Decẽbres, hora circiter duodecima noctis, ægrotare cœpit. Sunt qui ulcere pestifero percussum inguine dicunt, pleriq; nullum pestilen-

tiæ signum apparuisse. Verum mihi ita res conscripta est ab his, qui diligenter tum medicos, tum cubicularios audiuere. Sed erat in iudicio rex quod de nobilitate inter Poggiebraciũ & Cernhaorã Morauũ magnis contentionib. agebatur, ita ut alter alterũ ad duellum prouocauerit. Neq; de more indutus prodierat, linea tantum indumenta susceperat, & desuper Persicum habitũ, quã uocãt schubam. Neq; toto auditorio ridere uisus, tristẽ uultũ notauere oẽs. Id signum præsagiẽtis ægritudinis iudicatũ. Dimisso tribunali, cœnauit inter purpuratos, cõposito ac graui sermone usus. Post multam noctẽ in cubiculũ ductꝰ, oblatas rapulas, quæ apud Bohemos dulcissimæ sunt, auide comedit, siceraq; bibit, sermones haud quaquã tristes inter cubicularios miscuit. Priusquã lecto decũberet, orationem de more ad superos habuit, qua finita, grauatũ se dixit, & stomachũ uehementer dolere. Cui unus ex cubicularijs natione Bohemus, Ascende, inquit, stratũ, dolorem somnꝰ excludet. Paruit rex, quietiq; se tradidit. Cũq; ad horã dormiuisset, uocato iterũ cubiculario, uim doloris qui sensim cresceret, intolerabilem esse ait. Ille de se iudicium faciens, nihil somno melius affirmare, sic dolorẽ cessurum dicere. Iam noctis hora tertiadecima ferme effluxerat, regi nulla quies dabatur. Ne tamẽ cubicularijs molestus esset, dolorem in diem tacitus pertulit. Tum medici accersiti quod suarũ partiũ erat desperata salute fecerunt. Georgius & ipse uocatus percũctari ex rege cur doleret, quid morbi esset, spẽ bonam præbere, ne sibi ipsi deesset hortari, peteret quæcunq; uellet omnia in arbitrio suo posita, mandaret parere cupientibus. Ad quẽ rex, Tua mihi Georgi iam pridẽ cognita fides, spectataq; uirtꝰ est, per te Bohemus usq; in hãc diẽ me regẽ appellauit. Speraui potiturum regno, quod ipse parااueras, nunc cõtra superi iubent. Mihi moriendũ est, regnũ in tua manu erit. Duo ex te peto. Alterũ, ut prouinciales iuste regas, pupillis, uiduis, imbecillisq; rectũ iudicium patrociniumq; ne subtrahas. Alterũ, ut qui me secuti sunt ex Austria, cæterisq; prouincijs, in patriã suam inuiolatos remittas. Hoc mihi supremũ beneficium ne deneges. Præmaturas regis cogitationes Georgius esse respõdet. Futurum breui sospitem, ex suo arbitrio regnaturum, desineret ea proloqui quæ & sibi incommoda, et alijs forent molesta. Tũ rex appræhensa manu. Aie, inquit, promitte quod cupio, nam me mori certum est. Si feceris quæ iubeo, deum propiciũ tibi reddam. Neq; enim ita uixi, ut cœlum mihi negari putẽ. pro cœlestibus terrena relinquo, tu caue postulatis aduersari. Nõ potuit tenere lachrymas Poggiebracius, deditq; fidem facturũ quod rex imperasset. Finito sermone intromissis sacerdotibus de curatione animæ actũ, Christiano more sacramenta exhibita. Rex ornamẽta sua Pragensi ecclesiæ legauit, iussitq; crines in auri modum fulgentes, ne qua superesset uanitas, amputari. Id ministri causas more nectentes neglexere. Vbi anima ægra amplius demorari non potuit, sacrã candelã petijt, eamq; manu præhendit, & intuens saluatoris imaginem crucifixi orationem dominicam dicere orsus ad finẽ usq; perduxit. Pronunciatisq; ultimis uerbis, Sed libera nos à malo, nihil amplius locutus, non extrema pati sed quietem arripere uisus mortalis uitæ lumẽ reliquit. O imbecillem humanæ naturæ conditionem. O inanem mortalium gloriam. O cæcas hominum mentes, quid iactamur? quid extollimur? Quid est quod dignitates, opes, potentiã, tãtopere flagitamus? Perpetuo his frui cui datum? Ladislaus nobilissimus adolescens duodeuiginti natus annos, in ipso ætatis flore, in ipso gloriæ culmine, tot regnis, tot gentibus imperans, tot delicijs atq; opibus affluens, inter tot auxiliantium manus, intra sex & triginta horas postquàm ægrotare cœpit extinctus est.

Moritur Ladislaus.

De opinione & causa infirmitatis & mortis regis, Cap. LXXI.

MOrtem eius alij morbo, alij ueneno imputauere. Medici Theutones, quorum potissima corporis cura fuit, in Austriam reuersi palam dixere. quàmprimum ægrotare rex cœpisset se uocatos, manifesta mortis ac ueneni signa compræhendisse, neq; ausos in aliena terra manifestare quæ uiderant, timuisse potentiam eorũ quorum scelere rex perijsset, regi clam aperuisse omnia, respondisse illũ non ignorare toxicũ datum, silentiũ imperasse, ne regis morti suã adijcerent. Senatus Viennensis ubi uulgari eã famam animaduertit, medicorũ uerbum inde fieri prohibuit, ne Bohemorum aduersꝰ se ferociam prouocarent. Qui uiolentam mortem dicunt, Poggiebracium & Rochezanam

A nam criminantur. Poggiebracium tum regi fuisse infensum cum ad Danubiū usq; profectus Viennam ingredi noluit, non sine causa suspectū ei regē fuisse. Conscias mali mētes metum implere, quis integer est animus, his omnia tuta uideri Ab eo tempore regiæ uitæ paratas insidias, Rochezanam nunquam regi placuisse, idq; palam factum, cum sicut ante diximus, sacra ferentem cōtempsit. Nec me latet fama uulgatum esse, idcirco regem apud Pragam nuptiarum celebrationem decreuisse, ut concurrentibus eo Catholicis principibus potenti manu hæreticos comprehenderet, fidemq; tandē Hussitarum infamiæ daret. Id præsensisse Rochezanam & Poggiebracium, necemq; regi pro sua salute machinatos. Mihi quid horum uerius uideatur nō facile dixerim, neq; certa pro incertis ausim affirmare. Aliorum dicta recenseo, & plura scribo quàm credo. Illud constat, præter Rochezanam, cui regiam mortem nemo non acceptissimam iudicauit, & Georgium, reliquos regni proceres extincto rege in magno mœrore fuisse, & publicum toto regno luctum, qui ad vij. cal. Decembres continuatus est. Tunc regia pompa peractis exequijs defuncti corpus in sinu proaui sui diui Caroli Romanorum imperatoris sepultum, circumuectio per urbem more maiorum neglecta. Dum hæc scribo Alphonsi regis Arragonum, cui præsentem historiam dedicaueram, multis formidatus, pluribus exprecatus, mihi quidem acerbissimus nunciatus est obitus v. calen. Iulij clausisse oculos
B traditur. Hispaniæ atq; Italiæ rebus aliam formam præbiturus, lugendumq; camenis factum, & ingens disertis iactura uiris. Vtinā successori cura uirtutis sit, minorq; seculo nostro calamitas ingruat quàm timemus. Nos operi quod iam requirit summam admoueamus manum. Georgius ea die, qua inter mortem Ladislai et funeris eductionem media intercessit, accersitis proceribus gubernationem suam nō expirasse regis obitu dixit, prouinciam usq; ad Pentecosten commissam sibi fuisse affirmans. Arma tenenti, nemo finitum morte mandantis imperium obijcere ausus. Pragenses gubernationi suæ nihil morati se commisere. Mathias Huniadis filius ex Vienna ductus, qua die rex obijt, Pragam applicuit, atq; in potestate Georgij factus est. Nec diu postea rex Hūgariæ designatus, magnis sponsionibus dimissus, è carcere uolauit ad regnum. Aduenæ qui Ladislaum secuti fuerant, suam quisq; domum petiere.

De Georgio Poggiebracio, rege Bohemorum sextodecimo, *Cap. LXXII.*

EXinde constituta die qua nouus rex eligeretur, multi tractus habiti, Carolus rex Franciæ, qui filiā Ladislao despōderat, regnum alteri ex filijs suis petere, aut ei committi, cui filiā tradere non dedignaretur. Casimirus rex Poloniæ sororem defuncti regis sibi nuptam esse aiebat, eiq; regnum deberi. Pari ratione Gulielmus Saxoniæ dux utebatur, cui soror natu maior nupsisset. Fredericus imperator eiusdem regni ordinationem suam esse affirmabat, in qua feudi solennia neglecta fuissent. Nec sine spe Sigismun
C dus & Albertus Austriæ duces fuere, qui deficiente rege Bohemiæ sine uirili sobole ex Austria uocandum ueteri fœdere principem notant, Rochezana uenenorum sator crebris sermonibus usurpare, aut regem suæ professionis eligendum esse, aut si nemo tanto fastigio dignus uideretur, Hebraico more iudices assumendos, ueterisq; legis exempla memorans. Vbi dies constituta illuxit, auditis legationibus in conuentu procerum, utilitate regni discussa, Georgius Poggiebracius rex pronunciatur, militiæ domiq; apprime clarus, cui ad res gerendas nec consilium nec ætas deesset. Ea res necati regis maxime suspitionem auxit. Ipse ex prætorio primum in ædem beatæ Mariæ, ubi Rochezana præsidet, solenni pompa deductus, Deo gratias egit, ibiq; nouello regi publica salutatio exhibita. Mira rerum mutatio, & nouus syderum influxus. Duo potentissima regna eodem tempore rege orbata, ex nobilissimo atq; altissimo sanguine ad mediocris homines peruenere. Sic Deo placuit, ludere fortunam dixisset antiquitas. Nos diuinæ prouidētiæ cūcta tribuimus. Vtriusq; regis electionē nonnulli calūniantur, uim adhibitam dicunt, neque iure ualere ꝙ metus extorserit. Nobis ꝑsuasum est, armis acquiri regna, nō legibus.

FINIS HISTORIAE BOHEMICAE.

AENEAE SYLVII PII Pontificis Maximi ſupra Decades Blondi, ab inclinatione Imperij uſque ad tempora Ioannis uiceſimi tertij Pontificis Maximi, Epitome. D

Ex Libro I.

IVit autem in urbe Conſtantinopoli Romanũ imperium magna cum gloria ſub Conſtantino Cõſtantini filio, ac per tempora filiorum eius & amplius uſq; ad Theodoſij ſenioris filios Honorium et Arcadium per annos circiter ſeptuaginta. Sub illis uerò magna imperij inclinatio facta eſt, intrantibus Italiam Gothis & Romanam urbem irrumpentibus paulo ante quàm beatus Hieronymus è uita decederet: & poſtremo Gallias atq; Hiſpanias uaſtantibus: Paulo poſt & Hunorũ ſecuta eſt inundatio, quorum rex Attila Aquileiam deleuit: qui etiam in campis Cathelaunicis cum Gothis conflixit cruentiſſima uictoria, in qua Theodoricus cecidit rex Gothorum. Ipſe uero Attila poſt Aquileiam deletam, domum rediens, noua coniuge ducta, inter dormiendum fluente è naribus ſanguine, ſuffocatus eſt. Odoacer quoq; Rugorum rex quatuordecim annis Italiam ſeruitio preſſit. Et Franci tranſmiſſo Rheno magnum in Gallia imperium quæſiuere. Odoacrem Theodoricus alter Veſogotharum rex interfecit, & ipſe imperium Italiæ conſecutus eſt: eiuſq; ſucceſſores pluribus annis Italiæ dominati ſunt. Secuta eſt & Longobardorum calamitas qui cũ ex inſula Scautia exiuiſſent, & aliquandiu in Germania conſediſſent, & poſtea in Pannonia cũ Alboino rege ſuo habitaſſent, poſtremo à Narſete Eunucho uocati Italiam oppreſſere. Sub Iuſtiniano tamen aliquantulum res Romana apud Conſtantinopolim refloruit, qui per Beliſarum non ſolũ Aſiæ maximam partem à parthorum rabie liberauit, ſed ipſam Africam ex faucibus Vandalorum eripuit. & Gothorum genus ex Roma atq; Italia pepulit, penitusq; deleuit, qui Victigem ultimum eorum regem bello uictum captumq; duxit Cõſtantinopolim. Sed non tam glorioſa huius uictoria fuit quàm lachrymoſa Narſetis perfidia, qui ut diximus Longobardos ad imperium Italiæ perduxit. Maxima uero imperij ruina ſub Heraclio Cæſare contigit, qui & ſi magno triumpho de Perſis potitus eſt, occiſo Coſdroe filio, ac reportato ſanctæ crucis ligno, imperij nomen extulit: in hæreſim tamen lapſus eſt, & ſub eo Maumetham emerſiſſe ferunt, gentili patre & iudea matre natum: quem Arabes & Sarraceni omnes ueluti prophetam habent. Hic et Arabes & Aegyptios & Syros & Lidos à Romano imperio ſeparauit, et qui noſtra ætate eius blaſphemiæ ſectatores ſunt, ad internitionem & imperij Romani & Chriſtianæ religionis aſpirant. A Iuſtiniano uſque ad Heraclium anni intercedunt circiter nonaginta. Vltima clades à Turcis profecta eſt: Qui, ut diximus, regnante apud Francos Pipino, ex Scythia in Aſiam migrauere, gens Gothica prius Gethica dicta eſt. Scythæ hi fuere qui in Europa Thanaidi ſedes proximas habuere, ferox hominum genus & ad mortem parátiſſimum. Hos Trogus Pompeius in Aſia collocaſſe uidetur, res eorum per Aſiam geſtas commemorãs. Quos Paulus Oroſius Romanas ingreſſus prouincias, ſocietatem Romani imperij precibus quæſiuiſſe dicit, quam armis uindicare potuiſſent. Taceťq; eos à Lucullo Romanorũ duce uictos, ac Meſia pulſos. Ait idem Oratores eius gentis ad Octauianũ Cæſarẽ Tarraconæ agentẽ profectos, ut quàm à uictore remotiſſimo pacẽ peterent, facilius impetrarẽt. Ablauius origine Gothus ſcribit illos ab Agrippa Danubiũ trãſire compulſos, ſub Domiciano fuiſſe reuerſos, cũ quibus congreſſus Opius Sabinus primum, & poſtea Fuſcꝰ Cornelius Romani duces copias amiſerunt, & in prælio ceciderunt. Cuius cladis magnitudinem

B (margin, beside "poſtremo Gallias…")
F (margin, beside "reportato ſanctæ crucis…")

A tudinem referens Cornelius Tacitus interfectorum numerum suppressit. Domuit tamē Gothos, & Romanis prouincijs expulit paulo post insignis princeps Traianus, pacem q'ue dedit in Barbarico solo quiescere promittentibus. Eosdem anno post modum fere nonagesimo Antonius Basianus Caracalla in orientem cum exercitu transiturus, cum non satis quiescerent, tumultuarijs prælijs superauit. Et anno deinde uigesimo, Gordianus iunior Gothos ad Danubium uenire parantes, magis repulit quā superauit. Anno exinde octauo, imperante Philippo, qui primus Romanorum principum Christianus extitit, Romani soli prouincias irruperunt, & non solum ipsi qui Vesogothi dicebātur, sed Ostrogothos quoq; secum duxere, trecenta uirorum milia in armis habentes, à quibus Mesia & Thracia miserabiliter uastatæ sunt aduersus quos missus Decius Pānoniēsis aliquot prælijs superatus, re infecta Romam reuertit: Philippus fraude suorum occisꝰ interijt: Imperator qui eum secutus est, eam gentē dimisit intactā, quæ sub Gallo & Volusiano fœdus cū rep. innouauit. Quibus imperatorib. sublatis, Valerianus qui eis successit, in uincula Saporis Persarum regis deductꝰ est. Quo tēpore xxx tyranni imperiū lacerauere: Gothi Bithyniā inuaserunt, Nicomediā uastauerūt, Thraciam & Macedoniā occuparunt, Thessalonicam obsederunt. Deinde Macriani ducis uirtute in Achaia superati recessere: quorū alia manꝰ per Asiā bachata, tēplum Dianæ Ephesiæ spoliauit atq; incendit. Repressit uero eorū audaciam, mox latius uagaturā, Claudius imperator eius nominis secūdus, qui plura biēnio, quā quisquam Romanorū principum decēnio, summa felicitate confecit. Trecenta enim Gothorum milia deleuit, duo milia nauiū submersit: Pugnauit apud Mesios, et multa prælia apud Martinopolim confecit. Capti sunt pleriq; reges: captæ diuersarum gentiū nobiles fœminæ: replete barbaris cultorib. Romanæ prouinciæ, nec ulla fuit regio quæ Gothicum seruum triumphali quodam seruitio nō haberet. Claudium ob eam rem bene gestam Senatus statua aurea donauit. Aurelianꝰ etiam princeps fortissimus Canabū regem Gothorū, nouos ultra Danubiū motus parantē cū quinq; milibus interfecit. Quo in prælio captæ sunt x mulieres uirili habitu pugnantes: quas in triumphū ab Aureliano ductas, titulus præferebat Amazonib. ortas esse. Iidem Gothi anno deinde trigesimo resumptis uiribus, nouos intentauere motus: Sarmaciam enim Europæ barbarici soli Romanorū prouinciam suis cōterminam Scythiæ finibus occupauerunt: quos Flauius Cōstantinus Magnus non minore quā Claudius clade profligauit: & tamen renouato cum his qui cladi superfuerant fœdere, ipsis in bello, quod contra Licinium in oriente gessit, est usus. Continuerunt se postea Gothi tot cladib. acceptis in suo natali solo intra Scythiam, Romanis prouincijs adiacentem per annos circiter septuaginta: quo tēpore Hunni malo Romanorū, Ostrogothos accolas, suo subiecerūt imperio. Sunt aūt Hūni & ipsi Scythæ, sed magis efferati quā Gothi. ut q montib. Riphæis propinquiores existunt. Gothi bifariā diuisi fuerunt: Alij Ostrogothi dicti sunt, alij Vesogothi, id est orientales & occidentales: sic enim Germanica sonat appellatio. Vesogothos suis sedib. Hūni eiecere: qui ab ultima Mæotide inter glacialē Tanaim & Nassagetarum immanib. populis eruperunt, ubi clausis rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibuere. Vesogothi transito Danubio fugientes à Valente imperatore, sine ulla fœderis pactiōe suscepti fuerunt. Deinde propter intolerabilē auariciam Maximi ducis, fame et iniurijs adacti arma corripuere. Euicto Valētis exercitu per Thraciā se immiscētes, omnia cedib. et incēdijs fœdauere. Sed Ablauius scribit Ostrogothos ab Hūnis prius pulsos fuisse, & inde Vesogothos metu perculsos in Romanorum fidem tutelamq; confugisse, impetrata sede citra Danubium in Mesia à Valēte, cum Christi fidem accipere ꝓmisissent. Valēs aūt dedit illis Arrianæ hæresis episcopos à quib. Vesogothi nō tā cōuersi q̄ ꝑuersi fuerūt, ꝑfecitq; Lupicinū atq; Maximū Roman. duces, qui curarēt aduenis necessaria importari: qui ꝑ auariciam illos oppſſere. Ob quā rē Frigiternus Alatheus & Safra Vesogothorū reguli cōmoti, Lupicinum ac Maximū interfecerunt. Et in libertatē se erigētes Daciæ ripensis Mesiæ Thraciæq; possessorib. tributa imperauere. Aduersus q̄s Valens profectus, quintodecimo imperij sui anno cū Vesogothis in Thracia congressus magna strage superatus est: et ipse sagitta saucius cū in uillæ cuiusdā casam deportatꝰ

Gothorū. ccc. millia superātur.

XXX. tyrāni imperij.

Gothorū. ccc. millia occidūtur.

B

C

esset, ab insequentib. hostibus deprehensus, subito igne cõsumptus est. Qua uictoria elati Vesogothi, Cõstantinopolim obsederunt: q̃ Dominica Valẽtis uxor pecunia in populum distributa seruauit. Et Gratianus Valentis nepos, q occidentale gubernabat imperium, afflictis rebus succurrens, Vesogothis resistere statuit: ad quam rẽ Theodosium ex Hispanijs accersitum, ingẽti uirtute uirũ, consortem imperij declarauit: qui apud Sirmiũ indutus purpura, Vesogothis cõgressus, multis & magnis prælijs eos supauit, & uictor Constantinopolim intrauit: deinde pacem cum Athanarico Vesogothorũ rege percussit. Ablauius scribit Theodosium quanquam uincentẽ, morbũ incidisse, atq; ideo Gratianum pacem cũ Vesogothis cõstituisse: quam, liberat⁹ breui Theodosius, ob reuerentiam collegæ uiolare noluerit. Athanaricus per amicitiam Constantinopolim ingressus, admiratus urbis magnificentiã, illic morbo correptus interijt, & Vesogothi rege carentes Theodosio & Reipub. militarunt. Gratianus paulo post apud Lugdunũ Galliæ ciuitatem interfectus fuit, Arbogasti & Eugenij opera: aduersus quos Theodosius profectus, Gothos præmisit, qui ad internecionẽ occisi fuerũt. Theodosius apud Mediolanũ inmatura Reipub. morte pũentus est Archadio & Honorio successorib. relictis. Ordinauerat idẽ tres duces: Ruffinũ qui orientẽ, Stilliconem qui occidentẽ, & Gildonẽ qui Africam gubernaret. Hic ultimus imperiũ Africæ sibi uindicauit: aduersus quẽ miss⁹ ab Honorio Mastelzerius frater eius, cuius filij à Gildone fuerant interfecti, Gildonem ipsum prælio superatũ cupientissime interfecit. Sed imitator fraternæ impietatis, à militib. est occisus. Ruffinus dum barbaris ad rebellionẽ paratis, imperiũ sibi parat, in oriẽte Archadio curãte interfectus est. Stillico genere Vandalus, duas Honorij filias in matrimonium accepit. Cũ prima obijsset intacta, impietatẽ suam magnis simulationib. texit, Eucherio filio suo imperiũ parans, q̃ nõ prius attẽtare ausus est, quã imperatores maximis calamitatib. inuoluisset. Ob quã rẽ Sueuorum, Burgundorũ, Alanorũ & Vandalorũ immanes gentes, ad inuadendas Gallias inuitauit, & Vesogothis ulterius stipẽdia dari dissuasit, sperans Vesogothos desperatione coactos in Italiã proficisci, & se ducẽ aduersus eos decerni, qui copijs ingentib. instructis facile imperiũ obtineret. Anno itaq; septimo & quadringentesimo Christianæ salutis, Stillico & Aurelianus cõsules creati sunt: quo tẽpore Vesogothi stipendio priuati, in Pannoniã secesserũt, ubi regem, quo per annos uigintiquinq; caruerãt, creauerũt. Rex aũt qui creatus est Halaricus fuit ex familia Balthorum in Gothis nobilissima natus: cui & Radagasus & ipse Gothus cũ ducẽtis militibus se adiunxit. Hi duo & Thraciã, Pannoniã & Noricũ & omnem Illyricũ, & primã Italiæ partem, miserandis stragib. ac direptionibus afflixerunt. Radagasus Italiam ingressus et Apenninum transgressus, apud Fesulas consedit, ibiq; à duce Stilicone obsessus est: qui cũ inopiam rerum omniũ pateretur, fugæ se cõmisit: sed captus et paulisper retentus deinde interfectus est: Gothorũ tacita captura facta, ut more pecorũ uenderentur. Quidam nõ Stilliconem Radagasum cepisse, sed Vldin & Sariã: quorum alter Hinnus, alter Gothus, Romanæ Reipub. militabat. Post cladẽ Radagasij Halaricus cũ Vesogothis imperio militare consuetis, Italiã intrauit, atq; usq; Rauennã progressus in loco cõsedit, cui dicitur Candianũ. Interea Barbari, Sueui, ac Burgundi & Alani, ad ripam Rheni peruenerant. Stillico haud ultra differendũ ratus, cũ omnib. copijs à Constantinopoli mouẽs, terrestri itinere in Italiam properauit, atq; per Aquileiã & Altinũ, Patauinumq; agrum, in Rauennatẽ del[illegible]tus est, & ubi nunc Ferraria est cõsedit, quæ tunc uic⁹ erat muro immunitus. Halaricus è Candiano recedẽs, ad Polentiã uicum se recepit uiginti millibus passuũ à Rauenna distantẽ. Stillico Rauennã intrauit, et rei militaris peritia callens, pluribus cladibus Halaricũ affecit, potuissetq; delere si uoluisset, sed noluit: atq; ita trib. annis bellum protraxit. Halaricus perfidiã Stilliconis Honorio significauit, orãs, ut sibi sedes in ea parte Galliæ darentur, ad quas Sueui, Alani & Burgundiones ducib. Vandalis irrupturi uidebantur. Resciuerat Honorius ea etiam per alios, scripsitq; Stilliconi ut pacem cũ Gothis faceret, diesq; statueret qua se illi in Gallias conferrent. Paruit Stillico, & multa Gothis per simulationem concessit, ac maiora pollicitus est: quos postea sacra paschæ die securos & per religionem ociosos ex improuiso aggressus est, immisso duce Saulo, gente & re-

Ann. salu. CCCCVII.

A & religione Hebræo, qui ardentiori odio Christianos sacra die psecutus est, magnāq; cædem ædidit. Sed cū pauci aduersꝰ multos pugnarēt, Halaricus quā raptim aciem struxit, & in Hebræū ruens, usq; ad internecionē eius copias deleuit: & omissa Galliæ cura, aduersus Stilliconē se cōuertit. Stillico animo consternatus, auxilia ab imperatore postulauit. Honoriꝰ duces misit, q Stilliconem & Eucheriū digna mercede interfecerūt. Gothi tamen Italiā per annū liberius populati, Vrbē obsederūt, & nullo defensam exercitu nō tamen paruo negocio irruperunt, quo tempore Hieronymus apud Bethleē floruit. Capta est Vrbs quæ totū cepit orbē, imò fame perit antequā gladio: &, ut Hieronymus ad Principiā scribit, uix pauci q caperentur inuenti sunt. Ad nepharios cibos irrupit esurientiū rabies, & sua inuicē membra laniarūt, dum mater nō parcit lactanti infantiæ, & recipit utero quē paulò ante effuderat. Id factū est calendis Aprilis. Tuncq; primū Roma rerum domina esse desijt. Annus tunc Vrbis sexagesimus quartus & centesimus supra millesimū numerabatur, q salutis Christianæ duodecimus & quadringētesimus fuit. Prohibuit Halaricus ne fugiētes ad basilicas Petri & Pauli læderētur, iussitq; à cædib. & sanguine tēperari. Ibi capta est Galla Placidia Theodosij superioris filia, quæ barbara castra secuta est. Gothi tertia die Vrbem egressi, Campaniā, Lucaniā et Brutios populati sunt, tempestateq; phibiti ne in Siciliā transirēt. Interim Halaricus apud Consentiā Brutiorū

Roma à Gothis ui capta ac direpta.

Ann. salu. CCCCXII.

B urbem, quæ hoc anno ui capta et direpta est, morbo correptꝰ interijt. Corpus eiꝰ locello ditissima suppellectile completo, in alueo deriuati amnis Basenti cōdiderūt. Halacrio successit Athaulphus & ipse Balthꝰ, cui Placidia despōsata est, & apd' forū Cornelij nuptiæ celebratæ sunt. Hæc mulier uirū magnopere deliniuit, ita ut in reditu p urbē à cædib. temperatum sit, & Vrbs suis magistratib. dimissa. Fuerat animꝰ Athaulphi Romā rursus delere & nouā condere, Gothiamq; appellauere, & imperatorib. futuris nomen relinquere Athaulphū, Augusto inuidens q de se posteris nomen dedit. Sed Placidia hæc omnia ex mente eius auertit, & fœdus inter uirū, & imperatores cōstituit. Orosius dicit, Alanorū, Sueuorum & Vandalorū gentes, ante bienniū Romanæ irruptionis, per Stilliconē concitatas, inuasisse Gallias: nec dicit unde fuerint. Pliniꝰ Vandalos, & eorum partem Burgundiones, unā esse dicit ex quinq; interioris Germaniæ partib. & paulò post Sueuos illis, pximos ponit. Alani aūt etsi origine sunt Scythæ, in ipsis tamen Vandalorū regionib. habitabant. Sed Sueuos Octauiꝰ Augustus, teste Suetonio, ex Germania in citeriores Rheni ripas trāstulit. Eiusdēq; Augusti tēporib. ea pars Vandalorū quib. Burgundionibus postea fuit nomē, ad octoginta armatorū millia, ulteriores Rheni ripas insederāt, q̄s Drusus & Tiberius Cæsares, sicut Corneliꝰ refert, post subactā interiorē Germaniam in sedes proprias repulerunt, & extra urbes munitaq; loca dissiparūt, à quib. habitādi uicatim modis, q̄s patrio gentis uocabulo Burgos appellabāt, eos Burgundiones fuisse ap-

Plin. lib. 4. cap. 14.

C pellatos asserit Orosius. Facta est & alia in ijs gentib. mutatio: nā Vandali à fluuio regionis sic dicti, se Sclauos dixere, à nomine gētis q̄ à Bosphoro Cimmerico in Tanaim fluuium habitare solita est. Et tamē cū eorū pars tēpore Mauritij Cæsaris in Dalmatiā & Illyricū cōmigrasset, q domi manserūt partim Bohemi, partim Poloni dicti sunt. Vandali ergo, Burgundiones et Alani, suadēte Stillicone in Gallias trāsiere, Sueuosq; q in Eduis erant sibi adiūxere. trecenta armatorū millia fuisse traduntur. Franci tūc etiā erāt in Gallia, Germana gēs ex prouincia Franconia: q̄ Cōstantius Flauij Cōstantini filius, primus Romanorū ducum domauit: ob quam rē usq; ad tēpora Honorij & Archadij quieti in patria mansere. Sed horū imperij anno septimo, mutādi melioris soli gratia patrijs sedibꝰ relictis, Rhenū transmiserūt, et apud Treuiros Matricorenses q & Metenses, ac Leucos qui & Tullenses, Veredimensesq; cōsederant: quos, Sueuis ob uetustas simultates instigantib. Vandali, Burgundionesq;, & Alani Rhenū per uim & arma transire, & in Franconiam se recipere cōpulerūt. Francis ultra Rhenū pulsis, Vandali Alani & Sueui ad diripiendas uastandasq; Gallias sunt pfecti. Burgundiones sedes delegerūt apud Eduos Vesuntios, Lingonas, Cabilonenses & Matisconenses, in quibus proximis ciuitatib. ad hæc usq; tēpora permansere, et nomen terræ Burgundiæ datū p annos iam mille. Vandali, Sueui & Alani, relictis in Eduis Burgundionibꝰ, in Aquitaniam transiere, omnemq;

Burgūdiones unde nomen sortiti.

Bohemi. Poloni.

Galliarū partē intra Pyrenæū & Ligerim populationib. fœdarunt: conatiq; in Hispanias irrumpere, difficultate mōtiū retēti sunt. Eodē tempore Gratianus insulā Britanniæ, eius terræ municeps, p tyrannidē inuasit, & à Romanis militib. mox occisus est: q Constantinum quempiā ex infima militia, sola spe nominis inducti, imperatorē elegerunt. Is trāsijt in Gallias cōtra Barbaros, & apud Cenomannos se cōtinēs, pacem cū illis tractauit: sed illusꝰ est. Misit tamē iudices in Hispanias, q̄s prouinciæ obediēter acceptarūt. Dindimus tamen & Veronianꝰ Palētini fratres nobiles, et in patria locupletes spreuerūt, ut contra eum & barbaros Pyrenæi claustra imperatori Honorio cōseruarēt. Quod multo tēpore fecerūt, nullo adiuti publico sumptu, sed tantūmodo seruorū uernaculorumq; manu. Aduersus quos misit Cōstantinꝰ barbaros Pictos, q ab Honorio quietis ubiq; reb. in fœdꝰ recepti, & in militiam Britannicā allecti, Honoriaci uocabātur. A quib. duce Cōstantio filio, quem ex monacho Cæsarē Cōstantinus dixerat, in Hispanias missis, Dindimus & Veronianus interfecti sunt, & Palētinus ager populatus. Interea pagani proxima Pyrenæo incolētes, ipsius montis saltus pro sua salute tueri annixi sunt: quos Cōstantius Honoriaciq; uirib. deturbabāt, ac Vandalos, Sueuos & Alanos intra Hispanias admiserūt, ut eorū freti auxilio, in præda semel degustata possent licetius deseuire. Et barbari quidē patefacto Pyrenæi claustro, horrēdas, et inauditas strages hominū cōmiserūt, urbē Asturgam expugnarūt, Toletanū agrū uastauerūt, urbē non ualētes euincere. Et Tagi amnis fluenta petentes, ad Olisiponis mœnia cōsedere, unde accepta pecunia discesserunt. Interim Constantius Cæsar Cōstantini filius ad genitoris copias se contulit, qui Arelati se continebat, aduersus Honoriū & Vesogothos se muniēs, q̄s fama esset cū ipso imperatore aduersus cæterā barbariē tyrannosq; esse ducturos. Qua suspicione adductus Constantinus, alterū filium Constantē Viennam misit, ut uenturas ex Italia copias, ne Vesogothis iungerētur, detineret. Hoc tēpore Archadiꝰ apud Cōstantinopolim decessit, cui successit Theodosius minor eius filius. Et Honorius Vesogothorū agitatione respirās, qui apud Barchilonē in Hispania citeriori quieti cōsedebant, tyrannos tollere statuit: sperans & barbaros posse delere: Constantiumq; comitem magistrū militiæ declarauit, qui dux impiger ex patritia gēte Romanus, in Gallias profectus, Cōstantinū tyrannū apud Arelatē captū interfecit. Cōstantiū uero Cōstantini filium, Gerōtius comes suus apud Viennā occidit, atq; in eius locū Maximū quendam substituit: ipseq; Gerontius paulò post à suis militib. est necatus, & milites ipsi Honorio recōciliati: Maximū purpura exutum, in Hispaniā ulteriorē relegarūt: & in Africā ab Honorio traijcere iussi sunt, & inde in Italiā reuocati. Britannia uero missis legatis recuperata est. Iouinꝰ uero nobilis Gallicus, ut primū tyrannidē assumpsit & frater eius Sebastianus, occisi sunt. Per idē tempus Athaulphus Vesogothorū rex petitā iniquis conditionib pacem nō impetrauit: ob quam rem Athalo quodā imperatoris nomine insignito, et secū adducto, ulteriorē Hispaniam & Africā inuadere statuit. Athalus iudices in Africā misit, quos Heraclianus ad conseruationē Africæ missus expulit: & classe cōparata in Athalū duxit, eumq; maritimo prælio superauit: qui fugiens Hispanis se credidit: & ab his uinctus, usq; ad Arelatū ad Constantium comitē ductus, & inde ad Honoriū missus, qui eū Romæ ante currū in triumpho duxit, & postea manu priuatū, longioris uitæ ludibrio apud Liparim insulā cōseruari iussit. Heraclianus aūt ob rē bene gestam consulatū adeptus, in perfidiā lapsus est: Sabini enim generis sui consilio usus, classem quatuor miliū & septingentarū nauiū armauit in Africa, atq; in Italiā traiecit: ubi exscensione facta ut eū in Vrbē duceret, Marinū comitem cū Romano populo obuium habuit, territusq;, priusquā prælīū cōmitteretur fœdissimam fugam fecit. Accepta enim onerariæ nauis scapha, solus Carthaginē redijt, atq; ibi militari tumultu interfectus fuit. Sabinus Constantinopolim fugit: unde ad Honoriū ductꝰ, exilio est damnatus: atq; hoc modo forma imperij pulchrior reddita est, Africa pacata. Sed restabāt Vesogothi, & alij barbari in Hispania ac Gallia. In Vesogothos igitur primo exercitū mittere statuit, quæ prouincia Cōstantio comiti demandata est: q apd Arelatū exercitu reparato, breui Athaulphū regē, cōmeatu omni ora Galliarū et citerioris Hispaniæ maritima interclusit, Narbonāq; linquere, & in ulteriorē Hispaniā fugere coēgit.

D E F

A git. In quas difficultates adductus Athaulphus cum exercitũ reparare uellet, à suis militibus interfect9 est, tertio anno postquã creat9 fuerat: imputantib. quod uxoris Placidiæ blanditijs illectus, noluisset imperatorẽ inuadere, tyrannorũ motibus agitatum. Cui suffectus est Sigericus: qui cũ pacis ab imperatore oblatæ cupidus uideretur, pari modo est obtruncatus: & Vallia ei subrogatus: qui suorũ militũ rabiem expleturus, magnam eorum manũ nauigio & armis instructam in Africam ire iussit. Sed hi oẽs in Gaditano facto naufragio perierunt. Qua clade territus, pacẽ cum Honorio percussit, lectissimis obsidibus datis: Placidiam reddidit, atq; obsequiũ aduersus alios barbaros promisit. Qua pace firmata Honorius Constantio Cæsari declarato, Placidiam sororem in matrimonium dedit: ex qua Valentinianũ tertiũ suscepit, qui Honorio, pueritiam egressus, subrogatus est. Cõstantius Vesogothorũ & Valliæ auxilijs usus, in Alanos duxit, apud Emeritã Lusitaniæ Metropolim cõsedẽtes. Barbari enim Hispanias inter se diuiserant. Vandalis Bethica, quæ ab eis Vandalosia dicta est, obuenit: Alanis, Sueuisq; Lusitania. Et sorte iterum inter Alanos ac Sueuos ducta, hi Olisiponẽ, & quicqd ultra pertinet ad Bethicam, illi Emeritam cũ omni Gallitia habuerũt. Soli tamen Cantabri & Astures Gallíciæ prouinciæ populi, in fide Romanorũ permansere. Cõstantius adiuuantib. Vesogothis Alanos apud Emeritam graui prælio uicit, eorũ regem Achacẽ interfecit: qua clade cæteri

B barbari cõterriti, pacẽ ab Honorio petierunt. Interim Tertullus uir patritius imperium Romæ assumpsit, quẽ magna pars Italiæ sequebatur: sed à Romanis Honorio fidem seruantibus, breui occisus est. Nec propterea abfuit quin inuetus sit alter Athalus imperiũ Romæ inuadens. Quib. difficultatibus adductus Honorius Rauennam uenit: & Constantius Vandalis ac Sueuis petitæ pacis spẽ faciens, cũ Placidia cõiuge ad Honoriũ trãsiuit. Quod audientes Romani, tyrannũ Athalũ iniectis catenis Rauennã perduxere, & imperatori munus dedere: qui illum manu mutilatũ Cõstantinopolim relegauit: moxq; Honorius Constantiũ purpura indutũ, occidentalis imperij consortẽ fecit. Prima igitur cura fuit, stabilito cum Vallia Gothorũ rege in Hispanijs fœdere, illũ in cæteram barbariem armare, Tolosamq; illi cũ aliquot Auxitanæ prouinciæ ciuitatib. permisit incolere. Hinc ea regio Vasconia dicta est: q latinis uerbis, occidentalẽ Gothiã significat. Et hinc Honorius Romam perrexit, Cõstantius ad parãda in expeditionẽ Hispanicam necessãria Rauennæ substitit, ibiq; septimo imperij sui mẽse morte præreptus est: eiq; subrogat9 est ab Honorio magister militũ Ecius patritius uir fortissimus, cuius genitor Gaudentius ex Dorostana ciuitate Mesiæ oriũdus, sub Romanis principib. militauit. Hoc tẽpore Ecius, Burgundiones nouos motus parantes, bello cõpescuit: Francosq; qui Rheni ripas iterato insederant Gallias irrupturi, magna superatos cæde repulit in Germaniã, & Alanos acerrimis prælijs agitauit: qui post acceptam à Cõstantio Cæsare cladẽ apud O-

C lisiponẽ, sub tutela Sueuorũ quieuerant: sed audita Cõstantij morte, ad Emeritam reuersi eam prouinciam sibi uindicare quærebãt. Et Vandali ac Sueui tanto metu liberati, uoluntatem pacis abiecerant, Alanisq; adstabant ut Lusitaniam occuparent: quorũ motus timens Ecius, in citeriorẽ Hispaniam se recepit. Quod ægre ferens Honorius, Castinum comitem genere Scytham magistrũ militũ ac consulem declaratũ, Ecio successorem misit. Castinus receptis Ecij copijs & reparato exercitu, in citeriore Hispania se continuit: nec mouisset nisi affuisset auxilio Bonifacius comes genere Thrax, qui Africã pro Honorio curabat, & beato Augustino amicissimus fuerat. Hi simul iuncti Castinus & Bonifacius, res claras contra barbaros gesserunt, extulissentq; magnopere imperiũ, nisi Castinus inuidia mot9, quia Bonifacius præcellere uidebatur, illũ in ulteriora Hispaniæ missum, tanquã hostib. in prædam obiectũ, à se obligauisset. Quod ille intelligẽs & indigne ferẽs illico paratis nauib. copias suas in Africã trãsportauit. eoq; tẽpore Honori9 Romæ mortuus est. Ioãnes qdam, curãte Castino, tyrannidẽ inuasit, cui Ecius Patrici9 assensit ob ignominiã ab Honorio receptã q eũ ab Hispania reuocauerat: & æmulatio uirtutis, inter Bonifaciũ & ipsum odium auxerat. Ecius maius malũ meditatus, Hũnos ad Italiæ inuasionẽ primus excitauit, gentẽ ut ostẽdimus Scythicam: quæ auditis Vesogothorum successib9, eorum exemplo finibus egressa, apud Pannoniã per id temporis consedebat.

Ex libro ſecundo.

D

Oanne apud Vrbē in imperatorē aſſumpto, Caſtinus uerítus ne barbari ſe inuaderēt, parata claſſe in Africā nauigauit, & apud Hipponē cōſedit, ſimulans Bonifacij in amicitia ſe cōfidere. Sed ſuſpecta erat ei⁹ beneuolētia Bonifacio. Beatus Auguſtinus eos inuicē cōciliauit, recepto utrinq; iuramēto. Sed Caſtinus doloſe agens circūuenire Bonifaciū nitebatur. Ob quā rē facta pace ad præliū uentum eſt: & Caſtinus uict⁹ in Hiſpaniā ſeſe recepit. Erat aūt Caſtinus Scytha, et Bonifaci⁹ Thrax: & hic catholicus, ille Arianus. Ioannes audita Caſtini fuga q in citeriorē Hiſpaniam ſe receperat, aduerſus Bonifaciū exercitū ducere in Africā ſtatuit, cōductis militibus qui Honorio pridē per Italiā militauerāt. Bonifacius, q prius crudelē Afrorū gentē ab omni populatione prohibuerat: ut eorū ſibi gratiā reconciliaret, liberā eius pdandi licentiā præbuit. De qua re ab Auguſtino admodū increpatus eſt. Trāſeunte aūt in Africā Ioanne, Theodoſius minor qui iā quinq; annis imperauerat apud Conſtantinopolim, audita Honorij morte, Valentinianū Placidiæ amitæ ſuæ ex Cōſtantio filiū, Cæſarē declarauit. Placidia cū filio adoleſcente expeditas in Italiā legiones duxit, atq; ab omnib. recepta eſt niſi à Rauennatib. qui Ioannis ſtudioſi erant. Sed obſeſſi & grauiter oppugnati mulieri ſeſe dederūt: quæ in principes factionis animaduertit. Iturus in Africā Ioānes, Italiæ curā Caſtino cōmmiſerat: q à Marſilia diſcedens per Galliā ciſalpinā iter habēs, urbes & oppida Ioannis retinere conabatur: aduerſus quē miſſus à Placidia Ardaburius orientis præfectus, q ſæpe Parthos profligauerat apud Vercellas ꝑlium cōmiſit: q derelict⁹ à ſuis Caſtinus, illico captus eſt. Ecius etiā & ipſe Romæ capt⁹, ad Valentinianū Rauēnæ morantem perductus eſt. Caſtinus in exiliū miſſus eſt, Ecius cōſeruatus: eo q Hunnis à ſe concitatis ſuadere permiſit, ut apud Pānonias ſe cōtinerēt, quod & fecit, expurgatusq; nota ſibi impoſita, pfectus eſt Galliarū urbibus ac regionib. quas nec Veſogoth⁹ neq; Burgundio poſſideret: eoq; præfecto, ad Turonios, Andegauos, Cenomānos, & Nannetes ac Ciantes, q & Veneti dicti ſunt, ſeſe recepit. Valentinianus his pactis, à populo Romano accerſitus, ex decreto Theodoſij Auguſt⁹ appellatus eſt. Per id tēporis interfecto, ut diximus, apud Arelatū Cōſtantino tyrāno, uacuā aliàs milite, Britanniā Picti & Scothi Albicēſes inuadūt, Britannosq; parētes imperio magnis calamitatib. affligunt: quib. cum imploratus Ecius auxiliū non daret, neceſſe fuit cum Scothis ac Pictis fœdera inire, et à republica deficere. Sed cū barbariē Scothorū ac Pictorum perferre non poſſent, obtēta ab Ecio una legione, iterū ad Romanos redierūt: quæ legio breui reuocata eſt, cū Burgundiones nouos parare motus uiderentur: ob q rem rurſus barbari Britanniā populationibus incēdijsq; fœdarūt. Quod ſentiens Valētinianus, Gallionē Rauennatē cū alia legione miſit, ac Britannos in fide continuit. Interea Ioannes in Africa poſt multa, uarijs in locis, & euentu uario cōmiſſa prælia, à Bonifacio & uictus & interfectus. Quod intelligens Valentinianus, prouinciā à Bonifacio repetijt: aduerſus quē mandata detractantē Mahercius ex Rauenna, & Gallio ex Britannia cū magnis copijs miſſi ſunt. Quibus occurrens Bonifacius, in ipſa exſcenſione cōgreſſus copias eorū profligauit, et ipſos duces interfecit. Quā cladem audiētes Franci qui prius ab Ecio ex Gallijs in patriā repulſi fuerant, denuò Clodione & Merouęo filio ex Franconia profecti, tranſmiſſo Rheno in Senonū prouincia ſedē apud Aurelianenſes Pariſioſq; ceperunt. Ecius qui Burgundiones toties profligauerat, ut ad internecionē perituri uiderentur, intelligens magnas imminere imperio calamitates, pacē illis conceſſit. Nec tamen Valentinianus recuperandæ Africæ curam omiſit: ſed reparato exercitu, Siſulphum egregium ducem eò miſit: qui Carthaginem ducens, ea urbe proximiſq; oppidis breui potitus eſt. Bonifacius in Mauritaniam fugit. Dum hæc geruntur Veſogothi pacem cum imperio tenentes, & ocium abhorrentes, aduerſus Vandalos, qui magnam Hiſpaniæ partem occupauerant, bellum geſſere. Sed cum Vandali pares eſſe non non poſſent, cogitarentq; ſedes mutare, Bonifacius à Siſulpho preſſus, Genſericum eorum regem in auxilium implorauit, ſtipendidium prædamq'ue promittens, & Africæ multas urbes. Accepit Genſericus conditionem,

E

F

A nem,& impositis Vandalis cum uxoribus & liberis atq; omni suppellectile in nauigio, ex Bethico littore trāsfretauit in Africā:& Vesogothi relictas à Vandalis sedes occuparunt: Alani autem & Sueui mansere apud captas per sortem Lusitaniæ regiones: aduersus quos Valentinianus Sebastianum comitem misit, qui ex Tarraconēsi Hispania mouens, in Alanos duxit, Emeritā & Gallitiæ regionem: cōgressusq; cum eis bello superior factus, illi relicta Gallitia atq; Emerita, & Vesogothos in Bethicā cōfugere. Idem & Sueui fecerunt, Olisipone & cæteris urbibus per terrorē relictis. Gēsericus in Africam nauigans, in eas terras se cōtulit quas Bonifacius ei promiserat: id fuit omne littus quod à freto Septæ ad Cæsaream usq; protenditur. Sed non seruauere terminos Vandali, qui mox utrasq; Mauritanias, Numidiamq; populati sunt: neq; his pepercerunt quæ Bonifacius obtinebat. Carthaginem uero & Hipponē Sisulph⁹ tutatus est. Ea intelligēs Valentinianus, neq; putās tanto furori posse resistere, petenti Genserico pacē largitus est, & apud Tingitanam Mauritaniam petitas sedes: sic Carthagini & reliquis Africæ prouinciis consultum putās: & barbaram fidem secut⁹, Sisulphum in Italiam reuocauit, ad Ecium missurus qui magnas copias in Galliis comparabat. Quod uidēs Gensericus, rupto fœdere Carthaginem occupauit, ac cædibus & rapinis fœdauit, diuina & humana perturbans, episcopum ac clericum expulit, & Arrianos introduxit. Sic Carthago illa *Carthago à Vandalis capta.*
B præpotens, capta est, anno quingentesimo trigesimoquarto, postquam Romanis cœperat esse subiecta. Bonifacius mœrore confectus uita excessit: & Augustinus tertio *Diui Augustini obitus.* mense obsidionis Hipponi ante Bonifaciū mortē obiit, ne patriā suam à barbaris, quod breui euenit, capi ac diripi uideret. Quatuordecim enim mensibus eam urbē Genseric⁹ obsedit. Bonifacius enim à Vandalis acceptus, eò confugerat. Hipponēq; diu defenderat. Aliqui redeuntē in Italiam Bonifaciū tradunt magistrū militiæ factū fuisse, & aduersantem Eciū prælio superasse, & paulò post obiisse: cuius sententiæ Prosper est. Sed Possidio priora referenti plus creditur. Gensericus Africā omnē, Aegyptū usq; ad Aethiopiam, suo subiecit imperio. Per hoc tempus Hunni, quos diximus Pannonia consedisse, indignati q̄d ab Ecio prohibiti fuissent ulterius procedere, Ostrogothos Zepidasq;, & alias multas gentes uicinas coēgerunt, Romanum imperiū uastaturi: aduersus quos Ecius copias apparabat. Eam nacti occasionem Scothi ac Picti, rursus Britannos uexare cœperunt. Qui non obtento auxilio ab Ecio, seipsos aliquandiu defenderunt: postremo Anglicos, Saxones cum Vortigerio rege in auxilium uocauere, eorūq; præda fuerunt: Plus enim Romanis ciuibus & Britannorū primoribus, quàm Pictis aut Scothis infesti fuerunt Anglici. Gensericus per annū Africa potitus, classem in Siciliā duxit, magnamq; prædam egit: obtinuissetq; insulam, nisi Sebastianus à Valentiniano ex Hispania in Africam copias ducere iussus fuisset. Quod audiens Gensericus in Africā rediit.
C Sebastianus aūt qui iam Lusitania potitus erat tyrannidē affectans, cū Vandalis & Vesogothis fœd⁹ iniit, à quibus paulò post circumuētus & interfectus est: & Vesogothi, Sueui atq; Alani Lusitaniam, Tarraconensemq; Hispaniā & Aquitaniam cœperunt: ita ut à Ligeri fluuio gallico usq; ad Carthaginem, barbari cuncta occuparant, exceptis Asturibus & Cantabris, qui pro sua cōstantia Romanorū iudices cōseruarūt. Theodosius iunior ea cogitās, Ariouindū & Ansilā duces cū magnis copiis in Siciliā misit, ut inde in Africā traiiceret. Sed illi diu nectētes moras, insulā magnis calamitatibus afflictarūt, donec à Theodosio reuocati sunt, ꝓpter nouū periculū quod ab Hūnis, Gothisq;, et Zepidis imminebat. Hunnorū reges, Bleda & Athila fratres fuerūt: Zepidarū Ardaric⁹: Ostrogothorū Valamir, q omnē Illyricū Thraciāq; uastabat. Prisc⁹ q apud Theodosium iuniorem epistolarū magister fuit, scribit se missum oratorē ad Hunnorū reges in Scythiā, & in gentibus fluminibus trāsmisis, ad loca peruenisse ubi dudum Indigoia Gothorū fortissimus, Sarmatarū dolo occubuerat: indeq; non longe in uicum in quo rex Athila morabatur accessisse, uicūq; instar amplissimæ ciuitatis fuisse in quo lignea *Regiæ, Athilæ Hūnorum regis descriptio.* mœnia ex tabulis nitētibus fabricata essent, quarū tabularū cōpaginem ita solidā mentiebatur, ut uix ab intento posset iunctura cōprehendi. Triclinia ambitu prolixiore distincta, porticusq; in omni decore dispositæ. Aream uero curtis, ingēti ambitu cinctam,

ut amplitudo ipsa regiam curiā ostentaret. Atq; hanc sedē fuisse Athilæ regi, barbariē totam tenēti: Cui pater fuit Mundizico: & illi tres fratres fuere, Ottar & Rohas, qui ante Athilā regnū tenuere. Illis uero defunctis, Bleda cum germano Athila successit in regno. Fuit autē Athila superbus incessu, huc atq; illuc circumferens oculos: ut elata potētia, ipso quoq; in motu corporis appareret: bellorū amator: sed ipse manu tēperans, consilio ualidissimus, supplicantibus exorabilis, propitius aūt in fide semel susceptis: forma breuis, lato pectore, capite grandiore, minutis oculis, rarus barba, canis aspersus, simo naso, tetro colore, originis suæ signa præ se ferens. Theodosius dum horum conatibus occurrere cogitat, pestilentia correptus interijt. Valentinianus secundus audita morte Theodosij iunioris, pacem cū Genserico Vandalorū rege cōstituit, diuisa certis spacijs Africa cum eo: quā pacem & Gensericus cupide acceptauit, ut paratas sibi à suis ducib. insidias uindicaret: quorū ingentē numerum securi percussit: & Martianus Theodosio suffectus libenter confirmauit, ut Hunnorum, Zepidarum, & Ostrogothorum facilius impetum sustineret: aduersus quod Arnestidem magistrum militum misit, qui illos apud Martianopolim prælio fudit. Sed dū incaute & nimis auide uictoriā prosequitur, ab Athila circumuentus interficitur. Augebantur tamen barbari inopia rei frumentariæ, & seditionibus agitabantur, & pars nobilium ad Martianum multa promittentem inclinabat. Bleda quoque non satis Athilæ consentiebat, qui & longiorem militiam dissuadebat, & Ostrogothorum Zepidarumq; reges non tanquam subditos, sed tanquā socios habendos esse censebat. Ob quàm rem dum Budaliæ urbis muro cingendæ operam impendit, fraterna fraude perimitur. Hic Athila unicus Hunnorum dominus terrori omnibus esse cœpit, & Andaricum ac Valamirem subditorum loco habuit: statuitq; relicta Pannonia & Illyrico, quæ prouinciæ amplius tantas copias alere non poterant, sedes mutare, ac Romanum imperium pessundare. Ad quam rem Ecium Patritiū natione Mesium, quo cū Ioannis tyrāni tempore amicitiā cōtraxerat, allicere conatus est, multa pollicitus: si per fugas suos Vesogothos, per suā & Romanorū à bello cessationem, punire permitteretur: dissimulans quod aduersus imperium aliquid moliri uellet. Theodoricū aūt qui apud Vesogothos Valliæ successerat, multis argumētis & rationibus à Romanorū societate disiungere satagebat, ueteres inimicitias & urbis irruptionem cōmemorans, cuius obliuisci Romani non possent: sed frustra conatus est. Nā Ecius & Theodoricus fœdere iūcti sunt: in quo fœdere & Burgūdiones & Frāci, quorū rex erat Merouęus, & Saxones, Riparioli, & Lābrones, & Sarmatæ, Lutetiani, Hunnorum metu recepti sunt. Athilæ præter Ostrogothos ac Zepidas iūcti sunt Marcomāni, Quadi, Eruli, & Thuringi, ita ut quingenta armatorū millia secū duceret. Quo exercitu Germaniā ingressus, multis eam in locis populatus est: atq; in Galliā transiens primo Remenses aggressus urbē ui cœpit, eamq; sanguine fœdauit, nec sexui nec sanguini pepercit: Nicasiū urbis episcopū capite obtruncauit: quod etiā præcisum diuini eloquij carmina eructauit. Exinde Aurelianū se cōtulit. Sed cū Eciū ac Theodoricū apud Tolosam in castris esse didicisset, respōsumq; aruspicum accepisset, præliū dubiū. & primarij hostium ducis necem promittēs, ratus Ecium casurū, in pugnā exarsit: relicta obsidione in Catalaunicos campos Tolosæ subiectos descendit, Singibaremq; Alanorum ducem, qui cum Gothis militabat, magnis præmijs attraxit, ut cōmisso prælio ad se fugeret, atq; in Romanos cessaret: quem Ecius intellecta fraude in municipio Tolosæ proximo conclusit. Cōmissum est prælium cruentissimum, in quo Theodoricus suorū magis pressura allisus, quàm hostium ferro interfectus occubuit. Hunni terga dederunt. Athila magna suorum clade superatus, iam nocte cadente ad carrorum septa confugit, iumentorum clitellas in struem congerens: in qua si durius aliquid sibi accideret, suorum gladio confossus subiectis flammis illico cremaretur. Ceciderunt in eo prælio ex utraque parte centum & sexagintaquinque millia hominum. Thorismundus Theodorici filius qui eo in bello militauit, repertum patris cadauer, regij funeris pompa Tolosam detulit, ubi è suis rex declaratus est. Suadebat Thorismundus Ecio, ut uictoriam prosequeretur. Sed ille non tam uictos Hunnos, quàm uictores Vesogothos cæterosq;

barbaros

Animi dotes.

Corporis habitus.

D

E

F

A barbaros uerebatur. Suasit ergo Thorismūdo ut in regnū suū rediret, quod fratres occupare conarētur: & cæteros barbaros domū remitteret. Athila uero instaurato exercitu ad priorē fermè magnitudinē, per Germaniā in Illyricū rediJt, & Traguriū, Sibinicum, Belgradum, Iaderā, Signiam, Polam, Parentiū, Hemoniamq; diripuit atq; incēdit: quæ oppida Marcianus imperator sine præsidio reliquerat. Ad Arsiā uero fluuiū & Tergestinum sinum nonnullas Valentiniani copias reperit: quæ mox repulsæ sunt, & in Aquileiam se receperunt. Athila Aquileiam obsedit, & interim circumiacētia oppida uastauit: sed populi eorū ad propinquas insulas cōfugerāt: desperaueratq; Athila posse Aquileiam capi, nisi ciconias ex altis turribus pullos efferentes uidisset: quod auguriū capiendæ urbis ratus, in proposito perstitit, breuiq; ea potitus est: triēnio enim obsidio durauit. Quidam referunt, laborātes fame ciues, statuas tanquā custodes in mœnib. disposuisse ac gradū migrasse: neq; intellectā fraudē, nisi postquā ciconiæ securè super statuas consederunt. Sed prima sentētia uerior. Capta est enim urbs ui ac direpta, & solo æquata, & & mulieres prostitutæ: quarū una, ne pudicitiā amitteret, ex summis ædibus in subiectū Natisonem fluuium præcipitem se dedit. Hinc Athila Paduā, Vicentiam, Veronā, Mediolanum, Ticinū, quanquam se spōte dedentes, ne diriperētur, inuasit ac diripuit: flagellū se dei uocitans terroreq; populorū. Ad quem Leo primus pōtifex Romanus hor

B tante Valētiniano, pro salute Italiæ profectus est: quē apud Mincium amnē castra habētem reperit, dubiū an ultra progrederetur, eorū memorē quæ Alarico cōtegissent. Molliuit eum pōtifex, & domū ut rediret persuasit. Ferunt dū pōtifex loqueretur, uisos Athilæ fuisse uiros duos strictos tenētes gladios, eiq; minitātes nisi pareret: quos putant Petrum & Paulū fuisse. RediJt ergo in Noricū Athila, ubi nunc Baioaria & Austria est: quem Honoria Valentiniani imperatoris soror per eunuchū pellexit, ut se cupientissimam in uxorē precibus ac minis extorqueret à fratre. quod ille multis modis intētauit, impetrassetq; nisi mors eius interuenisset. Is enim quāuis multas haberet uxores, aliam superduxit, cui erat Ildiconi nomen: cū qua dum dormit, effuso de naribus sanguine suffocatus est eadē nocte. Marcianus apud Cōstantinopolim fractū Athilæ arcū per somnum uidit. Quartus hic & quadragesimus annus fuit post Romā captā: intra quod tempus Germania, Dacia, Sarmatia, Hispania, Aquitania, Vasconia, Eduensiū, Vesuntionumq; Gallia amissa est, & Parisiorum terra: nec ultra recuperata. Athila mortuo Valamir & Theodemir Ostrogothorū, & Ardericus Zepidarū reges in libertatē se uendicarunt. Idē fecerunt Quadi, Eruli & Turingi: aduersus quos indignati Hernacus & Eurich Athilæ filij, arma mouerunt. Ardericus Hernaco cōgressus xxx armatorū millia habenti, eum prælio superatū interfecit. Valamir quoq; et Theodemir superatum bello Eurich, intra Scythiā fugauerūt, nec ultra Hunnorum arma in Gothos audita sunt. An

C no secūdo post Athilæ mortē, Trāsila Ecij cōmilito Valētinianū imperatorē Romæ occidit in ultionē Ecij, quē, Valētiniano suadēte, Maximus Patricius interfecerat. & hic tamē Maxim9, Trāsilā ad hoc facinus impulit. Imperauerat aūt Valētinianus annis xxx quorū maiorem partē egit Rauēnæ: cuius episcopo, duodecim ciuitatū subiecit episcopos, Arimini, Cæsenæ, Forliuij, Foripopilij, Fauētiæ, Foricornelij, q̄ Imola dicitur, Brinti, Bononiæ, Mutinæ, Rhegij, Parmæ, Placētiæ, quæ ciuitates sub exarchatu postea fuerunt. Valētinianus mœnia Rauēnæ ampliauit: & Ioannē episcopū pallio ex cādida lana cōfecto uti iussit, quo tūc solus utebatur imperator: unde postea cū Romanis pōtificib. Rauēnates cōtendere p̄sumpserunt. Substitut9 est Valētiniano Maximus Patricius eis necis autor, qui Eudoxiā Valentiniani relictā renitentē rapuit, uiolentoq; sibi matrimonio copulauit. Quæ tanto scelere indignata, Gensericū Vandalorū & Africæ regē, ad inuadendā Italiā inuitauit: qui tanto nūcio lætus, Afrorū, Maurorumq; & Vandalorū trecenta millia in Italiā nauib. importauit. Romāq; petiJt: cui9 aduētu territi ciues, ad munitiora loca demigrātes urbē reliquere: in qua fuga Maximus tyrānus ab Vrso milite Romano occis9 est. Viuebat adhuc Leo q Athilā placauerat: q cū paucis Christi seruis Gensericū audiēs rogauit, ut p̄da cōtent9, ecclesiarū sacra intacta dimitteret, atq; incēdio urbis parceret: quē barbar9 minime exaudiuit. Multa in urbe incēdia facta sūt, et oīa direpta

Ciues

Ciues quatuordecim dieb9, ab Vrbe absuerũt, donec barbari urbẽ relinquẽtes, Eudoxiã & filiã ex Valentiniano susceptã secum ducẽtes, per Cãpaniam abierãt. Remanserant tamen in Vrbe opifices, & fabri, & turba uilior. Expugnarũt barbari Capuã, eamq; destruxerunt. Attriuerũt & alia Campaniæ oppida: Neapolim tamẽ expugnare nõ potuerũt. Annus hic octauus & quadragesimus fuit à direpta prius Vrbe, & Martiani imperatoris sextus, quo tẽpore Auitus senatorij ordinis uir à Roman. imperator electus est, cum quo Martianus pro pace Reipub. fœdus iniJt. Hoc tẽpore Thorismũdus qui septem annis regnauerat, uidẽs imperij calamitatẽ, nihilq; amplius timens, citeriorẽ Hispaniam & Galliæ ciuitates extra Burgundiorũ Francorũq; ditionẽ constitutas inuasit: Lugdunensem uero ac Anitiæ prouinciã usq; Marsiliã Burgundio occupauit. Narbonẽsem prouinciam cũ his quæ Ligerim inter & Rhenũ sunt, tutatus est Geruãdus qdam Romanus, q ibi pfectus à Valentiniano fuerat. Tũcq; obijt Martianus anno imperij septimo: cui subrogat9 est Leo primus eius nominis, & primus q ex græca pgenie imperaret: quanq aliqui Besicũ dicant. Is sedecim annis imperauit, in quib. magnas calamitates Respub. passa est. Et primo anno eius Auitus Romæ obijt. Exercit9 apud Rauenã, suadẽte Leone, Maioranũ imperatorẽ creauit, & anno tertio interfecit apud Tardonẽ cisalpinæ Galliæ ciuitatẽ, Seuerianusq; illi subrogatus est. Quo tẽpore Biorgus rex Alanorũ per montes Tridẽtinos Italiã ingressus est. Hi Alani ex his fuerũt quos Cõstantius comes in Bethica diuisit. Aduersus hũc missus est Rithimer gẽte Gothus, sed à Seueriano in patritiũ allectus: qui inter Benacũ lacũ & Bergamũ urbem cũ Alanis cõflixit, & regẽ eorũ Biorgum interfecit. Seueriano aũt anno tertio defuncto, Anthemius suffectus est, qui fuerat Martiani imperatoris gener: cuius imperij initio Geruãdus Narbonẽsis Galliæ præfectus tyrãnidẽ assumpsit, sed ab Anthemij ducib. superatus captusq; in exiliũ actus est. Interea & Patricius nomine in tyrãnidẽ Romæ aspirauit: quo nactus occasionẽ Gensericus Vandalorũ rex, cum maximis copijs in Italiã nauigauit, ut Romanũ imperiũ inuaderet. Quod sentiẽs Leo imperator, Anthemio principi Romano opẽ tulit, misso Basilisco patricio cũ ualida classe, cuius sororẽ Verrinã nomine, Anthemius habebat uxorẽ. Hic nauigans in Italiã, Anthemij classi se coniunxit: & occurrẽs Genserico cõtra Populoniæ littus, inuitum illum pugnare cõpulit, ac prælio superauit, turpiq; fuga in Africã repulit. Nec tamen quieuit apud Cõstantinopolim Leo. Siquidẽ Aspar patritius cũ duobus filijs Ardabure ac Patriciolo eũ cõficere tẽtauerũt. Quod cũ nõ successisset, apertũ ei bellũ mouit. Ardaburem filiũ cum fauore quorundã ciuiũ Cæsarẽ appellans: sed redeunte Basilisco, in Vrbe pugnatũ est, & captus Aspar cũ filijs iugulatus est. Hæc intelligens Volamir & Theodemir Ostrogothi, q superatis Hunis circa Danubiũ aliquãdiu quieti desederãt. Illiricũ uastare cæperũt: nec quieuerũt donec Pãnonia ac Mesia ab imperatore accepta, fœdus iniere cum Leone. Datus est aũt obses imperatori Theodoricus Theodemiris ex Arileua concubina filius, Valemir aũt hac pace fretus Scythias inuasit, & ab eis occisus est. Theodemir solus regno potitus: cui, ad gratiã capiẽdam, Leo filiũ misit regio indumẽto comitatuq; deductũ: ob quã rem fœdera cũ magna Reipub. utilitate renouauit. Theodoricus adolescẽs duodeuiginti natus annos, in Sarmatas trãsmisso Danubio irruit, & rege illorũ Babach interempto, uictor ad genitorẽ redijt. Interea apud Romã & in Italia Rithimer patritius, quẽ Anthemius Galliæ pfecerat, ob rem tempore Seueriani aduersus Alanos bene gestã, & filiam ei coniunxerat, ingratissimus uir, aduersus socerũ copias cõparauit: nec recõciliatus per Epiphaniũ Ticinẽsem episcopũ pacẽ seruauit, & ad urbẽ castrametatus est. Anthemius in urbe se cõtinebat, Bilimiris Vesogothi ex Narbonẽsi prouinciæ aduentum expectans. Fuerat autem hic uicto Geruando, Narbonensi prouinciæ præfectus: & ob hãc gratiam cum copijs uia Cassia uersus urbẽ uenit, ad molẽ Adriani ciuitatẽ ingressurus: sed Rithimer medium se interposuit, ne ingrederetur. Interea Leo Olybrium ducem suũ cum exercitu in Italiã misit, qui ex Rauenna suũ aduentum expectari Anthemio nunciauit. Anthemius eo nuncio lætus, insignia imperij deponit, & in priuatam concedens uitam, urbis custodiã senatui populoq; cõmẽdauit. Interea Bilimer cũ Rithimere cõgressus, ab eo interfectus est.

A Et Rithimer urbe potitus, Anthemiũ socerum suũ ad se ductũ. quarto cũ imperare cœperat anno, à carnificibus lacerari iussit, Olybrio adhuc apud Rauennã cõsedente. Sed Rithimer tertio post mẽse, acerbis morbi cruciatib9 cõsumptus est: & Olybrius à populo Romano uocatus, imperator occidẽtalis imperij appellatus est, Gundibaro nepote, quẽ cũ exercitu Rauẽnæ dimiserat, in patriciũ declarato. Sed Olybrius post quartũ mensem Romæ obijt: & Gundibaro patritio adnitente Glycerius quidã senator imperator cõstitutus est, Romano populo ægre cõsentiẽte: quẽ Glyceriũ eodem anno quo fuerat assumptus Nepos patritius, Leonis imperatoris autoritate ac Romanorũ auxilio fret9 imperio deiecit, & apud Salonas episcopũ constitui curauit. Gũdibarus indignatus, Rauennates & multos Italiæ populos in Nepotẽ & Roman. armauit: sed sanctus Epiphanius Ticinẽsis episcopus, hos motus composuit. Interim Leo imperator ualetudine correptus, apud Constantinopolim Leonẽ secundũ ex Mariagne sorore nepotẽ, & Zenonis Isaurici filium, successorẽ imperij designauit. Ipse uero Leo puer cum paucis mensibus imperasset, Zenonẽ genitorẽ manu propria coronatum fecit imperatorem. Zenone aũt apud Chalcedonem agente, Verrina Augusta eius socrus, Basiliscũ fratrem suũ imperatorem in Cõstantinopoli appellauit. Quod audiẽs Zeno, Isauriã se contulit, malens cum Mariagne uxore exulare, quã rempublicã sua causa perturbari. Cuius fuga lætatus Basiliscus, in hæresim Nestorianã lapsus, Marcũ filium Cæsarem appellauit. Sed ciuitas
B Basilisci turpitudinibus cõmota, Zenonẽ reuocauit: qui Constantinopolim reuersus Basiliscum, Marcũq; & Verrinã captos, in Cappadociã relegauit. Romæ autem Nepos imperator sedatis Gundibari motibus, Orestem militiæ suæ magistrũ cum magnis copijs in Gallias aduersus Vesogothos, qui Turonios, Cenomannosq; & alios in fide Romana manentes uexabant, mittere statuit. Sed ille quamprimũ Rauennã applicuit, Augustulum filium suum imperatorem creauit: quo cognito Nepos in Dalmatiam fugit: Augustulus cum Genserico Vandalorum rege fœdus iniit. Sed nouus turbo exortus est: siquidem Eruli & Turingi, Odoacre uiro acris ingenij duce sibi constituto, ab inferioribus Danubij ostijs Italiã sunt ingressi. qui prius in exercitu Athilæ fuerant. Hi Aquileia ad sinistrã relicta, in Taruisinos Vincentinosq;, & deinde in Brixianos flexerunt. Hoc tempore Ambrosius Romanus in Britãnia ducẽ se præbuit his, qui Anglicorum tyrannidẽ ferre nõ poterant: & imperator appellatus, sæpenumero cum Saxonib9 tumultuarie confligens uictor euasit: sed postremo in prælio cecidit. Saxones crudeliter usi uictoria, in omnes Britãnos sæuierunt. Quib. malis cõmoti Britãni, apparatis circa littora nauibus, omnes populariter emigrarunt: eaq; loca tenuerunt, in quibus nũc Britannia dicitur, oceano tenus, in Turonibus, Cenomannis & Ciantibus, qui & Veneti: imperante Zenone apud Constantinopolim, & Augustulo Romæ, sub introitu Odoacris in Italiam: anno ab urbe capta per Gothos tertio & sexagesimo. Augustulus audi-
C to Odoacris aduẽtu, Orestẽ genitorem suum magistrum militiæ designatum aduersus eum misit. Quem apud Laudam copiam pugnæ facturum, auxilia deseruerũt: & Romanæ legiones territæ, prælium detrectarunt. Orestes solutis castris in Ticinum se recepit, ubi obsessus captus est, & Placentiã ductus ibiq; spectãte exercitu, ab Odoacre gladio suffossus. Vrbs Ticinum direptioni exposita et ager uastatus: cæteri Italiæ populi certatim deditionẽ fecere. Augustulus ex Rauẽna Romã, & deinde Lucullanũ Cãpaniæ oppidum fugit, ibiq; post annũ & menses duos imperij sui, purpurã & diadema deposuit, anno quingentesimo septimodecimo, postquã Octauius Augustum se appellauit.

Ex libro tertio.

Athila rege Hunnorum Aquileiam obsidente, ciues illius urbis Gradũ migrauere: Cõcordienses Caprulas, & Altinates Torcellũ, Maiorbũ, Burianum, Amoriacũ, Constantianũ & Aimanum. Padauini autem sacra, & supellectilem preciosam cum imbelli multitudine, in Riuum altum comportarunt: iuuentute ad tutanda mœnia retenta. Montesilicenses uero Adeustini'que, & Euganeorum collium incolæ, Metamaucum & Albiolam, Palestrinam Clodiamq;

confugere

cõfugere. Diruto deinde Montesilice, Patauio & Adeusto, Vincentia & Verona uastata, Patauinorum plurimi in paludes suæ ditionis, quo & præciosa miserant, habitatũ iere, id est ad Riuum altum, cui duro à soliditate fuit cognomen: sic & cæteri Venetianæ prouinciæ populi, præmente metu, in paludibus consederunt. Ea prouincia Abdua Pado, lacu, Benaco Adriatico mari & alpibus terminatur. Hinc origo Venetæ urbis. Odoacer igitur Oreste interfecto, cum Romã pergeret, occurrente populo benigne receptꝰ est, & summis honoribꝰ in Capitoliũ ductus, Romæ & Italiæ rex est appellatus, interim Phelteus qui & Phena dictus est, rex Rugorũ ulteriorẽ Danubij ripã colentiũ Erulos uicinos, qui in patria post Odoacris profectionẽ remanserãt, infestare cœpit. Aduersus quẽ ex Italia ꝓfectus, Odoacer ꝓlium cõmisit, & occiso rege Rugorũ, gentẽ ad internitionẽ usq; deleuit ꝓuinciãq; Rugilandã, quã illi incolebãt, crudelissime uastauit, & in Italiã rediJt. Lõgobardi aũt duce Codooco rege suo, ea Rugilandiæ loca possessoribꝰ uacua ingressi sunt. Et ad tẽpora usq; Andoini noni eorũ regis ꝑ annos circiter uiginti habitauerũt, interim qeta apud Cõstãtinopolim cũcta manebãt. Cũ defuncto Theodemiri Ostrogothorũ rege, Theodericꝰ successisset Roman. amicus. Hic ad Zenonẽ uocatus, ea facilitate profectus est, qua Leo illũ remiserat. Zeno statuã illi equestrẽ ex ære in palatio locauit, & patriciatus dignitate donauit. Sic & exercitui stipendia præbẽs & per aliquot annos eũ apud se retinuit. Sed cũ Ostrogothæ nõ quiescerẽt, intelligẽtes Vesogothos, Sueuos, Alanos, Vãdalos, Burgũdiones, Erulos & Turingos per Italiã, Hispaniã & Africã gloria excellere, petijt à Zenone ut aduersꝰ Odoacrẽ in Italiã mitteretur, idq; cõcessum est, ut amico potius quã hosti Italia pateret. Profectꝰ ex Pãnonijs Theodericus, priusquã Noricum ingredi posset, Strapiliã Zepidarũ regem iter impediẽtem, qui Arderico defuncto successerat, prælio fudit. Et pari modo Busarim Burgarorum ducem gentis accolæ Danubij, qui magnas sibi difficultates intulit, ingressus Italiam apud Sontium Aquileiæ dirutæ fluuium Odoacrem obuium habuit, eumq; cruento prælio superauit, qui ad Padum, cuius uada oppidaq; præsidijs & classe munierat, delatus eo loco substitit, ubi nunc est Ostilia Veronensium. Theodericus, dedentibus ciuibus Veronam cœpit: & paulò post redeuntem Odoacrem in campis Veronæ subiectis, iterũ superauit. Victus Odoacer Romam petens, clausas portas inuenit, & suburbanũ agrũ incendijs fœdans, Rauennam se contulit, populos Italiæ pertentans ut sibi fauerẽt, inter quos plures fuerunt Padi accolæ, & Astupha præfectꝰ Flaminiæ ac Aemiliæ: quod sentiens Theodericus apud Ticinum se cõmuniuit. Hoc tempore Gundobaldus Burgundiorum rex, Italiam ingressus, per saltũ Domussulæ, magnam prædam ex Comensibus, & deinde ex Taurinis ac Iporediensibus asportauit. Quo absente Clodoueus Francorum rex Crotchildẽ Chilperici filiam, forma egregiam pertẽtauit, an se uirum uellet, & & uoluntariam inuenit. Chilpericus rex Burgundionum fuerat, & à fratre suo Gũdobaldo interfectus: ob quam rem nõ putabat Crotchildis patruum suum consensurum, & rapi cupiebat: facileq; Clodoueo consensit, ea lege ut Christianus fieret. Nec Gundobaldus ausus est potenti regi neptem denegare, præsertim cum sine dote peteretur. Clodoueus quãuis uxori in seipso promissa neglexerit, duos tamẽ filios ex ea susceptos Christianos fecit. Theodericus autem postquã Odoacrem Rauennæ morari didicit, eò se contulit, & urbem per triennium obsedit. exeuntem ad pugnam Odoacrem bis prælio superauit, & tandem acrius obsessa ciuitate, Odoacer, hortante Ioanne episcopo, sese dedit. Theodericus urbem ingressus, secunda die Odoacrem & filium eius adolescẽtem contra fœdera interfecit, Erulorum plebem conseruauit. Exinde tota Italia & ipsa Roma eum complexa est, qui omnium Barbarorum mitissimus fuit: misitq; Epiphanium Ticinensem episcopum cum magna pecunia in Burgundiam, qui captiuos redimeret: sedem tamen regni sui Rauennæ cõstituit. Clodoueus interea aduersus Gundobaldum uxoris suæ patruum bellum gessit, ciuitatesq; inter Lygerim & Sequanam sitas, suo adiecit imperio, et interueniẽte Crotchilde, pacem hosti dedit. Deinde aduersus Alemannos bellum gessit. In quo cum sui caderent, memor factus eorum quæ uxori promiserat de fide suscipienda, suspicatꝰ propter negligentiam se puniri, uotum uouit Deo

A cæli, quod si uinceret, uxoris consilium amplecteretur. Hinc uictor effectus, Alemānis in deditionem acceptis, tributum imposuit: ac domum reuersus uigesimo quinto regni sui anno, à beato Remigio Remensi episcopo, cū multis Francis baptizatus est. Theodericus quamuis Rauennæ ageret, Romā tamen multis modis exornauit: sepulchrum Octauiani instaurauit, spectacula exhiberi iussit, ædificia multa reformauit, ac Basilicas: atq; ita se gessit, ut inter optimos numeraretur. Rauenna, ut Plinius ait, Sabinēsium ante urbem conditam fuit oppidū: sed primum incrementum sub Cæsare Augusto habuit, qui apud eum classem tenuit perpetuo anni tēpore expedita: & in oppido Classensi milites mansere, qui classem implerēt. Rauennam aūt muro clausit Claudius Germanicus sed muros ipsos instaurauit & ampliauit Valentinianus secūdus Placidiæ filius. Theodericus Erulis, interfecto Odoacre, alium regē dedit, et in extremis Italiæ partibus apud Augustam prætoriam sub alpibus habitare permisit, eumq; in filium adoptauit. Ipse uero Theodericus Clodouei regis Franciæ filiā, nomine Andefledam, uxorem duxit. Sororem suam uero nomine Amalafredam Honorico Vandalorum: & filiarum unā Halarico Vesogothorum: alteram Gundibardo Burgundionum: neptem uero Amalabergam Herminfredo, Thuringionum regibus, in matrimonium coniunxit. Euchario etiam nobili ex Balthorum prosapia oriundo, qui Veterici fuit filius, tertiam filiā Amalasunthā in uxorē tradidit: quo genero tanquā filio usus est: atq; ita & Hispaniā & Gal

B liam placatā tenuit. Cum uero Clodoueus rex Francorū Halaricū, Vesogothorum regem in campis Vogladensibus interfecisset, Vasconiamq; cepisset: Theodericus in ultionem generis contra socerum arma sumpsit, & multis Francorum trucidatis, Vasconiam recuperatam pro Almarico Halarici filio, non paruo tempore gubernauit. Siciliam uero, Dalmaciam, Liburniamq; & Illyricum obtinuit. Narbonensem Galliam, & ea quæ extra Burgundiam ad Teutones pertinent, exceptis Aluernis, regno suo adiecit: quæ loca Theodatus nepos eius, qui postea tertio loco regnauit, multo tempore administrauit, Pannoniā & Noricos regno suo adiunxit. Per hoc tempus Bulgari relictis sedibus quas ad Danubij ripas secundū Pānonias & Noricū habere cōsueuerāt, Thraciam deuastabant: nec poterat Zeno imperator resistere post recessum Theoderici, & maxime quia Constantinopolis maximo flagrauit incēdio. Tridentū Theodericus muro cinxit. Per idem tēpus Zenone defuncto qui sedecim annis imperauit, Anastasius suffectus est imperator: quo tēpore & Anastasius Romanus pōtifex decessit, & duo in scismate surrogati sunt: Symmachus in palatio Lateranēsi, & Laurētius in æde beatæ uirginis, quæ Noua dicitur. Res apud Theodericū discussa est, obtinuitq; Symmach9: qui clemētia usus, Laurentiū Nucerinis episcopū dedit. Sed Romani iam pace fastiditi Laurentiū reduxere, dissidiūq; fecerunt. Rex canonū ignarus, Petrū Altini episcopum Ro

C mam misit: qui utroq; deiecto, se pontificem constituerat. At Symmachus cōgregata synodo CXX episcoporū, de criminibus se purgauit, & Petrū & Laurentiū relegari obtinuit. Sed Romani nō destitere. Fausto excōsule pontificē clerūq; defenderūt. Probino uero altero exconsule plebē concitante, in Vrbe prœliatū est, & cædes cōmissa, & in sacerdotes uirginesq; grassatum: & per hoc tempus gestum est prælium inter Clodoueū & Halaricū, de quo antea diximus. Tunc quoq; Clodoueus Theodericū filiū ex ancilla susceptum in Albieses Ruthenosq; & Auernos misit, eosq; sibi subiecit, ac Tolosam Vasconiamq; occupauit. Almarico Halarici filio intra Pirenæum se continēte. Inuasit quoq; Clodoueus Engolisinā et Burdegallā ciuitates Vesogothorum, eo quod Arianā hæresim tenerent, & episcopos catholicos in illis constituit. Quod intelligens Anastasius admodum laudauit, audiens suo tēpore Vesogothos punitos esse: misitq; preciosam tunicam Clodoueo, & patritiū eū creauit: qui tamen primum Parisios accedens, eam urbem regni sedē cōstituit. Theoderic9 tamē, ut suprà diximus, Vasconiā recuperauit per Ilbam comitē, quem Zepidarū militibus præfecit. Hoc tēpore defuncto Symmacho, Hormisda Romanus pōtifex electus est, qui hortante Theoderico, apud Vrbē prouinciale synodū congregauit, in qua hæresim Eutychianā dānauit, quæ prius tamen damnata fuerat: & oratoribus quinq; Cōstantinopolim missis, Ioannē illius urbis episcopū, &

per eum reliquos Græcos ab hæresi desistere iussit. Sed episcopus & clerus Cōstantino politanus inobediētes fuerūt: nec Anastasius imperator decreto se subscribere uoluit, dicens Papā potius imperatori parere debere, eiusq; oratores urbe deiecit: ob quā rem fulmine ictus, creditus est pœnas dedisse, quo anno Symmachus & Boëtius cōsules fuere. D
Anastasio Iustin9 senior subrogat9 est, quo tēpore Eutychiana labes extincta est. Hormisda mortuo, Ioannes Tuscus successit. Iustinus Arianos ex imperio suo deiecit: q̄d Theodericus ægre tulit eadē labe infectus, & propterea Boëtiū & Symmachū Papiam relegauit, & Ioannem Papā ire Cōstantinopolim iussit, & Theodatum nepotē ex Narbonensi prouincia reuocauit. Ioanni uero plures ex nobilitate Romana collegas adiunxit, mandans eis ut à Iustino impetrarent Arianorum restitutionē: nisi obtinerēt, catholicis episcopis per suū regnum uicē redderet. Iustin9 magno honore Ioannē Papam excepit, concessitq; postulata, ne Christiani catholici trucidarētur: honorauitq; multū Romanos legatos. Quod ægre tulit Theodericus, illosq; cruciatu famis in carcere necauit: Boëtiū et Symmachū Papiæ iugulari iussit. Ipse uero Theodericus *XCVIII* die postq̄ Ioannes pōtifex & Romani illi obedierant, apoplesi, siue ut alij uolunt profluuio uentris interijt, anno *XXXVIII* postquam Italiæ potitus est regno. Huic successit Amalasiuntha filia tunc uidua cum Athalarico filio suo octo annorū, quē ex Euchario susceperat: quæ mulier prudentissima fuit, multaq; patris malefacta reparauit: Boëtij & Symmachi filijs patrimonium reddidit: Athalaricū disciplinis erudiri curauit: sed Gothi impediuerunt, dicētes regem suū sub præceptorib. esse minime debere, & arma illi nō literas cōuenire. Mortuus est per hoc tempus Iustinus imperator, cui Iustinianus successit. Proceres Gothi inter Amalasiunthā & filium discordias seminauere, ob quā rem illa Theodatum consobrinum suum in Hetruria aliquot ciuitates tenentē, quia seductoribus filij consentiret, coërcuit: & Athalarico Romæ relicto Rauennam pergens, tres Gothorū proceres, qui malorum consiliorum puero suasores erant, interfici curauit. Hic tamen Athalaricus quamuis Arianus esset, Bonifacium & Ioannem, cui Mercurio fuit nomē, Romanos pontifices, magnis fauoribus est prosecutus, & multa digna laude peregit. Cuius tempore mortuo Francorum rege, Clodomir & Childebertus eius filij, in paterni regni diuisione partes Burgundionū regni & Alemānorum quas occupauerat Clodoueus, & quæcūq; in alpibus ad Italiam spectant, Theodeberto eorum nepoti quem in Metensibus regem constituerunt, regendas possidendasq; dederūt. Hic Theodebertus rapinis assuetus, quem Theodericus pater in Alemannorum expeditiones duxerat, Romanam prouinciā, cuius caput est Massilia Septimanorum, quæ regis Italici esset, inuasit. Amalasiūtha rogauit ut desisteret, neq; occasionem Iustiniano daret imperij recuperandi, fœderaq; inter Athalaricum filium et Theodebertum impetrauit: sed Theodatus iniuriæ memor ab Amalasiūthā receptæ, quæ ipsum repetundarū damnauerat, cum Iustiniano egit, ut Italiā recuperaret. Interim mortu9 est Athalaricus octauo anno post quam regnum acceperat, ob quam rem Amalasiuntha Theodatum sibi reconciliauit, & regni cōsortem accepit. Erat autem Theodatus græcis latinisq; literis eruditus: qui, ut ait Cassiodorus, temporum suorum historiam scripsit, & inter philosophos quibus operam impenderat, Platonem maxime sectabatur. Cæterum iners fuit & inconstans, pecuniarūq; auidus: hortante tamen Amalasiuntha, in Burgūdiones, qui à Theoderico Metensium rege in Liguriam & Aemiliam missi fuerant, atq; Alemannos qui Venetiam deuastabant, delatus, utranq; gentem cum magna illorum cæde Italia pepulit, & cum eodem exercitu per legatos Romanam prouinciā recuperauit, pacem Iustiniani & Francorum regis per oratores consecutus: multaq; bona opera, eiusdem suasu fœminæ fecit. Sed ad ingenium reuersus rapinis indulsit, & Amalasiuntham ei resistentem, in insulam Vulsinensium lacus relegauit, occidiq; permisit à filijs et agnatis Gothorum procerum, quos Athalarici corruptores ipsa regina iusserat interfici. Fuit aūt Amalasiuntha memorabilis fœmina, græcis ac latinis literis egregie imbuta, omniumq; gentium linguas callens, quæ per id tempus Romanum imperium inuaserant: cuius mortem Iustinianus ægerrime tulit: ad quem placandum missus est Agapitus Romanus

pontifex

A pontifex, quem Iustinianus honorifice suscepit. Sed cum Iustinianus ab Anthemio Cõstantinopolitano episcopo seductus, Eutychianam hæresim saperet, illamq; confirmari peteret, Agapitus Diocletianum eum appellauit, eumq; resipiscere fecit, & Anthemio eiecto Mennam substituit, & cuncta impetrauit quæ uoluit Theodatus de Iustiniano securus. Defuncto Agapito, clerum Romanum, quod nullus antea tyrãnus intentauit, in electionem quam faceret, ui illata consensum promittere coëgit, & per pactionẽ pecunia accepta, Syluerium creauit. Ob quam rem rursus apud imperatorem delatus, punitionem timens mitius imperium egit. Cassiodorus Rauenna oriũdus, multa de eo scribit: & præsertim ut uinum accinaticum ex agro Veronensi odoris saporisq; suauissimi, magnam uim Romam aduehi curauit, ac annonam ex Histria Rauennam duci iussit. Quo tempore iam Veneti numerosa nauigia obtinebant, & Theodati mandatis parebant: qui eius iussu frumentum uehebant, de quibus scribit Cassiodorus: Venetiæ prædicabiles, quondam plenæ nobilibus, ab austro Rauennam Padumq; contingũt, ab oriente iocunditate Ionij littoris perfruuntur: ubi alternus æstus egrediens modo claudit, modo aperit faciem, reciproca inundatione camporum. Hic duobus aquatiliũ auium more domus: est nanque terrestris, modo cernitur insularis, ut illic magis existimes esse Cyclades, ubi subito locorum facies respicis immutatas. Earum quippe similitudine, per æ-
B quora longe patentia domicilia uidentur sparsa, quæ non natura protulit, sed hominũ cura fundauit: uiminibus flexis illigatis terrena illic soliditas aggregatur, & maritimo fluctui tam fragilis munitio non dubitatur opponi, quãdo uadosum littus moles nescit eijcere undarum, & sine uiribus fertur quod altitudinis auxilio non iuuatur. Habitatoribus una copia est, ut solis piscibus expleantur: paupertas ibi cum diuitibus sub æqualitate conuiuit: unus cibus omnes reficit, habitatio simul uniuersa concludit, nesciunt de penatibus inuidere: & sub hac mensura degentes, euadunt uitium cui mundum constat esse obnoxium. In salinis autem exercendis, tota contentio est. Pro aratris, pro falcib9 cylindros uoluitis, inde uobis fructus enascitur, quando in ipsis, & quæ non facitis, possidetis. & alia pleraq;. Quadraginta octo annis tũc Venetia steterat. Ab aquis Gradatis usque Lauretum, Venetia extenditur, per octuaginta millia passuum. Creuit autem cito Venetia, quia multarum urbium eò simul opes congestæ sunt, Athila Italiam uexante. Primi magistratus Venetorum tribuni appellati sunt. Laurentius monachus patria Venetus, affirmat fundamenta urbis Venetæ septimo calendas Aprilis iacta fuisse, anno salutis quadringentesimo & uigesimo primo: quod stare non potest. Nõdum enim Athila destruxerat Aquileiam, quod factum est anno quadringentesimo & uigesimo sexto: tunc enim Venetiæ principium habuere. Iustinianus imperator à Iustino auunculo constitutus, Parthos bella mouentes per suos duces pluribus bellis superauit: postea *Natalis Venetiarum.*
C apud Eufratem exercitus eius superatus est. Erulos, Zepidas & Bulgaros, Illyricum deuastãtes, per suos iudices profligauit. Et iterum per Belisarium patritium & per Hermogenem magistrum officiorum, Parthorum impetum repressit, fœdusq; cum eis iniuit: deinde per eundem Belisarium Africam à Vandalis liberauit: qui Bilimirem regem captiuum, cum opibus spolijsq; Vandalorum Constantinopolim perduxit: & consul ordinarius designatus, de Vandalis triumphauit. Deinde missus in Siciliam, insulam recuperauit, & ad bellum contra Theodatum processit. Iustinianus Clodomirem & Childebertum Francorum reges, eorumq; nepotem Theodebertum Liguriam tenentem, multis muneribus ut quiescerent placauit, dicens, indignum esse auxilio Theodatum, qui hæresi Ariana Italiam inficeret: misitq; Mundum quendam ducem in Dalmatiam, qui Gothis prælio superatis, Salonã cepit, inuoluitq; tumultu Dalmatas, Iustiniano subijci renitẽtes. Quadragintaocto annis sub Gothis Italia fuerat: trigintaocto sub Theoderico: sub Athalarico octo: & sub Theodato duobus, & plurimum floruerat, meliora sub Iustiniano sperans, quod per eius auaritiam contrà euenit: namq; & libertas omnino perdita, & urbs intus extraq; diruta ac desolata, ad stupendam calamitatem est perducta.

Ex libro quarto.

CVm centum & quadragintaduobus annis inclinasset imperium, Belisarius recuperata Sicilia in Africam nauigauit aduersus Storzam, qui tyrannidem illic interfectis iudicibus arripuerat, miraq; felicitate prouinciam liberauit, ac rursus in Siciliam rediјt. Interim in Dalmatia Gothi exercitum reparantes, Salonam obsidere statuerunt: occurrentemq; Mauritium Mundi filium adolescentem interfecerunt. Quod sentiens Mundus, ira concitatus Gothos aggressus, magna occidione eos fudit. Sed dum fugientes persequitur, ab eis occisus est, & suus exercitus dissipatus, & Salona recuperata. Quæ res tantam Theodato fiduciam intulit, ut omnia reuocauerit, quæ per legatos pro pace obtinenda Iustiniano promiserat. Iustinianus uero Constantianum belli ducem in Dalmatiam misit. Belisarius pulsis è Sicilia Gothis, in Italiam nauigauit, in Brutiorum prouinciam, Embrimũq; Theodati generum qui eam tenebat in deditionem accepit, & ad imperatorem misit: qui eum Patritium creatũ multis muneribus donauit. Belisarius Lucanis deditionem facientibus Neapolim uenit, urbemq; obsidione cinxit: & tandem ostendente Isaurico milite, per aquæductum eam ciuitatem obtinuit: (sicut nostra ætate rex Alfonsus) raptas uiris uxores reddidit: neq; in Gothos qui præsidio erant sæuitum est: quamuis Tordanus Romanos & Neapolitanos & Gothos trucidatos fuisse dicat. His auditis Gothi qui Romæ erant, haud amplius inertiam Theodati ferendam putant. Egresi urbem apud Regetam, quæ nunc Ruglate dicitur, castra fecerunt, trigesimoquinto ab Vrbe milliario, ibiq; Victigitem sibi regem fecerunt, obscuro genere ortum, sed rei militaris peritia ualidum. Theodatus per deuia fugiens Rauennam petebat: sed ab Optaro quodam Gotho post illum misso interfectus est, tertio postquam regnare cœperat anno. Victigis Romã rediens, confirmato populo, Luderim ibi dimittit cum quatuor millibus militum: & Rauennam profectus omnes per Italiam dispersos ad se Gothos uocat, Mathasiuntamq; Theodorici regis ex Amalasiuntha filia neptem, inuitam capit uxorem: quæ Victigis ignobilitatem aspernabatur. Belisarius Romam profectus à ciuibus ultro receptus est: & qua die, quæ fuit quarto calendas Decembris, Asinariam portam intrauit, eadem Gothi Flaminiam sunt egresi. Remansit Luderis, regis sui sæuitiam timens: quem Belisarius Constantinopolim misit. Narniam per Bessam cepit, & Constantianum in Hetruriam misit: qui Spoletum & Perusiam cepit, eam'que præsidio muniuit. Pisias & Nillas Gothorum duces ad tuendam Perusiam missi, ubi eam captã inuenerunt, cum Cõstantino prælium commisere: qui eos uictos captos'que Romam ad Belisarium misit. Quibus cognitis Victigis, ex Rauenna cum centum millibus pugnatorum, siue ut aliј uolunt, centum quinquaginta Romam uersus iter habuit: cum'que Tybur intrare confiderent, ab oppidanis repulsi sunt. Sed tandem Vrbi appropinquantes eam obsederunt, & aquæductus omnes fregerunt, qui numero quatuordecim erant, mirabilis effecti opere. Erat Belisarius in Vrbe cum quinque millibus tantum militibus, nec satis in populo Romano fidebat. Petiјt igitur auxilium à Iustiniano, qui Valerianum et Martinum iussit in Italiam nauigare. Per hoc tempus Asinarius & Vsigilaus Gothi in Dalmatiam missi, à Constantino plurimas acceperunt clades. Childebertus, Clodomiris & Clotharius Francorum reges, hortatu Crotchildis matris suæ, in patrui ut ostendimus ultionem, aduersus Sigismundum & Gothimarum fratres Burgundionum reges, arma uerterunt. Occurrit Sigismundus, & apud Agaunenses prælio commisso uictus est, & cum uxore ac liberis captus, atque cum eis in puteo necatus. Exinde Clodomiris solus contra Gothimarum bellum gesit: & dum fugientem hostem persequitur, ab eo confossus occiditur. Sed milites eius ardentius præliantes, Gothimarum superatum interfecere. Almaricus Vesogothorum rex Hispaniam obtinebat, & regum Franciæ sororem habebat uxorem: quam cum male tractaret, Childebertus aduersus eum in Hispaniam duxit exercitum, & fugientem ad naues Almaricum apprehendit & interfecit. Toletum urbem cepit, & magnis populationibus per Hispanias factis,

A factis: sororem uiduam in patriam reduxit. Quo recedente, Vesogothi Theudam sibi regem creauere. Sæuierunt & inter se Frācorum reges. Clodemiri enim defuncto, duo fuerunt filij infantes: quos cum Crotchildis unice amaret, & ad paterni regni portionē eos alere uideretur, Clotharius & Childebertus terræ allisos interfecerunt. Theodebertus quoq; iuuenis eorum nepos cum Childeberto patruo, in alterum patruum coniurauit: quos ad prælium exeuntes, Crotchildis composuit: & Childebertum cum Clothario in Hispaniam ducere contra Gothos Arianos, & Theodebertum in Italiam, hortata est. Illi Cæsaraugustam obsederunt, obtinuissentq;, nisi beatus Vincentius illam urbē miraculose defendisset. Eoq; tempore Crotchildis obijt, & Theodebertus in Italiā profectus, Liguria est potitus: sed morbo correptus, cum præda rediit, Amingo & Buzelino & Leothario magni exercitus ducibus relictis. Theodebertus moriens, Theodoaldum filium successorem habuit. Interim Vitigis Portuensem urbem cepit, & Romanos ciues quos secum duxerat, obsides interfecit apud Rauennam: & ob rerum penuriam Belisarius inermem turbam Neapolim misit in Siciliam: Syluerium quoque tanquam cum hostibus sentiret, in exilium misit. Interea uenerunt mille sexcenti milites Hunni à Iustiniano missi: qua fiducia lacessere Belisarius Gothos ausus est adeò, ut etiā castra eorum diriperet. Sed male ei successit, cum Gothi resumptis uiribus in prædantes B impetum fecerunt, magnamq; cædem cōmiserunt: ob quam rem contentus postea fuit mœnia defensare: quo tempore non solum Roma, sed tota Italia fame laboraret, ita ut in diocœsi Mediolanensi mater filium comederit. Per hæc tempora Longobardi qui duce Andoino nono rege, Danubio transmisso, Pannoniam inferiorem inuaserant, & Turismundum regem Zepidarum, Ardarici cuius suprà meminimus pronepotē, prælio superauerant: mortuo Andoino, decimo loco filium eius Alboinum regem fecere: Zepidæ uero Eurimundum, Turismundo mortuo filium suffecere: & inter hos iterum bella fuerunt. Alboinus Clothsuindam Clotharij regis Franciæ filiā uxorem duxit: cuius gratia Auares cum Longobardis aduersus Zepidas Arma sumpserunt. Fuerunt autem Auares Hunnorum genus, & exercitus Athilæ reliquiæ, quos diximus defuncto Athila à Zepidis subijci recusantibus superatos. Nam Durith Athilæ filius, à Valemire & Theodemire Ostrogothorum regibus cum Zepidis sentientibus, intra Scythiam fugere compulsos, illico à suis interfectus est, & Zeliorbes ei suffectus, qui cum uiginti millibus Hunnorum Cosdroæ Parthorum regi contra Iustinianum in auxilium perrexit: sed Cosdroas suspectam habens eius fidem, multis uulneribus cōfossum interfecit. Hunni autem qui cladi superfuerant, Hunnorum nomen exosi, ab Auario qui Zeliorbi successit in regno, sese Auares nūcupauere: qui relictis Pannonijs in Noricum recesserunt, à quibus ea prouincia, unius litteræ additione, Bauaria dicta est. Strabò tamen à *Bauariæ nomen.* C Bois, qui eam terram coluerunt, Italia relicta, Boioariam potitus appellari uelle uidetur. Cum igitur Childebertus & Clotharius fratres, ac Theodebertus nepos, Francorū reges, usq; ad Bauariæ & Austriæ fines deditionē protulissēt, Auares adducti Clothsuindæ & genitoris precibus, cum Longobardis contra Zepidas bellum accepere. Nam cum Zepidæ Alboinum Longobardorum regem in terra sua inuaderent, Auarus eos à tergo aggressus est. Commundus Zepidarum rex à tergo & à fronte bellum instare cernens, Alboinū prius aggredi statuit: quo uicto facile Auaros superaturus esset. Sed congressus, Alboini dextra occisus est: cuius caput pilo infixum, aliquādiu per castra delatum est, atque ex eius craneo pateram auro celatam fieri curauit, ex qua solenni cō uiuio bibere solitus erat: & Rosmundam eius filiam uirginem forma præstātem, sibi matrimonio copulauit. Ex illo tempore Zepidarum nomen extinctum est: neq; enim amplius sui generis duces habuere, sed partim Auaribus paruerunt in superiori parte Pannoniæ manentes, partim in Longobardorum nomen transierūt. Belisarius interim Antoninam uxorem ad se uocauit, & noua auxilia à Iustiniano accepit: quæ distributa per uicina oppida, difficultatem Gothis fecere annonæ habendæ: propter quam rem trium mensium induciæ factæ sunt, & legati Constantinopolim missi.

Ex libro quinto. D

MEdio tempore mortuo Agapito Romano pontifice, Theodora Augusta magnopere annixa est, ut Anthemius, quem supra ut hæreticum ab Agapito diximus relegatum, in Constantinopolitana ecclesia restitueretur: cui & Vigilius diaconus ciuis Romanus tunc apud eam apocrisarius, stimulos adiecit, affirmans Sylverico deposito, si se pontificem fieri cõtingeret, Menna deiecto Anthemium uelle reducere. Scribit ergo Augusta Syluerio, ut Anthemiũ reuocet, alioquin ad se pergat. Ille nec hæreticum posse restitui, nec sibi facultatem esse ad eam ire respondet. Scribit ergo Belisario & Antoninæ, ut Syluerium corripiant. Belisarius Antoninæ rem committit: quæ per Vigilium testes subornat, tanquam Syluerius Romã prodere Gothis statuerit. Vocatur ab Antonina Syluerius, & increpat9 de proditione, priusquam respõdeat pallio detracto cuculla monastica induitur. Quo facto, clerici Romani Vigilium pontificem proclamant. Syluerius in exilium missus, apud insulam Pontianam, non sine sanctitatis opinione uitam finiuit. Mediolanenses interea legatos ad Belisarium mittunt, deditionem promittentes, si præsidium mittatur: idq; obtinent. Tentantur in urbe proditiones, sed minime effectum habẽt. Mittit Belisarius copias in agrũ Picenũ, & deinde Ariminum ire iubet, eamq; urbem cepit. Quod intelligens Victigis, E non ausus ultra obsidionem ad urbem tenere, crematis castris cum omnibus copijs Rauennam contendit, anno toto, & nouẽ diebus, postquam obsidio cœpta erat. Præsidia tamen in Tuscia & in Piceno reliquit, apud urbes quæ in fide manserant: deinde Ariminum omni conatu obsidet. Mundilas ad Mediolanũ missus, per mare & Ligures trãsitum fecit, & à Mediolanensibus cupide recept9 est: aduersus quem Varaias Victigis ex fratre nepos missus est. Et Belisarius Roma dimissa, in hostes contendit, qui Picenũ infestabant: & rebus ibi compositis Ariminum obsessamq; urbem liberat, & Vrbinum recipit, cum fons ex quo ciuitas bibat, sua sponte deficeret: & Vrbem ueterẽ obsessam annonæ caritate obtinuit. Ioannes Belisarij dux ab obsidione Fesulæ turpiter recedit. Theodobaldus rex Metensium rogatus à Victigite, decẽ millia armatorum ex Ligustinis suisq; militibus ad Varaiam mittit. Varaias Mediolanum obsidet, & fame tãdẽ compulsam ciuitatem capit. Belisarius copias suas trifariam diuidit: ipse ad Auximũ obsidẽdam pergit, Cyprianum & Iustinum ad obsidendas Fesulas mittit: Martinum, Ioãnem & Vitalianũ cõtra Varaiã dirigit. Obsessæ sunt urbes, sed nulla erat spes nisi in defectu annonæ. Inter hæc Theodobaldus rex Metensium, magnas Francorum & Burgundionum copias, in Italiam mittit, quæ quantas possint Italiæ terras occupẽt. Varaias ex Mediolano Rauennam uocatus, in Placẽtinum transit: Ioannes & aliæ copiæ Belisarij ad septimum milliarium ei occurrerunt. Franci & Burgundiones per Apenninum in Placẽtium descendunt: Varaias in auxilium suum uenire arbitratur. Dum alter alteri cõiungitur exercitus, orta dissensione prælium committitur, & Gothi superati fugam capiũt, Rauennamq; pergunt. Ioannes fugientes uidens, credit Belisarium occulto itinere profectum conflixisse, occurrensq; Francos reperit, cum quibus cõgressus superatur: atq; ita fortuitò & Gothi & Romani una die à Francis & Burgundionibus prælio superati sunt, qui tamẽ paulò post in dissipationẽ abiere. Quidã hæc negant: & Guido Rauẽnas sacerdos Burgundiones Francosq; qui Liguriam pro Theodobaldo tenebãt, à Gothis mercede cõductos, Mediolanẽsis urbis obsidioni interfuisse tradit, & postea proprio periculo prospiciẽtes fauisse Gothis, cum Belisarius Rauennã obsideret: & hoc magis credibile. Gothi qui Fesulas tenebant, fame pressi, Cypriano & Iustino se dedidere: & paulò post Auximum à Belisario captum est. Qui cõtractis undiq; copijs, misso uno ex præfectis copiarum ad custodiendas Padi ripas, ad obsidendam Rauennam se contulit. Quo cognito, Franci legationẽ ad Gothos miserunt, quinquaginta millia armatorum promittentes, si se in partem regni Italici reciperent: & Belisarius concordiam Gothis obtulit: qui plus fidei Romanis adhibuerunt quàm Frãcis: & factis inducijs legati ad imperatorem missi sunt, qui eius uoluntatem exquirerent. Interim frumenta apud Rauennam

A uennam incendio casuali cõsumpta sunt: & Sisigis unus ex Gothorum ducibus, castella
quæ in alpibus habebat, Belisarij militibus custodienda dedit: aduersus quem Varaias
profectus, illum & Belisarij milites obsedit. Sed Ioannes Vitaliani & Martinus castel-
la quædam cum uxoribus & filijs Gothorum, qui cum Varaia militabant, intercepere:
ob quam rem destitutus Varaias à militibus suis, cum paucis inde redijt, nec Victigi
opem ferre potuit. Interim legati Iustiniani decretum attulerũt, ut Victigis omnia trans
Padum loca retineat, citra Padum cuncta dimittat: mediam pecuniarum regalium par-
tem Imperatori tradat, reliquam sibi habeat: & Gothi qui citra Padum sunt, subiecti
Romano imperio sint. Audiunt hæc libenter Gothi: sed Belisarius indignatus, decreto
subscribere noluit. Diffidentibus itaque Gothis, iterum bellum resumptum est, & Ra-
uenna capta. Victigis cum cæteris Gothorum principibus, cumq; thesauris & omni ga
za captus, in Constantinopolim ductus est: quos Belisarius secum duxit anno quinto,
postquam in Italiæ bellum gerere cœperat. Italiæ gubernatores remanserunt Ioannes
& Bessa & Vitalis, & Constantinus ex Dalmatia ueniens, qui multa mala apud Italos
commisere, rapientes quæcunque potuerunt, in socios superbi, in hostes non satis fero-
ces. Accessit auaritia Iustiniani, qui quanquam multa per quæstores raperet, non tamen
militem, ut par erat, pecunia iuuabat. Gothi rege destituti, id honoris Varaiæ mandant:
B is indignum duxit Victige uiuo propinquo suo, regnum, acceptare. Creatur igitur
rex magnæ inter Gothos autoritatis Ildouadus, qui longo tempore Veronam tenue-
rat. Is Papiam uocatus, ibi purpuram accepit, & rex Gothorum appellatus est: qui
collectis Gothorum reliquijs, breui omnes trans Padum, omnesq́ue Venetiæ regio-
nis urbes in potestatem recepit, ac Gothorum & Italorum exercitum magnum com-
parauit: & commisso prælio cum Vitali apud Taruisium, cum paucis illum reliquit fu-
ga euadentem: cæteri trucidati sunt aut capti. Qua uictoria auctus Ildouadus, siue Ido-
uallus, Varaiam tanquam cum hostibus sentiret interfecit: facile enim Ostrogothi inter
sese sanguinem fundebant: nec regibus parcebant: hac de causa Ildouadus ipse à Builla,
uno ex custodibus sui corporis, in solenni conuiuio est occisus, & Araricus ei suffectus,
qui mense quinto occisus est: & Totila subrogatus, qui etiam Baduilla uocabatur, ne-
pos Ildouadi, qui apud Taruisium sibi timens manebat, & amicitiam Romanorum
quærebat. Sed Gothi Ararico interfecto, ipsum ad regnum uocauerunt, priusquàm
cum Romanis iungeretur. Increpati duces Iustiniani de negligentia, apud Rauennam
conuenerunt, & Veronam ducere statuerunt. Quam cum misso Artauade Armenio
cepissent, & Gothi in arcem refugissent, dum de præda inter se contendunt, illam ami-
serunt: nam negligentes in campis, ex arce uisi sunt à Gothis, qui mox in urbem descen-
dentes, exercitum qui intrauerat peremerunt. Artauades per murum euasit: duces Iu-
C stiniani retrocesserunt, & cum exercitu Totilæ circa Trebiam fluuium conflixerunt,
uictiq́ue sunt: quo in prælio Artauades Armenius, singulari certamine Valarim Go-
thum prouocantem utroque exercitu inspectante, hasta transfossum occidit, & ipse ui
atque impetu equi adactus, interfecti cuspide transfigitur: ex quo uulnere, tertio die
obijt. Omnia militaria signa ad Totilam relata sunt, magna gloria exultantem: qui
uix tertiam partem habuit militum, respectu hostium. Vsus est humane hac uictoria,
captiuosq́ue multos gratuitò dimisit, & partem exercitus in Tusciam misit sub Belda,
Roderico & Vliario, qui Iustinum intra Florentiæ mœnia obsederunt. Inopia rei fru-
mentariæ laborantem, Bessas, Cyprianus & Ioannes illi subuenientes obsidionem sol-
uerunt. Sed dum hostes insequuntur, Ioannes qui præcesserat, Gothos monte quo-
dam aggreditur, & pugnando miles unus apud eum interficitur: creditur
Ioannes mortuus, & fugam omnes capessunt. Non tamen Go-
thi Florentiam reuerterunt: atque ita finitum
est septimi anni bellum.

Ex libro sexto.

Equenti anno Totilas in Hetruriam transijt, & deinde Tyberi transmisso Beneuentum petijt, eamq; urbem mœnibus spoliauit: Neapolim obsedit: cuius præsidio erat Conon cum mille militibus. Durante obsidione partem exercitus Cumas misit: in qua ciuitate romana quasdam cepit, & liberas parentibus ac maritis cum honesto comitatu remisit. Cepit Apuliam, Lucaniam atq; Calabriam, neq; hinc pecunia ulla ad milites Iustiniani perueniebat. Duces eius urbes inter se diuisere custodiendas: Ioannes Romam, Bessas Spoletum, Cyprianus Perusiam, Iustinus Fesulas, Constantinus Rauennam. Interim Neapolis acrius obsidebatur: Quod intelligens Iustinianus, Maximinum cum nouis copijs misit. Quo apud Epirum cunctante, Demetrium cum classe in Siciliam nauigare iussit. Hic Romam & Siciliam nauigauit, & deinde Neapolim, ubi conuictus est. Maximinus classem suam ei commisit: cum qua rediens Demetrius, iterum à Totila uictus est cum ad littus ui uentorum deuenisset. Captus est Demetrius, & in uinculis habitus. Alloquitur Neapolitanos Totilas, deditionemq; suadet. Quibus inducias triginta dierum petentibus, ter triginta dies concessit. Denique Neapolis deditur, in qua nulla uiolentia facta est: Conon abire permissus, & nauigia ei concessa sunt. His rebus cognitis, Iustinianus iterum Belisarium ad bellum Italicum elegit, qui medio tempore aduersus Parthos bellum gesserat, nec planè finierat. Veniens in Italiam Belisarius, Hydruntum oppidum Calabriæ obsidione liberat. Misso Valentino ipse Polam nauigauit, ac Rauennam uenit, reperitq; res peius se habere quàm putabat, ita ut pœniteret eum Italiam uenisse. Totilas Tybur in potestatem accepit, deinde ad Auximum obsidendum perrexit. Firmum quoq; & Asculum pactione cepit, Spoletumq; & Assisium. Cyprianum uero qui Perusiæ præerat, à suo milite interfeci curauit: milites tamen urbem defendere. Qua dimissa, ad obsidionem Romæ profectus est. Ibi Bessas & Conon præerant, & noua præsidia à Iustiniano missa. Præliatum est extra urbem. Græci uincuntur & in urbem repelluntur: Cetheus princeps Senatus, tanquam suspectus Roma pellitur. Alius Gothorum exercitus Placentiam interim obsidet. Belisarius Dyrrachium nauigat, ibiq; auxilia à Iustiniano expectat. Valentinus & Focas qui Portuensem urbem præsidio tenebāt, cum Gothis præliantes circumuenti & interfecti sunt, & Portuensis ciuitas capta. Vigilius pontifex Romanus cum promissa Theodoræ non seruasset, uocatus Constantinopolim apud Siciliam consedit, magnãq; uim frumēti Romanis misit, quæ à Gothis capta est. Pelagius diaconus pro pace ad Totilam dimissus, superbe exceptus est. Belisarius nouis copijs apud Dyrrachium acceptis, Hydruntum nauigat, Gothosq; obsessores inde pellit: deinde Romam petere conatur. Totilas pontem supra Tybrim erigit, & præsidia collocat, ne possint nauigia transire. Belisarius apud Portum Ioannem expectauit: ille interim cū Gothis conflixit, & Brundusium recuperauit, Romamq; iter direxit. Sed audiens Gothos in itinere se expectare, in Brutios Lucanosq; se conuertit: easq; prouincias in potestatem redegit: quod Belisario molestissimum fuit, qui eum ad se festinare uolebat. Sed ea spe destitutus, pontē Totilæ aggredi statuit, eumq; cepit, ducētis uiris in eo crematis. Interim fama uenit Portuensem urbē in qua erat uxor Belisarij, à Gothis captam esse, qui Ostia urbem tenebāt. Isaaces enim qui custodiā Portus habebat, audita uictoria pontis, Ostienses aggressus est, & ab illis captus: qui etiā in uinculis occisus est. Belisari9 habito nuncio cōmotus, ex media uictoria retrocessit, & deinde præ dolore correptus febrem incidit, quæ eum diu tenuit. Vnde Romani desperati, magnas calamitates incidere, cum nihil haberent quod comederent. Quatuor milites Isaurici de prodenda urbe consilium iniere, & cū Totila rem perfecere. Per muros enim milites Totilæ acceperunt, qui portā Asinariā securibus perfregerūt & exercitū intromiserūt. Facta est cædes ciuiū. Totilas de Laterano ad sanctū Petrū descēdit, ubi obuius Pelagius: Parce, inquit, rex supplicib. tuis. Et Totilas superbo aspectu: Nūc, inquit, Pelagi mihi supplicatur9 aduenis? Cui Pelagius. Nūc, inqt, quando

A quando deus te mihi dominum esse uoluit. Miserere igitur domine seruorum tuorum. Motus his Totilas, cædes prohibuit: bona tamen Romanorum militibus concessit, corpora libera esse iussit. Cum superbirent Gothi arguebat eos, & fortunæ mutationem memorabat: qui ducenta millia Gothorum, à septem millibus Græcorum, duce Belisario, penè tota Italia pulsa fuisse referebat: & rursus quatuor millia Gothorum, uiginti millia Græcorum uicisse. Absoluit Totilas Rusticianam mulierem nobilem, quæ ob uindictam Boëtij mariti & Symachi patris, Theodorici statuas confregisset: iustam enim putauit eius iram. Misit & oratores ad Iustinianum, inter quos Pelagium, qui dicerent, aut pacem Gothis daret fidelia auxilia præstaturis, aut Romam solo æquandam sciret. Interim Belisarius apud Portum quiescebat. Iustinianus nil aliud legatis respondit, nisi Belisarium esse in Italia, qui eius arbitrium haberet. Agebat tunc Iustinianus Vigilij causam, qui Constantinopolim uenerat, & per annum se excusauerat. Sed uicit pertinacia Theodoræ, & Vigilius in exiliũ actus est. Pelagius Romam reuersus, Totilæ exponit quæ à Iustiniano habuerat. Ille ira percitus, Vrbem euertere statuit, tertiamq́ murorum partem diruit, Capitolium incendit, & magnam Vrbis partem: populũ per oppida Campaniæ dispersit: Senatores ac patritios obsidum loco circa se retinuit: desolatamq́ & uacuam Vrbẽ relinquens, contra Ioannẽ in Calabriã perrexit. Lucanos & Brutios & omnes Calabros recepit, exceptis Hydruntinis, ad quos Ioannes confugerat. Interim Spoletana arx Belisario dedita est, & Tarentum reparatum à Calabris domo pulsis, quod antea desolatum erat. Et cum Totilas Rauennam petere statuisset, Belisarius febre liberatus urbem Romam desolatam ingressus est, iterumq́ illam munire statuit, breuiq́ fossis & alijs munimentis reparauit, multis Romanorum redeuntibus. Quod intelligens Totilas, relictis reliquis curis Romam repetere festinauit. Nondum portas Vrbi Belisarius imponere potuerat, et tamen impetum Totilæ magno animo repulit, congressusq́ue illi uictor euasit. Totilas obsidionem soluit, & Belisarius fabricatis portis claues Vrbis ad Iustinianum misit, Gothici bello anno XII. Obsidebatur interim Perusia, ad quã magis astringendam Totilas profectus & Ioannes Vitaliani ex Calabria in Campaniam peruenit, multosq́ Romanorum obsides illic à Totila dimissos liberauit: quod non fuit ei difficile: nam oppida Campaniæ à Gothis nudata mœnibus fuerant. Ea re cognita Totilas magna celeritate per Picentes, Pelignos & Samnites in Apuliam properauit, transuersisq́ itineribus profectus, in Calabria repertum Ioannem bello superatum castris exuit. Quæ Res magnam ei laudem peperit: tum quod armis suis oneratus haud aliter quàm cæteri milites equo iter fecerit. Interim nouæ copiæ Belisario aduenerunt, cum Valeriano Armeniorum & Vero Erulorum ductoribus: qui Crotone manens Phassan genere Hiberum & Barbationem ad custodiendas fauces Calabriæ misit: qui

C obuios habentes Totilæ equites eos conflixerunt, ducentis interfectis. Sed Totilas ex improuiso eos aggressus magna strage profligauit. Phassas cum suis omnibus interfectus est. Barbation Thrax cum paucis ad Belisarium fugit. Romæ dum hæc aguntur, Conon Vrbis præfectus à militibus suis interfectus est: quoniam carius uenderet annonam: cuius facinoris à Iustiniano ueniam obtinuerunt. Russianum oppidum in Calabris à Totila diu obsessum tandem capitur per deditionem. Antonia uxor Belisarij Cõstãtinopolim est profecta, quò Theodoram Iustiniani uxorem, pro Belisarij ab Italia reuocatione, rogaret. Sed illa paulò ante decesserat. Iustinianus rogatus facile reditum indulsit, cum belli Parthici ingens adesset metus. Abijt ergo in Græciam Belisarius quinquennio ferè exacto postquam secundo in Italiam uenerat, nõ eadem fortuna in hac ultima expeditione usus qua fuerat in prima. Reliquit autem Romæ tria millia militũ sub Diogene legato uiro prudenti & bellorum gnaro. Belisario abeunte Gothi Perusiam longo tempore obsessam capiunt. Et Totilas expeditis Calabriæ atque Apuliæ rebus, ad obsidionem urbis Romæ reuertitur: primoq́ urbem Portuensem expugnauit: & deniq́ post lõgam obsidionem, proditione militũ Isaurorũ, qui ad portã Ostiẽsem excubias habebant, Romã capit. Diogenes ad Centumcellas se contulit. Paulus quidam ex Cilicia præfectus equitũ ad molẽ Adriani se recepit cũ quadringentis suis equitibus, ibiq́

magnam

magnam Gothorum occidionem fecit. Sed cum obsessus euadere non posset, persuasit suis ut mortem oppeterent uiriliter pugnantes. Sensit id Totilas, & deditionem facientibus libertatem promisit uolentibus apud se militare: recessuris arma tantũ & equos perdenda dixit. Omnes cum eo mansere excepto Paulo & Mundo Isauro, qui domum rediere. Pepercit Totilas Romanis ad sacras ædes confugientibus, reuocauitq; profugos, ludos equestres concessit, reparare Vrbem annixus est. Causam tãtæ mutationis, alij dicunt uotum fuisse Petro et Paulo factum: alij responsum Franciæ regis, qui rogante Totila ut filiam suam sibi matrimonio copularet, regem esse Italiæ negauit, qui Romã euertisset: alij sancti Benedicti uaticinium, qui ait Totilam Vrbem potiturum, Siciliam intraturum, & demum nono regni sui anno superatum occubiturum. D

Ex libro septimo.

Diogenes Vrbe relicta Cẽtumcellas petijt: ibiq; pactus inducias, nisi intra certum tempus auxilia mitterentur Vrbem tradere promisit. Totilas in Siciliã transit, atq; in itinere Rhegium obsedit, & Tarentum capit dimissis ad Rhegium militibus, qui paulo post Vrbem obtinuere. Et in Siciliam transgress9, Syracusas obsedit: & Gothi qui in Picentes missi erant, Ariminum ceperũt: nec procul à Rauenna Verum Erulorum ducem conserto prælio cũ omnibus copijs interfecerunt. E
Quibus cladibus intellectis Iustinianus, Germanum patruelem suum Italiæ belloq'ue Gothico ducem pronunciauit: cui nupserat Mattasuntha Theoderici neptis post mortem Vitigitis. Quæ res magnum sibi Gothorum fauorem conciliauit: & magna spes data est Italis tali duce creato. Sed eo in Illyrico commorante, Sclauinorum gens transmisso Danubio Romanorum prouincias inuasit, ac Macedoniam Thraciamq; uexare cœpit: quibus Germanus obsistere annixus est. Interim Gothi rapinas per Italiam multas fecere: non tamen Diogenes tradere Centumcellas uoluit: dicens per aduentũ Germani res mutatas esse. Rauenna, Ancon, Hydruntũ, & Centumcellæ cum paucis quibusdam oppidis duntaxat pro Iustiniano in Italia tenebantur, cætera Gothi possidebãt. Sed magna spes erat in aduentu Germani, quæ frustrata est, illo in Illyrico decedente. Imperator filios eius qui secum erant paternum prosequi cœptum iussit, ijsq; Ioannem Vitaliani adiecit, qui Germani gener erat. Sed dum hi Salonis hyemant, & Lybus quidam cum classe Syracusas intrat, & deinde Panormum nauigauit, resq; Totilæ in Sicilia perturbat. Iustinianus mutato consilio Narsetem Eunuchum Italico bello præfecit, Ioanniq; mandat ut Narseti pareat. Magnus hic uir fuit, imperialium pecuniarum receptor & dispensator, atque in consilio primus, rei bellicæ peritissimus, religione ac pietate præstans, & barbarorum regibus amicitia iunctus. Ingressus hic iter, Philippolim in Thracia peruenit: ibiq; aliquandiu moratus est, cum Hunni magno exercitu Macedoniam Thraciamq'ue ingressi uias præclusissent. Sed cum pars Hunnorum Thessalonicam, altera Constantinopolim diuersis itineribus petijssent, Narses iter suum prosecutus est, & Totilas relictis in Sicilia quatuor ducibus, in Italiam redijt classemq; instructam in Græciam misit, Corcyram diripuit, Epirum, Aetoliam, Acarnaniamq; uexauit: & per alios duces Anconam obsedit quadraginta septem nauibus longis traditis, ut etiam mari obsidio teneretur. Sed Valerianus qui præsidio erat Anconæ, accersito Ioanne Vataliani qui Salonis morabatur, cum triginta nauibus longis prælium committens, fugatis Gothis uictor euadit: nec plus quàm decem naues Gothorum euaserunt. Qua clade percussus Totilas, magnam copiarum partem è Sicilia reuocauit: & Artauades qui Liberio successerat Iustiniani duci, liberatis amicis urbibus, inimicorum obsedit oppida. Reginaris quoq; uir inter Gothos clarus, qui Tarẽto præerat, ad Iustiniani partes transiuit. Et in Sardinia motus contra Gothos excitati sunt. Narses magnis copijs comparatis iter prosequebatur. Erãt cum eo duodecim millia Longobardorum, quæ miserat Albuinus: Erulorum tria millia, Hunnorum ingens multitudo: Cumades Persa, & Assuades Zepida non contẽnendas copias ei attulerãt. Græci quoq; & Thraces permulti: cũ F

quibus

A quibus ex Illyrico mouens per Dalmatiam et Liburniam, intrauit Italiam, atq; ad Aquileiam constitit. Interim Totilas Papiam uenit, Teiamq; cum parte copiarum Veronam misit, ut Narseti transitum prohiberet. His cognitis Narses, Longobardos per mediterraneam Iulio mense ad Bryxillum misit, quod est oppidum in ripa Padi citeriore, & tūc erat in fide Rauennatum. Transierunt Longobardi Atesim, Tartarum & Mincium, Teia minime audente occurrere. & sic Padum transiere. Narses Rauennam cum cæteris copijs se transtulit. In Venetia prouincia, Aquileia & Verona continentur, sed Veneta urbs nomen ad se traxit: illic Narses ædiculam sancti Theodori martyris ædificauit, quæ postea in beati Marci templo comprehensa est. Sanctorum quoq; Mennæ & Geminiani sacellum Narsetis opus est, ex Gothorum manubijs factum. Instaurauit Narses Aquileiam ab Hunnorum rege destructam. In Rauenna ueteranis militibus stipendia persoluit. Moratusq; ibi nouem diebus, Romam petens in itinere apud Vmbriciū amnem Vsdrialem Gothum qui Arimino præfectus erat obuium habuit, qui ab Erulorum equitatu interfectus est. Interim Longobardi apud Bryxillum manentes, Placentinis & Parmēsibus multa inferebant damna. In quos delatus Totilas acre prælium commisit, sed à uiribus fortioribus superatus interfectus est, Gothorum ingēs multitudo necata. Alij qui superfuerunt, apud Papiam regem suum Teiam creauerunt. Longobardi

B muneribus honorati ad propria redierunt. Teias Bucelinum, Amingum ac Lotarium Burgundionum & Francorum duces belli socios asciuit, quos Theodebaldus rex in Ligustinis alpibus reliquerat: qui cum magnis copijs in agrum Papiensem uenere. Interim Narses Narniam capit ac Perusiam, & Romam profectus, obsedit: ubi de societate Burgundionum cum Teia intellexit, fuissetq; in magnis laboribus, nisi Sisualdus Brentorum rex ad eum defecisset. Hic fuit de stirpe Erulorum, quos Theodericus ad Augustam prætoriam miserat, dato rege quem in filium adoptauerat, & generum fecerat. Erāt pauci in Vrbe ciues, nec poterant eam tueri Gothi præ magnitudine. Ob quam rem locum delegerunt iuxta pontem Traiani, eumq; fossa & uallo munierunt: nec tamen reliquam partem negligebant, sed quantum poterant tuebantur. Obtinuit tamen Vrbem Narses ui atq; armis, arcem uero paulò post per pactionem recepit. Remanserant ex ordine Senatorio apud Gothos aliqui Romani qui suspecti erant, quos omnes cum filijs & agnatis Gothi interfecerunt. Et Tagnaris qui Tarenti ad Iustinianum defecerat, pœnitentia ductus petijt à Machurio Hydrunti præfecto auxilium contra Gothos. Ille fraudem non cogitans, quinquaginta milites ad eum misit: qui mox in carcerem coniecti sunt, & obsides repetiti. Macharius contra Tagnarim profectus est. Ille milites acceptos occidit, et egressus prælio conserto superatus est, atq; in Acherusiam confugit. Narses missis copijs Portum recepit, & Centumcellas in potestatem redegit, quas occupa-

C uerant Gothi. Teias Bryxillum obsedit. Sed Sisualdus Erulorum rex, qui iam Brēti uocabantur, Narsetis amicitiam nactus, in Eporedienses Taurinosq; nihil timentes maximam prædam egit. aduersus quem Franci & Burgundiones missi sunt. Teias subuenire Arimino statuit, quæ à militibus Narsetis obsidebatur, dissimulauitq́ue in Hetruriam uelle transire per montem Bardonis, qui ad pontem Tremulum ducit, & tandem repente in Ariminensem profectus est: quo cognito obsessores sine damno recessere. Teias frustra per hyemem Cæsenam obsedit, & ad Cingulum in Picentes transiuit. Interim Narses Campaniæ ciuitates ad se recepit, exceptis Cumis, ubi magna pecunia erat Totilæ, sicut amita eius capta Narseti indicauit. Interim Sisualdus Eporediam cepit, & Taurinum diu obsessum capere non potuit. Franci & Burgundiones nihil aliud egere, nisi tam amicos quàm hostes populari: & concordantes cum Sisualdo, uniuersam Transpadanæ Italiæ regionem ad prædam sibi partiti sunt. Illi Gothos prudentes, isti Narsetem. Atque ita Bucelinus Patauium, Taruisium, Aquileiam ac Liburniam sub amicitiæ nomine populatus est, & demum ad Caprariam insulam delatus, oppidum in ea conditum diripuit. Iustinus senior, cui nepos fuit Iustinianus, id oppidum condidit, & Iustinopolim appellauit. Amingus Vincentiam, Veronam, Mantuam, Brixiam, Bergomum, propè hostiliter prædatus est: & alia loca Leotharius in prædam traxit. Narses

Cumas

Cumas obsedit per suos milites. Quod intelligens Teias, relicta obsidione Cinguli, Nuceriam dedentibus oppidanis recepit in Apulia: aduersus quem profectus est Narses, ille sibi occurrit. Fluuius in medio duorum exercituum erat, cuius pontem occupauerat Teias. Fuerunt ibi plurima particularia prælia in quib. sæpe uictor Gothus euasit. Tandem totis uiribus pugnatum est: in quo prælio Teias ipse, dum militis potius quàm ducis munera intemperanter obit, & plurimos sua manu interfecit, confossus interijt. Nec tamen prælium usq; ad noctem intermissum est, cum Gothi pugnando pacem sperarēt. Deinde petentibus Gothis pax data est, cuncta quæ habebant in potestate restituentibus anno secundo & septuagesimo postquam Theodericus Italiam intrauerat. Euanuitq́ue tunc Ostrogothorum nomen. Nam qui superfuerant huic prælio, omnes in Italia nati erant, & Italos se uocabant. Narses Romæ summis honoribus exceptus est. Gothi qui Transpadum erant, duas Cisalpinæ Galliæ ciuitates, Lucam, & Forum Cornelij instaurarunt, & præsidium imposuerunt, & duces Theodebaldi in belli societatem traxerunt. Venit Narses ad Lucam celeriter, & ad fluuium Auserim castra posuit. Vbi dimissis aliquibus, alios ad Forum cornelij ire iussit, & ambas ciuitates acriter obsedit. Luca septimo mense capta est, & Forum Cornelij paulò post expugnata ad solum subuersa est. Leotharius Amingusq; de fuga Placentiam peruenerunt. Guido Rauennas, centū millia hostium in hac pugna cecidisse affirmat, & totidem apud Nuceriam, ubi cecidit Teias quod non satis crediderim. Dagisteus Narsetis dux hac uictoria potitus est. Fugientes Franci & Burgundiones Vuidim quendam Ostrogothum sibi ducem assumpsere, Veronamq; se recipere uoluerūt. Sed Etheus Ostrogotha qui ei urbi præerat, nec Vuidem nec eius exercitum suscipere uoluit. Vuidis Papiam petere statuit, & Leotharius eo relicto trans alpes ire curauit. Sed in itinere Vuidis apud Mincium à Dastigeo captus & ad Narsetem missus est, Amingus interfectus. Leotharius dum pergit in Gallias apud Tridentum febre perit. Profectus est Dagisteus contra Sindualdum rebellē, eumq; captum de alta trabe suspendit, & cuncta recepit quæ Metensium rex Sindualdusq́ue in Italia tenebant. Tuncq; belli Gothici uerus finis fuit octauo & decimo anno postquàm fuerat inchoatum. Interim Narses Arimino recuperata, & cunctis in deditionem receptis quæ per Gothos in Picentibus tenebātur, ad Vrbē contendit, eiusq; reformationi & restaurationi intendit, cuius opus pons est. Anienis in uia Salaria: misitq́ue Amatum patritium ciuem Romanum ad prouinciam Narbonēsem tutandam. Vigilium Papam annuente Iustiniano ex Proconnesso insula Galipsoq; cum pluribus clericis ad Vrbem reuocauit. Vigilius tamē in itinere apud Siciliam dolore lateris consumptus est. Clerus hortatu Iustiniani Pelagium elegit: cui plures aduersabantur, propter suspicionem, quod cum Eudoxia contra Vigilium sensisset. Sed ipse tactis Euangelijs, iureiurando se expurgauit, & multa bona postea peregit. Iustinianus quadragesimo imperij sui anno obijt: cui successit Iustinus iunior: apud quem perditissimi ciues Romani Narsetem pluribus modis accusauerunt, eius opibus inuidentes: idemq; insusurrarunt Sophiæ Iustini uxori: quæ illico commota est, suasitq; uiro ut Longinum quendam patritium Narseti successorem mitteret, additis conuicijs, quod eum eunuchum ad dispartienda inter ancillas pensa reuocaret. Narses audito successoris aduentu, plurimum indignatus, ex Vrbe Neapolim concessit. Indeq; ad Alboinum regem in Pannoniam misit, rogans ut gentem Longobardam in Italiam duceret omnium terrarum primariam. Promittit Alboinus. Sed dum moratur, mortuo Pelagio Ioannes Papa suffectus est ex gente patritia Romanus: qui Narsetem indigna passum intelligens, eum Neapoli conuenit, et cuncta quæ uoluit impetrauit, reduxitq; Romam, eumq; cum Basilio consulem creari obtinuit. Itaq; Narses Longobardos hortatus est ut in Pannonia se continerent. Et eodem anno Ioannes & Narses mortui sunt: cum Ioannes duodecim annis sedisset, & Narses diu Romæ fuisset, annis fermè decem. Nec traduntur huius decennij opera, nisi quod imperator Narsetis opera, Gothorum bona publicata ecclesijs Rauennæ donauit: quod tamen tempore Iustiniani factum putatur. Interea Vesogothi apud Hispaniam aucti sunt: & per hæc tempora Iustiniani uarios casus habuere. Almarico successit

Theuda,

A Theuda, qui annis XVII regnauit: cui successit Theudegilaus, qui anno secundo à suis interfectus fuit: & eius successor Agilantes nono anno in conuiuio obtruncatus. Illi successit Athanalgidus, regnauitque annis XXII in Hispania: quo tempore Ostrogothi in Italia deleti sunt. Alani cum Vesogothis ita coaluerunt, ut sensim in illorum nomē transierint, à quibus in Hispania citeriori retenti sunt, & Gothalani uocati, quasi per corruptionem Gothi Alani, ibique per mille annos mansere. Longobardi, à longitudine barbæ dicti sunt, & ab insula Scandinauia originem duxere: ex qua profecti Aionem & Thatonem duces habuerunt. Quibus defunctis, rex creatus est Agelmundus: quo à Bulgaris interfecto Lamissio subrogatus est, qui Bulgaros maximis afflixit cladibus. Tertio regio nomen fuit Iethu, qui annis quadraginta regnauit, & Hildooch filium successorē reliquit: quem secutus est Godoochus, quem Rugilandam prouinciam cepisse diximus Danubio contiguam. Godoocho successit Claffo: & illi filius eius Thato: qui profligatis Erulis paulò post interfectus fuit. Post hunc Vuacho, Valtarith filium habuit successorem. Post quem decimus, non nonus, ut scripsit Sigibertus, Andoinus rex Longobardorum fuit, qui primus in Pannoniam Longobardos duxit, & annis duodequadraginta Rugilandam prouinciam habitauerat. In Pannonia uero sub ipso Andonio primum, & postea sub eius filio Alboino, qui undecimus rex fuit, quadraginta duobus annis habitauere Longobardi. Hic est Alboinus qui Commundum Zepidarum regem B interfecit, & in Italiam transiens Pannoniam Hunnis concessit præcario inhabitādam: qui fuerunt ex reliquijs exercitus Athilæ. Et hi postea Pannoniam obtinuere, Vngari pro Hunnis appellati: quod minime uerum est. Vngari enim adhuc in ulteriori Scythia sunt, quorum filij in Pannoniam uenere, & Vngariam à se appellauere. Transiturus in Italiam Alboinus, uiginti millia Saxonum sibi adiunxit, qui cum uxoribus & liberis, & armentis, sicut & Longobardi, in Italiam uenere: in quorum locum Sueui circa Rhenū sedentes, à Clothario & Sigiberto, Francorum regibus, missi sunt.

Ex libro octauo.

Ongobardorum in Italiam ingressus fuit anno CLVI post inclinationem imperij, sedente Benedicto, qui Ioanni successerat: XIII anno imperij Iustini minoris. Intrauerunt autem per Forum iulij, cui prouinciæ Sisulphum nepotem Alboinus præfecit. Paulus autem patriarcha Aquileiensis cum sacris Gradum confugit. Felix episcopus Taruisinus ciues suos Alboino reconciliauit. Longinus apud Rauennam manens Cæsaream muniuit inter Rauennam & Classense oppidum: & Venetis urbibus præsidia imposuit. Non erant tunc in Italia armatorum copiæ, C sed urbes à suis magistratibus regebantur. Longinus nouum in Italiam adduxit magistratus nomen exarchatus Italiæ, quod interpretabatur summus Italiæ magistratus: & Rauennæ se continens nunquam Romam petijt. Postea inuentum est nomen ducum, ut dux Romanus, Spoletanus uel Narniensis appellaretur. Nec Post Basilium qui cum Narsete consul fuit, Roma uel consules habuit, uel Senatum legitime coactum, sed duce græco homine quem exarchus ex Rauenna mittebat, res Romana per multa tempora administrata est. Alboinus Vincentiam & Veronam in deditionem accepit: Mediolanum quoque suadente Honorato episcopo deditionem ciuibus, intrauit: & tamen eam diripuit sexto mense postquam Italiam intrauit: obseditque Papiam cum Italia fame laboraret: quæ res facilius Italiam aperuit. Barbari uexauerunt Hetruriam, Ariminumque ceperunt. Roma sustentata est misso per Iustinum ex Africa frumento: & pariter oppida quæ in fide manserunt, eo frumento adiuuata sunt. Longinus Rauennam retinuit, & aliquas ciuitates. Papia triennio obsessa capitur anno tertio & dimidio postquam intrauerat Alboinus Italiam. Lætus itaque uictoria Alboinus Veronam se contulit, ubi sedem regni constituerat: ibiq'ue solenni conuiuio Rosimundam ex patera bibere compulit, quæ de patris craneo facta fuit. Insedit hæc iniuria mulieri, atque ulcisci statuit. Helmechildis erat Longobardus forma præstans, nobilis, & in armis ferox, qui ancillam adamauit

Ingressus Lōgobardorum in Italiam.

Exarchatus.

Cōsules quando cessarunt Romæ.

mauit Rosimundæ seruientem: cum quo regina pro ancilla concubuit: deinde hortata est ut regem occideret: quod nisi faceret pereundum esse homini qui reginam constuprasset. Victus his Helmechildis, in cubiculum regium ductus, Alboinum obtruncauit. Voluit regina mœchum regem constituere, sed noluere Longobardi, statueruntque ipsam cum mœcho interficere. Regina publica fide à Longino impetrata, cum adultero & Alsuinda filia ex Alboino suscepta, atque omni pecunia Rauennam peruenit: ubi honorifice suscepta, aliquandiu quiete mansit. Postea Longinus mulierem tentauit, ut Helmechilde sublato, sibi nuberet. Interim mortuo Iustino Tyberius imperator creatus est. Mulier inconstans Helmechildem balneo exeuntem interficere cupiens, potionem illi ueneno medicatam tradidit. Cuius cum ille medietatem hausisset, commotionemque sensisset, reliqua uxori tradidit: recusantemque quasi non egeret, gladio compulit bibere, atque ambo eodem die perierunt. Longinus pecuniam & Alsuindam Tyberio imperatori misit. Longobardi Clephem in sua gente nobilissimum regem creauerunt, qui fuit crudelissimus, nobiles quotcunque potuit capere interficiens. Cuius terrore multi in paludes & ciuitatem Venetam se contulerunt: et tunc aucta est Venetia. Hic rex Forum Cornelij ædificauit, & Imolam appellauit, ut inde Rauennates uexaret. Cepit & oppidum Classense: misit & duces uersus Romam: qui omnia ceperunt, excepto Tybure & Portu cum ciuitate Romana. Tunc obijt Benedictus, exacto sui pontificatus anno quarto: & Pelagius secundus absque decreto imperatoris præter consuetudinem substitutus est. Clephis anno secundo regni sui dolo suorum interfectus est, cum ipse in suos sæuiret. Nec uoluerunt Longobardi ultra regem habere, sed triginta sibi duces creauere: qui in Vmbros delati, capta regione, Pincentes, Pelignos, Marsos, Samnitesque peruaserunt. ducem unum in Spoleto, alterum in Beneuento dimisere. Omnia autem quæ à Neapoli in fretum Siculum, & à Siponto in Salentinos, à Beneuentoque in Calabros sita sunt, Constantinopolitano imperatori ab illis triginta ducibus intacta mansere. Ad Vrbem obsidendam perrexerunt: sed Pelagio suadente inducias acceptarunt. Tyberius interea uictis Parthis mala ualetudine correptus, Mauritium generum suum Cæsarem designauit. Dum hæc aguntur, Theodebaldus Metensiũ rex, dum bellum contra Chilpericum patruum suum gerit, interfectus est. Cuius regnum alter patruus Clotharius accipiens, paulò post apud Parisios moritur, quatuor relictis filijs, qui concorditer regnum diuisere, ut Arithpertus apud Parisios, Guntanus Aurelianenses, Chilpericus Suessiones, & Sigibertus apud Metenses succederet. His ingratum fuit Longobardos Italiam occupasse: suaseruntque Saxonibus ut ab eis recederent. Quod tunc demum tentauere, dum Longobardi bello Campaniæ occupabantur. Et hæc causa fuit cur Longobardi inducias cum Romanis fecerunt. Gregorius per id temporis Gordiani uiri Senatoris filius, religioni addictus, sex monasteria in Sicilia de paternis facultatibus ædificauit, domumque suam Romanæ religioni dicauit. Hunc Pelagius pontifex Constantinopolim misit ad expugnandum se, quod sine decreto Cæsaris pontificium recepisset, & ad petendum auxilia contra Longobardos. Interim Longobardi relictis ducibus Beneuenti, Spoleti, Narniæ, & in Vrbe ueteri, in Galliam citeriorem se retraxerunt: & contra Francilionem profecti, qui pro imperatore Taurinum, Eporediamque tenebat, & alias urbes plures: eum pepulerunt: qui Comi se recepit. Illi Alpes transgressi, prouinciam Romanam ultra montes inuaserunt, Amato commendatam, quem profligatum interfecerunt, & magna ditati præda reuersi sunt. Interea Guntanus & Sigibertus Francorum reges, Ennium Mumolum ciuem Romanum hortati sunt, ut prouinciam Romanam capesseret, eique milites dedere, ueriti ne Longobardi redirent, quorum uicinitatem suspectam habebant. Sed Longobardi per aliam uiam ingressi, proprias Francorum sedes inuasere, Ebredunensem populati agrum: in quos delatus Ennius, magnam eorum stragem ædidit, atque in Italiam repulit. Interea Saxones, quos diximus à Longobardis recessisse, Strablonensi rure se receperunt, ibique aliquandiu quieti manserunt, donec Amatum cum multitudine Burgundionum interfectum acceperunt. Tunc uero prædas agere cœpere: in quos ruens ex improuiso Ennius, magna illos

A illos calamitate afflixit. Sed prælium instaurantes, rex Francorum Arithpertus Ennio reconciliauit, & in Italiam redire iussit: Illi reperientes Longobardos solito magis elatos, iterum emigrare constituerunt, & ad Sigibertum Metensium regem ea lege transierũt, ut in pristinas sedes reducerentur, quas occupasse Sueuos diximus. Placebat Sueuis æquo iure cum Saxonibus habitare, sed illi totam terram petentes ad arma uenere, & magna occidione cæsi regionem Sueuis reliquerunt. Inter hæc Gregorius ab imperatore Mauritio impetratis quæ uoluerat circa res ecclesiasticas, etiam nouas copias in Italiam mitti obtinuit, & Smaragdum patritium alterum exarchum Longino subrogari, qui mox Rauennam uenit. Interim mortuo Clephi Longobardorum rege, Feroaldus unus ex Longobardis ducibus, Classense oppidum tenens, Rauennam magnopere uexauit, Longinumq; multis modis molestauit. Dotrula uero gente Sueuus, qui cum Longobardis intra triginta duces adnumeratus fuerat, ad Longinum defecerat: quem Smaragdus aduersus Feroaldum armauit, qui nauali bello uictor euasit. Feroaldus in oppidum fugit, ibiq; captus est, & cum suis omnibus occisus, & multæ ciuitates ad Smaragdum defecere. Quo metu perculsi Longobardi, decimo anno post mortem Clephis, regem creauere filium eius Antharim adolescentem, multis tamen fortiter æditis laudatum: cui duces dimidiam pecuniarum suarum partem tradiderunt. Et Antharis
B mox Bryxillum obsedit, in quo Dotrula erat: qui cum amplius resistere non posset, dedito oppido Rauennam nauigauit. Bryxillum solo æquatum est, & exarchus cum Longobardis inducias pepigit. Fuerunt autem induciæ uniuersales inter Longobardos & Romanos per totam Italiam: & tunc Smaragdus Germanum patritij ordinis Constantinopolitanum Romam misit, præfectumq'ue appellauit: cum quo & Gregorius Leuita domum rediјt. Respirauerat aliquantisper Romanus populus, sed noua mox calamitas exorta est. Tybris mense Octobri urbis mœnia aliquibus in locis superauit: Italia fame oppressa est, & pestilentia ingens innumerabilem absumpsit populum: qua tactus Pelagius, obijt. Ira dei uisa est: cuius placandi cura commissa est Gregorio, qui tunc Letaniam instituit, & à clero ac populo pontifex appellatus, & per literas imperatoris confirmatus. Finitis inducijs cum Smaragdo factis, Antharis exercitum in Histriam misit Liburniæ continentem, magnoq; auro pacem illi patriæ uendidit. Francilionem Como & insula quæ in lacu Larij erat expulit, cum uiginti annis ea loca tenuisset. Ditatus magna præda Antharis Childepertum Francorum regem per legatos orauit, ut pacem perpetuam initurus, sororem sibi in matrimonium traderet. Despondit Francus, eoq; sponsio processit, ut munuscula uicissim mitterentur. Sed cum Ricaredus Vesogothorum rex eandem puellam ex Hispania poposcisset, sententiam mutauit, dicens, Longobardum idololatram esse, Vesogothum nouiter catholicam fidem accepisse. Nam
C cum Hermengildus Lemugildi Vesogothorum regis filius ad Leandri Hispalensis episcopi prædicationem, Arianæ hæresi abrenunciasset, & se catholicum declarasset, genitor iussit eum in carcere iugulari. Leandrum uero insectatus, maximis affecit incommodis: sed paulòpost ægritudine correptus, pœnitentia ductus Leandrum ad se uocauit, & impetrata peccatorum uenia, rogauit ut talem redderet Ricaredum, qualem prius effecerat Hermengildum, moriensq; Ricaredum regem reliquit. Qui hortante Leandro, septuaginta duorum episcoporum Synodum apud Toletum coëgit, in qua Ricaredus ipse cum gente sua, abdicata Arianorum hæresi, catholicam fidem complexus est, & filiam Franci regis accepit uxorem. Antharis aliam sibi quæsiuit, Teudelindam Garibaldi Bauarorum regis filiam. Childepertus autem non contentus sororem Longobardo denegasse, in socerum quoque eius furere cœpit, illumq; inopinate aggressus Bauaria expulit. Qui cum fratre Gondoaldo ac filia in Italiam fugit ad generum. Childepertus Bauarorũ regno potitus, in Longobardos ducens, in Tridentinis agris prædas egit. Quod audiens Mauritius, magnam pecuniam Franco promisit, si pulsis ex Gallia Cisalpina Longobardis, eam sibi prouinciam restitueret. Annuit Francus, & in Italiam ducens Longobardos tentare aduersus regem cœpit, multa promittens si oppresso rege triginta uel plures duces efficerẽt, ut antea. Cui aliqui consensere, ut Mimulph9, insulæ sancti

Tybris ingẽs inundatio.

Iuliani dux,& Gandulphus Bergomensis,& Vlphari Taruisinus. Sed ueritus Francus ne debilitatis Longobardis, imperator nimis suam potentiam augeret, dimisso Anthari, postergata fide rediit in Franciam. Et paulò post Antharis defunctus est, anno postquam Teudelindam duxerat uxorem. Longobardi in futuri regis electione discordes, denique ita conuenere, ut ille regno potiretur ex Lõgobardis, quem Theudelinda sibi uirum eligeret. Illa Agilulphum Thaurinensium ducem uirum bellicosum, & adolescentia formaq; florentem, sibi maritum, & Longobardis regem declarauit. Agilulphus captiuos quos Francus adduxerat ex Tridentinis, & pacem ab eo missis legatis obtinuit. Interim Mauritius Smaragdo successorem dedit Romanum nomine, attributis copijs, quibus Longobardos ex Campania & Italia pelleret. Agilulphus Mimulphum qui Anthari rebellasset, insulæ sancti Iuliani ducem interfici curauit, Bergomensi uero duci reconciliatus est. Sed rebellauit ille, & multa damna intulit regi, cui etiam iterum dedit ueniam. Vlpharis Taruisinus dux qui res nouas moliebatur, per equites regis captus & ad eum ductus est. Interim Romanus munitis Mantua, Patauio, ac Cremona, cum copijs Romam perrexit:& unica æstate Sutrium, Polimarcium, Hortam, Tudertum, Ameriam, Perusiam, Luceolum, & alia multa oppida recuperauit. Hoc tempore Gregorius Melitum, Augustinum, & Ioannem monachos in Angliam misit, gentem-q́ue illam ad baptismi gratiam remisit. Romanus autem exarchus gente græcus, parta uictoria in omnia uitia prolapsus est: occulte cum Longobardis sentiens, nec permittens cum hoste Romano inducias habere, nec eos defendens. Mauritius quoque imperator malus effectus legem tulit, ut qui militiæ Romanæ esset adscriptus, nisi finita militia aut debilis effectus, deo militare non posset. Arguit imperatorem Gregorius, qui legem aliàs inauditam condidisset, dixitq; ei cauendum, qui permissu dei ex notario comes excubitorum, de comite Cæsar, de Cæsare imperator factus esset. Tunc quoque Ioannes episcopus Constantinopolitanus coacta Græcorum Synodo, œcumenicum, id est, uniuersalem se appellauit. Et Mauritius Gregorium monuit ut pacem cum Ioanne haberet: cui dure Gregorius respondit, claues ligandi ac soluendi Petro traditas fuisse dicens. Mortuo tunc Romano exarcho apud Rauennam, Gallinicus suffectus est: qui quartus fuit exarchus:& uir bonus, & contra Longobardos animatus. Sed uidens res neglectas, suasu Gregorij cum Agilulpho inducias fecit. Gregorius uero per Theudelindam reginam, cui dialogorum libros inscripsit, furorem Longobardorum mitigauit. Quæ mulier religiosa ab Agilulpho uiro suo obtinuit gentem Longobardam idololatria & hæresi dimissa ad Christum transire, & bona ecclesiarum restitui. Tunc quoque & Childebertus Francorum rex, Brunichildis uxoris suæ monitis mores uitam-q́ue composuit. Sic duæ fœminæ uno tempore multorum bonorum causæ fuere. Childebertus Bauaria relicta, regem in illa constituit Tassillonem: cum quo id egit, ut Sclauinos gentem Danubij accolam & idolis seruientem nunquam bello persequi desisteret, quousque fidem acciperent Christianam. Tassillo magnam in Sclauinos prædam fecit. Sed paulò post cum duo millia Bauarorum in Sclauinos prædarentur, ab illorum rege Cacanno circumuenti & ad internecionem cæsi sunt. Mortuo interim Childeberto rege Francorum, Brunichildis uxor eius regnum accepit pro Theodeberto & Theoderico uiri nepotibus gubernandum. Obijt & paulò post regũ Franciæ tertius Guntanus, partéq; regni eius quæ erat in Aurelianensibus, prædictis nepotibus Brunichildis conseruauit. Hæc intelligẽs alter Cacãnus rex Hunnorũ, inuadere fœminam statuit: & ex Pannonia in Turingiam transijt, eamq; populatur. Interim Brunichildis paratas copias in eum misit, & pecunia placatum demissa præda, domũ ire iussit. Per hæc tempora Mauritius imperator per Theodosium filium ac Germanum socerum legatos, Hunnos ex Pannonia pepulit, Cacannum'que multis cladibus affecit. Hunni ad Sclauos confugere, & ab illis protecti sunt. Sclaui uero considerantes belli magnitudinem quod acciperent, Francos, Bauaros ac Longobardos in societatem accepere, & in Histriam duxere, eamq; populati sunt simul cum Hunnis. Interim Agilulphus tres ex suis ducibus interfici curauit propter rebellionẽ ante factam:& Zoto dux Beneuen-

A Beneuentanus ruptis inducijs Casinense monasterium inuasit, atq; à fundamentis euer-
tit, & paulò post mortuus est: cui subrogatus est Arrigis. Ariulphus quoq; dux Hetru-
riæ, cuius maiorem partem obtinebat, agrum Romanum populatus est. In rei uindictam
Gallinicus Parmam inuasit: in qua filiam Agilulphi regis cum genero Godescalco in
tercepit. Hæc illi filia ex prima uxore fuit. Theudelinda uero secunda uxor, Adoaldum
illi filium peperit apud Modonam. Agilulphus Patauium obsedit, quæ tunc sine mœni-
bus fuit, uallo tamen & fossa munita. Per sexaginta enim annos à demolitione Totilæ
usq; ad Theodericum Ostrogothum, frequentia ciuium caruit. Tunc uero munita fre-
quentari cœpit: & tunc per annos centum usque ad hanc obsidionem omnia ædificia ex
materia fuerunt. Ob quam rem, uentum nacti Longobardi, ignem immiserunt, qui ma-
ximam Vrbis partem cremauit: & facta est deditio, & Vrbs tota incendio uastata. Pa-
rem sortem tulit Monsilicis, non igne sed ui destructo oppido. Vocauit deinde Agilul-
phus Sclauos in auxilium, & ad nouum uer nouas copias comparauit. Interea Gallini-
cus Rauennæ obijt, & Mauritius iterum Smaragdum exarchum Italiæ creauit. Erant
tunc mille milites ueterani Romæ ex his qui cum Theodosio Mauritij filio & Germa-
no socero cum Hunnis in Pannonia decertauerant, uiri fortes, sed per auaritiam Mauri
tij stipendijs fraudabantur: quibus Gregorius pontifex ecclesiastica frumenta diuisit.
B Quorum consilio cōtradicente exarcho qui erat Rauennæ, pacem cum Agilulpho He-
truriæ duce constituit. Ob quam rem accusatus est apud imperatorem per exarchum:
qui tamen & ipse paulò post cum Agilulpho pacem constituit, Parma reddita cum filia
regis & genero: sed puella abortu facto in itinere uita decessit. Mauritius imperator cul-
pam suam de rebus Italicis omnem in Gregorium conuertit, & milites ex Roma reuo-
cauit, iussitq; Ariulphum inuadere, sperans Ariulphū Romanos molestaturum: sed ille
aliquandiu quieuit. Quibus cognitis Agilulphus Romam inuadere statuit: ad quem
magna multitudo Sclauorum uenit à Cacanno missa: & Lōgobardi duces præstò affue
runt: & Ariulpho mandauit ut fœdus cum Papa ictum rumperet. Qui perfidia usus Bal
neum regium & Vrbem ueterem mox occupauit. Agilulphus copias in Hetruriam du
xit. Gregorius pontifex, & magister militum prætore in Vrbe relicto qui ciuitatis curā
gereret, Nepesum accesserunt, confirmaueruntq; oppidanorum animos, parumq; ob-
fuit quin caperentur in itinere: Obsedit Agilulphus Romam, & in maximam calamita-
tem adduxit. Durauit annum obsidio. Interea Saraceni Arabes Siciliam ingressi, om-
nem maritimam oram prædati incendio uastauere. Sclaui Histriam & Dalmatiam occu
pauere, à quibus Sclauonia dicta est. Venerunt autem illi ex regionibus trans Danubi-
um sitis: nec tamen ea loca reliquerunt, sed manserunt eorum reliquiæ Bohemi & Polo-
ni. Sed historia Bohemica contrà habet: quæ Bohemos ac Polonos ex Dalmatia ortum
C habere dicit. Vandali quoq; eiusdem linguæ cum Sclauis fuisse traduntur qui sub Gen-
serico fuere, quorum adhuc reliquiæ in Germania sunt, & appellantur Vindelici, Saxo-
nibus contermini. Per hoc tempus Seuerus patriarcha Aquileiensis in hæresim lapsus
est: cui, hortante Gregorio ac Ioanne Rauennate, renunciauit: tamen postea redijt ad
uomitum. Quo defuncto Aquileiensis ecclesia scissa est. Sisulphus enim Foroiulianus
rex, Ioannem apud Aquileiam constituit, & pontifex Romanus Candianum apud Gra
dum. Durante obsidione Vrbis, non potuit Agilulphus efficere, quod Arrigis Bene-
uentanus dux aut in castra ueniret, aut uicinis bellum inferret. Ob quam rem dissoluta
obsidione, Mediolanum redijt. Mauritius interea, cognito uirum quendam monachi ue
stimentis indutum & gladium strictum tenentem, in Constantinopolitanum forum ue-
nisse ac exclamasse, imperatorem gladio moriturum: pœnitentia ductus à persecutio-
ne Gregorij cessauit, & orationibus seruorum dei se commendauit. Interim per somni-
um uidit, se Constantinamq; uxorem cum filijs & filiabus & omni cognatione tradi mi
litis Focæ gladio perimendum. Euigilans Philippicum generum uocauit, & somnium
exposuit: interrogauitq; an Focam noscerent. Qui respondit, nosse procuratorem in
exercitu iuuenem temerarium, sed timidum. Cui Mauritius: Si timidus, inquit, profectò
& homicida. Interim cum exercitus trans Danubium hyemare iussus stipendijs frauda

retur, in seditionem excitatus, Focam centurionem exaltatum super clypeum, sibi exarchum acclamauit, & paulòpost imperatorem creauit. Quæ audiens Mauritius, dissimulato habitu cum liberis & uxore nauem conscendit, & apud Chalcedonem captus est: uno quoq; & uigesimo imperij sui anno securi percussus. D

Ex libro nono.

Ocas apud Constantinopolim imperator receptus, Romæ quoque declaratus est: ac sua & uxoris suæ Leontiæ imagines in oratorio sancti Cæsarei inter alios Augustos locatæ sunt. Quod audiens Agilulphus, contractis copijs Cremonam obsedit, & ad trigessimum diem expugnatam ad solum usque demolitus est. Mantuam quoque triginta dierum numero ui expugnauit, & mœnibus immunitam reliquit. Focas magnam de se spem præbuit, propter quam rem inter Agilulphum & Smaragdum induciæ factæ sunt per aliquos menses, & deinde pax in annum constituta. Interim Agilulphus præsidia quærens, filio suo Adoaldo uix dum quadriennio Theudeberti Francorum regis filiam despondit. Beatus Gregorius pontificatus sui anno *XIIII.* migrauit ad cœlum: cui suffectus est Sabinianus, qui cum Longobardis in alterum annum pacem fecit. Interim fames ualida uexauit Italiam, & Agilulphus misso legato triennalem pacem à Foca impetrauit. Mortuo Sabiniano Bonifacius tertius successit, qui patriarchā Constantinopolitanum compescuit sese œcumenicum appellantem: iubente Foca ut Romanæ ecclesiæ omnes obedirent. Cui nono mense defuncto, quartus Bonifacius suffectus est, ex Marsis & urbe Valeria natus, qui Pantheon à Foca impetrauit. Interea & in oriente & in Africa magni motus excreuere, & Cosdroas Mesopotamiam occupauit. Cum ciuilia bella insurgerent, Priscus Patricius summo in honore apud Focam in Constantinopoli habitus, coniuratione inita cum Eracliano socero suo & Africæ prætore Eraclio eius filio & suæ uxoris fratri, imperium affectauit. Et rebellio in Africa facta est. Priscus proditor, inter socerum & imperatorem sequestrem se exhibuit, & Eraclius Constantinopolim tanquam paternæ fidei obses uenit. Eraclianus quasi allaturus imperatori opem, magnas copias congregauit, & in Thraciam misit. Focas à coniuratis obtruncatus est, & Eraclius imperator constitutus. Dum hæc agerentur, Auares Hunni ex Norico in Italiam trangressi, prouincias Forijulij & Venetiæ inuaserunt. Gisulphus eius prouinciæ rex eos aggreditur, & magnum prælium committitur: in quo uictor Auarus licet multos de suis amiserit prouincias uastauit. Rex eius Cacannus audiens uxorem Gisulphi Romildam cum filijs Rodoaldo & Grimoaldo maximisq; opibus in oppidum Forijulij se communisse, eò profectus est: & dum obsidens locum circumequitat, uisus à Romilda è mœnibus flauo crispantiq'ue capillo, mox ab ea adamatus est: & oppidi deditionem, si se uxorem duceret, promisit. Cacannus oppido potitus, una tantum nocte fœminam ad se admisit, deinde uelut impudicam mulierem Bauaris militibus passim prostituendam tradidit: & emissa omni plebe, oppidum igne consumpsit, ita ut iam nec uestigia eius oppidi uideantur: adduxitq'ue Bauarus captiuos omnes in terram suam, ibiq'ue puberes interfecit, pueros uenundedit. Remanserunt tamen aliqua oppida in Foroiulij sub fide Longobardorum, qui defuncto Gisulpho Grasulphum ei fratrem substituerunt, adiuuandumq; decreuerunt. Sclaui inter hæc magnam Illyrici partem occuparunt. Et Rauennates, Ioānem Lemigium Thracem Smaragdo in exarchatu Italiæ à Foca suffectū cum superbe se haberet interfecerunt. Apud Romanos defuncto Bonifacio *IIII*, mensibus *VIII* de successore eligendo discordatum est. Et apud Neapolim Ioannes Camesinus ex gente patritia Constantinopolitanus illi urbi præfectus tyrannidē inuasit, simulq; Lucaniam, Brutios, Campaniam & Apuliam sibi subiecit. Eraclius anno ducentesimo ab inclinatione imperij'a Sergio Constantinopolitano patriarcha coronatus, orientale accepit imperium, & Eleutherium patritiæ gētis cubicularium rei bellicæ scientissimum in Italiam misit: & aduersus Cosdroēm qui iam Mesopotamiam Palæstinamq'ue cum E F

Hieroso-

A Hierosolyma occupauerat,& nonaginta millia Christianorũ interfecerat,partemq; crucis dominicæ asportauerat,copias numerosissimas misit. Et Romani pōtificem elegerũt Deusdedit, patre Stephano subdiacono natum,natione Romanum. Eleutherius è Rauenna Romam uenit, ibiq; honorificentissime receptus est:& deinde Neapolim perrexit,obuiantemq; cum armis Ioannem superauit & interfecit:omnibus recuperatis Rauennam rediјt,pacemq; cum Longobardis percussit in decenniũ. Eraclius uero res imperiј in suos duces reјciens,apud Constantinopolim ocio luxuiq; se immisit. Mortua enim Eudoxia eius uxore in partu quo Constantinum peperit,Martinam ex sorore neptem,incestuoso sibi matrimonio copulauit,Heraclionẽq; filium ex ea suscepit. Et Romæ mortuo Deusdedit pōtifice, Bonifacius quintus subrogat⁹ est. Interim Eleutherius nouus exarchus ab Eraclio declaratus apud Rauennã,se:e regem Italiæ declarat. Sed cum Romã peteret à suis militibus interfectus,& caput eius est Constantinopolim missum:cui in exarchatu Isacius patritius Constantinopolitanus successit. Agilulpho autẽ Longobardorum rege uita defuncto,Adoaldus filius puer,cum genitrice Theudelinda regnũ suscepit:quæ mulier sapientissima pacẽ inter Lõgobardos & Italicos per decẽ annos quietissime tenuit:multa donauit ecclesiјs. Inter hæc Theodebertus rex Francorum à fratribus in prælio superatus,captus & interfectus est: & Clotharius ut solus regnaret

B Theodericum fratrem interfecit. Interea anno imperiј Eracliј sexto Persi in Aegyptum arma uerterunt,Alexandriamq; occuparunt:& audita morte Eracliani qui Africam tenebat, eò iter direxerunt: & Carthagine capta,imperio Africæ potiti sunt. Petiјt Eraclius pacem à Cosdroa etiam cum dedecore imperiј,neq; obtinuit à superbiente rege. Ob quam rem Eraclius declarato Constantino filio Cæsare ac regni consorte,Sergio patriarcha,& Bonoso patritio ei adiunctis, in consilio illum Cõstãtinopoli dimisit: ipse in Syriam profectus est atq; Azotum petiјt,in qua urbe Cosdroa se cõtinebat. Sed Cosdroas id intelligens in Persidem fugit,exustis omnibus in itinere segetibus quæ tunc flauescebant,Sarabago & Sarabasse ducibus relictis,qui Eracliј impetum retinerent: quod intelligens Eraclius flexit iter ad sinistrã: & manis itineribus superato Tauro monte, Sarbarum Persam Cosdroæ ducem ante uenisse reperit ad Pontem, qui Saron amnem iungebat,eumq; inde deturbatum in Persidem repulit. Et ultra procedens, Saym ducem cum maioribus copiјs obuium habuit. Cum quo prælio commisso,ab ortu solis usque ad uesperam magna utriusque partis cæde contendit. Postremo inclinante iam uictoria ad Persas,diuinum auxilium Christianis affuit:exorto nymbo ac tempestate ualidissima excitata,quæ in faciem Persarum cadens lumen eis abstulit,& Christianos reddidit alacriores,quib⁹ uictoria cessit cum magna clade Persarum. Et rursus Razatenes dux cum omnibus uiribus regni Eracliј oppositus est: pugnatumq; à mane ad

C occasum,& multa millia ceciderunt. Razatenes superatus interfectusq; est, & *XXVII* militaria signa Persarum capta sunt. Cosdroas Medarsem filium Syroë,quem natu maiorem probumq; adolescentem haberet,præterito,regni consortem appellauit. Quod ægerrime adeò Syroës tulit,ut ad Eraclium miserit,qui regnum Persidis sibi pacisceren tur,si Cosdroë & Medarse captis omnem regiam supellectilem Romanis permitteret diripiendam & Constantinopolim asportandam. Annuit Eraclius, adiecitq; ut captiui redderentur,& pons Tigridis Romano militi custodiendus permitteretur Ea formula cõclusa,Cosdroa perfidia nati intellecta fugere annitebatur:sed & retract⁹ de fuga à Syroë filio, cum Medarse & uxoribus in carcerem cõiectus est. Eraclius uictoria potitus & cruce domini recuperata,pacem cum Persis cõstituit,Syrois patrem fratremq; necari iussit. Hæc anno *XII* imperiј sui Eraclius peregit, cum annis *XIIII* crux apud Persas fuisset. Hoc tempore Mahumetus quidam,ut aliqui uolunt Arabes,ut aliј asserunt *Mahumetis* Persa,nobili ortus parente deos gentium adorante,matre hebraica atq; Ismaëlita, acer- *origo.* rimi ingeniј uir,inter Christianos conuersatus,magnum excitauit incendium, legemq; suam pestiferam introduxit,& ad rebellionem contra imperium Arabes pellexit. Quorum motus audiens Eraclius,missis legatis, aliquot Saracenorum millia quibus arma publice permissa erant,ad stipendia Reipub. accepit, atque ita tumultum sedauit ipse,

& deinde sacratissimam crucem Hierosolymã reportauit: quem Zacharias patriarcha magno cum honore excepit. Portauit autem crucem humeris suis. Et cum ad portam substitisset immobilis, monente patriarcha uestem mutauit, & nudis pedibus intrauit urbem. Inter hæc Bonifacio mortuo Romæ, anno v sui pontificatus, Honorius prim9 subrogatus est. Et Theudelinda mortua est, & filius eius Adoaldus à regno deiectus, & Arioaldus ei subrogatus. Per quæ tempora pax in Italia fuit, & Honorius basilicam beati Petri tegulis æneis cooperuit, ex templo Romuli delatis. Aedem Agnetis martyris uia Numentana extruxit, & sancti Pancracij uia Aurelia, & in aquis Saluijs sancti Anastasij: cuius corpus ex Perside delatum Eraclius Romam miserat: & plurimas alias ædes sacras ædificauit. Sed infelix Eraclius post gloriosum de Persis triumphum, ad incantationes & præsagia se conuertit. Vates ei magnum imminere periculum à circunciso populo cecinerunt: ob quam rem Iudæos omnes imperio subiectos baptizari curauit. Idem ut fieret per Gallias atq; Hispanias, à Dagoberto Francorum, qui defuncto Clotario genitori suo successerat, & à Sisebodo Hispaniarum regibus obtinuit. Et deinde à Pyrrho patriarcha Constantinopolitano, ac Cyro Alexandrino episcopo deceptus in hæresim Monothelitarum incidit, unã tantum in Christo uoluntatem esse dicentium. Hortatus tamen ab Honorio pontifice Pyrrhum patriarcham in Africam relegari permisit. Obijt autem Honorius anno sui pontificatus XIII. & Seuerinus Romanus eius nominis primus patre Labieno subrogatus est, atq; secundũ consuetudinẽ ab exarcho Italiæ cõfirmat9: neq; enim tunc aliter coronari poterat. Isacius tunc exarchus erat, qui sacrariũ Lateranẽse expoliauit, & donatis militibus reliquam prædam Rauennã detulit, & imperatorem parte donauit. Medio tempore Saraceni qui ex Arabia apud Cõstantinopolim Eraclio militabant, cum solita stipendia non reciperent, in Syriam secessere: & in magnum coacti exercitum Damascum cepere: deinde Phœnicem Syriam, & post Aegyptum, à suis Arabibus qui domi remanserant commeatibus atq; armis adiuti. Susceperant iam Arabes Mahumeti legem, atq; ut Persæ reciperent annitebãtur, recusantesq; armis agitabant. Successit Syrochi Persarum regi, qui primo anno decesserat, Adhæser filius: & illo eodem anno defuncto, Hormisda in regem electus fuerat: quem Arabes prælio superatum interfecere, ac Persis imperauere: qui Mahumeti legem accipientes, in Saracenicũ nomen transiere. Et hi ex Persis facti Saraceni, Antiochiã imperatori subiectam ui ceperunt. Quod audiens Eraclius, crucem domini ex Hierosolyma Constantinopolim apportari curauit: & paulò post ipsa Hierosolyma à Saracenis capta est. Interea Seuerino pontificatus sui anno secundo uita excedenti, Ioannes quartus natione Dalmata: & eidem etiam anno secundo obeunti, suffectus est Theodorus prim9, patre Theodoro episcopo, græcus, ex Hierosolyma oriund9. Inter hæc Mauritius chartularius græcus, qui exercitui apud Vrbem præerat, & Isacio ad diripiendum Lateranense sacrarium adiutor fuerat, Isacium criminatus est, quia regnum Italiæ affectaret, Romanosq; ac milites iureiurando sibi astrinxit, tanquam imperatoris causam agerent. Quod audiens Isacius exercitũ Romã misit, & magnis muneribus milites Mauritij ad se traxit. Aperta est urbs præfecto Isacij, & Mauritius à suis destitut9, ad ecclesiam beatæ Mariæ maioris confugiens, ibi captus est: & rauennam missus, apud uicum Ficundas decollatus. Isacius paulò post repentina morte subtractus est. Eraclius trigesimum agens imperij sui annum, Theodorum patritium cognomine Calliopam ad regendum Italiã exarchũ misit. Et quamuis omnem penè Asiam amisisset, deum tamen indies magis ac magis spernebat. Nanque uxore quam paruo habuerat tempore defuncta, illius ex primo uiro filiam adolescentulã senex accepit uxorem: deindeq; primo anno incestarum nuptiarum obijt: sub quo aucta est magnopere imperij inclinatio. Suffectus ei est Constantinus filius, qui quarto assumpti imperij mense ueneno extinctus est à Martina nouerca & Eracleone fratre: quos Pyrrhus patriarcha ad id flagitium instigarat. Is enim audita Eraclij morte, ex Africa ubi relegatus erat Romam petijt: & à Theodoro pontifice ueniam errati petens, formam fidei accepit quam teneret. Sed prius uitam amisit, quàm tanto scelere quæsitum patriarchatum potuerit obtinere. Senatus enim

Monothelitarum error.

A enim populusq; Cōstantinopolitanus in Martinam Eracleonemq; surgens, lingua illū, hunc naso mutilatos relegauit. Quo in furore retractus de fuga Pyrrhus à populo est occisus, & Constantius qui fuerat filius Constantini imperator creatus. Pyrrhi autē locum à Senatu & populo obtinuit Paulus. Qui requisitus à Theodoro Romano pontifice, ut rectæ fidei normam acciperet, obstinate recusans dignitate priuatus est. Sed huic Constantinus adhæsit, in eandem hæresim prolapsus. Mortuo Theodoro post annum sextum sui pontificatus, Martinus primus patria Tudertinus successit. Cuius legati Cōstantinopolim missi, exhortaturi Paulū ut resipisceret, Constantij iussu in diuersas insulas relegati sunt. Ob quam rem Martin9 Romæ synodum habuit *CV* episcoporum, in qua Cyri Alexandrini, Sergij & Pyrrhi Constantinopolitanorū patriarcharū condemnationem innouauit, & Paulum patriarchatu priuauit. Inter hæc pax Italiæ quæ cū Lōgobardis ac Romanis per triginta annos durauerat, turbari cœpit. Arioaldo enim qui Theudelindæ & Adoaldo successerat, suffectus est Rotharis, Ariana labe inquinatus, in quam omnes Longobardi præcipites corruerūt, ita ut nulla fuerit ciuitas ei subiecta, quæ duos episcopos non habuerit, catholicum & Arianum. Nec mutatus est Rotharis, à Theoderico Romano sæpius requisitus atq; à Martino. Ob quam rem Theodorus Italiæ exarchus bellū Longobardo indixit, nec ille recusauit prælium. Pugnatū est apud Scultennam Mutinæ amnem. Victus est Theodorus, septemq; millia pugnatorū amisit. Qua uictoria elatus Rotharis, in Liguriam duxit, quam prouinciā Longobardi per annos *VIII* & *LXXX*, quibus in Italia fuerāt, nunquam attigerant, leuiterq; Liguriā omnem in potestatem redegit. Constantius interea Olympium cubiculariū suum Italiæ exarchum fecit, datis mandatis, ut sectam Monothelitarum per omnem Italiam extenderet, Martinumq; pontificem aut captum ad se mitteret, aut iugularet. Olympius Romam ueniens inuenta synodo, nulli suum errorem persuadere potuit. Ob quam rem lictorem interposuit, qui Martinum in ecclesia beatæ Mariæ maioris interficeret: quod ille subita cæcitate percussus nequit efficere. Saraceni per hoc tempus anno quinquagesimo ab orientalis imperij declinatione, ab Alexandria nauigio soluentes Rhodum peruenere, eaq; capta Colossum fama celeberrimū, à quo ciuitas insulæ primaria nomē habuit, demoliti sunt: ex cuius ære nongētos camelos onerauere. De hinc multis in Aegeo afflictis insulis, in Siciliam nauigarunt, multaq; loca uastauerunt. Olympius Martino reconciliatus eos insula expulit, sed iacturam magnam nauium ac militum fecit, ibiq; morbo decessit. Constantius nihil melior effectus, Theodorum Calliopam iterum in Italiam misit exarchum, iubens ut Martinum ad se uinctum mitteret, addito socio Paulo Pellario qui scelus solicitaret. Exceptus Romæ Theodorus cum salutatum isset pontificem, illi catenas iniecit, misitq; Constantinopolim: & inde ad Chersonam Ponti ciuitatem in exilium actus est: in qua urbe beatus Clemens Romanus præsul longe antea exulauerat. Obijt ibi Martinus: quod cum ignoraretur Romæ, *XIIII* mensibus uacauit episcopatus: & denique Eugenius primus Romanus patre Ruffiniano electus est. Apud Constantinopolim uero paulo perfido defuncto, suffectus est Petrus: qui etsi melius de religione sensit, non tamen eandem fidei formam cum pontifice Romano tenuit. Apud Longobardos defuncto Rothari Rodoaldus successit. Qui deprehensus in adulterio Longobardæ mulieris, à uiro illius interfectus est. Cui successit Aripertus: qui moriens duos filios reliquit successores, Pertheritem & Gundibertum. Quorum tempore & Longobardi cum Romanis pacem seruauere, multis inter se cladibus agitati. Grimoaldus enim dux Beneuentanus Romoaldo filio Beneuenti duce instituto, cum magnis copijs Papiam uenit, Pertheritemq; puerū inde fugauit, & Gūdibertum Mediolano expulit. Quas res intelligens Clodoueus rex Francorum, qui Dagoberto patri successerat, magnas copias in Italiam misit: quas in Transpadana regione prædantes Grimoaldus Italia expulit. Romæ interim mortuo Eugenio pōtificatus sui anno primo, Vitalianus suffectus est, ex oppido Signiensi, prouinciaq; Volscorū. Per quod tēpus Cōstantius Constantino filio imperij cōsorte declarato, classem instructam Athenas præmisit, & ipse ibi uentos nactus secundos, classem ingressus Tarentum

Tarentum uenit, ualidissimasq; copias secum adduxit, in Beneuentanos ducturus. Romoaldus ad tolerandam obsidionem donec pater opem ferret se præparauit. Sed Constantinus ad Luceriam duxit, eamq; ui captam ac direptam solo æquauit. Acheronam autem cum capere non posset, Beneuentum duxit, obseditq; urbē. Sed intelligens Grimoaldum magnis copijs opem filio ferre, soluit obsidionem, Neapolimq; perrexit, magnaq; incōmoda ab hoste in itinere perpessus est. Deinde Romam petijt, relicto Saburo ciue Neapolitano cum uiginti millibus militum apud Formianum, qui hostes reprimeret. Vitalianus pontifex cū clero & populo sexto ab urbe milliario imperatori obuiauit: introductusq; est applaudente multitudine in ecclesiam beati Petri, cui pallium auro intextum donauit. Interim Romoald9 accepto patris auxilio Saburum aggreditur, eumq; cum multis Græcis interfecit. Constantius quinta die sui aduentus ad direptiones se conuertit. Nam quæcunq; uidit ex ære aut marmore ad ornatum posita, loco abstracta aut ui discerpta nauibus imposuit, plusq; ipse ornamentorum in septem diebus Romæ detraxit, quàm barbari antea in ducentis & quinquagintaocto annis. Duodecimo die Roma profectus Neapolim redijt, & deinde Siciliam petijt, ubi aliquandiu mansit tributa undiq; exigēs. Vitaliano interim defuncto, Adeodatus patre Iouiniano Romanus subrogatus est. Interea Lupus Foroiulianorum dux Longobardus, cui Grimoaldus ad filiū profecturus, Hetruriæ & Aemyliæ ciuitates cum Transpadanis commendauerat: audiens multa de Constantino, putāsq; Grimoaldum periturum, regnum affectauit. Quod intelligens Grimoaldus Bauaros aduersus eos excitauit. Lupus omnia inuoluēs in Foroiulianos reuersus est, pugnauitq; cum Bauaris, & prima die uictoriam obtinuit: sed alterum committens prælium, in eo interfectus est: et Bauari Foroiulium diripuerunt. Sed reuersus Grimoaldus gratias Cacanno egit qui sibi auxilia misisset, suasitq; ut copias reuocaret. Deinde clàm in Forumpompilium duxit ulturus iniuriā quam à Rauennatibus ibi acceperat. Dum transiret in auxilium filij, sabbato sancto ex inopinato ciuitatem aggressus est, clerumq; cum omni populo interfecit, & urbē solo æquatam reliquit. Interim Arnefrides Lupi filius ad paternum aspirans ducatum in Carentanos se contulit Dalmatiæ regionem, Sclauorumq; agrestium nō contemnendā manū secum ducens, in Foroiulianos irripuit. Sed ex improuiso à Longobardis inuasus, multis eorum occisis ipse quoq; interfectus est. Caretani in ultionē armati, ad Natisonis pōtem castra posuere. Sed fugauit eos Vectaris, quem Grimoaldus Foroiuliensem ducem creauerat, qui antea fuerat Vicentiæ comes. Grimoald9 uero Opiterginos tāquā Arnefridis studiosos domo pepulit, atq; ad Cenetenses Taruisinosq; migrare permisit. Ipse paulò post arcum tendens, uenam rupit per quam sanguinem demiserat, nondū cicatrice obducta, atq; ita interijt. Suffectus ei est Partharis ille quem puerum Grimoaldus Papiæ pepulerat. Tūc quoq; Constantius à Missesso quodā Armenio milite in balneo interfectus est, lætæq; omnes eius necē audiuere. Sed Missessus dum imperium in Sicilia sibi uendicaret, non satis conciliatis militum animis, à superuenientibus ex Italia copijs atq; Africa interfectus est, & omnes copiæ ad Constantinum inclinata sunt Constantij filium: hic initio imperij sui fratres pueros, ne ad imperium aspirarent, naribus mutilauit. Saraceni uero ab Alexandria egresi, in Siciliam nauigantes, primo impetu Syracusas receperunt, cædeq; ciuium facta, ornamenta urbis Romæ quæ Constantinus illuc transtulerat, & simul Syracusanam gazam nauibus imponentes, celeriter abierūt. Septimo autem imperij Constantini anno, Adeodatus Romanus pōtifex obijt, uacauitq; sedes quatuor mensibus, in quibus maximi imbres fuere, & plurimi mortales fulminibus afflati interierunt, & frumēta in agris emarcuerunt. Exinde Donus patre Mauritio Romano genitus, pontifex creatus est, qui amplam uestibuli ædium sancti Petri areā marmoribus strauit. Huic suffectus est Agatho primus ex Sicilia oriundus, per cui9 tempora Rauennas, ecclesiæ Romanæ, à qua primum desciuerat, est subiecta. Theodorus illi præerat, archiepiscopus, & alter Theodorus Calliopa exarchus, Constantinus decimo imperij sui anno cum Saracenis conflixit, uictoriaq; potitus pacem concessit tributum pendere promittētibus. Sed Bulgari Thraciam inuadentes, ex Scythia nouiter

egresi,

A egressi, occurrentē Constantinum Pannoniam inter & Mesiā magna clade affecerunt, fugientiq; pacem dederunt: per quam Pannoniam & Mesiam consecuti sunt, ubi per septingentos & sexagintatres annos sedes obtinent, non sine utilitate Christiani nominis, aduersus Turcos assidua bella gerentes. Anno sequenti Constantinus sextam synodum apud Constantinopolim celebrari curauit: in qua legati Agathonis Papæ fuerunt, Ioannes Portuensis episcopus, & alter Ioannes Romanæ ecclesiæ diaconus, & ducenti octuagintanouem episcopi. Acta est causa Monothelitarum, unam dicentium in Christo uoluntatē: cuius præcipui defensores erāt Gregorius Constantinopolitanus, & Macharius Antiochenus episcopi. Gregorius sentētiam mutauit, Macharius pertinax dignitate priuatus est, & cum mortuis eius sententiæ satanæ traditus, & cum complicib9 Romam relegatus. Secuta est ualidissima pestis, quæ inter alios Agathonem extinxit. Cui successit Leo *II* patre Paulo Sicul9, uir doctissimus & eloquentissimus, cuius scripta extant elegātissima: sed non peregit primum sui pontificatus annum. Successorem habuit Benedictū *II* ciuem Romanum, ad quem Constātinus imperator sanctionem misit, ut quem clerus, populus & exercitus Romanus delegerit in Romanum pontificem, nulla principis Constantinopolitani aut Italiæ exarchi expectata licentia, e uestigio confirmetur: quod diu est obseruatum. Benedict9 undecimo mense decessit. Pertharis B Longobardorum rex, uir bonus & Christianæ religioni deuotus fuit, qui monasterium sanctæ Agathæ Papiæ ædificauit: cuius uxor Rodelinda gloriosæ uirginis basilicā quæ ad Perthicas dicta est, extra eiusdem urbis mœnia extruxit. Pertharis Cunipertum filium regni consortem accepit anno *VII*. Quo tempore Alachis Longobardus dux Tridenti cum Bauaris bellum gerens, Grauionem illorum ducem prælio superatum occidit, Bauzanumq; oppidum eius accepit. Qui uictoria elatus, aduersus reges suos Pertharim & Cunipertum rebellare ausus est. Pugnauerunt simul cruentis exitibus. Alachis in Tridento clausus est: quo inde fugiente facta est oppidi deditio. Rediјt tamen postea in gratiam Alachis, & à Cuniperto dissuadente patre Brixiæ dux factus est. Benedicto autem Romæ mortuo suffectus est Ioannes *V* Antiochenus. Et imperator Constantinus anno imperiј decimoseptimo obiјt, cui successit filius Iustinianus secundus: quo tempore Saraceni Africam & Libyam inuaserunt, omniaque mari exposita illico occupauerunt.

Ex libro decimo.

IVstinianus secundus per hunc modum Africam & Libyam recuperauit: Obiјt Gizitas Saracenorum Ammirathus eo tempore quo Constantinus: C cui suffectus Mathitam, breui est defunctus: & illi subrogatus Baldalam haud quaquam longiorem uitam habuit. Creatus igitur est Ammirathus Abdimalech, qui audiens Iustinianum summo prouinciarum consensu imperium adeptum, pacem illi ultrò obtulit, et Africam restituit. Sunt qui scribunt pacem in decem annos statutam fuisse, ita ut singulis diebus nummos mille aureos, & seruum unū ex gente sua, unumq; equum Romano imperatori mittere tenerentur. Tunc quoq; Conō primus Romæ pontifex factus est, paterna origine Thrax: cum Romani Petrum archipresbyterum, & exercitus Theodorum presbyterum creari peterent. Theodorus exarchus Cononem cōfirmauit atq; inde obiјt: et Ioannes Platina exarchatū accepit. Conō uir bonus fuit, & quicquid auri cumulauit inter monasteria & sacras ædes distribuendum Pascali archipresbytero mandauit. Qui mittens ad Ioannem, aurum ipsi pollicitus est, si se mortuo Conone pontificem creari curaret. Annuit exarchus, auro per suos iudices ex perfidi manibus accepto. Cononi ad undecimum mensem pontificatus defuncto, successit Sergius Antiochenus. Hoc tempore Cunipertus Longobardorum rex obiјt: Liuthpertumq; nondū pueritiam egressum filium sub Asprandi ducis strenui tutela reliquit successorē. Pacē omnes gentes tunc tenebant, sed Iustinianus eam interrupit: qui fœdera uiolans Saracenos apud Mesopotamiā & in Perside maximis affecit incom-

incommodis, nec minora ab eis deniq; repulsus accepit damna. Redintegrata tamen est pax & nouo firmata fœdere. Sed inconstans imperator aliam pacem fregit, à patre suo D
cum Bulgaris initam: quos ex improuiso aggressus, magna cæde prostrauit. Sed illi paulò post confirmati saltus occupauere, per quos imperatori erat in Thraciã reditus. Quare coactus cuncta restituit & pacem iureiurando firmauit. Per hoc tẽpus Carolorũ nomen apud Francos gloriosum cœpit. Erãt Austrasiorũ reguli duo fratres Martinus & Pipinus, cui Breui fuit cognomentum. Ebroinus ea tempestate Theodericũ Francorũ regem pro suo libito gubernabat, qui magna in Austrasios insolẽtia usus, Theodericũ regem cum exercitu paratissimo aduersus eos duxit: cõmissoq; prælio apud uicum Lucofodum uictoria potitus est. Martinus cum aliquandiu latuisset, fide publica ab Ebroino euocatus, fraude perijt. Nec multò post Ebroino pariter ab Ermẽfrido cui insidias tetenderat per fraudem occiso, Pipinus redintegrata cum Francis gratia, ipsum Ermẽfridum in Ebroini locũ à Frãcis cõstitui impetrauit. Apud Lõgobardos interim Ragimbertus Taurenẽsium dux inuidia ductus quod Asprandus in tutela Liuthperti sibi propositus esset, arma in regem suum mouit. Asprãdus & Rotharis Bergomensium dux, apud Nouariã cum eo cõflixere, & fugati sunt. Ragimbertus tyrannidẽ apud Papiam inuasit. Quo breui defuncto Arithpertus filius eius tyrãnidẽ retinere conatus est. Aduersus quem Asprandus & Rotharis cũ alijs Longobardorũ ducibus exercitum ducẽtes, E
apud Ticinum durum prælium commisere. Vicit tamen adulterini regis exercitus, & Liuthpertus puer uiuus captus est. Asprãdus ad Comacinã insulam fugit. Rotharis Bergomensiũ dux in Laudam ciuitatẽ se recepit, ibiq; à militib9 qui secũ fugerãt rex declaratus est: deinde Bergamũ petijt. Arithpertus his cognitis, exercitũ, educẽs Laudam cepit, & deinde Bergamo ui expugnato, Rotharim intercepit, detõsumq; post paucos dies cũ Liuthperto puero in carcere iugulari iussit. Deinde in Comacinã insulam duxit, eãq; captã solo æquauit. Asprandus per saltũ Caluenæ ad Bauaros confugit. Interea Iustinianus ex Bulgaria reuersus, apud Constantinopolim contemptui fuit, ea præsertim causa, quod Stephanũ Stelariũ cui curã urbis reliquerat, & imperatricẽ matrẽ Iustiniani uerberib9 affecerat, multaq; mala cõmiserat, nõ puniuit. Sed nihil hæc aduertẽs, synodũ Constantinopoli cõgregauit, in qua aliqua cõclusa sunt non cõsonantia fidei, quib. apocrisarij Sergij Papæ per inaduertẽtiã subscripserunt, quæ postea Sergius ipse noluit approbare. Ob quam rem indignatus Iustinianus, Zachariã protospathariũ Romã misit, qui captũ Sergium ad se mitteret. Sed noluerunt id admittere milites exarchatus Italici, qui Zachariã ipsum interfecissent, nisi à põtifice fuisset protectus. Interim Leontius patritius annitẽte Gallinico patriarcha, plebẽ Constantinopolitanã ad arma conciuit, & carcere ui refracto, multos educens morti pedoriq; addictos, Iustinianũ imperio deiecit, naresq; mutilatũ Chersonã Ponti ciuitatẽ in exiliũ misit. Leontius imperiũ inuasit. Hæc F
intelligens Abdimalech Saracenorũ Ammirathus in Africã duxit: aduersus quẽ missus à Leontio Ioannes patritius, omnes Saracenos ex Africa exterminauit. Sed non sperabat aduersus magnas Saracenorũ copias Africam diu posse tueri. Iuit igitur pro supplemẽtis ad imperatorẽ. Interim exercitus eius in Africa tumultuãs, Tyberiũ quendam ciuem Constantinopolitanũ imperatorem sibi creuit: qui mox cum exercitu Cõstantinopolim nauigauit, captumq; ibi Leontium naso sicut & ille Iustinianum mutilauit, & in carcere coniectũ maiori infortunio reseruauit. Inter hæc Philippicus Nizepoli patritij filius qui Tyberio fauerat, inter coæquales uidisse per quietem se ait caput suũ aquila obumbrari: quod imperij præsagiũ uidebatur. Id resciẽs Tyberius, qui alio nomine Absimarus uocabatur, adolescentẽ in Pontum exulare iussit. Dum hæc agũtur, Pipinus Austriæ dominator, gubernaculis regni Francorũ manus inijcere cepit. Nam cum audisset Bertariũ quendam ignobilẽ, quo Theodericus rex plurimũ utebatur, Frãcis omnibus exosum esse, coactis ingentibus copijs, in eũ duxit. Quod resciẽs Bertarius, cum Theoderico rege illi occurrit, cõmissoq; prælio Pipinus uictor euasit: Bertarius fuga saluatus est: rex domum reductus, & Pipinus gubernator regni & maior domus effectus est. In quo officio Mordeberto substituto, in Austriã redijt. Paulò post Theoderico mortuo, successor

A successor eius Clodoueus filius puer intra biennium decesit, & Childebertus Theoderici frater regnum accepit. Apud quem Pipinus præsumptam continuans possessionẽ, Grimoaldũ filium instituit domus regiæ directorẽ, ipse cũ Sueuis ac Germanis plurima bella gesit. Inter hæc Sergius põtifex apud Vrbẽ pace fruens, partem dominicæ crucis reperit in arcula quæ in basilica apostolorũ principis occulte latebat. Huius pontificis tẽpore Romani per Syriam relicti, cum à Saracenis multifariã opprimerentur, cõgregati simul ducenta Saracenorũ millia interemere, anno salutis septingentesimo, Tyberij uero Absimari anno imperij *II*. Sergio post quartũdecimũ põtificatus sui annum defuncto, Ioannes sextus subrogat9 est. Quo tẽpore Theophylactus à Tyberio pro exarcho in Italiam destinatus, in Siciliam uenit. Quod intelligentes milites exarchatus, & suspectum eius habentes aduentum, Romam ingressum interfecissent, nisi Ioannes papa sequestrem se interposuisset. Qui persuasus à papa Rauennam demigrauit. Quo cognito Gisulphus Longobardus Beneuenti dux oppida Campaniæ Romanis subiecta hostiliter inuasit, Soram Arpinũq; occupauit. Sed recepta pecunia à pontifice, cuncta restituens domum repetijt. Interea Longobardi Foroiuliani cum Sclauis confinibus uario euentu decertarunt. Iustinianus *II* ex Chersona fugiens ad Cacannum Bauarum se recepit: qui honeste eum habuit, & filiam illi suam uxorẽ spopõdit: & tamen ab Absimaro

Ann. salu. DCC.

B imperatore pecunia corruptus, Iustinianum hospitem & generum prodere pactus est. Quod resciens Iustinianus, fugiens Trebellio Bulgarorum regi sese commisit, & ab eo per arma in patriam reductus est. Interim Saraceni Africam & Libyam inuadentes occuparunt, & deinde ex Septa soluentes urbe, Athlantico freto transmisso, omnes Hispanias in potestatem redegerunt, Cantabris Asturibusq; exceptis: qui sicut ultimi fuerunt Hispanorum quos Romanum amisit imperium, & postea se à Vesogothorũ iugo liberos seruauerunt: ita nunc postremo accepta Christi fide, à Saracenorum spurcitia manserunt illæsi. Sic Africa postquã à Belisario Iustiniani primi duce Vandalorum manibus erepta, iterum sub Romano imperio annis uno & septuagesimo supra centesimũ fuerat, subdi cœpit Saracenis: sub quibus fuit usq; in hæc tempora, annis septingẽtis quadraginta: & tãto tempore regnũ Granatæ in Hispania illis paret. Per hæc tempora Ioanni *VI* ex Græcis oriundo uita functo, Ioannes *VII* & ipse pariter græcus suffectus est. Iustinianus Cõstãtinopolim reuersus, capto Absimaro, Leontiũ quoq; à quo fuerat imperio deiectus in carcere inuentũ eduxit, & utrunq; inspiciẽte populo occidi iussit. Gallinicum uero patriarchã obcæcatũ Romã relegauit, magnamq; inimicorũ multitudinẽ in carcerẽ coniecit, quorũ semper aliquẽ occidi iussit, quoties truncis naribus mucũ abstergeret. Eo tempore Arithpertus Lõgobardorũ rex zelo religionis Christianæ duct9 Alpes Coccias, in quibus Genua urbs est, & quicquid ab ea ad Alpes usq; Galliarũ fi-

C nes cõtinebatur, Petro donauit. Ioanni *III* põtificatus sui anno defuncto, Sisinus ex Syria oriundus succesit, sed die pontificatus uigesimo obijt. Cui tã breuiter defuncto, Cõstantinus & ipse Syrus subrogatus est. Interim Iustinianus Mauritiũ patritiũ & Heliam spatharium Chersonam in qua exulauerat cum classe misit: qui omnem pubertatem supergressos interfecerunt. Vsus est Iustinianus ingratitudine erga Trebellium, qui eum cum Thracibus de finibus contendentem ex improuiso aggressus est: sed ab eo cum dãno repulsus fuit, nihil mutatus de uita priori, nisi quod Ro. põtificẽ ueneratus est. Nãq; cum Cõstantinus Ro. pontifex Felicẽ Rauennæ archiepiscopũ ordinasset, pecuniariam & subiectionis præstandæ obligationẽ Romã ex more missurus, solito astrictiorẽ misit. Nec põtificis Ro. suasione adduci potuit, ut prædecessorũ in eo obligationũ formulam sequeretur, elatusq; Romanã spernebat ecclesiã. Quæ cũ Iustinianus à Cõstantino didicisset, Theodorũ patritiũ ex Sicilia cũ classe misit, qui Rauennates bello uictos maximis affecit cladibus, & Felici archiepiscopo catenas iniecit, eũq; cum multis ciuibus Cõstantinopolim relegauit: quẽ imperator cãdens uas æneũ diu inspicere cogẽs, lumine orbauit, damnatumq; exilio relegauit in Pontũ. Cõstantinus aũt Ro. põtifex à Iustiniano uocatus Constantinopolim perrexit, ibiq; exceptus est. Interea Asprãdus auxilio Bauarorum in Italiã reuersus cũ Arithperto cõflixit: ille fugiens in rapido flumine submersus

interijt. Asprãdus rex Longobardorum cõmuni cõsensu creatus est: & breui decedens, Liuthprandum regni successorẽ reliquit. Constantino papæ ad octauũ lapidẽ extra Cõstãtinopolim, Tyberius Iustiniani imperatoris filius, & ipse imperator cũ patritijs & omni nobilitate, Cyrusq; patriarcha cũ clero obuij processerũt, eumq; camesaneo papali amictu indutũ, solenni põpa in regiam perduxerũt. Deinde ab imperatore Iustiniano Niceæ tunc constituto uocatus, Nicomediam concesit: quo delatus, imperator pedes pontificis osculatus est. Neq; enim aliud quærebat, quàm ut ab illo benediceretur. Erat tunc in exilio apud Chersonam Philippicus iussu Tyberij Absimari constitutus, quem Iustinianus interficere satagebat: nec cessauit classem in eum mittere, quãuis recedens Papa id dissuaderet. Duces clasis ad Philippicum defecere, qui *XII* à Constantinopoli milliario cum Iustiniano & Tyberio eius filio imperatorib9 cõflixit, eosq; interfecit, et Philippicus, qui & Bardanus, imperium adeptus est: qui mox à Ro. pontificũ fide & traditione discesit: & Cyrum patriarcham Constantinopolitanũ relegans, & Ioannẽ monachum hæreticum illi suffecit: cuius dogmata ut Clerus Romanus susciperet, imperauit. Sed Constantinus pontifex illum scismaticũ dijdicauit, iusitq; nullam de eo in Repub. mentionem fieri. Sed defuncto Constantino, Stephanus *II* origine Syrus pontificatum accepit. Et Anthemius, qui & Anastasius dictus est, ciuis Cõstantinopolitanus, Philippicum imperio deiectum cepit, & oculis euulsis trusit in carcerem. Inter hæc Childeperto Francorum rege defuncto, Dagobertus filius succesit: quo tempore Grimoaldus Pipini filius, qui regnum Franciæ gubernabat, à Rathagalio Leodicensi dolo peremptus, eiusq; filius Theodebaldus per autoritatem Pipini magistratum regiæ domus accepit, moxq; Pipinus senio confectus decesit. Et inter Raginfredum ac Theodebaldum de magistratu domus ciuile bellum exortum est, pugnatumq; apud Cosiam syluam, & Theodebaldus superatus est, & Raginfredus locũ eius obtinuit. Pipino superstes fuit Carolus unicus filius, cui Martello cognomen fuit, Calpiade prima uxore genitus, qui Plectrudim alteram Pipini coniugem tanquam genitricem uenerabatur. Nec tamen odiosa mulier placari potuit, quin ei excidium pararet. Et Dagobertus rex puer, Raginfredi suasu in Pipini dominia ducere statuit: Carolus nullum adiumentum reperit nouerca dolos struente. Fecit uero uim per Carboniam syluam Dagobertus, & omnem regionem quæ ad Mosam fluuium pertinet, rapinis, incendijsq; fœdauit. Paulo post Carolo Martello iam carcere liberato, obijt Dagobertus. Cui subrogatus est à Francis Daniel quidam ignotæ prosapiæ clericus, siue ut alij uolunt, ex Francorum stirpe regia oriundus. Quem maior domus Raginfredus Dagobertum appellãs, in Carolum Martellum ducere coegit: cui & Rathodus Frisonum dux associatus est. Carolus Plectrudim nouercam, quæ capturæ suæ causa fuerat, nihilominus honorauit. Franci & Frisones occurrentem Carolum maximis incommodis affecerant, & usque ad Coloniam Agrippinam Caroli ciuitatem populati sunt, quos Plectrudis ut abiret magna pecunia impetrauit. Anastasio impetrante, Patronax quidam ciuis Brixianus suasu Romani pontificis monasterium Casinense ædificijs & monachorum frequentia instaurauit, anno postquàm à Longobardis destructum fuerat centesimo duodecimo. Anastasius imperator exhibita Romano pontifici reuerentia, & confirmatis cõciliorum sanctionibus, ingentem classem in Alexandriam misit: sed duces eius in itinere rebellantes, in Constantinopolim arma retulerunt, & Theodosium quendam imperatorem creauerunt ignobilem, qui apud publicanos scriptum facere consueuerat: cõflixitq; apud Niceam, & uictor factus Anastasium clericum ordinauit. Interim apud Longobardos Liuthprandus rex, Rothabitem consanguineum suum nouis rebus studentem interfecit: & donationem Alpium Cocciarum ab Arithperto factam, beato Petro & Romanæ ecclesiæ confirmauit. Feroaldus uero Spoletanorum dux simulata ad regem suum profectione, Classense oppidum furtò cepit: quod Liuthprandus mox restitui curauit. Pennino quoque Foroiulianorum dux Longobardus, Sclauos suos fines ingressus, cum magna eorum cæde repulit. Carolus uero Martellus iniurias ante receptas ulcisci studens, in Chilpericum regem & Raginfredum gubernatorem duxit, atq;

in agrum

A in agro Cameracensi prælio uictos fugauit, ingentemq; prædam duxit in Austriam. Et uolens se nouercæ metu liberare, Coloniam duxit Agrippinam, ibiq; Plectrudim cum thesauro Pipini cepit: nec aliud mali nouercæ fecit, nisi quod administrationem interdixit. Sed illa clam fugiens, magnis itineribus peruenit ad Bulgaros. Chilpertus & Raginfredus reparato exercitu, Eudonem Vesogothorum, Aquitaniæ ac Vasconiæ ducem, mercede conduxerunt: sed à Carolo uicti fugatiq; sunt. Eudo transmisso Sequana in Aurelianos se contulit. Chilpertusq; rex eum secutus est, maxima trahens gazæ regiæ impedimenta, cum quibus Eudo eum usq; in terram suam perduxit: quod ueritus Carolus pacis mentionem fecit. Qua recepta, Chilpericus in patriam reuersus, morbo interijt, & nepos eius ex fratre Theodericus regnum assumpsit: cuius gubernator siue maior domus Carolus factus est. Qui Raginfredum apud Andegauiam obsessum cepit atque interfecit: pugnauitq; deinde cum Saxonibus, Alemannis ac Sueuis, eosq; magnis affecit incommodis: & trāsmisso Danubio Plectrudim nouercam ex Bulgaris reduxit in Franciam. Interim Eudo Vesogothus rupto pacis fœdere, in subiectas Caroli regiones erupit. In quem delati Caroli duces, eum trans Ligerim fugauerunt, & Vasconiam regionem uastarunt. Petrus Gulielm9 Lateranensis ecclesiæ Bibliothecarius, inter eos qui de Romanis pōtificibus scribūt senior, ita Gregorij *II* et Gregorij *III* pontificū
B nomina ponit, ut eos appareat Stephanum secūdum præcessisse, qui tamen posteriores fuere. Et aduentum Saracenorum in Hispaniam & contra Constantinopolim confundit, uideturq; asserere gentem Saracenorum quæ ex Africa in Hispaniam traiecit, anno pōst *XI* cum uxoribus & liberis Vasconiam petijsse: quæ migratio sedente Gregorio *II* facta est ad Galliam, ad Hispaniā uero sub Ioanne *VI* circa finē, cum Iustinianus *II* à Bulgaris restitutus est. Stephano *II* pontificatum, & Theodosio *III* imperiū tenentibus, Longobardi Beneuentani Cumas furtò occupauerunt: & pontificis auxilio fretus Constantinopolitanorum militum qui Neapoli erant, iterum furtò recuperauit. In quo *CCC* Longobardi occisi sunt. Theodosius imperij anno primo à Leone *III* deiectus, & sine læsione permissus abire, monasteriū est ingressus. Interea Vesogothus Eudo cum imparem se Carolo intelligeret, Saracenorum qui iam X annis Hispanias occupauerant auxilia poposcit. Cuius potentissimæ gentis rex Abderamius Garumnā nauigio transuectus, Burdegaliam ui captam diripuit, utriusq; sexus ætatem interfecit, ecclesias solo æquauit. Parem uastationem in Pictauos fecit, duxitq; Turonium, ut templū diui Martini celeberrimum demoliretur. Sed Carolus Martellus reconciliato sibi Eudone, iunctisq; cum eo castris, prius ad Saracenos peruenit quàm illi Turonium peterent, ibiq; præliū cōmisit: in quo rex ipse Abderamius interfectus est, & *CCCLXXV* millia de suo exercitu periere. Ex Francis mille tantum & quingēti desiderati sunt, sicut & *Saracenorū clades ingēs.*
C ipsæ Caroli literæ, ad Stephanum *II* missæ cōfirmauerūt. Mouit deinde Carolus in Burgundiones: quos breui domitos, sibi subiectos reddidit: eos tamen pro sua modestia fœderatos appellauit. Mox defuncto Eudone Burdegaliā cepit: exinde in Frisones idololatras duxit, eamq; gentem ad Rheni ostium constitutam, in insulas fugauit Amniam, Strachiam & Astracham: in quos nauigio ductus eas insulas diripuit magna cæde commissa. Reuersus domum reperit Burgundiones à Vesogothis persuasos, nouas res intentare. Aegre enim Vesogothi circa Narbonam habitantes ferebant Eudonis principatum à Carolo captum esse. Inuasit igitur primum quæ Burgūdi extra fines proprios posidebant, & Lugdunum, Arelatem atq; Massiliā eis abstulit. Interea Vesogothi regem Saracenorum Athinum in auxilium uocauere: qui adducta classe Rhodanum ingressus, Auinionem ui cepit, eaq; urbe pro arce belli est usus. Accurrit eò Carolus cum ualido exercitu, & obsessam urbem expugnauit, multis Saracenorum interfectis. Rex Athinus Narbonam confugit, ubi à Carolo obsessus est. Sed Amorteo altero Saracenorum rege suppetias obsesis ex Hispanijs afferente, dimissa obsidione ad fluuiū Byram, uallemq; Corbanam castra communiuit, ibiq; in planitie copiam pugnandi fecit. Commisso prælio Amorteus omnium primus manum conferens interemptus est, cæteri fuga dilapsi sunt. Quos à tergo feriens Carolus, multis occisis, in proxima stagna palu-

gna paludesq; præcipites egit: in quibus maior pars perijt: Athinus nauigio fugiẽs uicinas insulas incẽdio uastauit. Erat eo tẽpore corpus beati Augustini in Sardinia, ante CC & L annos ex Hippone translatũ, cũ Vãdali Africã fœdarẽt. Liuthprandus Lõgobardorum rex id ad se ferri curauit, & Papiæ cum honore collocauit. Saraceni his cladibus admoniti, intra Pirenæũ se cõtinuere. Vesogothi qui citeriorẽ Hispaniã & Galliæ partẽ obsidebant, cũ Sueuis ac Alanis præda Caroli remãsere. In quos debacchatus eius exercitus, Narbonẽ, Agathen, Nemausum, Biterrasq;, à fundamẽtis excidit, nomenq; Vesogothorum deleuit, q per trecẽtos annos sub'imes fuerãt. Remãsere pauci in Barchilonẽsium protectione. Inter hæc apud Cõstãtinopolim Leo tertius imperator, qui annis quatuor & uiginti regnauit, in Christũ & in eius uicariũ impius fuit, multasq; calamitates intulit. Nam quo tempore Athinus & Amorteus Hispaniam citeriorem inuaserũt, Saraceni Asiã incolentes Zulemone Ammirrhato cũ tribus millibus nauibus in Thraciã uecti, Constantinopolim terra mariq; obsederunt, magnasq; copias prædandi causa in Bulgaros misere. Sed illi fortiter se defendentes, triginta duo Saracenorũ millia interfecerunt. Ducta est obsessio annis duobus. Interim Zeulemone mortuo Aminthas Humar suffectus est: & pestis grassata & apud hostes & apud ciues ita ut in urbe trecenta millia funera numerata sunt. Hostes amissis tempestate nauib⁹, & pestilentia uexati, obsidionem soluerunt. Leo imperator nihil hac re admonitus, basilicas urbis Romæ spoliare decreuit, pontificemq; aduersantem ad se captum perduci iussit. Martin⁹ dux Vrbis apoplexia prius percussus est quã pontificẽ uel caperet uel occideret: & Paul⁹ exarchus ad eam rem substitutus. Sed patefacta cõiuratione, interfectis aliquibus, popul⁹ Romanus pontificem defendit. Interim Spoletinus Lõgobardorũ dux Narniã cepit: & Liuthprandus rex exarcho absente Rauennã obsedit: sed spe potiundi perdita Clusiũ duxit, idq; oppidum captum quod Romanorum erat, crudeliter spoliauit. Leo imperator iterum ad interficiendum Stephanũ pontificẽ misit. Sed Longobardi põtifici assistentes, copias imperatoris transire non permiserunt. Tunc Leo Papæ blandiri cœpit, eum exhortatus, ut si redire in gratiã uellet sanctorũ imagines ubiq; in Italia, sicut ipse in suo fecerat orientali imperio, aboleri incendiq; curaret. Sed Stephanus cõtrà iussit, mãdans ut imperatoris iussibus nemo obediret. Quod intelligẽtes Rauẽnates ac Venetiæ populi & milites, pontifici suaserunt ut abrogato Constantinopolitano imperio, alter ex Italia Romanus imperator eligeretur. Eoq; rebellio populorum processit, ut depositis exarchi magistratibus, singulæ ciuitates singulos duces sibi creauerint. Non cõsensit huic rebellioni Stephanus, sperans Leonem saniori consilio usurum. Sed cum Marinus Spartharius dux Vrbis, eiusq; filius Adrianus, Campaniæ populos in perniciem pontificis pertentarunt: Romanus populus eos interfecit, ducemq; sibi Petrum quendã creauit. Rauennates quoq; Paulum exarchum Italiæ interfecerunt. Longobardi uero perfidia sunt usi. Nam in Aemylia Bononiam, eiusq; oppida per Sicetum ostium, ubi postea Cẽtum est ædificatum, ac montem Velium in Flaminia, Fauentiam, Forumliuij, Forumpompilij, Cesenam, à quibus Rauenna Pentapolis dicebatur, & in Piceno Auximum occupauerunt. Leo uero imperator Eutychium patritium palatij sui eunuchum ad accipiendum Italiæ exarchatum misit. Qui cum Neapoli esset, conciliatis aliquibus Longobardis nihil attentius quæsiuit, quã Romanum pontificem interficere. Sed põtifex eum excõmunicauit, Liuthprandumq; regem Longobardorum ad pacem accersiuit, sine ulla restitutione ablatorum. Assensit ille, & paulò post uiolatã pacẽ in occupatione Sutrij à Spoletinis factã custodiri uoluit, oppido reddi iusso. Deinde in Spoletinos Beneuentosq; duces, sua imperia contẽnere solitus, exercitũ duxit. Quibus recõciliatis, beati Petri limina uisitare statuit, & in campum Neronis descendit: & põtifex illi in Vaticanum occurrit nondum mœnibus cinctum. Populus in Vrbe se continuit. Exosculatus est rex pontificis pedes, & in Basilicã est ab eo deductus. Deinde nulli molestus, Papiam se contulit. Papa Eutychium ad cõmunionẽ exhortatus est. Imperator uero omnes qui Constantinopoli edictum suum de imaginibus suscipere noluerunt, iussit interfici, & Germanum patriarcham renitentem misit in exilium, Anastasiumq; presbyterum illi sub-

A illi substituit. Qui cum imperatore insaniens, Papam hortatus est ut imagines tolleret. Papa eum sacerdotio priuauit, & Leonem ut resipisceret grauissimis cominationibus admonuit. Obijt deinde Sephanus, & Romani Gregorium Syrum eius nominis secũdum sibi substituerunt. Et Leo Constantinũ filiũ, qui fuit eius nominis quintus, imperij consortẽ assumpsit. Gregorius Conciliũ episcoporũ Italiæ, Romæ cõgregauit in basilica beati Petri, sanctorũq; conseruandas imagines decreuit: muros Vrbis & Centũcellenses instaurauit. Transemundus Spoletanus, regi suo Liuthprando cui paulò ante reconciliatus fuerat rebellauit. Aduersus quem rex profectus, Spoletũ & eius oppida petijt. Transemundus ad Romanos sub fide publica confugit: quem Stephanus dux Romanus unà cum Papa defendendum censuit. Rex iratus Vrbẽ diebus aliquot obsedit: deinde soluta obsidione Ameriã, Ortam, Polimartium, Beleramq; de Romanis cepit: & instituto Hilderico apud Spoletum duce, Beneuentum petijt: ubi duci Rimaldo defuncto, Gisulphus filius puer à Longobardis suffectus erat. Quo deposito, Gregorium nepotem suum ducem constituit. Et Papiã reuersus cum ægrotare cœpisset, Hildebrandum nepotem regni consortem successoremq; assumpsit. Fuit deinde pax cum Romanis: qui opibus ditati, Transemundum in patriam reducere constituerunt, eisq; consensit Godescalcus Beneuentorum dux, qui mortuo duce Gregorio se intruserat in ducatum. Et Stephanus patritius iũctus Godescalci copijs, Marsicanos, Furconios, q nunc
B Aquiliani, Valuenses, Pinensesq;, ducati Spoletini populos, in Transemundi ditionem accepit: & ipse Transemundus reliqua recuperauit: sed Romanis ad sua recuperanda ingratus fuit. Audientes tamen Romani Liuthprandum cum magnis copijs reuerti à Transemundo deficere noluerunt: sed iunctis copijs, illi ad Fanũ Fortune occurrerũt. In syluis commissum est prælium: ubi Rachisius dux Foroiulianus qui Liuthprãdo militabat, prouocantem alterum Longobardum ex parte ducis Spoletini, sella deiectum in paludes præcipitem egit, reliqui fugam petiere, & Stephanus in urbem redijt. Liuthprandus Spoletum obsedit, captisq; circumuicinis oppidis, Romã ducere statuit. Interim mortuo Gregorio secũdo, Zacharias græcus subrogatus est. Qui mittens ad Liuthprandum, auxilia contra Transemundũ promisit, si pacẽ Romanis, & quæ prius abstulerat redderet: cunctaq; impetrauit. Transemundus his cognitis, regis clemẽtiæ se permisit. Quo in clericum detonso, Agiprandus Liuthprandi nepos successor datus est. Et Godescalcus dum in Græciam fugere parat, à Beneuentanis interfectus, uxor et filij nauibus euaserunt. Differebat tamẽ rex Romanis restituere quæ abstulerat. Ideo Zacharias Narniam ad eum profectus est: qui octauo milliario ei occurrit, equoq; descẽdens in urbem introduxit. Ibi orationem habuit in ecclesia pontifex intra missarum solennia elegantissimam, docens regem ab humano sanguine abstinere, mulierumq; uiolatione
C temperare. Mollitus rex nõ solum quatuor ciuitates ex fœdere restituere statuit, sed insuper Sabinense patrimoniũ quod annis triginta Longobardi tenuerant, & ipsam Narniam. & in Picentibus Anconam & Humanam ciuitates, Sutriniq; agri magnam uallẽ beato Petro & ipso põtifici dono dedit, pacemq; in decem annos cum Romanis firmauit, multosq; captiuos reddidit. Redeuntem Romam pontificem, Agibrãdus dux Clusinus regis nepos, et Ramyngus Tusciæ Castaldio, gentis Longobardæ supremi duces, deduxerunt, atq; in itinere Ortam & alta oppida ei restituerunt. Dum hæc geruntur, Constantinus Leonis tertij filius Hirenem Cacanni Bauarorum ducis filiã accepit uxorem. Quæ cum catholica esset mulier, male cum hæretico iuncta est. Carolus Martelius post exactos Saracenos, omnem Galliam Francorum regi subiecit. Et paulò post mortuo Theoderico rege, Childericum eius germanum ad regnum assumi curauit. Erant Caroli filij duo, Carlomannus & Pipinus: inter quos ægrotans, dominia diuisit: Carlomannus in Bauaria, Metẽsibus & Alemannia: Pipinus in Burgundia & Austria, Francia & Aquitania dominaretur: atque ita obijt. Interea Liuthprandus Rauennam obsidione cingit in qua erat Eutychius exarchus iam reconciliatus. Qui mittẽs ad Zachariam, rogauit ut aduentu suo hostem placaret. Ille legatos misit, & quos rex non curauit, sed Classense oppidum cepit. Quo diruto, Papiam eduxit exercitum. Ad quem pro

fectus Zacharias, omnia quæ de Aemylia & Rauennatibus Anno secundo ceperat, restitui obtinuit, excepta tertia parte oppidi Cæsenatis, quam pro arce retinuit. Post hæc Zacharia Romam reuerso, Liuthprandus moritur, & Hirprandus nepos successor cōstitutus, regno deijcitur. Fama est Hirprandum, qua die à patruo consors regni assumptus est, in publicum exeuntem, lãceum manu gestantem cucurrisse, cuculūq; in hastæ summitate insedisse, querulamq; uocem dedisse: quo ignauiæ augurio deterritos proceres, illo deiecto Rachisium Foroiulianum duce elegisse, cuius suprà meminimus: qui pacem Romanis ad uiginti annos dedit. Interim Leo mortuus est, & Zacharias ad Constantinum successorem, more maiorū, formulam catholicæ fidei per presbyteros misit. Ille medio tēpore classe in Saracenos parata uersus Aegyptios soluerat. Sed Arthaustꝰ quidam concitata plebe imperiū sibi arrogauit. Redijt mox Constantinus, & expugnata ui ciuitate, captum in prælio Arthaustū atq; orbatum lumine, cum suis complicibus in exilium misit: deinde oratores pontificis exaudiuit. Apud Francos autem Carlomānus uoto religionis accēsus, cum paucis comitibus Romam se contulit, & à Zacharia pontifice in clericum ordinatur: & habitum monasticum indutus, in monasterio Casinensi professionem fecit. Pipinus Childerici regis curam suscepit, magnaq; sub eius nomine gessit. Sunt qui dicunt Francorum proceres Zachariam Papam consuluisse, ineptum'ne regem ultrà tolerarent, an Pipinum regia dignitate dignum assumerent. Cūq; respondisset pontifex, eum qui regia melius obiret munera præferendum: Frãcos publico totius gentis consilio Pipinū regē declarasse, Childerico in clericum tōsorato. Per hoc tempus Rachisius Longobardorū rex pacē fregit, & Perusiam obsedit. Ad quem profectus Zacharias, in castris mentē eius mutauit, adeò ut rex Papiā reuersus, Aistulphum fratrē sibi successorem elegerit, ipse cum filijs & uxore Romā petierit, atq; à Zacharia clericus & monachus ordinatus fuerit. Obijtq; deinde Zacharias, & Gregorius patre Marcello eius nominis tertius successor datus est: hic misit Bonifacium episcopū ad Germanos uerbum dei prædicaturum, qui maximā Germanorum partem ad Christi fidem cōuertit. Interea Aistulphus agros Romanorū per Italiam uexare cœpit: quē per munera placatum in annos quadraginta pontifex pacē concedere suasit. Sed quarto mense eam rupit, petēs ut Romani et alij populi singulos aureos in capite collatos, sibi tributum penderent. Pontifex rursus frustra placare annixus, opem à Cōstantino imperatore petijt. Interim Aistulphus Rauennam cepit, & alias ciuitates, quæ semper antea saluæ manserant. Constantinus Ioannē Silentiariū imperialem cum literis ad Aistulphum misit, & Gregorius Paulum germanū suū. Sed nihil præter uerba & quidē aspera reportarunt. Addidit tamen Aistulphus unum ex suis Romam, & deinde ad Cōstantinopolim profecturum. Vocauit in Conciliū pōtifex Romanos, placuitq; mittere Cōstantinopolim Paulum qui diceret, nisi auxiliū daretur, aliunde opem impetrãdam. Inde Aistulphus his pontifici minatus est: Nisi se dederet, futurū, Romani omnes iugularentur. Recurrit Gregorius ad orationes, & processionē iussit fieri. Conatus est & Aistulphum placare. Quod cum frustra ageret, misit germanum ad imperatorem. Sed cum ille nec rediret, nec spem præsidij per literas faceret, missis epistolis per hominem ignotū ad Pipinum, ab eo opem petijt. Pipinus scripsit ut pontifex ad se pergeret: sic enim res postulare. Interim Paulus germanus Papæ, Ioannesq; Silentiarius & Aistulphi regis nuncius è Græcia redierunt: fuitq; imperatoris respōsio, Gregorio Papæ ad Aistulphū properandum esse. Ad quem dum se accingit, Rodhingrandus episcopus & Antharius dux pontificem adeunt, eiusq; transitum in Franciam petunt. Cum quibus ad Aistulphum pontifex profectus, eius malefacta narrauit. Circa uiolationem pacis, petijt restitui ablata. Quæ cum negaret rex, rogatus est à Francis ut Gregorium papam in Gallias transire permitteret. Quod quamuis ille inuitus audiuit, non tamen negare ausus est. Iuit Gregorius in Franciā. Carolus Pipini filius adolescens, qui Magnus postea dictus est, regni fines ingressum, à centesimo lapide ad palatium usq; perduxit. Et Pipinus rex ad tertiū lapidem equo descendens, pontificis pedes exosculatus, illum terra incedens, & frenum pontificis equi regens, ad cubiculum usque deduxit.

Ex libro

A Ex libro primo

secundæ Decadis.

ROfecto in Franciã Gregorio tertio, & Pipino ad res Italicas persuaso, Aistulphus rex Longobardorum cum Carlomanno monacho egit, ut relicto Cassinensi monasterio Pipinum peteret, eicꝙ bellum in Longobardos dissuaderet. Quem Pipinus non modo non exaudiuit, sed profugum aspernatus, in Viennense monasterium relegauit, ubi paulò post mœrens interijt. Dilata est autem expeditio in Italiam usꝙ ad uer nouum. Interim oratores missi ad Longobardum, qui eum restituere oblata suaderent. Quo negante, congregatis copijs alia legatio pariter frustra missa est. Præcesserunt itaque leuis armaturæ milites, qui Aistulphi copias ab Alpium claustris deturbarunt: secutus est uniuersus exercitus, nec moratus donec Papiam obsidione cingeret: & magnæ interea prædæ factæ sunt. Quibus malis commotus pontifex, offerendam Aistulpho pacem suasit, si modò ablata restituerentur. Aistulphus adulationibus usus ac fallacijs, plura promisit quàm peterentur, adiecta sacramenti religione. Ob quam rem Pipinus in Franciam reduxit exercitum, relicto Varnerio uiro præstanti, qui conuentorum executionem procuraret. Gregorius & Varnerius Romam petiere, restitutionem ablatorum expectantes. Sed Aistulphus contractis tumultuarie copijs Romam perrexit atꝙ obsedit, omnemꝙ suburbanum agrum deuastauit, maiori detrimento quàm antea per trecentos quadragintaquatuor annos postquam imperium declinauerat. Gregorius ad Pipinum legatos misit per mare qui eius reditum impetrarẽt, cum quibus & Varnerius fuit. Audierat iam Pipinus Aistulphi motus, exercitumꝙ comparauerat. Per hoc tempus Turci Asiam inuaserunt: Halanos primo, post Colchos & Armenios: inde Asiæ minoris populos: ad extremũ Persas Saracenos. Fueruntꝙ Turci Scythæ, ex his quos Alexandrum Macedonem inter Hyperboreos montes ferreis clausisse repagulis beatus Hieronymus affirmat. Conuenit autem inter Saracenos & Turcos, ut restituto Persarum regni nomine, quod Saraceni Focæ & Eraclij temporibus in suum confuderant, Turci per se appellarentur. Inter hæc apud Constantinopolim pestis quantum unquam antea grassata est. Constantinus audito Ioanne Silentiario de rebus Italicis, & intellecto quod Pipini auxilium quæreretur, eundem Silentiarium & Gregorium protosecretarium Romam misit, qui ea interturbarent. Sed cum audissent legatos in Franciam missos, & ipsi secuti sunt. Gregorius protosecretarius cũ Massiliam applicuisset, intelligens iam Pipinum in Italiam transiuisse, eum in agro Papiensi conuenit, datisꝙ muneribus orauit, ut Rauennam ac eius exarchatum imperio, cuius esset de iure, non pontifici aut Romanis redderet. Pipinus non se commodi temporalis gratia iam secũdo Italiam petiuisse respondit, sed propter animæ salutem, ne Longobardi ecclesiam lacescant: Rauennam autem eiusꝙ exarchatum & alia de Italia terra uelle ab illis auferre, & pontifici ac Romanæ ecclesiæ tradere. Sic expeditus protosecretarius abijt. Et Aistulphus graui obsidione pressus, ex superioribus pacis fœdere deditionem fecit. Pipinus dimisso abbate Fulcado cum parte copiarum qui pacem exequeretur, in Franciam redijt. Abbas Fulcadus cum legatis Aistulphi singulas ingressus ciuitates Pentapoleos & Aemiliæ, obsides earum ac claues recipiens Romam peruenit. Pentapolis Rauennam continet, Cæsenam, Classem, Forumliuij & Forumpompilij. Secunda exarchatus pars potissima est Aemilia, quæ à Forocornelio, nunc Imola dicta, quicquid uia eiusdem nominis omnium Italiæ celeberrima per Bononiam, Mutinam, Rhegium, Parmam & Placentiam ad Padum usque habet, complectebatur: & hæ ciuitates agrorum fines à summis Apennini iugis ad Padum, sicut & nunc, protendebant. Et Rauẽnæ ager pariter ab ipso Apenini iugo per Fauẽtinos eius agri partẽ ad Padũ, et per Cæsenates Ceruiẽsesꝙ sui itẽ agri portionem à summo Apennino ad Adriaticum pertinebat. Idem etiam ager quicquid terræ uel paludis iacet intra Mincium Padumꝙ, à Veronensis, Vicentini & Paduani agrorum finibus, in Venetorum stagna atque

Adriaticum pelagus, cōplectebatur: ita ut non minus Ceruia, Cæsena, Fauentia, Comaclum & Ferraria, quā aliæ quas sub Pentapoli nominauimus, sub Rauennatibus censerentur. Ipsa igitur exarchatus appellatione cōtinebatur, quicquid à Placentinis agri Papiensis finibus Padum inter Apenninū paludes stagnaq; Venetorum & Adriaticū pertinet ad Ariminum: quam ciuitatem & quicquid intra Isaurū fluuium, nunc Foliā uocatum, Apennino & Adriatico continetur, exarchatui additum fuisse ostendit cōsuetudo iuris ab exarchato dicendi usq; ad hæc tēpora obseruata. Hæc omnia Romano pontifici donata sunt à Pipino. Et ultra hæc Ariminū & Concha postea mari submersa, Pisaurū, Faunum, Vrbinum, Colles Luceoli, Narnia & in Picentib. Esis ac Serra: & oppida Boi bi numero uiginti, à Bois olim dicta: inter quæ Sarsina Plauti patria est caput: Mons feretri: & castella uiginti: castellum sancti Martini, tūc Acermons dictus: Acerra & mons lucati. Distulit tamen Aistulphus Fauentiam ac Ferrariā reddere, causas moræ nectens. Sed apoplexia correptus, in uenatione interijt. Quo audito Pipinus qui ad radices Alpium se continuerat, fraudem eius ueritus, Alpes transiuit. Desiderius dux Hetruriæ Longobardus copiarum præfectus his cognitis arma corripuit regnū inuasurus. Sed Rachisius Aistulphi germanus, quem monachum factum diximus, ea indignatione motus et ipse regnum inuasit, quem omnes Longobardi præter Hetruscos secuti sunt. Desiderius multa pollicitus Gregorio papæ, si se adiuuaret, fœdera cū eo percussit magnis iuramentorum cautionibus roborata. Misitq; pontifex legatos ad Rachisium, & pariter Folcadus abbas: monentes ne Desiderium molestaret. Consensere Longobardi. Et Desiderius regno potitus, Fauentiam, Ferrariamq; ecclesiæ restituit, cessauitq; exarchatus in Italia, qui centum septuagintaquinq; annos durauerat ab eiectione Narsetis, usq; ad capturam Rauennæ per Aistulphum factam. Gregorius æuo plenus, ad anni pontificatus sextidecimi finē uita excessit: cui successit Paulus Romanus patre Constantino. Inter hæc Constantinus imperator ad deponendas imagines intentus, Constantinum Rhegiæ urbis episcopum impietati suæ resistentem, uerberibus affectum capite truncauit, & Nicetam spadonem ei substituit. Thelesium Bulgarorum regem Thraciam populatum prælio uictum repulit. Illum ob rem male gestam sui interfecerunt. Cui subrogatus Sabinus ut imperatorem sibi placaret, imagines sanctorum delere cœpit. Sed interfectus fuisset à suis, nisi fuga prolapsus Constantinopolim se recepisset: in cuius locum Paganus substitutus est. Interim Constantinus Leonem filium eius nominis quartum imperij consortem fecit, & Hirenem Atheniensem cunctis Græciæ puellis pulchritudine prælatam illi uxorem dedit, atq; in odium Christianorum cum Habdalla Saracenorum Ammiratho fœdera percussit, prouincias magnis tributis exhausit. Inter hæc Pipinus Trasillo Bauarorum ducem sibi subegit, & Saxones amicitia sua domauit, trecentos equites in quaslibet expeditiones dare promittentes. Cum Aquitanis octo æstatibus decertauit. Nauferius dux primo prælio sese Pipino permisit, sed eo in remotioribus agente rebellauit. Aduersus quem Pipinus iam senex Carolum adolescentem misit, qui Burboniū, Clarummontem, & multa de Aruernis cepit, adeoq; feliciter pugnauit, ut denique Aquitania Franciæ regno fuerit subacta. Nec diu post Pipinus obijt, Carolo & Carlomanno filiis relictis. Et Paulus pōtifex decimo anno sui pontificatus ad ecclesiā sancti Pauli decessit. Quod intelligēs Desiderius iam Pipini metu liberatus, Tothonē Nepesinum ducē Longobardis amicum impulit, ut Germanū suum Constantinū etiam ui illata pontificē fieri curaret. Is accersitis à Nepeso copijs, earūq; armis stipatus, Constantinū in pontificē prophanatū, ad Lateranense patriarchiū perduxit: quē pars cleri uenerata est. Alij nō multi Philippicum prophanauerunt, qui breui deiectus est. Constantinus pertinaciter egit, & pōtificalia exercuit. Sed postremo in tribus foris, ubi sancti Adriani ecclesia est, clero populoq; congregato, Stephanus Siculus canonice in pontificem est electus. Qui uocatis ex Francia episcopis, concilium Laterani habuit, quo Constantinus damnatus est. Erat tunc Romæ Paulus Affiarta græcus, Constantini imperatoris cubicularius, sub nomine ducatus: sed parum poterat, nisi per factiones malorum: cui occulte Desiderius fauebat, studens ne Franci apud Romanos præualerēt. Venitq; Romā Desiderius sub obtentu religionis,

A religionis, & in basilica beati Petri humillima uerba pontifici dedit, pacemq; iureiurando firmauit. Sed alloquutus Affiartam & Romanos proceres, magnopere autores scismatis accusauit, Affiartamq; reprehēdit quod in eos remissior fuisset, impulitq; ut Christophorum primicerium ac Sergium in populo gratiosos & Francis studentes interceptos priuaret oculis, aliosq; multos in carcerem aut exilium mitteret: atq; ita confirmata græca autoritate recessit. Stephanus tertio & dimidio sui pontificatus anno decessit, successitq; ei Adrianus primus, ex patre Theodoro Romano summæ nobilitatis uiro. Cuius amicitiam quærens Desiderius frustratus est, dicente pontifice, non posse in eo confidere cum toties fidem fefellisset. Interea mortuo apud Francos Carlomanno, Berta eius uxor Ildegardæ Caroli uxoris gloriæ inuidens, Andoarij cuiusdam Franci consilio usa, cum filijs ad Desiderium regem in Italiam profugit: qui benigne receptam in magnam spem amplitudinis erexit, sperauitq; conturbari regnum Franciæ, & se liberum in Italia esse, si Carlomanni filij reges inungerentur. Sed ueritus Adrianum id non nisi coactum efficere, arma in Rauennates mouit, ac Fauentiam, Ferrariam & Comaclum cepit. Gubernabant tunc Rauennam pro Romana ecclesia archiepiscopus & tres tribuni, qui auxilium à pontifice petierunt. Ipse frustra regem hortatus est per oratores, ut ablata restitueret. Necq; enim aliud respondit Longobardus, nisi pontifici ad se transeundum esse si pacem uellet. Interim Montemferetrum, Vrbinum, Genogaliam & Eugubium cepit,
B & in alijs partibus damna intulit. Missa est alia legatio, quæ pariter frustra laborauit. Nā rex ad obsidionē Vrbis uenturum se dixit, duxitq; secū Adalgisium filium & Carlomanni uxorem & filios, Spoletumq; usque peruenit: quo ex loco significauit Adriano pontifici se uenturum. Sed Adrianus suspectam habēs eius significationem, munita Vrbe & reliquis beati Petri ac Pauli basilicis, in Vrbem redactis illisq; clausis tres episcopos ad Desiderium misit, mandans sub anathemate ne fines Romanorum ingrederetur. Veritus eam denunciationem Desiderius, tacitus confususq; Papiam rediji. Interim legati Caroli Romam uenientes, cum accepissent Desiderium nihil reddidisse, ad eum profecti sunt, frustraq; ut redderet rogauerunt, & iussu Adriani ad Carolum rediere. Dum hæc aguntur, Constantinus sanctorum imaginum inimicus, Stephanum fama sanctitatis in Constantinopoli fulgentem occidit: & classis eius duorum millium omnis generis nauium in Bulgaros parata, procellis afflicta est, & magna pars militum amissa. Carolus missis legatis & pecunia oblata, Desiderium mollire statuit. Quod ubi non successit, partem copiarum per montem Iouis misit quæ claustra occuparent, ipse per montem Cinisium iter habuit. Desiderius ex omni Italia uocatis Longobardis, retinere transitum sperauit. Sed ubi iam descendisse Carolum in Italiam cognouit, misso Adalgisio filio & Carlomanni uxore cum filijs Veronam, remissisq; auxilijs in Papiam se recepit,
C ibiq; obsessus est. Quod audientes Spoletani Reatiniq;, sese beato Petro subdiderunt. Habita enim fide publica Longobardi Romam ueniebant, & in beati Petri basilica capillum barbamq; detonsi, Adriano pontifici & beato Petro iureiurando religione adhibita, se suaq; subigebant. Adrianus autem Hildebrandum in gente Longobarda nobilissimum, in Spoleto ducem constituit: cuius ducatus à Tyberi Apenninoq;, ubi Flaminiam, siue exarchatum Rauennatem & Picenam disterminat, Furonenses nunc Aquilanos, Valuenses, Pimensesq; & Frentanos nunc Aprutinos, Marsos, Reatinos, Interannensesq; complectebatur. Cumq; Longobardi complures Romæ habitare uellent, sedem eis in Vaticano concessit, quo plures postea Longobardi confluxere. Dederunt se beato Petro ex Picentibus Firmani, Auximani et Anconitani, capillum detonsi & iuramento adacti, sicut de Spoletinis diximus. Carolus Ildegardam uxorem & filios ex Francia uocauit in castra, & relicto in obsidione Papiæ Bernardo patruele suo cum parte copiarum, ipse Veronam pressurus profectus est. Nec fuit in deditione mora. Nam Berta Carlomanni uxor & filij eius ad Carolum inclinauere, & Adelgisius Desiderij filius ad Constantinum imperatorem abijt. Transpadanæ ciuitates omnes Carolo se permisere. Obsidebatur sexto mense Papia, & Carolus ad festum resurrectionis Romam petijt: cui triginta millia iudicum occurrisse Bibiliothecarius scribit: iudices

appel-

appellans omnes qui sordidioribus exercitijs non essent addicti: Adrianus in scalis basilicæ sancti Petri expectauit. Cuius pedes exosculatus Carolus, cum eo ad altare perrexit, ibiq; mutuo Carolus & pontifex, Romani & Franci, sacramento se astrinxerunt amicitiæ perpetuo seruandæ. Deinde Vrbem ingressus Carolus, Lateranum & alias basilicas inuisit: & nudius abinde quartus donationem à genitore suo factam Gregorio tertio cōfirmauit: quæ ut Bibliothecarius attestatur: à Luna urbe pridem euersa, quicquid Liguria ad Italiæ fines habet continuit: in quo tractu Corsicam insulam ponit. Adiecit Surianum, montem Bardonis, Bercetum, loca Lucam inter & Parmam, ad pontem Tremulum pertinentia. Deinde Parmam atq; Rhegium, quæ licet exarchatus essent, diu tamē in Longobardorum durauerunt potestate. Mutinam Bibliothecarius nō nominat, quia tunc destructa erat. Adijcit Mantuam & Montem silicis: subiungit exarchatū quo uerbo cætera comprehendit quæ ad Rauennam pertinent. Ponit Venetiam atq; Histriam, quarum appellatione Foroiuliensem ducatum cōprehendit. Spoletanum quoq; ducatū atq; Beneuentanum adiungit: & hæc omnia in donatione Caroli asserit contineri. His gestis Carolus ad Papiam reuersus, Desiderium in deditionē accepit, eumq; Leodiū relegauit, et in Papia Mediolanoq; Francos præfecit, qui Longobardos earum regionum usq; ad Alpes tendentium, fouerent, & in pace retinerent. Beneuentanis quoq; & Foroiulianis Longobardis, ex sua gente duces reliquit. Vxorem aūt Carlomanni & filios secum adduxit in Franciam. Adrianus pace potitus, multa in Vrbe ædificia reparauit: inter quæ Sabbatinum aquæductum qui ad Ianiculum ducitur, in quo centum fornices reparauit. Eius tempore Tybris magis quā antea unquam inundauit: & anno sequēti magna fames Romæ fuit, & Adrianus pauperes pauit. Carolus interea domitis Saxonibus qui rebellauerāt, Eresburgum ad amnem Luppiam ædificauit, imposito præsidio ad nouas res impediendas. Interim Saraceni in Aquitaniæ finibus constituti legatos ad eum misere, opem rogantes aduersus regem suum cui rebellare statuerant. Ipse coactis magnis exercitibus Pampilonam perrexit, eamq; urbem diu oppugnatam cum ui cepisset solo æquauit. Inde Pyrenæum transgressus, ad Cæsaraugustam peruenit. Tres Saracenorum reges tunc Hispaniam obtinebant, Ibnalach, Denizes, & Alter: qui diffisi bello contendere, muneribus Carolum placauere, citeriori Hispania sibi dimissa: atq; ita Vasconia & Hispania citerior suo imperio adiecta est. Postea in Saxones duxit qui denuo rebellauerant, cum quibus decennio uario euentu decertauit: in quo tempore Britones Galliam habitantes, lacessentes magis quàm lacessitos prælio superatos sibi fœderatos reddidit. Aregisius dux Beneuentanus Campaniæ urbes Romanis subiectas à Carolo admonitus, pertentare quieuit: quo Salerni mortuo, filij eius cum Græcis accolis bellū gessere. Quæcunque enim à Neapoli Græcis tunc subiecta, & à Siponto nunc Manfredonia, quæ etiam Græcorum fuit, utrinque infero & supero mari ambiuntur, & ipsam Siciliam, imperatores Constantinus & Leo de Italia tenebant. Constantinus in Bulgaros bellum innouauit. Sed illi pacem petiere, quibus facile concessit iam morbo implicatus. Intellexerunt illi cur tam benignum imperatorem inuenissent, bellumq; magnis conatibus resumpserunt. In quos ducens Constantinus quamuis male sanus, ingentem stragem ædidit, triumphansq; domum redijt: exinde morbo elephantiæ perijt. Successor eius ac filius Leo quartus expeditionem in Syriam duxit: sed leuibus factis incursionibus, ubi hostes in se uenturos didicit, domum redijt, flagitijsq; se immersit. Fuit amator iaspidum, coronamq; preciosis ornatam lapidibus ex sacrario sanctæ Sophiæ suo capiti imposuit: quæ propter frigiditatem illum ad interitum perduxere. Quo uita functo Hirenes uxor & filius Constantinus sextus, aliàs septimus, imperium acceperunt. Ea mulier quidem prudentissima fuit & religiosissima fuit, quæ concilium secundum in urbe Nicena trecentorum, & quinquaginta episcoporum congregari curauit, in quo execrantium imaginum uenerationem perpetuo abdicata est hæresis. Sed non tulit diu Constantinus sanctum matris imperium: Hirenem enim ab administratione deiecit, & solus imperans in paterna flagitia prolapsus est, habens in delicijs quamplurimos excæcare. Aduersus quem coniuratio facta est atque detecta. Et Nicephorus Constantini

quinti

A quinti filius cui parabatur imperium, in carcerem coniectus, lingua & oculis mutilatus est. Constantinus Theodoram Mariæ uxoris cubiculariam ardens, ut ea licetius potiretur, uxorem in monasterium detrusit, & adulteram imperiali corona decorauit. Interim Carolus Saxonib. domitis, cũ Tassillo Bauarorum dux recõciliatus ab Adriano rebellasset, in eũ duxit, & tripertito exercitu illum inuasit. Territus Tassillo deditionem fecit, Theudonemq; filiũ dedit obsidem: & paulò post cũ sperneretur à Francis, cum ipso filio monachus effectus est. Cõstantinus interim sextus Græcos suos in Italia cõstitutos iussit arma sumere in uicinos: qui Spoletanum agrũ ac Beneuentanum populati sunt. Sed Hildebrandus Spoletanus cũ Beneuentanis ducib. in eos delatus, magnam cladem illis inflixit. Et Carolus interea Sclauos Danubij ripas incolentes, una æstate perdomuit, atq; in Hũnos duxit: (melius Vngaros appellauerimus Pãnonias incolẽtes) & paratis in Austria nauibus descendit, eosq; magna cæde superatos in deditionem accepit. Hisq; peractis Franconiam inuisit, genitale olim solũ. Vbi biennio peracto Cleophylatius & Stephanus episcopi ab Adriano missi, Germanorũ Francorumq; episcoporũ congregarũt: in qua hæresim Felicianam, & Synodum de imaginib. deponendis, quã Græci falsò appellant septimã, damnauerunt. Saxones interim quamuis accepta fide rebellant: ex quibus Carolus triginta millia interfecit, obsidesq; duxit in Franciam. Per id tempus Adriano

B defuncto, Leo tertius creatus est pontifex. Et Hirenes Constantini mater flagitia filij non ferens, à ciuibus impulsa Constantinopolim rediens, captum imperatorem oculisq; priuatum coniecit in carcerem: qui illic mortuus est. Turbulentæ erant tunc res imperij. Hunni recens, & Saxones diu antea totiesq; subacti, à Carolo defecerant: & Bauari Foroiuliensibus Longobardis bellum intulerant: & Saraceni in Hispanijs, hinc Barchinone, inde Olisippone Christianos accolas infestabant. Carolus in Saxones ducens, filium Pipinum misit in Vngaros, Henricumq; Francum Foroiuliensem ducem à Bauaris Italiam custodire iussit, & aduersus Saracenos Aldefondo Asturiæ & Galatiæ regi auxilia misit. Pipinꝰ Vngaros multis prælijs superatos in deditionẽ accepit. Henricus per legatum suum Ringũ gentis Bauariæ ducem prælio uictũ, interfecit. Aldefondus superatis Saracenis Olisipponẽ cepit, spoliorũ partem Carolo misit. Et Zatus qui pro Saracenis Barchinonẽ tenebat, ad Carolũ defecit. Atq; in hunc modum res Christianorum leuatæ sunt. Interea Leo tertius dum cleri processionem à beato Gregorio institutã Romæ peragit, excitato tumultu Pascalis primicerij & Campuli presbyteri machinationibus interceptus est apud sancti Syluestri ædem, adeoq; male habitus, ut lingua ei præcisa & effossi oculi uiderentur. Nudatus pontificali amictu, multo madens cruore, apud sancti Erasmi monasterium in custodia est habitus. Bibliothecarius asserit eum hoc in loco sermonem uisumq'ue diuino nutu recuperasse, cum linguam & oculos antea perdidisset.

C Albinus cubicularius nocte concubia custodes fallens, pontificem ad beati Petri basilicam perduxit, latuitq; pontifex donec Vinigisius Spoletanorum dux accersitus, cũ cohorte ad Spoletum eum deduxit. Leonis & Albini paternæ domus ab inimicis direptæ & destructæ sunt. Leo mox ad Carolum properauit qui erat in Saxonia, & pariter Pascalis ac Campuli nuncij, accusatores Papæ, eo peruenere. Carolus cum honesto comitatu pontificem Romam remisit: cui ad pontem Miluium clerus cum omni populo obuiauit. Ipse uero Carolus aduentu suo in Italiam promisso, conuentum in Aquisgranio habuit, in quo ante omnes monachum audiuit, qui à Hierosolymorum patriarcha munuscula quædam attulerat: deinde Adzani Hostensis Hispaniarum urbis præfecti nuncium, qui ipsam dedens urbem, præfectum & Saracenos omnes illam inhabitantes Christianam fidem accepisse renunciauit. Tertio loco Danielem Michaëlis Siciliæ præfecti legatum, qui amplissimas pollicitationes ab Hirene imperatrice attulit. Quarto loco legatos Belearium insularum munera afferentes & gratias agentes pro auxilijs contra Saracenos habitis. Quorum dona cum læto uultu Carolus accepisset, se & sua eidem dedidere. Vltimo loco Guido pacatam à se Britanniam retulit, & spolia in foro collocauit. His actis Carolus per Maguntiam, Viennam, Noricos atque Histriam in Foroiulium uenit, Taruisonosq; pœna affecit, quorũ fraude

fraude dux Henricus fuerat occisus: & instituto nouo duce, Rauennam, & deinde Romam petijt. Vbi exceptus magnis honoribus, octaua die populo cleroq; in basilica beati Petri conuocato, cōsedentibus episcopis Francis atq; Italis de causa pontificis sententiam rogauit. Quorū simul omnium responsio fuit, sedem apostolicam quæ dei ecclesiarum caput sit ac magistra, à nemine iudicari. Quo audito pontifex ambonem conscendens, dixit se prædecessorum suorū uestigijs incedētem, obiectis falso criminibus postridie responsurum. Et mane conuenientib. cum Carolo & omni populo prælatis, pōtifex ambone conscenso, euangelia Christi cernuus tenuit, & iureiurando affirmauit sese insontem esse. Erat is dies iduum Decembris anni salutis octingentesimi. Inter hæc Pipinus Beneuentanus populatus agros Romam redijt, relicto Vinigisio Spoletano duce apud Luceriā, qui Beneuentanos coërceret. Et pontifex Leo celebratis solennibus apud beati Petri reliquias, Romani populi scito ac precibus, Carolum imperatorē Romanorum declaratū diademate decorauit: acclamante ter populo, Carolo Augusto à deo coronato magno & pacifico imperatori uita & uictoria: inunxitq; eum pontifex unà cum filio Pipino, quem regem Italiæ declarauit. Carolus ad octauam diem Campulū & Pascalem capitis reos damnauit. sed interuentu pontificis relegauit in Franciam. Sunt qui dicunt Leonem Carolo ius dedisse pontificum Romanorū, episcoporumq; per orbem Christianum eligendorum: quod nec bibliothecarius nec Alcuinus nec Sicardus scriptores habent: Stephanumq; Leonis successorem constat à populo Romano creatum fuisse. Ducentis iam & triginta duobus annis gens Lōgobardica maiori Italiæ portione potita fuerat, nec iam aliquid externi præter nomen retinebat. Et in Hetruria quidē Spoletino, Beneuentano, Eporegiensi ac Foroiuliensi ducatibus, qui uetusti essent Itali aut Longobardi, non satis erat discernere. Soli apud Rhegiam, Papiæ, Mediolaniq;, & per Transpadanæ Italiæ regiones nutriti, gentis suæ delectum superbe tuebantur. Quare neque tutum uidebatur ejcere gētem tam multis Italiæ populis sanguine & affinitate coniunctam, neq; humanum delere. Placuit igitur & imperatori & pontifici, Longobardicum ibi nomen remanere, ubi ea gens præcipuam sedem habuisset: exarchatumq; et Rauennatem, Romandiolam appellari. Græcos aūt Carolus bello persequi & Italia ejcere constituit, relicto Pipino ad eam rem peragendam. Leo Romæ manens ecclesiā sancti Pauli quæ terræmotu corruerat instaurauit. Pipinus frustra obsessa Beneuento, ad Theate se contulit, eamq; urbem ui cepit atq; incendit: & deinde Ortonam atq; Luceriam in deditionem accepit. Hirene imperatrix legatos ad Carolum pro pace misit, & Carolus ad eam. In Luceria uero captus est Grimoaldus Beneuētanorum dux, qui ibi Vinigisium ualetudine correptum interceperat. Nec aliud Pipinus cum Grimoaldo pepigit, nisi ut relictis oppidis quæ tenebat Papiam migraret, quæ cum Mediolano Longobardis dimissa erat. Inter Carolum & Hirenem facta est imperij diuisio. Italiæ partē quæ ad dexteram Neapoli, ad sinistram Manfredonia incipiens, supero inferoq; mari clauditur, ad Siciliam, Constantinopolitana tenuit imperatrix. Beneuentanus aūt gentis Lōgobardæ dux, etsi græco magis fauebat, neutri tamen imperatorum subditus erat. Pariter altera in Italiæ parte Veneti, etsi græco magis consentiebant quam Romano, non tamen in illius omnimoda potestate erant. Carolus occidentale imperium instaurabat, & Hirenes orientale. Sed hanc Nicephorus patricius dolo captam in Lesbum insulam relegauit, & occupato imperio pacem cum Carolo cōstituit. In cuius fœderibus affirmant scriptores cautum esse, ut Veneta urbs Italiæ maritima utrunq; reuerita imperatorem, proprijs uteretur legibus: & siue bello siue pace, nullarum partium censeretur. Inter hæc Carolus nouis prælijs rebellantes Saxones domitos, eos qui Transalpina incolebant cum mulieribus & infantibus in Franciam transtulit. Gothifredus Danorum rex cū magna classe ad Saxonum littora concessit, & pace cum Carolo constituta, profugos Germanos quorum motus timebantur, ex fœdere reddidit: Carolus in Franciam redijt. Leo interim Romæ molestos Romanos habebat. Sed audito miraculo de Christi sanguine quod Mātuæ apparuit, cuius certitudinem imperator petebat, sumpta occasione pontifex Mantuam petijt, & comperta ueritate transiuit ad Carolum, indeq; rediens Fortunato

A nato patriarchæ Gradensi, quod sibi accommodissimus fuisset, pallium concessit. Inter hæc Aron Ammirathus Saracenorum, cum trecentis milibus in Asiam Nicephoro subiectam duxit. Nicephorus ut pacem consequeretur, trecenta millia aureorum in annos singulos promisit, & Scaurationem filium imperij consortem declarauit. Qui rupta genitoris pace multa à Saracenis diuersis in locis accepit incommoda. Carolus audito Fortunato Gradensi patriarcha qui Venetos sibi infideles asseruit, Pipinum in eos misit: Heracliam & Equileium inuasit, unde multæ nobilium familiæ Venetias migrarũt. Vocauit aũt ad se filios Carolus Magnus: & Carolum ex concubina susceptũ natu maiorẽ in Sclauos, id est, Bohemos ac Polonos ducere iussit, qui uicinos Saxones infestabant: quorum ille ducem interfecit & agros populatus est. Per hæc tempora Veneti & Dalmatæ multis muneribus Carolo donatis, amicitiã cum eo iunxerunt. Sed Niceta patricius à Nicephoro imperatore missus cum ingenti classe, eos fœdera rumpere & ad partes suas redire compulit. Mauri inter hæc Corsicã inuasere, sed duce Ademaro Franco Genuæ comite. Pipinus eos prælio fudit: in quo Ademarus pugnans occisus est, & Carolus per legatos Nauarros ac Pampilonenses qui ad infideles defecerant, in deditionem accepit. Vexarunt & Sardiniam atq; Corsicam rursus Mauri qui Taraconensem prouinciam obtinebant, quos Bucharœdus Caroli legatus pepulit è Corsica: Sardi uero quinque

B millia eorum interfecerunt.

Ex libro secundo

secundæ Decadis.

CVm Carolus Danos per Carolum filium Romano imperio subijcit, & Saracenos Hispaniã prementes per alium filium Ludouicum agitat, & Saraceni Thraciam uastant, Nicephorus missa classe Populonium Hetruriæ urbem uiribus ac fraude captam diripit: & Niceta patritius Comaclum inuadit, Venetis ac Dalmatus adiutus militibus. sed à Pipini præsidio reiectus Venetias se recepit: quæ urbs annis trecẽtis quinquaginta steterat, populo & opibus aucta. Cuius duces pacem in Græcum & Francum frustra tentauere. Interim Saraceni Sardiniam & Corsicã insulas populati, mortales omnes abegerunt, paucis admodum relictis senibus. Interea Pipinus cũ se à Venetis deceptum intelligeret, bellum in eos mouit, eosq; terra mariq; inuasos sibi subiecit, ut scribit diaconus Aquileiensis Paulus. Quidam hanc subiectionẽ factam dicũt priori bello, cum Pipinus Heracliam et Equileium cepit. Hoc tẽpore Carolus imperator intelligens Gothfredum regem Danorum Frisones inuasisse, eisq; prælio superatis centum argenti libras tributum imperasse: aduersus eum mouens, dũ apud A-

C larum fluuiũ quà Visarã ingreditur die dicta expectat, duos nuncios accepit: alter Gothfredum à suo satellite interfectum, alter Pipinũ filium Mediolani defunctum refert. Redeunti Aquisgraniũ tres legationes adiere: Nicephori imperatoris, Ambulachi Saraceni Hispaniæ regis, & Eumingi qui patruo Gothfredo, successerat Danorum regis: quibus pacem petentibus celeriter annuit, & pro pace Nicephori legatos Constantinopolim misit. Interim Carolus filius, qui Germaniæ limites obseruabat, morte subtractꝰ est. Et Nicephorus imperator implicitus bello Bulgarorum multis uictorijs usus, pacem Caroli accipere differebat. Sed prælio cum eisdem Bulgaris in superiori Mesia commisso, superatus occubuit: & Stauratius filius secũdum aurem in eodem prælio uulneratus, Constantinopolim reuersus imperium assumpsit. Quẽ tertio imperij mense Michaël sororius eius deposuit, atq; illi successit, & cum oratoribus Caroli pacem percussit ea conditione, ut Michaël orientem cũ Constantinopoli, & Carolus occidentem cum Roma haberet. Paulus etiam Hispanias Græco cessisse dicit: & Gothfredus Viterbiensis Venetiam urbem ea conditione in Græci partibus mãsisse ait, ut immunitatibus pridem à Carolo habitis per Italiam uteretur. Misit aũt Carolus Bernardũ ex Pipino nepotem ad regendam Italiam, Vualio sibi adiuncto, alterius Bernardi patruelis sui filio. Qui cognoscentes Saracenos ex Hispania bipartito exercitu Corsicã atq; Sardiniam inuasisse, opẽ

R ferentes

ferentes insulanis classem hostilem in Sardinia deleuerunt, alteram fugauerūt: & Ambu- D
lach Saracenus Hispaniæ rex pacem cum Carolo renouauit. Ipse uero Carolus Grimo
aldo Beneuentano duci, qui unicus ex Longobardorum reliquijs supererat, imperato
tributo uigintiquinq; millium aureorum pacem dedit. Et deinde post legationes Con-
stantinopolim frequenter missas, & deinde receptas in conuentu apud Aquisgranium
habito, Ludouicum filium Aquitaniæ regem & imperij Ro. consortem assumpsit, Ber-
nardum uero nepotem Italiæ regem appellauit. Inter hæc Saraceni Carthaginem inco-
lentes Corsicam inuadunt: dumq; præda onusti uersus Hispanias nauigant, ab Ermen-
gario comite, qui Maioricam pro lege Italico gubernabat inuasi, prædam et octo naues
cum quingentis captiuis amiserunt, & cum reliqua classe Italiam circumacti, Centum-
cellas impetu captas uastauerunt, et deinde Narbonēsis prouinciæ littora populati sunt.
Mox Sardiniam ingressi, eamq; uastātes, ab Ermengario rursus inuasi, multis amissis na
uibus mœsti abierunt. Michaël uero græcus imperator cum aliquandiu aduersus Bulga
ros prælians superior fuisset, postremo apud Adrianopolim uictus fugatusq; copias at-
que animum amisit: Constantinopolimq; reuersus, mox imperio se abdicauit: Leoq; illi
suffectus est Pardi patritij filius. Qui Chrunnum Bulgarorum regem Adrianopoli poti
tum, & in Constantinopoli arma uertentem, eruptione facta circa urbis mœnia interfe-
cit: quæ res orientale imperium pacauit. Sed apud occidentales Carolus Magnus septua E
gesimoprimo ætatis suæ anno uita excessit. Inter hæc Mabarmad Ammirhatus Sarace-
norum Haldalæ fratri cōgressus, cum se prælio inferiorem & propè uictum cerneret in
fœdus cōsensit, ut ambo essent Ammirhati. Quod primores gentis ægre ferentes, in Am
mirathus locū quatuor tyrannos creauere: quorum unus Aegyptū & Aphricam occu-
pauit, duo Hispanias inter se partiti sunt, quartus Palæstinam ac Syriæ loca cepit. Ludo-
uicus autem imperator cognomento Pius, cognita patris morte, Aquisgranium uenit,
Leonisq; græci imperatoris legatos audiuit, pacemq; cum eo pepigit. Ad quā cōfirman
dam & ipse oratores ad Leonem misit, Bernardumq; regem Italiæ ad se uocauit, & Lo-
tharium filium natu maiorem Bauaris, Pipinum uero alterum filium Aquitanis guber-
natorem dedit. Ipse uero comitante Bernardo rege in Danos ducere statuit, eo quod E-
roldum & Ranfredum reges imperio parentes, à filijs Gothfredi regno pulsos reducere
intenderet. Sed horrida hyems impedimento fuit, pelago glacie concreto. Hyemauit igi
tur ad Parbrunium, quæ est Saxoniæ ciuitas. Interim Leo primores Romanorum qui
suam in mortem conspirauerant supplicio affici curauit: ideo Bernardus rex in Italiam
missus, motum qui de ea re timebatur, sedauit: suadentibusq; Sardis, pacem cum Ambu
lach Saraceno Hispaniæ rege iam uita functo constitutam, rumpere statuit. Quo tempo
re Leo pontifex apud Bleram ægrotare cœpit, & Romani omnia ædificia quæ ille ponti
fex uel construxerat uel instaurauerat, inaudita rabie demoliti sunt. Pontifex paulò post F
obijt, & Stephanus quartus illi suffectus est: tertio mense in Franciam pergens, Ludoui
cum apud Aurelianos inunxit & coronauit. Eoq; tempore cum Signiuius Vasconiam
gubernans magistratu fuisset amotus, Vascones ab imperio defecerunt. & pariter Sala-
nius Abderitorum regulus Germanici oceani insulas colens, Gothfredi filijs aduersus
Eroldum regem Danorum imperio fidelem adhærens, Vascones facile domiti sunt. Ma
ius negocium cum Danis fuit, Saxonibus ægre cum illis pugnantibus. Qui tamen po-
stea occasione capta cum Salanio & Gothfredi filijs conflixerunt: illisq; prælio fusis, E-
roldum in paternum Daniæ regnum reduxerunt. Ipse uero Ludouicus Britones rebel-
lantes prælio superauit, & Murmanium ducem qui regium sibi nomen usurpauerat, in
uinculis ad se perductum capitali supplicio affecit: habitoq; conuentu apud Aquisgrani
um, legatis Saracenorum Cæsaraugustam incolentium pacem dedit: oratoribus uero
græcis qui de rebus Dalmatarum Romanorumq;ue egerant, curaturum se dixit ut ma
gistratus Vrbis satisfaceret. Interea Stephanus quartus Romā reuersus obijt, & Pasca-
lis primus ei successit, ciuis Romanus: qui quod à clero populoq; Romano absq; impe
ratoris autoritate præter obseruatam diu consuetudinem electus esset, ad illum scribēs
suam innocentiam, à cleri populiq; uiolentia purgauit. Ludouicus cuncta bene accepit,
& pacta

A & pacta prædecessorum seruari iussit, atq; in conuentu apud Aquisgranium Lotharium primogenitum imperij consortem declarauit: Pipinumq; secundum filium Aquitaniæ, & Ludouicum tertium Bauariæ reges appellauit. Bernardus interea rex Italiæ à nonnullis episcopis & magnatibus deceptus, imperatori rebellans claustra Italiæ muniuit, & ciuitatum populos in suum nomen iurare compulit. Sed nihil ualuere fatui conatus. Ludouicus enim magnis exercitibus Italiam petens, mox admissus est. Nobiles Itali proditionis rei iugulati sunt. Bernardus uero quamuis ad misericordiam confugisset, in Franciam cum episcopis ductus est, ibiq; iudicio in Aquisgrani habito gladio percussus: & episcopi Synodali decreto depositi per monasteria relegati sunt. Moxq; ad Britones rebellantes Ludouicus duxit, Viomarchumq; tyrannum ad regnum aspirantem congredi ausum, in prælio interfecit. Quo tempore Ermẽgarda mortua est imperatrix, quæ tres filios reges superstites reliquit. Tunc quoque Lindeutus inferioris Pannoniæ tyrannus qui superiorem uexabat bello uictus, facta deditione ueniam impetrauit. Et apud Constantinopolim Leo à Michaële domesticorum comite interfectus est, imperiumq; Michaëli per arma commissum, anno inclinationis imperij quadringentesimodecimo: quo tempore imperator Romanus Lotharium filium Italiæ regem constituit, quem Pascalis in basilica beati Petri perunxit, & Augustum appellauit. Non tamen satis aliqui obe-
B diebant imperio: unde Lotharius Papiam ad genitorem se contulit, à quo maiores copias obtinuit. Interim Theodorus primicerius & Leo nomenclator in patriarchio Lateranensi excæcati & obtruncati sunt. Quod facinus in pontificem relatum est: & imperatores pro uindicta aditi sunt. Illi legatos misere: qui XXX episcoporum coacta Synodo per Pascalem, in qua ille iureiurando se purgauit, & interfectores absoluit, rem ut gesta erat ad imperatores detulerũt: qui omnia in bonam partem accepere. Bibliothecarius de pietate Ludouici multa dicens, renunciasse illum asserit priuilegio de eligendis episcopis, quod Adrianum Carolo concessisse scripsit. Idem imperator in literis suis enumerans imperij terras, in Tuscia Aretium, Volaterras, Clusium, Florentiam, Pistoriam, Lucam, Pisas, & Lunam ad imperium pertinere dicit: cætera iuri ecclesiæ uidetur relinquere, Perusium, & Vrbem ueterem in Hetruria, Tudertum in Vmbria: & ultra Apenninum Romandiolam & Rauennatem exarchatum Rom. ecclesiæ iuribus ascribit. Pascali octauo anno sui pontificatus defuncto, Eugenius secundus substitutus est. Et Lotharius in Italiam uenit, posuitq; Romæ magistratum qui ius populo diceret: sub Carolo enim & filijs ac nepotibus Romani uera libertate usi sunt, quam prius petulantissime usurpauerant: & deinde ad genitorem redijt, qui per quadraginta dies ferro atque igni Britanniam deuastauerat, & acceptis obsidibus Rothomagum petierat: ubi Michaëlis Græci imperatoris oratores audiuit de cultura imaginum consulentes, quos ad Rom. pontifi-
C cem remisit. Bulgaros Pannoniam inuadentes repulit, & petentibus pacem dedit. Sed uiolantes eam, ac per Danubium & trans Sclauos subigentes non facile potuit auertere, cum Aido Aquitaniæ præfectus rebellasset, Abdecamanniq; Saracenorum regis auxilia recepisset. Nec missi duces aduersus eum multum profecerant, Hispaniæ citerioris urbibus ad Saracenos deficientibus, et magna classis à Cæsaraugusta Aidoni missa esset auxilio, duce Aburmane consanguineo Abderanani regis. Bernardus tamen Barchinonis comes genere Gothus, in fide imperatoris mansit. Aduersus quem Aburmanes & Aido profecti, Barchinonensem, Gerundensemq; agrum crudeliter uastauerunt. Interim Romæ Eugenio papa defuncto, Valentinus primus suffectus est. Illiq; rursus trigesimo seu quadragesimo diem decedente, Gregorius IIII. ciuis Romanus successit. Et Saraceni per Asiam manentes, sacrosancta Palæstinæ loca fœdantes, aditum ad ea Christianis præcluserunt. Et Mauri in Siciliam delati, magna incendia commiserunt. Michaël imperator Venetis inhibuit ne mercimonia occidentis in Asiam perferrent, mandauitq; ut classem in auxilium Siculorum mitterent. Iustinianus Particiatus ducatum Venetum regebat: quo regente corpus beati Marci ex Alexandria Venetias translatum est per mercatores qui contra edictum illuc nauigauerant. Sed Saracenis in Sicilia præualentibus, Veneta classis non congredi ausa, re infecta redijt: abierunt tamen illi præda

onusti. Quæ intelligens Gregorius ad Ludouicum & Lotharium legatos misit, Christianis aduersus Barbaros suppetias petituros. Illi aliam legationem ad Michaëlem græcum misere, ne communibus iuribus bellum gereretur. Interea Bonifacius Corsicæ comes cum fratre Bectario & aliquibus ex Tuscia classe parata, inter Vticam & Carthaginem excensione facta, quater congressus cum hostibus, maximam commisit mortalium cædem, & prædam ingentem abduxit. Atque hæc res fuit quæ Saracenos ex Sicilia propemodum subacta in patriam reduxit. Sunt qui dicant, dum hæc aguntur, Lotharium ægre ferentem quod pater Carolum natu minimum, cui postea Caluo fuit cognomentum, in gratia sibi præferret, ipsi patri uincula indidisse: interimq́ue Mauros classe ingenti in Italiam traiecisse, atque in Centumcellensi portu, qui nunc Ciuitas Vetus appellatur, excensione facta, proximum ipsum Centumcellense oppidum ui captū demolitos Romam duxisse eaq; potitos esse. Sed minime uerum est. Vaticanum suburbium ferro & igne uastauerunt: basilicam sancti Petri fœdauerunt: iniecto igni tecta & materiam omnem absumpsere, conatiq́ue sunt Vrbem expugnare obsessam. Sed Guidone Lombardiæ marchione opem ferente, obsidione soluta, inter Appiam, Latinam atque Ostiensem uiam frequentia ædificia, & beati Pauli basilicam igne cremarūt, & ad saltum Cassinensem delati, sancti Germani oppidum ac celebre monasterium exciderunt, & ad Lirim fluuium descendentes in mare, Tarentum & Siciliam inuaserunt: E quo tempore Michael imperator græcus, & Ludouicus latinus, & Gregorius pontifex, intra eundem ferme mensem obierunt. Osporci beati Petri sedem accepit: qui ob deformitatem nominis mutare uocabulum coactus, est Sergius appellatus. Hinc mutandorum nominum consuetudo sumpta. Inter Francos uero propter regni successionem ingens odium exarsit: & in Antissiodorensi agro apud Fontanicum fraternæ acies conflixere, Ludouico & Carolo fratribus aduersus Lotharium fratrem contendentibus: in quo prælio tanta cædes facta est, quanta unquam antea inter Francos. Victus Lotharius Aquisgranum fugit, atque inde disturbatus, per Lugdunum cum coniuge et filijs Viennam se contulit: quem etiam illic fratres insecuti sunt. Ad quos pacandos multi proceres profecti, interquos Gregorius Rauennas archiepiscopus cum trecentis equitibus perrexit: qui priusquam pax concluderetur, in secundo prælio apud Lotharium repertus cuncta perdidit, & solus ex fuga prolapsus est. Pax postea constituta est in hunc modum: Carolo occidentalis pars regni à Britannico oceano usque ad Mosam fluuium obuenit, in qua maneret Francorum nomen. Ludouico Germaniæ terra cederet usque ad Rheni fluenta & trans Rhenum, quicquid genitor possedisset. Lotharius cum imperij titulo Romam haberet, & Italiam ac prouinciam Galliarum Romanam, cum ea Galliarum particula quæ inter Scaldum & Rhenum fluuios, Lothoringiæ nomen accepit. Interea Theodosius quem Michaël cum classe aduersus Saracenos miserat non ausus illis congredi, à Venetis sexaginta triremium classem obtinuit: F cui coniunctus in Saracenos duxit. Illi uela uentis dedere, Tarentina obsidione soluta. Sed apud Crotonium casu magis quàm consilio Sabbas Saracenorum dux cum Christianis conflixit, uictorq́ue omnes Venetorum naues cum militibus aut cepit aut mersit. Theodosius cum paucis Constantinopolim fugit. Elatus uictoria Sabbas in Dalmatiam ducens, Auserense oppidum ui captum expoliauit, & octo Venetorum naues mercimonijs onustas à Syria redeuntes, in sinu Tergestino cepit, mortalesq́ue omnes trucidauit: Anconam ui captam spoliatamq́ue incendit. Interea Normanni quibus Emergis appellatio fuit, duce Romano eorum rege classe per Ligerim ingressi, Aquitaniam omnem deuastarunt, Heriam insulam & monasteria cremauerunt: Burdegalam, Sanctonam, Engolisinam, Lemouicas, Parisios, Turonium, Beluarum, Nouiomagum, Aurelianos, Pictauosq́ue populati sunt: Carolo Caluo Britonico bello implicito, quod quinque annis gessit, non audente illis occurrere. Vicit tamen Carolus Britones, & Homeuoio primo, ac Crispoio deinde eius filio ducibus prælio superatis atque occisis, Lemouicæ urbis se regem ungi curauit, & in Franciam redijt. Eoq́ue anno qui fuit à bello Fonteuentino quintusdecimus, Lotharius imperator imperio se abdicauit, & mona-

Ro. pontificū nomina quando primū mutari cœpta.

A & monasticum induit habitum. Ludouicus uero in suo Germanico regno diem obijt. Carolus igitur imperatoris assumpto nomine Romam se contulit: & à Ioanne octauo pontifice coronatus, illico in Franciam redijt: ubi compositis rebus rursus in Italiam redijt. Interea Carlomannus & Carolus Ludouici filij, Calui nepotes, contractis exercitibus in Italiam properant: Caluus Veronam petere statuit, Tridentinos saltus nepotibus clausurus: sed apud Mantuam languore detentus, uenenata potione quam Sedechias Hebræus quo medico utebatur dedit, mortuus est. Ea re cognita, Ioannes pontifex annixus est ut Ludouicus Calui filius, cui Balbo cognomen fuit, rex Franciæ, imperator declararetur. Quidam uero ex nobilitate Romana Carolum tertium Germaniæ regem, qui cum fratre Carlomanno exercitum in Italiam ducebat, imperatorem fieri studuerunt, captumq'ue pontificem in custodia habuerunt. Ille uero fuga prolapsus ad Ludouicum Balbum regem in Franciam se contulit: ubi per annum moratus, & inuncto rege Ludouico, à Carolo tertio Romam uocatus redijt, eumq; etiam inunctum imperij diademate ornauit. Carolus uero paulò post in Normannos duxit, Franciam & Lothoringiam uastantes: quos adeo pressit, ut Rothifredus eorum rex pace petita, Christianum se fieri permiserit: quem imperator de baptismatis fonte leuauit. Interim Romæ Ioanne octauo, & paulò post Martino secundo & Adriano tertio uita functis, Stephanus quintus pontificium accepit, anno salutis octingentesimo nonagesimoquinto. Huius pontificatus tempore Carolus à regni Franciæ primoribus, tanquam inutilis deiectus est, suffectusq; est illi à Francis in Romanorum imperatorem Arnulphus quidam obscurissimo natus loco. Franciæ autem regno primum Carolus puer, cognomine Simplex, præfectus: deinde eo deiecto Roberti quondam Saxoniæ ducis filius Otho subrogatus est. Desijt autem in Arnulpho gens Francorum Romanum imperium possidere, quod annis circiter tenuerant. Inter Hæc Normanni quos diximus in Aquitania prædatos, trecentarum & sexaginta nauium parata classe Constantinopolim duxere, suburbanisq'ue illius spoliatis atque incensis, in mare Britannicum rediere. Paulò ante hæc tempora Saraceni Cretam insulam ingressi ea potiti sunt, & ab Ancona usque Hydruntum loca in Adriaticum uergentia incenderunt: & Bulgari cum prius scismatici fuissent, catholicam fidem acceperunt: quorum rex relicto filijs regno monachus est effectus. Et Sueropilus Dalmatiæ rex Christianam fidem accepit, Adriano secundo sedente, qui apud Constantinopolim Synodum haberi curauit. In qua cum depositus esset Focas Constantinopolitanus patriarcha, nihil factum quod pro salute Christianorum Papa quærebat, sed inueteratum iam Græcis cum catholicis discidium recruduit. Eodem tempore classis Veneta è Tarentino sinu Saracenos fudit. Et paulò post Ioannes nonus qui Adriano successerat, quintam Synodum apud Constantinopolim fieri curauit, in qua trecenti & octuagintatres episcopi fuerunt. Sed nihil ibi aduersus Saracenos decretum est. Ob quam rem Saraceni ex Creta digressi, Dalmatiæ ora uastata ad Gradum urbem usque populati sunt: cepissentq'ue urbem, nisi Veneti obsessis opem tulissent. Post hæc Adrianus tertius sacrata lege sanciuit, ne imperatoribus ultra liceret pontificum Romanorum electioni aliqualiter se ingerere. Interim Hunni, Scythica gens, magno numero finibus egressa, ad consanguineos Vngaros Pannonias incolentes peruenit: quos cum mitiores factos reperisset, & primo Bauaros, deinde Vngaros appellatos, proprijs expulit sedibus, atque crudeliter ibi dominata est, crudis & aliquando humanis carnibus uesci solita. Post quorum aduentum paucis annis Arnulpho imperante, Longobardi ea loca incolentes, quæ nunc Lombardia dicitur, Romanis aduersari cœperunt: qui Romani nullum ab Arnulpho auxilium habentes. Berengarium Foroiuliensem ducem Roma oriundum sibi imperatorem crearunt. Non tamen concordes fuere, alijs Guidonem Spoletinum ducem regem Italiæ declarantibus. Hunni interim siue Vngari Germaniam Galliamq'ue populati sunt. Et Guido cum Berengario in Italia confligens, apud Hetruscos superatus, in Vmbriam se recepit. Berengarius Arnulpho fœderatus est, qui sibi auxilia non parua

Ann. salu. DCCCXCV.

B, C (margin section letters)

transmisit. Sed paruo usui fuerunt, cum ambas partes diuturnitate belli eneruari quæ- D rerent. Arnulphus in Italiam uenit, & capta Bergamo ciuitate, eiusq'ue comite Ambrosio suspendio necato, Romam petijt, & à Formoso Papa coronatus, redijt in Franciam: ubi scatente per omne corpus pediculorum multitudine, mortuus est. Guidone defuncto, Lambertus filius regnum accepit Italiæ. Bonifacius quintus Formoso successit, qui diebus tantum quindecim uixit, eiq'ue Stephanus sextus subrogatus est. Ludouicus Arnulphi filius eius nominis tertius, à Francis ac Germanis patri subrogatus est. Lamberto pariter defuncto, Spoletani atque Hetrusci Lotharium sibi filium in regno Italiæ substituerunt. Ludouicus dum Vngaros domum redeuntes in Germania conatur opprimere, magnam ab eis cladem accepit, & pacem auro ab eis redemit. Illi in Græcos ducentes, multas ciuitates occupauere: & Bulgaris prælio superatis, eos sibi tributarios fecere: transeuntesq'ue in Italiam Berengarium cum quindecim millibus armatorum in Foroiulio occurrentem bello uictum fugauerunt: Taruisium expugnatum diripuerunt: & in Venetos ducentes, Ciuitatem nouam incenderunt: Equilium caput aggeris, Clugiamq'ue populi sunt: & in Riuumaltum irrumpere conati, plures dies assumpsere. Postremo uictoriam non sperantes, in agrum Paduanum duxere. Quo ex loco accepta pecunia & obsidibus à Berengario, Italia excesserunt. Apud Græcos autem Constantino puero qui fuit Leonis filius, orientale imperium tenente, quidam nomine & origine Romanus, quem Leo classis præfectum E instituerat, pueri tutelam primo, deinde imperium per arma dolumq'ue occupauit. Cui cum Calabri & Apuli parere recusarent, Saracenos ex Africa in eos uocauit: qui non solum Calabros & Apulos, sed Lucanos, Salentinos, Campanosq'ue uastauere, & usque ad uicina urbis Romæ loca populati sunt. Ioannes uero decimus pontifex Romanus Tauxignano Romandiolæ oppido natus Romæ timens, Albericum Hetruriæ Marchionem, quem aliqui fratrem suum fuisse affirmant, in auxilium accersiuit: qui habito Romæ delectu, cum Saracenis confixit, eosq'ue urbis finibus pepulit, usque ad Lirim fluuium persecutus. Qui magna clade accepta, montis Gargani arcem munierunt, ibiq'ue se receperunt, Italiam uexantes. Sed Albericus per ingratitudinem Romæ pellitur, & apud Ortam Hetruriæ oppidum se recipiens, in ultionem Romanorum Vngaros inuitauit in Italiam. Qui ruptis cum Berengario fœderibus habitis, non in Romanos, quos offendere Albericus cupiebat, sed in Tuscos, quos saluos esse uolebat copias duxerunt, maribus ac fœminis asportatis: & aliquandiu per singulos postea annos reuersi, si quid reliquum, abraserunt. Itaque infelix Italia, à Tyberi usque in Calabros, & ab Aterno fluuio, qui nunc Piscaria dicitur, in Salentinos & Tarentinum sinum, à Saracenis uastabatur: & ab eisdem fluminibus ad alpes Vngari diripiebant. Nam Berengarius eam solum partem Italiæ F tuebatur, quæ nunc Lombardia uocatur. Inter hæc Ludouicus Bosonis prouinciæ Romanæ: & Burgundiæ regis filius, per Taurinos saltus Italiam est ingressus. Quem Berengarius secundus prælio superatum, captumq'ue, ea conditione dimisit, ut nunquam ultra Italiam cum exercitu ingrederetur. Nominauimus secundum Berengarium, non tradita morte primi, quia nihil de ea apud scriptores inuenimus. Id autem compertum est, à Berengarij primi initio ad Othonis primi ex Germanis legitimi imperatoris coronationem, à Ioanne duodecimo pontifice factam, annos quinquagintaquinque intercessisse. Qui Otho Berengarium tertium in Lombardia regnare permissum, postea in exilium egit: & sex, siue imperatores, siue reges, Italia oriundos, Italici habuerunt: tres Berengarios, Guidonem, Lotharium, & Albertum: inter quos Rodulphus Burgundus, & Vgo Arelatensis regnauerunt. Interea Ludouico apud Germanos Francosq'ue imperatori defuncto, successor Conradus Austriæ dux, fuerat declaratus. Et Ludouicus Bosonis Burgundio contra iusiurandum Berengario secundo præstitum, per Tridentinos Italiam ingressus, Veronam cepit: ubi à Berengario captus, excæcatusq; abire permissus est. Berengarius

cum

A cum Vngaris pacem firmauit: qui Alemanniam denuo populati sunt: & Romani Alberti Spoletani regis auxilio freti, Hortanum obsidentes oppidũ, Albericum illuc Marchionem cepere, suppliciumq; de eo sumpsere. Saraceni uero Garganum tenentes, Beneuentum obsidione captum incenderunt, Romanorumq; fines inuaserunt: qui, Guidone quodam duce, eos represserunt. Adeoq; Italis animi defecere, ut in pluribus oppidis Saraceni simul & Itali habitarent. Sed Guido, pulsis Saracenis, in urbem regressus, Ioannem pontificem decimum de se ac Romanis optime meritum, interfecit: cui Leo sextus subrogatus est. Et illi ad sex menses defuncto, Stephanus sextus, siue ut alij uolunt, septimus successit. Interea Vngari Alemanniam, Alsatiam, Saxoniamq; populantes, ab Henrico Germaniæ rege apud Morespurgam magna clade afflicti sunt. Et Rodulphus Burgundionũ rex aduersus Berengarium secundum, in Italiam uenit, eumq; fauore proditorum regno pepulit, in cuius locum tribus annis regnauit. Deinde Vngari ad quos Berengarius confugerat, Salardo duce in Italiam uenientes, Papiam ui captam ferro & igne magna ex parte uastarunt. Itali autem, quos Rodulphus non satis tueretur, Vgonem Arelatensem comitem in Italiam uocauerunt. Cui cedens absq; contentione Rodulphus, in Burgundiam se recepit. Vgo uero suspectos habens qui se uocauerant, multos in exilium misit: qui ad Arnoldum Bauarorum ducem confugientes, illum in Italiam duxerunt, & Veronenses eum intra mœnia receptum,
B regem Italiæ uocauerunt. Vgo copias aduersus eum duxit, & prælio commisso, uictor euasit, Veronamq; recepit. Berengario secundo apud Vngaros, siue, ut alij uolunt, Sueuos defuncto, Berengarius tertius primi Berengarius ex filia nepos in Italiam uenit, anno Christi noningentesimo trigesimoquinto, temporibus Stephani, siue (ut alij uolunt) Ioãnis undecimi papæ. Quo tempore Saraceni Africã incolentes omnẽ Hetruriæ oram maritimã populati sunt: & Genuam circũacti, urbem graui obsidione pressam ceperũt, omnibus qui arma induerant trucidatis, impuberibus ac mulieribus classe abductis: qui breui postea reducti sunt. Hoc tempore Stephano mortuo, & paulò post Ioanne undecimo, Leo septimus subrogatus est, & tertio eius pontificatus anno Henricus Germaniæ rex obijt: cui successit in regno atque imperio Otho filius Matilde susceptus Theodorici Saxoniæ regis filia. Quo regnante Vngaros Saxones inuadentes, Saxones ipsi uictos pepulere. Et Berengarius Italiam ingressus, ut primum Vgonem aduersus se uenientem intellexit, retrocedens abijt in Sueuiam. Interim magna fames uexauit Italiam. Et Agapito secundo post Martinum tertium, in papam assumpto, Berengarius cum maioribus copijs redijt in Italiam: ad quem mittens Vgo, pacem cum eo pepigit, ea lege, ut se Italia excedente Lotharius filius & Berengarius Italiæ reges appellati, æquo iure omnia administrarent. Viguitq; aliquot annis solo nomi-
C ne consortium, quod Berengarius acri uir ingenio, Lotharium spreuit, apud Papiam cum uxore Alunda, nobili ac famosissima muliere se continentem. Vgo apud Arelatum paulò post obijt: & Henricus Bauariæ dux, Aquileia capta, in alias urbes ducebat. Vngari Italiam inuasuri, Iustinopolim petiere: quos Henricus progredi molientes duobus prælijs superatos, in Vngariam repulit: ipse uero omnem agrum ab Aquileia usque Papiam populatus est, ibiq; nauibus conscensis, in agrum Paduanum redijt, Berengarium contra se uenientem timens: & deinde in Austriam se recepit. Taxis uero rex Vngariæ in Italiam cum exercitu irrupit, quem Berengarius pecunia placatum remisit. Lotharius solo nomine rex, defunctus est. Cuius uxorem Alundam, ne cui nuberet, Papiamq; dotalem traderet, in carcerem trudit: & se imperatorem appellans, Albertum filium, regem Italiæ nuncupauit. Interim Agapitus pontifex, & multi Italiæ proceres, Othonem in Italiam uocauerunt. Qui per Forumiulij cum quinquaginta armatorum millibus ingressus, Berengarium & Albertum regno Italiæ deturbauit, Alundam Lotharij relictam ex carcere eductam uxorem duxit, Berengario & Alberto superatis ueniam dedit, Lombardiamq; omnem, Aquileia & Verona excepta, gubernandam permisit. Et in Germaniam reuersus, ex Alunda uxore filium suscepit, cui Othoni postea secundo fuit appellatio. Rebellauerant interim Ludouico regi Franciæ mul-

ti proceres, inter quos Vgo magnus Parisiensis comes Othonis sororius. Aduersus quos Otho uiginti legiones duxit, Ludouicoque regnum restituit. Albertus Berengarij filius apud Rauennam constitutus, Comaclensium nauigio mercatores Venetos infestauit. Veneti classe parata, Comaclum captum incenderunt. Interim Agapito defuncto Romano pontifice, Albericus quidam ciuis Romanus potentissimus, per uim & factionem Octauianum filiuum suum pontificem creari obtinuit, qui Ioannes duodecimus est appellatus, uitæ parum laudabilis: uenationi enim & libidinibus erat deditus. Romæ tunc duo consules erant ex nobilitate, & præfectus unus pariter nobilis, qui populo ius dicebat. Ex plebe autem duodecim decuriones eligebantur, qui uicem senatus tenebant. Romanis autem obediebant uicinæ Hetruriæ oppida, intra Vrbeuetanũ, Tudertinum'que agrum, & quicquid à Neapoli, Beneuento'que, & à Marsis, Reatinis'que ad urbem spectat. Vlteriora partim Græci, partim Saraceni tenebant. Picenũ & Spoletanum agrum incertum est quis tunc rexerit. Berengarius cum filio Lombardiam & Romandiolam tenebat. Otho rebus Franciæ ordinatis, Boizlaum Bohemorum regem domuit & Vgonem comitem Parisiensem compescuit. Aduersus Vngaros Germaniam uastantes pluribus diebus decertauit, solis noctibus prælio intermisso: eosque tandem ad internecionem deleuit. Tres in eo prælio capti reguli, in potestatem Othonis uiui sunt perducti: quos Germani laqueo suspensos, prohibente imperatore necauerunt. Ad quem tot uictorijs gloriosum duo Cardinales literas miserunt, orantes ut Romanam ecclesiam aduersus Ioannem, & Italiam aduersus Berengarium, liberaret. Moturus Germania imperator, filium ex Alunda Othonẽ apud Aquisgranũ Germaniæ regem coronauit. Ioannes duodecimus Cardinales qui Othonem uocauerunt comprehendit, & alteri nasum, alteri manum amputauit. Otho Italiã ingressus, Berengarium & Albertum filium in potestatem accepit, & alterum Constantinopolim, alterum in Austriam relegauit. Ambo uitam in squallore finierunt.

Ex libro tertio

secundæ Decadis.

OThonem Romam petentem, à Ioanne pontifice duodecimo honorificentissime susceptum, coronatum'que quidam tradunt: alij à Leone octauo, quorum opinionem in Decretis secutus est Gratianus. Priorem sentẽtiam Sicardus & Crescentius probant. Lateranensis autem Bibliothecarius Ioãnis tempore Othonem uenisse Romam dicit: & quamuis imperatorem appellat, quisquis eum diademate ornauerit, subticet. Institit apud Ioannem Otho multis uerbis, ut à flagitijs temperans, uitam pontifice dignam duceret: cumque ille obaudiret, archiepiscopos & episcopos Italiæ conuocari curauit, coram quibus pontifex argueretur. Sed pertinax in turpitudine Ioannes, Romam fugiens, in montibus delituit. Populus ac clerus Leonem Romanum ciuem & Lateranensis ecclesiæ scriniarium, qui fuit eius nominis octauus, in pontificem elegit: & Otho confirmauit, atque ad Spoletum se transtulit, Sed populus Romanus à cõsanguineis Ioannis instigatus, eiecto Leone Ioannẽ reuocauit. Leo ad Othonem imperatorem confugit. Quem dum reducere etiam per arma Otho præparat, Ioannes post paucos menses quã rediret Romæ obijt. Quidã in adulterio deprehensum fuisse, cõfossumque tradunt. Romani Benedictũ diaconẽ subrogari ab imperatore petierunt. Et cum ille recusasset, nihilominus in beati Petri sede pro pontifice locauerũt. Indignatus ea re imperator, arma in Romanos mouit. Quos magnis cladibus affectos Benedictũ dedere, & Leonẽ pro præsule recipere coëgit, atque in Germaniã redijt. Benedictus apud Hauspurgã relegatus, paucos post menses obijt: & Leo ad tertiũ mensem superstes fuit. Intra quod tempus tradũt Martinus Cusensis & nõnulli alij, Leonem ipsum clero & po. Ro. eligendi pontificis autoritatem abrogasse, & in imperatorẽ transtulisse. Sed Leoni defuncto, à clero, populoque Romano Ioannes tertiusdecimus subroga-

A subrogatus est. Hunc Romani persecuti sunt, dederuntq; operam ut Iofredus in Campania comes armatis stipatus, eum in Lateranēsi patriarchio caperet, & in Adriani molem, atque inde in Campaniam perduceret. Sed cum Iofredus & unicus eius filius à Ioanne Capuano principe trucidati essent, Ioannes pontifex ad undecimum mensem suæ calamitatis Romam rediit. Otho his cognitis, cum filio paratissimum exercitum ex Germania ad urbem reduxit, consulesq; ac præfectum cum decurionibus in carcerem coniecit, qui capturæ pontificis causa fuerant. Consules in Germaniam deportati sunt, decuriones eleuatione suspensi laqueo necati. Petrus præfectus ludibrio per urbis plateas compitaq; tractus ac flagellatus, deinde in Germaniam deportatus est. Inter hæc Sclaui qui sub Adriano secundo & Sueropilo Dalmatiæ rege Christiani facti sunt, Saracenos magna occasione facta ex monte Gargano pepulerunt, & magnam eorum partem Italia eiecerunt: quorum reliquias Vngari postea confecerunt, & oram omnē à Saracenis liberatam Græcis redimentibus reliquerunt. Sed dum Ioannes tertiusdecimus in carcere agit, Saraceni ex Africa in Calabriam delati, Consentiam primariam urbem ui captam incenderunt, sicut archiepiscopus eius urbis scribit. Pandulphus autem Capuæ princeps Ioannis frater, qui Iofredum interfecit, imperatori suasit, ut exercitum in Calabriam mitteret. Missus est Otho filius, ad cuius aduentum Saraceni Italiam reliquere. Conflixit ergo cum Græcis pluribus in locis Otho iunior, qui cum Saracenis confœderati, contra imperatorē fuerunt: quos multifariam afflixit, atq; penè omni Calabria, Apuliaq; eiecit. Sunt qui dicunt idcirco Othonem Græcos persecutum, quia Nicephorus eorum imperator filiam suam sibi desponsatam tradere noluerit, ac propterea Græcos eum interfecisse, & Ioanni filio imperium demandasse. Nec dubiū est, quin Otho secundus post Theophaniam Ioannis imperatoris græci sororē in matrimonium acceperit, quam Ioannes tertiusdecimus simul cum uiro in Lateranensi patriarchio coronauit. Pater enim consortem imperij filium esse uoluit: in qua solennitate Capuana ecclesia metropolitana effecta est: & imperatores in Germaniā rediere. Paulò post Otho primus in Vienna Austrasiorū obijt, & Ioānes tertiusdecimus Romæ: cui Bonum secundum nonnulli successisse tradunt. Bibliothecarius pro Bono, Benedictum ponit, eius nominis sextū: qui à Cincio ciue Romano in castellum sancti Angeli trusus, uitam ibi finiuit. Suffectū Bonifaciū septimū ciuem Romanū, tanquā minus canonice electū Romani quartodecimo mēse Constantinopolim relegarūt. Successit Benedictus septimus. Quo tempore Otho secundus, Henricū Bauarorū ducem sibi rebellem, domuit. Interim Lotharius rex Francorū Lothoringiā Romani imperij prouinciā occupauit, et Aquisgranensem agrū populatus est. Ob quā rem Otho imperator Franciā ingressus, Laudunensium, Suessionūq; uastatis agris, Parisiorū suburbia incendit. Rediens tamē C apud Axonam fluuium dum traijcit, accepit incommodum, pluribus ab insequēti multitudine interfectis. Interea Basilius, Constantinusq;, Constantinopolitani imperatores, Ioanni genitori defuncto suffecti, Syriam primo populati, Cretam pulsis Saracenis receperant. Et in Italiam profecti, conductis mercede quos ex Creta pepulerant. Saracenis, Matheram urbem de Apulia destruxerunt, prouinciāq; illam cum Calabria facile in deditionem acceperūt. Quibus cognitis Otho, cum coniuge in Italiam uenit, & deinde classe delatus, Dalmatia uastata Romā petijt. coactisq; maximis copijs, apud Basentellum cum græcis imperatoribus conflixit, & penè ad internecionem amisso exercitu superatus, turpi fuga in scapham conscendit, & à piratis ignorantibus quis esset captus, in Siciliam perductus est: ibiq; cognitus promissa pecunia liberatus est: & à Siculis Romā remissus, de piratis suppliciū sumptū. Otho cū in Romanos qui primi ex prælio fugerant ulcisci non auderet, in Beneuentanos paris culpæ reos excāduit, eamq; urbem incendit, asportatis exinde Bartholomæi apostoli reliquijs, & in insula Romæ collocatis, quæ primo Iouis hostia, postmodū Lycaonia dicta est. Et ipse Romæ obijt, apud basilicam beati Petri sepultus. Bonifacius septimus, quem Constantinopolim relegatum diximus, genitoris Ferrucij potentia in Vrbem redijt, & Ioannē quartumdecimū cepit, & in castello sancti Angeli interfecit. Ipse uero in sua sede repositus, undecimo intrusio-

intrusionis mense apoplexia suffocatus est. Proceres Romani Ohone mortuo, qui Romæ frequentes erant, alij Othonem tertium secundi filium, Germaniæ regem: alij Henricum Bauariæ ducem primi Othonis ex fratre nepotẽ imperatorẽ poscebant. Sed cum Crescentium Numentanum & alios quosdam Italos ad resumendum imperium nitentes cernerent, omnes in Othonem consensere. Qui prius quã Romam peteret, ad cõponendas res Germanicas undecim assumpsit annos. Interim Bonifacio septimo, Io annes quintusdecimus Romanus, patre Leone presbytero successit. Cuius tẽpore Crescentius se consulem præferens, Vrbis dominium cepit, parumq; obtemperantem ponti ficem male tractauit. Ille indignatus in Hetruriam fugiens, Othonem in auxilium accer siuit. Sed Crescentius missis ad eum agnatis & amicis qui remanserant in Vrbe, multa promittens, redire suasit. Venienti cum senatu & magistratibus occurrit, pedesq; oscu latus est. Sed uenit paulo post Otho, & à Crescentio, cæterisq; Romanis obedienter receptus est. Obijt interim Ioannes quintusdecimus: & Gregorius quintus, Othonis cõsanguineus, ipso iubente imperatore assumptus est. Sed cum abijsset in Germaniam, ad imperatorem transijt. Romani Crescentium consulem creuere, permissa summa po testate. Is Ioannem quendam græcum episcopum Placentinum literis ornatissimum et pecunijs affluentẽ pontificem declarauit, cuius nomen aliqui supprimunt, aliqui sextũ decimum seu septimumdecimum uocant. Crescentius muros Vrbis, portas'que muni uit, & molem Adriani magnopere fortificauit: unde postea castellum Crescẽtij appella tum est. Sed cum imperator cum exercitu Romam uenisset, urbem'que obsedisset, po pulus ad misericordiam confugit, Germanosq; patentibus portis admisit. Crescentius & Ioannes consilio inopes, in arce sancti Angeli se abdiderunt. Cumq; ui capi non pos sent, dolo deprehensi sunt. Nam spe salutis data, cum ambo ad imperatorem se confer rent, in itinere intercepti, Crescentius confossus est, & Ioannes oculis orbatus. Tunc Gregorius quintus post undecimum mensem suæ fugæ restitutus, sanctionem de impe ratoris electione fecit, anno Christi millesimo secũdo, quã huc usq; per annos supra qua dringentos seruatam uidemus: solis licere Germanis principẽ deligere, qui Cæsar & Ro manorum rex appellatus, si à Romano pontifice confirmetur, imperator & Augustus nominetur. Electores sex constituti sunt omnibus noti, quibus additus est septimus rex Bohemiæ. Gregorio defuncto, Ptolemæus Sergium tertium suffectum tradit: alij Ioan nem decimũseptimũ ponunt: quod ad decimũ mensem mortuo, Syluester secundus sub rogatus est natione Aquitanus, qui tũc erat Rauẽnæ archiepiscopus. Eo defuncto Ioan nes decimusoctauus successit. Et huic decedẽti suffectus est Sergius quart9 Romanus: quo tempore magna fames afflixit Italiã: & Michaël Cathalaicus apud Cõstantinopo lim imperabat, Calabriam & Apuliã de Italia tenens. Siciliam Saraceni premebant: & Gulielmus Normannus cognomento Ferrabach, Hetruriæ partẽ & omnem Romã diolam possidebat: quem à comitibus Romandiolæ originem duxisse tradit Consenti nus archiepiscopus, sic inquiens: Tancredo bis seni liberi fuerunt, Samus, Gothfredus, Drogo, Tancredus, Gulielmus cognomine Ferrabach, Gunfredus, Malogerius, Ro bertus cognomento Guistardus, Rogerius, Alberedus, Gothfredus, & Frumentinus. Ferrabach cum Capuano & Salernitano principibus fœdere icto, Malochum quoque græcum pro imperatore Calabriam & Apuliam gubernantem, in societatem traxit, ex peditionemq; in Siciliam illi suasit, pactione adhibita, ut quadrifariam omnia capta di uiderentur. Profecti duces, pulsis Saracenis Sicilia potiti sunt. Sed Malochus prædã inæ qualiter diuidens, Siciliam pro imperatore tenuit. Dissimulauit iniuriã Gulielmus, & lõ go itinere Apuliã ducens, Melphiam circũsedit, & in deditionẽ accepit: occurrentemq; Malochum prælio superatũ fugauit, & magna Apuliæ parte potitus est. Obeunti Gre gorio papa, Sergius qui & Benedictus octauus Tusculanus successit: redijt'q; tunc in Italiam Otho, & Romæ mortuus est. Cadauer eius in Germaniam reportatum fe runt, ueneno à Romanis necatum. Germani electores tunc primũ annũ incarnationis tertio supra millesimũ, concesso iuri innitentes, Henricũ Bauariæ ducẽ Cæsarem decla rarunt: qui annis duodecim suum in Italiam distulit aduentũ, in Gallijs occupatus. Inte rim Sara-

An. sal. M. II.

Cæsaris eligẽdi ius quando Germanis sit concessum.

A rim Saraceni Capuam ceperunt, & Barum obsederunt. Barensibus fame laborantibus, Veneti annonã importauere. Nec tamen soluta obsidio est, sed paulòpost Græci simul & Veneti classe coniũcta, Saracenos ipsos multis occisis repulerunt, octauo circiter & millesimo anno post Christi ortũ. Sequenti anno Turci Hierosolyma capta, à dominici sepulchri, ecclesiarumq́; montis Sion, & Bethleem uiolatione, diuino munere temperarunt. Adriensis populus Venetorum fines uastauit. Sed apud Lauretum conuictus, ad eam inopiã perductus est, de qua postea nunquã leuari potuit. Comite Gulielmo Normanno defuncto, Drogo frater in Apulia successit: quem missus ab imperatore græco Mel primo impetu penè expulit. Sed instaurato exercitu, superatis Græcis, amissa recuperauit. Henricus Romam ueniens, à Stephano octauo imperator appellatus, coronatusq́; est. Et Capuam ducens, Saracenos inde expulit: Bubaganumq́; Meli suffectum, quia Saracenis fauerat, bello acerrimo est insecutus. Erexerat per id tempus Bubaganus in Apuliæ finibus Troiam urbem à fundamentis, in loco cui Castra Hannibalis prius appellatio fuit, eãq́; græcis habitatoribus adimpleuit. Moxq́; ad eam nouam urbẽ Henricus admouit castra, dedẽtesq́; se ciues benigne excepit. Laudatur hic Hẽricus, quod cum Sinegunda uxore sua castitatẽ seruauerit & continentiam: cuius suasione Stephanus Vngariæ rex cum populo sibi subiecto Christi fidẽ accepit. Ferturq́; & ipsum imperatorem & Sinegundã miraculis clarere. Huius Hẽrici tẽpore Florentini Fesulas cepe- B re, ex cuius populo ac ruinis adaucti sunt. Obijt aũt Henricus anno quarto & uigesimo supra millesimũ nostræ salutis: eoq́; anno Michael cognomento Athenacus, uel, ut alij uolunt, Cathalaicus, Græcorum imperio potitus est. Stephano octauo pontifice defuncto, successit frater suus Ioannes, eius nominis undeuigesimus: quem alij episcopum Portuensem, alij laicum fuisse tradunt. Et in Germania Cõradus Sueuus, qui apud Hẽricum ordines duxerat, Cæsar electus est. Tunc multi in Italia, uel populi, uel principes, in libertatem se erexere. Venit autem Conradus cum ualido exercitu, Mediolanũq́; obsedit, suburbia incendit, eo proposito, ut urbem quoq́; rebellem igne cremaret. Sed admonitus à Coloniensi antistite recessit, cum ille intra missarum solennia beatum Ambrosium urbem tuentem uidisset. Romam itaque profectus, à Ioanne decimonono coronatus est: & inde in Sclauos, Vngarosq́; duxit, qui rebellantibus Italicis auxilia promiserant, illosq́; depressit. Tunc defuncto apud Constantinopolim Michaele Cathalaico imperatore, Michael Etheriachis successit, cui uxor fuit Zoi mulier præstantissima. Græci ac Normanni apud Aufidum amnem, inter se decertarunt, succubuerũtque Græci. Rodulphus Burgundionum rex, cum plurimas suorum seditiones cõpressisset, nec tamen quietem nancisci posset, Conradi se permittens, regnum illi Burgũdionum submisit: quod imperator in prouinciam redegit: & Burgundia postmodum lon- C go tempore imperialis dicta est. Ioanni undeuigesimo defuncto, Benedictus nonus successit. Cumitus rex Anglorum deuotione ductus, Romam uenit, & domum repetens, filiam suam Henrico Conradi filio in matrimonium collocauit. Conrado uita functo, Henricus filius eius successit, eius nominis secundus, qui aduersus Oldericum Bohemorum regem dubio Marte pugnauit: sed altero anno reuersus. Oldericum prælio superauit, cepitq́;, & tributarium factum dimisit. In Vngaria dissidentes de regno proceres, Petrum regem pepulere, Alboino illi substituto. Petrus ad Henricum confugiens, illius auxilio restitutus est. Venit enim in Vngariam Henricus, & Alboinum deiecit. Romani interim Benedictũ nonum Vrbe eiecerunt, & Ioannẽ Basinensem episcopum illi suffecerunt, Syluestrũ tertium appellantes: qui nouẽ & quadraginta diebus apostolicam sedem occupauit. Et Benedictus nonus restitutus, uno mense & diebus uno atq́; uiginti cathedram tenẽs, Ioanni Archicanonico sancti Ioannis ad portã Latinam patrino suo uel uendidit, uel permisit: qui sextus Gregorius est appellatus, & anno uno & septem mensibus dimidioq́; sedit. His cognitis Henricus magnas copias secũ ducẽs, Romã petijt, & congregata synodo, Benedictum nonum, Syluestrũ tertiũ, ac Gregoriũ damnari obtinuit. Et Sindegetus Bambergensis episcopus, cui Clementi secundo fuit appellatio, in eadẽ synodo assumptus est, qui Henricũ secundum coronauit, Romanosq́; iureiurando

Ann. salu. M.XXIIII.

iurando adegit, ut à pontificum electione abstinerent. Trāsijt Henricus usq; Capuam, & cōposita prouincia per Romā in Germaniā redijt: per quod tempus Saraceni Scuni oppidum de Calabris occuparunt. Et interim mense nono sui pontificatus Clemens ueneno extinctus est: quod illi parasse creditus est Stephanus qui successit, Damasus secūdus appellatus, natione Bauarus, cui Bagnario fuit cognomen, & dies tātum tres ac uiginti uixit. Romani ad imperatorem misere usque in Saxoniam, qui pontificem daret. Is Brunonem episcopum Tullensem, uirum simplicem ad papatum promouit. Cui per Vesuntium in pontificali habitu Romam petenti, abbas Cluniacensis, & Ildebrandus monachus Soana Hetrusca urbe oriundus, fortè obuiarunt. Qui cum ueluti apostatam corripiētes, suaserūt ut Papalia ornamenta deponeret, ab imperatore nō habēte potestatem concessa: eūq; peregrini habitu indutū Romā duxere. Qui ad Cardinaliū cleriq; & populi cōspectū perduct9, se uelut incautū accusauit, qui paruerit imperatori, rogauitq; ne sedem Petri diutius uacare sinerent. Clerus suadente Ildebrando Brunonē ipsum in pontificem elegit, Leonem nonū uocatum: qui Ildebrandū diaconum cardinalem creauit. Interim Drogone Normānorum comite in Apulia defuncto, Hunfredus frater successit. Cui mortuo, alter frater Gothfredus substitutus est. Et Guarimaro Salerni principi etiam Normanno à suis interfecto, Gisulphus subrogatus est. Hæc gens ambitiosissima Beneuentum urbem Romano pontifici subiectam occuparūt. Aduersus quos Leo pontifex cum auxilijs imperatorijs profectus, in prælio superat9 & captus est: quē Normanni honore maximo affectū Romā remisere. Qui paulò post obiens, Ildebrando Romanam ecclesiam commendauit. Interim apud Constantinopolim Constantio monacho uita functo, Theodora uirgo Zoi imperatricis soror duobus annis imperium prudentissime administrauit. Eaq; obeunte, Michaël cognomento Nouitus per arma imperator est factus: qui eodem anno ab Isacio Cōmeano deiectus imperio, monachus est effectus. Isacio item post quatuor annos per arma pulso, Cōstantin9 cognomine Ciochysis accepit imperium. Et in Italia Leoni nono successit Victor secūdus, ex Bauaria oriūdus: qui Ildebrandū ad Henricū imperatorē misit, cū ille in extremis ageret. Henricus, Henricū tertium filium suum Othonem Ildebrādi autoritate fretus Cæsarē dixit. Et Victori mortuo post annos duos & menses tres, Fredericus natione Lothoringus, abbas Cassinensis suffectus est, Stephanus nonus appellatus. Per cuius tempora Mediolanēsis ecclesia, quæ per ducētos fermè annos à subiectione sanctæ Romanæ ecclesiæ se subtraxerat, prima inter alias eam maiorem, superioremq; recognouit. Stephano ad octauū mensem Florentiæ defuncto, quidam Romani dissentiente clero episcopum Velitrensem in pontificē assumpserunt, Benedictumq; uocauerunt. Et Agnes Henrici tertij mater, Guibertum Parmensem nobilem clericum regni Italici administratorem instituit. Gothfredus Matildis comitissæ maritus, in Italia potētissimus erat. Matildis mater fuit Beatrix. Henrici secundi imperatoris soror, quæ Bonifacio cuidam nupsit nobili & ditissimo proceri, Luca urbe Hetrusca, uel potius agro illius oriundo. Incertū tamen est an ex hoc marito, an ex alio Beatrix Matildim genuerit. Matildis uero Gothfredum & alterum uirum habuit, uiduaq; remansit, mulierum clarissima. Hæc cum uiro Gothfredo Lucam in Hetruria, Parmam, Rhegium & Mantuam in Longobardia possidebat, & terram quæ nunc sancti Petri patrimonium appellatur. Per quod temp9 Mintio Velitrensi episcopo in Romanum pontificem intruso, cum cardinales & episcopi liberam electionem facere non possent, Senas se contulerunt, ibiq; Gerardus Forentinus episcopus canonice electus, & Nicolaus secundus appellatus. Qui uir prudens, formam pontificum Romanorum à cardinalibus eligendorum instituit, quæ tertia & uigesima distinctione inter Decreta continetur: & concilium generale apud Sutrium conuocauit: in quo Matildis & magnus dux Gothfredus eius uir, & Guibertus administrator Italiæ, seu Cancellarius, & episcopi Lombardiæ, Hetruriæ, ac Romandiolæ, ut puniretur intrusus, concurrentes: illi resciens deposito pontificali amictu, Velitras remeauit: & Nicolaus Romam petens, summis honoribus exceptus est. Et Gothfredus Normannus, qui Drogoni fratri in Apuliæ Calabriæq; comitatu successerat, moriēs Bagelardū

A filium successorem instituit. Quod frater eius Robertus cognomento Guistardus intelligens ægre tulit: & nepote per arma pulso, ducatum Apuliæ, Calabriæque accepit, adiecta Troia, Romanis pontificibus parere solita. Et cum Aberadā uxorem amisisset, ex qua filium susceperat Bohemundū, alterum duxit Giglegardā, Gisulphi principis Tarentini ex Guaimaro fratre neptem, uocauitque ad se Nicolaum papā ad res Apuliæ Calabriæque componendas. Qui eò profectus Robertum Guistardū ab excōmunicatione absolutum, restitutis quæ de ecclesia detinebat, ducē Calabriæ & Apuliæ declarauit, Ligium ecclesiæ Romanæ seu Vassallum faciens, qui magnum exercitum Normannorū papæ concesisit, per quem Prænestini, Thusculani, Neumentani rebelles domiti sunt, et Galera ac Geradi comitis castella usque ad Sutrium uastata, iubente papa. Cui ad secundum & dimidium annum mortuo, Anthelmus Lucensis episcopus absens subrogatus est, & Alexander secundus appellatus. Robertus Tarentinos sibi subegit, & Mathera eius ducatui adiecta est. Alexander Romam perrexit. Sed Lōgobardi episcopi Guiberto Parmense adnitente congregati, indignum esse dicentes, aliunde quā ex paradiso Italiæ, id est Lombardia pontificem eligendum esse: ab Henrico imperatore obtinuerunt, dissentiente Agnete, ut Papam eligerent. Illi coacto concilio Cadolum Parmensem in antipapam elegerunt, cui Longobardi omnes obediuere, præter Matildim & uirū eius.

B Vocatus Cadolus à Capitaneis circa Romam manentibus, in prata Neronis descēdit. Romanis nutantibus, Alexander cum Gothfredo Matildis uiro, apud Lateranū se cōtinebat. Commissum est prælium, & Cadolus superatus, repulsus est. Deinde post annū corruptis pluribus Romanis rediit, & urbe Leonina occupata, ecclesiam sancti Petri obtinuit. Sed irruptione facta per populum Ro. ibi à suis relictus est: quem Cincius Romanus, præfecti filius, per media ciuium agmina in arcem sancti Angeli perduxit, ibique à populo obsessus est per annos fermè duos. Interim Guistardus mortuo Constantino Dioclizi græco imperatore, & illi suffecto Romano cognomine, Cyriacum ab illo missum apud Vestiam Apuliæ ciuitatem immunitam degētem ex improuiso intercepit, & Montempilosum obsedit. Vbi dimisso Gothfredo fratre Barulum duxit egregie munitum, quod per tres annos obsedit, Rogerio fratre Brundusium obsidēte, Gothfredoque illi opitulante, qui iam Montempilosum obtinuerat. Potitus est tandē Barulo Guistardus, & Gothfredū classe in Siciliam misit: quē mox secutus est &, Panormum primā de Siculis urbem obsedit. Interim obiens Diogenes, Michaēlē Constātini Dioclizi filium habuit successorem. Et apud Romanos Cincius cum Cadolo in arce clausus, territū antipapam coēgit, ut trecentis argenti libris sibi in uitæ redemptionē datis, strigosissimo aduectus equo, aufugeret. In Germania Otho Coloniensis archiepiscopus apud Henricum adolescentem artibus usus, ut Agnes administratione pelleretur, sibique gubernatio cōmitteretur.

C Qui ueniens in Italiā, ordinatis in Lōbardia rebus, Romā perrexit: cōuocatoque clero, multis uerbis Alexādrū increpauit, qui pōtificatū Romanū iniussu Cæsaris præter consuetudinē accepisset. Respondit sibi Ildebrandus archidiaconus, consuetudinemque illam malam esse ostendit, & iuste reuocatā. Quo audito, Otho sibi satisfactum duxit: petiit tamen ut pro pace populorū concilium Mantuæ fieret. Annuit pontifex, & cum Cardinalibus eò se transtulit: ubi omnes eum uenerati sunt, & apostolicā sedem magistrā recognouere. Reuersus Romā, pacificam urbem reperit, sed Cāpaniam perturbatam. Ricardus enim Normannus cum filio suo Gulielmo Capua subacta, Beneuentoque inuasa, Cæperanum obsidebat. Rogerius qui Brundusium aliquādiu cinxerat obsidione, à ciuibus deceptus est. Qui proditionem simulantes, quarta uigilia Normannos proceres ad quadraginta cum totidem militibus intromittentes interfecerunt, eorum capita ad imperatorem Constātinopolim miserunt. Et Guistardus apud Panormum Gothfredo relicto, in Apuliam rediit, Tranamque obsessam decem mēsibus cepit. Panormum eodem tempore captum est, anno salutis tertio & septuagesimo supra millesimum. Ildebrandus archidiaconus Matildis comitissæ auxilio fretus, Ricardum & Gulielmum obsidione pepulit, & quæ acceperant, restituere coēgit. Et Alexander pontifex, instante Agnete imperatrice, Guilbertum Parmensem, cuius mentionem *Ann. salu. M. LXXIII.*

S fecimus

fecimus, archiepiscopum Rauennatis ecclesiæ ordinauit, præfectus quod in prophetiam cessit, illum ecclesiæ Romanæ & animæ suæ maximo incendio talem ecclesiam accepisse. Et Cadolus impetrata delictorum uenia ab Alexãdro, diem obijt. Nec multo post ipse Alexander undecimo pontificatus anno, mense sexto, uitam finiuit: cui acclamante populo ac clero Ildebrandus substitutus, & Gregorius septimus appellatus, anno xviij. Henrici tertij imperatoris: quo tempore Hungari Salomone rege suo, que diceret Germanis resistere nescire, in carcerem coniecto, bellum Cæsari indixerunt, in quos ille maximas copias duxit. Ortæ sunt discordiæ inter Gregorium & imperatorem, qui per simonias uendebat ecclesias, nec põtificis monitiones audiebat. Agnes imperatrix administratione deiecta, Romæ uitã duxit. Multæ legationes hinc atq; inde factæ sunt, & tandem imperator in Gregorij confirmationem consensit. Pontifex statim de simonia imperatorem coarguit, sed nihil profecit: unde plures excommunicati sunt episcopi, qui apud imperatorem manentes, eius insaniæ studebant. Deinde apud Lateranum pontifex concilium habuit, in quo interfuit Rauennas archiepiscopus Guilbertus, & multi de Lombardia episcopi, & Matildis comitissa, & Sisulphus Salerni princeps. Tunc Robertus Guistardus, qui nouiter Anconitanam marchiam occupare ceperat, & cæteri Normanni excommunicati sunt. Guilbertus Rauennas Romæ remansit soluto concilio, ad dolum pontifici parandum. Nam dum nocte natalis domini præsul in ecclesia beatæ Mariæ maioris missam celebrat, & iam hostiam frangit, à Cincio Stephani præfecti filio ab altario deturbatus, & ad domum eius deduct9, in hyperione in quadam turri clausus est. Ad quam postridie currens populus, pontificem liberauit, ædes Cincij subuertit, turrem solo æquauit, uiris ac mulieribus de familia Cincij nares truncauit. Cincius in Germaniam ad Henricum confugit. Guilbertus qui se pontificem futurũ sperabat, si insidiæ successissent, simulata beneuolentia, à pontifice dimissus, Rauennam se contulit. Pontifex auxilio Matildis Guistardum & Normannos inuadere statuit. Interim Guilbertus Rauennas, & Theobaldus Mediolanensis archiepiscopi, & nonnulli episcopi Lõbardi aduersus Gregorium coniurant: quibus additur Vgo Candidus Cardinalis: qui etsi antea rebellauerit, & reconciliatus fuerit, postea tamen ad uomitum redijt, inter Normannos & Henricum tertium fœdera contra Papam iungere annisus. Quod resciens Gregorius synodo Laterani congregata, Guilbertum & Vgonem dignitatibus priuatos excõmunicauit. Dum hæc agũtur, Henricus cum Saxonibus conflixit, uictorq; euasit, quinque millibus è suis amissis. Qua uictoria elatus, Romano Pontifici obedientiam detrahere studuit, Sigifredo Archiepiscopo Magũtino negocium cõmittens, qui apud Vormatiam conuentum habuit prælatorum, in quo mandatum est, ne quis Gregorio obediret. Ex eo conuentu Rolãdus clericus Parmensis Romam ueniens, Henrici uerbis pontificalia Gregorio interdixit, iussitq; cardinalibus ut alium habituri pontificem, ad imperatorem se conferrent. Habebat tunc Gregorius Laterani concilium, in quo Sigifredũ & sibi consentientes episcopos atque abbates, commissis priuauit ecclesijs, imperatori autem regni & imperij gubernationem interdixit, eumq; excommunicauit, absolutis à iuramento subditis. Multas literas in excusationem suam Henricus per Germaniam misit, & pariter pontifex in suam. Interim pars regni ab Henrico deficit, & Saxones acrius bellum instruunt. Fit conuentus principum Alemannorum, in quo decernitur, si Gregorius in Alemanniam pergat, Henricus ab eo supplex ueniam petat. Iurauit Henricus se cuncta facturũ. Et pontifex audito oratore Treuerensi archiepiscopo Augustam prætoriã petiturus Vercellas usq; profectus, à loci episcopo regni Italiæ Cãcellario clam rescijt, Henricũ hostili in se animo cum exercitu uenire, retrocessit, Canossumq; se recepit, oppidum comitissæ Matildis in agro Rhegiensi. Venit illuc imperator cum copijs, & omni deposito regali ornamento, nudatis pedibus ad oppidi portam delatus, introduci petijt. Denegatum introitum æquo animo tulit, quamuis aspera esset hyems, & gelu cuncta rigescerent. Triduo in eius oppidi suburbio mãsit, ueniã petẽs. Quẽ tandem pontifex, Matildis & Adelai Sabaudiensis comitis, & abbatis Cluniacẽsis precibus motus introductũ absoluit, & ecclesiæ recõciliauit, iureiurãdo pace firmata & obedientia

A dientia promissa. Exinde rex Papiam se contulit, tuncque ibi mortuus est. Cincius præfecti filius. Interea Alemanni principes ægreferentes Henricũ non satisfecisse promissis, Rodulphum Saxoniæ ducem regem Alemãniæ creauerunt. Henricus illum à pontifice excommunicari petijt, sed non obtinuit. Reuersus in Alemanniam, cõgressus Rodulpho est, & clades utrinque recepta. Missi oratores utrinque ad Papam, responsum habuerunt, ut ab armis cessarent. Illi iterum pari Marte pugnauerunt: & tertio prælio commisso, superior aliquanto Henricus, auditis legatis ad pacem missis, nullum cum hoste tractatũ habere uoluit, sed illum excommunicari petijt. Legati re infecta redierunt. Robertus interea Guistardus sanctam Seuerinam & Consentiam in Calabris ceperat: Sisulphũ Salerni principem, cuius sororem duxerat uxorem, bello domuit, Salernũque cum arce per deditionem accepit. Beneuentum oppugnatam breui cepisset, nisi Gregorio pontifice exhortante recessisset. Et anno millesimo octuagesimo Michaël Constantini filius, cum Michaële, Andronico, & Constantino, à Nicephoro cognomine Botaniates, per uim & arma ab imperio deiecti sunt. Guistardus uero, Spinacroba Hydrunto & Tarento Græcos expulit. Ad quem Michaël Dioclizi Constantinopoli pulsus, in castra uenit incognitus opem petens, & Robertus eum ad Gregorium misit: cuius opera factum est, ut apud Cæperanum papa & Rogerius conuenirent. Et Rogerius ligius ecclesiæ fa-
B ctus, & uexillo beati Petri donatus, Michaëlem restituere promisit aduersus Nicephorum, quem Papa excommunicauit. Parataque classe Rogerio minori natu in Italia dimisso, Bohemundum alterum filium secum duxit, atque ad Auelonem nauigans, prima ad Dyrrhachium castra posuit. Sed Dominicus Siluius dux Venetus, iubente Nicephoro imperatore eos ab obsidione repulit, conflictu cum multo sanguine peracto in mari. In terra tamen Bohemundus obsidionem continuauit, & Guistardus cum Michaële ad reparandam classem in Italiam se cõtulit. Nicephorus uero Botaniates imperator his cognitis, Alexium Mega, siue Comnenum in Thraciam misit, qui militem congregaret. Is perfidia usus, milites nouos sibi iurare astrinxit, grandi pecunia largita: ueteranos uero fraudabat stipendio, tanquam imperatoris culpa esset: deinde suum argentum eis largiebatur. Sicque animis militum sibi conciliatis, ex Adrianopoli ad imperatorem accessit, suasitque ut milites in expeditionem mitteret: deinde reuersus ad exercitum tanquã nihil de pecunia imperasset pro qua se iuisse dixerat, ab exercitu irritato imperator factus est: quem Constantinopolim duxit, promisso triduo spolio urbis. Arxion Alemannus magister unius cohortis, ab Alexio corruptus, portam Bulgarorũ ei aperuit noctu in cœna domini. Triduo urbs direptioni patuit. Nicephorus in sancta Sophia captus, tonsoratus & in monachum ordinatus, uita donatus est: Alexius uero in die paschatis coronatus est, Michaëlemque Michaëlis Dioclizi filium imperij consortem accepit: quẽ exer-
C citui præfectum in Dalmatiam transmisit, & ipse cum eo perrexit cum septuaginta millibus armatorũ. Bohemũdus interea & Robertus, qui dimisso in Italia Michaële Dioclizi redierant, Dyrrachium urgebant. In quos delati Græci imperatores prælio cõmisso, Michaël occisus est, & Alexius in fugam cõuersus, lacerum reduxit exercitum. Dyrrachini Roberto se dediderunt, & pariter multa Dalmatiæ oppida. Romæ interim à Gregorio synodus tenta est, in qua error Berengarij de sacramento damnatus est, & Henricus imperator iterum excommunicatus, & Rodulphus in regem Alemanniæ atque Italiæ confirmatus. Ipse uero Henricus conuocatis prælatis apud Brixiam Alemanniæ urbem, Guibertum Rauennatem archiepiscopum in pontificem erexit, Clementemque appellauit. Qui mox acceptis ornamentis papalibus, in Italiam rediit. Henricus in Saxoniam profectus, quarto cum Rodulpho conflixit. Victor Rodulphus casu à suis uulneratus, longiuscule secessit, & uulnerati plures eum secuti sunt, inter quos pariter mortuos expirasse repertus est. Henricus uero fugiens abditis latuit, & septimo demum die repertus est. Cuius filius Henricus, qui quartus postea fuit eius nominis imperator, in Italiam missus, Matildim apud Parmam prælio superauit. Quæ mulier mortuo primo uiro Azonem Marchionem Estensem, qui prioris uiri consanguineus fuerat, & sibi quarto gradu coniunctus erat, ignorans accepit maritum. Et cum per aliquot men-

Ligius, totalẽ subiectionẽ significat.

S 2 ses illi

ses illi concubuisset,re cognita,Gregorium consuluit quid agere deberet: ille mulieri D
imperauit,ut à consortio noui uiri abstineret. Henricus senior per Bauaros in Italiã redijt, Clementemq; suum in Prata Neronis duxit. Matildis copias suas pontifici misit. Pugnatum est aliquandiu apud urbem Leoninam,& uicina ædificia demolita.Desperataq; uictoria,Henricus cum suo antipapa Rauennam redijt: & anno sequenti rursus ad obsidendam urbem transiuit,cepitq; ciuitatem Leoninam,& basilicam beati Petri cum suo Clemente prophanauit.Idem fecit de basilica beati Pauli,porticus destruens quæ ad eas ducebant.In æstate uero dimisso antipapa in Tybure,& per alia castella uicina exercitu,in Lombardiam recessit.Vastatus est omnis ager circa Romã,& ciues fame coarctati sunt.Vocauit pontifex Guistardũ in auxilium:qui dimisso in Dalmatiã Bohemundo,copias congregabat.Sed Henricus ad dolos conuersus,Cluniacẽsen episcopum ad Gregoriũ misit,dicens,si Laterani coronaretur,fore ut in Alemanniã cum omnibus copijs abiret.Rogabat omnis populus,nec pontifex aduersabatur,si modo imperator errata corrigeret. Henricus Romanos plerosq; corrupit, qui coronandũ imperatorẽ etiam non satis facientẽ dixerunt.Pontifex populo diffisus in arcem sancti Angeli se recepit: & Henricus antipapam à tribus episcopis coronari in Laterano fecit,Bononiensi,Treuerensi,& Mutinẽsi: & ipse ab eo coronatus est. Obsessum est castrum sancti Angeli, & Rusticus papæ nepos ex fratre ad Septemsolia se recepit, ubi expugnatus deditionem fecit.Interim uenit Guistardus cum exercitu. Non expectauit imperator, Senasq; E
cũ antipapa petijt:& Guistardus porta Flamminia intrauit.Et cum ciuis resisteret, usq; ad arcem Domitiam Vrbem combussit.Ciues arma tenebant in capitolio. Guistardus ad Lateranum se cõtulit,eamq; regionem Vrbis uastauit,quæ est inter Capitoliũ & Lateranũ:& deniq; capitoliũ ui cepit,transiuitq; ad castrũ Crescentij,& muros disiecit qui pontificem claudebant,liberauitq; illum & Salernum perduxit,ubi & mortuus est. Guistardus ad imperium Constantinopolitanum aspirans,classem ingentem parauit,cum filius Bohemundus terrestri exercitu satis ualeret in Dalmatia. Alexius classem parauit, & Venetos in auxilium accersiuit,duce Dominico Siluio. Pugnatum est apud Dyrrachium,& superati sunt Dominicus & Alexius. Dominicus ducatu priuatus est, ob rem male gestam:& Vitalis suffectus est,qui aliam classem in auxilium duxit. Desiderius Cassinensis abbas Gregorio subrogatus est, Victor tertius appellatus.Et iterũ Guistardus cum Alexio & Venetis apud Sasnum conflixit,eosq; superatos fudit,& in Cassiopam insulam delatus,mense Iulio obijt. Cui, absente Bohemundo, Rogerius natu minor in ducatu Apuliæ successit,& præter Siculos Itali omnes patri subditi paruerunt. Fuit tunc toto orbe fames, per cuius occasionem Auful Galatiæ rex, qui cum Saracenis perpetua bella gerebat, Toletam urbem multis annis obsessam cepit, & Christianæ religioni restituit. Henricus in Alemannia cum Saxonibus prælians, quatuor millia F
militum amisit:& interim prælio commisso,inferior euasit. Victori defuncto ad quintũ mensem,Vrbanus secundus suffectus est.Bohemundo in Italiam reuerso, Dalmatæ ad Alexium defecere.Rogerius Capuam urbem cepit,& omnia usque ad Tybur Romanis & Papæ abstulit. Vrbanus Romanorum animos parum quietos intelligens, Melphim se cõtulit, primumq; ibi synodum conuocauit.Rediens iterum in Italiam Henricus,à Matildi reiectus est,cum iam rebellione filij premeretur.Bohemundus ut primum equos nauigatione quassatos satis quieuisse cognouit,in Rogerium fratrem duxit, & apud Farnetum Beneuenti oppidum conflixit,haud cruento prælio,cum proceres Rogerio imperauerint,ut permissa Bohemundo Apuliæ parte ducatus,ipse titulum & cætera retineret quæ pater habuisset in Italia.Quo facto Melphim ad Vrbanum se contulit: cuius ligius factus, ducatum & successionis paternæ confirmationem obtinuit:& in Siciliam traijciens,Syracusas cepit,Halamq; Roberti Fusonis Flandrensium comitis filiam duxit uxorem, ex qua genitus est Gulielmus. Vrbanus alteram synodum apud Troiam congregauit,& tertiam Placentiæ. Postremo de salute fidei cogitans, transmissis alpibus apud Francos se conferens, cõcilium apud Montemclarum Aluerniæ conuocauit. Bohemundus indignatus pro his quæ frater fecerat, Melphim furtò surripuit

ses illi concubuisset,re cognita,Gregorium consuluit quid agere deberet: ille mulieri D
imperauit,ut à consortio noui uiri abstineret. Henricus senior per Bauaros in Italiã re-
dijt, Clementemq; suum in Prata Neronis duxit. Matildis copias suas pontifici misit.
Pugnatum est aliquandiu apud urbem Leoninam,& uicina ædificia demolita.Despera
taq; uictoria,Henricus cum suo antipapa Rauennam redijt: & anno sequenti rursus ad
obsidendam urbem transiuit,cepitq; ciuitatem Leoninam,& basilicam beati Petri cum
suo Clemente prophanauit.Idem fecit de basilica beati Pauli,porticus destruens quæ ad
eas ducebant.In æstate uero dimisso antipapa in Tybure,& per alia castella uicina exer
citu,in Lombardiam recessit.Vastatus est omnis ager circa Romã,& ciues fame coar-
ctati sunt.Vocauit pontifex Guistardũ in auxilium: qui dimisso in Dalmatiã Bohemun
do,copias congregabat.Sed Henricus ad dolos conuersus,Cluniacẽsen episcopum ad
Gregoriũ misit,dicens,si Laterani coronaretur,fore ut in Alemanniã cum omnibus co-
pijs abiret.Rogabat omnis populus,nec pontifex aduersabatur,si modo imperator erra
ta corrigeret. Henricus Romanos plerosq; corrupit, qui coronandũ imperatorẽ etiam
non satis facientẽ dixerunt.Pontifex populo diffisus in arcem sancti Angeli se recepit:
& Henricus antipapam à tribus episcopis coronari in Laterano fecit,Bononiensi,Tre
uerensi,& Mutinẽsi: & ipse ab eo coronatus est. Obsessum est castrum sancti Angeli,
& Rusticus papæ nepos ex fratre ad Septemsolia se recepit, ubi expugnatus deditio- E
nem fecit.Interim uenit Guistardus cum exercitu. Non expectauit imperator, Senasq;
cũ antipapa petijt:& Guistardus porta Flamminia intrauit.Et cum ciuis resisteret, usq;
ad arcem Domitiam Vrbem combussit.Ciues arma tenebant in capitolio. Guistardus
ad Lateranum se cõtulit,eamq; regionem Vrbis uastauit,quæ est inter Capitoliũ & La-
teranũ:& deniq; capitoliũ ui cepit,transiuitq; ad castrũ Crescentij,& muros disiecit qui
pontificem claudebant,liberauitq; illum & Salernum perduxit,ubi & mortuus est.Gui
stardus ad imperium Constantinopolitanum aspirans,classem ingentem parauit,cum fi
lius Bohemundus terrestri exercitu satis ualeret in Dalmatia. Alexius classem parauit,
& Venetos in auxilium accersiuit,duce Dominico Siluio. Pugnatum est apud Dyr-
rachium,& superati sunt Dominicus & Alexius. Dominicus ducatu priuatus est, ob
rem male gestam:& Vitalis suffectus est,qui aliam classem in auxilium duxit. Desideri
us Cassinensis abbas Gregorio subrogatus est, Victor tertius appellatus.Et iterũ Gui
stardus cum Alexio & Venetis apud Sasnum conflixit,eosq; superatos fudit,& in Cas-
siopam insulam delatus,mense Iulio obijt. Cui, absente Bohemundo, Rogerius natu
minor in ducatu Apuliæ successit,& præter Siculos Itali omnes patri subditi paruerunt.
Fuit tunc toto orbe fames, per cuius occasionem Auful Galatiæ rex, qui cum Sarace-
nis perpetua bella gerebat, Toletam urbem multis annis obsessam cepit, & Christianæ
religioni restituit. Henricus in Alemannia cum Saxonibus prælians, quatuor millia F
militum amisit:& interim prælio commisso,inferior euasit. Victori defuncto ad quintũ
mensem,Vrbanus secundus suffectus est.Bohemundo in Italiam reuerso, Dalmatæ ad
Alexium defecere.Rogerius Capuam urbem cepit,& omnia usque ad Tybur Roma-
nis & Papæ abstulit. Vrbanus Romanorum animos parum quietos intelligens, Mel-
phim se cõtulit, primumq; ibi synodum conuocauit.Rediens iterum in Italiam Henri-
cus,à Matildi reiectus est,cum iam rebellione filij premeretur.Bohemundus ut primum
equos nauigatione quassatos satis quieuisse cognouit,in Rogerium fratrem duxit, &
apud Farnetum Beneuenti oppidum conflixit,haud cruento prælio,cum proceres Ro
gerio imperauerint,ut permissa Bohemundo Apuliæ parte ducatus,ipse titulum & cæ-
tera retineret quæ pater habuisset in Italia.Quo facto Melphim ad Vrbanum se contu
lit: cuius ligius factus, ducatum & successionis paternæ confirmationem obtinuit: &
in Siciliam traijciens,Syracusas cepit,Halamq; Roberti Fusonis Flandrensium comi-
tis filiam duxit uxorem, ex qua genitus est Gulielmus. Vrbanus alteram synodum
apud Troiam congregauit,& tertiam Placentiæ. Postremo de salute fidei cogitans,
transmisis alpibus apud Francos se conserens, cõcilium apud Montemclarum Aluer-
niæ conuocauit. Bohemundus indignatus pro his quæ frater fecerat, Melphim furtò
surripuit

A surripuit. Rogerius Siciliam rediens, uiginti Saracenorũ millia stipendio conduxit, multaq; alia auxilia ex omni sua ditione aduersus fratrẽ duxit, qui cum decem millibus ueteranis Melphim defendere statuerat. Vrbanus secundus apud Clarummontem cõsilium habens, expeditionem in Saracenos pro Hierosolyma recuperãda persuasit, anno quarto & octuagesimo supra millesimum: & trecenta hominum millia cruce signati. Reuersus in Italiam, apud Placentiam substitit: ubi Conradi instantia, qui patri Henrico tertio rebellauerat, episcopos recõciliauit, qui agenti apud Beneuentũ Guilberto antipapæ cõsenserant. Romam reuersus, & magno fauore exceptus, Bernardũ Toletanũ episcopũ ad se uenientem pallio archiepiscopali donatum, totius Hispaniæ Metropolitanum declarauit. Henricus tertius, aduersus Henricum Bambergensem comitem bellum gessit, eumq; domuit. Interim filius eius Conradus in Italia mortuus est. Duxit etiã Henricus aduersus Robertum Flandriæ comitem, ut expeditionem impediret Vrbani. Interim diuersis itineribus cruce signati ad Constantinopolim peruenere, primusq; omnium Petrus quidam eremita abstinentiæ fama celeber, ducem se multis exhibens, per Alemanniam, Vngariamq; perrexit. cui Gothfredus, Eustachius & Balduinus fratres cognomine Bolionij, Bononiæ Gallicæ comites potentissimi, se socios addiderũt. Maiores uero præstantium ducum & nobilium manus, hinc Podiensis episcopus belli dux, & Raimũdus *Ann. salu. M.lxxxiiij.*

B sancti Egidij comes, inde Hugo magnus Philippi Francorum regis frater, & Robertus Normandiæ, ac alter Robertus Flandriæ, & Stephanus Carnoti Comites, trãsmissis alpibus per Italiam iuerunt: & quando illi Constantinopolim peruenerunt, hi Romam ingressi sunt. Ibi benedictione recepta pontificis, pars Brundusiũ, pars Barum, & alia pars Hydruntum petijt. Et Bohemundus generositate animi ductus, his se comitem cum duodecim millibus delectæ iuuentutis Italicæ, relicta fratri potestate, cum quo bello cõtenderat, & Melphim & alia loca sua occupandi. Sed Rogerius fratris uirtutem admiratus, Melphis obsidionẽ soluit, & Tancredum filium cum fratre ire permisit. Petrus eremita in suburbijs Constantinopolitanis copias suas retinere nesciuit, quin hostilia cũcta in Græcos agerent. Alexius imperator cui hæc expeditio suspectissima erat, commotus suorum calamitate, commeatum negare cœpit: & qui ante Bosphorum Thracium clauserat ne Christiani transeuntes opprimerentur à Turcis, illud aperuit, & Petrum eremitam inuitum transportari curauit. Bolionijs qui nondũ Cõstantinopolim applicuerant, in Europa remanentibus, duodecim millia cũ Petro transiere: qui mox Rainaldũ quendam Alemannum ducẽ sibi creauere, celeriterq; procedentes Nicomediam & inde Niceam petiuerunt. Turci Nicea communita, ex oppidis cuncta asportarunt & audientes transitum Christianorum, concauis in montium uallibus insidias struxere. Petrus Cinitum oppidum offendens in agro Niceno hominibus uacuum, frumento uinoq; plenũ,

C illud occupauit: & Rainaldus pariter oppidũ Exeregorgon appellatũ: & ambo obsessi sunt à Turcis. Rainaldus cũ aliquot millibus abnegata Christi fide, deditionem fecit. Petrus sub specie legationis Cõstantinopolim abijt, reliqui omnes à Turcis trucidati sunt, cum siti laborarent. Quæ res Alexio gratissima fuit, sperãti Christianos retrocedere. Interea Hugo magnus cum suis copijs ex Barulo Dyrrachiũ peruenit, & deinde Cõstantinopolim petijt. Et paulò ante Balduinus cum fratribus illic applicuit, quos prima nocte in suburbijs hospitatos Græci hostiliter inuaserunt, nec potuere aduersus excubantes proficere. Exierunt in campos Christiani, ibiq; rursus pugnatum est, & clades utrinque parua recepta. Sed intellecto Hugonis aduentu, pacem Alexius cum Gothfredo constituit. Venerunt & aliæ copiæ cum Podiensi episcopo. Bohemundus per Peloponnensum in Bulgariam transiuit, Castoriamq; urbem petijt: sed Alexius insidias illi per itinera parauit. Quod cum non successisset, culpam in milites transtulit, prædæ cupidos. Transijt Bohemundus ad imperatorem, & nomine totius exercitus, fœdera cum eo pepigit, ut tutum iter per urbem regiam & alia loca præstaret, cõmeatu & copiarũ supplementa præberet, sibi omnia de Saracenis capta cederẽt, excepta Hyerosolima. Sic rebus paratis, exercitus Christianorum ad Nicomediam mari transmisso coactus est, & inde Niceam uentum, quæ à Turcis defensa, obsessa est: lacui una in parte adiacens, nec

poterāt urbem expugnare. Triginta diebus oppugnatione ducta, cum per lacum noua D
diætim auxilia submitterentur, sexaginta millia Turcorum in propinquo monte conse-
derunt, qui oppidanis ad eruptionem cōmotis, Christianorum castra inuaserunt: sed ni
hil profuere, magno damno repulsi. Interim lembi à Cōstantinopoli aduecti sunt, & in
lacum missi. Quibus uisis oppidani, post duos & quinquaginta dies ab obsidione dedi
tionem fecere, Turcis cū rebus & armis abire permissis. Profecti ultrà duces, cum per
loca deserta iter habendum esset, bifariam diuisi sunt. Bohemundus cum ad riuū quen-
dam peruenisset, et herbidum solum reperisset, castra posuit, ut militē reficeret, inuasusq;
est à Saracenis & Solymāno principe, qui cum maxima multitudine aduenerat: perijs-
setq; cum omnibus, nisi Hugo & Gothfredus cum quadraginta millibus equitū opem
tulissent. Cōmissa est magna cædes in Turcos & Saracenos, nec tamen prælium nisi no
cte dirimi potuit. Decuplo maiores Saracenorum cadauerum, quàm Christianorū, fue
runt strues. Fuit numerus hostiū supra quadraginta millia. Inerāt enim Medi, Syri, Car-
dei, Turci, Saraceni, & Arabes. qui fuga arrepta maxima spolia Christianis reliquerūt.
Mense Iulio hæc acta sunt. Solymānus uiam quæ ducit in Lycaoniā est ingressus, et Ara
bum decem millia obuiā habuit, quæ secū duxit, prædicās ubiq; se uictorē fuisse: & nihil
ominus consumptis igne cōmeatibus & obductis obsidibus, iter impedire Christianis
conatus est: quibus recens in agris segetes auxilio fuerunt. Venerunt Christiani Iconi- E
um primam Lycaoniæ ciuitatem, eamq; dedentibus ciuibus obtinuerunt, cum Solymā
nus aliò diuertisset. Pari modo & Heracleam, Tarsumq; ceperunt. Balduinus à duci-
bus expeditionis primus omnium in Asia dominium obtinuit, Tarso donatus, & quic-
quid in ea regione caperet: qui paulò post Edissa & Manustra urbibus est potitus. Fle-
xit ad sinistram maior exercitus, & Ciliciā quæ nunc minor Armenia dicitur, primo ad-
uentu captam, Palinuro Armenio cum nostris militare solito regendam tradiderunt: de-
inde Cæsareā urbem in Cappadocia obtinuerunt. Et intelligentes apud Antiochiā Tur
cos conuenisse, illuc ducturi apud Cōsor urbem Christianorum qui inerant opera dedi-
tam, ad quintam diem quieuerunt, cōmeatus parantes. Deinde publicanorum castra,
& urbem Rusam cum multis castellis obtinuerunt: exinde montes altissimos, qui in-
tercedunt, una die transmissis, ad Murasim urbem uenere. Qua capta, campos in con-
spectu habuere, in quibus Antiochia cernitur: & hostes ad amnem uisi sunt, qui ual-
lem intersecat, loco cui pons ferreus nomen est. Ibi præda facta est rusticorum, qui com-
meatus in urbem deportabant. Antiochiā tunc rex Cassian9 habebat, duobus filijs præ-
ditus, Bachmāno & Sensadolo, Babyloniæ Soldano tributa pendēs, à quo multa & ma-
gna auxilia acciuerat. Ea urbs prius Reblata dicta est, deinde ab Antiocho Asiæ domi-
natore, Antiochia. Duplici muro circundabatur, interiori lateritio, exteriori quadrati la-
pidis. Quadringenta et sexaginta turres inerāt. Colles quatuor includebantur: in quorū F
celsioris cacumine ad orientē uergētis, arx, natura loci adeò munita, ut omnes conatus,
& omnia oppugnantiū ingenia facile frustrarētur. Regio Cœlesyria dicebatur, flumini-
bus fontibusq; irrigua, & agro fertili, uicinoq; lacu diues. Recedit à mari Cilicia urbs
passuū duodecim millib. Farfar fluuius portū efficit nauiū cæterarū capacē, quē Christia
ni sancti Simeonis appellauerūt. Ad septētrionē mons est excelsus, † uero significatione
græca, quod aquis fontiū sit irriguus: à nostris mōtana nigra uocatur. Ad orientalē pla-
gam cāpestris latissima regio, quā Farfar irrigat propinquus mœnibus. Hic Petrus pa-
triarchalē tenuit sedem. Theophilus hinc oriundus extitit, ad quē Lucas Euāgelista scri-
bit Actus Apostolorū. Septim9 ille à Petro hic fuit antistes, & Theophiliā suo de nomi
Christiani qui primu uocati. ne appellauit. Hic primum baptismatis fonte renati, Christianos sese appellauerūt. Hæc
urbs mille annis sub Christiano imperio maximè floruit. Centū quinquagintatres epi-
scopi sub Antiocheno patriarcha fuerūt, & in urbe illa CCCLXVI ecclesiæ. Duodeci-
mo igitur Calendarū Nouembriū Christiani ad Antiochiā castra posuerūt: necdū uinde
mia facta erat, & frumēti magna uis in puteo reperta est, quibus Antiocheni pro horreis
utūtur, & uicinæ gētes cōmeatus importabāt preciū accepturæ: nisi quatenus prohibebā
tur à Turcis. Armenij & Suriani Christianis magno erant adiumento, secreta hostium
nuncian

A nunciantes. Sunt autem Suriani gens antiqua, in Asia originem habens, quæ acceptam ab initio Christi fidem, post captam ab Heraclio à Saracenis Hierosolymam, nunquã dimisit: sed aliquãdiu suspecta Saracenis, incertas habuit sedes. Sub Carpharat autem principe ægyptio, qui à Laodicea Syriæ usq; ad Alexãdriam Aegypti possedit, quartam Hierosolymæ urbis partem, in qua est sepulchrum domini, obtinuit sub annui pensione tributi cum suo patriarcha possidendam. Sed huius expeditionis tempore pulsa Hierosolymis, montes qui ad Antiochiam pertinent incoluere.

Ex libro quarto

secundæ Decadis.

Onagesimus septimus supra millesimum nostræ salutis annum currebat, cũ Antiochensis obsidio cœpta est. Vrbanus secundus non satis tutus Romæ, biennio in domo Petri Leonis potentissimi ciuis se continuit, apud ecclesiam sancti Nicolai in carcere. Guilbertus antipapa ex Beneuento, suadente Ricardo principe Capuano, qui Beneuentum tenebat, Albam uenit, ut fautoribus suis proximior esset. Veneti classem ducentarum nauium omnigenum armauere, eamq; cruce signatis militibus impleuere, auctamq; Dalmatis Rhodum misere. Pisani quinquaginta triremium classe instructa, eos apud Rhodum inuasere, conflictiq; decem & octo triremes amisere, & quatuor millia Pisanorum capta sunt. Sed Veneti ob reuerentiam crucis, primoribus retentis obsidum loco, reliquos restitutis triremibus abire permiserunt. Adierũt Veneti Smirnam sex millibus passuum à mari distantem, recens à Turcis dirutam, indeq; sancti Nicolai corpus Venetias detulerunt. Milites apud Antiochiam omni genere machinarum urbem oppugnauere, sed crassitudo & altitudo murorum omnes eorum conatus frustrata est. Firmata est obsidio & castra ita munita, ut recedente media parte militum, egregie tamen defendi possent. Sed cum frumentatores insidias incidissent, multiq; capti essent, fame in castris laborare cœperunt. Castellum erat Areth, castris ad quinque millia passuum propinquum, ex quo hæc damna inferebantur: cuius præsidium Bohemundi astu longius tractum interceptum est, & capti in cõspectu Antiochensium gladio percussi, quorum capita in urbem proiecta sunt. Interim natalis domini occurrit festiuitas: qua solenniter celebrata, annona deficiente, & murmurante populo, obsidionemq; soluere cupiente, Bohemundus oratione sua exercitum placauit. Qui cum triginta millibus in agrum Damascenum profectus, magnam uim frumenti apportauit, copiasq; Saracenorum ad XL millia quæ ex

C Aleph, Damasco & Hierusalem obsessis in Antiochia opem ferebant, casu incurrens commisso prælio disturbauit, & occisa maiori parte in fugam uertit: cepitq; camelos, mulos, & asinos quàmplurimos, cum quibus facile ad exercitum portauit annonam. Flandrensis comes cum eo fuit. Interea Antiocheni milites eruptione facta, castra Christianorum in ea parte perfregerunt, quæ remotior erat à ciuitate, & cuius curam Podiensis habebat episcopus, magnamq; occidionem fecerunt, ita ut necessarius fuerit Bohemundi reditus. Quieuit exercitus per aliquot dies: sed iterum deficiente annona, in castris murmuratum est: & Petrus eremita cum Guilelmo Carpentario regis Franciæ consanguineo, fugam arripuit. Sed ambo intercepti sunt à Tancredo Bohemundi nepote, & in castra reducti. Guilelmus uero quamuis Vgoni Magno eius consobrino, nouo iuramento addictus fuerat, paulò tamen post per aliam occasionem cum sua cohorte è castris emissus, primus omnium Christianorum desertor est factus. Petebant & alij dimissionem, nec retineri multitudo poterat. Sed allato nuncio ingentes Turcorum copias ad Areth oppidum consedisse, uelleq; cum Christianis dimicare: oblatam occasionem arripiunt duces, & cõfortatis militibus, copiam pugnæ faciunt. Pugnatũ est diu acriter: postremo uicti Turci, cæsa pl9 media suorũ parte, in fugã uersi sunt: & Christiani præda aucti, non tamẽ fame liberati sunt, donec Armeni & Suriani

metu Turcorum liberati, ad castra commeatus ferre potuerunt, Areth oppido à Turcis incenso. Sed Saraceni à Soldano Babyloniæ Antiochiam missi, noctu urbe dilapsi, omnia itinera infestarunt, ita ut fames breui reditura uideretur. Placuit igitur castella duo portis opposita excitare, qua exeundi, redeundiꝗ facultatem hostibus adimerent. Sed cum necessaria ad id deessent, Bohemundus & sancti Egidij comes cum quinque millibus militum ad sancti Simonis portum missi sunt, qui fabros & necessaria adducerent. Quibus redeuntibus quindecim millia ex urbe occurrerunt. Bohemundus cum expeditionibus in monticulum se recepit: mille ex Christianis cecidere: fuissentꝗ omnes trucidati, nisi Gothfredus raptim auxilium attulisset: qui fortissimo animo pugnans, multos hostium interfecit, inter quos Bacman Cassiani regis filius natu maior cecidit. Interim ex Antiochia maior egressa multitudo, prælium redintegrauit. Pugnatum est diu, nutante uictoria. Demum uero ex hostibus quinque millia cæsa, & septem millia capta, inter quos duodecim Ammirrhati fuere. Ex Christianis ultra mille primos, quingenti desiderati sunt. Deinde castella uti ordinauerant Christiani duces, erexerunt. Et Cassianus petijt inducias, quæ libenter concessæ sunt: & Christiani in ciuitatem, & Saraceni libere in castra ueniebant: durauerunt q; induciæ, donec Volo gallicus egregius miles, dum suorum uirtutem extollit, à Turcis interfectus est. Per has inducias Pyrrhus Antiochenus ciuis adeo potens, cum multa de Bohemundo accepisset, eius colloquium petijt: & admiratus uiri uirtutem, ciuitatem se illi traditurum spopondit, si sibi dominium retineret. Obtinuit Bohemundus urbem sibi concedi communi consilio procerum, & constituta nocte per apertam à Pyrrho portam ingressus, ciuitatem obtinuit: nec sæuitum est nisi in præsidia Saracenorum. Cassianus rex dum in montes confugit, ab Armenijs trucidatus est. Turci & Saraceni quàmplures in Areth saluati sunt. In cuius oppugnatione ipsa die facta, multi uulnerati sunt: inter quos Bohemundus femur saucius pluribus diebus ægrotauit. Interea magna multitudo equitum uisa est à longe ueniens. Creditum est Alexium imperatorem esse, qui sæpe in castra se uenturum promiserat. Sed referentibus Armenijs, Corbanam esse cõstitit Persarum regis militiæ principem, qui Antiochiæ opem ferebat, cum Sensadolo Cassiani filio, qui per inducias ad id missus fuerat. Is ad pontem ferreum castra fecit, & iubente Sensadolo per suos arcem accepit atꝗ communiuit, per quam urbem capere adnisus est. Pugnatum est in urbe, & magna cædes hostium facta: multi quoꝗ ex Christianis periclitati sunt. Ob quam rem placuit arcem munitionibus excludere, nec pugnare prius quàm Bohemundus & alij liberarentur. Interim Armeni & Suriani prohibiti sunt frumẽta ad Antiochiam deferre: iterumꝗ fame laboratum est. Promiserat Alexius imperator annonam mittere, & iam naues eius cum frumento ad Philomenam oppidum applicuerant, cum desertor signorum Stephanus Carnoti comes illis obuius, Christianorum exercitum perijsse nunciauit. Hic enim adueniente Corbana, cum pluribus aufugit. Mercatores his cognitis, à porta in altum se recepere. Interim lancea quæ Christi latus aperuit in ecclesia sancti Andreæ reperta est: cuius fiducia statuerunt Christiani cum Corbana confligere: cuius exercitus uicinos montes occupabat: missiꝗ sunt Herlinus & Petrus eremita fide publica à Corbana habita, qui prælium in tertium denunciarent, detrectantiꝗ suaderent. Quo non satis annuente, statuerunt nihilominus Christiani confligere, quibus alioquin fame pereundum erat. Et ieiunio instituto, orationibusꝗ peractis, sacram lanceam deferentes, ad prælium egressi sunt: quod maximo ardore commissum est, & centum millia hostium cæsa sunt, quindecim millia camelorum capta, spolia ditissima recepta, & annonæ maxima uis. Corbana in fugam actus: & eadem die Ammirrhatus arcis præfectus, illam Bohemundo tradidit, Christianus effectus, ea lege adhibita, ut qui baptizari uellent, cum suis rebus abire permitterentur. Obtenta ciuitate cum arce, missus est Vgo Magnus Constantinopolim, qui Antiochiam imperatori offerret. Sed ille suæ culpæ conscius, & dolum timens, recusauit. Vgo interim morbo correptus, Constantinopoli decessit: quæ res magno mœrore Christianos affecit. Decreuerunt tamen duces exercitus Hierosolymam petere, sed Iulius erat mensis, & aquarum penuriam per arida loca uerebantur, unde ad Cal. Octobris profectionem

D

E

F

A ctionem statuerunt. Interim episcopus Podiensis mortem obijt, & Raimundus comes sancti Egidij cum oppugnatam Albariam capere non posset, multos mortales in agris captos interfici iussit. Bohemundus Antiochiam sibi ex fœdere promissam assignari petijt. Opposuit se Raimundus comes, eamq; Cōstantinopolitano imperatori seruandā dixit. Sacerdotibus arbitriū eius rei commissum est: qui Antiochiā Bohemundo tradendā decreuerūt. Non acquieuit Raimundus, sed palatiū Cassiani quod ipse inhabitabat armatis cōpleuit, & nihilominus cū suo comitatu ad Calendas Nouembris exercitū proficiscentem secutus est. Venerunt Rugiā duces quā prius obtinuerāt, & binis inde castris in Albariam duxere, quā egregie munitam turrib. et arietibus magnoq; labore ceperūt, eamq; diripuerūt, & in omnes sæuitū est præter paucos, quos Bohemūdus seruauit. Qui cū Raimūdum orasset, ut Antiochiā sibi liberā dimitteret, neq; illi cōsentiret, Antiochiā cū copijs redijt, & reliquus exercitus in Albaria māsit: ibiq; obijt episcopus Aurensis, et magna fames Christianos inuasit, ita quod etiā cadauerib. hostium uescerentur. Ob quā rē medio Ianuario Rugiā rediere, indeq; Bohemundū uocauere ut expeditioni adesset. Qui motus indignatione Raimūdi, noluit: ad quē Gothfredus Bolionius & Flandrēsis comes se cōtulerunt. Raimundus uero & Normānus comes fame compulsi, cū magnis copijs Cæsaream Cappadociæ urbē petiere, cuius rex amicitiā & commeatū illis accep-

B tantibus obtulit. Inde in uallem fertilissimā progressi, animaliū et annonæ magnā uim exportarunt. Caphaliā urbem desertā inuenerūt, et pariter multa loca derelicta. Apparebat iam Ver, cum ad urbem Camelam appulerunt. Cuius regulus pace per oratores impetrata, Christianos ueste & pecunia iuuit. Cuius exemplum secutus Tripolis regulus, & ipse pacem petijt. Sed Raimundus eius urbis dominiū cupiens, pacē obtulit Christi baptismum accepturo. Quā cū ille negasset conditionē, quindecim diebus ibi frustra consumptis progressi, Archas oppidū obsederūt optime defensum. Vbi dimisso Normāno, Raimundus Tortosam duxit: Interim Gothfredus, Bohemūdus, et Flandrensis comes Hierosolymā petere statuerunt, & in Lycia simul conuenere: ubi audiens Bohemundus Raimundū in castra uenturū, discordiam timens, Antiochiam redijt: cæteri duces Tortosam se contulere, prius Gibello regulo in deditionem accepto. Normannus quoq; obsidionem suā dimisit, ut laboranti Raimundo subueniret, quē Tortosani magnis coactis copijs alioquin oppressuri erāt. Obsessa est Tortosa trib. mensibus & uno die, nec capi potuit: ibiq; pascha resurrectionis in castris celebratū est, & soluta obsidione, ad Tripolim ductū. Cuius regulus pecunia & cōmeatu atq; armis promissis, pacem obtinuit, ea lege ut post captā Hierosolymā, Christianus fieret. Deinde postera die, Nonarum Maij quarta, per montes uersus Hierosolymā iter captum est, per Bethelon oppidū, urbē Zeparim, flumē Braim, Baruthū urbem, atq; Sagittam, & Surrum, atq; Acrum: singulis ad

C singula loca peruentum est castris: & nona die oppidum Caiphas, decima Cæsaream inclytam Palæstinæ applicuerunt: ubi diebus duob. immoratū est, & tertio Ramola est adita, à Turcis Saracenisq; deserta. Exinde motis castris, sex progressi passuum millia Christiani, magna lætitia, & magnis exortis clamorib. Hierosolymæ mœnia cōspicati sunt, in arduo mōte sita. Ea urbs arduis montib. circundatur: fluminib. caret & fontibus, præter unicum Sylоē amnem, tenui & quandoq; per æstatem nulla fluente aqua: qui montem Sion radens, uallē Iosaphat mediā intersecat. Sed multæ insunt cisternæ, & in urbe, & in agro. Hinc Arabes, Moabitidæ, & Ammonitæ orietales sunt: Idumæi, Aegyptij & Philistæi meridionales: & maritimæ ciuitates Ptolemaida, quæ & Accon: Tyrus & Tripolis occidētales: Tyberiasq;, Cæsarea Philippi, regio Decapoleos, & Damascus, septentrionales. Christiani duces re frumētaria opportune prouisa, quatuor locis oppugnare urbē statuerūt: paratisq; machinis magna ui urbē inuasere. Gothfredus cum fratrib. partē muri sibi assignatam primus ascendit, & Balduinū in urbem descendere iussit: qui etsi magna hostium turma circumuentus est, maiori tamen cæde facta, portam perfregit, & Christianos admisit. Raimundus Amirrhatum turris Dauidis, quæ amplæ arcis munimenta habebat, blande pellexit, ut arcē cum gaza à ciuibus importata sibi dedens, saluus cum suis omnibus demigraret. Gothfredus, Normannusq; & Flandrensis comites urbe

Hierosolymæ descriptio.

be capta, occurrentib. quibusq; interfectis, ad Salomonis templũ quo multi confugerãt transiere, ibiq; acriter pugnatum est, eaq; cædes in templo cõmissa, ut interfectorũ cruor pugnantiũ talos altitudine superaret: nocteq; superueniente superiora templi expugnare non potuere, sed sequenti die eo reditũ est. Verũ ciuibus miserabili uoce pacem petentibus, uita concessa est, atq; ita urbs Hierosolyma à Christianis capta est Idibus Iulij, nono & nonagesimo supra millesimum salutis anno, trigesimonono die postquã obsideri cœperat: qui annus quadringẽtesimus nonagesimusq; currebat, postquam sub Eraclio à Saracenis capta fuerat. Mansere octo dies Christiani, sacrũ sepulchrũ domini & cætera sancta loca uisitantes. Deinde summo omnium consensu elatum humeris Gothfredum Hierosolymorum regem acclamauerunt: qui dominium quidem urbis acceptauit, regni uero titulum & coronam respuit, indignum ducens aureo diademate hominem uti, ubi rex regum spineam coronam suo sanguine manantem gestasset. Rursus post octo dies Arnulphus presbyter, patriarcha creatus est, & ab episcopis qui aderant, consecratus. Moxq; Neapolitani urbis Assyriæ legati ad Gothfredum missi, se & sua illi dediderunt. Interea nunciatum est Solymani Babyloniæ regis ingentem exercitum Ascalonem peruenisse: urbem uigintiquinq; millibus passuum à Hierosolyma distãtem, populoq; Hierosolymitano semper infensam. Statuit Gothfredus hosti occurrere, et Petro eremita ad urbis custodiam relicto, reuocato Eustachio atq; Tancredo, quos cum duabus legionibus Neapolim miserat, cum patriarcha egressus est: captisq; nõnullis ex hostium castris, didicit Clementem esse regis Babyloniorum Solymani militiæ principem, cui quinquaginta hominum millia militarent: & classem habere paratam frumento & machinis onustam. Nec tamen animo defuit Gothfredus, sed pugna commissa uictor euasit, cæsis supra centum millibus hostium. Clemens naui profugit, & Ascalonenses Gothfredo se dediderunt. Multum auri, multum opum hæc uictoria Christianis attulit, Hierosolymãq; tutam in circuitu fecit. Principes uoto potiti, plures domum repetere statuerunt: inter quos primi fuerunt Normannus, & sancti Egidij, Flandrensisq; comites. Gothfredus cum fratribus illic remansit, Ioppenq; maritimam expugnauit, & Ramulam campestrem urbem, quæ iter ab Ascalone Hierosolymã impediebat, obsedit: & Caipham, quæ alio nomine Porphyria dicitur, ad Carmeli radices sita, quatuor millib. passuũ ab Accon semota. Durante obsidione Tyberias Galilææ ciuitas sese dedit, & Caipha recepta est. Gothfredus uero anno uno post captam Hierosolymã febre correptus obijt, & Balduinus frater rex Hierosolymæ creatus est anno MCI. nostræ salutis: quo anno & Vrbanus II. Romæ obijt: cui Rainerius Bleda oriund9 substitutus est, Paschalis secũdus appellatus. Et Rogerius Siciliæ comes Canusio lõga obsidione capto, uita excessit: cui alter Rogeri9 ex fratre nepos successit. Paschalis magno uir animo, aduersus Guibertũ antipapã in Alba Marsorũ agentẽ, exercitũ misit, Rogerio Siciliæ comite mille auri uncias, & militum auxilia pbente. Guibertus auxilio qd' Richardus Capuæ comes dederat diffis9, in Furconensiũ montana, nũc Aquilanotũ se recepit, ibiq; grãdæuus obijt. Sed apud Auersam, q ciuitas Richardo fœderata erat, Albertus quidã per seditionẽ illi substit9 est, et eadẽ die depositus atq; relegatus: alterq; Theodoricus nomine apud Cauã pphanatus est. Quẽ Cauẽses quinto & cẽtesimo die abinde pœnitẽtia ducti depositũ, & anachoritæ habitu indutũ custodiri curarũt. Terti9 itẽ Maginulphus nomine, ciuis Ro. apud Rauennã papatus titulũ usurpauit: quem Romani exilio damnauerunt, & Rauennates quoq; omni opere destitutum pepulerunt. Sed pacata ecclesia in spiritualibus, Paschalis ad temporalia se conuertit, ciuitatemq; Castellanam et Beneuentum Rogerio auxiliante per legatos recepit, eoq; se contulit. Petrus Colũna interea ciuis Ro. Richardo fœderatus, Capuæ comiti Cauas agri Prænestini oppidũ quod erat beati Petri occupauit, Pontifex in eũ ducens Cauas expugnatas recepit, & Zagarolum, Columnamq; de paterna hæreditate illi abstulit: familiam Corsorum Romæ potentissimam, quæ Gregorio septimo fidelissima fuit aduersus Henricum tertium, ita ut eius domus Capitolio propinqua ab imperatore destrueretur, cum mutato consilio Henrico & antipapis fauere cœpissent, Roma expulit. Stephanus ex ea familia absente papa, ecclesiam sancti Pauli, & castellũ ibi

Ann. salu. MXCIX.
Hierosolyma à Christianis capta.
Ann. salu. M.CI

D
E
F

A ibi ædificatum furto occupauit, magnaque inde Romanis intulit damna: quē reuersus pontifex inde deiecit: concilium Florentiæ habuit, in quo episcopum eius urbis, asserentem Antichristum natum esse, redarguit. Tenuit & concilium apud Trecas, in quo Gallicanas reformauit ecclesias. Reuersus in Italiam, omnia conturbata reperit. Stephanus Corsus Montaltum & Ponticlum in patrimonio sancti Petri ceperat, omnemque illam oram uexabat. Ptolemæus Sublacensis tyrānus. Petrus Columna, et abbas Farfensis, cū Ananinis, Prænestinis, Tyburtinis, Tusculanis et Sabinis rebellauerant, Albamque Latinam inuaserant. Sed Paschalis expugnato per uim Tyburto, & Corsis ad obedientiam reductis, pacem reformauit. Bohemundus in Asia Gothfredi cognita morte Hierosolymam se contulit, ueritus ne quid mali accideret. Idem fecerunt Blesensis & Stephanus Burgundiæ comites, regnum Balduino confirmantes. Saraceni Turcique magnas copias, hac morte audita, Hierosolymas duxerunt. In quos dum Balduinus parum consulte, ut fertur, conflictus est, & Bohemundus in eo prælio captus, Blesensis & Burgundiæ comites occisi, rex turpi fuga Hierosolymam repetijt. Nec tamen ausi sunt Turci ciuitatem obsidere. Tancredus Bohemundi nepos Antiochiam conseruauit: & audiens Alexium de damno Christianorum lætari, transitumque militibus ex Europa uenientibus prohibere, Laodiceam eius urbem bello pressam expugnauit. Bohemūdum triennio in carcere maceratum, multo auro redemit, Antiochiamque illi summa fide restituit. Quod audiens Balduinus in Accon ducere statuit, uocauitque Genuenses & Venetos in auxilium: qui rostratas naues & triremes octuaginta duxerunt in Accon: uigesima die, terra marique obsessa, capta est, & multi Saracenorū qui auxilio uenerāt, occisi, aut fugati sunt. Bohemundus Antiochiæ principatu nepoti cōmendato, in Italiā nauigauit, ad quintū annū regnāte Balduino. Interea Henricū tertiū, filius Henricus bello apud Leodiū superat, multisque hostiū occisis, Coloniā petit, patri fauentē, eamque occupat paruo tempore obsessam. Reuersusque Leodium, patrē obsidione claudit. Quo ad annum regni sui XLIX uita functo, filius ipse regna eius obtinet. Per hoc tempus Matildis comitissa, Parmam & Mantuā ab Henrico sibi consobrino in rebellionem aduersus genitorem pertentatas, sibi subiecit, & Venetorum auxilio Ferrariam obtinuit, anno MCI. Robertus Flandriæ comes ex Asia reuersus, cum regi Angliæ subiecta oppida etsi uicina pertētasset, ab illo in prælio superatus captusque & luminibus orbatus, in carcere obijt. Raimundus sancti Egidij comes, quo anno capta est Accon, in patria obijt. Et Venetiæ eodē anno intra lxviij. dies, duplici incendio pene absumpti sunt. Methamaucum incendio consumptum, & inundatione submersum est. Bohemundus compositis domi rebus, in Franciam profectus Cōstantiam Philippi Francorum regis filiam inde uxorem duxit: cognitisque Alexij conatibus qui Antiochiæ maritimas urbes infestabat, parata classe in Dalmatiā nauigauit, Dyr-

C rachiumque obsedit. Veneti in auxiliū ab Alexio uocati, non Bohemundū, sed Apuliæ maritimas urbes nauigio uexauere. Nec tamē Bohemundus ab obsidione discessit. Ob quā rem Alexio pacem petenti benignus annuit: ea lege, ut milites Francos in Asiam transire permitteret, neque Antiochiam infestaret, quo paulò post & ipse nauigauit. Ad cuius aduentū Balduinus rex Berynthū urbē maritimā Phœnicis regionis, inter Sidonē & Bilū sitam, quæ sub Tyri metropoli esset, duob. obsessam mēsib. Christianorū sanguine uicepit. sæuitūque est in omni plebe. Et quoniam ager ille feracissimus & amœnissimus erat, urbs ea tanquam colonia Christianis concessa est. Eodem anno & Sidon obsidione capta, & Bohemundus princeps mortuus est, Bohemundum filium ex Constantia uxore susceptum, sub Tancredi nepotis cura successorem relinquens Antiocheni principatus. Henricus uero quartus, rebus in Germania ordinatis, in Italiam uenit. Et quoniam esset Paschali pontifici parum gratus propter inuestituram episcoporum, quam iniussu pontificis faciebat, apud Sutrium constitit: missa legatione quæ pontifici inuestituram episcoporum dimittendam & securitatem omnimodam præstandam polliceretur, iureiurando adhibito, si imperator, coronaretur. Missi sunt ad Sutriū qui promissionē et iusiurandū acceperunt. Et imperator per Montē gaudij, qui & Mōsmalus dicitur, ad ciuitatem Leoninam uenit, & in gradib. S. Petri, pōtificis pedes exosculatus est, deinde in

ecclesiam

ecclesiam ambo ingressi sunt. Requisitus est imperator, ut inuestituræ renunciaret. Qui ad partem se trahens, post tres horas respondit, non esse faciendum quod peteretur: ipsumq; pontificem intromissis armatis capi iussit, & totus clerus spoliatus est. Cardinales cum papa capti sunt, & in castra deducti. Populus Romanus in Theutonicos sæuit, et tandem eos ex urbe Leonina deiecit. Imperator ad montẽ Soracte peruenit, iubensq; cardinales & papam certis in locis custodiri, ad pontem Mammeum, qui Mamæ Alexandri imperatoris genitricis opus est, & ad pontem Lucanum delatus, omnia in circuitu Vrbis ædificia incendio corrupit. Nec tamen Romanos sibi allicere potuit, nisi papã & cardinales restitueret. Hẽricus per minas extorquere à pontifice inuestituras conatus nihil perfecit, cum ille mortem potius oppeteret. Sed uictus est misericordia ciuiũ, ne destruerentur: & ductus ad pontem Salarium, accitis ex Vrbe notarijs, Henrico regi petitas in regnis suis ecclesiarum inuestituras concessit, & deinde in basilica sancti Petri imperatorẽ coronauit, clausis Vrbis portis, ne populus erũperet, & basilica stationibus firmata. Deinde ab Italia recessit imperator. Pisani per hæc tempora à pontifice rogati, expeditionem in Saracenos decreuerunt, Baleares insulas obtinentes, anno M C X V I I. omnemq; iuuentutem in classem posuerunt. Quæ dum apud uada Volaterrana uentum expectat, Lucenses destitutam defensoribus urbem inuasere: quam Florentini à Pisanis rogati, tutati sunt, Lucanis repulsis. Ob quam rem Pisani uictoria contra Saracenos in Balearibus insulis potiti, domum reuersi, Florentinos illis donauerunt duabus ex porphyritico marmore columnis, quæ ad portam sacelli beati Ioannis uisuntur. Deinde conciliũ Laterani congregatum est, in quo reuocatum est quicquid Henrico de inuestituris concessum erat: quamuis papa pro liberatione cardinaliũ id iurasset non reuocare. Quo tempore Matildis comitissa senio confecta obijt, quæ à Pissia & sancto Quirico agri Senensis usq; ad Cæperanum, quicquid in medio iacet inter alpes & mare, Romanæ ecclesiæ dono dedit. Celebrauit & aliud concilium Paschalis in Lombardia apud Guardascaliũ, in quo urbes Aemiliæ, Placentiam, Parmam, Rhegium, Mantuam & Bononiam Rauennati metropoli, quæ diu Ro. ecclesiæ rebellis fuerat, non subesse constituit. Reuersus Romam pontifex, cum obijsset Petrus Vrbis præfectus, agnati & amici filium eius decennem in officium subrogatum à papa confirmari petierũt. Cum ille negasset, magnis eum contumelijs affecerunt, ita ut oportuerit Vrbe excedere: quamuis Petrus Leonis eius partes tueretur: qui magno in discrimine positus est, cum eius domus oppugnarẽtur: in cuius auxilium misit pontifex ab Alba Ptolemæum, Aritia donatum. Pugnatum est in Vrbe, & puer præfectus cum complicibus trans Tyberim pulsus, ibi tandem captus est. Placuit seditiosos homines per municipia Campaniæ custodiri. Ad quæ cum ducerentur, puerum & comites interceptos Aritiam duxit, & Sarmentum, Nymphas, Tyberiã & maritimã omnem orã, ab obedientia pontificis auertit. Et Romæ Petrus Leonis sæpe periclitatus est, qui tamen accersitis ex agro auxilijs, uictor euasit. Pontifex in Apuliam profectus, ibi concilium celebrauit. Henricus quartus, cognitis quæ Romæ fiebant, iterum eò redijt: ubi susceptus est maximis honoribus. Sed cum uellet iterum coronari, eo quod existimaret in concilio Lateranensi sicut inuestituram, ita & coronationẽ suam reuocatam esse, nullus uicinus episcopus id muneris assumere uoluit. Inuentus est archiepiscopus Bracharensis patria exul, à quo imperator coronatus est, & mox in Germaniam redijt. Paschalis absoluto concilio, cum copijs Normannorum ducum reuersus, multa oppida recuperauit, & in Præneste Carloioannis imperatoris græci, qui Alexio genitori successerat, oratores absoluit, & Romam ad ecclesiam sancti Petri se contulit: Cuius aduentu territi abbas Farfensis & Ptolemæus latebras quæsierunt, & denique per amicos papæ recõciliati sunt. Qui paucos post dies obiens, in Laterano sepultus est. Successor eius fuit secundus Gelasius, patre Crescentio, Caietanus. Interea Balduinus in Arabia, quam Syriam appellant, Sobal castellum edito in loco ædificauit, ut esset Christianis præsidium. Et Bohemundus puer Antiochiæ princeps, uita excessit, cuius locum tutor Tancredus obtinuit. Quem Balduinus ad se uocans, cum Saracenis, Turcisq; & Arabibus, magnasq; copias habentibus, confligere uoluit: sed superatus, magnam cladem

Ann. salu. M.C X V I I

D E F

A dem accepit, multis suorum cæsis. Turci ea uictoria elati, monasterium in monte Tabor celeberrimum destruxerunt, monachis ad unum trucidatis. Reuersus Hierosolymam Balduinus, intra Ptolemaidam & Tyrum castellum ædificauit nomine Scandalum, ac uita decessit. Cui Balduinus secundus de Burgo Francus, concordi Christianorum uoto suffectus est. Sed Romæ in electione Gelasij secundi, familia Fraiepanum tunc potens, cum non obtinuisset unum ex suis quem cupiebat eligi, ad locum conclauis pergens, ualuis refractis, pontificem & cardinales uarijs affecit contumelijs: & Cincius ex eadem familia, proiectum in terram pontificem calcibus concussit, uinctumq; domum duxit. Tulerunt id grauiter alij Romani, & impetu facto restitui pontificem obtinuere, quē ad Lateranū solenni pompa duxerunt. Interim Henricus imperator in Italiā reuersus, apud sanctum Petrum ex improuiso desedit. Pontifex ad Bulgamini potentis in Vrbe ciuis domum confugit, indeq; mari fugiendum statuit: duasq; triremes turba impleuit pontificem sequentium: & papam per Tyberim fugientem, Theutonici ex ripa telis ac sagittis confodere intentarunt, sicut nostra ætate Romani Eugenium quartum. Cardinales Ardeam noctu papam perduxere terrestri uia, cum mare tempestuosum nauigari non posset. Et deinde reductus pontifex Ostiam, tertia die Terracinam nauigauit, & deinde Caietam peruenit. Ad quem Guilelmus Apuliæ dux, Robertus Capuæ B princeps, & Richardus de Aquila uenerunt, nouumq; fidelitatis iuramentum ei præstitere, & pontifex ibi consecratus est. Imperator Mauritium Barcharensem archiepiscopum in antipapam erexit, Gregoriumq; uocauit, & castellum Turriculum in agro Ananino obsedit: in quem pontifex Apuliæ proceres mittendos duxit. Quibus non expectatis, Henricus in Alemanniam abijt, & antipapa Romæ mansit auxilio Fraiepanum fretus. Venit Romam Gelasius, & apud amicos delituit. Deinde Crescentij Caietani nepotis sui uiribus, & Corsorum, Normannorumq; familijs fretus, in ecclesia sanctæ Braxedis diuina celebrans, inuasus est à Fraiepanibus. Sed resistentibus amicis fuga subtractus est: & inter Romanos diuersarum partium non ante prælium diremptum est, quàm Fraiepanes intellexerunt uia Ostiensi pontificem effugisse. Sequenti die repertus à suis pontifex non longe à Sancto Paulo, in Vrbem reductus, habito concilio Cardinalium rursus migrare statuit: & relicto Portuensi episcopo in spiritualibus uicario, in Franciam nauigauit, & in Cluniacensi monasterio honorificentissime receptus, illic obijt. Cui Guido Viennensis archiepiscopus, natione Burgundus, substitutus est à cardinalibus qui aderant, Calistus appellatus: prosapia oriundus Franciæ, Angliæ & Alemanniæ regum. Qui non prius pontificatum acceptauit, quàm cardinalium Romæ manentium cleriq; & populi consensum obtinuit: quo habito, Romam uenit, & magno honore desiderioq; receptus, Beneuentum se transtulit: sacramentoq; nouo illa- C rum prouinciarum principibus adactis, & maxime Guilelmo Rogerio genitus, Roberti Guistardi filio, Apuliæ duce, Romam redijt: missisq; legatis, pacem cum Henrico quarto firmauit, & rursus Beneuentum petijt. Causa itineris fuit, quod Guilelmus dux Apuliæ atque Calabriæ, cum Alexij imperatoris græci filiam ducturus uxorem Constantinopolim nauigasset, tutelam terrarum suarum pontifici reliquit. Sed Rogerius Siciliæ comes consobrinus suus, quàmprimum illius recessum intellexit, prius Calabriam occupauit, quàm pontifex opem ferre posset. Hinc motus pontifex, Beneuentum petijt: sed multis suorum amissis, ipseq; ægrotus, Romam relatus est. Rogerius etiam Apuliam sibi subegit: & Guilelmus uxore frustratus, ac dominio eiectus, apud Salernitanum principem sine filijs obijt. Ex quo tempore Rogerius se regem Italiæ appellauit. Calistus ualetudine redintegrata, apud Lateranum noningentorum patrum concilium celebrauit, in quo de subuentione Christianis danda, deliberatum est, apud Hierosolymam laborantibus.

Ex libro quinto

secundæ Decadis.

Alduinus secundus, prioris Balduini consobrinus, apud Hierosolymam regno potitus, secũdo anno Gazin Turcorum minoris Asiæ ducem, cum magnis copijs Hierosolymam petentem, bello superatum coniecit in carcerem. Sequenti anno Damasci regem ex improuiso ad portas usq; Hierosolymitanas cum quindecim millibus pugnatorum delatum, commisso prælio in fugam uertit, duo millia cecidit, mille captiuauit, triginta tantum de suis amisit. Cum Venetis ut tantis sibi in oppressionibus opem ferrent, fœdera pepigit. Sed priusquàm illi aduentarent, Balach Parthorum rege Hierosolymam magnis exercitibus petente congressus, superatus & captus est, & apud Carras in carcerem cum multis Christianis proceribus coniectus. Calistus pontifex ex concilio Lateranensi ad opem ferẽdam Venetos excitauit. Et Varmundus per id temporis Hierosolymitanorum patriarcha, doctrina & religione conspicuus, idem suadebat, promittens Venetis, quæ prior Balduinus promiserat, rata futura. Veneti anno MCII. duce domino Michaële, ducentarum nauium classem armauerũt & ad Ioppen delati, quam Saraceni Babylonici cum septingentarum nauium classe preme bant, disiectis fugatisq; Barbaris multis eorum captis, obsidionem soluerunt, Patriarcha per terram pariter adiuuante. Deinde communiter in Tyrum ductum est, quã prius sæpe tentatam, nunquam Christiani obtinere potuerant: sed tunc multo Venetorum sanguine capta, & Hierosolymæ regno addita est: tertiaq; pars Tyri & Ascalonis si caperetur, cum multis priuilegijs Venetis assignata est. Balduinus precio redemptus Hierosolymam redijt. Per quod tempus Hemanuel græcorũ imperator Carloioanni suffectus, Christianis tantam uictoriam inuidens, Venetis imperauit ut Dominicum Michaëlem ducem suum reuocarent. Is reuocatus, Rhodum, & post Chium græci imperatoris insulas spoliauit, & in Chio beati Theodori martyris corpus inuentum rapuit, quod Venetias delatum est: Samum, Mitylenas, Andrumq; diripuit, & Mothonium spoliatum com muniuit. Spalatum & Traguriam ab Vngaris eripiens, Venetorum dominio subiecit: domumq; reuersus intra trigesimum mensem, lapidem secum attulit super quo Christ9 apud Tyrum sedisse fertur. Per hæc tempora Gregorius ille antipapa, qui alio nomine Burdinus appellatus est, apud Sutrium se continuit, Cetani tyranni auxilio fretus: euntibusq; Romam ad concilium magna impedimenta præstitit. Calistus oppidum obsedit, & oppidani Burdinum dediderunt: qui camelo conuersa in bestiæ caudam facie impositus, Romam perductus cum magno plebis ridiculo, in Canense monasterium detrusus est. Calistus quinto anno sui pontificatus obijt, suffectusq; illi est Honorius secundus ex agro Imolensi genitus: cuius tempore liberatus Balduinus, Bohemundo alterius magni Bohemundi filio uita functo, ut aliqui uolunt, principatũ Antiochiæ Hierosolymitano regno coniunxit, et Raimundo Guilelmi ducis Austriæ filio, cui superioris Bohemundi filia nupserat, tenendam concessit: regem Ascalonitarum Aegyptiorum copijs fretum unico prælio repulit: & paulò post Baldequinum Damasci regulũ maioribus copijs Hierosolymitanum infestãtem agrum, tribus prælijs superatũ, multis cæsis captisq; fudit. Interim Romæ anno MCXXX Honorio defuncto, Innocentius secundus subrogatus est, de regione Transtyberina oriundus. Hic Rogerium apud sanctũ Germanum castra habentem ex improuiso aggressus, magno impetu repulit: eoq; oppido capto, tyrannũ in castro Gallutio obsedit. Sed Guilelmus Calabriæ dux Rogerij filius cum exercitu superueniens, commisso prælio, papam cum cardinalibus cepit, & patrem liberauit. Vsus tamen modestia Rogerius, pontificem & cardinales liberauit, & quicquid uoluit præter regni titulũ ab eo obtinuit. Interim Petri Leonis filius Petrus, Romæ in antipapã assumptus est, & Anacletus appellatus. Qui recepto ecclesiarũ argento, conflata pecunia, multis in Vrbe corruptis, potentiã Innocentij in Vrbe obruit. Innocẽtius sibi timens cũ Romam redijsset, fugiẽs per Pisas & Genuã, migrauit in Franciã: et interim antipapa Rogerium

Ann. salu. MCXXX.

D E F

A rium in partes suas traxit, regem utriusq; Siciliæ appellatum. Innocẽtius celebrato apud Clarũmontẽ concilio, in quo Petrum antipapam damnauit cũ sectatoribus, Aurelianũ se contulit: & salutato rege Philippo, Carnotum petijt: ubi Henricũ Angliæ regem obuium habens, pro salute fideliũ eum est allocutus: & in Lothoringiam flectens, Lotharium Leodij repertum, à Germanis regem electum, sacramento adegit expeditionis parandæ, qua Romam duceretur: & altera Synodo Remis habita, in Italiam redijt. Concilioq; Placentiæ celebrato, Pisas se contulit: quam ciuitatem cũ Genuensi diu dissidentẽ composuit. Genuensem episcopum, qui Mediolanensi suberat, archiepiscopum fecit, tribus Corsicæ episcopis illi cum Bobiensi subiectis. Pisanis quoq; archiepiscopum dedit, tribus alijs Corsicæ episcopis & Populoniensi sibi submissis. Lotharius in Italiam uenit, & itinere continuato per Ianiculum intrauit Vrbem, & pontifex per pontem Mammeum in Lateranum deductus est. Antipapa delitescente, rebus compositis, imperator in Germaniam redijt, & põtifex Pisas cõcilium celebrauit, in quo antipapam iterum damnauit. Sed Romæ antipapæ fautores cum auxilijs quæ Rogerius suggerebat, caput attollere cœperunt. Quare iterum accersitus Lotharius, Italiam repetijt, & Pisani classem auxilio papæ paratissimam eduxerunt: quæ Amalpham, Riuellumq;, & multa oppida ui capta diripuit, & pontifex cum imperatore Barulum duxit. Rogerius impetum ueritus in

B Siciliam nauigauit, et omnia perdidit quæ in Italia obtinebat: quibus pontifex Rainonẽ Lotharij imperatoris comitem, attributo ducatu Apuliæ titulo, cum aliquot Germanorum cohortib. præfecit, Romamq; redijt, & inde Lotharius in Germaniam. Obijt tunc antipapa, occulteq; sepultus est: & alter ei subrogatus, ad misericordiam pontificis confugit. Pontifex Laterani concilium habuit, constitutionemq; ædidit, ne quis laicus manum uiolentam mitteret in clericum: & fame Italiam uexante, Romani senatores creauere, qui Vrbem administrarent. Quibus actis, pontifex anno millesimo centesimo quadragesimotertio defunctus est, & Celestinus secundus ei suffectus. In Asia uero Balduino rege defuncto, Andegauensium comes Fulco illius gener, tertio loco Hierosolymæ regnum accepit: in quem, duobus filijs militaris scientiæ peritissimis tanquã legatis utentem, raro Barbari ausi sunt incurrere. Turci tamen sinum Persicum incolentes, multa uirorum millia in agrum Antiochenum duxere: in quos ruens Fulco, tria millia interfecit, & totidem captis Hierosolymam duxit. Excitatus ad eam cladem rex Alaph, gente Turcus, Babylonijs auxilijs fretus, Edissam Mesopotamiæ ciuitatem inuasit, quam Balduinum à fratre Gothfredo obtinuisse diximus. Capta est urbs à Barbaris, crudeliterq; direpta, omnibus occisis qui Christum abnegare noluerunt: nobilibus mulieribus super altare sancti Ioannis Baptistæ, quod scirent nostris religiosissimũ, uiolatis. Fulco autem in uenatione dũ leporem sectatur, equo in caput euerso, occubuit: Balduinusq; filius eius

C nominis, regnum accepit. Celestino defuncto, Lucius tertius Bononiensis successit, quo tempore Edissæ urbis euersio nunciata est. Edissa ea urbs est, ad quam Tobiam filium suum misisse Gabelo sacræ literæ tradunt, quamq; Thaddæus apostolus ad fidem Christi conuertit, & in qua beati Thomæ ossibus decorata Abagarus regnũ obtinuit: qui datis ad Iesum epistolis, scripta manu dei responsa percipere meruit: quæ tempore euersionis, quatuor et quadraginia annis Christianis paruerat. Clarus erat hoc tempore Bernardus Clarauallẽsis abbas, qui principes adiens, hortatus est crucem aduersus Saracenos assumere: inter quos Conradus Sueuus nomẽ suum dedit, qui Lothario in Romanorum regno successerat. Sed medio tempore Rogerius per negligentiam pontificum in Italiam reuersus, cuncta quæ amiserat recuperauit: & classe in Aphricam ducta, regem Tunisij ad tributum compulit, quod annis plusquàm triginta persoluit. Conradus uero magno cruce signatorum exercitu comparato, Constantinopolim peruenit: ubi ab Emanuele secundo Græcorum imperatore seductus, Iconium ducere persuasus est, promissis ex Cõstantinopoli commeatibus, qui aliunde haberi non possent. Obsessa est urbs admodum munita: sed cum scelestus imperator græcus farinæ quam mittebat gipsum immiscuisset, exercitus morbo afflictatus est, ita ut Conradum re infecta in Franciã retrocedere oportuerit. Præstitit tamẽ ea Conradi expeditio id emolumẽti, quod Balduinus rex quartus

animo auctus, Ascalonem diu obsessam cepit, cum paulò prius Gazam urbem antiquissimam, sed penitus derelictam reædificasset, & fratribus templarijs inhabitandam concessisset. Ausus est etiam Balduinus Turcorum satrapas Hiericontinos opprimêtes aggredi: ex quibus prælio superatis, quinque millia interfecit, & deinde Noradinum Damascenorum militiæ principem Hierosolymorum agrum infestantem, magna clade affectum, in Damasci mœnia persecutus est. Inter hæc Lucio Romæ defuncto, Eugenius tertius electus est, Pisa oriundus, sancti Anastasij abbas, quē beatus Bernardus monachum fecerat. Hic intelligens Romanorū conatus, qui senatores confirmari suos cupiebant, ad Farsense monasterium noctu in Sabinos abijt, ibiq; consecratus est, cœpitq; molestantes Romanos molestare. Qui pace petita, magistratu se abdicarunt, & pontifex Romam redijt. Sed intelligens dolose agere Romanos, Tyberi elapsus est: quem Romani haud secus quàm Gelasium olim, & nostra ætate Eugenium quartum, iniectis telis persecuti sunt. Ille Pisas, & deinde in Franciam nauigauit: ubi reperto Bernardo, ad regem Franciæ Ludouicum se contulit, cumq; cruce signauit. Quem Constantinopolim profectum, Hemanuel haud aliter quàm Conradum decepit, per deserta Syriæ ducere persuasum, adeo ut lacerum exercitum in Antiochiam hyberna ducere sit compulsus. Sed Rogerius rex Siciliæ Hemanueli infensus, classe parata Corcyram insulam, Corinthumq;, ac Thebas & Euboiam de imperio græco accepit: duxissetq; Constantinopolim, nisi Venetorum classem timuisset, quæ in sinu Adriatico LX triremium erat. Flexit igitur ad Asiæ littora, magna Christianorum felicitate: Ludouicum enim Franciæ regem qui à sancti Simeonis portu soluens Palæstinam petebat, Saracena classis fortè interceperat: cui Rogerius casu obuius, Saracenos ipsos prælio fudit, Christianumq; regem gaudens liberauit. Interim Veneta classis ea recuperauit, quæ Rogerius occupauerat, & immunita reliquerat. Rogerius Francorum rege apud Ioppen dimisso Constantinopolim delatus, suburbia eius præsente Hemanuele incendit: & palatium aliquandiu oppugnatum cum capere nequisset, usque adeo pugnando progressus est, ut poma imperialis horti ad ostentationem sua manu legerit. Rediens autem à Veneta classe inuasus, undeuiginti triremes amisit. Conradus, Ludouicus, & Balduinus simul iuncti, Damascum obsidere pergunt. Hanc urbem Abrahæ serui fundauerunt: quæ campestrem habet agrum, natura solis sterilem & aridum, nisi quatenus aquæ fistulis cuniculisq; subductæ irrigant: quarum humor reddit terram omnium feracem et consitionibus præstantissimam: paruusq; amnis in regione unicus proxime mœnibus delabens, parua ab illis dirimitur terræ lingula, consitionibus omnium in orbe preciosissimis contecta, in qua reges castrametati sunt: fuissentq; breui potiti urbe, aqua prohibentes, nisi dolo cuiusdam Assyrij iandudum Balduino fidi, sed nūc pecunia corrupti, ad aliam urbis partem castra mouissent: tanquam ibi mœnia facilius rumpi possent. Quo facto, Damasceni fluuio potiti, munitionibus adiectis, Christianos aquatione prohibuerunt, & annonæ transitum impediuere. Ob quam rem siti fameq; laborantes Christiani, obsidionem soluerunt. Ludouicus & Conradus comminutos & male habitos exercitus in Europam reducentes, ad propria sunt reuersi, anno M. C LII. Quo tempore Eugenius Romam reuersus, honeste receptus est: qui Tarracinam, Sitiamq;, & Norbam, ac Fumonis arcē, quæ loca tyranni occupauerant, in deditionem recepit: & Tybure obiens Romam delatus, in basilica beati Petri sepultus est: Anastasio quarto illi suffecto, ciue Romano. Cui breui defuncto Adrianus quartus successit gente Anglicus, qui ab Eugenio tertio in Noruegiam missus cardinalis, prouinciam illam Christianam effecerat. Hic pontifex requisitus, ut administrationem Vrbis, consulibus liberam permitteret, renuit: neq; Lateranum ad consecrationem de more faciendam proficisci uoluit, nisi prius Arnoldus, Brixianus hæreticus ab Eugenio damnatus, ab urbe pelleretur. Quod cum illi differret, cardinalis sanctæ Pudentianæ dum ad pontificem pergit, uia sacra grauiter uulneratus est à populo. Adrianus interdictum posuit: quod dum sacra hebdomada grauiter sustineretur, uicit pontifex ut Arnoldo pulso, & consulibus depositis, sublato interdicto cum honore Lateranum deduceretur. Interim Guilelmus Siciliæ rex, qui defuncto Rogerio

Ann. salu. M. C. LII.

D E F

A gerio successerat, Beneuenti suburbia & Cæperanum, Babucumq; oppida occupauit. Quem Adrianus excommunicatum, regni titulo priuauit, subiectosq; à iuramento absoluit. Fredericus primus gente Sueuia, per hoc ipsum tempus imperator destinatus, Longobardiam ingressus, Terdonam obsessam ui cepit, magnaq; celeritate Romam contendit. Pōtifex Viterbij agens, Vrbemueterem deinde ad ciuitatem Castellanam se contulit: conciliationeq; per internuncios facta, in agris Sutrinis imperatori occurrit, debitam reuerentiam exhibenti: quem paulò post in basilica sancti Petri coronauit. Interim portæ Vrbis clausæ fuerunt. cum consules parum cum Papa concordes imperatorem suspectarent. Sed plebs Romana inconsultis consulibus per pontem Traiani eruptione facta, Theutonicos in Vaticano obuersatos, multis interfectis spoliarunt: in quos mox ultio facta est ab exercitu qui in pratis Neronis habebat castra. Sed lenitus imperator à Papa, captiuos dimisit. Ob quam rem Papa & imperator non uolentes per medium Vrbis transire, ad Mallianum se contulere: ubi transmisso fluuio per pontem Lucanum ad Lateranum uenerunt, ubi solennia peracta sunt. Tyburtini sua sponte sese dederunt. Sed cognito quod ad pontificem pertinerent urbem restituit, atque in Germaniam redijt imperator. Pontifex uero rogatus à proceribus regni, Beneuentum se contulit, maioremq; regni partem Guilelmo abstulit. Interea Palæologus nobilis quidam græcus, Hemanuelis secundi imperatoris græci nuncius Anconam uenit, & deinde
B Beneuentum: obtulitq; Papæ quinque millia librarū auri, et Guilelmi expulsionem de Italia, si sibi tres urbes Apuliæ maritimas permitteret. Quæ cum Guilelmus rescisset, ad misericordiam pontificis recurrens, restituere omnia promisit quæ de ecclesia abstulerat, & ultra nonnulla oppida tradere, Romanos rebelles subigere: & spacio temporis accepto, aurū quod Græcus promiserat persoluere, si absolutus in utroque regno confirmaretur. Quod cum pontifici placuisset, cardinales aliqui auaritia ducti impediuerunt. Guilelmus mox cum paratissimo exercitu Apuliam ingressus, omnia uastare cœpit, copijs Græcorum & Apulorum apud Brundusium prælio superatis: & Apuli Salentiniq; deditionem ei fecere. Pontifex cardinalibus indignatus qui malum consilium dedissent, Guilelmum ad se uocatum, apud Beneuentum in gratiam recepit, eumq; nouo sacramento adauctum, in utroque regno inuestiuit: & per Casinenses, Marsos, Reatinos, Narnienses, ac Tudertinos ad Vrbemueterem se contulit, primus pontificum Romanorum, à quo ea urbs inhabitata & cultior reddita est: ubi aliquandiu moratus Romam reuersus est. Sed malignam consulum conuersationem odio habens, Adriam petijt, ibiq; mortuus est. Alexander tertius papa Senensis, à *XXII* cardinalibus mortuo Adriano electus est. Octauianus Romanus tituli sancti Clementis presbyter cardinalis à tribus tantum prophanatus, Victor est appellatus. Orauit Alexander per legatos
C Fredericum imperatorem tunc Cremam obsidentem ut sibi assisteret: ille respondit, utrunque pontificem ad se Papiam ire oportere, iura partium auditurum. Qua re cognita Alexander Ananiam se contulit. Octauianus Signiam occupauit. Imperator duos episcopos ad Alexandrum misit, qui eum cardinalem appellatum ad concilium Papiæ uocauerunt: qui à pontifice confutati, Signiæ Octauianum uisitarunt, eumq; Papiam deduxerunt: quem imperator in concilio Papam declaratum adorauit, & equum eius de more per urbem deduxit, Alexander monitione præmissa, Octauianum & imperatorem excommunicauit, destinatis literis & nuncijs per orbem, qui suam iustitiam ostenderent: Romamq; redijt sui pontificatus anno secundo: ubi multos aduersantes inuenit, maxime cum Frederici exercitus præter Vrbemueterem & Ananiam, omnes ecclesiæ terras occupasset. Hortante igitur Philippo Francorum rege, in Campaniam reuersus Terracinam petijt, & deinde nauigio quod Guilelmus rex Siciliæ concessit, in Franciam profectus est, & in Montepessulano atque in Claromonte anathema imperatoris publicauit. Dum hæc aguntur, mortuo apud Hierosolymam Balduino tertio, Almericus frater in regno succedit. Qui in Aegyptios ducens, Drogmoni regis Aegyptij copiarum præfecto congressus, magnam in barbaris cædem ædidit, Alexandriamq; obsedit, quam Tiracunus Saladini Turcorum regis præfectus, Soldano Aegyptio fraude

ſubtraxerat. Alexandrini cum nullo pacto Chriſtianis ſubijci uellent, eatenus tamen Almerico ſe permiſerunt, ut in Soldani poteſtatem per ſuas manus reducerentur. Almericus ingenti pecunia recepta, Soldano urbem reſtituit. Sed cum fraude uſum Soldanum intellexiſſet, in eum ducens Charras, nunc Cayrum, urbem potentiſſimam obſedit. Fredericus interea tyrannica uſus poteſtate, Terdona ſpoliata, Mediolanum ſolo æquauit, eiusq; populum in ſex portarum tribus diuiſum, in ſex loca decimo abinde milliario habitare coëgit. Cremonam maximis affecit incommodis: ob quam rem Veronenſes, Patauini, Vicentiniq; Venetorum conſilio uſi, fœdus inter ſe percuſſere, ut ſoluto imperatori tributo, nihil ei ulterius obedirent. Fredericus in Veronam ducens, cum auxilia aliarum ciuitatum eò perueniſſent, retroceſſit, Papiamq; ſe recepit: miſſisq; oratoribus regem Franciæ rogauit, ut Alexandrum ad concilium duceret, cum Victorem ipſe ducturus eſſet. Dictus eſt conuentui locus apud Diuionem, ubi Sauo fluuius Gallos diuidit à Germanis: rebusq; Italiæ ut potuit ordinatis Fredericus ad concilium profectus eſt, Scotiæ ac Bohemiæ regibus, magnisq; armatorum ac prælatorum ſtipatus copijs, Octauianumq; deduxit. Deinde proceſſit ad Sauonis pontem Philippus rex Anglorum rege Henrico ſociatus, Alexandro apud Dolenſe monaſterium Aquitaniæ relicto, concilium adire negante, quod ipſe non inſtituiſſet. Retroceſſit igitur in Germaniam Fredericus, & Alexander concilium apud Turonum indixit, in quo multa decreta ſunt, & Senona pontificalis ſedes data. Interim Octauianus Lucæ mortuus eſt, & Guido Cremenſis in antipapam ſubrogatus, & ciuitatum in Italia ſocietas aucta, Cremonenſibus, Brixianis, Bergomenſibus, Mediolanenſibusq; diſperſis, & Placentinis eis ſe adiungentibus. Romani creatis conſulibus Alexandri amicis, eum ex Francia reuocarunt: qui primo Siciliam petijt, mare delatus, anno millesimo centeſimo ſexageſimoquinto. Poſtquam Romæ Alexander fuit, ciuitates Longobardiæ erectæ ſunt, & imperij munitas nonnullas arces abſtulerunt. Qui magnis copijs comparatis, iterum in Italiam reuerti ſtatuit. Hemanuel uero imperator paulò ante hoc tempus Venetis aperte hoſtis declaratus, & Stephanum Vngariæ regem ſibi amicitia coniunxit, illis inimicum. Ob quam rem Veneti qui tutari imperium Græcorum conſueuerant, eius ſibi prouincias ſubijcere cœperunt, duos ſimul hoſtes perpeſſi. Et Dalmatæ, Hiſtri atque Liburni ut nulli ſubijcerentur, ſimultam eorum amicitiam per uices ludificabant. Facta eſt claſsis quinquaginta triremium: quæ in Hiſtros miſſa, Polam, Rubinum, Parentium, Hemoniam, & Humagum Venetis ſubegit. Adrianus quartus Gradenſem eccleſiam primatum ſuper omnes ducatus Venetiarum Hiſtriæ & Liburnorum eccleſias obtinere declarauit. Quod cum Henricus ueteris Aquileiæ patriarcha ægre ferret, fauore Stephani Vngariæ regis uſus, Gradum capere intentauit. Sed claſsis Venetorum auxilio miſſa, patriarcham & ſeptingentos nobiles ex Foroiulij & Vngaria cepit. Qui ea lege dimiſsi ſunt, ut ſingulis annis Foroiulienſes tributum penderent duodecim porcorum, & duodecim panum, qui ſinguli ducentarum librarum eſſent: qui uſque ad hoc tempus exhibiti ſunt, in uenatione quæ poſtremo carniſpriuij die Venetijs habetur. Et deinde ſequenti anno Arbenenſes Liburniæ populus ſubacti ſunt. Stephanus rex Vngariæ ſimulata cum Venetis amicitia, duas ex nobilitate Vngara uirgines, duobus filijs ducis Veneti matrimonio copulauit: eoq; poſt breui in Dalmatos ducente, Spalatum, Tragurium, Sibinicumq;, Venetis rebellare ſuaſit: Tarderenſes quoque in rebellionem adduxit. Anconitani item Hemanueli græco ſubiecti, Venetos infeſtabant. Sed dux eorum Guiſtardus captus, à Venetis ſuſpenſus eſt, qui triremes quinque ducebat. Anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto, claſsis Veneta Vngaros Iadera deturbauit, murosq; aperuit ad mare reſpicientes, ducentis obſidibus ex nobilitate acceptis. Dalmatæ territi, eiectis Vngarorum præſidijs, Hemanueli ſe dediderunt: qui ſub fide publica, una die omnes Venetos & omnia eorum nauigia ſub imperio ſuo exiſtentia, cum maximis mercimonijs intercepit. Studebant Veneti eum placare quoquo poſſent modo. Interim uiginti eorum naues fuga elapſæ redierunt. Ob quam

Ann. ſalu. MCLXV.

Ann. ſalu. MCLXVI.

A rem animo erecti, classem centum triremium, & uiginti nauium armauere, quibus Histri decem triremes addidere. Hæc classis Tragurium diripuit, Ragusium cepit, Nigropontum obsedit. Sed spe potiundæ urbis amissa, Chium duxit, insulamq; ui cepit. Atque peste ibi suborta, Michaël Vitalij dux redijt domum, & in tumultu uulneratus obijt. Sebastianus Zianus ditissimus ei suffectus est. Inter hæc Fredericus Barbarossus in Italiam cum magno exercitu reuersus, blande ciuitates allocutus, nulli noxius, in Bononiensem agrum descendit, & parte copiarum missa in Hetruriam, quæ antipapam Lucæ manentem aliquantulum erexit, ipse Anconam profectus eam urbem obsedit, & per barones & amicos res urbis Alexandro infestas reddidit. Interea sociæ in Lombardia ciuitates Mediolanum reædificarunt, & solito munitiorem urbem fecerunt. Laudenses societati accesserunt. Per hoc tempus Guilelmo Normanno rege Siciliæ apud Panormum defuncto, alter Guilelmus filius successit. Et Hemanuel græcus imperator, missis legatis Romam, obtulit se cum omni ecclesia orientali, uelle pontificem Romanum orbis Christiani caput recognoscere. easq; copias in Italiam mittere, per quas facile Fredericus expelli posset Italia: pecuniasq; ingentes promisit, si ad imperium occidentis, uniuersalemq; monarchiam redintegraretur. Ad quam rem exploratius intelligendam pontifex anno sui regiminis septimo legatos Constantinopolim misit. Per quod tempus Romani Thusculanos, Albanosq; odio persequentes, qui tributa immoderatius impetrata pendere noluissent, reclamante pontifice, populariter mense Maio in Thusculanos duxere. Ranio comes, quem ducatu Apuliæ Innocentius secundus & Lotharius imperator ornauerant, inde deiectus à Rogerio Thusculanum regebat. Qui accersitis Germanis apud Nepesum, Sutrinumq; sedentibus, in Romanos delatus, tantam eis cladem intulit, quantam apud Cannas ab Annibale olim acceptas ferunt. Illud constat, quod nunquam postea Romani caput extulerunt. Germani usque ad Vrbis portas grassati sunt: & Fredericus Ancona dimissa celeriter Romam uenit, & in pratis Neronis castra posuit: nec potuit suburbium Vaticanum defendentibus Alexandri familiaribus expugnare: qua re iratus, basilicam sancti Petri incendisset, nisi æditui eum furentem ingredi permisissent. Papa Laterano dimisso in Frangepanensium domos sese recepit, quæ apud Paladium erant. Guilelmus rex Siciliæ duas triremes & magnam uim pecuniæ Papæ misit, ut sibi consuleret. Pontifex remissis triremibus, cum duobus cardinalibus consilium petijt à rege de rebus agendis. Fredericus uero missis in Vrbem archiepiscopis, populo pacem promittebat, si inter duos Pontifices, Romani ipsi causam cognoscere uellent, & eum qui esset dignior accipere ex ipsis duobus: uelletq; omnia reddere ecclesiæ quæ occupasset. In quas cōditiones cum populus inclinasset, Alexander noctu abijt ad Circeium primo, & deinde Caietam, Beneuentumq; accessit. Fredericum uero pestis expulit, in exercitu suo magna damna efficiens. Abijt ergo in Lombardiam: ubi cum ciuitates aduersus se coniuratas, bello intentare cœpisset, territus eorum apparatibus, in Germaniam recessit: hostibus abeuntem usque ad Alpes insequentibus. Moxq; sociæ ciuitates Alexandriam condiderunt apud Roueretū, locum Tanaro amni adiacentem: quæ ipso anno aggere fossaq; & plancato munita, quindecim millia uirorum cultores habuit. Et Romani in Albanos ducentes, eam urbem suorum progenitorum olim patriam, funditus euerterunt. Idem in Thusculanis egissent, nisi pontifex eos deterruisset. Hemanuel alios oratores misit, priora promissa & maiora congeminans, si occidentis imperium sibi committeretur. Alexander cuncta respuit. Interim Guido Cremensis in basilica sancti Petri, quam Frederici præsidio obtinebat, mortuus est: & Ioannes Sirmiensis abbas ex Pannonia, uir pridem furto infamis, illi suffectus est. Raino sibi timens ei Thusculum tradidit, ea conditione, ut oppidum Montisflasconis à Germanis obtineret. Antipapa ea die qua fuerat admissus, à Thusculanis eiectus est. Et Raino à Flasconensibus minime admissus, cum frustra Thusculum repeteret, ad pontificē qui Verulas uenerat se cōtulit, & ius quod in Thusculano habebat ei donauit. Thusculani quoq; publico consilio Alexandro ad se uocato, deditionem fecere. Ibi oratores regis Angliæ Henrici auditi sunt, pur-

gantes infamiam quam de nece beati Thomæ rex incurrerat. Pontifex duos cardinales ad rem inspiciendam misit in Angliam. Quibus rex dimisso Hibernico bello quo erat intentus, apud Normandiam occurrit, reque discussa ad hoc uentum est, ut Henricus iuramento sese purgauerit, promiseritque pœnitentiam agere pro nece sancti uiri: cuius etsi fuisset insons atque inscius, occasionem tamen præstitisse sit uisus, quia illum uiuentem minus debito honorauerit: ducentos insuper milites Hierosolymam missurum, qui annum ibi perseuerarent, & sese intra trienniũ aduersus Barbaros cum exercitu quem cogere posset profecturum, libertatemque ecclesiæ in suo regno redditurum, appellationesque ad Romanam curiam libere permissurum. Hisque rebus iureiurando sua sponte addidit, sese ac filium regni consortem Angliæ, regnum ab Alexandro pontifice permissum ita obtinere, ut neminem posthac Angliæ regem fore declarauerit, qui à Romano pontifice non esset appellatus. Alexander Romanis oratis ut se intromitterent, negocia solum ecclesiastica curaturum: cum eijceretur, Signiam se contulit, ibique cardinalibus ex Anglia reuersis, auditis miraculis beati Thomæ, ipsum canonizauit. Et paulò post inter Henricum regem & filium suum Viramum nomine, cui rex Franciæ Philippus filiam uxorem dederat, bellum exortum est, cuius causa Aquitania magnis flagrauit incendijs. Secundo post necem beati Thomæ anno sedatum est tamen hoc bellum, legati Papæ interuentu. Et Fredericus quinto in Italiam redijt per montem Cinisium, Secusam dolo captam diruit, Astenses territos in deditionem accepit. Alexandriam per quatuor menses media hyeme durissima pressit obsidione, deinde per inducias suffossa cuniculis ciuitate, milites intromisit, qui noctu portas aperirent. Sed illis trucidatis, ab erumpente populo magnum accepit incommodum, & in die paschatis obsidionem soluit: Papiamque pergens, occurrentibus hostibus in agro Terdonensi, per legatos inducias cum eis pepigit, designatis prælatis ac proceribus qui de pace tractarent. Atque ita ipse Papiam, & ciuitatum exercitus suam quique domum petiere: placuitque omnibus nihil incõsulto Alexandro de pace agere. Cremonenses quorum consules copias tardius eduxerant, illos amouerunt, & eorum palatia destruxerunt, ne uiderentur per amicitiam Papiensium collusisse. Veneti durum existimantes Hemanuelis bellum, legatum ad eum misere Henricum Dandulum, quem libere locutum, contra ius gentium Hemanuel (candentia inspicere coactum ænea) excæcauit: eaque res fecit ut cum Frederico pacem, & cum Gulielmo rege Siciliæ fœdus in annos uiginti Veneti percusserint. Interea Almericus rex Hierosolymitanus Charras obsidens, quamuis spe potiundi non careret, pecunia tamen placatus abscessit. Et Ascalonem paulò post ducens, male prouisus commeatibus, infecta re domum redijt. Cui non diu postea defuncto, Balduinus filius, sextus Hierosolymæ rex suffectus est: qui etsi lepra percussus fuit, regnum tamen fortiter & prudenter administrauit. Fredericus cum nouas ex Alemannia copias aduocasset, pacem ab Alexandro, ciuitatibus petitam, concedere recusauit: ob quam rem Mediolanenses, Papiensem Comensemque agrum hostiliter populati sunt. Et Alexander nouæ urbi Alexandriæ episcopum dedit anno millesimo centesimo septuagesimoquinto, & sui põtificatus decimoseptimo. Copiæ Frederici per saltum Domussulæ Comum peruenere, & Brixiani Veronensesque, Nouarienses & Vercellenses præsidia Mediolanensibus misere. Qui exeuntes cum charrocio, in rus Barilianum ad horam diei tertiam peruenientes uia Comensi, septingentos equites præmisere: quos Germani usque ad charrocium repulere, ibique atrocissimum prælium commissum est: & signifer imperatoris cum aquilam in confertos hostes temere intulisset, confossus, aquilaque primarium imperatoris signum, in hostium potestatem facta est. Fredericus uero ad aquilæ suæ casum ira potius quàm timore percitus, impetum in hostes inconsultius fecit: dumque multos manu etiam ipse sua uulnerat, interficitque, equo suffosso prolapsus, occubuisse creditus est. Magna in Germanos, maior in Papienses atque Comanos occidio commissa. Victor Mediolanensis exercitus domum redijt, præda ingenti militi concessa. Imperatrix Comi relicta, mutata ueste uirum luxit, missisque oratoribus cadauer à Mediolanensibus petijt sepultura decorãdum.

Ann. salu. MCLXXV.

Sed ille

A Sed ille quinto die prius apud Papiam imperatorio habitu per urbem incedere uisus est, quàm uiuere eum populus resciſſet. Proceres id ſibi accidiſſe propter eccleſiæ perſecutionem palàm dixere: & archiepiſcopi proteſtati ſunt ſe defecturos niſi pontifici reconciliaretur imperator. Quibus minis territis Fredericus, oratores miſit ad Ananiam, qui pacem ab Alexandro peterent.

Ex libro ſexto

ſecundæ Decadis.

Conuentum eſt Ananiæ, ut pontifex Bononiam, imperator Mutinam ſe conferret: quod eo modo facile poſſet ad colloquium perueniri. Pro qua re complenda, pontifex ad Garganum montẽ ſe contulit, ubi triremes à Guilelmo Siculo tredecim miſſas reperit: hiſq; Venetias delatus, magno honore exceptus eſt: & itinere terreſtri ſex cardinales Bononiam miſit. Fredericus Mutinam uenit, ad quem Cremonenſes Terdonenſeſq; relictis ſocijs defecerant. Dum hæc geruntur, Noradinus rex Turcorum obijt, & Saladinus illi ſuffectus eſt, omnium in illa gente fortiſsimus & prudentiſsimus: qui rege Aegypti per arma capto B atque occiſo, Aegyptum ſibi Syriamq; ſubegit: attriuiſſetq; Chriſtianos in Aſia, niſi Balduinus quartus eodem anno quo ille, regnum accepiſſet. Hic enim ad tertium regni annum Saladini copias apud Aſcalonem fudit, & alio prælio apud Tyberiadem uiginti millia Saracenorum, Turcorum & Arabum, præſente Saladino profligauit. Præfecerat Saladinus Aſiæ, Armeniæ & Ciliciæ Soldanum quendam gente Turcum cum paucis copijs. Interim Hemanuel ſecundus Ciliciam ingreſſus, eam ſibi ſubegit, & in Aſia minori apud Cuneum primariam urbem caſtra poſuit. Soldanus qui ad regnum aſpirans, cum decem millibus in propinquo conſedit, petens ab Hemanuele, ut parte ciuitatum quas ceperat retenta, quod erat reliquum ſibi relinqueret, & fœdera ſecum iniret. Quod cum ille recuſaret, ſimulata fuga in arctiſsimas fauces ſeceſsit, poſitis cuſtodijs, quæ ſequentem Hemanuelem includerent. Hemanuel inſecutus cum omni exercitu captus eſt, eaq; lege dimiſſus, ut reſtitutis quæ occupauerat, pacem conſtanter ſeruaret. Interim anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimoſeptimo, oratores Frederici Venetias ad pontificem profecti, Bononiam ſuſpectam dicunt, & Ferraria pro conuentu eligitur. Erat quadrageſimale tempus, & pontifex ducem Venetum aurea roſa donauit, petijtq; Ferrariã: ubi rurſus mutatis conditionibus Venetijs conuenire placuit, ea lege, ne prius imperator admitteretur, quàm pacem iureiurando firmaret. C Conceſsit igitur Fredericus pacem Alexandro in ea formula, quam ſemper optauerat, & Guilelmo regi Siciliæ. Quindecim ſocijs uero ciuitatibus in ſex annos pacem dedit. Veniensq; Venetias, in oſtio ſancti Marci ad pontificis pedes proſtratus, illos exoſculatus eſt, & deinde ad altare maius ambo principes ſeſe amplexati & oſculati ſunt. Paulò poſt Fredericus Rauennam & Bretenorium ſe contulit. Quod oppidum cum ſibi retinere uellet, à pontifice rogatus reſtituit eccleſiæ. Alexander cum triremibus Guilelmi Siculi tredecim, & quatuor Venetis Sipontum redijt, ac per Troiam & Beneuentum, Caſinenſemq; ſaltum, Ananiam ſe contulit. Ioannes antipapa in caſtelli Montiſalbani latebras ſe abſcondit. Romani miſsis ad papam legatis de pace egerunt: quæ ut facilius componeretur, pontifex Thuſculum petijt. Nec tamen euincere potuit, ut annis iam quinquaginta continuatis, tolleretur abuſus conſulum. Illud tamen actum eſt, ut creati à populo conſules, non prius ad magiſtratum cuſtodiendæ urbis admitterentur, quàm fidei ſeruandæ pontifici & eccleſiæ ſacramento ad eius pedes adacti eſſent. Quibus conſtitutis pontifex Romam tertium reuerſus, magnoq; honore exceptus, Concilium Laterani celebrauit. In quo prohibitum eſt, ne ferrum, ligna, arma'ue Barbaris infidelibus importarentur. Quo anno Hemanuel ſecundus græcus imperator moriens, Alexium puerum, cui Philippus

rex Fran-

rex Franciæ Agnetem filiam desponsauerat, imperij successorem reliquit, Andronico græco regia prosapia oriundo tutore dato, qui aliquot annis pro puero administraret imperium. Et Balduinus quartus, cum morbo deterrente uxorem ducere noluisset, sororẽ suam Sibyllam Guilelmo Montisferrati Marchioni, cognomine Longaspata, uxorem dedit: quæ primo anno filium peperit, nomine Balduinum, anno millesimo centesimo octuagesimo primo. Quo tempore Alexander tertius Romæ obijt, & Lucius tertius ei succesit, Luca urbe gente nobili oriundus. Andronicus uero ad imperium aspirans, omnes Latinos qui frequentes Constantinopoli habitabant, & pupillo fauebant, publico edicto expulit: nauigantemq; deinde laxandi animi gratia imperatorem Alexium in mare præcipitatum necauit: & assumpta purpura imperium usurpauit, primariosq; in urbe ciues interfecit. Quæ dum Constantinopoli agerentur, Guilelmus Longaspata Monteferratensis Balduini regis gener, & alterius Balduini infantis genitor, Hierosolymæ est defunctus. Ob quam rem Balduinus quartus nepoti consulturus, Sibyllæ nouum uirum dedit Guidonem de Lusignano Pictauorum gente oriundum: ea lege adiecta, ut se mortuo, Guido pro nepote Balduino quoad pueritiam supergrederetur, regnum gubernandum acciperet: cui regina mox permissa est. Lucius autem pontifex, dum fauentibus quibusdam ciuibus Romanos deponere consules adnititur, ex Vrbe deturbatur, & fautoribus suis qui non effugerunt, effosi sunt oculi. Pontifex Veronæ Concilium conuocauit, ut rebus orientalibus subueniretur. Nam Guido Lusignanus Hierosolymitani regni administratione suscepta, cum nimis superbe ageret, à Balduino rege deiectus est: à quo & Balduinus puer rex iunctus est, Bertrando comite Tripolitano tutore designato, & administratore regni constituto. Per quod tempus Saladinus regnum Hierosolymitanum populatus est, multis mortalibus interfectis, & præcipue Templarijs. Ob quam rem Heraclius patriarcha Hierosolymitanus Veronam ad Lucium pontificem uenit, & deinde ad regem Franciæ Philippum abijt auxilia petens. Philippus multos milites Hierosolymam ituros ad pontificem misit. Interim Guilelmus rex Siciliæ ulturus iniuriam Latinorum aduersus Andronicum expeditione parata, Thessalonicam Macedoniæ urbem accepit, & multas Græciæ Thraciæq; ciuitates partim afflixit, partim subegit, non audente Andronico occurrere, qui suis ciuibus esset infestus, quos uel occideret uel damnaret exilio. Qua necessitate impulsi Constantinopolitani, Isach quendam imperiali prosapia genitum, ex Peloponneso uocatum, ad imperium sublimarunt. Qui Andronicum prælio superatum captumq;, singulis mutilatum membris, in acerbis cruciatibus uitam finire coëgit. Lucius uero pontifex, Guilelmum Siciliæ regem qui pacem cum Isach composuerat, Hierosolymam mittere cum Francorum militia statuit. Sed dum nuncij iter peragunt, uita defunctus est Veronæ: cui Vrbanus tertius de gente Cribella Mediolanensi succesit. Fredericus autem primus imperator, Henricum filium suum prouincijs quas in Italia obtinebat, præfecit. Et Adrenses dum per Venetos eorum archiepiscopus ad Gradensis patriarchæ obedientiam reuocatur, ab eis deficiunt, Belæq; tertio regi Vngariæ se subijciunt. Tunc quoque quartus Balduinus Hierosolymæ uitam finiuit. Nec potuit Tripolitanus comes, tutor designatus quinti Balduini, curam eius suscipere, Sibylla pueri matre Guidonemq; Lusignano prohibentibus. Et Balduinus ipse puer septimus rex, ad octauum postea mensem defunctus est: cuius mortem genitrix tandiu occultauit, donec largitionibus ac blanditijs patriarcha & proceribus in suam uoluntatem adductis, Guidonem creari regem obtinuit. Tulit eam iniuriam grauiter Raimundus comes Tripolitanus, atque in ultionem regis inducias cum Saladino constituit, per quas Tripolitanus comitatus à fauore Christianorum separatus est, simulq; Tyberiadis & Galilææ principatus, quæ Raimundo per uxorem nouiter acceptam parebat. Erant eo tempore induciæ cum Saladino Christianis omnibus, quas per hanc discordiam rumpere satagebat. Princeps enim Montisregalis Christianus, ultra Iordanum dominium tenens, undique Saracenis circundatum, qui annonam perpetuo anni tempore

A tempore Hierosolymam importabant, inscio rege inducias temere uiolauit. Ob quam rem Saladinus tempus esset ratus perficiendi quod optabat, quinquaginta millia equitum, peditum uero innumerabilem multitudinem congregauit, atque ad Ptolemaidam castra metatus est, quam Templarij possidebant: qui educentes pugnam commisere, ac prælio superiores cruentam obtinuere uictoriam: Nam uir fortissimus magister hospitalis, & meliores quinque de suis ceciderunt. Raimundus interim Tripolitanus Tyberiadem communiuerat, parum Saladino fidens: atque uxore ibi relicta Tripolim reuersus, ueritus ne Christiani delerentur, Guidoni regi reconciliatus, à Barbarorum recessit inducijs. Saladinus Ptolemaida omissa, Tyberiadem obsedit. Magister templi Hierosolymam confugerat: quo compulsore Tripolitano comite instante, Guido rex copias eduxit equitum triginta millium, peditum quadraginta millium: qui facto itinere, cum loco aquarum irriguo castro ponere statuissent, præuenti sunt à Saladini copijs, & in loco arido pernoctare coacti. Saladinus id intelligens, relicta obsidione Tyberiadis, in castra uenit Christianis opposita: & in aurora commisso prælio, Christianos siti laborantes & prorsus deficientes in fugam uertit, cædemq; magnã ædidit. Tripolitanum comitem ab amico seruatum barbaro, Tyrum fuisse deductum fama increbruit. Guidonem regem & templi magistrum cum notioribus Christianorum militibus seruatis, Saladinus uinctos abduxit: religiosos à prælio seruatos securi percussit. B In hoc prælio magna pars crucis salutiferæ ligni amissa est. Hac uictoria potitus Saladinus Acconem duxit: quam Christiani cum singulis uestimentis abire permissi, e uestigio dediderunt. Captum est deinde Beritum & Biblium, & amnis maritima usque ad Ascalonem. Ascalonitæ uero munitionibus fisi, non nisi post captam Hierosolymam deditionem facturos se responderunt. Oberat multis Christianis Saladini humanitas, quæ nullum populum urbe eiecit, tributa pendere uolentem, nec ulli fidem fregit. Per hoc tempus Conradus Marchio Montisferrati Tyrum applicuit, nauigio uectus imperatoris Isach, cuius sororem in matrimonium acceperat, propter opem illi datam aduersus græcum nobilem ad imperium aspirantem. Et eodem die comes Tripolitanus de fuga ab infausto prælio eodem se contulit: qui uir perfidus Conradi suspectam uirtutem ducens, relicta Tyro Tripolim accessit, ubi morte subitanea defunctus est, & cadauer eius circuncisum repertum: Saracenus enim fuerat affectus: Tripolisq; Antiocheno principi est commissa. Et per id tempus classis Gulielmi Siciliæ regis quadraginta triremium apud Tyrum apparuit, quam Margaritus Siculus præsidio Christianorum ducebat. Saladinus Ascalonem reuersus, decem diebus oppugnatam urbem ea conditione recepit, ut Guidonem Lusignanum regem, & templi magistrum liberatos, Tyrum deduceret. Interim Turcorum alia manus Laodiceam, dedentibus C Christianis, accepit: quæ Arabum aucta turmis, dum in Antiochenis agris debacchatur, ab erumpente Christiano milite tantam cædem perpessa est, quantam uix superioribus annis Christiani pertulerant. Saladinus Ascalone munita, auctis copijs quæ ab Antiochena populatione diffugerant, in Hierosolymam duxit, frustraq; decem diebus ad occidentalem plagam urbem oppugnauit. Sed continuatis rursus uiginti diebus, per uaria loca oppugnationibus obsessa, ingens multitudo desperatione magis suppetiarum adducti quàm oppugnantium metu, ea conditione deditionem fecerunt, ut cum suppellectili, quam singuli humeris ferre possent, abire permitterentur. Facta est deditio secunda Octobris die, anno nono & octuagesimo postquam Christianorum fuerat. Migraturi Christiani, Heraclium patriarcham & clerum facto agmine sunt secuti: & pars Antiochiam, pars Tyrum aut Alexandriam petijt: Classis Margariti eos in Siciliam uexit. Saladinus Hierosolymam ingressus, campanas primũ turribus eiecit, in sanctis basilicis stabulatus est: templum Salomonis conseruauit: quod priusquàm ingrederetur, aqua rosacea lotus est. Manserũt Hierosolymis Christiani Asiæ oriundi non parua multitudo, Suriani, Armenij, Iacobitæ, Georgiani & Græci. Saladinus in Tyrum duxit, quam Guilelmus publico concilio defendendam, & perpetua ditione tenendam acceperat. Qui Sicula classe adiutus, Saladinum damno affectum repulit: ille in

ille in Antiochiam duxit. His cognitis Vrbanus tertius, qui de ferenda Christianis ope, generale promulgauerat edictum, Venetiasq́ petere statuerat, in itinere apud Ferrariam obijt: & Gregorius octauus origine beneuentanus illi suffectus, pari ardore incensus, Pisas profectus, Genuēses ac Pisanos dum composuisset, lege adiecta, ut in Asiam pro tuenda religione ducerent, octauo & quinquagesimo die Pisis obijt: & tertius Clemens Romanus pontificatum accepit. Saladinus cursum uictoriæ prosecutus, ciuitates quinq; & uiginti de principatu Antiocheno intra tres menses cepit, ipsamq; Antiochiam, corrupto multo auro patriarcha eius, obtinuit. Ad edictum autem Clementis multi principes excitati sunt, ut arma pro religione sumerent. Præcipui fuere Fredericus imperator, Philippus rex Franciæ, Ricardus rex Angliæ, & Oddo Burgundiæ dux, cum multis archiepiscopis & episcopis. Veneti quoq; & Pisani paratissimas eduxere classes. Venetæ præfuit archiepiscopus Rauennas, & Pisanæ præsul Pisanus Guilelmus rex Siciliæ pacato à piratis mari, annonam omnifariam, & ex Sicilia & Apulia profecturis ministrauit. Frisones quoq; & Dani triremes quinquaginta, & duodecim Flandrenses armauere. Qui transeuntes in Mauritaniam, & Africæ littora flectētes, Saracenos magnis incommodis afflixerunt, & Siluinā urbem quadraginta diebus obsessam, ui captam diripuere, mortalibus crudeliter occisis: propter quam rem tardius in Asiam peruenere. Bela rex Vngariæ pro salute Christianorum pacem dedit Venetis. Appulerunt Veneti ac Pisani Tyrum, spemq; Christianis dederunt. Guido Lusignan9, regio tumens nomine, per id tempus Tyrum se contulerat, ut eius urbis dominio potiretur. Sed ciues Conrado Monteferratensi fidem seruantes, eum bonis uerbis eduxerūt: ipse uero coacto exercitu ex reliquis Christianorum Tyri congregatorum, Acconam duxit, in cuius castra Veneti & Pisani copias exposuere. Gaufredo Lusignano fratri suo rex, montis dorsum quod urbi imminet, communiendum attribuit, ipse cætera belli munera obiuit. Et superueniente Iacobo Auennio Brabantini ducis præfecto cum Flandrensibus, Frisonibus ac Danijs, copijs auctus, bina fossa communita, stadio inuicem distantibus urbem cinxit. Saladinus uero multis undique contractis copijs, castra sua Christianorum castris contulit, ita ut assidue & ab eo & ab oppidanis Christiani sagittarum iactibus uexarentur. Pugnatum est una die totis uiribus, & cum Christiani propemodum uictores essent, casu ob fugientem equum & ipsi fugere cœperunt, fuissentq; ad internecionem cæsi, nisi Gaufredus ad custodiam castrorum re[illegible]ctus, eruptione facta hostes repressisset. Duo milia ex Christianis cæsi sunt, inter quos Templariorū magister & Andreas Bremensis comes uulnerati in castra delati, perierunt. Anno ac dimidio durauerat tunc apud Ptolemaidam obsidio, & fames ac dysenteria castra inuasit Christianorum: in cuius remedium placuit ab hostium castris annonam petere: & triginta millia ex omni natione sublatis clamoribus ad hostium castra profecti sunt. Saladinus fuga simulata, castra sine custode dimisit, annona & omni suppellectili plena: ad quam rapiendam dum Christiani absque timore incumbunt, ipse ad eam partem sua castra contulit, unde erat ad suos Christianis reditus, oneratosq; inuadens, strauit & occidione maxima confecit. Interim Sibylla uxor Guidonis regis, & filij quatuor quos ex ea susceperat, ex dysenteria in castris periere. Isabelis Sibyllæ soror, & ipsa quarti Balduini, Hierosolymæ sexti regis filia uirgo, Herfrando Toronio nobili adolescenti desponsata erat, cui Hierosolymæ regnū sublata Sibylla iure debebatur: atq; in eam spem Herfrandus adolescens gratiosus à Christianis proceribus attolli cœperat. Sed Conradus Ferratensis marchio Isabelem Tyri agentem rapuit, & consummato cum ea matrimonio, Hierosolymæ regni titulos usurpauit. Quod malo exemplo factum principes ægre tulerunt. Sed necessitas annonæ, quæ aliunde quàm ex Tyro haberi non poterat, adulandum illi suasit. Ipse uero largitionibus & munificentia potentiores quosq; sibi obligabat. Interim Guilelmus rex Siciliæ Panormi obijt, sine legitimo successore, ita ut regnum ad ecclesiam deuolueretur. Sed magnates adulterinum sibi regem instituerunt Tancredum, Rogerio regi Normanno ex concubina genitum, uirum secordem: quem Guilelmus nec fratrem spurium appellare uoluit. Misit Clemens tertius in Cala-

Rei militaris astutia.

D

E

F

A in Calabriã & Apuliam copias ad regni recuperationem: quibus dum Tancredus resistit, omnia citra Farum rapinis & cædibus uexata sunt. Durante obsidione Acconis, Fredericus imperator ex Alemannia cum amplissimo exercitu profectus per Vngariam Thraciamq́; Constantinopolim petijt, quem Isach imperator quamprimum potuit Bosphorum transire hortatus est, eius potentiam reformidans. Fredericus Philomeniam urbem cepit de Turcis, & Iconium delatus, adiacentem regionem populatus est. Armeniam minorem ingressus, omnia in potestatem suam redegit: sed dum lauandi causa rapidum amnem inexploratò ingreditur, submersus est. Eius copiæ in agrum Antiochenum delatæ, partim morbo, partim fuga dissipatæ sunt. Dum autem Fredericus Bosphorum traijcit, Philippus aut Ricardus reges Gallico Tyrrhenoq́; mari Messanam delati sunt: ubi uentis oblatis, Philippus felici nauigatione Ptolemaidæ portum attigit, & castra Christianorũ auxit. Ricardus tempestate in Cyrum delatus, cum à Græcis portu prohiberetur, excandens insulam ui expugnatam spoliatamq́; firmo suorum præsidio communitam reliquit, atque in castra ad Ptolemaidam se recepit. Oppugnabatur urbs acriter, sed inerat ualidum præsidium Saladini, à quo sæpe eruptione facta, Christiani incommoda recipiebant. Interim mortuo Romæ Clementi, Celestinus tertius, & ipse Romanus subrogatus est, qui ægre ferens Tancredum regno Siciliæ poti-
B ri, Constantiam Rogerio Normanno rege natam uirginem in monasterio Panormi agentem, occulte educi curauit, eamq́; natu grandiorem, cumq́; filios procreatura uideretur, Henrico sexto Frederici Barbarossi filio dispẽsatione apostolica in matrimonium copulauit, eumq́; in regem à Germanis electum imperatorem constituit, regnumq́; Siciliæ citra & ultra Farum sibi concessit, reseruato censu cum terris ecclesiastici iuris. Hẽricus mox Thusculam Celestino reddidit. Ipse uero Romanis inconsulte illud tradidit. Qui oppido mox diruto, saxa ad memoriam conseruandam destructæ urbis in cliuo Capitolino posuerunt. Henricus & Constantia Neapolim obsederunt: sed peste exercitum inuadente, re infecta, ad Alemanniam abierunt. Continuata est oppugnatio Ptolemaidæ annis duobus, & denique ea conditione deditio facta est, ut pars crucis dominicæ, quam suprà perditam diximus, restitueretur, & barbari cum uestimentis in tuta perducerentur: pars Philippo, pars Ricardo deducenda commissa est. Sed cum dominica crux minime reperiretur, Ricardus commissos sibi crudeliter trucidauit, Philippus cum Christianis captiuis commutauit. Saladinus his damnis affectus, multas ciuitates aperuit, quas diffisus est tueri posse: inter quas Porphyriam, Cæsaream, Ascalonem, Gazam & Elan: & Ricardus Ioppen instaurauit, Christianisq́; repleuit. Cogitaueratq́; Balduinus Hierosolymam reddere Christianis, quod consiliũ discordia inter Philippum & Ricardum orta commutauit, cum alter alterum in agendis perturbaret. Phi-
C lippus simulato morbo, ut creditum est, ex Asia recessit, Oddoni Burgundo relicto exercitu. Ricardus maiori animo ad res agendas incubuit. Per quod tempus Conradum Monteferratensem Tyri in foro agentem sicarij duo, Arsacidas Saraceni uocãt, gladijs confoderunt: qui se morti deuouent, ut hostes suæ superstitionis occidant, æternam inde salutem sperantes. Hi de fuga retracti, exquisitissimis cruciatibus perierunt. Henricus autem Campaniæ comes Isabele regina in uxorem traducta, Tyri dominium accepit, sed regni titulos recusauit, quia regem Franciæ subsequi festinabat. Ricardus Guidonem Lusignanum blande appellatum, in eam sententiam duxit, ut pecunia non grandi, rebus Christianis auxilio sibi dissoluta, relicto regno Hierosolymitano ac Tyri & Ptolemaidæ dominio, ad quæ aspirabat, regnum Cypri perpetuò possidendum acciperet, quod ille ab Anglicis traditum sibi & posteris suis, in hæc usque tempora continuauit. Ricardus & Oddo Burgundus Hierosolymam obsidendam petere statuerunt, sed in itinere à Saladino uexati, confligere coacti sunt: in quo prælio quamuis superiores essent, Iacobus tamen Auennius interfectus est, & ipsi apud Bethlemibilem castra fecerunt, commeatumq́; interceperunt, qui ab Aegypto Hierosolymam portabatur. Quod si tunc Hierosolymam obsedissent, erat opinio Saladinum minime in ea urbe mansurum, neque inuenturum qui remanere uellent: sed Ricardus hyemem ueritus,

V Ascalo-

Ascalonem concessit: quam pariter & Gazam instaurauit: Templarij tamen Gazam D
muniuerunt. Oddo apud Tyrum hyberna egit. Veneta & Pisana classis tertio iam anno defessæ domum repetere statuerunt: sed odijs inter se concertantes, magni mali causa fuere. Pisanæ classis pars Polam petijt Histriæ urbem, Venetis tributa pendentem, & apud eam captam hybernauit. Veneti exarmata priori, nouam triremium decem, nauiumq; cæterarum sex emiserunt: qua Polam ducta, uiq; capta, classem Pisanorum incendunt, & Mothonum profecti onerarias Pisanorum naues à Tanai redeuntes intercipiunt, murosq; Polæ subuertunt. Deinde pax inter utranque ciuitatem magno Pisanorum dãno facta est. Ricardus Angliæ rex cum parata essent omnia ad obsidendam Hierosolymam, accepto nuncio quod rex Franciæ Normanniam uexaret, domum reuerti statuit: & maxime cum frater suus Ioannes, ad regnum Angliæ aspiraret. Quod cum rescitum esset, turpi conditione cum Saladino pacem fecit: nam ciuitates omnes restituit præter Tyrum & Ptolemaidam, cum castellis aliquibus & agro usq; ad Ioppen. Rediens autem in Austrinis captus est, & magno auro redemptus, de quo noua ciuitas murata est. Liberatus multa cum Franco rege contentione certauit. Oddo Burgundiæ dux cum copijs suis ad Ptolemaidã Tyrumq; se recepit. Sæpe rogatus Henricus Campanus, ut Hierosolymæ regni titulos acciperet: quod ille prorsus renuit, delitijs potius quàm bello natus, cupiens domum reuerti. Sed dum aulam suam apud Ptolemaidem incaute circuit, delapsus fracta ceruice interijt. Eisdem fermè diebus Guidone Lusignanio Cypri defuncto, regnum Almericus frater accepit: qui Isabele Henrici relicta in uxorem sibi copulata, regni Hierosolymæ titulos ad illam spectantes, simul & Tyri Ptolemaidæq; principatum accepit. Saladinus quoque eodem tempore mortuus est, qui multo elogio interulam, qua sola cadauer suum condiendum statuerat, lancea sublimem per compita uicosq; ferri iussit, clamariq;, Saladinum Asiæ dominatorem nihil aliud ex tanta opum affluentia secum ferre. Huius obitus spem non paruam Christianis dedit. Saladini enim frater filijq; grauissimis inter se odijs decertarunt: & Christiani Biblium pecunia redemptum, contra fœdera receperunt. Apud Siciliam uero Tancredus & filius infans Rogerius mortui sunt. Et Henricus Romanorum imperator à Celestino uocatus in Italiam uenit, & Constantia uxor eum secuta est, filium afferens quadrimum, quem præter opinionem nimis annosa pepererat. Is secundus Fredericus persecutor ecclesiæ postea fuit. Henricus paruo negocio capta Neapoli, citra & ultra Farũ regnum accepit: & à pontifice uocatus, cum per se Hierosolymam petere non posset, ad quod erat requisitus, archiepiscopum Maguntinum & Saxoniæ ducem, cum magnis copijs destinauit. Saraceni uero maritimam incolentes, ulteriorem Hispaniam ingressi, regem Castellæ prælio superatum ceperunt: qui usq; hodie in Granata manent. In Vngaria Bela mortuo, Henricus filius eius natu maior, regnum accepit: Andreasq; minor F
conspiratione magnatum, fratrem eijcere conabatur. Ventũ erat ad arma, & acies utrinque prodierãt, cum Henricus armis depositis, omni destitutus comitatu, regale sceptrũ manu gestans, per fraternas acies est delatus, quærens quis tandem ille foret, qui regio sanguini manum inijcere auderet: frater denique inuentus, à uiro forti imbecillior obtruncatus est. Germanorum copiæ per Vngariam Thraciãq; in Asiam trãsiere, & Ptolemaidam peruenere: iusseruntq; inducias rumpi cum Saracenis ad eam diem seruatas. Berinthum à Turcis derelictum Christiani impleuerunt, munieruntq;. Petierunt Germani Turonium, Turensis agri oppidum munitissimum, illudq; obsederunt: sed ab hostibus repulsi sunt. & tunc Berinthum à Christianis desertum Turci recuperarunt, solamq; Ioppen Germani ab impetu Turcorum conseruarunt. Romæ mortuo Celestino, Innocentius tertius Ananinus papatũ accepit: quo impellente, Simon de Monteforti Gallicus, fama clarus, cum aliquot Francorum cohortibus Tyrum classe delatus est. Interim Henricus imperator Messanæ ægrotans, uxorem & filium ad Innocentium pontificem Romam mittens, eos sibi commendauit: Philippum uero germanum Herruriæ ducem, quantum in se fuit, Romani imperij & gubernationis regni Siciliæ, quousque filius adoleuisset, administrationem retinere quæsiuit, & deinde obijt.

Quibus

A Quibus rebus in Asia auditis, exercitus Germanorum inde recesit cum magno Christianorum damno, maxime Ioppiensium: in quos delati Turci Saraceniq; furentes, nec deditionem eorum accipere uoluerunt. sed ui captos, ad unum omnes interfecere, & urbem à fundamentis euerterunt. In Germania pars electorum Othonem, ducis Saxoniæ qui fuerat in Asia germanum elegit: pars Philippum ab Henrico institutum censuit conseruandum. Rex Franciæ Philippo, rex Angliæ Othoni fauebat. Innocentius autem Othonem confirmauit: nec tamen destitit Philippus, sed Hetruriam in Italia, Sueuiam in Germania præsidio muniuit. Constantia uero Frederici secundi filij sui adhuc pueri Siciliæ regnū utrobique administrauit. In Asia Barbari inter se diuisi, Christianis apud Tyrum Ptolemaidamq; manentibus, inducias concessere: & Simon de Monteforti cum copijs in Europā se recepit. Apud Cōstantinopolim imperatori Isach, quo Latini amicissime usi sunt, frater erat Alexius ætate minor, cum quo indulgentissime agebat, ut præter nomen imperij nihil ei deesset: quem à Turcis sua temeritate captum, imperator magna ui pecuniæ redemit. Sed is pessimo uir ingenio, fratrem dolo captum excæcatumq; misit in carcerem. Idemq; in Alexium nepotem Isach genitum, annos duodecim agentem, fecisset, nisi fuga elapsus fuisset. Hoc anno Bonifacius Mōtisferrati marchio, Balduinus Flandriæ, Henricus sancti Pauli, & Ludouicus Sabaudiæ comites, Venetias accesserunt cum quatuor millibus & quingentis equitibus, peditibus octo millibus, nauigio Asiam petentes. Rebellauerat per hoc tempus quinto à Venetis Iadera, Vngarisq; parebat. Cuius recuperandæ auidi Veneti, ea lege cum proceribus conuenere, ut præter Dalmatiam quicquid caperetur, æquis portionibus diuideretur. Armata est igitur classis sexaginta triremium, urseriorum centum & uiginti quibus equi portarentur, & septuaginta nauium onerariarum, duce Dandulo. Primi Tergestini & Muglenses, mare latrocinijs infestantes, domiti sunt, & Venetis tributarij facti. Ad Iaderam diutius opinione sessum est: quam multo effuso sanguine receperunt, & muros in mare uersos aperuerunt: ibiq; per hyemem iam sæuientem manere placuit. Primores eius urbis exiliū elegerūt. Interim Alexius puer, Isach filius, fuga in castra uenit, opemq; ad liberandum patrē petijt: quam proceres ea lege promiserunt, ut ecclesiā Græcanicam Romanæ subijceret: pro damnis quæ Hemanuel olim imperator Venetis ac Francis intulerat, triginta millia marchas auri dissolueret: pro naulo Venetis satisfaceret: atq; ita proceres profecti sunt. Interim alia classis Venetorū, Iadrēses exules qui mare infestabant, perdomuit: & acceptis obsidibus in patriā reduxit, ea lege, ut comitem qui urbi præesset, & archiepiscopū qui Gradensi patriarchæ deferret, à Venetis acciperent, & tres mille cuniculorum pelliculas tributum penderēt. Classis procerum Cōstantinopolim petens, ad Magna è regione Galatharum constitit, catena impediente ne ultra pergerent, quam fratricida parauerat. Interim Cretenses publico consilio Cretam

C Alexio puero dediderunt: quam ille Bonifacio Montisferrati paterna affinitate cōiuncto donauit. Medio tempore catena perrupta est, & ciuitas mari terraq; oppugnata. Theodorus Laschera adulterini imperatoris gener, eruptione facta impetum fecit, cruentoq; prælio superatus, intra mœnia repulsus est. Biduo sine intermissione oppugnata est ciuitas, & postremo ui capta. Alexius fratricida nocte concubia fugiens, ingentem thesaurum (quod postea rescitum est) apud Hirenem filiam uirginem in monasterio defossum reliquit. Isach cæcus e carcere eductus est, & cum filio imperator acclamatus: qui cum satisfacere uellet proceribus, morbo obijt. Volebat & filius uti gratitudine, sed populus tumultuans magnis cum cōuicijs affecit, qui Latinis græcum aurū dare uellet. Puer pro tempore cauto usus cōsilio, ait se de cætero facturum quæ ciues suaderent: clamq; misit ad Bonifacium ut noctu cum parte exercitus ad se ueniret, cuius consilio cuncta esset peracturus. Fuit huius consilij conscius Alexius quidam Murtillus seu Morchulsus, quem Isach imperator ex infima plebe patritium fecerat: qui ad tyrannidem aspirans, de prima uigilia tumultum priori similem excitari curauit, Alexiumq; puerum titubātem, delitescere admonuit à suis satellitibus custoditum: ipse uero populum allocutus, pericula magna ostendit, remq; publicam uiro, non puero indigere. Po-

pulus,pars gubernatorem,pars ducem,pars imperatorem eum acclamauit. Qui magna stipatus caterua,in palatium se proripuit,puerumq; bis ueneno tentatum,cum non perijsset, eliso gutture manu propria necauit: & sedato tumultu,copias quas ex urbe contrahere potuit in Francos eduxit,qui prope castra habebant. Sed repulsus est magna ui, ita ut icona caperetur,quam sacerdotes in pompa detulerant. Oppugnata est urbs summa ui sexagintaocto diebus, & tandem capta est, cum nauium caueæ altiores muris, è propugnaculis ciues deturbarent. Tyrannus cum uxore & liberis aufugit. Proceres quindecim uiros ex omni exercitu delegerunt,qui urbis imperatorem & patriarcham assumerent,eo pacto,ut si imperator Venetus non esset, ipsi Veneti patriarcham eligerent,à Romano pontifice confirmandum. Balduinus Flandrensis summa concordia imperator declaratus est,& Thomas Maurocenus in sacris agens,in patriarcham Constantinopolitanum à Venetis assumptus: qui nouum imperatorem ex more inunctum diademate coronauit. Proceres ad occupanda dominia egresi,intra annum omnia recepere quæ fuerãt Imperatoris Isach,Adrianopoli excepta,in quã plures Græci odio Latini nominis se receperant. Quarta pars captorum oppidorum Venetis assignata est,quæ insulas continuit Aegei maris,Cretam,Euboiam,& alias minores. Sed quia Creta nomine Bonifacij tenebatur, Balduinus imperator Bonifaciũ regem Thessaliæ declaratum hortatus est, ut accepta pecunia quam Veneti darẽt,Cretam eis dimitteret,qui tunc castra aduersus Adrianopolim tenebant, unà cum imperatoris germano Henrico. Annuit Bonifacius,& Veneti Cretam obtinuere. Thomas Maurocenus Romæ ab Innocentio tertio confirmatus,dum ad ecclesiam suam redijt, cum quatuor triremibus Venetorum Ragusium urbem quæ à Venetis desciuerat recepit, & Dyrrachium à Græcis imperatoribus desertum instaurauit muniuitq;,denuoq; Balduinum,ut Innocẽtius iusserat,autoritate apostolica coronauit.Sed Balduinus ipse breui mortuus est, & Henricus frater eius loco suffectus. Obijt etiam Henricus Dandulus dux Venetus apud Constantinopolim,& Valachi gens olim Romana ultra Danubij ripam sita,Bulgarisq; uicina,cum magnis copijs à Græcis accersiti,Adrianopolim duxere,simul cum Bulgaris. Ob quam rem Henricus & Bonifacius obsidione soluta Constantinopolim petiere: per quod tempus Soldanus Iconij Saracenus ad Satelliam delatus,Græcã Europæ urbem, ex qua Christiani sæpe in Asiam traiecerant,eam ui captam diripuit, interfectis omnibus qui reperti sunt.In Hispania uero ad annum Innocẽtij tertium, Ilmamolinus Tunisij rex,maxima classe traiecit,primaq; ad Toletum castra fixit. Innocentius publico edicto Christianos ad Hispanorum tutelam inuitauit: multiq; Gallici eò conuenere cum Saracenis pugnaturi, sed ab Hispanis minime recepti sunt: ob quam rem Ilmamolinus inaudito usus est uictoriæ cursu,utranque Hispaniam peruagatus, usq; ad Arelatum & Auinionem omnia populationibus incendijsq; fœdauit. Postremo quatuor Hispani reges,Castellæ,Aragoniæ,Portugalliæ,atq; Nauarræ,copijs simul iunctis cum Saraceno congresi, maxima uictoria potiti sunt:nihilq; præter Granatam Ilmamolino remansit. Per hoc tempus Liuonia amplissima prouincia ad fidem Christi conuersa est, Innocentio curante: & beatus Dominicus hæresim apud Tolosam pupulantem extirpauit: adiuuante Simone de Monteforti, cum armis opus esset. Otho Romanorum imperator ubiq; à Philippo superatus,in Agrippina Colonia sese clauserat,ibiq; obsessus,cum ad congressum erupisset superatusq; esset, à Coloniensibus expulsus est: qui Philippo se dediderunt.Sed comes Palatinus appetitum insidijs Philippum interfecit,electusq; à Germanis Otho eius nominis quintus,Saxonum dux,sequenti anno ab Innocentio Romæ coronatus est. Vattaris Commo græcus quidam apud Adrianopolim Græcorum imperium usurpauit. Veneti liberum fecerunt,ut in Græcia priuati ciues quæ caperent retinerent,reseruatis maioribus Reipub. Marcus Dandulus & Iacobus Viadrius Galliopolim occupauerunt. Marcus Sannutus cum confœderatis Naxum, Parum, Melum, Herinam obtinuit. Andrum & Ciclades plurimas idem Dandalus inuasit: Rabanus Veronensis Euripum: Andreas & Henricus Gisij, Timas, Micolas, Scyron, Scopelum, Scyathum: Philocalus Nauigosus Stalimineum: & clasis Veneta no-

A neta nouiter armata Corcyram cepit: Mothonum Coronumq́ rebelles subegit: dominus de la Roza Campanus ex Gallia, reliquijs Athenarum & Achaia potitus est. Henricus cognomento Piscator Maleæ comes græcus Genuensiũ auxilio fretus, cum Cretam uexaret, à Venetis cum magno damno repulsus est. Per hoc tempus cum Almericus rex Cypri & Hierusalem frigide rem administraret, proceres in Asia agentes, eo deposito à regno Hierosolymitano, Ioannem de Bregna celebris famæ militem ex Gallijs uocauere. Qui cum multis copijs Constantinopolim delatus, & imperatoris Henrici nauigio fretus, nonis Septembris, anno millesimo ducentesimonono Ptolemaidam peruenit, filiamq́ Conradi olim Montisferrati marchionis, & Hierosolymæ regis, in id reseruatam uxorem duxit, cum qua Tyri coronatus est, & nuptiæ pompa regia celebratæ. Interea Otho imperator iuramenti sui desertor, Montemflasconis, Radicofanum, & in Romãdiola multas de ecclesia terras occupat: cõuersusq́ ad regni Neapolitani regiones, eas capere adnixus est, Frederico secundo cuius curam pontifex gereret, nihil tale suspicante. Innocentius monitum imperatorem ut desisteret excommunicauit, perseuerantemq́ imperio & Alemanniæ regno priuauit. Ob quam rem Bohemiæ rex cum Maguntino & Treuirensi archiepiscopis, Lanthgrauio Toringiæ, atque Austriæ duce, suadente Philippo Franciæ rege, Fredericum secundum Siciliæ regem uicesimũ agentem annum, in Romanorum regem elegerunt. Otho in Alemanniam redijt, & Papa

B omnia recuperauit quæ amiserat. Rabanus Veronensis qui Nigropontis insulam tenebat, feudatarium Venetis se subegit. Idem fecit Gothfredus Gallicus, qui in Achaiæ principatu domino de la Roza successerat: & Michaël Comminos græcus nobilis cum parte Peloponnesi. Sed cum Creta rebelli animo esset in Venetos, ipsi anno millesimo ducentesimo decimoquarto missis ex urbe ciuibus, eam in coloniæ formam redegerũt, Iacobo Teupolo primo ibi duce constituto. Per quod tempus imperator Constantinopolitanus & Veneti, cum Vattari Commino Adrianopolim obtinente, in quinq; : & cum Soldano Turcorum in duos annos inducias fecere. Interim Fredericus secundus Romam uenit: & cum petitam à pontifice coronam non obtinuisset, in Alemanniam reuersus, à Maguntino archiepiscopo regni Alemanniæ diadema suscepit. Et in Lothoringiam profectus, cum Ludouico regis Franciæ primogenito societatem belli pacisq́ pepigit. Otho imperio priuatus, Ioannis regis Angliæ auunculi sui, & Reginaldi Bononiæ urbis maritimæ comitis, societatem quæsiuit. Reginaldus à rege Franciæ suo comitatu deturbatus est: ad quem recuperandum rex Angliæ cum Ferrando comite Flandriæ fœdus inijt. Sed Philippus Franciæ rex Flandriam ingressus, Brugiam & Gandauum inuasit. Cuius classem apud Damportum relictam, comes Bononiæ incendit: & rex Frãciæ in Parisios redijt, maiores copias terra mariq́ paraturus. Quarum

C metu inductus Ioannes rex Angliæ, ad Innocentij tertij pontificis Romani protectionem confugit, Angliã, Hiberniamq́ Romanæ ecclesiæ feudatarias constituẽs, centum auri marchas quotannis soluere pollicitus: quod postea aliquandiu seruatum est. Post hæc Otho cum magnis copijs in Flandriam descendit, & rex Angliæ Andegauos in suas partes traduxit, oppidumq́ Rupesmonachi trans Ligerim obsedit: in quo loco à Ludouico regis Franciæ filio relictus est. Otho uero & Philippus ad pontem Bouinarum in agro Tornacensi congressi, non paruum prælium iniere: in quo Philippus equo deiectus, suorum hostiumq́ concursu oppressus, penè interijt: sed subleuatus uictor euasit. Otho duo millia de suis, Philippus uix trecentos desiderauit. Otho perditis aquilis in Saxoniam reuersus breui obijt. Et apud Constantinopolim Henrico imperatori defuncto, Petrus comes Antissiodorensis Gallicus suffectus est. Fredericus uero secundus Aquisgranium obsidione pressam recepit, ibiq́ autoritate Innocentij papæ regiam iterum de more coronã accepit: & ut gratum se ostenderet, signum crucis accepit, tanquam Christianis in Asia opem daturus: Fundanumq́ comitatũ Romanæ ecclesiæ perpetuò possidendum tradidit. Pontifex concilium apud Lateranum maximũ celebrauit, cui Hierosolymitanus & Constantinopolitanus patriarchæ interfuerunt, metropolitani septuaginta, episcopi quadringenti, & duodecim abbates, & primores conuentuales

octingenti: Græcorum & Germanorum imperatorum legati: regum Hierusalẽ, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ & Cypri oratores: in quo de subueniendo terræ sanctæ actũ est. D
Sed cum Pisani, Genuensesq; mari contenderent, & Longobardi terra se affligerent, pontifex ad eos pacandos iter faciens, Perusij mortuus est. Is hospitale sancti spiritus in Saxia, & turrim quæ Comitis appellatur, ad principiũ ueteris Suburbæ ædificauit: quod turris opus uelut insanum reprehensum est.

Ex libro septimo

secundæ Decadis.

HOnorius Almerico ciue Romano genitus, Innocentio successit. Ad quem Romam reuersum Petrus imperator Cõstãtinopolitanus, & Ioles uxor eius uenientes, in basilica sancti Laurentij extra muros coronati sunt. Et Ioannes cardinalis de Columna legatus declaratus est: qui ad res Asiæ reformandas cum copijs ab Innocẽtio excitatis transierat. Promiserat Petrus Venetis Dyrrachium eis recuperare quod Theodorus Epirotarum dux dolo captum, ueteri Græcorum iure retinere annitebatur. Misit ergo Iolẽ & cardinalẽ Cõstantinopolim, ipse Dyrrachium petijt, pluribusq; diebus oppugnauit. Sed cum bene defensam munitamq; urbem capere non posset, soluta obsidione, sub fide publica Theodori terra iter facere cõstituit: & in densis nemoribus per insidias interceptus ab eodem Theodoro, in teterrimum carcerem est coniectus. Interea Christiani proceres Acconi conuenere: Andreas Vngariæ rex, Venetorũ nauigio fretus, quibus omne ius cessit, quod in Dalmatia prætendebat: & dux Austriæ, Henricus comes Niuernensis, ac Gualterius regis Franciæ camerarius secuti sunt: consilioq; cum Ioanne Hierosolymæ rege inito, Damiatam Aegypti urbem obsidere statuerunt: annoq; millesimo ducentesimooctauo eò peruenerũt, mense Maio. Ea ciuitas Heliopolis olim dicta est, à Pertinace Helio conditore, triplici murorum dẽsissimorum munimento cincta, quam Nili particula ad Romani Tyberis magnitudinem ambit ut insulã oblongã arctamq; faciat. Turris Pharea, quæ suburbia à prædonibus custodiebat, & Soldanus munitiones addiderat, & tum suburbia ipsa annona & mercimonijs plena, capta & militi concessa sunt. Cum uero Nilus flante occidentali uento plus solito excreuisset, magnum Christianis damnũ intulit annona corrupta: sed paulò post tranquillitas secuta est: & Soldanus qui castra propè admouerat, terrore compulsus relictis castris aufugit, & Christiani magnam prædam multáq; annonam lucrati sunt. Conradinus Saladini olim filius, Hierosolymæ ultra retinendæ spẽ abiecit, & muro undiq; diruto, turrim Dauid & templum domini conseruauit, nec sepulchrum Christi uiolauit: precibus ut credibile est Christianorum ibi manentium. Sed dum oppugnatur Damiata, Soldanus reuersus est, & medio spacio inter Cayrum & Damiatam castra posuit, nec ut copiam pugnandi faceret induci poterat. Sed Gallici non magna manu eum irritantes, tandem erumpere coëgerunt, & magnum accepere damnum. Gualterius enim regis Franciæ camerarius, & Milo Mantoliensis, & uicecomes sanctæ Susannæ, intercepti sunt: & Ioannes rex manus facieq; cõbustus est. Et nihilominus obsidione continuata ad annum cum dimidio, Damiata tandem capta est, cum præsidium & magna pars ciuium pestilentia interijsset. Neque enim plusquam tria millia uirorum reperta sunt, cum ab obsidionis principio septuaginta millia fuissent. Noluerunt principes prius habitare urbem quàm cadaueribus purgaretur, quod opus Saracenis commissum est. Vrbs ditissima exercitum locupletauit. Interea dum Petrus biennio apud Theodorum carcere detinetur, Ioles uxor imperium prudenter administrauit. Qua mortua, proceres apud Constantinopolim agentes, Robertum Petri filium ex Gallijs accersitum imperatorem elegerunt. Et Honorius Romæ ordinem beati Dominici ipso instante confirmauit. Fredericus uero secundus mortua Constantia matre, quæ ipsum prolabi non sinebat, Romam uenit: immemorq; iuramenti pontificem persequi

Ann. sal. MCCXVIII (margin, beside "tendebat: & dux Austriæ…")

E (margin, beside "rum iure retinere…") F (margin, beside "& muro undiq; diruto…")

A persequi cœpit: propterea excommunicatus est & imperio priuatus. Apud Damiatam uero Ioannes rex Hierosolymæ plusquam sibi deberetur arrogans, cum à cardinali de Columna modeste reprehenderetur, Hierosolymam abijt, nec redijt nisi ter quaterq; rogatus. Statuerunt Christiani ad Cayrum Babylonemq; ducere: pontemq; occuparunt, quem Soldanus Nilo imposuerat: & postridie apostolorum Petri & Pauli natiuitate celebri, castra sunt posita, passus tria millia à Babylone Cayroq; semota: annona in duos menses suffectura Cayris aduecta, nec minore classe aduerso Nilo ducta. Soldanus simulans timorem nullo pacto ad prælium egrediebatur, sed expectato tempore quo Nilus inundare consueuit, crescentibus plus solito aquis, cataractas & aggeres pluribus in locis interrumpens, Christianorum castra adeò inundauit, ut supra cubiti altitudinem omnia tegerentur aquis. Quo malo territi Christiani, pacem petiere: quæ hoc modo data est, ut Damiata cum rebus in ea repertis Soldano dimissa, partem ligni crucis quam ille haberet, redderet, & captiuis uicissim liberatis, Christiani Acconem Tyrumq; redirent: pace octo annos cum Saraceno Turcoq; constituta. Damiata igitur quæ in festo Purificationis beatæ uirginis à Christianis habitari cœpta est, in eius natiuitate barbaris est restituta, anno millesimo ducentesimo uigesimoprimo. Quo anno Tartari gens Scythica, Georgianam, Armeniamq; maiorem direptas, suo imperio subiecerunt. Inde Riphæis *Ann. salu. MCCXXI.*
B montibus transmissis, latissimas regiones quæ Transyluanam Poloniamq; contingunt, late populati sunt: & Christiani duces cum cardinali de Columna in Europam rediere. Ioannes uero rex Hierosolymæ Romam uenit, & acceptis muneribus ab Honorio Pisas se contulit: Fredericoq; excommunicato, filiam quam ex Iole defuncta susceperat, in matrimonium despondit, ius quod in regno Hierosolymitano sibi competebat, dotis nomine donans. Hinc reges Neapolitani Hierosolymæ quoq; se reges appellant. Delatus in Franciam Ioannes, bona fortuna usus est. Philippus enim rex Franciæ moriens, testamento suo sexaginta millia libra argenti Parisiensium sibi reliquit, & totidem militiæ templi, tantundemq; magistro hospitalis Hierosolymæ. Perrexitq; deinde Ioannes uotum exoluturus beato Iacobo ad Compostellam, & Berengariam regis Hispaniæ sororem accepit uxorem, quo anno beatus Dominicus mortuus est, anno millesimo ducentesimo uigesimosexto. Fredericus uero Henricum filium decennẽ Alemanniæ regem dedit. Mortuo deinde triennio pòst Honorio, Gregorius nonus suffectus est Ananinus, de prosapia Innocentij tertij, qui ex Laterano propter caumata Ananiam petens, Fredericum monuit, nisi terræ sanctæ succurreret, prædecessoris sui anathemata expectaret. Promisit Fredericus primo Vere se iturum, & omnibus cruce signatis mãdatum est, ad diem dictam Brundusij cõuenirent. Magna multitudo in tempore adfuit: inter quos ex Germania præcipuus fuit Lantherauius. Sed cum nauigare cruce signati uellent, Fre- *Ann. salu. MCCXXVI.*
C dericus in Sicilia ægrotũ se finxit. Interim apud Brundusium multi Germani propter insolita caumata mortui sunt: inter quos Lãtherauius decessit. Quo audito, Fredericus ex insperato aduolans, omnẽ ditissimi principis suppellectilem diripuit, fingensq; uelle in Asiam nauigare, mare ingressus est, iussis omnib. subsequi. Sed eadẽ nocte trireme delapsus, Brundusium redijt. Ad eam famã Ioannes rex Hierosolymitanus cũ Berengaria uxore Bononiam uenit, nauigio Venetorum in Asiam traiecturus: quem audita Frederici perfidia, Gregorius pontifex exarchatus Rauẽnatis gubernatorem instituit. Cruce signati prius Acconẽ petiere quã fraudem Frederici nouissent, expectassentq; magnũ aliquod malum, nisi Conradini mors, Saladini quondam filij, intercessisset: cuius filiorũ tutor petitus, in duos annos inducias concessit. Pontifex autem sententias prædecessoris sui in Fredericũ latas confirmauit: & uxor Frederici filia Ioannis Hierosolymitani regis mox obijt, cui Cõradus filius puer superstes fuit. Hoc tẽpore Arragonũ rex Ferdinandus Maiorica insula & Valentia urbe potitus, Saracenis pulsis, Christianũ in illis ritum introduxit. Nauigauit tamen postea Fredericus usq; in Cyprum, ut spẽ daret Christianis in Asia quos sæpe deceperat: & magistro militiæ Ptolemaidam misso, Soldani Babyloniæ apparatus cognoscere curauit: Rainaldo in Sicilia dimisso, qui ecclesiasticos & põtificem op

primeret: qui Marchiam Anconitanam ingressus, pleraque oppida occupauit. Obierat per id tempus beatus Franciscus miraculis coruscans: ad quæ cognoscenda Gregorius Perusiam & Assisium petiit, gloriosumque uirum in sanctorum Christi numerum retulit. Interim alter Frederici satelles Conradus Fulginatum per factionem occupauit: qui tamen paulò post eiectus est. Fredericus ubi per magistrum militiæ satis cum Soldano res suas ordinauit, Acconem adnauigauit, & missis oratoribus Romam à pontifice absolutionem petiit. Sed pontifex nequitiæ illius non ignarus repulsam dedit, iussitque ut Cruce signati ab eo tanquam ab hoste cauerent: & Ioannem Hierosolymæ regem cum parato exercitu aduersus Rainaldum in Marchiam misit cum Ioanne cardinali de Columna: & alias copias in Campaniam: reiectoque de sancto Germano Frederici præfecto, qui dum Saracenis mercede conductis, eum saltum obtinebat, omnia usque Capuam cum ipsa urbe in potestatem suam recepit: lætatusque inde à Perusia Romam rediit, & præfecti Frederici relictis quæ occupauerant, de Piceno & Vmbria recesserunt. Fredericus interim Brundusium applicuit, & per magistrum militiæ Theutonicæ Brutenorum pacem à Gregorio impetrauit, centum uiginti millibus unciis in ærarium ecclesiæ relatis, ut imperator appellaretur, & nouam de regno Siciliæ infeudationem consequeretur. Venitque Ananiam, ubi à pontifice benigne acceptus, cum eo in mensa discubuit. Interim Perusini extorres post triennium reuersi, multa in aduersam factionem crudelitate sunt usi. Ad quos sedandos motus, papa eo se contulit, & uigintiduobus mensibus cum curia ibi desedit. Interim Romani in rebellionem pendentes, expulso consulum magistratu, Senatores quandoque unum, quandoque binos creari soliti, in hæresim quandam lapsi sunt: cui Hannibal ex gente Hannibaida nobilis Senator, cum quibusdam sacerdotibus sentiebat: quo autore populus in apertam rebellionem declinauit. Sed sequuta est mox Tyberis inundatio, qualem non uisam antea ferunt, & mox pestilentia quæ multos mortales abstulit. Venit tamen Romam pontifex, & præter Hannibalem quem deposuit, & clericos de hæresi conuictos, omnibus pepercit, cloacasque Vrbis mundari & nouas substrui curauit: pauloque post Ioannes de Poli senator substitutus, reclamante pontifice, copias in Viterbiensem agrum deduxit, in quo magnam uastitatem ædidit. Rebus autem compositis, pontifex Reatinam se contulit, & ea in urbe beatum Dominicum canonizauit. Et Spoletum postea petens, beatum Antonium Portugallia oriundum sanctorum Christi confessorum collegio aggregauit. Postea Ananiam rediens, oppida pleraque muniuit: inter quæ Pallianum quod Romani inuadere statuerant. Rebellauerant enim iam aperte Romani: quorum senator more antiquo legem rogauerat, populusque sciuerat, ut omnia circum adiacentia uectigal Romanis penderent. & Montaltum oppidum turri addita communiuerat. Nec tamen Romam petere Papa ueritus est, dissuadentibus cardinalibus. Sed cum nihil ibi proficeret, Reatinam repetiit, quo & Fredericus auxilia in Romanos pollicitus, ex improuiso se contulit, Henricumque filium ex concubina susceptum, quem regem Sardiniæ declarauerat, obsidem obtulit adstantem. Iussus est imperator legatum petere apud Montemflasconem, illicque adesse: sed cum apud Rispampanum agri Viterbiensis copiæ Romanorum aduersus militiam ecclesiæ paratæ essent, Fredericus illis adiunctus est, & fœdere facto Pisas, atque inde Germaniam repetiit. Interim Theutonici milites cruce signati qui nouiter uenerant à pontifice, conducti sunt: qui Romanis apud Viterbium magnum damnum intulerunt: cum quibus & Sabinus ager recuperatus est. Agentem Perusiæ pontificem, Vattari Adrianopolitani imperatoris, & Soldani Saracenorum Iconii oratores adierunt: quorum preces à pontifice spretæ sunt, & noui de religione Dominici ac Francisci prædicatores per orbē missi sunt, auxiliū cōtra Saracenos petentes, qui multorū animos cōmouerunt. Et tunc sancta Elisabeth regis Vngariæ filia miraculis coruscans, in cœtū sanctarū uirginū redacta est. Quæ quamuis Lantherauio Germano desponsata fuisset, intacta tamen obierat. Inter hæc Robert9 Antissiodorensis imperator in Constantinopoli Latinus, quāuis senex uirginē insignis formæ

A formæ græcam nobilem sibi despondit uxorem, non ignarus eam Burgundioni proceri à genitrice matrona diuite prius fuisse desponsatam. Burgundio furore accensus, noctu cum commilitonibus palatium puellæ ingressus, refractis cubiculi foribus, eam naso detruncato deformauit, genitricemq; proximo mari demersit. Nec imperator iniuriam ulcisci ausus est, Latinis iniustitiam eius, & Burgundionis audaciam damnantibus. Sed Robertus ipse paulò post obijt, & Balduinus ei suffectus est frater, cui exagonarum ad mare Ponticum imperator, procurantibus Venetis, filiam in matrimonium obtulit, multa contra Vattarim promittens: sed Latini hoc matrimonium impediuerunt, ueriti ne Balduinus soceri uiribus auctus, fraternam iniuriam ulcisceretur. Dicentes itaque Balduinum imperio gubernandum nimis esse iuuenem, Ioannem Brennum solo titulo Hierosolymæ regem, ex Romandiola euocauerunt: cuius filia nomine Martha Balduino desponsata est, eiq; post mortem promissum imperium: quem socer ad auxilia conquirenda in Gallias misit. Imperator exagonarum ea repulsa indignatus, filiam suam Theodoro Vattari filio, quod antea negauerat, despondit. Qua iuncti affinitate Græci imperatores arma iunxerunt, & multa de imperio Latinorum etiam Venetorum acquisiuere. Erant hoc tempore in Marchia Taruisina nobiles cæteris præstantiores, Ecelinus Alberinusq; de Romano, apud Bassianum Carrasienses, & B marchiones Estenses in agro Paduano, Veronæ Monticuli, & in eius agro sancti Bonifacij comites: & Ecelinus, cuius auus Theutonicus miles gregarius cum Othone tertio uenerat in Italiam. Hic uero per amicitiam Frederici secundi adeo magnas opes cumulauit, ut tyrannidem maximam conflauerit, cum adhuc duraret societas ciuitatum Italiæ, quæ tempore Frederici primi facta fuerat: stantibus in Frederici partibus Cremonensibus, Bergomensibus, Parmensibus, Rheginis, Mutinensibus, Papiensibus, & in alpibus Tridentinis. Cumq; rediisset in Italiam Fredericus, Verona ad illius partes, Ecelini opera est deducta. Ipse in Mantuano agro duo incendit oppida, & apud Cremonam desedit Mantuanis obsidionem minatus: in quos dum pergere simulat, in Vicentinos duxit, eamq; urbem ex improuiso aggressus cepit, diripuit, incendit. Paduanum agrum populatus est: Taruisinam obsidione cinxit: cepissetq;, nisi Paduani opem tulissent. Henricum filium, quod aduersum se saperet, socijsq; ciuitatibus iunctus esset, ad se accersitum uinculis coniecit, & in Apulia relegatum, in publico carcere necari iussit. Sororem regis Angliæ uxorem duxit, dispensatione apostolica propter propinquitatem obtenta, anno millesimo ducentesimo trigesimoseptimo: quo tempore Theobaldus rex Nauarræ, Almericus comes Montisfortis, Henricus Bari & Campaniæ comes, per Germaniam, Vngariamq; & Constantinopolim cum magnis copijs Ptolemaidam peruenerunt, populatiq; late hostium agros magnam C prædam exportauere. Almericus Henricusq; comites ad Gazam usque prædando urendoq; delapsi sunt. Sed in itinere ab hostibus circumuenti, dum se in duorum dierum fuga pugnando defendunt, cum suis quibusque melioribus cecidere. Gregorius pontifex cum de Perusia Ananiam petiuisset, ulletq; Romam, rogatus à populo, reuerti, à Petro Fraiepano, qui Frederico fauebat, prohibitis, Viterbium se conuertit. Fredericus compositis Alemanniæ rebus in Italiam rediit, Paduamq; ab Ecelino deceptā ad se traxit, quæ mox seruitute oppressa est, Saracenis portas, Alemannisq; palatium obseruantibus: marchione Estensi Azone Carrariensium odio in Ecelini fauorem adducto. Rogatus à Papa Fredericus ut aui fœdera ciuitatibus Italiæ conseruaret, minime audiuit: sed in Brixianos ducens, Clarummontem direptum incendit. Et in Mediolanenses profectus, apud Nouamcurtem ciuitatum sociarum exercitum conflixit atque in fugam uertit, multosq'ue interfecit. Mediolanensium quoque præsidem Petrum Teupolum Venetiarum ducis filium intercepit, missumq; in Apuliam in uinculis trucidari iussit: & uictoria potitus Cremonam rediit. Ecelinus interea Azonem Estensem proditionis insimulatum, Estensi oppido per arma eiecit, & oppidū Saracenis attribuit conseruandum. Gregorius cum Romam reuerti uellet, iterum à Ioanne Cincij Senatore impeditus est: sed Iacobo Capotio tumultū excitāte, accersitꝰ et magni

fice

fice receptus est. Qui ueritus ne Veneti & Genuenses propter simultatem in bellum prolaberētur, eos per Oratores accersitos hoc modo composuit, ut alter sine altero cum Græco imperatore Vattari fœdus nullum iniret, bella communia essent, & alter alterius uexilla portaret: idq; in nouem annos statutum. Quæ pars contrà faceret, interdictum sibi à sacris intelligeret. His constitutis, Fredericus iterum excommunicatus & imperio priuatus est. Obierat per hoc tempus imperator Constantinopolitanus Ioannes Brennus, & Balduinus ex decreto acceperat imperium. Et Ioannes Vattari apud Adrianopolim, & alter Ioannes exagonarum imperatores, Latinos Græcia pellere annitebantur. Et Vattari quidem ab Adrianopoli Smyrnam usque & Sataliam maximas urbes obtinebat. Cui & suberant aderantq; in bellis assidui, Marcus Ganutus Aegei pelagi possessor, & Leo Gualla Rhodum tenens. Sed cum Vattari Cretam inuasisset, & aliqua oppida obtinuisset, Marcus Ganutus à Venetis mercede conductus, eius classem repulit, & insula ex integro recuperata est. Per quod tempus cum rebellassent Ragusei, à Venetis in amicitiam & fœderationem recepti sunt. Interea Balduinus multo bellorum onere grauatus, cum aliter pecuniam à mercatoribus consequi nequiret, filium suum Philippum infantem illis loco pignoris tradidit Venetiæ custodiendum, detractumq; publicarum sacrarumq; ædium culminibus plumbum uendidit. Cumq; nec sic satis prouisum esset, lanceam spongiamq; quibus dominus & saluator noster hinc potatus, inde uulneratus fuit: & crucis ligni in quo ea pertulit partem, Venetis tradidit, opem ab eis petens. Cum ab imperatoribus græcia obsessus esset, classis Veneta uigintiquinque triremium obsidionem soluit: & Leo Gaualla se ac Rhodum insulam Veneto per fœdera subiecit. Fredericus cum in festo paschæ agens, de anathemate certior factus esset, Petrum Vineum suarum epistolarum magistrum sermonem habere iussit: in quo de suis laudibus & de Romana ecclesia multa dicta sunt. Duxit deinde in palustrem Venetorum terram, prædamq; abegit, & in Venetos conuicia iactauit. Cum ultrà ire non posset, aqua impediente, & sagittis à Venetis de cymbis iactis impeditus, reuersus Paduam obsides accepit: & Veronam pergens, iterum Mantuam uelle obsidere simulauit: eductisq; copijs, Parmam petit, atque inde Lucam, & postremo Pisas: Ecelino interim Taruisinam Marchiam occupante. *Ann. salu. MCCXL.* Interea anno millesimo ducentesimo quadragesimo, Gregorius Montelongus legatus apostolicus Bononiæ agens, classis Veneta & Mantuanus populus cum Alberico Ecelini fratre & Azone Estensi Ferrariam inuaserunt: quam Salinguerra Ferrariensis honesto loco natus, qui Ecelini sororem duxerat uxorem, pro imperatore gubernabat. Oppugnata est aliquandiu urbs, fuissetq; diutius defensa, nisi egressum ad colloquium Salinguerram legatus intercepisset. Vrbs recepta, Azoni marchioni Estensi attributa est pro Romana ecclesia gubernanda. Salinguerra Venetias ductus, in pace obijt. Classis Veneta magno pontificis sumptu armata, duodecim triremes Frederici intercepit, & unam nauim cum mille armatis in portu Sipontino. Fredericus ciuitates Hetruriæ diuisit, uolens scire qui secum, & qui cum ecclesia sentirent, Pisanosq; magnopere extulit. *Guelforū Gibellinorumq; factionum origo.* Ex hoc tempore nomen Guelforum Gibellinorumq; ortum est, ut qui ecclesiæ fauerent Guelfi, & qui imperio Gibellini dicerentur: quod nomen apud Pistorienses primo auditū est, cū Cancellarij Panzaticos eiecissent Florentini quoq; nobiles suos in exilium misere, qui Pisanis fauebant. Senenses Florētinorum odio, & Aretini Perusinorum, per fœdera sese submiserunt. Pisani tanti imperatoris præsentia tumentes, centum triremum classem aduersus Genuenses armauerant: quæ apud Corsicam fugata, in portum se recepit. Veneti qui classem in auxiliū Genuensium parauerant, Polæq; muros in aliqua parte aperuerant, cum apud Dyrrachiū uictoriā Genuensiū intellexissent, reuersi Polā igne ferroq; uastarunt. Interea mortuo apud Adrianopolim Ioāne Vattari, Theodorus filius suffectus est. Et Ludouic9 rex Frāciæ, permittente Balduino, lanceā, spongiā, & crucis partē à Venetis redemit. Fulginates et Viterbienses à pontifice rebellarunt, cum tamen Gregorius ipse Viterbienses ad ciuitatis honorem erexisset, episcopo dato. Entius rex Sardiniæ Tifernates, Eugubinos, & Nucerinos ad defectionem compulit: quos secuti sunt, Spelani, Meuaniates, &

Bitto-

A Bittonienses, & in Tuscia Ortani, Thuscanenses, Cornetani ac Monteflasconenses. Defecissent & Romani, nisi pontifex processione facta apostolorum capita per Vrbem detulisset, & in basilica sancti Petri commiserationum plenam orationem habuisset, populumq; cruce signasset, tanquam aduersus infideles pugnaturum. Quare factum est, ut ducentem magnas copias Fredericum ad Vrbis mœnia, cũ armis exceperint, eumq; repulerint. Qui indignatus miro modo crucem contra se deferri, captiuorum capita qui sic signati essent, quadrifariam scindi iussit. Desperauit tamen Vrbem capere, & Beneuentum pergens, urbem ui captam mœnibus immunitam reliquit. In Picentes ducens, Asculanum uastauit agrum: & Entius filius Romandiolam maximis calamitatibus affecit: quo tempore prælati ecclesiarum admodum tribulati sunt. Pontifex cardinales in Franciam & Angliam misit, auxilia petiturus. Interim Fredericus monasterium Cassinense spoliauit, eiectis monachis: Soramq; Samnitum quondam ciuitatem ad Liris fluuij fontem sitam, incendio ferroq; uastauit, Templariorum bona ibiq; diripuit. Saracenos adeo dilexit, ut eis præ cæteris in bello uteretur, magistratusq; eis commiserit, & propriam ciuitatem dederit, quæ usque nunc Luceria Saracenorum appellatur, multis priuilegijs in eam gentem collatis. Fratrem regis Tunisij Saracenum Panormi baptizari uolentem prohibuit. Rauennam repentino incursu petitam obtinuit, cum
B Petrus Trauersarius qui eam pro ecclesia tenuerat nobilis ciuis, cuius filia Andreæ regi Vngariæ nupserat, mortem obijsset. Fauentiam ne obtineret, Bulgarelli ciues impediuerunt. Per quæ tempora Ricardus regis Angliæ frater, cum exercitum non paruum Ptolemaidam transportasset, inuenissetq; res admodum debiles, inducias cum Conradini filijs factas, in aliquot annos prorogari curauit. Pontifex consulentibus regibus concilium apud Lateranum conuocauit, sed Fredericus terra mariq; uiam præclusit. Et Entius rex Sardiniæ ac Pisani, cardinales prælatosq; nonnullos capiunt, & in Amalphitano carcere Fredericus eos custodiri iubet. Moritur interim Gregorius, & Celestinus quartus gente Castillonea Mediolanensis suffectus est, qui post decem & octo dies uita decessit. Vacauitq; sedes uno & uiginti mensibus, cum per capturam cardinalium electio differretur. Interim Fredericus Fauentiam fame oppressam cepit: & in Bononiam ducens, eam studio priuauit, quod Paduam transtulit. Interea Balduinus imperator Constantinopolitanus, cum spe nullla auxilij teneretur, cum Raimundo comite Tolosano in Italiam uenit, & ad Fredericum qui tunc Parmam ceperat ab una partium introductus accessum habens, cardinalium prælatorum'q; Amalphi detentorum liberationem obtinuit, Romam'q; petens cum magno honore exceptus est, & deinde Ananiam petijt: ubi redeuntibus ex carcere cardinalibus, anno millesimo ducentesimo quadragesimoquarto, Sinibaldus gente Fischea comitum Lauaniæ Genuensis in *Ann. salu. MCCXLIIII.*
C pontificem electus est, quartus Innocentius appellatus: cuius electionem Frederico ingratam fuisse tradunt, quamuis amicissimus electus fuisset: congratulantibus tamen respondit, bonum se amicum cardinalem, in acerrimum hostem Romanum pontificem permutasse. Reuersus Romam Innocentius, per Balduinum quatuor mensibus de pace tractauit cum Frederico habenda, conuenit'q; ut Ciuitatem castellanam petens, ibi Fredericum expectaret. Sed intelligens insidias itinere sibi paratas, Genuensium nauigio quod ad Centumcellas uocauerat, in Franciam nauigauit. Exceptus'q; summa ueneratione Lugdunum petijt, ibi'q; concilium celebrauit, anno millesimo ducentesimo quadragesimosexto, in quo sæpe imperatorem citari iussit, & ipse concionabundus citauit. Taddeus Sinuessanus iureconsultus Frederici legatus comparuit, tempus petens, ut Fredericus uenire posset. Erant Parmæ consanguinei pontificis, quos ille migrare Placentiam iussit: certior'q; factus de migratione, Fredericum excommunicauit, regnis'q; & imperio priuauit. Fredericus uero domus illorum ac uillas funditus euertit, & fœdere cum duce Burgundiæ inito, Lugdunem accedere proposuit, mouit'q; Parma comitatum ducens, non armatorum magis quàm togatorum, qualem quantum'q; post stantis Romani imperij tempora nullus aut domi habuerit, aut in itinere duxit imperator. Sed cum Taurinum peruenisset, accepto quod Entius quem rebus *Ann. salu. MCCXLVI.*

Italiæ præfecerat, iusseratq; Parmæ manere, in Brixianos, suadentibus Cremonensibus, duxerat, & per eius absentiam extorres patria Parmenses, superatis prælio conciuibus suis apud Tarum fluuium, urbem inuaserant, magnamq; occidionem commiserant, retrocessit: & uocato Ecelino ex Marchia Taruisana, multisq; copijs ex Apulia Siciliaq; accersitis, cum sexaginta millibus armatorum Parmam obsedit, in qua magna ciuitatum cum legato apostolico auxilia conuenerant. Statuitq; Fredericus urbem delere, & aliam condere in loco castrorum: ideoq; castra ipsa fossa ualloq; munita, in modum ciuitatis ordinauit, Victoriamq; uocauit, & nummos quos ibi percussit Victorinos, Victore martyre Christiano electo, sub cuius nomine cathedralis basilica ædificaretur. Continuatumq; est duobus fermè annis bellum atrox uariumq;, quo partes Guelfæ & Gibellinæ tota Italia se lacerarunt. Fredericum ad Victoriam manentem, ex Africa, Asia & Aegypto legati uenerunt, elephantes, dromedarios, pantheras, pardos, ursos albos, leones, lynces, bubonesq; barbatos adducẽtes. Fecitq; sibi hortos & uiridaria, in quibus speciosissimas mulieres cum spadonibus conclusit. Pontifex autem dimisso concilio, legatum misit per Frãciam, qui populis suaderet crucem accipere, Ludouicum regem sequi, in Asiam traijcere properantem, qui propter morbum id uouerat. Anno enim antea tertio Tartari in exercitum coacti, bipartito agmine Asiam, Europamq; inuaserant. Et qui Asiam petiere, Georgianã, Thomitathonorum olim regionem, & post superiorem Armeniam peruagati, ad Iconiam usq; Turcorum regiam peruenere. Alia uero manus Batone duce Poloniam & Vngariam populati, ad mare Ponticum defluxerunt, ubi Russiam siue Rutheniam & Gazam amplissimas regiones uastauerunt. Per idem tempus Grossoini gens Arabica, Soldano Babylonis impellente, diuersis agitarunt in locis, congressosq; templarios & hospitalarios sæpenumero male mulctatos represserunt. Hierosolymamq; tunc immunitam petentes, Christianos antea seruatos, maxima occidione confecerunt, sepulchrumq; domini ignominiose fœdarunt. Electores imperij Lanthgrauium Thuringiæ Romanorum Germanorumq; regem designarunt: quem Conradus adolescens Alemanniæ rex à Frederico genitore pridem institutus, regni possessione armis prohibebat: multi tamen cruce signati Lanthgrauium iuuabant. Cui breui mortuo, suffectus est Guilelmus Holandiæ comes. Anno uero millesimo ducentesimo quadragesimooctauo Ludouicus rex Franciæ accepta Lugduni benedictione à pontifice, iter suum in Asiam prosecutus est: Cyprumq; petens, ibi hyemauit, & Vere proximo Damiatam magna classe petijt, classem Soldani repulit, & hostes de littore pugnantes superatos eiecit, tentoriaq; fixit in littore. Fredericus interim obsidionem Parmæ cõtinuans, plures ex hostibus captos, maioribus balistis in urbe proiecit, crudelitate non solum in uiros, sed etiam in fœminas usus. Postremo cum ipse in delicijs esset, Germaniq; sagittarij non paruus numerus Parmam inuaderent, egressi ciues cum legato apostolico, stragem in eos magnam fecere: fugientesq; secuti, cum illis Victoriam urbem sunt ingressi: & crudelissima occidione facta, ea cum omnibus opibus potiti sunt. Nam & coronam regiam maximi precij, & aurea multa uasa interceperunt. Fredericus fugiens in agrum Cremonensem se contulit, neque ausus est intrare urbem, cuius ciues magno numero apud Victoriam interfecti fuerant. Reparato tamen breui exercitu in Placentinos ducens, Domino oppido & monasterio sanctæ Columbæ destructo, missoq; Entio rege Fauentiam, transijt in Hetruriam. Forolíuienses enim, Ariminenses & Vrbinates cum tota Marchia sibi fauebant. Perusini, Assisinates, Tudertiniq; pontificem sequebantur: & præter Florentinos, tota Hetruria Frederico parebat. Accedens igitur Florentiam non est intromissus, sed postulãti concessum est, ut Guelfis eiectis, Gibellina factio rerum in Florentia potiretur. Abiere Guelfi in exilium, & pars manus incidit Frederici, quæ male habita est. Rodulphus de Vrsaria, & Rainerius Bondelmontus in Vrsaria capti, alter aqua euectus, alter excæcatus scilicet Rainerius, in Apuliam relegatus est. Interim Entius à Bononiensibus prælio superatus, cum maiori exercitus parte captus est. Fredericus uero ut quidam tradunt in Siciliam traijciens, Panormi decessit. Alij affirmant eum in Apulia apud Ferensulam graui morbo laborasse, cõualescentemq; à Manfredo

Ann. salu. MCCXLVIII.

A fredo adolescente filio suo, ex nobili concubina suscepto, compresso ore in strato suffocatum. Illud constat, Fredericum paulo ante obitum Manfredo Tarentino principe instituto, multa oppida ultra principatum tradidisse, Conradum uero ex Iole Ioannis Hierosolymitani regis filia susceptum, hæredem instituisse. Is à Guilelmo rege Alemanniæ diu bello agitatus, in Sueuia se continuit. Interea Manfredus Neapolitanos uexare cœpit, eius imperium detrectantes. Venit postea Conradus in Italiam, & Ecelini fauore per mare magnum exercitum in Apuliam transportauit, studioq; oratores Neapolitanos audire noluit, qui Manfredo recusauerant obedire, eorum q; urbem obsedit, & tandem octauo mense fame compulsam in deditionem accepit, muro in circuitu euerso. Idem Capuæ fecit, & Aquinum nobile oppidum incendit: biennioq; utraque Sicilia potitus, Manfredi, ut creditum est, opera, ueneno (quod medici pecunia corrupti propinauerāt) extinctus est: Conradino ex fratre Henrico nepote hærede instituto, datis ex Germania tutoribus: cuius pater ex sorore regis Castellæ genitus, à Frederico fuerat interfectus. Interea obsessi apud Damiatam Saraceni, igne supposito in urbe, fugam arripuerunt. Sed Ludouicus rex re animaduersa, mox urbem ingressus, flammas extinxit, & ciuitate potitus eam purgauit: & deinde ad idus Octobris, cum Robertus comes Pictauiensis nouas ex Gallijs copias transportasset, mense Nouembri Damiata mouens, ad Faramniam urbem duxit: apud quam Soldanus magnas coëgerat copias. Dirempti duo

B exercitus paruo fluuio, in alteram hyemem constitere, nunquam totis copijs in rerum discrimen depugnantes. Robertus tamē maiora ausus quàm sine toto exercitu posset perficere, in prælio captus est. Manfredus mortuo Conrado testamentum eius suppressit, conscijs quibusq; ueneno sublatis, populosq; ac Conradini nepotis sui fidem seruādam in Alemannia agentis hortatus est. Et Innocentius pontifex clarus qui multa scripsit, in Italiam rediens, apud Perusium constitit. Prius tamen sanctum Edimundum Cantuariensem canonizauit: Lugduniq; statuit, ut Cardinales in publicum equitantes, rubente galero uterētur. Romam noluit intrare, cum Romani Senatoriam potestatem sibi arrogatam moderare nollent. Beatum Petrum Veronensem ordinis prædicatorum inter Mediolanum & Comum ab hæreticis interfectū, inter martyres Christi retulit. In Assisio uero sanctum Stasilaum Cracouiensem episcopum, Christi confessorem ueneratu dignum declarauit. Vocatus à proceribus regni Siciliæ, Neapolim petiit, muro instaurato munitissimam, ubi benigne exceptus aliquandiu immoratus est: & dum speratur toto regno breui potiturus, illic obiit: & Alexander quartus natione Campanus substitutus est. Interim Manfredus accersitis sibi Saracenis Luceriæ manentibus, copias ecclesiæ apud Sogiam incautas aggressus, partim occidit, partim cepit: tutoremq; se Conradini agens, regnum inuadere nitebatur. Interea Christiani apud Farramiam castra tenentes,

C peste & fame laborare cœperūt. Parte Nili per quam commeatus uehebantur, classe ab hostibus occupata, patriarcha Hierosolymitanus cum multis nauigijs in eam delatus, captus est. Et Ludouicus rex Franciæ cum Alfonso Pictauiensi, & Carolo Andegauensi comitibus fratribus suis Germanis, terra iter faciens ut Damiatam peteret, maximas incidit hostium copias, belloq; superatus, cum omni exercitu interceptus est. Sed Soldano post uictoriam à suis interfecto, alter qui substitutus est, ut pacem firmam obtinere posset, recepta pecunia & Damiata recuperata, Christianos omnes liberos Ptolemaidam perduci curauit. Rex Ludouicus remissis in Franciam fratribus, tandiu in Asia moratus est, quoad Cæsarea, Ioppe & Sidon, quæ nouiter à Christianis receptæ erant, instauratæ præsidijs firmarentur: sextoq; anno suæ peregrinationis domum rediit. Alexander pontifex interea excommunicato Manfredo Ananiam ueniens, Octauianū Vbaldina gente cardinalem Neapolim dimisit, qui Mãfredo resisteret. Manfredo autem ultra ea quæ de regno tenebat, Hetruria, Lombardia, & Transpadana, uel subiecta erant uel amica. Cum obiisset Fredericus, Florentini in libertatem se uendicauerant: plebsq; nobilitate exclusa regebat. Sed cum soli Gibellini nobiles adessent, placuit Guelfos sub Frederico eiectos reducere. qui Gibellinorum conatibus resisterent. Tumq; primum anno millesimo ducentesimo quinquagesimosecundo, magistratus ex plebe creati sunt Antiaui *Ann. salu. M. CC LII.*

appellati, qui mox partem Guelfam per Hetruriam extollere curauerunt. Agrum præterea Pistoriensem uastauere, quia Guelfos sub Frederico eiectos uoluerit Pistoriensis populus reducere. Eiecerãt & Florentini suos Gibellinos nobiles, qui aduersus Pistorienses noluerant arma ferre. Illi ad Senenses Pisanosq; confugerunt. Mouerunt & arma contra Aretinos Florentini ex castello Rondina, eo quod Guelfos sub Frederico eiectos reducere nollent: dederuntq; operã ut Lucenses, Miniatenses, Alcinates & Vrbeuetani suos Gibellinos eijcerẽt: & Miniatenses contra Pisanos, Alcinates contra Senenses adiuuerunt, Vbaldinosq; in agro Mugellano, & castello Montaria domuerunt. Cumq; in Pistorienses denuò duxissent, accepto quod Pisani apud Montoporium Lucenses profligassent, dimisso Pistorio, Pisanos cum præda recedentes ad Eram fluuium consecuti, magno prælio eos attriuere. Multis enim illorum cæsis, tria millia captiuorum Florentiam perduxere, Lucensibus quæ amiserant restitutis. Liberarunt & Alcinates ab oppressione Senensium: & tertio in Pistorium ducentes, Guelfos reduci obtinuerunt, & quæ uoluerunt fœdera belli pacisq;. In Senenses quoque profecti, Alcinatibus perpetuam pacem obtinuere: & fœdere percusso, suos exules Senis manentes excludi impetrarũt. Duxerunt deinde Vollaterras. Cumq; iuuentus urbis ad radices montis descendisset, impetum faciens, Florentini commisso prælio hostes in fugam uerterũt: simulq; cum eis portas ingressi, urbe potiti sunt: potentioribusq; Gibellinis in exilium actis, & Guelfis reductis qui exulabant, pacem populo dedere, qui prius Pisanos magis quàm Florentinos respicere uidebantur. Soli Pisani remanserũt Florentinis hostes, qui tamen paulò post petitam pacem, iniquis conditionibus impetrauerunt. Curauerunt etiam Florentini, ut Gibellini Aretio pellerentur. Sed cum id aliarum ciuitatum Gibellini ægre ferrent, exemplumq; timerent, reducti sunt Aretium Gibellini ea lege, ut prætorem Florentinum acciperent Aretini, concordiam inter partes nutriturum. Cum Senensibus uero ita fœdus innouatum est, ut belli pacisq; societas esset, neque alter alterius exules reciperet. Hæc post obitum Frederici ad tempora usque Manfredi gesta sunt, qui clausum Neapoli legatum apostolicum Gibellinos in Hetruria erigere curauit. Primiq; Pisani spreto Florentinorum fœdere, contra Lucẽses duxere. Cumq; uastato agro redirent, à Florentinis inuasi sunt in Auseris fluuij ripa, ibiq; superati tria hominum millia perdidere, & eorum castella magna ex parte incensa sunt. Qua clade accepta, pacem petiere. Mutronum enim in littore maris, cum portorio uectigalibusq; Florentinis tradiderunt. Tunc quoq; Bonitium oppidum quod nutare uidetur, alicubi aperto muro immunitum, Florentini reddiderunt. Aretini uero in Cortonienses tanquam Manfredo fauentes duxerunt, captaq; urbe, & mœnibus alicubi diruptis, arcem ualidam in summo uertice ædificarunt. Florentini Vbertos gentem nobilem, cum multis Gibellinis nobilibus ac plebeis urbe eiecerunt: qui à Senensibus recepti sunt. Quos cum Florentini ex fœdere repelli peterent, responsum acceperunt: Florentinos esse & qui seruari uelint, & qui expulsionem postulent: Senenses uero cum Florentinis fœdera percussisse. Ob quam rem Florentini bellum Senensi populo indixere. Senenses legatos ad Manfredũ misere, ut opem ferret: inter quos fuit Farinata equestris ordinis gente Vbertus. Manfredus qui multis implicitus esset, & iam uulgata falso Conradini morte, regem sese adorare curasset, cohortem unam Germanorum equitum auxilio misit. Florentini ad urbis usque mœnia Senensis omnia populati, castra locauerunt. Facta est eruptio in Florentinos. Sed cum magna cædes à Germanis ædita esset, postremo ipsi Germani ad unum omnes cæsi sunt, & uexillum Manfredi captum, per ignominiam sordidatum est. Reuocati in urbem Senenses, extorresq; Florentini intra mœnia se continuere. Et Florentini re bene gesta, uastando urendoq; omnia, domum reuertere. Interim Manfredus Panormi rex declaratus, regiam pecuniam prædecessorum consecutus, magnas Saracenorum copias conduxit, cum quibus legatum apostolicum admodum oppressit, & Iordanem cum mille quingentis equitibus in Hetruriam misit, qui Senensibus tribus mẽsibus opera præstita in Apuliam se reciperet. Angebat Senenses breuitas temporis Iordani assignata: nec aliquid egregium fieri posse uidebatur, nisi per

prædam

A prædam ac rapinam. Sed Prouincianus Saluanus ciuis Senensis, gratia & nobilitate potens, suasit eam uiam esse tenendam, per quam Florentini ad Prælium allicerentur. Id autem fieri posse, si Alcinatibus bellum indiceretur, quos Florentini nullatenus deserturi essent. Edicto bello, cum Florentini Guelfis omnibus ex Hetruria ad subueniendum Alcinatibus conuocassent, uiros mercatores Prouincianus noctu Florentiam misit, qui Antianis dicerent multos esse Senis pacis & ocij amatores, qui Prouincianum intentorem belli interficere coniurassent, si modo occasio daretur, per quam populus arma sumeret: suaseruntq; prope Senas ducendum exercitum, literasq; & sigilla ostenderunt, quibus coniuratio probaretur. Conuenere ad diem dictam Lucensis, Minias, Pistoriensis, & Aretinus, & cum Florentinis ad Arabiæ fluuiū quarto milliario à Sena distantem castra posuerunt, in quibus armatorum quadraginta millia fuisse traduntur. Commissum est prælium atrox, cuius tandem Senenses uictores fuere, sextadecima die Septembris, anni millesimi ducentesimi sexagesimi. Tria millia Florentinorum cæsa sunt, & quatuor millia cum carrocio uexillisq; omnibus capta, reliqui in suas urbes dilapsi sunt. Florentini Guelforum partium sectatores, pars Lucam, pars Bononiam migrauere. Florentia à paucis habitata, mox capta est. Exules patente porta ingressi sunt. Guido Nouellus comes pro Manfredo portarum custodiam recepit, & Iordanus præsidio præfectus, omnia ex arbitrio administrauit. *Ann. salu. MCCLX.*

B

Ex libro octauo

secundæ Decadis.

Ecelinus Transpadanarum urbium plene dominus, cum Tridentinos iugum excutientes, magna clade afflictos ad obedientiam redegisset, Guelfosq; studentes ecclesiæ Brixia expulisset, Mantuam obsidione arctissima cinxit: habens in castris præter Germanos equites & multarum urbium auxilia, duodecim millia Paduanos, quos nō solū militum, sed obsidū loco duxerat. Totidem Veronēses, Vicentiniq; & Brixiani miserant Nec pauciora de Cremonensib. Placētinisq; auxilia Vbertus Pelauicinus adduxerat. Sed Philippus ex nobili Fontanensiū familia Ferrariensi archiepiscopus Rauēnæ creatus Venetias profect9, prædicata aduersus Ecelinum cruce, congregato exercitu in Corregiam duxit, quam Ansedinus Ecelini ex sorore nepos Patauij prætor cum cohortibus custodiebat. Captis aliquibus oppidis, postremo suburbiū & ciuitatem obtinuit. Ansedinus fuga saluatus est. Soluerat obsidionem Mantuanam Ecelinus, desperata potiūdi facultate, Veronamq; petebat, cum perditæ Paduæ nuncium accepit: dissimulatoq; dolore Veronam ingressus, inaudita crudelitate Paduanos omnes quos penes se habuit duodecim millia diuersis cruciatibus
C interfecit. Profectusq; in Paduanos, re infecta inde recessit, cum præsidium inesset ecclesiæ ualidum, quod legatus apostolicus & Gregorius Montelongus patriarcha induxerat. Ille Veronam redijt. Interea electores in Alemannia discordes, alij Alfonsum Castellæ regem, alij Ricardum Cornubiæ comitem regis Angliæ fratrem, imperatorem designarunt. Theologi Minoristæ à legato apostolico Brixiam missi, ita prædicando effecerunt, ut Guelfi extorres reducerentur, & ciuitas ipsa ecclesiam sequeretur. Vbertus uero Pelauicinus, Cremonæ & Placentiæ, obmisso capitaneatus titulo, dominatum accepit: quem Gibellini Lombardi ut dominum sectati sunt. Desciuerunt tamen paulò post Papienses & Placentini libertatem prætendentes: & Azo Estensis Montemsilicis & Albericus frater Ecelini qui se hostem eius simulauerat, in Taruisio dimissus, Paduanos inuadere cepit. Ecelinus uero & Vbertus magnas copias habentes, Gibellinorum partes eleuabant: Brixienses Gibellinos eiecerunt. Et Vbertus Cremam in potestatem suam recepit, cum pluribus Brixianorum oppidis. Ecelinus uero Pischariam petens, exercitui Vberti se coniungere uoluit. Legatus autem apostolicus copias Brixianas secum ducens, ad Gambaram se recepit, iuxta Ollium fluuium: quo in loco ab Ecelino & Vberto ex improuiso inuasus & conflictus est, ita ut paucissimi fuga saluari potuerint. Ca-

ptus est archiepiscopus Rauennas legatus cum episcopo Brixiano, & omnibus præcipuis Guelforum partium ciuibus, quos Ecelinus ad portam Brixiensem ducens, mox intromissus est: & urbe potitus, omnibus præter naturam suam ueniam dedit. Vbertus cum parte prædæ & captiuis Mantuanis, Cremonam se contulit. Acta sunt hæc anno millesimo ducentesimo quinquagesimonono. Manfredus his cognitis, Ecelinum ad uictoriam prosequendam hortatus est, Pelauicinum uero neglexit: quem Ecelinus persequi cœperat, nonnullis ei de Brixiano oppidis ablatis. Erat Cremonæ Bosus Douarius ciuis nobilis & industrius, qui Ecelini rapacitatem odio habens, Pelauicino persuasit ut in amicitiam cum Mediolanensi Mantuanoq; rediret, in Ecelini perniciem fœderibus acceptis, quæ Martinus Turrianus præpotens in Mediolano ciuis cupide amplexus est. Gregorius Montelongus interea Paduam in fide retinuerat, & copias undiq; conquisitas Mantuam transmittendas collegerat, Azoniq; ducendas commiserat. Ecelinus uero intelligens capitaneos & Valuasores quos Fredericus in Mediolano constituerat, Turriani potentiam habere suspectam, sibiq; introitum polliceri, si cum exercitu appropinquasset: relicta obsidione Vrciorum, cum quinq; millibus equitum ad pontem Cassiani peruenit. Cumq; nullum ibi reperisset, qui se uocaret Mediolanum, in Modocciæ suburbia est delatus. Martinus Turrianus apud Soncinum exercitum habebat Mediolanensium, Azoni, Estensi & Ludouico Bonifaciensi, Cremonensibusq; coniunctum. Qui certior factus de transitu Ecelini & de proditione Valuasorum, cum omnibus copiis ad pontem Cassianum peruenit, copiasq; Mediolanum duxit. Estensis uero, Pelauicinus & Bonifaciensis duces, Ecelini uestigia secuti, ad pontem Cassiani substiterunt. Ecelinus cum oppugnatam Modocciam capere non posset, Tricium duxit, suburbiaq; ui capta incendit, duxitq; uicum mercatum, nulli noxius qui annonam præberet. Sed cum uideret se interclusum, aperiendum iter ui cogitauit: & ad pontem Cassianum pergens, prælio congressus est. Vbi dum pugnantes urgeret, sagitta in incertum missa ad crus infimum saucius homo octogenarius laxari cœpit: & tamen timore uires addente, obmissa pontis pugna, paulo superius amnem uado traiecit, commissoq; leui prælio captus, Soncium perductus interijt. Hicq; finis tyranno fuit, qui quatuor & triginta annis Tridentum, Feltrum, Ciuitadum, Taruisium, Paduam, Vicentiam, Veronam, & demum Brixiam oppressas tenuit: quæ urbes eo mortuo sese in libertatem Romanæ ecclesiæ obnoxiam uendicarunt, Taruisina excepta, quam Albricus frater obtinebat. Is cum se ciuibus odiosum cerneret, insidiasq; legati timeret, uxorem et liberos cum omni supellectile ad sancti Zenonis castrum munitissimum misit, ipseq; subsecutus est. Quo in loco quatuor mensibus oppugnatus, tandem à commilitonibus cum uxore & liberis in manus hostium traditus est, à quibus crudelissime est excarnificatus: propterea quæ frater fecerat, nec uxori, uel liberis supplicia dimissa sunt. Dum hæc aguntur, Ptolemaida Tyrusq; urbes admodum ditatæ erant, & populorum frequentia adauctæ, utpote apud quas Veneti, Genuenses & Pisani per annos iam quatuor & sexaginta, quibus sub Christianis fuerant, omnes orientis occidentisq; contraxerant mercaturas. Qui tres de Italia populi, separatas areas separatosq; uicos habebant, & prætoria propria: nec quicquam commune inter Venetos & Genuenses erat apud Ptolemaidam, nisi ecclesia. Sed orta est dissensio propter monasterium sanctæ Sabæ, quod utraque pars sibi retinere quærebat. Pontifex Alexander utrique iussit esse commune, datis utrique literis. Sed Genuensis præueniens literas, Philippo Monteforti Gallico urbis præfecto ostendit: & eius amicitia fretus, excluso Veneto monasterium in arcem munitum retinuit: quæ res duos potentes populos abalienauit. Nec curauit Philippus eos componere, sed Venetos populariter Ptolemaida iussit abire. Venetus Tyrum se conferens, Pisanum ad se tractum, spreto fœdere, contra Genuensem irritauit, & cum Manfredo Siciliæ rege aduersus Genuenses fœdus inijt. Nec mollitus est Philippus Montefortis, quamuis Placentia Cypri regina, duxq; Antiochensis, & templi Hierosolymæ magister, ac Ioannes Ibelini comes, reducendos Venetos suaderent. Ob quam rem Venetus Tyri agēs, cum triremibus tredecim Ptolemaidam aduolauit, catenam qua portus claudebatur refringit,

Ann. salu. M. CCLIX.

D E F

A refringit, naues Genuensium tres ac uiginti, & triremes duas exarmatas incendio absumpsit, monasteriumq́ sanctæ Sabæ destruxit. Genuensis & ipse apud Tyrum duas ac uiginti triremes armauit, auctæq́ Venetorum classi sæpe concurrit. Sed classis Veneta in Pontum delata, Mesembriam urbem de Saraceno expugnatam diripuit. Quibus rebus Genuæ nunciatis, triremes quadraginta, & naues ceteræ decem armatæ sunt, Tyrumq́ missæ. Veneti quoque suam classem auxere, ita ut pares uires esse uiderentur, nisi quod Tyrum uterque communem habebat, & quantum muri extendebantur par erat. Ptolemaida uero Genuensis cum suo Philippo exclusus erat. Quæ cum accepisset Alexander, legatos utriusque populi, & simul Pisanos ad se uocauit, pacemq́ inter eos propemodum concluserat, cum ad annum millesimum ducentesimum sexagesimum ex Asia nuncium allatum est, inter Tyrum & Ptolemaidam Pisanos ac Venetos Genuensium classem conflixisse, uiginti quinque nauibus eorum uel captis uel submersis, Ptolemaidamq́ uictores rediisse, uictos Tyrum: & in Ptolemaida omnia Genuensium ædificia demolita esse, bona eorum direpta, & omnes illius gentes expulsos. Pontifex ab oratoribus Venetis impetrauit ut capti in eo prælio Genuenses dimitterentur. Per hoc tempus Balduinus imperator Constantinopolitanus in magnam suarum rerum desperationem adductus est. Nam cum obiisset Theodorus Vattari, Græcorum, ut appellabant, imperator, duobus filiis superstitibus adhuc pueris Michaelem Palæologum affinitate coniunctum testamento tutorem dedit: qui multa in Latinos aggressus est: primoq́ Guilelmo Francigenæ Achaiam & proximas Græciæ regiones obtinenti, prælio congressus eum superauit, captiuumq́ Adrianopolim perduxit: & Versam in Pontum regionem ut reciperet misit exercitum. Balduinus uero copias quas habuit nauibus imposuit, ad ipsius Ponticæ oræ defensionem. Interim Constantinopolitani ciues, uetusta origine græci, coniuratione inita, refracta porta nocte concubia Palæologum admiserunt. Balduinus uero imperator, & Pantaleo Iustinianus patriarcha, repente cum suis omnibus, capta suppellectile ad Euripum profugerunt. Palæologus urbe potitus, ad imperium aspirans, pueros fidei suæ commissos interfecit, imperiumq́ assumpsit: finisq́ fuit Latinorum imperii apud Constantinopolim, per annos quinquaginta & octo continuati. Interea Octauianus Cardinalis Vbaldinus re Neapolitana parum feliciter administrata, ad Alexandrum rediit. Qui cum Ananiæ Claram uirginem anno pontificatus sui tertio in sanctarum collegium retulisset, Viterbium se contulerat, inter Venetos & Genuenses pacem tractaturus: ubi anno millesimo ducentesimo sexagesimo primo diem obiit. Cui suffectus est Vrbanus quartus, ex Trecensi Gallica urbe oriundus. Quo sedente Gibellini qui Florentiam intrauerant, Guelforumq́ bona diripuerant, ad Manfredum legatos, uiuo Alexandro misere, orantes ut Iordanem diutius apud se dimitteret. Guelfi Aretini ex clade Arabiensi domum reuersi, Gibellinos eiecerunt, Miniatensium, Pistoriensiumq́ secuti exemplum. Manfredus pro paruo tempore Iordanem concessit, anxius pro paramentis quæ Vrbanus aduersus se faciebat, milites ex Gallia conuocans, qui cruce signati in Siciliam proficiscerentur. Conuenientes igitur apud Emporium oppidum Guelfi Hetrusci, de re sua consulerunt. Vbi cum Pisani Senensesq́ facile in eam sententiam deuenissent, ut nihil salua urbe Florentina decerni prouideriq́ posset, quod Gibellinis solidum esset: assurgens Vbertus Farinata toto aspectu commotior, Florentiam, inquit, urbem quam ipse non ædificaui, me uiuo dirui non patiar: atque ex consilio se proripuit: quod mox dissolutum est. Recessurus deinde Iordanis, ciuitatibus Gibellinis suasit, ut Guidoni Nouello mille equites attribuerent: atque ita factum est. Nouellus contractis copiis, in Lucenses duxit, apud quos exules Florentini frequentiores erant, pluraq́ de Lucensibus castella expugnauit, cum interim Florentini exules Signiam furtò occupauerunt: ex quo loco Florentinus & Pisanus ager maxime poterant infestari. Duxit igitur in eos Nouellus, sed illi nocte excesserunt, audacesq́ facti, cum Lucensibus coniuncti, Nouello congredi præsumpserunt: à quo multa cæde confecti sunt, & ager eorum receptus. Aretini uero Guelfi à Senensibus suisq́ exulibus Gibellinis agitati, cum Nouellum in se ducturum

Ann. salu. MCCLX.

B

Ann. salu. MCCLXI.

C

accepiſſent, ſponte patria migrauerunt: & Gibellini urbe recuperata, Manfredo paruerunt. Idem fecere Piſtorienſes, Guelfis eiectis. Lucenſes quoque Nouello clandeſtine reconciliati, exulantes apud ſe Florentinos cum liberis & uxoribus, & unico pro quolibet indumento repulerunt: qui omnes Bononiam petiuere: atque ita omnis Hetruria Manfredum ſecuta eſt. Ad quartum Vrbani annum hæc geſta ſunt. Interea apud Lombardiam Vbertus Pelauicinus ſuadens Brixianis ne Guelfos reducerent, ac ea de re copias urbi admouens ueluti conſeruaturus eam, Guelfos ſibi conciliauit, & ab utraque parte adminiſtrator urbis factus, dominium uſurpauit. Erat adhuc in carcere Rauennas archiepiſcopus, nec literis Papæ liberationem obtinere poterat, ſed corruptis pecunia cuſtodibus, fugiens Mantuam uenit. Quæ urbs cum Verona, Vicentia & Padua pacem tenebat: Ludouicum ſancti Bonifacij comitem ciuem ſuum non ut dominum, ſed tanquam publicorum directorum executoremq́; conſiliorum uenerabatur. Mantua igitur ab archiepiſcopo tutior reddita eſt: & Gregorius Montelongus Paduam, Vicentiam, Taruiſium, Feltrum & Cenedam tutabatur. Pelauicinus uero præter Brixiam Cremonamq́; ſubditas, Placentiamq́;, Parmam, Papiam, Mediolanumq́; ſuis partibus infecerat. Mutinenſes, Rheginiq́;, Ferrarienſium & Bononienſium conſilio uſi, partes eccleſiæ tenebant, Gibellinosq́; eiecerant, Florentinorum exulum auxilio, quibus Gibellinorum opes tradidere: qui inde ditati, arma & equos parantes, in magnam cohortem creuerũt. E
Apud Conſtantinopolim uero Veneti Palæologum armis deturibaſſent, niſi Genuenſes illi confœderati opem tuliſſent, qui magnam claſſem armauerãt. Guilelmus ille Gallicus Achaiæ & Bithyniæ princeps, quem Palæologus tutor ceperat prælio ſuperatum, caſtrum Maluaſiæ munitiſſimum obtinebat. Quod cum Palæologo permiſiſſet, carcere liberatus eſt. Isq́; Venetis fœderatus, bellum acre cõtra Palæologum gerebat. Et in Ptolemaida Veneti potiores erant, in Tyro Genuenſes. Manfredus autem nutantem Marchiam Anconitanã ad ſe traxit, & nouas Saracenorum copias mercede conduxit. Pontifex miſſo cardinale cruce ſignatos ex Gallia conuocauit, Guidonem epiſcopum Antiſſiodorenſem, Robertum comitis Flandrenſis filium, & Ricardum comitem Vindocienſem: qui ſuperatis alpibus, per Lombardiam & Brixianos iter fecere, ubi Pelauicini exercitum confixere, & deinde per Mantuam Bononiamq́; ac Romandiolã Peruſiam petiuere: uocatiq́; Viterbium ad pontificem, benedictione ab eo accepta, per Sabinos, Marſosq́; in Campaniam delati, Saracenos facile ultra Lirim pepulerunt. Romani per id tempus quamuis eccleſiæ oppida non moleſtarent, Papam tamẽ dominum accipere recuſabant: omiſeruntq́; tunc Senatorẽ ex ſeipſis creare, & externum primum aſſumpſere Brancaleonem Bononienſem uirum magnanimum, quem poſtea in carcerem coniecerunt: & cum ciues aliqui à Bononienſibus capti eſſent, eum liberatum iterum Senatoria dignitate donarunt. Tũcq́; primũ nouos magiſtratus ex omni regione delegerunt, quos Branderoſios uocauere. Pontifex autem ut rebus ſuis ſolidius conſuleret, remiſſis cruce ſignatis, Ludouico Franciæ regi perſuaſit, ut Carolum Prouinciæ & Andegauiæ comitem, conſobrinum ac generum ſuum in Italiam mitteret regno Siciliæ potiturum. Quæ res dum parantur, morte pontificis dilatæ ſunt. Florebant hoc tempore Thomas Aquinas prædicatorum, & Bonauentura minorum profeſſores. Thomas cum rex Conradus Aquinum deſtrueret, puer à parentibus nobilibus patria profugis, Caſsinenſis cœnobij monachis commendatus fuerat, ibiq́; primum literis operam dedit. Alexandro quarto ſuffectus eſt Clemens quartus, qui Guido Fulcodij prius appellatus erat. Is iureconſultus totius Galliæ primarius fuit, & aduocatus cauſarum in curia regia, liberos & uxorem habuit: qua defuncta Podienſem epiſcopatum, ac deinde Narbonenſem eccleſiam obtinuerat: cardinalisq́; creatus, ad componendas inter Henricum Angliæ regem, & Simonem Mõtisfortis comitẽ lites tranſierat. Qui pontificatũ adeptus, ut quidã tradunt, mendicãtis religioſi cuiuſdã habitu, prius Peruſiã applicuit, quàm de aduentu eius cognitio haberetur. Cardinales ad eum profecti, ipſum Viterbium deduxere. Et paulò poſt Carolus Maſſilia ſoluens, cum triginta triremibus in Tyberim delatus, Romam uenit: ubi expectãs exercitũ, decreto pontificis Senatorẽ geſſit: & per

A & per cardinales à Papa missos, in Lateranensi ecclesia Hierusalem & Siciliæ rex declaratus, cum Beatrice regina coronatus est. Carolus uero iuramento adactus, duodequinquaginta mille annuos aureos Romanæ ecclesiæ spopondit promisitq́: Romanum imperium etiam ultro oblatum non acceptare. Alfonsus rex Castellæ imperium armis & largitione annitebatur accipere: Cornubiæ comitem regis Angliæ fratrem electores Germani contemnebant: itaque facile potuisset sors imperij ad Carolum deferri. Et Alfonsus in Italiam duxisset, nisi eum detinuisset Henrici & Frederici fratrum suspicio motuum, quos regno pepulerat. Henricus in Gallias, Fredericus in Africam accesserant, ut Saracenos hic, Gallos ille ad Castellæ regni incommoda concitaret. Et erat Henricus pecunijs ditissimus, Hispania asportatis. Interim Caroli copiæ superatis alpibus, in Lombardiam descendere: & adiunctis sibi Guelfis qui per Romandiolam militabant, Romam uenere: cum quibus Carolus Manfredi præsidia Cæperano imposita repulit: & oppido potitus, Casinensem saltum occupauit, quem Manfredus per seipsum custodiendum acceperat. Sed mutato consilio, Beneuentum se contulit, planis in campis hostiles copias expectaturus. Ad quem locum cum Carolus aduentasset, durissimum prælium commissum est: primusq́ Carolus cum laboranti suorum turmæ subueniret, prostratus occubuisse creditus est. Quæ uox ubique audita, B Manfredum impulit, ut extra ordines audentius pugnans, ipse Carolo iam comparente fuerit interfectus. Cecidere in ea pugna multi & meliores de utroque exercitu: Iordanus cuius suprà meminimus, & Petrus Hubertus capti fuere. Carolus uictoria potitus, Beneuentum ingressus est,: progressusq́, Luceriam oppugnare cœpit, in qua se noui ueteresq́ receperant Saraceni. Magistrumq́ militiæ, Marescallum uocant, cum quingentis equitibus in Hetruriam misit, qui Guelfos extorres reduceret, Senas Pisasq́ lacesseret. Ad cuius aduentus famam Gibellini omnes è Florentia populariter Pisas demigrarunt. Quidam hoc factum dicunt in aduentu Marescalli: cum quo ingressi Guelfi Florentiam, omnia diripuere quæ Gibellinorum fuerant. Pro quorum bonis inter se partiendis, usque ad arma certatum est: Marescallus seditionem sustulit. Interea cum rescisset Clemens Conradinum adolescentem Conrado Sueuo genitum, magnas in Germania copias in Italiam traducendas parasse (quod alias Leo tertius, Magnum Carolum primum imperatorem creaturus, facere ausus fuerat) uacantis imperij curam assumpsit: & Carolum Siciliæ regem, suum in Hetruria uicarium instituit. Florentini per hoc tempus suadente Marescallo duodecim ciues elegere, cum potestate maxima, sine prouocatione, qui capitanei partis Guelfæ uocati sunt, & usque in hunc diem durant. Marescallus destinatam in Senenses expeditionem profecutus, omnem agrum Senensem populatus est. Sed Pisani cum Gibellinis Florentia extorribus, C exercitum apud Bonitium congregauere, quod oppidum inter Senas Florentiãq́ medium, Gibellinis erat amicissimum. Veritus Marescallus ne in agro Senensi concluderetur eò copias duxit, ibiq́ totius Hetruriæ aggregatæ sunt uires: Guelfis oppugnantibus, Gibellinis defendentibus. Carolus utroq́ Siciliæ regno in potestatem accepto, excepta Luceria, audiens Conradum Italiam petere, data Saracenis pace, permissosq́ ut grauiore tributo imperato, suis moribus uiuerent, Viterbium se contulit. Interea Henricus quem diximus à rege Castellæ repulsum in Franciam deuenisse, cum nihil opis à Ludouico impetrasset, & in Angliam profectus, frustra Cornubiæ comitem aduersus fratrem armare conatus esset, ad Conradinum uenit: cum quo rebus compositis è Genua Pisas petijt, ibiq́ machinatione ordinata, Viterbium uenit: pontificiq́ pecunijs mutuò datis gratiosum se exhibuit: & uisitata Roma, ciuibusq́ nonnullis auro corruptis, Viterbium eo tempore redijt, quo Carolus eò applicuerat: à quo pontifici plurimum commendatus, Senator urbis constitutus est: & Carolus in castra Bonitiana se contulit. Sed cum oppidum egregie defensum ac natura munitũ ui expugnare non posset, fame domare constituit. Interim Henricus machinationibus Romæ paratis, Conradinum properare admonet. Et Pisana classis in portu Romano Capitium quendam Neapolitanum in regno Siciliæ gratiosum accepit, qui iussu Henrici in

Africæ littora uectus, Fredericum alterum regis Castellæ germanum cum magna Saracenorum manu nauibus imposuit, & ad Siciliæ littora reuersus (Cōradinum breui affuturum affirmans) plurima loca obtinuit. Conradinus autē Veronam applicuerat, ibiq; tribus mensibus desederat, à quo Tyralli comes cum pluribus retrocesit. Carolus Bonitio per deditionē oppidanorum accepto, in Pisanos ducens, Mutroniū oppidum eis abstulit, deditq; Lucensibus. Fredericus Hispanus omni penè Sicilia, Panormo, Syracusis & Messana exceptis, pro Conradino potitus erat: & Saraceni rupto fœdere, uicina loca infestabāt. Capitius uero dum regina Neapoli sepelitur, uxor Caroli, portu Neapolitano classe aduectus, nomen Conradini inclamat: quæ res Carolum ex Hetruria ad regnum uocauit, ubi rursus Luceriam obsedit. Quam cum expugnare non posset, castellis in exitu uiarum excitatis, barbaram gentem conclusit, ne se Conradino occurrentem impedire posset. Senenses ac Pisani Conradinum accelerare iusserunt. Qui Papiā perductus, per Carretensium oppida ad mare Ligusticum peruenit, & Pisana classe perductus, magnam in agro Lucēsi uastitatem ædidit, Marescallumq; apud Aretium magno prælio superatum interfecit. Guido Feretranus magnas copias ad eum duxit, & multi ex Lombardia Romandiolaq; Gibellini ad eum confluxerant. Potitus breui omni Hetruria fuisset, nisi uocatus ab Henrico properasset. Profectus Senas, in agrum Viterbiensium descendit. Quem cum pōtifex transeūtem uidisset, prophetica uoce usus, adolescentem dixit tanquam uictimam ad cædem deduci. Romam cum peteret, ad pōtem Miluium Senatorem cum populo obuium habuit, & tanquam imperator exceptus, in Capitolium ductus est: ubi dimisso Guidone Feretrano cum omni exercitu in Casinū properauit. Et audiens Carolum saltus Cāpaniæ obtinere, ex Tyburtino olim in Equicolorum, nunc Tallocotij montes, & inde in Marsorum campestria peruenit: dexteram lacu Fucino ad ueteres aquæductus, aqua olim Marcia Romam perducēda excitatos, sinistram montibus claudentibus, ab oppido Alba decem stadijs, consedit. Carolus ex altera parte decimo inde stadio ad concauæ uallis fauces exercitum duxit, & consilio Alardi Neapolitani, qui cum Germanis diu militauerat, partem exercitu præmisit cum Marescallo regia ueste induto: ipse citra collem, sago uestitus militari, fortissimo quoq; sibi reseruato, in insidijs mansit. Pugnatum est tribus horis dubio Marte. Postremo interfecto Marescallo, tanquam rex occidisset Gallici fugam cœpere. Germani ad diripienda spolia sine ordine dilapsi sunt. In quos irruens Carolus, magnam stragem ædens uictoria potitus est. Henricus Senator Reate incolumis peruenit: sed ibi captus, ad Carolumq; deductus, in carcere obijt. Conradinus & Austriæ dux agasonis cuculione contecti, per deuia latitarunt: & octaua demum die apud Asturam cum piscatorem quendam orassent ut se ad littora Senensiū deduceret, annulumq; pignori obligassent, & ille seniores consuluisset, cogniti sunt, captiq; ad Carolum perducti, & dein de securi percussi. Bellum hoc anno millesimo ducentesimo sexagesimooctauo gestum est. Qua uictoria potitus Carolus, regnum totum recuperauit. Et Romam reuersus, Senatorium munus administrauit: missoq; Marescallo Senenses sibi subegit, & inter Florentinos ipsosq; Senenses æquis fœderibus pacem constituit. Interim Clemēs obijt, & cardinales in electione discordes, diutius sedem uacare permiserunt. Interea Ludouicus Frāciæ rex nihil territus eorū laborū memoria quos in Aegypto pertulerat, aliā expeditionē aduersus Saracenos in Africa morātes instituit: Carolum generū hortatus est, ut & ipse cōcurreret, qui profectus in Thusciā, Bonitienses nouos motus parantes cōpescuit, eosq; Florētinis uendidit. Qui oppido destructo, nouū in pede montis cōstruxerunt, lōge priori minus. Pisanis aūt inuitis Florentinis pacē dedit, ut eorū classe in Africā uti posset. Senēses dū Colle oppidū ad Elsæ uallis supremū caput obsidēt, à Florentinis incōmodū acceperunt. Ludouicū autē regem Massilia soluentē, tres filij adolescentes, rex quoq; Nauarræ Theobaldus, & comes Cāpaniæ cum legato apostolico secuti sunt. Qui excesione in Tuneti portu ui facta, ciuitatē obsiderunt, crebrasq; usq; ad Hipponē excursiones fecerūt. Sed orta in castris pestilentia, primus inter principes Ioannes Ludouici regis filius Niuernensis comes interijt, & paulo post legatus cardinalis, & circa

Ann. salu. M. CCLXVIII.

A & circa finem Augusti Ludouicus ipse rex, cui Philippus filius est suffectus. Interea Carolus compositis rebus Hetruscis, eisq; præposito Rufo Anguillariæ comite, in castra ad Tunes peruenit: eoq; consulente pax Barbaris data est, ea lege, ut captiuis utrinq; liberatis, rex gentis Carolo tributum penderet, liberamq; per Africam Christi prædicationem permitteret. Reductis in Siciliam copijs, rex Nauarræ & Campaniæ comes apud Drepanum interiere. Ob quam rem Philippus & Carolus ad Centumcellensem portum nauigantes, inde Viterbium petiere, cardinalesq; adhuc contendentes ad electionẽ maturandam hortati sunt: qui Theobaldum Placentinum Leodiẽsem archidiaconum in Asia tunc agentem, elegerunt. Nam quo tempore Ludouicus in Africam nauigauit, Hedoardus Henrici regis Angliæ filius, ex anglia cum ingenti classe in Asiam nauigauit, expectaturus ut Ludouicus uictorem exercitum eò transportaret. Qui dum Ptolemaidæ moratur, ab Arsacida quẽ sibi familiarem fecerat, in cubiculo solus, tribus uulneribus adpetitus est: fuissetq; interfectus, nisi iuuenis manu ualida sicarij dexteram tandiu ab ictu continuisset, quousq; accurrentes, strepitu audito, famuli, Arsacidam fœde laceratum cubiculo extraxerunt. Conualuit tamen Hedoardus, & Theobaldum apud se manentem ad pontificatus obeunda munera uenturum dato nauigio, & additis in societatem prælatis abunde iuuit. Per quod tempus Henricus adolescens, Ricardi regis Cornubiæ olim Comitis tunc defuncti filius ad pontificem profectus, Viterbij
B cum ageret, ecclesiamq; cathedralem inuiseret: Guidoq; Montefortis adolescens, cum Philippo Francorum rege eodem pergeret ad rem diuinam audiendam, ignarus quod Anglicus ibi esset: ubi eum uidit, interrogauit quisnam esset: & Ricardi filium esse intelligens, à quo Simon pater in Anglia per dolum fuerat interfectus, nulli loci tentus reuerentia, incautum aggressus interfecit, & ad Rufum Hetruriæ præfectum incolumis euasit. Philippus in Franciam abijt, & Carolus in Apuliam. Qui continuata obsidione Luceriæ, cum expugnare nõ posset, pacem Saracenis dedit, maiore imposito tributo, & transfugis sibi traditis: Theobaldumq; Manfredonia appulsum, usque Cæperanum deduxit: qui exinde per Marsos & Sabinos Viterbium petijt: ubi à cardinalibus coronatus, Gregorius x appellatus est. Continuauerat interim bellum inter Genuenses & Venetos, multisq; inter se cladibus duo populi decertabant. Et Palæologus spreta Genuensium societate, inducias quinquennales cum Venetis fecit. Et Venetijs tumultu exorto, Rainerius dux ictu lapidis uulneratus est, & aliquot ædes nobilium direptæ: sed intentores mox pœnas dedere, laqueo suspensi. Fuitq; fames Venetijs: rogatiq; Taruisini, Patauini & Ferrariẽses ut annona iuuarent: cum nullo pacto impetrare possent, noua in Adriatico mari uectigalia sunt imposita, ut intra Polam ac Venetias merces & onera Venetijs deponerentur, quæcũq; mari afferrentur: ordinatis custodi-
C bus, ne quid contra legem transiret. Philippus autem rex Franciam repetens, Cremonæ substitit: uocatisq; Venetis & Genuensibus, pacẽ inter eos in quinquennium cõstituit, anno millesimo ducentesimo septuagesimoprimo. Bononienses uero qui *Ann. salu. M. CCLXXXI.* magnam Romandiolæ partem obtinebant, ægre ferentes mari legem impositam, triennio ferè cum Venetis uaria fortuna decertarunt, ita ut quadraginta millia pugnatorum aliquando in castris haberent. Sed superati demum Bononienses, ea lege pacem acceperunt, ut diruto castello quod in ostio primario Padi construxerant, quarundam rerum liberam eductionem haberent: ostiorum Padi custodia Veneto dimissa. Anconitani uero querelam de lege Veneta apud pontificem detulerunt. Qui iubens Venetis ut legem tollerent, minime exauditus est, dicentibus Papam non esse bene informatum. Procedens deinde pontifex cum rege Siciliæ Florentiam peruenit: admiratusq; pulchritudinem urbis, Gibellinos reduci curauit, & tandem Lugdunum ad generale concilium se contulit. Ad quod profectus Palæologus imperator, tertiadecima uice cum Romana eccesia unionem fecit: & quidam proceres Tartari eum secuti, sacrum baptisma receperunt. Rodolphus quoque Hassiæ comes ab electoribus Germanis electus in imperatorem, illic ueniẽs, ea cõditione approbatus, ut anno sequenti Romam peteret pro corona. Florentini interea Gibellinos tot contumelijs

afficere, ut sua sponte migrauerint: & obsides acceptos, arctiore custodia Guelfi clauserunt: propter quam rem sacris à põtifice interdicti sunt. Pisani quoque Gallurã causidicum cum sectatoribus expulerunt, qui paulò post morte subtractus est: & deinde Vgolinus comes cum amicis Pisa eiectus, ad Florentinos Lucensesq; confugit: quorũ auxilio multa patriæ damna intulit. Bononienses etiam Lambertanos, Asinellosq; cum quatuordecim alijs familijs Gibellinis urbe pepulerunt. Quo tempore apud eos senio cõfectus Entius rex Sardiniæ, Henrici secundi filius, in carcere obijt. Exules uero à Foroliuiensibus benigne excepti sunt cum liberis & uxoribus: quæ ciuitas & Ariminum solæ ex Romandiolis, Bononienses odio habebant. Bononienses ducto in Foroliuiẽses exercitu, eruptione ab illis facta octo millia amiserunt, quorũ pars maior trucidata est. Tũcq; Bononienses dominium Romandiolæ perdiderunt, primaq; omnium Ceruia maximũ Bononiensi uectigal ex sale solita præbere, Venetis se permisit. Acta est in concilio Anconitanorum causa: qui cum non satis probassent apud abbatem Neruisiæ cõmissariũ quæ proposuerant, succubuere, & Venetis sua lex permissa est. Redeuntem ex cõcilio Gregorium, Alfonsus rex Castellæ apud Bellocadorum conuenit, conquestus de imperio Rodulpho tradito. Sed à pontifice placatus, ius suũ Rodulpho cessit. Transiens iuxta mœnia Florentiæ pontifex, rogatus interdictũ tollere renuit, & apud Aretium diem obijt: cuius corpus clarere miraculis affirmatur. Succeßit ei Petrus Tarantasiẽsis, qui in beati Petri basilica consecratus, Innocentius quintus appellatus est. Quo tempore anno millesimo ducentesimo septuagesimoquinto, rursus inter Venetos & Genuenses bellum redintegratum est, et Florentini ab excommunicatione absoluti sunt. Mortuoq; Innocentio, Adrianus quintus suffectus est, ex Fischea gente Genuensis, qui mox Viterbium accessit, ut potentiam Caroli qui tunc Romæ erat cõminueret. Vocauitq; Rodulphum imperatorem, sed ille Bohemico implicitus bello uenire non potuit. Carolus qui dominium aliquod in Achaia habebat, ad imperium græcum aspirans, Paleologum agitare bello statuerat. Adriano uero ad quadragesimum pontificatus sui diem defuncto, Petrus Portugalensis substitutus est, Ioannes uigesimusprimus appellatus. Qui Michaëlem Palæologum admonuit, nisi promissam seruaret unionem, Carolo regi imperiũ datum iri. Veneti uero Anconitanos, quia legem suam non curantes in Sclauoniam mercimonia uexissent, bello agitauerunt, urbemq; oppugnare conati cladem acceperunt. Pontifex Ioannes ad octauum mensem Viterbij mortuus est. Cardinales Romam reuersi, dum in conclaui agunt instante Carolo, qui custodiam tanquam Senator habebat, ut Gallicus eligeretur sex mensibus electio protracta, & tandem Caietanus electus est, Nicolaus tertius appellatus, gente Vrsina oriundus. Qui ut potentiam Caroli comminueret, uicariatum ei auferens Hetruriæ, quæsito colore quod Rodulphus promissum auxilium terræ sanctæ alioquin præstare noller, & à Rodulpho nihilo minus Romandiolam & Rauennatem exarchatum, ipsamq; Bononiam obtinuit, quæ tunc ciuitates modico tributo sub imperatore libere degebant. Postquam Bononiensium potentia fuerat imminuta, ad eas ciuitates Nicolaus Bertoldum nepotem misit, Romandiolæ comitem declaratum: & alterum nepotem Latinum cardinalem in Hetruriam legatum misit: qui restitutis ubique Gibellinis, Florentiæ & cæteris urbibus ecclesiæ magistratus imposuit. Ipse uero pontifex Senatus officium per seipsum exercuit. Legatos Venetorum ad cõspectum suum admittere noluit, propter damna Anconitanis illata. Sed recedentes reuocauit, & multis uerbis reprehensos, respondere prohibitos reiecit. Nec tamen Veneti ab obsidione cessarunt, sed paulò post damnis utrinque illatis, pax equis cõditionibus statuta est. Proposuerat hic pontifex duos reges, alterum in Hetruria, alterum in Lombardia creare: utrumq; Vrsinũ: qui inde Theutonicos, hinc Gallos Siciliam tenentes cohiberent. Persuaserat regi Arragonum Petro, ut iure hæreditario Constantiæ uxoris suæ regnum Siciliæ recipere adniteretur: statuitq; ne quis deinceps Senatorio munere fungeretur regia dignitate præditus: & denique apoplexia correptus, tertio sui pontificatus anno interijt. Conuenere Cardinales Viterbij ad electionem faciendam, & custodiæ cura Ricardo Hannibalensi Romano proceri apud Viterbien-

Ann. salu. M. CCLXXV.

D E F

A Viterbienses gratioso demandata est: qui ursum defuncti pontificis nepotem Viterbiensi prætura eiecit. Quod Matthæus & Latinus cardinales Vrsini ægre ferentes, electionem fieri impediebant, nisi ursus restitueretur. Furentes igitur Viterbienses, conclaue ingresi Vrsinæ factionis cardinales in custodia habuerunt. Hannibalenses facto tumultu Romæ, Vrsinos eiecerunt: qui cum omni factione sua Præneste secesserunt. Cardinales uero ad quintum & dimidium menses inclusi, Italicis Vrsinorum absentia superatis, Gallicum pontificem creauerunt, qui Martinus quartus est appellatus. Is Viterbij noluit coronari, propter uiolentiam in cardinales factam, quod eam urbem interdictam censebat: sed Vrbemueterem petijt, ibiq; solennitatem peregit. Et uenientem ad se Carolum regem, Senatoriam ei dignitatem concesit: quod non satis probabile uidetur, cum Romæ Ioannes Cincius Latini cardinalis Hostiensis illius qui Viterbij tentus fuerat germanus frater, in Romani populi capitaneum sit creatus, & partes Hannibalensium attenuatæ, multis in urbe cædibus, multisq; incendijs factis. Petierat Martinus Montemfaliscorum, ibiq; per æstatem moratus est: & nihilominus Ioannes Cincij capitaneus Romanorum exercitum in Viterbienses duxit, iniuriam ulturus Latino fratri illatã, agrumq; late populatus est. Pontifex Matthæũ Vrsinum cardinalem Romã misit, qui res componeret. Ricardus Hãnibalensis ut ab excõmuni-
B catione, quã cõtraxerat propter uiolationẽ conclauis, absolueretur, ad cardinalis pedes procidẽs, laqueũ à ceruice pendentẽ deferens, ueniam petijt. Absolutus est, & papa Romanis cõcesit, ut duos Senatores eligerent, qui Vrbem gubernarent: electiq; sunt Hannibal Petri Hannibaldi filius, & Pandulfus Sabellus. Quo tempore Martinus Palæologum non seruantem unionis pacta, instante Carolo Siciliæ rege excommunicauit. Palæologus cum petro Arragoniæ rege belli pacisq; societatem inijt: Petrus uero cõmuni impensa classem armauit. Cuius causam cum pontifex per legatum quæreret, respondit Petrus, interiorem tunicam se laceraturum, si cordis sui cogitationum consciam esse suspicaretur. Paulò post in Africam duxit, usq; ad Hipponem littora populatus: & in Sardiniam rediens expectauit, ut machinatio per Ioannem Prochitium constituta, locum haberet. Quo tempore Luchinus, Mapheus & Ioãnes uicecomites Germani gentem nobilissimam Turianos Mediolano expulerunt. In Hetruria uero missus à Rodulpho imperatore uicarius, apud Miniate oppidum se continuit: indeq; Florẽtinos & Lucenses imperatori rebelles uexauit, Pisamq; ui captam diruit, anno millesimo ducentesimo octuagesimoprimo. Sequentes anni principio Perusini Fulginatenses inuaserunt, urbemq; ui captam muro alicubi immunitam reddiderunt: propter quod excommunicati à pontifice, magna pecunia absoluti sunt. Deinde pontifex Perusiam se contulit. *Ann. sal. M. CCLXXXI.*
Guido uero de Appia Gallicus, cum octingentis equitibus ad recuperandam Roman-
C diolam pro ecclesia missus, Forumliuij obsedit, suburbiumq; magnũ cremauit. Interim Siculi superbiam ac libidinem Gallorum amplius ferre nequeuntes, suadente Ioanne Prochitio aduersus Carolum coniurauere: & accepta hora uesperarum, consentientibus omnibus insulæ populis, quamprimum campanæ ritu Christiano auditæ sunt, facto tumultu, omnes Gallicos qui in Sicilia ubique erant cuiuslibet ætatis interfecerunt: adeoq; sæuitum est, ut clausi utero materno, qui Gallico semine concepti crederentur, extincti sunt. Per quos dies Guido Bonatus astrologorum sui temporis primarius, conciues suos Foroliuienses obsessos hortatus est, ut aliquibus diebus quiescentes, hora à se recepta in hostes erumperent. Paritum est, & irruptione facta secundo calendas Maij, Guido de Appia cum Gallis propè omnibus interfectus est, & urbs liberata. Carolus audito Siculorum motu, cum magnis copijs in Siciliam traiecit, Messanamq; urbem obsidens per deditionem cepisset, nisi Gallicæ ultionis cupidi, urbem delere minati essent. Ex altera parte Petrus Arrago ex Sardinia uocatus, Panormum petens, ibi se regem appellari coronariq; passus est. Et confluentibus ad eum Siculis, in Carolum ducere cœpit. Qui dimissa Messana, in Calabriam se recepit: ad quem Carolus filius Salerni princeps aliquot ex prouincia Narbonensi cohortes raptim attulerat. Redargutus à Carolo Petrus Arrago, quod affinis consanguineusq; regnum inuadere præ-

dere præsumpsisset, respondit se misericordem principem à calamitoso populo & indigna ferenti rogatum, opem non potuisse negare: regnumq; sibi propter uxorem Constantiam deberi, quæ Manfredi filia & conradini neptis fuisset. Multiplicatis hinc atque inde iurgijs, placuit rem duello terminari: in quo reges quisque cẽtum militibus associati decertarent, loco apud Burdegalam electo, sub rege Angliæ qui utriusque consanguineus esset. Carolus in Vasconiam profectus, Ioannem Gryllum prouinciæ Marescallũ adiens, sese cum aduenisset Petrus statuta exequi paratum obtulit. Petrum quidam scribunt noctu accessisse incognitum: & Gryllo regis Franciæ propinquantem, ad iustum sibi metum prætendisse: duelliq; mentio obmissa est. Martinus pontifex Gerardũ Parmensem cardinalem legatum Neapolim misit, regni & Caroli adolescentis gubernatorem, & Petrus Rogerium de Loria classis suæ Amirrhatum constituit. Aduersus quem Carolus princeps spreta legati missione, non longe à Neapoli classe congressus, superatus captusq; est, & in Siciliam primo, deinde in Arragoniam ductus. Cuius rei nouitate Carolus pater rediens cum magna classe in mari certior factus est, non longe à Corsica. Martinus Petrum excommunicatum regnis priuauit, & in illis secundum Carolũ instituit: interdictum posuit, & æterna præmia pollicitus his qui cruce signati in Arragonensem arma ferrent: & Guidoni Feretrano comiti pace data, Romandiolæ magnã partem recuperauit, Forumliuiumq; in ultionem Guidonis Appij per capitaneum suum mœnibus expoliauit: Vrbinum quoque obsidione cinxit, quam Guido Feretranus occulte sustentauit. Interim mortuus est Rubeus Anguillarius in Hetruria comes, socer Guidonis Montifortis, qui castra ad Vrbinum tenebat. Is Guido cum parte copiarum ad retinenda oppida uersus Saonam uergentia profectus est, & comes Iuuenacij obsidionem continuauit. Interim propter Corsicam inter Genuenses ac Pisanos nouum bellum exortum est. Carolus ex Neapoli in Apuliam profectus, febre correptus interijt. Regnum per legatum apostolicum conseruatum est. Philippi uero regis Frãciæ filium, comitẽ Atrebatensem, ad eius regni custodiã ire iussum, paruæ copiæ secutæ sunt. Philippus enim in Arragoniam bellum parabat, regnum illud filio primo genito acquisiturus, à Martino pontifice concessum. Martinus paulo post obijt, & Guido Feretranus Iuuenacij comitem ab obsidione Vrbini prælio superatum repulit, urbemq; illam sibi subegit. Cardinales Iacobum Sabellum elegerunt, Honorium quartum appellantes, qui Romam mox reuersus est, Pandulpho fratre suo Senatore, anno millesimo ducentesimo octuagesimoquinto: habitauitq; apud sanctã Sabinã, ubi egregias ædes ædificauit, & partes Gallicorum iuit: excommunicationẽ & processus in Arragonenses à prædecessore fulminatos continuans. Rodulphus autem imperator, principalem de fisco Genuensium cancellarium suum in Hetruriã mittens, omnes qui pecuniam tribuerunt in libertate dimissos, imperij fideles pronunciauit. Lucenses duodecim millia auri dederunt, & Florentini sex magistratus bimestres creauere, quibus artium primoribus fuit appellatio: septimusq; breui additus est, uexillifer iustitiæ. Philippus autem Franciæ rex urbem Gerundensem obsedit, tribusq; mensibus continuauit. Et Petrus Arrago dum commeatus à Narbona in castra ferendos in eo spacio quod à mari ad Gerundam terræ patet surripere nititur, acri commisso prælo uulneratus, paulo post male curatus interijt: & Gerunda pactione ciuium, in potestate regis Franciæ facta est. Duo erant Petro filij: Ferdinandus natu maior regnum Arragoniæ, & Iacobus Siciliæ, testamento acceperunt. Philippus autẽ rex febre in castris correptus, paulo post apud Perpinianum decessit, & nauigia eius in portu Narbonensium à Rogerio de Loria capta sunt. Duæ potentissimæ classes Genuensium & Pisanorum, apud Lamellum insulam Pisano portui uicinam concurrerunt, magnoq; prælio commisso, Pisani quadraginta nouem triremes, duodecim millibus hominum, aut cæsis aut captis amisere, quæ res Pisanorum uires eneruauit. Odoardus rex Angliæ in Vasconiam se contulit, ut inter duos reges adolescentes sibiq; affines pacem componeret. Quæ idcirco impedita est, quia legatus apostolicus, & comes Atrebatensis per Reginaldum Duelini comitem medio tempore Catinam urbem classe à Venetis accepta occupauerant, & maiores

Ann. salu. M. CCLXXXV

D E F

A maiores copias eò mittere parabant in Hetruria congregatas. Sed Rogerius de Loria classem Gallicam ex Sicilia redeuntem uacuam intercepit: & Catina urbs obsessa diu, à prouincialibus tandem recepta est. Quartus autem Honorius sui pontificatus anno secundo in Auentino monte decessit: & cardinales æstiuum aërem fugientes, Februario mense reuersi, Ioannem Asculanum ordinis minorum professorem apud sanctã Sabinam elegerunt, Nicolaum quartum appellatum. Qui Reate se cõtulit, & ibi anno peracto reuersus, apud sanctam Mariam maiorẽ habitauit. Vrbs Roma ciuilibus dissidijs agitata, incendia cædesq́ pertulit. Reges Arragoniæ & Siciliæ conciliati sunt, ea lege ut Carolus rex suis impensis Iacobum Arragonem à pontifice Romano feudatariũ Trinacriæ regem institui coronariq́ curaret. Quod nisi triennio impetrasset, in carcerem unde dimittebatur rediret, datis obsidibus filijs: Carolo, cui postea Martello regi Vngariæ fuit cognomentum: & Loisio, qui post actam in beati Francisci religione uitam, in sanctorum numerum est relatus. Tripolis hoc tempore urbs Asiæ insignis, in potestatem Soldani Babyloniæ facta, post cædem hominum igni ferroq́ diruta est. Paremq́ fortunam Tyrus, Sidon & Barutum pertulere, sedente Nicolao quarto. Ptolemaida in duos annos inducias consecuta est. Pontifex autem crucem prædicari iussit pro auxilio Ptolemaidæ, mille & quingentis militibus suo ære conductis, quos multi sine duce secu-
B ti sunt: quiq́ Ptolemaidam uenientes, nullo regimine usi, multa intulere damna & Christianis & Saracenis. Soldanus sæpe questus est, & per nuncios prædam repetijt: deneigataq́ excidium cõminatus est. Erat de Ptolemaidæ regimine magna cõcertatio. Nam patriarcha Hierosolymitanus illud, & Templarij, & Hospitalarij, & Theutonici, & rex Cypri, & rex Siciliæ Carolus, & Pisani quærebant. Circa quod tempus pax interrupta est inter Arragonensem & Carolum. Pisani paulo ante Vgolinum comitem cum duobus filijs totidemq́ nepotibus in carcere tentum, inedia necauerunt: propter quam rem omnes Hetruriæ Gibellini in Guelfos exarserunt, & in Aretinos arma uerterũt, exulibus id petentibus. Guilelmus Petramalus episcopus eo tempore Aretio dominabatur, cui Feretranus comes & Florentini exules auxilio aduenerant. Secundus Carolus pontificem accessurus, Florentiam uenit cum duobus cohortibus equitum, quem Florentini contra Petramalum episcopum irritarunt, additis copijs quibus episcopum superare posset. Venitq́ rex in agrum Ciuitatis castelli, copijs Florentinorũ associatus: cui Guilelmus episcopus cum noningentis equitibus & octo millibus peditibus occurrit. Commisso prælio, cædes Florentinorum magna est facta. Sed paulo post mutata fortuna, Guilelmus episcopus cum Feretrano comite interfectus est, tria millia cecidere, & duo millia capta sunt de Aretinis. Locum prælij Campaldinum dixere. Carolus ad pontificem profectus, regnum utriusq́ Siciliæ accepit. Quod audiens Iacobus Arrago Caie-
C tam obsedit, & pax interim sub prioribus sponsionibus constituta est. Inter Philippum uero Franciæ, & Odoardum Angliæ reges nouum bellum exortum est, quæ res in Asia Christianos perturbauit. Soldanus enim Babyloniæ centum quinquaginta millia pugnatorum aduersus Ptolemaidam misit, filio duce copiarum instituto, cum ipse ægrotaret. Ducta est obsidio duobus mensibus. Interim mortuo Soldano filius suffectus est, qui acrioribus animis urbem oppugnans, promissa militibus præda, fossisq́ completis materia ac uirgultis, ad mœnia usq́ pugnando peruenit. Sed erumpẽtibus Christianis, magna occisione in castra repulsus est. Deinde discordantibus in urbe Christianis placuit imbellem multitudinem per noctẽ emittere: cum qua multi desertores effecti sunt. Deinde duodecim millibus ad defensionem dimissis, inter quos rex Cypri, & patriarcha Hierosolymæ fuerunt, & hospitalis Templariorumq́ magistri: reliqui omnes abierunt. Sed rex Cypri perfidia usus, desertores secutus est, multiq́ eum secuti sunt. Postremo omnium Hierosolymæ patriarcha, magistriq́, cognita oppugnatione Soldani quæ maior solito parabatur, Dromone ad id seruato portu delapsi, secunda nauigatione primum, paulò post tempestate uexati, sub ipsam Cypri plagam naufragio periere. Soldanus desertam urbem capiens igne succendit, & à fundamentis diruit, anno MCCXC. *Ann. salu. MCCXC.*

Ex libro nono

secundæ Decadis.

POst uictoriam Gothfredi annis centum nonaginta sex perdita est Ptolemaida: Cyprus insula & Armenia minor, Cilicia prius dicta, in Christianorū fide manserunt. Apud Alemannos mortuo Rodulpho, comes Hassiæ Adulphus electus est successor, quem Rodulphi filius Albertus in agro Spirensi in prælio interfecit. Nicolaus quartus apud sanctā Mariam maiorē interijt. Cardinales ut liberius electionē facerent, Perusiā migrauerunt: nec duobus annis tribusq; mēsibus in electione concordarunt. Michaël Palæologus interim mortuus est, quem clerici, sacerdotes & monachi sepultura sacra prohibuerunt, eo quod occidentali ecclesiæ in Lugdunensi concilio consensisset. Andronicus filius & successor suus libenter Latinæ ecclesiæ ob eam contumeliam fuisset unitus, si auxilium habuisset. quod postea semper recusauit. Bellum inter reges Frāciæ & Angliæ acerrimū exarsit. Carolus secundus rex Neapolitanus, è Narbonensi prouincia rediens Perusiā uenit, hortatusq; pluries ad electionem pontificis cardinales, à Benedicto Caietano patria Ananinus reprehensus est, qui toties rogando uim inferre uideretur. Recessit rex Neapolim petēs. Paulò post cardinales Petrum Morroneum Eserniensem anachoritā, secundo à Sulmone milliario ad Maiellæ montis radices cœnobium incolentē elegerunt, uitæ sanctitatis fama celebrem: qui hortante Carolo rege, electioni consentiēs, Celestinus tertius est appellatus: & cardinales Aquilam ad se uocauit, ibiq; consecratus, duodecim nouos creauit. Vltimus ad eum uenit Benedictus Caietanus, & primum apud pontificem locum tenuit. Nec austeritatem uitæ Celestinus mutauit, sed cum experientia rerū careret, parum utilis Reipub. iudicatus est, cœptūq; est de cessione tractare. Quod cum Carolus audisset, pontificē amantissimum Neapolim duxit, multisq; modis conatus est animū eius à cessione auertere, adeò ut solenni pompa per archiepiscopum ducta, clerus & populus benedictionem à pontifice petierit, illiq; se commendaret, rogando ne bene gubernatam ecclesiam, suo regimine destitueret: quibus pontifex benedictione data, respondere iussit, futurum in rem, quod deus pro salute populi disponere dignaretur. Benedictus autem cardinalis Caietanus iuris scientia peritissimus, multis canonibus, ostendit pōtifici quod grauiter peccaret, si se insufficientem cernens ad obeundum pontificatum, non alteri cederet: cōstitutionemq; promulgari obtinuit, per quam declaratum est, licere pontifici Romano dignitatem dimittere: & paulò post sexto mense sui pontificatus Celestinus papatu se abdicauit, cardinalibusq; alterius subrogandi arbitrium permisit. Electus est autem Benedictus ipse Caietanus, Bonifacius octauus appellatus. Qui accipiens Petrum Morroneum ad eremum anhelantem Neapoli clandestine recessisse, illum ex uia retractum, in custodia iussit haberi, ueritus ne populi eum sequerentur, & Romam petēs in arce Campaniæ Fumonis deductum arcta custodia conclusit, in qua ille mortem accelerauit, non sine infamia Bonifacij. Fuerunt apud Bonifacium odiosi Iacobus & Petrus cardinales de Columna, qui Gibellinorum factionem non solum in suis oppidis, sed etiam in Anania confouebant, cum in Guelfis Bonifacij genitor, & agnati ciues Ananini numerarentur. Vocauit eos ad se Bonifacius: quos timentes & Nepesum secedentes, grauiori odio insecutus est, ac cruce signatos in eos misit. Illi præneste se receperunt, quam urbem Sarra Columnensis eorum patruus retinebat. Sed ibi quoq; pressi à cruce signatis, manere non potuerūt, ideoq; Zagarolum petiere. Præneste dirutum est & Zagarolum: & deinde Columna oppidum ui captum, pari modo dirutum. Cardinales fuga dilapsi Reate petierunt. Sarra apud Antium diu in nemoribus obuersatus est, & pastorum pane nutritus: deinde à piratis Catelanis captus, ad remigium est admotus. Timebat enim iram pontificis, qui nullis esset Gibellinis placabilis. Notum illud est, quod Porcheto Genuensi archiepiscopo ad pedes eius procidenti in die cinerum, dixit: Memento, inquit, homo quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerē reuerteris: iniecitq; in oculos eius cineres,

A neres, & eum archiepiscopatu priuauit. Restituit eum tamen postea, cum Cardinales de Colūna non iuisse Genuam intellexit. Eodemq; anno millesimo ducentesimo nonagesimooctauo, beatū Ludouicū Franciæ regū stirpis ex secundo Carolo natū beati Francisci ordinem professum, in sanctorum numerum retulit: sextumq; ædidit pontificij iuris codicem: & Eugubiam urbem, quæ Gibellinorum ductu ab ecclesia desciuerat, recuperauit. Alberto duci Austriæ confirmationem imperij petenti bis terq; negauit. Carolo secundo regi Siciliæ post mortem sancti Ludouici superstites ex Maria uxore regis Vngariæ filia, mares sex, fœmellæ quinque fuerunt. Maior natu Carolus Martellus Vngariæ regnum materna, secundus Robertus Calabriæ dux Neapolitanū hæreditate paterna expectabat: tertius Philippus Tarentinum obtinuit principatum. Natarum prima Clementia nomine, Carolo Philippi regis Franciæ primogenito nupta erat: Blancam secundam, Siciliæ rex Iacobus uxorem acceperat: tertiam Leonoram Fredericus Arrago Iacobi frater, qui & ipse rex Siciliæ appellabatur. Mortuo Iacobo Arragonensi, Robertus Calabriæ dux iussu patris in Siciliam traiciēs. Catina urbe potitus est: & Philippus dux Tarentinus cum classe subsecutus. Verum Siculi pro Arragonensi se tenentes, naues plurimas armauere, & primo classem quam Robertus remiserat occuparunt: deinde aliam Philippi classem cum ipso interceperunt, & Phi- *Ann. sal. M CCXCVIII*

B lippum apud Panormum in carcerem coniecerunt. Robertus relicta Catina in Italiam redijt: & Fredericus Arrago ex Hispania euocatus, Siciliam totam obtinuit. Nec moratus in Calabriam ducēs, ea quoque potitus est. In Hetruria uero sociæ Guelfarum partium ciuitates, reuocato cum Genuensibus fœdere, Pisas terra mariq; inuaserunt, Liburnumq; portum ui captum incenderunt: & ne aditus esset in mari, in ostio fluminis onerarias naues demerserunt. Guido aūt Feretanus castella ad Heram fluuiū de Pisanis à Florentino occupata recepit, ipsumq; pontem munitum obtinuit, nec uenientem gentilem Vrsinum Florentinorum ducem bello excipere ausus est, sed tandiu intra mœnia se continuit, donec ille recessit. Quæ res dissidium apud Florentinos fecit, & nobilitatē depressit, paxq; postea inter Florētinos & Pisanos constituta est. Anno millesimo trecētesimo, palatiū quod Dominorū appellant, Florentiæ ædificatum est: pomeriū urbis productum, & mœnia superducta, & carcer amplissimus ædificatus: & Romæ Iubileus annus celebratus. Carolus secundus Saracenos in Luceria diu toleratos uexauit, ut qui Christiani fieri nollent, quæ pars maxima fuit, interfici iussit. Carolus autem Valesij comes, Philippi Francorum regis germanus, Catharinam Balduini ultimi Constantinopolitani imperatoris filiam accepit uxorem, qui & anno Iubileo Romam petens, fauores socero impetrauit à pontifice pro imperio recuperando. Quod pontifex idcirco annuit, quia expeditionem in Hierosolymam destinauerat. Iussit itaque Caro- *Ann. salu. MCCC.*

C lum Valesium in agrum Romanum copias adducere, eumq; defensore patrimonij sancti Petri in Thuscia constituit. Per hoc tempus in Pistoria Cancellarij gens ditissima numero multiplicata, in duas partes diuisa est: & altera albi uocati sunt, altera nigri: magnis inter se contentionibus agitantes. Quas cum Florentini componere studerent, ipsi quoque inter se diuisi sunt, & eadem nomina receperunt. Legatus apostolicus eò directus, cum nihil proficeret, sacris interdixit. Missus est eò Carolus Valesius. Interim albi, nigros e Pistoria pepulerunt, Andrea Girardino equite Florentino instigante. Idem morbus Lucam inuasit. Interminelli enim primario Obiciorum familiæ ciue interfecto, nigros pellere statuerunt: sed ab illis pulsi sunt. Valesius Florentiam ueniens, accersito legato, multa conatus non potuit efficere quin albi ex Florentia pellerentur, & crudelissima in agro fierent Florentino. Pontifex autem expeditionem in Hierosolymam cupiens parare, Appameensem episcopum ad Franciæ regem Philippum misit. Qui cum nihil proficeret, anathema in eum & regni priuationem minatus est: propter quam rem Philippus eum in carcerem coniecit. Narbonensis deinde archidiaconus ad eius liberationem missus, cum non impetraret, regnum Franciæ ad Romanā ecclesiam pertinere dixit: iussitq; à regalibus muneribus Philippum abstinere, quinetiam adstantes à iuramento regi præstito absoluit, & omnes gratias in re-

gno Franciæ à pontificis Romanis concessas tandiu suspendit, donec pontifex placare- D
tur. Liberatus est Appameensis episcopus: sed prohibiti sunt, regnicolæ Romam ire, aut pecunias eò mittere. Secundo post Iubileum anno Carolus Valesius ad cõsobrinũ suum Carolũ secundũ se cõtulit, multaq; de Calabria recuperauit. Fredericus Arrago pacem petijt, quã ea lege obtinuit, ut urbibus & oppidis de Italia captis redditis, quãdiu uixisset Trinacriam obtineret. Albi ex Florentia pulsi, inter quos Dantes poëta fuit, Forum liuij se contulere, quo & Gibellini Florentia extorres confluxerunt: & in unum corpus coëuntes, Scarpetam Ordelafum Gibellinorum in ea urbe principem sibi ducem assumpsere, quibus Huguitio Fagiolanus cum plerisque castellis in Apennino propinquis adiunctus est, rei militaris peritissimus. Bononienses quoque tunc parti fauentes Gibellinæ, auxilium misere. Idem fecit Canis Grandis Scaliger, Veronæ tum primum dominio potitus, per Dantem oratus. Exercitu congregato, per uallem Anomonis fluuij iuerunt, in Mugellanum transituri. Sed audientes Florentinos Lucensesq; eò concurrisse, & Vbaldinæ gentis meliora quæq; occupasse, transmisso Apennino ad Pollitianum castra firmauere: ubi superueniente hoste, fame agitati in fugam conuersi sunt, & multi ipsorum capti, de quibus Florentiæ supplicium captum est: reliqui in Romandiolam reuersi sunt. Philippus rex Franciæ apud Parisios concilio ecclesiasticorum ac nobilium conuocato, ad sedem apostolicam appellauit. Per idem tempus Sarra Colum- E
nensis in portu Massiliæ cum se clàm quis esset nõnullis Gallicis intimasset, ope regis à piratis liberatus est, & odio pontificis honoratus. Qui ad perniciem pontificis in Italiam missus est, eo tempore quo pontifex in Anania moram trahens, priuato Philippo, Albertum Austriæ ducem & imperatorem, & regem Franciæ declarauit. Philippus Guilelmum quendam Nogaretium equitem sibi fidum, suadente Sarra, Romam misit, sub obtentu publicandæ appellationis apud Parisios factæ: qui ducentos equites Romæ accepit, quos Carolus Valesius ibi dimiserat. Sarra interim seruili habitu in Latinum redierat, qui Nogaretium, Ferẽtinum petere iussit, & cum eo ex improuiso Ananiam noctu ingressus est, ueteribus amicis operam nauantibus: Bonifaciumq; pontificem in paterna domo, & in quo genitus fuerat cubiculo, ualuis ui refractis obstupentem, propria manu cepit, Romamq; perduxit, ubi intra quartum & uigesimum diem uiolenta morte decessit. Cardinales territi Perusiam accessere, ibiq; Benedictum undecimum natione Taruisinũ ordinis prædicatorum professorem pontificem creauere: qui Nogaretio, Sarraq; cum quinque ciuibus Ananinis anathemate percussis, Ioannem & Iacobũ cardinales tanquam iniuste damnatos restituit, capello ad breue tempus abstinere iussos: regemq; Franciæ ad pristinam dignitatem restituit. Misso autem Florentiã Nicolao Pratensi cardinale, urbem pacare nisus est. Legatos uiginti uexilliferos ibi constituit, nec tamen restituere exules potuit, quos in agrum Florentinum aduocauerat, sed posito F
interdicto Pratum se contulit. Pontifex nono pontificatus sui mense obijt. Vacante sede Florentini extorres albi, Gibelliniq; clandestino itinere noctu ad portam quæ Bononiam ducit uenientes, mœnia nondum perfecta cum magno amicorum comitatu supergressi, ad templum usq; sanctæ Reparatæ profecti sunt. Sed dum uel prædam quærunt uel amicos alloquuntur, conglobati ciues eos expulerunt, uictoriamq; propè hostium factam recuperauerunt. Florentini exinde omnia timentes, Robertum Calabriæ ducem suorum & Guelforum omniũ ductorem ea lege acceperunt, ut ex illius arbitrio bellum paxq; penderet: in cuius aduentu cum Lucensibus ad opprimendam obsidione Pistoriam profecti sunt. Sed Florentini & cæterarum urbium exules Pistoriam egregie defendentes, Roberti usque ad Prati mœnia repulerunt. Interim Perusij Bernardus Burdegallensis episcopus in Gallijs agens, in pontificem electus est. Qui electioni consentiens, Lugdunum se contulit ex Burdegala, & Clemens quintus appellatus est. Ad quem uocati cardinales, sine mora profecti sunt mense Augusto, an-
Ann. salu. no millesimo trecentesimo quinto, & septuagintaquatuor annis in Gallijs Romana cu-
M.CCCV. ria tenta est, magno Christianorum malo. Interfuerunt coronationi pontificis Philippus rex Franciæ, Carolusq; frater suus ex Italia reuersus: Ioannes dux Britanniæ, qui

ruina

A ruina muri oppressus est, cum multis alijs dum pompa per urbem duceretur. Philippus rex debilitatus, & pontifex in turba pressus, iaspidem preciosissimum ex mitra amisit. Creauit autem Clemens plurimos ex Gallia Cardinales, ex Italia nullum, nisi quod Ioannem & Iacobum Columnenses ad capellum restituit. Tres Cardinales Romã cum Senatoria potestate misit. Sardiniam à Saracenis occupatam, dum Genuẽses Pisaniq; contendunt, Frederico Siciliæ regi ea conditione concessit, ut illico recipiendæ manum apponeret. Veneti uero cum Carolo secundo aduersus imperatorem Constantinopolitanum fœdus iniere: propter quam rem Rassus rex anno millesimo trecentesimo septimo Romano pontifici unionem promisit. Sed cum Veneti Carolusq; refrixissent, propositum mutauit. Apud Nouariam Dulcinus quidam & Margarita uxor, nouam hæresim inuenerunt aduersus sacerdotes, per quem mares fœminæq; simul habitantes in omnem libidinem prolabebantur. Missi aduersus eos per Papam nuncij, in excelsum montem alpibus continentem coactos fame & frigore suffectos, ad unum sustulerunt. Rescitum quoque est templarios qui pro Cristo olim pugnare soliti erant, Christo rebelles, Saracenis consensisse: propter quam rem supplicio affecti sunt, & bona eorum partim nouis religionibus attributa sunt. Iudæos quoque cum singulis uestimentis ex Francia Philippus eiecit, bonis eorum occupatis. Rhodus à Saracenis

Ann. sal. M. CCCVII.

B Turcisq; occupata est, quam Hospitalarij nouis aucti opibus receperunt: Albertum imperatorem Ioannes ex fratre nepos interfecit. Longobardiæ ciuitates quos habebant capitaneos, dominos pertulere: Verona Scaligeros, Mantua Passerinos, Padua Carrarienses, Ferraria Estenses, qui Mutinæ Rhegioq; post annum Iubileum frena imposuerant, adeoq; creuerant, ut Carolus secundus rex Neapolitanus Beatricem filiam ex Maria uxore susceptam, Azoni tunc Marchioni uxorem dederit. Ipse aũt Azo anno post Iubileũ quinto, & eius matrimonij primo, à filio suo adolescente Frisco nomine ex aliena uxore suscepto, dolo captus, & in carcere necatus est. Friscus paternum dominium obtinuit, & auxilio Venetorum ad expugnandum Thealdum castellum ponti impositum properauit. Cardinalis cognomine Pelagura Bononiam à Clemente missus, Venetis imperauit, ut à re Ferrariensi abstinerent. Sed illi obaudientes, cum iam populus mutato proposito, ecclesiæ dominium acclamaret, castellum expugnauere. Friscus in ultionem populi rebellantis, Ferrariæ penè mediam partem incendit. Ciues excluso Frisco, Venetis se permisere. Pelagura legatus cruce signandos aduersus Venetos Ferrarienfesq; Bononiæ conuocauit: & Clemens Venetis apud Auinionem publicæ excõmunicatis, sacris interdixit, & pro seruis haberi iussit ubicunque reperiretur: propter quam rem in Anglia & Gallijs multa detrimenta perpessi sunt. Misit pontifex alios cardinales in Hetruriam, qui Roberto duci Calabriæ, & Florentinis, Lucensibus, ac cæteris Pi-

C storiam obsidentibus imperarent, ut Pistorienses dimitterent. Paruerunt omnes præter Florentini ac Lucenses, propter quam rem sacris eis interdictum est. Robertus ad pontificem salutandum Auinionem petijt: & Pistorienses bello fatigati deditionem fecere. Potiti urbe Florentini ac Lucenses, à ciuium sanguine temperarunt, mœnia uero deiecerunt, & fossas impleuerunt, agro urbes inter se diuiso. Pistoria in rus redacta, utrique populo subiecta mansit. Florẽtini Accianicum oppidum gentis Vbaldinæ in agro Mugellano, in arduo monte situm, pecuniaria pactione receptum diruerunt, & in plano propinquo Scarpariam aliud oppidum ædificauerunt, ubi prius erant tabernæ. Missus est Neapulio cardinalis Vrsinus in Hetruriam qui res componeret: sed à Florẽtinis ac Lucensibus spretus, anathema & interdictum in eos continuauit. Florentini clerum grauissimis exactionibus uexauerunt: Cursium Donatum ciuem bene meritum, quia Huguitionis Fagiolani filiam duxisset uxorem multis cædib; hinc atq; inde agitatis interfecerũt. Aretini Tarlatos de republica optime meritos, Guelfis exulibus in patriam reductis, per arma eiecerunt. Florentini erga Lucẽses ingrati, repurgatis Pistoriæ fossis, portisq; & uallo excitatis, urbẽ sibi retinuerunt. Huguitio Fagiolanus ob iniuriam generis, Tarlatos in Aretium redire adiuuit. Pelagura legatus Ferrariam per crucẽ signatos & Florentinorum auxilia recuperauit, multa in Venetos occidione commissa: qui Fer-

raria & castello Thealdo coacti excessere. Pontifex Florētinis Venetisq; pacem dedit. D
Ann. salu. M.CCCVIII Anno millesimo trecētesimooctauo, Carolus secundus Neapolitanus rex obijt. Robertus filius habita confirmatione pōtificis, in Italiam redijt. Interim Lambertus, Bernardinusq; fratres de Polēta Rauēnæ ciues, Ferrariēsium opera castrum Marcomama quod in Padi ripa Veneti tenebant, inscio Pelagura ceperunt: qua de causa Pelagura Roberto regi Bononiam appulso, Ferrariā cōmisit pro ecclesia gubernandā. Is Degum dela Rapta Cathelanum cum cohorte equitum Ferrariæ reliquit. Tumultum fecit populus, reductionē nobilium Estensium acclamās. Degus dimisso à castello Thealdo præsidio, duodetriginta ciues suspēdio interfecit, & multos in carcerē coniecit pecunia mulctandos. Per hoc tempus Hēricus Lucembergēsis à Germanis in imperatorem electus est, & à pontifice acceptatus, ea lege, ut intra biēnium Italiam peteret coronam accepturus. Qui missis oratoribus Florētiam, magnum se Germanorum exercitum ducturum ait, petijtq; in urbe recipi, & Aretinos ab inuasione Florentina liberari. Respondere Florentini: Imprudenter agere sapientem principē, qui barbaros in Italiam duceret, quam deberet à barbaris tueri: De receptione sua cum aduenerit imperator consultandum esse: Aretinis non bene consulere imperatorem, quos sciret Guelfos expulisse: exules enim consueuisse imperatorum ope restitui. Propter quā rem Dantes, Florētinos cæcos tunc primum appellare cœpit, qui tam insulse responderent. Oratores Aretium profecti ciuitatem confirmarunt, & Florentini ex agro Aretino excesserunt. Timebant enim Henricum Florentini, sed aduentu Roberti regis recreati sunt, qui se Guelfarum partium tutorem constituit. Henricus transgressus alpes, Taurinenses, ad quos primum descensurus, in deditionem accepit, deinde Estenses, uicariosq; eis dedit. Philippus Papiæ comes, Simon Collubianus Vercellēsis, Antonius Laudæ, tyranni, Henrico occurrentes, datos uicarios acceperunt. Alboinus, Canisq; grandis, Scaligeri, per oratores se dedidere. Duæ factiones Mediolanū tenebāt. Turriani et Vicecomites. Guido Turrianus Guelforum, Matthæus Vicecomes Gibellinorum, principes erant. Guido capitaneatus populi magistratum gerens, quamuis aduentum Henrici cupide expectaret, Guelfis amicum imperatorem ratus, ueritus tamen ne Matthæus gratiam occuparet, contracto exercitu, in agro Mediolanensi se cōtinuit. Matthæus uero ad Lupoldum Austriæ ducē sibi notum mittens, suasit ut copias urbi admoneret, futurum ut ea potiretur. Qua re cognita Guido, ad arma concurrit, & tumultus in urbe excitatus est. Sed adueniens Henricus, utranq; partem terruit, & intromissus urbe potitus est. Pro cuius pace seruanda, Guidoni Vercellas dono dedit: & Galeatio Matthæi filio, quem secum Romam ducere constituit, equitum præfecturam promisit: Lupoldusq; dux Austriæ cum Germanorum cohortibus urbi præfectus est. Qua re audita, Lombardi omnes præter Alexandrinos imperatori se dederūt, tyranniq; & populi uicarios admiserunt. Patauini à Ferrariensibus & Roberto admoniti, nō satis parituri uidebātur. Henricus coronam ferreā quam Modoetiæ recipere debuit, Mediolani recepit magna impēsa ciuium, ita ut grauata onere plebs tumultum fecerit: quæ cum libertatē speraret, maiorem seruitutem inuenerat: seditiosisq; populum incitantibus, ad arma concursum est. Germani principio deterriti, cum cædes in suis & uulnera æderentur, introductis quæ in suburbijs erant copijs, in utranq; factionem prælio decertare cœperunt. Galeatius Vicecomes, Matthæo genitore domi relicto, tanquam ad arcem suorum seruandam, duce Lupoldo & Germanis ad eum conglobatis adhæsit, culpam plebis in Turrianos referens tyrannidem affectātes. Germani facile credentes, cum Gibellinis magno furore Turrianos aggressi sunt. Illi apud plateam beatæ Mariæ Nouæ aliquantulum immorati, tandem Guidone suadente, cum filijs & uxoribus in fugam uersi, Vercellas petiere: ex quorum factione triginta interfecti sunt, quorum quatuor Turriani fuere. Qua re cognita, Cremonenses atq; Cremenses uicarium impositum, & Gibellinos armis non sine cædibus expulerunt. Brixiani quoque Theobaldū Gibellinum eiecerunt: & apud Parmam Rubei paulò ante Henrici iussu à Giberto Corrigiense in patriam recepti, exulare iussi sunt. Henricus exercitum dispersum congregauit, atque in Cremonenses duxit. Guelfi non expe-
ctare au-

A ctare ausi, Brixiam cum pueris & uxoribus migrauere. Cremonenses deditione facta, mitiorem principem experti sunt. Cremonæ mœnia euersa sunt, & Crema inde munita. Parmenses eiectis Guelfis, uicarium imperatoris acceperunt. Duxit paulò post Henricus in Brixiam, quæ diu defensa est à suis & alienis Guelfis. Postremo machinis oppugnata, fugientibus in montana Guelfis, dedita est, & muris spoliata. Placentini Alberto Scoto Guelforum duce eiecto, uicarium imperatoris accepere. Veneti requisitum imperatori nauigium obtulere. Veronenses, Vicentini, Paduani, & Taruisini, missos uicarios acceperunt. Varnerius Hauspergensis comes Lombardiæ præfectus est cum paucis copijs. Henricus imperator, Amideo Sabaudiæ comite, & Pisanorum Genuensiumq; oratoribus sequentibus, per Placentinos Genuam petijt, ubi oratores Roberti regis Neapolitani & Frederici Siciliæ eum adierunt: illi simulatam, isti ueram amicitiam offerentes: quibus Henricus secundum postulata respondit. Miserat Robertus Marescallum cum duobus millibus equitum in Romandiolam, qui etiam Florentinis auxilio esset & Lucensibus. Imperator classe Genuensium Pisas uenit, misso terrestri itinere exercitu, qui Lucenses miris modis afflictauit. Per hoc tempus anno millesimo trecentesimo undecimo, Clemens quintus in concilio Viennensi Clementinarum librum ædidit: Templariorum religionem funditus extinxit: de subuentione pro terra sancta irritam prouisionem fecit. *Ann. salu. M. CCCXI.*

B Henricus Ludouicum Sabaudiensem Amidei filium cum quingentis equitibus Romam præmisit, qui apud Stephanum Columnam prope Lateranense palatium recepti, Vrsinos in suspicionem adduxere. Henricus Viterbium se contulit, & inde summo cum honore Romam deductus est, & per tres Cardinales à Clemente missos coronatus. Conuiuio celebrato, in quo primores Vrbis, præter Vrsinos, interfuere, iuramenta fidelitatis à Romanis exegit, & loca quædam in Theatris Thermisq; muniuit, in quibus suos collocauit. Sed cum pecuniam à multitudine exigere uellet, commota est ciuitas, & omnis utriusque factionis populus ad Vrsinos confluxit, qui se in suis domibus prope Tyberim & Adriani pontem communierant. Henricus sagittarios à Pisanis missos à nauibus uocari iussit. Venerat Romam Ioannes Roberti regis frater, qui turmas nauales quas secum adduxerat, & sub Auentino collocauerat, in sagittarios Pisanorum irrumpere iussit. Quibus dolo oppressis, equitatum intromisit Vrbi propinquum, & in Vrbem imperatori rebellem duxit. Henricus hac de causa in Laterano coronatus, cum commeatibus careret Tybur migrauit. Et Ioannes Roberti frater, iussu Cardinalium recedens, pacificam Vrbem reliquit decimotertio die postquam cœptum fuerat tumultuari. Henricus expeditis oratoribus Frederici Siciliæ regis, Perusium, & deinde Aretium uenit: comitantibusq; Gibellinis expulsis, occupatisq; Arni castellis, obsidionem ad mœnia Florentina locauit.

C Lucenses, Miniatenses, Senenses, Bononienses & Ferrarienses auxilia miserant, & inerat Roberti equitatus: itaque non est intentata oppugnatio, sed uastatus est ager. Et deinde ad Bonitium imperator cum exercitu uenit, oppidumq; restituit antea destructum, ibiq; hyemauit, sperans Florentinos fame laborantes deditionem facturos, uastauitq; Geminiatensium, Collensiumq; & Senensium agros. Florentini nullam aliam spem habentes, Roberto regi ea lege se dederunt, ut exules nullo unquam tempore nullaue ratione reduceret: nec tamen Robertus alia misit auxilia quàm prius, Frederici Siculi bello agitatus, qui Rhegiũ ex Calabris occupauerat: & classis Pisana Genuensisq; erat ad damna Roberti. Henricus Pisas se contulit, ibiq; Robertum citauit tanquam reum maiestatis: Lucenses & Miniatenses magnis affecit cladibus. Profectus Aretium, ibi Robertũ regno priuauit, quamuis Papa citationem ad locum non tutum factam damnauerit. Duxit & contra Senenses. Cum autem ægrotare cœpisset, ad balnea Maceratensia se transtulit, redijtq; male sanus ad Bonumconuentum, ibiq; mortuus est: quem ferunt Florentinorum dolis, à monacho prædicatore in eucharistia intoxicatum. Mors eius Florentinorum & Roberti Siculi salus fuit. Pisani cum Florentinorum Lucensiumq; odia timerent, Huguitionem Fagiolanum quasi dominum accepere, qui ad equitatum suum, quingentos equites addidit Henrico militare solitos, Lucensiumq; agros miro

modo uastauit, & oppida multa abstulit: pacemq; petentibus ea conditione dedit, ut dimissa agri sui parte, Gibellinos exules in patriam reducerent. Duxit quoque in Florentinos, magnasq; illis attulit clades. Sed contendentibus inter se Lucanis, Guelfis & Gibellinis, propter bona direpta, reuocatus est ut tumultum Lucensem tolleret. Ingressus urbem utranq; partem reprehendit: sed Guelfi nihil tutum à Gibellino duce sperantes, effugerunt, & Gibellini bona eorum diripuere. Ad quam rapinam accurrentes Germani, etiam Gibellinos aliquos spoliauere. Sic Luca Pisanorum, uel potius Fagiolani dominio subdita est. Florentini bellum aduersus Aretinos mouerant, qui Tarlatis adnitentibus Fagiolano fauebant. Rex Robertus Petrum Grauinæ comitem germanum suum natu minorem in Hetruriam misit cum equitatu non paruo. Inter hæc Philippus rex Franciæ per Cardinalem ad se missum à Clemente suasus, conuentum apud Parisios habuit, in quo & ipse cum filijs duobus, Ludouico Nauarræ rege, & Carolo Valesij comite, Eduardusq; rex Angliæ, uoto subueniendi Hierosolymæ rebus emisso, cruce signati sunt, quæ uota in irritum cecidere. Clemens autem cum Petrum Morroneum, qui Celestinus fuerat, in numerum beatorum retulisset, uita decessit, & sedis uacatio diuturna fuit. Interea electores imperij in discordia duos nominauere, Ludouicum Bauariæ, & Fredericum Austriæ duces. Quibus inter se prælio concurrentibus, Fredericus superatus captusq; est. Ludouicus superbia elatus, absq; Romani pontificis autoritate imperatorem se appellauit. Matthæum Vicecomitem, Galeatiumq;, Marcum, Luchinum, Ioannem, & Stephanum eius filios ita fouit, ut ad tyrannidem aspirauerint. Petrus Grauinæ comes Guidonem Petramalam episcopum in sententiam traxit, ut cum Florentinis concordaret, quo Tarlatos Fagiolani amicitia potentes deprimi posset, & urbis tyrannis ad eum perueniret. Fœdus ita ictum est, ut licet domini nomen Roberto regi sit permissum, episcopo tamen Petramalæ urbis administrandæ, creandorumq; magistratuum potestas manserit: & omnia Florentinis restituta sunt, quæ sub Henrico amiserant. Fagiolanus autem ad portas usque Florentinas excurrebat, Pistorienses, Miniatenses & Volaterranos infestabat, castra ad montem Catinum posuit, excitatis in circuitu castellis: & mane oppugnabat oppidum, sero in Pistoriensi agro prædas agebat, & in aliorum territorijs. Interea Philippus princeps Tarentinus, fratrum octo Roberti regis ordine quartus, alium equitatum Florentiam duxi. Cardinales apud Lugdunum post duorum annorum sedis uacationem, Iacobum Cantuariensem episcopum Portuensem, in pontificem creauerunt, Ioannem uicesimum secundum appellatum, qui Ludouicum petentem, noluit confirmare in imperio. Florentini aduentu Philippi elatiores facti, cum Senensibus, Miniatensibus et Volaterranis obsidionem montis Catini soluere cupientes, Philippo & Petro fratribus exercitum duxere, castraq; sua Fagiolani castris propinqua posuere. Ille relictis castellis munitis, quadrato agmine Lucam petere statuit. Recedentem Fagiolam, fugientem rati hostes eum insecuti sunt. Commissum est prælium atrox & uarium, in quo Petrus regis, & Frãciscus Fagiolani filius, dum acerrime pugnant, cecidere. Huguitio uictoria potitus est quatuor millia cæsa sunt, multo plures capti, & mons Catinus deditus est. Terruit ea clades admodum Florentinos, libenterq; Roberti regis excusso iugo, alium dominum Florentia recepisset, si quem illo fortunatiorem inuenisset. Per hoc tempus nobilis quidam adolescens de familia Bochinpanum Ferrariensi, interfectus est à commilitone Deghi deleto Cathelano: in quem non uindicantibus magistratibus, Rainaldus eiusdẽ familiæ, accersitis ex Rodigio Obitione & Azone Estensib. tumultum excitauit, partemq; ciuitatis aggressus est, quam Cathelani prope pontem munierant. Cathelani eruperunt, et ciues qui munitã tenebant urbem, eam prodiderunt. Estenses cum globo suorum Cathelanos aggressi sunt, eosq; in fugã uerterunt. Qui cum non possent ad munitionem redire, in scaphas se coniecerunt: quæ pondere grauatæ Cathelanos demerserunt. Deghus relicto castelli Thealdi arce, Bononiam migrauit, atq; hoc pacto Estenses pleno Ferrariæ dominio potiti sunt, anno millesimo trecentesimo decimooctauo. Per quod tẽpus Pisani fortunam suam nõ ferentes, Fagiolanũ interficere cõiurarunt. Nec cõsiliũ mutauere, quãuis aliqui publica animaduersione

Ann. sal. M. CCCXVIII.

A sione puniti sint. Idem quoq; animus Lucenses tenuit, quibus Nerius Fagiolani filius cum præsidio equitum præerat. Castrutius adolescens familia Castracanum nobili natus, coniuratorum caput erat apud Lucenses, quem Nerius propter prædam in Lucensibus factam coniecit in carcerem, atq; ad supplicium educere parabat, sed subito tumultus exortus est: ad quem compescendum cum Fagiolanus Pisa egressus pergeret, obuium filium habuit, qui Luca pulsus, ad patrem confugiebat. Quo narrante Lucensium rebellionem, nuncij è Pisa uenientes, rebellasse Pisanos referunt, & clausis portis in libertatem se erexisse. Fagiolanus eadem die duarum urbium dominio priuatus, ad Malespinas Marchiones amicos confugiens, per Lunensem regionem longo circuitu ad sua Romandiolæ oppida rediens consenuit, filiosq; moriens & nepotes reliquit: qui nostra ætate paternis Sasinatensis Boiorum olim agri castellis à Florentino populo sunt pulsi. Castrutius e carcere eductus, tyrannidem apud Lucanos inuasit, & Pisani petitam per legatos pacem à Roberto rege impetrauere. Ioannes pontifex per legatum Vicecomites Mediolanum relinquere nolentes excommunicauit, Ludouicumq; Bauarum apostolica monita refugientem, extra ecclesiam fecit. In Lombardia et in Genua Guelfi à Gibellinis male tractati sunt: sed Genuenses Roberti regis accepto dominio & auxilio impetrato, Gibellinis uicem reddidere. Qui Saonam populariter migrarunt, cum multæ pri-
B us cædes in circumstantibus montibus & incendia facta fuissent: Obsederant Gibellini Genuam anno millesimo trecentesimo trigesimo, & cuniculis subfoderant urbẽ. Guelfi pari modo in castra hostilia cuniculos agebant. Qui sub terra sibi inuicem occurrentes, durum commisere prælium. Superati Guelfi aquã in cuniculum deduxerunt, quæ hostium opera inundauit, incassum cessura, nisi suppositus repente ignis pontes combussisset, quibus ad quadraginta murorum urbis cubitis aliquandiu fuerunt sustentati. Cecidit murus, & Gibellini in urbem irrumpere tentauerunt, sed cum multo sanguine repulsi sunt. Robertus rex uictoria potitus, Saonam quo Gibellini confugerant, non sine sanguine eiectis Gibellinis obtinuit, & in Gallias se contulit: indeq; suadente pontifice Carolum, Valesij comitem, regis Franciæ Philippi filium in Italiam misit, qui Guelfis præsidio esset Vercellis apud Guidonem de Turre congregatis: qui Vercellarum dominio potitꝰ est, sed breui expulsus est à Galeatio Vicecomite, qui iussu Bauari eam ciuitatem occupauit. Castrutius Lucensis tyrannus, & Guido Petramala præsul Aretinus Gibellinarum duces partium, Florentinos agitabant: bisq; Castrutius Florentinorum copias fudit apud Victolinum & apud Fucetium. Et Pistorienses suasione Philippi Tiditij ciuis sui, Castrutio fœderati sunt, Florentinorum amicitia reiecta. Petramala quoq; Vocamanum oppidum obsidione cepit, Florentinorum copijs repulsis. Cumq; Florentini aduersus Castrutium ducere cogitassent, Genuensibus Lucentia littora classe uexantibus,
C ductor Florentinorum uir externus, pecunia corruptus, ad Castrutium defecit, & magna uastitas in Miniatensibus ædita est, & Montoporianis. Castrutius quoq; Pratenses inuasit. Florentini exules rogauere ut auxilium ferrent, reditum promittentes, si egregiè operam nauarent. Quibus ad duo millia fermè conuenientibus, exercitus eductus est. Cumq; Castrutius non inueniretur, reuersi in urbem noluerunt exules intromittere. Illi furto per noctem ingredi tentauerunt, sed prodita, in diuersa dissipati sunt. Guido Petramala multa oppida recuperauit, quæ de Aretinis Florentini possiderunt, & ciuitatem castelli Guelfis eiectis subegit: propter quam rem Perusini episcopo Aretino bellum intulerunt: & Philippus Tiditius cum tyrannidem Pistorij retinere non posset, Castrutium admisit, qui arcem communire curauit. Orati Senenses, Bononienses, Perusini, Miniatenses, Volaterrani, auxilia Florentinis misere, Raimundo Cardonio Hispano belli duce mercede conducto: fueruntq; equites tria millia, pedites uiginti millia. Galeatius uero Vicecomes Accium filium natu maiorem Castrutio opem ferre iussit. Processerunt Florentini, & aliquot oppida de Castrutij potestate ceperunt. Qui egressus priusquam Accius aduenisset, ad Sextimanas aquas cum hostibus congressus, multos ac meliores de Florentinis interfecit, cepitq;, sed saucius ipse de prælio excessit. Manserunt tamen Florentini in agro Lucensi, & deinde ad Fucetium recessere. Castrutius intelli-

Ann. salu. M. CCCXXX.

intelligens appropinquare Accium, cum mille & quingẽtis equitibus Florentinos astu ad prælium irritauit, in quo Raimundus & filius eius intercepti sunt, & omnis Florentinorum exercitus turpiter fusus fugatusq; est. Castrutius & Accius uictoria potiti, sex diebus quieti datis, ad mœnia usq; Florentina prospicienda exercitum deduxere, secundoq; ab urbe milliario aliquot diebus consedere, omniaq; festorum gaudia ostenderunt. Deinde cum undiq; urbem lustrassent & nemo exiret, abierunt. Prima hæc Vicecomitum in Florentinos expeditio fuit. Ioannes interim pontifex multis Cardinalibus creatis, inter quos duo tantũ Itali fuere, Ioannes Columna, et alter Ioannes Vrsinus: duos in collegium sanctorum retulit, Thomam Erfordensem episcopum, & Thomam Aquinatem ordinis prædicatorum. Et anno millesimo trecentesimo uigesimooctauo Ludouicum Bauarum ecclesiæ rebellem ac scismaticum declarauit: Guidonem Petramalã post occupatam Ciuitatem castelli sacerdotio exautorauit: Cortonam de diocœsi Aretina separauit, & in ciuitatem erexit, Ioanne Biordi Vbertino in Cortonensem episcopum declarato. Guido uero Vbertinorum castella, Laterinum Sabinumq; euertit. Rainaldus Obitio & Nicolaus Estenses Ferrariæ tyranni, Argentam Rauennatis ecclesiæ oppidũ, et alia multa loca occupauerunt, Almerici archiepiscopi odio, qui Romandiolam pro ecclesia gubernabat. Passerinus etiam Bonacosa, qui fauore Bauari ad tyrannidem Mantuæ aspirauerat, sorore Estensium in matrimonium accepta, cum copijs ad eos accessit: qui simul iuncti Bononiam aggredi præsumpsere: ubi à Beltrando Imolensi ecclesiæ copiarum duce, maximum acceperunt incommodum: excommunicati sunt, & Ferraria interdicta. Castrutius Florentinos ex oppido Signia multis cladibus affecit: illi Carolum Roberti filium per oratores in dominium uocauere. Et Castrutius Montimalo multo labore expugnato, Signiam diruit. Ioannes pontifex Ioannem Vrsinum Cardinalem in Italiam misit: qui Florentiam profectus, Guelfos in spem erexit. Bauarus cum magnis copijs profectus Tridentum uenit, & magnis Gibellinorum precibus Mediolanum petijt, ibiq; corona ferrea à Guidone Petramala præsulatus autoritate præsumpta coronatus est. Pecunia egens cum à populo eam exigeret, & Galeatius id dissuaderet, illum & filios in carcerem coniecit: Mediolanensibusq; grandi accepta pecunia concessit, ut uigintiquatuor eligerent Reipub. administratores: quibus ipse præfectum addidit, ea gesturum imperiali autoritate, quæ magistratus externi in liberis ciuitatibus exercent. Et cum in Brixianos duxisset, apud Vrcios aliquantulum immoratus, in Hetruriam uenit. Carolus interim in Castrutium duxit, et aliqua castella de Pistoriensibus expugnauit absente Castrutio, qui Bauaro obuiam iuerat. Receptus est Bauarus summo cum honore à Lucanis. Pisani discordes fuere, & tandem Castrutio Guidoneq; diuerso itinere adnitentibus eum admiserunt. Vbi duobus moratus mensibus, Castrutio intercedente Galeatium uicecomitem, Acciumq; & Marcum filios liberauit. Guido dum domum redijt, apud Nigrummontem febre correptus interijt: cuius frater Saccon. Aretium obtinuit, Bauarus Castrutio cum mille quingentis equitibus comitante, Romam petijt: ubi Laterani à Stephano Columna seniore Sarræ genitore, iussu cleri & populi coronatus est. Duo tunc Barones, uicarij Romanorum regis appellati, urbem gubernabant: qui à Romano Senatu creati, annuum magistratum gerebant: & aliquandiu unicus fuit, qui per absentiam alium substituit, Stephanus tunc hunc magistratum gessit, & Nicolaum de Comite aliquando sibi substituit. Ornatus imperij corona Bauarus, Petrum Corbariensem ordinis minorum professorem, Reatini agri, in antipapam erexit, rusticum hominem: qui uxorem habens iuuenem renitentemq;, pseudoreligiosus erat, illiq; reuerentiam pontifici debitam præbuit: qui Cardinales & episcopos adulterinos creauit. Interea Carolus qui ad patrem in regnum redierat, Philippum Carnotensem cum mille equitibus Florentiæ dimiserat, qui per hyemem congelatis fossarum aquis, furto Pistoriam ingressus est, eamq;, arce occupata, non sine multo sanguine diripuit atque obtinuit: quæ res conceptam in Robertum à Bauaro expeditionem turbauit. Castrutius ea re cognita, repente cum Vicecomitibus Pisas Lucamq; uenit, & obsessam Pistoriam, fame ad deditionem compulit. Bauarus Tudertum, & deinde Viterbium petijt,

Ann. salu. M. CCCXXVIII.

D E F

A petijt, ubi dimisso antipapa Pisas repetijt, in Florentiam ducturus. Nec potuit à Genuensibus persuaderi ut regnum peteret, quorum classis contra Robertum tardiuscule parata fuerat simul cum Sicula. Erat enim magna spe fretus Florentiæ capiundæ: neque deceptus fuisset, nisi Castrutius morbo contracto ex labore migrasset, cuius filij Arrigus et Galeranus cum præsidia Pisis imponerent, à Bauaro per ingratitudinem exclusi sunt. Idemq; Lucæ factum est: quas urbes Bauarus pro imperio retinuit. Per hoc tempus Carolus quoque Roberti filius Florentinorum dominus, in regno uita decessit: & multi Germani defectu pecuniæ à Bauaro defecerunt. Milites Castrutij apud Pisam se continuere, ibiq; Galeatius uicecomes obijt. Accius uero & Marcus filij ad Bauarum confugientes, pecuniam ei magnam promiserunt, si se Mediolanum remitteret. Ille indignatus commisit eos quatuor nobilibus Germanis, qui unum eorum Accium introducerent Mediolanum, alio pro obside retento, & pecuniam acciperent. Factum est ita. Sed Germani pecunia recepta, in Alemanniam abierunt. Bauarus indignatus, in Lombardiam se contulit, antipapa Pisis relicto. Frater Accij obses apud Germanos in Hetruria pro fratre remanserat. Cum redijsset in Lombardiam Bauarus, ab Accio prohibitus est ne Mediolanum intraret, paternæ iniuriæ memor. Germani uero milites in Hetruria Marco uicecomiti fidem habere cœperunt, eumq'ue ex obside ducem sibi assum-
B pserunt: qui per Castrutianorum gratiarum arce Lucensi obtenta, urbis dominio potitus est. Pistorienses eiecto Bauari præsidio, pacem cum Florentinis fecere, & reductis exulibus uniti sunt. Pisani emisso Tarlato, quem Bauarus reliquerat, præfecto, in libertatem se uendicarunt: & Castrutiani milites Catinum & Vicolinum oppida à Florentinis occupata receperunt. Germani uero milites Lucam pro uicecomite obtinentes, eam Spinulæ Genuensi, extorrium Genuensium classis ductori, uendiderunt. Inter Spinulam & Florentinum bellum exarsit: quod Spinula conductis mercede Castrutij militibus egregie repulit. Florentini tamen Catinum obtinuere. Bauarus in Germaniam confusus abijt, & antipapa à Bonifacio comite Pisano captus, Auinionemq; perductus, & pontifici dono datus, uitam in carcere sine ui finiuit. Pontifex autem Philippo rege Franciæ instante, generalem pro terra sancta expeditionem edixit, ecclesiasticis decimis regni Franciæ eidem Philippo promissis, sibi reliquis reseruatis. Quæ dum aguntur, Ioannes Bohemiæ rex, Henrici Brandeburgensis filius ad pontificem mittens, sequestrem se obtulit, ut Bauarus ecclesiæ reconciliatus, ius suũ dimitteret, & Henricus alter ex Bauaria imperator crearetur. Quod licet pontifex parum exaudiuerit, Roberti tamen Neapolitani regis animum offendit, qui nullum imperatorem creari uoluisset, in Italiam transiturum. Florentini Lucam possederunt, sed ab equitibus Ioannis Bohemiæ regis repulsi sunt. Qui cum à Brixianis accersitus Bergamum ceperat, & Spi-
C nulæ duo millia equitum miserat, agrum Florentinum populati sunt. Cepit quoque rex Bohemiæ Parmam, Rhegium & Mutinam, non ægre ferente legato Papæ qui eas capere nitebatur. Is enim amicitia cum rege inita, Florentinos contra consuetudinem Bononiensibus infensos reddidit: idq; uolente Papa factum creditur. Mutata est Italiæ conditio, ut quibus Papa & rex Bohemiæ amici essent, ijs Robertus rex, Florentiniq; aduersarentur, nullo Guelforum aut Gibellinorum discrimine. Regi Roberto Mastinus Scaliger Veronæ, Philippinus Gonzaga Mantuæ, Carrarienses, Patauini, Estensesq; Ferrariæ tyranni coniuncti sunt: in quos pontifex anathema promulgauit. Pistorienses uero libertate postergata, pleno dominio Florentinis se permiserunt. Bohemus rex Carolo filio in Italia relicto, pro maioribus copijs in Germaniam profectus est.

Ex libro

Ex libro decimo

secundæ Decadis.



MArchiones Estenses propter Argentam ecclesiæ Rauennati oblatam excõmunicati, non prius oppidum reddiderunt, quàm precibus Ferrariensium interdictorum fatigati sunt: ipsi tamen Estenses Scaligerorum auxilio, castrũ sancti Felicis agri Mutinensis obsidere perrexerunt, quod oppidum Manfredus prius cum Carpo et castellis uiginti, Carolo Bohemi regis filio commendauerat. Carolus Manfredusq; obsessores aggressi conflixerunt: octingenti ex hostibus interfecti sunt, captorum magnus numerus, inter quos Nicolaus Estensis Rainaldi Marchionis frater, & plures nobiles fuere. Secundum hanc uictoriam legatus Bononiensis per cubicularium suum & Romandiolæ comitem copias congregauit apud Rauennam, in quibus Galeotus Malatesta Ariminensis fuit, Franciscus Ordelafus Forliuiensis, Ricardus Manfredus Fauentinus, Ostasius Polotensis Rauennas, qui quatuor prius contra ecclesiam senserant, & sub capitaneatus titulo suarum quisque urbium tyrannidem inuaserant. Cum his copijs Ferraria duobus mensibus obsessa est, & suburbium sancti Antonij captum, sæpeq; urbs oppugnata atq; egregie defensa. Tandem Philippus Gonzaga Mantuanus, Mastinus Scaliger Veronensis, Vbertinus Carraria Patauinus auxiliares copias misere: cum quibus Rainaldus Marchio eruptione facta, exercitum ecclesiæ dissipauit, captusq; est comes Romandiolæ, & cubicularius, qui cum Nicolao Estense, & alijs captiuis permutati sunt. Malatestam autem, Ordelaphum, Manfredum & Polotensem honeste habitos sibiq; obligatos, contra ecclesiam in suas ciuitates remisit, & inde Bononiam ducens, hostiliter cuncta populatus est, et Bononiam ipsam urgere cœpit. Rex Bohemiæ dum opem ferre legato cupit, reuocato filio Carolo qui Lucam petierat, Brixiæ & Bergomi rebellionem accepit, quas urbes Mastinus Scaliger deditione ciuium occupauerat. Accius uicecomes Papiam ingressus, arcem oppugnabat, quã ob causam relicto Parmæ filio, Papiam profectus, cum munitiones uicecomitis superare non posset, Mediolanensem agrum uastauit: uixq; Parmam redierat, cum relatum est Americum Castrutij filium Lucam amicorum ope recepisse: sed arcem teneri, propter quam causam petentibus ueniam Lucensibus, & culpam in paucos transferentibus, accepta non parua pecunia ignouit: tædioq; affectus Italicarum mutationum, in Germaniam ad quietem redijt, Mutinæ & Rhegio urbibus, Germanorum præsidio relicto: & Parma Petro & Marsilio Rubeis fratribus commendata, reditu cum maioribus copijs promisso. Interea legatus, Bononienses in rebellionem à Florentinis persuasos cognoscens, in arcem se contulit, & copiæ suæ tam in urbe quàm in agro male habitæ sunt, & arx obsessa Marchionis & Florentinorum auxilijs. Dedit arcem legatus, & in Auinionem reuersus est, anno millesimo trecentesimo trigesimoquarto, quo tempore Ioannes uigesimus secundus in Auinione obijt, & Iacobus agro Tolosaico oriundus assumptus est, Benedictus duodecimus appellatus, qui censuras in Bauarum fulminatas iterauit & confirmauit. Tuncq; Scaliger Parmam, Rhegium Gonzaga, Mutinam Estensis, Lucam Florentini inter se partiti sunt, Germanos Bohemo militare solitos, mercede conducentes: quorum magnam partem Mastinus aduersus Parmam ducere, reliquam Florentini cõtra Lucenses trahere, statuunt. Germani id ægre tulerunt, & ad Rubeos fratres defecere, Scaligerum interficere polliciti. Quod cum nõ successisset, Parmam transfugere. Scaliger obsidione Parmæ intermissa, in Vicentinos reduxit exercitum: nec Florentini ausi sunt propter hanc defectionem Lucam obsidere. Quibus cognitis rex Bohemiæ Ioannes, Philippo regi Francorum Lucam dono dedit: qui Florentinis interminatus est, mercatores qui per Franciam agerent, luituros quicquid ab eis detrimenti Lucenses acciperent. Redijt tandem Mastinus Parmam à Gonzaga Estensiq; adiutus. Florentini quoque spreto Franciæ rege, Lucam obsidere. Nicolaus Estensis Beatrice Guidonis Gonzagæ filia in matrimonium accepta, soceri copiarum auxilio, & Rainaldi fratris modico equitatu

Ann. salu. MCCC XXXIIII.

A equitatu iniussus Mutinam cepit. Rainaldus Marchio Argentam combusto ponte, in quo plurimi perierunt, ui occupauit: & Rubei fratres ea conditione Parmam Scaligero permisere, ut Lucam quoque à tertio eorum fratre sibi dedendam retineret. Philippus Gonzaga Rhegiensem urbem ciuibus ultro dedentibus accepit: & paulò post Rainaldus Marchio, & deinde Nicolaus mortui sunt. Obitius frater minor marchionatum accepit. Mastinus Scaliger accepta Luca, Paduam quoque Vbertino Carraria ob ciuium dissidia permittente accepit. Felitrenses etiam, Bellunensesque & Cenetenses à Bohemo ad eum defecere. Crescentem tantopere Mastini potentiam, Florentini (quibus contra. Fœdera Luca esset erepta) suspectam habuere. Veneti quoque qui unicam in continenti ciuitatem possidebant Taruisium, Gonzaga & Vicecomes, illum timebant: fœdere igitur inter se coniuncti sunt: ad quos Bononienses & Marchio Estensis accessit. Veneti quatuor millia equitum externorum conduxere, et sagittarios urbanos totidem in agro Vicentino congregauerunt, Petrumque Rubeum sui exercitus ducem creauere, quem Mastinus interficere quæsiuerat, & in ponte Tremulo obsederat. Castrametati Padua Veneti, urbem illam male ab Alberto Scaligero Mastini fratre gubernatam obtinere sperabant, Vbertino de Scaligero male contento, à quo ciuitas pendebat. Carolus quoque Bohemus reuersurus in Italiam sperabatur: & Luchinus Vicecomes qui nuper defuncto nepoti Accio in Mediolani dominio suffectus erat, cũ Gõzaga Veronam obsi-

B dere parabat. Et hi primo castrametati sunt, & Bohemus suas urbes recuperauit. Mastinus eruptione facta in Vicecomitũ castra, in quib. et Mastinus Rubeus fuit, exercitũ fudit, multosque cepit: & ea uictoria fretus ad suppetias fratri ferendas profectus est. Sed iam Germani equites ad Venetos defecerant, iter tamen suum peregit, copijs ex Vicentinis auctis: & ad inferiorem partem urbis se collocauit, ut Petro Rubeo intercluderet commeatum, ubi herba Gualdi contrita, infecta aqua, plurimum detrimenti passus est. Marsilius in castra ad fratrem uenit, et febre correptus, Venetijs apud medicos obijt. Luchinus Vicecomes Brixiam obsedit: & Vbertinus Carraria, initis cum Petro Rubeo fœderibus, eum in urbem recepit. Albertus Scaliger Venetias ductus est captiuus. Petrus Rubeus dum Montemsilicem oppugnat sauciatus, Paduam relatus, illic obijt. Luchinus Brixia & paulò post Bergamo potitus est. Venetus Vicentiam obsedit: sed liberatus metu, Scaligero pacẽ petenti dedit, ea lege, ut Carolo dimissis quæ recuperauerat, & Vicecomiti quæ obtinuerat, ac Carrario Paduam: Veronã ipse, Vicẽtiam, Parmam Lucamque retineret. Molesta hæc pax Florentinis fuit Lucam cupientibus: sed cum missis oratoribus nihil mutari obtinuissent, quieuerunt. Benedictus pontifex misso legato, ecclesiæ partes in Italia redintegrare annixus est: Romanisque persuasit, ut Senatus magistratum, quem regis nomine diu gesserant, ecclesiæ nomine reciperent. Et Stephanus

C Columna in quinquennium confirmatus, collegas à populo Romano accepit, annis singulis uariatos. Iordanusque Vrsi filius anno millesimo trecentesimo trigesimonono Stephani absentis, quem pontifex Auinionem accersierat, & proprio nomine Senator fuit. Tertio deinde anno, cum Stephanus iterum in Auinione esset, Vrsus Anguillariæ comes collega eius Frãciscum Petrarcham poësis laurea in capitolio insigniuit. Benedictus pontifex Luchino Vicecomiti & Ioanni eius Germano quem Mediolanensem archiepiscopum, instituit, Mediolani & aliarũ urbium quæ possidebant, uicariatum autoritate apostolica retinendum concessit: Mastino Veronæ & Vicentiæ, Guilelmo Gonzagæ Mantuæ et Rhegij, Albertino Carrariæ Paduæ, Opizoni Estensi Ferrariæ, Mutinæ & Argentæ similem uicariatũ attribuit: sed huic ultimo decem millia auri nummum quotannis soluenda imposuit. Benedicto defuncto Clemens sextus suffectus, Luchino & Ioanni uicariatum confirmauit, à cæteris abstinuit: cum Bauarus Tridentum petens Italiam intraturus uideretur, qui pari modo in multis ecclesiæ terris uicarios imperiali autoritate constituit. Ioannes de Vico Vrbis præfectus in Viterbio, Galeotus Malatesta & fratres Arimini in Romandiola, Pisauri Marchia Anconitana, Antonius Feretranus Vrbini, Diolfus & Galeassus fratres Gallij, Alegretus Clauellus Fabriani, Bulgarutius Mathelicæ, Ismedutius sancti Seuerini, Gentilis Varaneus Camerini, Michaël

Ann. salu. M. CCCXXXIX.

Z Montis-

Montisimilonis, Paugonus Cinguli, Nicolaus Boscaretus Esij, Guido Poletensis Rauennæ, Franciscus & Sinibaldus Ordelaffi, Foroliuij & Cesenæ, Ioannes Manfredus Fauentiæ, autoritate imperiali uicariatum accepere. Post hæc Baldi & Frescobaldi Florentiæ nobiles ex urbe deiecti sunt, & eorum superba palatia solo æquata, qui cum magna clientum manu manu Pisas migrauere. Guido Corrigiensis Philippini Gonzagæ fauoribus Parmæ dominatum consecutus, ab Accio fratre suo Marchionis Estensis auxilio eiectus est: & Scaliger Estensi confœderatus, Mantuano bellum intulit: qui amissa Parma, Lucam uendere statuit, quam Florentini Pisaniq; cupiebant. Sed Florentini plus offerentes obtinuere, quingenum ducatorum millium summam polliciti, pro quibus mercatorum filios Ferrariam missos obsides dedere. Pisani Lucam obsederunt, sed Florentini cum auxilio Maltini intromissi sunt. Nec tamen obsidio dissoluta est, sed instaurauere Florentini copias, & prælio commisso, maiorem quàm antea unquam stragem acceperunt. Qua re re fracti animo, cum Robertus rex nullum auxilium mitteret, Ludouicum Bauarum sibi dominum petiere. Sed ille Tridenti manens, ulterius transire nõ est ausus: quamuis etiam Luchinus Vicecomes Papæ ingratus accersiret. Necessitate igitur compulsi, quingentis equitibus à Scaligero & Bononiensibus acceptis, ipsi mille quingentos conduxere, belliq; ducem Malatestam Ariminensem, cognomento Vngarum accepere. Quem cum magno peditatu ad castra hostium mittentes, cum pugnandi copiam nõ inueniret, in agrum Pisanum necessitas diuertere compulit, ut sic Pisani obsidionem soluerent. Interea Robertus rex Gualterum quendam è Gallijs, Athenarum ducem appellatum, cum paruo equitatu ad Florentinos misit, qui artibus exquisitissimis populi gratiam aucupatus, Malatestam tanquam imperitum belli ducem criminatus est, effecitq; ut ipse copijs præficeretur. Lucæ interim qui inerant Florentini fame laborantes, suam salutem pacti urbem Pisano dedidere. Gualterus per diuisionem ciuium, equitatui atque urbi præfectus, plenarium dominium occupauit: & palatium ingressus, priores inde cæterosq; magistratus eiecit. Aretini quoque, Pistorienses & Volaterrani Gualtero se dediderunt: & Accius Corrigiensis Parmam urbem Opizoni Estensi possidendam tradidit. Philippinus Gonzaga bello, ut diximus, ab Estensi marchione inuasus, eum in agro Rhegiensi prælio superatum fugatumq;, Paduam usq; persecutus est. Opizo uero desperans Parmam posse retinere, eam Luchino Vicecomiti

Ann. salu. M. CCCXLVI. permisit, anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto. Florentiæ uero cum multæ coniurationes in Gualterum fierent, coniuratiq; detecti punirentur, postremo Angelus Acciaiolus urbis episcopus, conuocatis ciuibus ad episcopum, arma sumere iussit. Tyrannus fœdera cum populo sequestre episcopo inijt, ut cum rebus suis & copijs securus abiret. Decimo tyrannidis mense, mox ingrata plebs pacem consecuta, nobilitatem administratione, quæ communis erat, priuauit, & multæ in ciuitate ædes direptæ & igne ab

MCCCXLVII. sumptæ sunt. Per hæc tempora anno millesimo trecentesimo quadragesimoseptimo regnum Neapolitanum turbatum est. Roberto regi duæ fuerunt neptes ex Carolo filio Florentiæ domino, uiuente patre defuncto: & Carolo Martello Roberti germano Vngariæ regi paulò ante mortuo filius Carolus fuerat, cui uiuente & patre defuncto, superstites manserant Ludouicus & Andreas. Moriens igitur hoc tempore Robertus, testamento ordinauit ut Ioanna filia, Andream consobrinum ex Vngaria uenientem uirum acciperet: atque ita factum est. Sed Ioanna secordem exosa uirum, in Auersana urbe necari curauit, & alteri consobrino nupsit, Ludouico Tarenti principi, olim Philippi filio, quem Roberti fratrem fuisse docuimus. Conata est Ioanna scelus suum ab ignoratione & perditorum flagitio purgare, cui Ludouicus epistolam in hæc uerba transmisit: Ioanna, inordinata uita præcedens, retentio potestatis in regno, neglecta uindicta, & excusatio subsequens, necis uiri tui probant te fuisse participem & consortem. Ludouicus rex Vngariæ multorum precibus agitatus, cũ paratissimo exercitu Italiam petijt, primosq; Sulmonenses resistentes inuenit, quos tamen in potestatem redegit. Per hæc tempora, anno millesimo trecentesimo quadragesimoseptimo, Romæ mutatus est modus regiminis qui sub Clemente sexto cœperat, ut autoritate apostolica Senatores constituerentur.

A tur. Tunc uero ad Iunij mensis finem, Nicolaus quidam Laurentij ciuis Romanus & scriba in capitolio publicus, celso ut uisum est animo, pulsis Senatoribus, capitolium per arma cepit: tantusq; illico affuit populi fauor, ut rem quo uellet Romanam flecteret. Is titulum hunc accepit: Nicolaus seuerus & clemens, libertatis, pacis, iustitiæq; tribunus, ac sacræ Romanæ Reip. liberator illustris. Admirati sunt omnes Italici: nec quisquam fuit potens, qui non eum miserit salutatum: fœderaq; cum eo multi quæsiuerunt. Externæ quoque prouinciæ Romanam rempub. reuiuiscere putauerunt. Sed parum eius gloria durauit, quoniam mox partem populi secutus, partem alteram offendit. Ipse autem ad septimum mensem sponte sua, & omnibus suis inscijs, mutata ueste Roma per obscurã noctem abiens, in Bohemiam profectus est ad Carolum Ioannis filium, quem multarũ linguarum literarumq; peritia ornatum Clemens pontifex in contumeliam Bauari ab electoribus in Cæsarem fecerat declarari. Qui Carolus tribunum ad se uenientem, & fœdera (ut creditur) petentem in uincula coniecit, missumq; Auinionem pontifici dono dedit. Ludouicus autem Vngariæ rex Sulmone recepto, Apenninum trãsgressus, omni regno facile est potitus. Ioanna enim & adulter suus fuga sibi consuluerant Prouinciam petentes, relicto ad regni custodiam duce Dyrrhachino comitis Grauinensis regis Roberti germani filio: quem Ludouicus repugnare ausum, prælio superatum captumq; supplicio affecit. Sed cum Italia ubiq; & potissime in regno sæuissima peste infecta esset, Ludouicus relicto præsidio in Vngariam tertio mense reuersus est. Per quod tempus mortuo Luchino Vicecomite Ioannes archiepiscopus frater eius uir prudentissimus, accepto à pontifice Mediolani uicariatu, dominium suscepit. Clemens tribuno in carcerem coniecto, regni Neapolitani curam suscepit, misso affine suo ex Lemouico Guidone Portuense cardinali, qui pacem inter Vngarum regem Ioannamq; hoc modo constituit, ut Ioanna reginali usa titulo ad regnum restitueretur: Ludouicus Tarentini principatus titulo, siue maritus siue adulter, apud Ioannam uteretur. Et clemens pontifex Iubileum annum Romanis petentibus concessit: qui consensere, Cardinales à pontifice deputari ad reformandum Vrbis statum. Ad quos scribens Petrarcha consulit ut Senatores promiscue sicut dederit casus ex plebe & nobilibus, uel potius ex ipsa plebe sumi constituant, asserens ex ijs qui nobiles dicerentur nonnullos alienigenas esse. Senatores tamen declarati sunt autoritate apostolica Petrus Sarra Columnensis, & Iordanis de filijs Vrsi. Pestis per tres annos in Italia debacchata est, ita ut uix decem ex centum hominibus manserint, & pleraq; prorsus derelicta sint. Vbaldini per id tempus alicubi à Florentinis oppressi sunt. Tuncq; Colles & Geminianum oppida in Florentinorum potestatem uenere: & Ioannes archiepiscopus Mediolanensis nulla motus Iubilei reuerentia, oblatum à Bononiensibus dominium occupauit. Commotus Clemens pontifex, legato in Italiam misso, Mastinum Scaligerum Florentinosq; in Vicecomitem armare curauit. Sed mortuo Mastino, archiepiscopus Mediolanensis Canem grandem Mastini filium, cunctosq; Romandiolæ & Hetruriæ Gibellinos in sua fœdera traxit: missoq; Bernaboue nepote Bononiam, unicam ecclesiæ ciuitatem Imolam expugnari iussit. Interim Florentini, Pistorienses ac Pratenses aggressi armis subegerunt. Archiepiscopus Ioannem Aulegium Vicecomitem cum barbutis quinque millibus (sic enim bene armatos uocabant equites) in Hetruriam misit: qui ad mœnia usque Florentina uastato agro, cum nemo ocurreret, in Mugellanum se contulit: cuius fauore Saccon Tarlatus Vicecomiti studens, Anguillariam de Perusinis sibi subegit, & Burgum sancti Sepulchri oppidum ad Vicecomitem defecit. Veneti uero bello maritimo classem Genuensium confregere, decem triremibus acceptis: aduersus quos missus cum noua classe Philippus Auria Nigropontum afflixit, Choum insulam Veneto parentem & oppidum ui cepit. Clemens uero Ludouicum Tarenti principem regni Neapolitani corona donauit, & pacem cum Vngaro renouauit, & à Ioanna regina urbem Auinionensem quæ sui patrimonij erat in uenditionem accepit, precijq; dissolutio permutata est in pecuniam feudi, quam Ioanna pridem coronata pro regno promiserat. Aulegianus Vicecomes Scarperiam in Mugello obsedit: Senenses, Aretini, Perusiniq; noua cum Florentinis aduer-

(margin letters B and C beside "plicio affecit" and "gato in Italiam")

sus Vicecomitem fœdera inierunt. Pisani cum Vicecomite consenserunt, nihil tamē egere, impedientibus Gambacurtæ familia primaria & Florentinorum amica. Saccon Torlatus multa Perusinis Aretinisq; damna intulit, Cortonamq; illis amicam ad Vicecomitem traxit. Florentini & socij cum frustra pontificis auxilia petiuissent, Carolum imperatorem in Italiam uocauere. Quod ueritus pontifex, Mediolanensi archiepiscopo à censuris absoluto, Bononiam sub censu duodecim millium aureorum permisit: qui metu Caroli pacem Florentinis dedit, ea lege, ut Pisanos Lucanosq;, neq; ipsi neq; socij inuaderent: Aretini paterna castella Sacconi redderent: Cortona in Mediolanēsis protectione: Burgum sancti Sepulchri liberum remaneret. Apud Auinionem anno millesimo trecentesimo quinquagesimosecundo mortuo Clemente sexto, Innocentius sextus subrogatus est, ex eadem Lemouicensi familia, qui prælatos ad suas ecclesias migrare iussit, & legatum in Italiam misit Egidium de gente Carilla Hispanum Sabinensem Cardinalem, uirum uirtute præstantem. Per hæc tempora imperator Constantinopolitanus, rex Aragonum, & Veneti contra Genuenses fœdera inierunt. Imperator quatuordecim, Veneti quadraginta, Cathelani triginta triremes armauere: Genuenses præfecto Pagano Auria sexaginta. Pugnatum est inter Cōstantinopolim & Chalcedonem, flante uiolentissimo austro, à uespera usq; ad sequentem diem hyemali tempore: Venetis Agalipoli soluentibus uento adiutis, & alijs adiunctis. Genuenses contra uentum, contra mare, cōtra hostes potentissimos, uictoria potiti sunt. Græci fugerunt, Veneti & Cathelani magnam cædem perpessi sunt, præfecto Cathelanorū occiso. Rursus anno sequenti Veneti Cathelaniq;, Genuenses apud Corsicam aggressi, unam & quadraginta captas hostiū triremes, uiris ut erant armatis plenas demerserunt, Nicolao Pisano Venetæ classis præfecto. Qua clade accepta, Genuenses Ioanni archiepiscopo Mediolanensi se suaq; promiserunt, qui bellum aduersus Venetos suscepit: ad quos Patauini, Veronenses, Mantuani, Ferrarienses, & Florentini, facta societate auxilia miserunt, anno millesimo trecentesimo quinquagesimoquarto: quo anno Nicolaus Pisanus Venetæ classis præfectus apud Sapientiam Peloponnesi promontorium à Pagano Aurio superatus, captusq; cū millibus quinq;, Genuam in carcerem est perductus. Eodem anno Carolus imperator Paduam uenit copias expectans & anno sequenti Ioannes archiepiscopus diem obijt, nepotibusq; ex Luchino fratre Bernaboui et Galeatio dominatus ubi saluus, præterquā Genuæ mansit: qui prius quàm Genua rebellaret, inter Venetos & Genuenses pacem composuerant. Per hoc tempus Carolus Ioannes Constantinopolitanus imperator in patriam redijt, pulso per arma Catacusino imperij occupatore: estq; id actum Francisci Gatellusij Genuensis triremium auxilio: quam ob rem imperator Lesbo insula, quæ & Mytilenum dicta est, illum donauit, in cuius nepotum potestate nunc etiam durat. Carolus imperator ducente Guidone Gonzaga, Mantuam se contulit. Romæ Ioannes Vrsinus & Petrus Columnensis senatores à Francisco Baroncello per arma deturbati sunt, qui tribunatum inuadens, hunc titulum usurpauit: Franciscus Baroncellus scriba senat⁹, dei gratia almæ Vrbis tribunus secundus, ac Romanus consul: ad cuius furorem repercutiendum, pontifex Innocentius Nicolaum Laurentij carcere Auinionensi liberatum, ad suum restituit tribunatum. Cui Romam cum ampla commissi à pontifice magistrat⁹ autoritate uenienti, fauores à nobilitate, & etiam secuta plebis parte impensi sunt. Et deiectus capitolio per arma Baroncellus, in carcereq; coniectus, post uariante inter utrosq; populi fauore, eductus ac confossus est. Nicolaus immemor se illum fuisse, qui primo tribunatu in tantam de se orbem olim Romanum adduxisset expectationem, mira incepit insania debacchari. Nobilitatem nanq; edicto pellere exorsus, Columnenses primo ad portam Esquilinam, nunc sancti Laurentij, cum clientibus exeuntes, & in Campaniam migraturos, plebeiorum stipatus turma impetijt: consertoq; prælio Ioannem Stephani senioris filium, duosq; nepotes, confodit. Sed tumultu exorto, multis concurrentibus in fauorem Columnēsium repulsus, cum in capitolium se saluum recepisset, obsideri timēs, mutata ueste fuga prolapsus, ad infimas cliui capitolini radices ab occurrentibus ciuibus cognitus, laceratus est potius quàm confossus. Hic finis tribuni fuit. Deinde Guido Iordanis

Ann. salu. M. CCCLII.

Ann. salu. M. CCCLIIII.

A danis autoritate apostolica sol⁹ senator fuit: et deinde duo creati sunt. Carolus imperator Mediolanū ueniens, ferream coronā accepit, à Vicecomitibus benigne acceptus. Pisas delatus, utriusq; partis factiosos à quib. introductus fuerat, pari ingratitudine depressit. Senenses, Volaterrani, & Miniatenses absq; ullo fœdere sese illi permiserunt. Neq; Florentini imperium detrectassent, nisi pecunia illi charior quàm imperium fuisset. Coronatus est Romæ Carolus à duobus Cardinalibus, ea de causa in Italiam missis, conditione adiecta, ut nec Romæ, nec in Italia moraretur. Quo in Germaniam reuerso, Egidius legatus omnia de Romandiola Picenoq;, seu marchia Anconitana, & patrimonio sancti Petri, quæ Tyrannos Bauaro instigante diximus inuasisse, paucis admodum exceptis, paulo ante receperat. Quorum uicariatum, faciētibus imperata possessoribus concessit, hiq; Galeottus Malatesta, & Guido Polentensis in Romādiola, & Varanensis in marchia fuere. Franciscus tamen & Sinibaldus fratres Ordelaffi rebelles fuere, quos duorū annorum obsidione Foroliuio Foroq; Popilio, ac Cæsenæ urbibus castellisq; omnibus deturbauit: potuissentq; conseruari, parte dimissa dominij, fauore Iacobi Cardinalis Columnensis: sed totum potius perdere, quàm partem dimittere uoluerunt. Dilexit postea Cardinalis Egidius Forumliuij, ibiq; pecunias deposuit ex Auinione missas, ex quibus arces ecclesiæ ædificauit. Hic etiam constitutiones ædidit, quibus prouinciæ hodie utuntur: Ad annum quintum successorem habuit Egidius Adrianum Burgundionem abba-
B tem Cisterciensem, sibi minime parem. Egidio Italia egresso, Vicecomites caput extulerunt. Ioannes Aulegianus qui cum millibus quinq; barbutis Hetruriam intrauerat, pace ab archiepiscopo Hetruscis data, Bononiam acceperat gubernandam: quem Bernabos & Galeatius fratres passi fuerant imperatoris & Egidij metu, armis instructam urbem conseruare. Vt uero metus recessit, Bernabos ab Aulegiano petitam Bononiam, prius quàm ille potuerit respondere, armis ingressus est. Aulegianus etsi primo restitit in fultui, suas tamen metitus uires & imparem se cognoscens, cum abbate Bluniacensi pactus est, ut Bononia tradita, Firmanam ipse urbem Piceni acciperet, uicariatu perpetuo possidendam: propter quam rem inter abbatem & Bernabouem magno nisu bellatum est. Per hoc tempus propter portoria, nouum inter Florentinos Pisanosq; bellum ortum est: qui quatuor millibus Anglicis mercede cōductis, additis peditibus, usq; ad portas Florentiæ populati sunt. Et cum nemo prodiret, in superiorem Arni uallem Fichino expugnato, multa castella supra & infra Florentiam occupauere, Mugellanos etiam uexantes. Nec Pandulfus Malatesta Ariminensis, Florentini ductor exercitus, occurrere ausus est, quem paucitas copiarum contemptibilem fecerat. Pisani ad autumnum præda ditatum exercitum cum lætitia reduxere. Sequenti æstate Pisani tribus millibus Germanis equitibus aucti, maiora Florentinis damna intulerunt, inter Fesulas & Florentiā
C omnia comburentes, & pariter quicquid ad Aretium uergit ac Pistorium, uastatum est. Quibus cum Pandulfus impar esset, nec cōgrederetur hosti, et à populo Florentino maledicta pateretur, impetrato recessu, domum abijt. Et Florentia à Pisanis non tam spe capiundæ urbis, quàm inferendæ cōtumeliæ oppugnata est: & deniq; uictor exercitus præda ditatus, in patriam reductus est. Interea Vicecomes Bernabos Bononiam bello agitatam pluribus oppidis spoliauit, Rhegiamq; magna pressit obsidione. Sed Gonzaga, & legatus apostolicus, & Canis Veronensis, & Nicolaus Estensis exercitu congregato, in Brixiam duxere. A quibus Bernabos Rhegia & Bononia dimissa dum subuenire Brixianis contendit, apud Clarum campum magno præsidio superatus est, & cum paucis Brixiam se contulit, eamq; defendit. Tertia æstate Anglorum ac Italicorum mercede à Pisanis conductorum, magnam partem Florentini pecunia auerterant, unicusq; Pisanis Ioannes Haucut, cum equitibus mille Anglicis et paucis Italis remansit. Nec tamen per fugæ Florentino stipendia fecere, sed alias regiones petiere. Florenti autem Galeotū Malatestam ætate grādiusculum, sed rei militaris scientissimum mercede conduxere, sub cuius ductu Pisani prælio uicti sunt, quorum mille ad ostentationem Florentiam curribus importati sunt. Pisani defectionem militum in Gambacurtos retulerūt, qui pecunias reipublicæ subtractas militibus non persoluissent: atq; idcirco Ioannes Agnellus partium

Gambacurtis aduersantium princeps ab exilio reductus, in dominium est assumptus, Bernaboui amicus, sub quo militauerat. Innocentius sextus per legatos pacem inter Florentinos & Pisanos composuit. Ioannes Haucut Pisanorum stipendio dimissus, Anglicos per ecclesiæ terras dispersos collegit, et in Tudertinis, Vrbeuetanisq́;, et Aretinis nõ paruum coëgit exercitum. Romani uero qui senatores ex nobilitate selectos à pontifice confirmari petere solebant, cum concordare non possent in duos, unum elegerunt Ioannem de Comite: per quam discordiam obtinuit Innocentius, ut senatorem ipse externũ mitteret. Anno M. CCC. LIX. Raimũdus de gente Ptolemæa Senensis, primus externorum senatorum Romæ munus gessit per annum: & post eum Ludouicus de Rocha Pisanus, & Hungarus Saxoferratensis, semestrem uterque senatum habuit: et postea Thomas Spoletinus annum gessit. Ad cuius anni finem exorto tumultu, creati sunt septem reipublicæ reformatores, qui senatus potestatem gesserunt: Ad quos deponendos Innocentius Hugonem Lusignaneum Cypri regem ab expeditione in Turcos ducta reuersum, & maiora à Christianis præsidia expectantem, senatorem misit: & post eum Paulus Argenti comes Campelli Spoletinus senatorem gessit. Quo tempore Innocentius mortuus est, Cardinalesq́; Gulielmum Grisant Lemouicensem, sancti Victoris Massiliensis abbatem, tunc apud Vicecomites in Italia legatum, pontificem elegerunt, Vrbanum quintum appellatum: qui Cardinalem Egidiũ illico in Italiam legatum remisit. Egidius in Italiam ueniens. Canem grandem, Ludouicum Gonzagam, Nicolaũ Estensem, & Franciscum Carrariam ad ecclesiæ fœdera contra Vicecomites traxit: qui omnes aduersus Bernabouem Rhegium de Mantuano, & Mutinam de Ferrariensi agitantẽ, bellum gerebant. Accidítq́; tunc Bernabouem superari, multosq́; suorũ capi, in queis fuerunt Ludouicus Vicecomes, Bernabouis ipsius ex pellice filius: Andreas Pepulus Bononia exul, Sinibaldus Ordelaffus, Paulus Mirandulanus, Guido Folianeus, Azo Corrigiensis, Gulielmus Caualcabos Cremonensis, et ipse Bernabos manũ saucius aufugit. Ad Egidium uero Cæsenæ manentem, Francorum, Angliæ, & Cypri regũ oratores uenerunt, pacem Vicecomitibus petentes: quæ uocatis bello socijs cõstituta est. Cũ Ioannes Haucut Vicecomitibus militans, Florentinorũ copias apud Miniate oppidum profligasset, aduersus eũ Egidius, quod ex pacis fœdere poterat, Obitionem Thomam peritum belli ducem, cũ tribus equitum millibus misit. Pugnatũ est in finibus agrorũ Aretini Cortonensisq́; dubio Marte quatuor horis, uicitq́; Thomas peditatu adnitente, ita ut ex sex millib. equitũ Anglico militantiũ pauci euaserint, et ipse Ioannes per deditionẽ in potestatẽ uenerit: cuius rei fama, omnes qui rebellauerãt ad ecclesiæ obedientiã redire fecit. Vrbanus põtifex ad quartũ sui pontificatus annum in Italiã uenit, ad quẽ Correnti de itinere agentem, Egidius adijt, & assignatis omnibus quæ petierat, legatione liberat9 est. Qui cũ pontificem in Lateranũ usq́; deduxisset, Viterbiũ reuersus, tertio mẽse obijt, & Assisij sepultus est in ecclesia beati Francisci sepulchro, ꝙ sibipsi uiuens extruxerat. Post aliquos senatores externos, iterũ septẽ reformatores creati Romæ, ad aduentũ usq́; Vrbani magistratũ gesserãt. Venit aũt ad Vrbanũ Romæ agentẽ anno M. CCCLXVIII. Carolus imperator cũ uxore & filijs per Paduam & Bononiam: & dũ Pisis ageret, Lucanos Pisanis, & Miniates Florẽtinis rebelles in deditionẽ pro imperio accepit, pecuniamq́; à Florentinis extorsit, & tertio mẽse Italia excessit. Vrbanus perquisita apostolorũ capita inuenit, & in Lateranẽsi ecclesia locello condidit, argento & auro ornata. Palatia in Vrbeueteri & in Montefalisco magnifica cõstrui curauit, in quibus per æstatẽ habitaret. Ioannem Haucut ex carcere dimissum Anglicis copijs præfecit, quas Egidius cõseruarat: Bononiæq́; reliquit sub legato Romãdiolæ: & in Galliã reuersus, apud Massiliã interijt. Cardinales aũt cõtinuato more pridẽ inchoato, Petrũ Belfortis Lemouicensem in Gregorium pontificem undecimum crearunt. Romæ uero senator singulo semestri à pontifice datus ius dicebat: & Vrbis custodiæ totiusq́; administrationis curam, Banderesij gerebant, à uexillis germano uerbo sic nuncupati. Singulæ enim decuriæ suo internoscebantur signo. In Lombardia uero iterum bello socij contra Vicecomites qui Rhegium obtinebãt bellum innouauere: Rhegiumq́; per proditionem Lucius Theutonicus

Ann. sal. M. CCCLIX.

Ann. sal. M. CCCLXVIII.

A nicus eorum ductor accepit, arce excepta: sed à Bernaboue expulsus est, pecunia ut creditur corruptus. Petrinus rex Cypri Petro patri suffectus, dum coronationis solennia celebrat apud Famaugustam, Genuensis Venetusq; baiulus, ad dexteram locari contendit: in pompaq; dum ducitur Venetis fauet, & Genuenses deturbati conuiuio, uerberibus ac cædibus afflicti sunt. Sed anno millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, Petrus Fregosus Dominici Fregosi ducis Genuæ frater, quadragintatriũ triremium educta classe, Cyprũ inuasit cum quatuordecim millibus hominum. Rex ad misericordiam confugit, & dedita Famaugusta, quadraginta auri millia tributum promisit. Duobusq; qui secuti sunt annis, fames ualida Italiam omnẽ, ac multas orbis prouincias pressit. Anno aũt põtificatus Gregorij quarto, Petrus Bituricensis cardinalis legatus in Italiam ueniens, cum Bernaboue biennales inducias fecit, ad quorum finem cum Perusini tumultuassent, compositi sunt. Vbaldini quoq; toto Apennino in Hetruriam uerso, deturbati sunt: & Pratenses Florentinorum excutere iugum cum legato Bononiæ quæsiuerunt, cuius copias in Hetruriam per aliam simulationem missas, Florentini pecunia corruperunt, coniurationeq; detrecta Pratenses aliqui supplicio affecti sunt. Nec cõtenta Florentinorum superbia, sed uexilla permulta in quibus libertatis uocabulũ aureis literis pictum erat, pluribus cohortib. distributa, in terras ecclesiæ transmiserũt, populis ac tyrãnis suadentes ut in libertatẽ se uendicarent, ecclesiæ iugum se abijcientes. Primi Tifernates ab ecclesia expulso præsidio desciuerũt: secuti sunt Perusini, Tudertini, Spoletini, Eugubini & Viterbienses, Picentesq;: in Marchia primum Asculani, & in Romãdiola Foroliuienses. Astorgius Manfredus, cuius genitor sub Bauaro tyrannidẽ gustauerat, Granaridum proditione cepit: ad quẽ opprimendũ legatus è Bononia Ioannẽ Haucut misit: sed Florentini Astorgium tutati sunt. Bononiẽses etiã excluso Haucut in libertatem se erexerunt. Haucut uero Fauentiã in rebellionẽ procliuem ingressus, crudeliter diripuit, ita ut soli fugientes uitam cõseruauerint. Nicolaus & Albertus Estenses uiginti millibus aureis Fauentiã coẽmerunt ab Haucut, qui sibi Bagnacauallum retinuit, in quo sua impedimenta collocauit. Gregorius põtifex his cognitis, Cardinalẽ Gebẽnensem legatum cum sex milibus equitum Britannorũ in Italiã misit: qui per Taurinos ingressi, ad Bononiæ portas consederunt, non tamen agrum uastantes, nihil profecerunt: cum Florentini Rodulphũ Varaneũ cum copijs ad Bononiẽses misissent. Legatus Cæsenam in hyberna concessit: in qua urbe Cæsenates in tumultum excitati, sexcentos Britones interfecere, cæteros urbe eiecerunt. Sed legatus per arcem eos introduxit, ad iniuriam uindicandã. Qui cædibus ac rapinis omnia fœdantes, solis speciosis fœminis ad libidinem retentis, reliquã multitudinẽ conuicio affectã deturbauere. Foroliuiẽses ad prima ostensa per Florẽtinos libertatis signa, Sinibaldum, Cecum, Binum, Ioannem, Theobaldum, Ordelaffos, in dominos accersiuerant. Gregorius pontifex, qui Baldi iureconsulti Perusiæ auditor fuerat, suum in Italiam reditum pernecessarium iudicauit. Ad quã rem multum eum traxere uerba cuiusdam episcopi, qui monitus ad ecclesiã suã redire, familiaritatis confidentia: Et tu, inquit, pater sancte, cur non tuam ecclesiã petis? Paratis igitur in Rhodano una & uiginti triremibus, aliam rem simulans, profectionẽ aggressus, Genuam primo, & deinde Cornetum, ac postremo Romam terrestri itinere Ianuario peruenit, anno M. CCC. LXXVI. pontificatus sui septimo, & relegationis in Gallias Romanæ curiæ septuagesimo. Obtulit pontifex Florentinis pacem, sed illi eam respuerunt, & ad Bernabouem antiquum hostem, qui potentiam pontificis suspectã habebat se cõuertentes, Ioannẽ Haucut pecunia corruptũ, in suas partes traxerunt, Bagnacauallimanentem. Quo successu elati, anathema & interdictum contempsere, sacerdotibus ui adactis ut diuina agerẽt. Pontifex uero Varaneo pari arte ad se tracto, duo mille Britones ducendos attribuit, & Bononiẽses urbem in sua & ecclesiæ obedientia administrare permissos, sibi cõciliauit. Per hoc tempus maximũ inter Genuenses & Venetos bellum exortum est. Carloiannem Constantinopolitanum imperatorem, Andronicus filius, Genuensium auxilio quibus Tenedon insulam promiserat, imperio deturbauit. Veneti patrem per arma in patriam reduxerunt: à quo Tenedon insulam acceperunt, non sine

Ann. salu. M. CCCLXXIII.

B

C

Ann. salu. M. CCC. LXXVI.

non sine magna Genuensiũ indignatione. Non tamẽ statim arma sumpserunt, cum ex cõmunicati à põtifice propter cõmunionẽ Florentinorũ ubiq; à sacris pellerẽtur,& Genua interdicta esset. Interea Gregorio mortuo, cum cardinales in cõclaui de successore agerent, clamantibus Romanis, Romanũ aut Italicum eligendũ esse pontificẽ, dissensio orta est. Gallici enim numero tredecim, unũ ex corpore suo capiebãt: & unus ex quatuor Italicis gente Vrsinus papatum ambiebat. Tulit uero Casus, Gallicorum partem ob Lemouicensiũ ex ipsis inuidiam, qui papatũ diu continuerant, ita Italicis consentire, ut Bartolomæum Barensem archiepiscopum patria Neapolitanũ creari pontificem sint assensi, Vrbanum sextum appellatum. Prius tamen quàm cõclaue exirent, Gallici electionem cauillari ceperunt, tanquam metu à Romanis extortam: & pars in molem Adriani, pars in montes extra urbem confugerunt. Et cardinalis Vrsinus in dissidio spem habens, Vicumuarium se contulit. Sed paulo post omnes Romani reuersi, per tres menses Vrbanum adorauere. Superuenientibus autem æstatis caumatibus, Gallici tanquã aërem mutaturi, consentiente pontifice Ananiam petierũt, indeq; breui Fundos transfugerunt: Ibiq; Ioannæ reginæ securitate confisi, octo cardinales alium pontificem elegerunt, cardinalem Gebennensem, qui antea legatus in Italia fuerat, eiq; septimo Clementi indita est appellatio. Per hoc tempus Genuenses in bellum quod mente gerebant socios quæsiuere, Ludouicum Vngariæ regem, Franciscum Carrariensem Paduæ dominum, Austriæ ducem, & Patriarcham Aquileiensem. Petrinus autem Lusignaneus Cypri rex, & Bernabos Vicecomes, in Venetorum parte fuere. Prima congressio cũ paucis triremibus in Romano littore ad Antij portum facta est, succubuitq; Genuẽsis, Victore Pisano duce, ex decem triremibus quinq; amissis. Et Marchiones Carretenses à Bernaboue adiuti, Albiganam, Naulum, & Castrumfrancum de Genuensibus occuparunt. Ipsi uero Genuenses Luciano Auria in Amirrhatum declarato, cui uiginti duas triremes attribuere, Dominicum Fregosum qui diu ducatui gloriose præfuerat, fraude & armis deiectum captumq;, cum Petro fratre in carcerem coniecerunt, Nicolao Guarco in ducem assumpto. Bernabos Petrino Cyprio regi despõsatam filiã cum duodecim triremibus Cathelanis, & totidem Venetis in Cyprum misit, cum quibus Petrinus terra mariq; Famaugustam obsedit, sed nihil profecit, classe dissipata. Sex triremes Venetas domum redeũtes, Victor Pisaneus suis quatuordecim cum quibus apud Antium uicerat addidit: & Iaderam delatus, Auriam ibi manentem, & multa dãna Venetis inferentem (erat enim regis Vngariæ Iadera) ad prælium prouocare conatus est. Quod cum non successisset, Catarum regis Vngariæ urbem, et Sibinicum incendit, Arbenses cum insula in deditionem accepit. Carolus uero Zenus cum triremibus nouem mare inferum infestabat. Interea Cathelani omissa Venetorum societate, pacem cũ Genuensibus constituerunt. Et Galeatius Bernabouis frater dominiorum pro medietate particeps obijt, relicto filio Ioanne Galeatio hærede. Anno subsequenti millesimo trecentesimo septuagesimonono Carretenses in gratiam cum Genuẽsibus reuersi, omnia quæ abstulerant reddiderunt: & Lucianus Auria Venetam classem in Polenti portu sedentem impetijt, in qua erant una & uiginti triremes, ipse duas plures ducebat. Pugnatum est summo nisu. Victus Venetus, duodeuiginti triremes amisit. Sed Lucianus dum uictoria propemodum consummata, plenis, ut aiũt, oculis, perfrui cupit, uultumq; aperit casside reducta, lancea ictus cecidit. Vtraq; classe uictrice & uicta Iaderam perducta, præter remiges, captiui duo millia sunt inuenti, & mare non paucos absorbuit. Suffectus est Luciano Petrus & ipse Auria, triremibus nouem & barchis triginta classi additis, qui ad Iaderam uenit. Franciscus Carrarius Romanum oppidum de Taruisinis obsidione cinxerat, in cuius castra Patriarchæ Aquileiensis copiæ confluxerant, & Carolus regis Vngariæ nepos, quibus Veneti Albericum Cunij comitem rei bellicæ peritissimum apposuerant. Petrus Auria cum sexaginta triremibus & totidem alijs nauigijs in portum Venetũ ducens, Gradũ, Humagum, Ruinum, & Caprulas uicapas incendit. Veneti portui suo catenas addiderũt, præsidijs hincinde ex materia firmatis, & trecenti equites in littore, multiq; pedites collocati sunt: et in fossa proxima Ioãnes

Ann. salu. M. CCCLXXIX

Barbaricus

A Barbaricus nauigiorum omnis generis multitudinem habuit. Genuenses Clugiã se contulerunt, cuius portu & suburbijs, Clugiã paruam appellant, e uestigio sunt potiti, & uersus Venetias ad insulam Palestinæ fossæ substiterunt, ibiq; Carrarienses ex agro Paduano commeatum abunde susceperunt. Barnabos societatem Stellæ cum quatuor millibus equitum in Genuenses misit. quæ in Pulceferam usq; uallem delata, magna præda recepta, bellum componens, cum nemo obuiam exiret, acceptis decem & nouem auri millibus, retrocessit. Carolus uero Zenus orientalem Genuæ Riperiam in portu Veneris excensione facta, ferro & igne uastauit. Auria uero aucta quantum potuit undique classe, Clugiam egregie munitam ac defensam ui cepit. Sex millia in ea pugna cecidere, quorum pars maior Clugienses & Veneti fuerunt: mulierum pudicitia seruata est: noningenti & quinquaginta ex hostibus capti, Iaderam missi sunt. Veneti animo cõsternati, eductis è carcere captiuis à Genuensibus, eisq; Clugiam missis pacem petiere, eas accepturi leges, quas uictor daret. Recusarunt Genuenses superbia elati. Veneti ad defensionem conuersi, murum à portu ad ædem sancti Nicolai excitarunt. Cumq; de duce agerent cui tantum bellum committerent, nec facile reperiretur qui tantæ rei idoneus putaretur, clamores incerto autore auditi sunt in area, unicum fore Pisaneũ uictorem, qui hostem uincere nosset. Dux Senatu deducente ad infimum descendens palatium, Victorem quem re ad Polam male gesta, in carcerem coniecerant, eductum

B manuq; comprehensum bello maritimo præfecit. Interea Genuensis classis Bebas, Caput aggeris, uicum sancti Lazari cepit, & Methamaucum delata, igne supposito cremauit, Lauretumq; multis oppugnationibus est potita: & inde Pupiliam petijt, uicum tribus ab urbe milliaribus distantem, ut Venetias inuaderet. Ioannes illic Barbadicus centum nauigiorum classi præfectus, sese obuium dedit, pugnatumq; est dispari conditione, cum triremes & barchæ Genuensium non nisi alto canali agi possent: Barbadicus uero lembis scaphisq; omni campo per æstum uolitaret, multasq; bombardas haberet tunc nouiter inuentas, quarum singulæ binos ternosq; armatos uno ictu conficeret. Tres quoq; ceteræ naues ad ædẽ sanctæ Marthæ iussu patrum eductæ submersæ sunt: fossaq; catena clausa præsidijs undiq; custodita: simili modo & fossa sancti Spiritus obstructa est, ita ut Genuenses ad Methamaucum postea se continuerint, quo ex loco per littus usq; ad urbem pedestri itinere equitatum Venetum fugauere. Pisaneus autem cum classe maiori intra portus fauces se continebat. Sed Dominicus Contarenus dux, urbis summũ belli imperium sibi assumpsit: sub quo Victor Pisaneus & Dominicus Michaël tanquã magistri militum rem gessere, quatuor & triginta triremes habentes. Bernabos autẽ Stellanos equites sub Astorgio Fauentino iterum contra Genuẽses misit: qui urbi appropinquantes, ab erumpente populo omnes penè capti sunt, & Astorgius Agricolæ cucullio

C ne contectus euasit. Caloiannes autem Græcorum imperator uicinam Constantinopoli Peram Genuẽsium urbem oppugnationibus agitauit. Sed Andronicus eius filius patriæq; ac Veneto hostis, Turcorum Bulgarorumq; opibus & societate fretus eam defendit: cuius timore adduuctus imperator, ad Genuenses defecit. Ceperant interea Veneti commeatus inopia laborare. Quod si Genuenses, ut Carraria illis suadebat, Clugia dimissa mare clausissent auertendo commeatus, actum de Venetis fuisset. Carolus uero Zenus interea nauem Genuensem ab Alexandria redeuntem, in Aegeo pelago aggressus, fugientem in portu Cretensi cepit, cuius mercimonia trecenta millia aureorum ualebant. Quare audita Veneti, eum magno fauore reuocauerunt. Interea Florentini Vrbano sexto reconciliati, ab interdicto liberati sunt. Vrbanus uero Ioannam reginam domare cupiens, Ludouicum Vngariæ regem impulit, ut Andreasij fratris mortem se adiutore ulcisceretur. Ille Carolo filio in Taruisinis aduersus Venetos bellum agenti mandauit, ut inde discedens Ioannem impeteret. Carolus uocatis ad se Venetorum oratoribus, per simulationem componendæ pacis cum Genuẽse, nulla pacis facta mentione, aperte quid animo moliretur edocens, magna celeritate in Vngariam redijt, ita ut octoginta eius comites Plauis fluuius absorbuerit: relicto Ianotto Salerni principe sui exercitus duce, quem in Hetruriam properare iussit. Et Veneti Albricum Cunij comitem

mitem dimiserunt, qui altero Venetis militante Ferabach quodã Germano, cum equitibus quadringentis Barbianum secum duxit. Ianottus utrunq; ducem in societatem accepit, & in agrum Senẽsem descendit, Florentinos extorres secum ducens. Florentini autem Ioannem Haucut, quem parua pecunia per pacem in Bagnacauallo sustentauerant, addito maiori stipendio in Hetruriã uocauerũt, quatuor millia equitum & totidem peditum secum ducentem. Zeno autem in Histriam applicante, Veneti Clugiam inuadere statuerunt duodecimo Calendas Ianuarij, noctuq; duas naues in portu Clugiæ collocarunt: quæ ab hostæ inuasæ, crematæ, & à Venetis perforatæ, dimersæ sunt & Contarenus dux quernis palis in altũ machinationibus actis, præsidium cõmuniuit: pluraq; ibi prælia cõmissa sunt, cum maiore solito Genuensis impetu, in Clugiam delatus est nouam, præsidiũ ut ostentabat, demoliri aggressus, quod Veneti clausuris, Lupam uocant, munitissimum imponebant. Genuensis ad portũ Brondulensem exire cupiens, bellum acerrimum ad Lupæ præsidium attentauit, ut iterũ naues educerentur: sed Pisaneus portum Brondulensem custodiebat, nec permisit hostes exire. Proximum portui fuit Monasterium sancti Michaëlis, quod Genuensis aggere plancatoq; communierat, ex quo tandiu hosti repugnare conatus est, quousque triremes attraherentur. Et Patauini per Athesim fluuiũ, qui portum efficit Brondulensem, cõmeatus afferebant, nec poterant à Veneto prohiberi. Zeno autem in castra Venetorum ueniente, quatuor ad portũ Brõdulensem præsidia excitata sunt, & nauis in portu depressa, relicto spacio per quod triremis transire posset: indeq; quatuor triremes Lauretum delatæ, oppidum triduo oppugnatum ui ceperunt, quo firmato, Genuensi in Ferrarienses effusio est adempta. Genuenses iterum ad Lupam impetum fecere, cepissentq; præsidium, nisi Zenus præfecto affuisset, qui multis confossos uulneribus eos repulit. Adducto in eam difficultatem Genuensi, Franciscus Carraria præter commeatus copiam castris administratam, quadringentos lectissimos milites Clugiam immisit. Veneti uero quatuor millibus mercede cõductis, totideq; ex suis extra naues pugnare solitis, Carolũ Zenũ præfecerunt, simul cũ classe quatuordecim triremium: qui eo ornatus munere monasterij munitionẽ inuasit, magnoq; commisso prælio, Petrus Auria accurrens, dum suos iuuare nititur, bombarda ictus interijt. Quo casu consternati Genuenses, ignem in suas naues immiserũt: & relicto monasterij castello, ad exercitum in paruam Clugiam pedem referre ceperunt. Tredecim millia Genuensium, sedecim millia Venetorum in prælio decertabant. Noua Clugia ponte longiusculo ex materia ueteri iungebatur, qui dum pondere fugientium rumpitur, multos demersit. Intercepti sunt eo die sexcenti Genuenses, cum penè totidem Petrus Auria habuisset cædis socios. Barbadicus triremes Genuensium quinque, & in eis milites octoginta cepit, & nouem naues commeatum ex Padua deferẽtes. Post hæc uere nouo, crescente fame, Genuenses imbellem multitudinem emisere, quæ intercepta à Veneto redire compulsa est. Laborabant & ipsi fame Veneti, atq; propterea Tadeum Iustinianum cum sex triremibus pro annona in Apuliam miserunt, quam Matthæus Marufus Auriæ suffectus cum nouem triremibus Clugiã petens, apud Manfredoniam intercepit, & ducentos cum eo captiuos. Itaque Venetia simul & Clugia fame laborabant. Agapitus uero cardinalis de Columna Genuam missus, frustra de pace tractauit. Marufus apud Iaderam aucta classe, ad Clugiæ littora, utrisque Venetorum castris interiacentia se contulit: & cum nihil moueri cerneret, ad Fossiones est delatus. Veneti ne incommodum à nouo hoste paterentur, portum urbis addita densissimi muri turre communire cœperunt, & Iacobus Caballus nobilis Veronensis cum equitatu in littore stationem habuit. Marufus cum triremibus uiginti duabus ad ipsa portus ostia nonis Iunijs se contulit: & cum nemo prodiret, Methamaucum rediit, & deinde ad oram Piceni nauigauit, naues intercepturus quæ frumentum aduehebant. Subsecutæ sunt triremes uigintiquinq; Venetæ, quæ Marufo nusquam reperto cum annona redierunt. Franciscus Carraria ut bellum diuerteret, Taruisium obsedit, Silumq; amnem clausura sepsit, excitatis undiq; munitionibus ne Venetus subueniret obsessis. Interim Genuenses Clugiam captiuis uiribus & mulieribus penè ducẽtis exonera-

A exonerarunt, qui famem obsessorum patefecere. Carraria sibi timens, Plebis sacci oppidum in stagna uergens arce ualidissima communire cœpit. Et Marusus septem triremibus aucta classe, ad ueteris nouæq; Clugis littus duxit, ut Venetis in prælium prodeuntibus, clausi erumpere possent. Sed Veneti bombardis tantum responderunt. Postremo Marulsus signo clausos admonuit, ut centum barchas ex abiete domorum Clugiensiū fabricarent, & ad clausuram portus se conferrent, ferrisq; trabes quercinas secent. Ipse interim Lupæ præsidium aggreditur. Qua re animaduersa Veneti, aduersus Marusum bombardis pugnauerunt, & septuaginta barchas in clausos miserunt, factoq; impetu sexaginta lembos interceperunt: in quo prælio multi Genuenses capti sunt, & Marusus ab oculis inspicientium euanuit. Petita est à Genuensibus æquis conditionibus deditio. Veneti deditionem si fieret, nullis fœderibus se accepturos responderunt: quæ calendas Iunij decimo, anno millesimo trecentesimo octuagesimo facta est. Et nullo fœdere accepto, capti sunt quatuor millia trecenti quadraginta hostes, in quibus ducenti sexagintaocto Patauini fuerūt. Andreas Contarenus dux dimisso Victore belli duce ad res prosequendas, conscensa Bucinatoria naue Venetias redijt, summo honore exceptus. Decē & nouem triremes Clugiæ repertæ sunt, captiui omnes in carcerē coniecti. Nec tamen quieuere Genuenses, sed cum triremibus octo & triginta Tergestinos Venetis rebellare coēgerūt, qui se patriarchæ Aquileiēsi dediderūt. Iustinopolis à Genuensibus ui capta & incēsa est, cuius tamen arx Venetis salua mansit. Aucta eorū classis decem triremibus, nonis Iunij in portum Venetū se contulerunt. Et cum nemo prodiret, in Histriam reuersa, Polam urbem ui captam incendit: à Parentio uero multis uulneribus acceptis repulsa est. Pisaneus uero cum nauibus quadragintaseptem turrium Bebis expugnatione receptis Piranum adnauigans, Iustinopoli per arcem recepta atq; cōmunita, in Apuliam transmisit. Interim classis Genuensis Arbensi oppido ciuiū deditione recepto, Signiam ui captam incenderunt. Pisaneus uero cum legatus eius decem Genuensium triremes in portu Sipontino repertas per ignauiam fugere permisisset, ab iracundia in languorem incidens, medio Augusto obijt, Zenusq; Carolus ei suffectus est. Interea dum Carrarius Taruisium fame laborantem obtinere putat, Veneti multis armatis lembis, clausuram Silifluminis expugnant, & in urbem cōmeatum importabāt, Iacobumq; Caballum cum equitatu ad Mestrum cōuenire iubent, qui terrestrē Carrarij exercitum pellat. Britones plurimi sub eo militabant: qui perfidia usi ad Carrariū trāsierunt, quorum ope Castrumfrancum de Taruisinis à Carraria expugnatum est: & Vere nouo Nauale oppidum etiam de Taruisinis deditione ciuium accepit. Quam ob causam Veneti Taruisinam urbem quam se amissuros intelligebant, misso ex Senatu Pantaleone Barbo: ducibus Austriæ, quorum primo fuerat, permiserunt. Idq; Carrarius C audiens, mœstus obsidionem soluit. Cumq; classes hinc atq; inde ab utraq; parte discurrerent, dux Sabaudiæ diu tractatam pacem inter contendentes, tandem uigesimaquarta Augusti die, anno millesimo trecentesimo octuagesimoprimo, in hanc formulam conclusit: Rex Vngariæ nullum piratam in suis Dalmatiæ locis tutum esse permitteret, neque sal fieri sineret: Venetus singulo quoque decennio septem millia aureos persolueret: Patriarchæ Aquileiensi eadem maneret quæ ante bellum esse consueuerat pacis amicitiæq; conditio: Genuensis, Venetusq; res undique ablatas, quæ loco moueri possent, retinerent, captosq; ante omnia liberarent. Conuenitq; ut insula Tenedos duci Sabaudiæ assignaretur, castellumq; ea conditione excideretur, ut à neutra partium ædificari aliquando posset. Oratiq; Florentini, ducentis millibus utrinque uadati sunt. Paduanus arces turresq; ad fluuiorum ostia stagnorumq; excitatus demoliretur, terminosq; inter Paduam & Venetum missi à Sabaudiensi, designarent, partibusq; præfigerent. Seruata sunt omnia præter unum castellum Tenedon, quod Zanatus Mudacius Venetus iussu ducis ut redderet adduci nō potuit, ueritus ne Græci dirutum reædificarent. Bernabouem Vicecomitē pace exclusum fuisse tradunt. Interea Senēses & Pisani Ianottum Salernitanum regis Vngariæ, & Caroli eius nepotis copiarum ducem pecunia placatum, à populatione auerterunt. Idem & Florentini facere uoluerunt, sed

Ann. salu. M. CCCLXXX

Ann. salu. M. CCCLXXXI

Ianottus exules ante omnia reduci petebat. Propter quã rem dum ager Florentinus premitur, & Ioannes Haucut repellere Ianottum enititur, reuersus ex Vngaria Carolus, octo millia equitum secum trahens, in Aretinos peruenit, eamq; urbem Guelforum & Gibellinorum dissidio agitatam, in deditionem accepit. Nec moratus, uia Senensi apertum Florentinis bellum intulit, & Ioannes Haucut ex Stagia illum repellebat. Sed Forentini datis quadraginta millibus auri pacem redemerunt, Haucutumq; dimiserũt, qui Bagnaca uallum Nicolao & Alberto Estensibus uendidit, quibus Astorgius Manfredus Fauentiam paulò ante furtò & ciuium proditione abstulerat. Carolus uero mirabili felicitate uisitato Romæ Vrbano, regnum Neapolitanum ingressus, dissipato uarijs prælijs Ioannæ exercitu, Neapoli potitus deditione ciuium, reginam in Castro nouo obsedit: Albricum Cunij comitem, & Ferabach Germanum regnum exoneraturus dimisit, ut præda, ingenio & uiribus, copias conseruaret. Reliquerat Carolus in Aretio præsidem episcopum Virdimensem: qui diuisiones exosus, Gibellinos cum Guelfis pari iure retinere conabatur. Cui ab utraq; parte parum dilecto, successor datus Iacobus Carazolus Neapolitanus: qui dum eandem uiam sequitur æquitatis ac iustitiæ, à plebe Guelfa in arcem repulsus est, cum quo & Gibellini confugerunt. Carazolus Albricum in Tudertinorum finibus commorantem accersitum, noctu in urbem immisit. D

Qui dum Guelfos coërcere studet, Gibellinorũ quoq; bona diripuit: à mulierum tamen uiolentia temperatum est. Ferebach quoq; paulo post secutus, quod ab Albrico fuerat reliquum in Aretio abrasit: de Florentinis quoq; prædã abegit. Hæc ad annũ millesimũ trecẽtesimũ octuagesimũ primũ acta sunt: quo tempore nouus in Italiam turbo descendit. Ludouicus enim Andegauẽsis à Francorum rege & Clemente antipapa impulsus, non tam ut Ioannam reginam liberaret, ut aiebat, quàm ut Vrbanum per arma deijceret, cum triginta millibus equitum in agro Bononiensi desedit. Propter quam rem Carolus relicto nobilitati Aretio, Albricum & Ferabach ad se reuocauit: & Florentini Ioannem Haucut ab Vrbano rogati, in cõpensatione pecuniarũ pro absolutione promissarum, ad Carolum transmiserunt. Ludouicus aũt per Marsos ad Cassinensem saltum peruenit. Interea Genuenses propter castellum Tenedon Sabaudiensi non datum, Florentinos omnes qui uadimonium fecerant, in suis dominijs detinuerunt. Sed Veneti missis oratoribus Genuam, imprudentiam Zanati prætenderunt, & oppidum omnino restituendum affirmauerunt: quod & factum est. Dux Sabaudiæ oppidum nobile demolitus est, & pax firmata. Interim anno secundo post aduentum Andegauẽsis, duodecim millia equitum ex Gallia ei transmissa sunt, qui per Placentinũ, Lucensem, Florentinum & Senensem agrum in Aretinum Andegauio duce peruenere, & introducti à Guelfis resistentium intus & extra Gibellinorum fastidio, urbem tertio post Albrici cladem anno diripuerunt. Tenebatur arx Guelforum præsidio, quæ diebus quadraginta oppugnata, in Gallorum potestate futura erat, nisi mors interuenisset Andegauensis. Andegauius enim illa intellecta, Aretinis in arce obsessis hortantibus, eam urbem Florentinis uendidit, & in Gallias reuersus est. Exercitus Ludouici defuncti ita dissipatus est, ut mendicantes ostiatim bini trini'ue in Galliam redierint Andegauenses milites. Vrbanus autem pontifex cum curia Neapolim se contulit, homo sub specie iusti & honesti, rusticus ac nulli amabilis: qui dum nepotem suum Capuanum principem à rege creari non obtinet, ad minas se conuertit, ita ut rex adhibitis custodijs, eum exire palatium prohibuerit. Sed põtifex dissimulata iniuria, impetrauit Nuceriam urbem per æstatis caumata sibi habitãdam concedi: in qua præsidijs communita, cardinales nouos ingentem turbam creauit, & septem ex ueteribus coniecit in carcerem, quos aiebat contra se cum rege coniurasse & antipapa. Deinde processum contra regem priuationis futuræ inchoauit, missa de more citatione. Cui rex facilius, sicut dixit, ut respõderet, Nuceriam circumsedit. Sed Raimundus Baltianus gente Vrsinus comitis Nolani filius, qui postea fuit princeps Tarentinus, copijs fretus quas sub rege ductauerat, Vrbanum cum curia ad proximum littus deductum, Genuensium triremibus imposuit, & pontifex ad Genuam delatus, ex septẽ cardinalibus Nuceriæ captis, quinq; saccis inuolutos, in mare

Ann. sal. M. CCCLXXXI

E

F

A in mare demersit. Interea Ludouicus rex Vngariæ defunctus est, eo tempore quo Andegauensis obijt, & proceres Vngari Carolum in regem suum per legatos accersiuere. Qui profectus in regnum Vngariæ dum conuentum celebrat, curante regina quæ odium dissimulauerat, interfectus est, anno circiter millesimo trecentesimo octuagesimo quinto: quo tempore Bernabouem Vicecomitem, Ioannes Galeatius ex fratre Galeatio nepos captum in Modoëciæ arce, usq; ad mortem custodiri curauit, eiusq; dominiorum partē obtinuit: cum quo prius hæc partitio facta erat, ut Galeatius Papiā, Vercellas, Nouariam, Terdonā, & cætera in Apenninum alpesq; uersa: Bernabos Placentiā, Cremonam, Parmam, Laudam, Brixiam, & Bergamum obtineret: Mediolanū uterq; possideret. Vrbanus aūt anno Genuæ peracto, Lucā se cōtulit: ubi resciens Florētinos ecclesiasticum statum pessundare niti (Bononienses enim aliosq; rebelles adiutabant, & Perusinos ad nouas res inuitabant) Perusiam se contulit, per Pisanos & Senenses. Vbi per paucos moratus menses, desiderio Neapolim repetendi, Ferentinum usque descendit, sperans Ladislaum admodum puerum & Ioannem Caroli filios, paterna hæreditate deturbare. Multi enim proceres Ludouico Andegauensi studere soliti, eisdem potiū di regni præstabant. Sed magna usi fide Caietani, pueris seruatis regnum quoq; seruauerunt. Pontifex cum nullum intelligeret in regno motum, Romā rediit, ibiq; magno honore exceptus est. Nec diu postea à Bāderesiorum audacia insidias pertulit: à quorū periculo & molestijs eum liberauit, uigintinouem cardinalium creatio, in quibus maiori ex parte Neapolitani, tres Romani fuerunt. Interea hæc Antonius Scaliger Veronensis, & Franciscus senior Patauinus bello inuicem acerrimo conflictati sunt, Ioanne Accio Vbaldino Carrario, & Ioanne Ordelafo Scaligero militantibus, utroq; rei bellicæ peritissimo: fuitq; anceps uictoria, sed Galeatio Vicecomite Patauinum adiutante, Scaliger pulsus est, & Verona, Vicentiaq; in Galeatij potestatem peruenit. Paulò post Franciscus ipse Carrarius paucorū mensium obsidione à Galeatio captus, & in Modoëcianum carcerem coniectus est. Franciscus aūt filius fuga sibi cōsuluit. Florentini uero Politianum Lucianūq; oppida de ueteri Senensiū dominatu, & Cortonā urbem liberā suis partibus, ingenio magis & arte quā uiribus, adiunxerūt: uetericq; potentiā Vicecomitis, copias in ecclesiæ prouincijs pontifici rebellibus coēgerūt, in quibus Bernabouis filius, & Antonius Scaliger conuenere, quos cū quinq; millibus equitū peditumq; in agrum Senensem miserunt, quos Vicecomiti adhæsisse opinabantur. Galeatius uero legatos ad Florentinos mittens, conquestus est hostes suos Carolum & Antonium ab eis cōductos esse, & amicos Senēses uexatos: cunctosq; Florentinos è suo dominio pepulit. Dilatum est bellum, cum Petrus Gambacurta Pisanorum dominus permittente Florentino tractare pacem cœpisset. Interea Vrbanus sextus mortuus est. Cardinales maiori ex

C parte Neapolitani, unū ex suis elegerunt Petrum Thomacellum, Bonifacium nonū appellatum, anno millesimo trecentesimo nonagesimo. Et Galeatius Florentinis bellum indixit, atq; ex Senis primo intulit, Ioanne Accio Vbaldino, & Iantedesco Petramala ducibus, qui uallem Arni superiorem populati sunt. Et Iacobus Vermes alter Galeatij dux, Bononiēses Florentinorū amicos, sublatis aliquot oppidis bello agitauit. Florentini uocatum ex regno Ioannem Haucut, Carolo Bernabouis filio & Antonio Scaligero sociatum, cum quatuor millibus equitum, peditumq; duobus millibus Bononiam misere: & de transalpinis Stephanū Bauariæ ducem, ad quem Franciscus iunior Carrarius cōfugerat, & Iacobum Armeniaci comitē magna mercede conductū, expectabant. Interim Ioāne Acci defuncto, Iantedescus Battifolle oppidū cepit, tertio ab Aretio milliario distans, indeq; magnam Aretinis intulit uastitatem. Frācîscus autem Carraria mutata ueste Italiam ingressus, secretò Venetorum fauore Padua est intromissus: cui dux Bauariæ cum copijs subsecutus recipienda arce affatim cōmunita fauori astitit. Veronēses autem non ignorantes Antonium Scaligerum in Hetruriam decessisse, relicto unico filio in prima pueritia superstite, audita Patauij rebellione arma corripientes, Scaligerum nomine acclamato, in Vicecomitis præsidia sæuierunt: & forte tunc copiæ Vicecomitis in Cremonensibus paratæ erant ad recipiendam per arcem Paduam immit-

Ann. salu. M. CCCLXXXV.

Ann. salu. MCCCXC.

tendæ. Veronenses itaq; primates præcipitato consilio, Vgolottum Blencardum copiarum Vicecomitis ducem, nulla impetrata publici errati uenia accersitum, patētibus portis intromisere, à quo urbs opulenta triduo est direpta, quousq; uxor Galeatij clade audita, urbem ultra affligi prohibuit. Dum arcis Paduanæ durat obsidio, dux Bauariæ defectum pecuniæ à Florentino non missæ causatus, in Germaniam rediit. Et Florentini Ioannem Haucut ex Bononia immisere, fauoribus freti Alberti Estensis, qui à Galeatij societate pridem inita discedens, Bononiensi Paduanoq;, & ipsis Florentinis adhæserat: Haucutq; accessu Patauina arx recepta est, & copiæ Galeatij in Vicentinos recessere. Iamq; comes Armeniaci cum uiginti militibus equitum per Taurinos descenderat, Castellatiūq; in Alexandrinis ui captum diripuerat: & Galeatius reuocatas è Vicentino copias, in suburbio Alexandrino collocauerat. Ioannes Haucut ad Abduam usq; profectus ut Armeniaco cōiungeretur, transire prohibitus est. Armeniacus autem furens Alexandriam petens impetu delatus, castra pro portis metari parat, excidium cōminatus: cum Vicecomitis pars militū in aciem prodiens impetū repressit, cæteri omnes auersis exeuntes portis, ad extremā hostiū aciem occultis itineribus circūacti sunt. Galli interea dum eorū cohortes leui prælio cum hoste ante portas armato decertāt, non magis arma quā uestes exuūt dum quieti se dedūt, cum à tergo & à lateribus inuasi prius cæsi captiq; sunt, quàm se inuasos intelligerent. Comes Armeniaci captus uulneratusq;, eadē die interijt. Renaldus Inanfiliatius & Ioannes Ricius equites Florentini, qui Armeniacū duxerant, capti sunt. Fretus tanta uictoria Galeatius, partem copiarum ad comprahendendum Haucut misit. Sed ille iam certior factus, transmisso Mincio & Athesi, in insidias penè incidit, aquis per agros deriuatis, & in propinquo copijs Vicecomitis latentibus. Quod cum ipse didicisset à captiuis, signis sub arbore dimissis ut permanere uideretur, celeri cursu non paucis suorum amissis, noctu abiens ad Montognanam per medias aquas peruenit: quem Florentini in Hetruriam reuocarunt, cum Iacobus Vermes duodecim millibus equitum, & quatuor millibus peditum sociatus, & Senenses cum tribus millibus equitum, eos uexarent: quorum conatus Haucut multis modis ludificatus est. Interim hortante Bonifacio nono, & Antoniotto Adurno Genuensiū duce, pax æquis conditionibus. Genuæ constituta est. Interea Frācíscus de Vico urbis præfectus, Viterbium Bonifacio pontifici proditione abstulit: & Petrus Gambacurta Pisanorum dominus à Iacobo Appiano omnium consiliorum suorum principe, quē ditauerat & plus æquo extulerat, cum filijs interfectus est. Appianus dominium inuasit: & Albricus Estēsis mortuus est. Accius & ipse familia Estēsi genitus, patria pridem pulsus, ad Cunij comites confugerat: quem cum illi uia Argentensi reducerent, tumultus in Ferraria exortus est. Tutores enim Nicolai Marchionis pueri, Cōrado comite Theutonico duce arma sumentes, Accium pepulere. Victores Nicolai tutores, Lucū & Cōcilice oppida Ioanni comiti Cunij promiserunt, si ille Acciū interficeret. Ioannes cōposita fallacia uirum Accio similem interfecit, & acceptis copijs Acciū produxit in publicū. Bonifacius uero nonus multa à Banderesijs perpessus est: quem suo in cubiculo latitātes canonicos Lateranenses propter uenditionem quam facere enormem recusauerant, per uim refractis ualuis eduxerunt. Eodem anno septimo Clementi mortuo, Petrus de Luna suffectus est, Benedictus tertiusdecimus appellatus. Et Carolo imperatori Romano defuncto, substitutus est Ladislaus filius, à quo Galeatius multa pecunia ducatum Mediolani primus accepit, misso oratore Petro Philardi Mediolanensi archiepiscopo, qui postea Alexander quintus pontifex Romanus fuit. Duo tunc erant in familia comitum Cunij præcellentes in armis duces, Ioannes de quo antè diximus, & Albricus, cuius causa factum est, ut ab externis Italia sit liberata. Albricus enim post captū à nepote Bernabouem cui militauerat. Italos multis in locis arma tractantes, in societatē unā coēgit, sancti Georgij uocatam: cum qua Britones, qui sexaginta fermè castella in agro ecclesiæ uastauerant, & cum cardinali Genuensi ad sex millia Italiam, ut diximus, ingressi fuerant, & deinde Theutonicos, ac postremo Anglicos Ioanne Haucut mortuo ac Florentiæ sepulto, Italia pepulit: qui & à Galeatio in primarium ducem assumptus est. Sed cū intellexisset

A lexisset Ioannem sibi propinquum à Florentinis lacessitum esse, à Mediolanensi duce dimitti curauit, & simul cum Ioanne opem ferre Appiano statuit, quem Florentini bello premebant, atque in Hetruriam transijt. Galeatius uero sub eadem occasione Florentinis bellum intulit. Paulum Vrsinum, Ottobonum Parmensem, Ceccolinum Michelottum, Broliam & Brandolinum Foroliuienses cum magnis copijs in agrum Pisanũ misit. Hoc tempore Albricus Paulo Sabello & Lucanali subsecutis copiarum ductoribus, ad Senẽses se contulit, bellũ contra Florentinos optantes. Florentinis post Haucut primarius ductor erat Bernardon Aquitanus, in re militari Italica nutritus. Vocatis igitur Albricus alijs ex agro Pisano ad urbem Senensem, cum decem millibus equitũ, & paulò minus peditum ad Florentiæ mœnia est delatus, anno millesimo trecẽtesimo nonagesimoseptimo: quo tẽpore Bonifacius pontifex Perusiam se contulit, nobilitatem plebeis Raspantibus cõcilians: qui tamen præsente pontifice falsa fide insurgentes, ad octoginta illorum interfecerunt, Biordusque Michelottus plebeiarum princeps partium, urbs dominatum accepit. Pontifex indignatus Asisium petijt, & dux Mediolani Mãtuam terra & aqua obsedit. Albricus ad Cartusiense monasterium castra posuit, discurrens ad urbis portas, & ædificia diætim incendens: & paulò post Arnũ transiuit, missa copiarum parte, quæ Politianẽses, Cortonienses que opprimeret. Interea Paulus Vrsinus ad hostes *Ann. sal. M. CCCXCVII*

B defecit, Ceccolinusque à fratre Biordo Florẽtinorum opera in patriam reuocatus est. Ob quã rem Albricus in Pisanum agrum reuersus, Paulo Sabello, Nicolao Pelauicino, & Nicolao Diuerso pro defensione Appiani relictis, ipse à Galeatio uocatus, in Mãtuam concessit. Nam Veneti missis nauigijs, oppugnationem Galeatij per aquam irritam fecerunt. Et Carolus Malatesta Mantuani sororius cum copijs Florentinorum Galeatij exercitũ primo repulerat, pòst ita fregerat, ut impedimenta apparatusque bellicos & copiarum partem illi abstulerit. Pisanus populus copias ab Albrico dimissas insolẽtius agẽtes, maiori ex parte diripuit. Florentini inde occasionem nacti, Pisanos ad se trahere tentauerunt. Quod cum non succederet, bello agitauerunt: quod mox intermisere, cũ Puppei Balneique comites, & Vbertini rebelles Vicecomitis freti copijs, nouo eos bello agitarent. Sed Veneti missis oratoribus ad ducẽ Mediolanensem, aut ut se hostes expectaret, aut pacem Florentinis Gonzagæque redderet, petierunt, per quã Italiæ aliquãdo à Vicecomitum motibus quiescere liceret. Sed cum de pace non conueniret, induciæ constitutæ sunt. Eoque anno Iacobus Appianus & Vannes filius natu maior uita excesserunt, & Gerardus iunior filius Pisis dominatus est: qui altero deinde anno insidijs à Florentino appetitus, retinendi urbẽ spe destitutus, eam accepta pecunia uendidit Galeatio, Plũbino oppido sibi retento, anno millesimo trecentesimo nonagesimonono. Et Biordus à domestico insidiatore occisus est. Perusini libertatem resumere quæsiuerunt, & põtifex *Ann. salu. M. CCCXCIX.*

C per Hugolinum Trincium Fulginatem uicarium suum eam recuperare intentauit. Sed Perusini seducti precibus, Galeatio se dediderunt: qui post duos menses Bononia, Lucaque pariter pollicitationum magnitudine potitus est. Florentini suæ rei timentes, per Patauinum Ferrariensemque dominum, Venetorum opem quæsiuerunt. Appropinquante uero anno Iubileo, legati Romanorum pontificem in Asisio rogauerũt ut Romam rediret. Ille quamuis cuperet, dissimulauit, Romanosque accusauit qui Senatores secundum consuetudinem ex nobilitate externa recipere noluissent, sed temere cameræ conseruatores elegissent parum idoneos, qui Banderesijs omnia permisissent: nec iturum se promisit, donec Romani Senatorem Malatestam Pandulfi filium Pisaurìẽsem uirum doctum ad se reciperent, Banderesijsque abrogandam autoritatem spoponderint: à quibus etiam pecunia adiutus est. Et urbem ingressus, plenario sensim dominio potitus, molemque Adriani quæ diu ante corrosa & undique dumis obsita, in caprarum pascua fuerat destinata, additis circa mœnibus & turri in medio excitata, in eam quæ nunc extat arcem restituit. Annus interim aduenit millesimus quadringentesimus, & Iubileus frequentantibus urbem populis celebratus est: quo anno Albricus Cunij comes cum Bononiensibus iunctus, Astorgium Manfredum Fauentinum bello agitauit, & Ioannes Bentiuolius ciuis Bononiensis in ea urbe dominatum accepit. Idem Lucæ fecit Paulus *Ann. salu. M. CCCC.*

Guinisius ciuis in ea urbe ditissimus. Pestis etiam tūc maxima Italiam populata est, propter quam rem Bentiuolius cum Fauentino pacem fecit. Albericus uero indignatus, Bononienses & Fauentinos bello agitauit, subministrante pecunias Galeatio: quamuis Astorgio Carolus Malatesta, Florentini Bentiuolio subuenirent. Florentini insuper Galeatium oppressuri, Robertum Bauariæ ducem quem electores imperij abrogato Ladislao Bohemo imperatorem elegerant, ea conditione in Italiā uocauere, ut non prius promissam pecuniam acciperet, quàm Vicecomitis terram attigisset. Ille ingressus Brixianum ad Benacum lacum, pecuniarū parte recepta, Galeatij copijs congressus fractusq́, Tridentum redijt, & uocantibus Venetis Paduam uenit. Ad quem oratores Florentini profecti, eum resumere bellum rogauerunt: cui tunc Sfortia Attēdulus Cutignola Romandiolæ oppido oriundus, iam primum nosci cœptus, & Baldasar Mutinensis copiarum duces militabant. Sed cum paucæ sibi pecuniæ promitterentur, re infecta in Germaniam redijt. Tuncq́ Bonifacius pro beneficijs ecclesiasticis accipiendis annatarum usum inuenit, quam legem in solis cathedralibus Anglici receperunt, reliqui omnes ad misere. Anno millesimo quadringentesimo primo Bonifacius pontifex nonus Ladislaum adolescentem Caroli Neapolitani regis filium, ad regnum paternum restituit, à tyrānis & populis occupatum qui Ludouici Andegauensis partes secuti fuerant, abrogata priuatione Caroli à sexto Vrbano Nuceriæ facta. Cardinalis Florentinus iussu Papæ Ladislaum coronauit apud Caietam, quæ sola in fide manserat. Vicecomes autem reuerso in Germaniam imperatore Roberto, copias suas ad opprimendum Bentiuolium Albricum misit: copiarumq́ ductores Mantuanus reconciliatus, & Pandulfus Malatesta Caroli frater, Ottobonusq́ Parmēsis fuere. Florentini Bernardonem auxilio Bononiam, & Franciscus iunior Carrarius duos filios cum pedestribus, scuta armatis chalybeo, copijs præmiserant. Albricus aucto exercitu ad Cassaledum duxit, rus flumini Rheno imminens, eam amnis partem succisurus, quæ in urbem ducta fossa manu facta, magno opificis auxilio est. Veriti hoc malum Bononienses in pugnam ruunt, & apud pontem lapideum confecto prælio superantur. Bentiuolius cum paucis in urbem fugit: Bernardus cum omni equitatu captus, paulò post interfectus est: & Carrarij fratres cum armato insigniter peditatu uenerunt in Vicecomitis potestatē: è quo liberaliter habiti, in carcere tamen seruati sunt. Albricus Bononiam ad muros obsedit, & aliquibus locis oppugnauit. Bentiuolius dum noctu rem suam armis tutatur, nimia usus confidentia in globū præcipitatus penè solus: à quo præter repugnantium intētionem uulneratus occubuit, Bononiaq́ patentibus portis Albricum introduxit. Trepidatum est plus solito Florentiæ: ad quam capiendā dum Albricus se accingit, potentiores æquo sui exercitus duces, eum subsequi recusarūt. Et paulò post quærētes pacem Venetos dum libenter Galeatius audit, febre correptus, apud Malegnanum interijt: cuius mortem cometes cruentior fusiorq́ cæteris nostræ ætatis apparens, indicauit. Pinus Ordelafus tunc Foroliuium obtinebat. & Albricus Fauentinum agitabat, breuiq́ cōfecisset, nisi à Ladislao rege in magnum creatus comitem regni sui stabilem & multis ab eo donatis pecunijs, quas pontificem Bonifacium inopi adolescenti dedisse creditum est, Caietam se cum copijs contulisset. Pontifex enim fratrem suum Neapolim miserat in regis fauores: quem à Neapolitanis repulsum, Perusiam cum exercitu ire iusserat, à quo Perusia illico recuperata est. Per hoc tempus Baldasar Cossa Neapolitanus sancti Eustachij cardinalis certatus est, qui legatus ad Bononiam missus, eam urbem post functum uita Galeatiū libertati studentem, obsidione cepit: quo in bello primū nullo subditus ductori, militare cœpit Brachius Montonensis, ab Albrico in Romandiola dimissus, à quo fuerat familiariter educatus. Albricus Neapolim obsidione recepit, & omnes regni principes urbesq́ ad Ladislai obedientem confluxerunt. Sed is rex priusquam satis regnum confirmasset, ad regnum Vngariæ suscipiēdum à principibus accersitus, iuuenili impetu est prouectus. Sed dum Iaderam urbem obsidione premit recepitq́, certior factus est Neapolitanos & aliquot principes inita coniuratione in rebellionem pendere. Albricus enim iam in Romandiolam se contulerat. Anxius igitur, Iadera Venetis uendita, quorum pluries fuerat

A fuerat, Neapolim rediit: et reuocato Albrico seueriori usus disciplina, neminem in regno esse permisit, qui uel regni uel oppidi retinuerit dominatum, multosq; patria eiecit: & in Seuerinatum familiam crudeliter animaduertit, primoribus eius capitali supplicio affectis. Interim nono Bonifacio uita functo, Innocentius septimus suffectus est, Cosmas Sulmonēsis antea dictus, qui iureiurando collegio promisit, quamprimum esset pro unione requisitus, pontificatui renunciare. Eoq; item defuncto, suffectus Gregorius duodecimus ex gente Corraria Venetus, eodem iuramento astrictus est. Sed cum Innocentius renunciare requisitus noluisset, Gregorius uero expectanda Benedicti renunciatione rem dicere uideretur, congregatum apud Pisas Hetruriæ ciuitatem nationum quæ Bonifacio paruerant concilium, Gregorio & Benedicto priuatis, pontificē creauit Petrum Philardi Cretensem ex ordine minoritarum, summum philosophum atque theologum, Romanæ ecclesiæ cardinalem, Alexandrum quintum appellatum. Cui breui defuncto, Baldasar Cossa Bononiæ potius dominus quàm legatus, successit, Ioanes uigesimustertius appellatus, rerum gerendarum experientia magis quàm uitæ sanctimonia præditus.

B

EPITOMES IN BLONDI DECADES, FINIS.

AENEAE SYLVII PII II. Pontificis Maximi, in historiam rerum ubique gestarum locorumq; descriptionem,

Præfatio.

C

Q Væcunquæ mortales agunt siue priuatim siue publice: calumniæ subiacent, nec diuinis operibus maledica lingua parcit. tantum sibi humanus arrogat intellectus. Quid nos speremus historiam cum ueterum aliquorū tum nostrorū temporum tradituri? An fugiet laborem nostrum malignus interpres? Minime quidem, nec tantum nobis arrogamus. Vnde hoc inquient ocium Pontifici Maximo? quod in scribendo tēpus absumpsit, Christianæ plebi detraxit: Cur nō utilius sese exercuit? tempora nostra & res uulgo notas inculcat. quis fructus? quæ legendi uoluptas? Nec uera prodit, nec prodita ita exornat, ut auditorem delectēt. Verum qui scripta nostra fastidit, prius legat, deinde uituperet. Non ingentia solum facta, sed tenuia quoq; nouisse sæpe ex usu fuit. nec tempora nostra non admiranda minoribus uidebuntur. Quod si lectorem scribentis elegantia non tenebit, uarietas rerum & nouitas abire non sinet, nec liber tam ineptus est, qui non afferat aliquid emolumenti, nec nos falsa pro ueris astruemus, scientes nil tam contrariam esse historiæ quàm mendacium. Nugas in fabulis, in historia uerum quærimus & serium. Nec nos plebem suo tempore fraudauimus, qui nec rem diuinam neglexímus, ne consistoria seu publica seu secreta pretermisimus, nec supplices audire cōtempsimus. Sed nostrum senium sua quiete priuauimus, ut ea memoriæ mandaremus quæ digna cognitu nostra pertulit ætas, cū breui ueterum recensione. Nocturni

Nil tam contrariū historiæ quā mendacium.

sunt hi labores. nam quæ somno debebantur horarum maximā partem scribendo consumpsimus. Fatemur, melius suas uigilias expendisset alius, sed dādum fuit aliquid menti, quæ his lucubrationibus oblectata est. Nec nos latet Damasos, Gregorios, Leones, Bonifacios, Innocentios, & alios quā plureis ex nostris antecessoribus lōge utilius ocio suo fuisse usos. Sed neq; hoc nostrū non frugi est. Historiā enim texuimus quàm nostri maiores uitæ magistrā appellauerunt. Ne ab re, siquidem prudētia est quæ uitam ducit. Prudentiam uero, multarum & magnarū rerum cognitio parit, quā nemo inter scriptores melius Historico tradit. Sed quid contendimus tanquam maledicis occursuri clausuriq; ora: frustra nitimur, & in dextro & in sinistro latrāt itinere canes. nullius uita sine reprehensione cucurrit. Cōmunem sortem æquo animo ferre decet. Quodcūq; de nobis iudiciū fuerit, non inuiti subibimus, quādo in hac historia nec optimorum speramus laudem, neq; pessimorum timemus uituperiū, neq; qui nobis detraxerit id gloriæ assequetur, ut omnes ei consentiant & fortasse futura ætas id approbabit, quod nostra reiecerit. Scribendi ordo sic erit: Quæ propter nostrum æuum gesta sunt memoratu digna (quantum cognouimus) enarrare curabimus, prisca nonnulla præmittentes, quæ uel cognitionem maiorem rerum, uel ornatum afferant. Digeremusq; singula per sua loca, & ab orientali plaga facientes initium, per medias prouincias narratione deducta, ad occiduas nostrasq; oras remeabimus. De locorum gentiumq; natura & situ, quæ uidebantur necessaria, inserentes. Et quoniam rerum quas scribimus, quasq; mortales agitant, campus est ipse terrarū orbis, quatenus colitur cum interiectis & circunfusis aquis, pauca de ipso in communi attingenda sunt, priusquàm parteis eius & locorum historiam aggrediamur.

Historia uitæ magistra.

Ordo libri.

D

E

De Mundo in uniuerso, forma eius & plagis terræ, Cap. I.



MUndi formam omnes fere consentiunt rotundam esse, Idemq; de terra sentiunt, quæ in medio rerum constituta, grauia quæq; ad se trahit, aquis maiori ex parte submersa. Sunt qui arbitrātur quatuor eius plagas apparere, quas magnæ interfecet oceanus duobus amplissimis fluminibus eas ambiens, quorū alterū Zodiaco subijciatur, alterū ab aurora dextra leuaq; per Polos defluēs extra colūnas Herculeas cōiungatur, atq; in hunc modū totius terræ quatuor portiones, uelut ingentes insulas mergere, quæ cœlo subiectæ benigno mortalium habitationes admittant. Parmenides terram sicut & cœlū in quinq; zonas partitus est, quarū duas Polis propinquiores nimio rigore frigoris, & tertiā quæ cursui solis obijceretur, excedēti æstu inhabitabileis existimauit. Reliquas hinc atq; inde inter torridā & gelidas felici tēperamento culturā recipere quā plures, cū Græci tum Latini, secuti sunt. Pleriq; unā tantūmodo terræ partē emersisse tradiderunt, inter septentrionē & æquinoctialem circulū, idq; diuinā mentem hominū causa statuisse, digna sententia quā Christianus approbet. Huius figurā alij sphericā, alij oblongam faciunt, his Claudius Ptolemæus consentit, & probabilior uidetur opinio. Homerus terram omnē quā incolimus ablui oceano prodidit, neq; alienum est insulā eam esse, nam quocunq; accedere ad extrema terræ mortalibus permissum est, mare inuenitur, quod oceanum appellamus, & hunc nostræ habitabilis terminum quaq; uersum existimant. Ptolemæus habitationem nostrā à quatuor orbis partibus terra incognita claudit, quamuis plerisq; in locis oceano terminari affirmet.

Terra in quinq; zonas partitur.

F

An mare circumnauigari queat sententiæ, Cap. II.

CIrcumnauigari an hæc insula queat, dubitatū est. Strabo Gnosius australe pelagus propter intolerabilem æstū, boreale quoniā frigore cōcretū esset, minime nauigari posse putauit. Iulius Solinus Iubæ testimoniū adducit, qui uniuersæ partis terræ meridianæ, quāplurimi propter solis ardorē peruiā negauerunt. (facta uel gentiū uel insularū cōmemoratione, ad confirmandæ fidei argumentum) omne mare quod ab India usque in Hispaniam

A Hispaniam retro Aphricã cingit,nauigabile affirmauit,adiectis stationũ locis,& spaciorum modo præscripto. Plinius Veronensis scribit in Arabico sinu,res gerẽte Cæsare Augusti filio,signa nauium ex Hispaniensibus naufragijs fuisse recognita,& Hannone florente,Carthaginis potentia circumuectum,à Gadibus ad finem Arabiæ:eam nauigationem scripto prodidisse:Corneliũ quoq; nepotem autorem facit,per Eudoxiũ quendam sua ætate cũ Lathyrũ regẽ fugeret Arabico sinu egressum Gades usq; profectũ commemorat:Cæliũq; Antipatrem à se uisum,qui ex Hispania cõmertij gratia, usq; in Aethiopiam nauigarit. De septentrionali oceano maior contentio est, quem tamen magna ex parte Diui Augusti auspicijs: circa Germaniã nauigatum cõstat usq; ad Cimbrorũ promontorium:Caspia uero littora Macedonum armis Seleuco & Antiocho regnantibus ita explorata et pernauigata sunt,ut paruo breuius,quã totus hinc atq; illinc septẽtrio sit remigatus. Plinius Nepotis testimonio utitur: qui Metello Celeri Galliæ procõsuli donatos à rege Sueuorũ Indos astruit: qui ex India cõmercij causa nauigãtes tempestatib. essent in Germaniã arrepti. Nos apud Othonem legimus, sub imperatorib. Teutonicis Indicã nauim & negociatores Indos in Germanico littore fuisse deprehensos,quos uentis agitatos ingratis ab orientali plaga uenisse constabat, quod accidere minime potuisset, si ut plerisq; uisum est septentrionale pelagus innauigabile concretũq; esset,à columnis Herculeis Mauritaniæ atq; Hispniæ & Galliarũ circuitus,totusq; ferme occidens hodie nauigatur. Orientem nobis incognitũ,cum religionũ atq; imperiorũ diuersitas,tũ barbaries immensa reddidit. Veteres tamen nauigatũ produnt,& oceano qui extremas amplectitur terras, à suis littoribus nomina indiderũt, Hispanicũ,Gallicum,Germanicũ, Scythicum,Caspium,Sericum,Eoum,Indicum,Libycum,Atlanticum appellantes.

Eudoxius. *Cælius antipater.* *Metellus Celer.*

B (marginal letter beside "mnis Herculeis")

De Marium & sinuum diuersitate secundum uarios autores, Cap. III.

STrabo habitabilẽ nostram circũfluam esse dicit,& ab exteriore mari multos in se sinus admittere,è quibus aquilonarem,modo Caspiũ,modo Hyrcanũ uocat,duos ab australi pelago effundit in uiscera terræ,Persicũ et Arabicum tradit,& illũ aduersum maxime Caspio. Quartum hos magnitudine superare: qui mare nostrum quod interius appellamus efficit. Omneis autem ab extremo mari angusto æstu influere. Straboni multi consentiunt. Ptolemæus plurimum aduersatur,qui omne illud mare quod Indicum appellatur cum suis finibus Arabico,Persico,Gangetico, & qui proprio uocabulo magni nomen habet,undiq; terra concludi arbitratus est. Hyrcanum quoq; quod & Caspium nominat, ab omni parte terra cinctum tanquam insulæ similitudinem ex opposito ducat: nostrum tantummodo pelagus ab exteriori per arctissimas fauces terram irrumpere, quod cum finibus sibi adiunctis usq; in Euxinum & Mæotim paludem exit. Herodotus etiam Caspium mare ait per sese esse:neque cum alio quoquam misceri longitudinis quindecim dierum cursu nauis quæ remis agatur:latitudinis ubi amplius,octo. C Baltici sinus nemo ueterum meminit:Oceanum esse crediderunt, eius partem qui Germanicus appellatur,sed ambitur hic etiam continenti, nec magnis circa Daniam ostijs ab Oceano irrumpens sinum amplissimum efficit, multasq; & ingenteis circunfluit insulas. Iordanus huius maris mentionem facit, sed errat:quamuis Gothus cũ priscis oceanum esse putet. Albertus Magnus ingentem hunc sinum esse cognouit: homo Germanicus qui nationis suæ limites non ignorauit.

De longitudine & latitudine & climatibus terræ, Cap. IIII.

TOtius terræ siue ambitũ siue diametrũ quærere,furor. longitudinẽ habitabilis ab ortu in occasum, septuaginta milliũ stadiorũ extendi proditũ est. Latitudinẽ ab Austro in Boream triginta millibus minorem esse Straboni uisum. Ptolemæus de latitudine consentiens longitudinem uariã prodit,quàm sub arcu æquinoctialis circuli nonaginta milliũ stadiorũ esse cõtendit,totiq; ambitũ noti orbis stadij centũ octoginta millibus constare censet. Latitudine terræ quatenus habitatũ existimarũt, maiores nostri in septẽ climata diuiserunt, Quorũ primum ab insula Meroë usq; Syenẽ per millia passuũ quadringenta et quadraginta protenditur. A cuius fine secundũ incipiens in Alexãdria Aegypti finitur, quadringentis passuum millibus amplum. Tertium in Rhodo desinit,

Terra in.7. climata.

huius latitudo trecentis & quinquaginta millibus passuum extensa est. Quartum Rhodiense appellant, eiq; trecenta millia passuum latitudinis attribuunt. Quintum Romanũ ducentorum & quinquaginta quinq; millium. Sextum ad Borysthenem usq; amnem producunt, ducentis & duodecim millibus patens. Septimũ ad Rhiphæos monteis per millia passuum centum & octoginta quinq;. Atq; ita omniũ climatum latitudo supra uicies centena centum quadraginta duo millia passuum complectitur, quemadmodũ his uisum, qui de terræ climatibus scriptitarunt. Longitudo climatũ ab ortu in occasum protrahitur, tantumq; alterum ab altero superatur, quantum ab æquinoctiali circulo procul abest. Haud tamen his climatibus omnis habitabilis continetur. Siquidem longe ultra Meroen degere homines, & Ptolemæus, & multi alij prodiderunt, & ultra septimum clima: quod Riphæis montibus terminatur, magna pars Germaniæ sita est, & tota Noruegia, ipsaq; Britanniæ insula atq; Hiberniæ, in quib. maximi dies, haud minus quã duas deuiginti horas assumũt: q̃s in septimo climate horis terminari quindecim tradiderunt. D

An sub æquinoctiali circulo ac torrida zona sint habitationes, Cap. V.

AN uero sub æquinoctio habitatio sit, dubitatum est. Heratosthenes per benignam ibi temperiem esse arbitratur. Idem sentit Polybi9, qui solum illud sublime asserit: & imbribus irrigatum. Possidonius sub æquinoctiali montana esse negauit. Quidam æquinoctialem circulum extra omnem terram, per oceanũ ferri putauerũt. Sic enim Homero uisum est, qui solis equos ex oceano bibere, et sidus ipsum inde nutriri putauit: quẽ secutus est Macrobius. Nec magnus Albertus ab hac sententia procul fuit, qui tantum humoris sub torrida zona cõsumi existimauit, quantũ sub Polis assidue gigneretur: quibus in locis ab excellenti frigore aquas ex aëre perpetuo generari asseruit. Ptolemæ9 aduersus est, qui Taprobanæ insulæ partem sub æquinoctio collocat, & multas Aethiopum genteis. Nonnulli paradisum terrestrem sub ea cœli parte sitã crediderunt quib. sacrarum reluctatur autoritas literarum, quæ Tigrim & Euphratem fama notissimos amneis ex Paradiso defluere cõmemorat, quos à septentrionali plaga in Persicũ deuolui sinum non ignoramus. Minime tamen propinquitas solis directiq; sideris radij habitationem impediunt, locorum opacitate opitulante, & noctium humiditate, quæ diebus per omne tempus æquales existunt, esse tamẽ sub æquinoctio, et per omnem torridam zonã multas uastitates, & terras humore carenteis, ac prorsus humanæ naturæ incommodas nemo negauerit, quamuis circa lucos & amneis Aethiopum populi degant. Plinius refert Dalionem quendam & Aristocleonem, & Bionem. & Basilidem ultra Meroẽn longe subuectos. Simonidem uero, qui Aethiopiam descripsit, in Meroẽ quinquennio moratum, quam insulam per noningenta & septuaginta duo millia passuum, ultra Syenem Aegypti sitam esse affirmat, sicut Neronis exploratores renunciauere. Apud Syenem uero conuersionem Solis æstiuam ponunt, & ibi torridam incipere zonam, ab æquinoctiali tractu gradib. quatuor & uiginti distãtem, hoc est stadijs duodecim millibus: quæ passus efficiunt quindecies centena milia, ex quo fit, ut paulo ultra medium, inter æquinoctium et Syenem iacentem Meroen accipiamus. Ptolemæus ultra æquinoctium Agisimbain regionem habitatam ponit, & Lunæ monteis, ex quibus Nili paludes oriuntur, & Antropophagos Aethiopas per gradus circiter sexdecim, atq; in hunc modum, per decies cẽtena millia passuum, cultura hominum trans æquinoctium inuenitur, quod spacium non minus terræ quàm duo climata complectitur.

Taprobana. *Paradisus terrestris.* E F

Partitio nostræ habitabilis in Asiam, Africam & Europam treis principales parteis, & ubi coniungantur, Cap. VI.

COnsensu omnium receptũ est, toti9 habitabilis treis præcipuas existere portiones, quarũ præ magnitudine, prima est Asia, secũda est Aphrica, tertia Europa. Asia cõiungitur Aphricæ, (sicut Ptolemæo uisum est) per dorsum Arabiæ, quod mare nostrũ ab Arabico sinu disiungit. Nemo id negat, sed adijcit ille alio in loco coniungi per terram incognitam: quæ Indicũ pelagus circunplectitur, in qua sententia penè solus est. Omneis enim quos offendimus de situ orbis scribenteis, mare Indicũ ad austrũ & oriẽtẽ

sine

A fine terminis ponunt, & partem oceani esse uolunt, sicut ab his traditum est, qui ab Arabico sinu in Atlanticū mare, & ad colūnas Herculis nauigarunt. Europæ & Asiæ coiunctio fit per dorsum, quod inter paludē Mæotim & Sarmaticū oceanū excurrit super Tanais fluuij fonteis. Aphrica nusquā per sese Europæ cohæret, hinc freto Herculeo, illinc Asia interiacēte discreta. Fuerunt qui eā ab Asia disiungere uoluerūt, id terræ intercidere meditati, quod inter rubrū & nostrū pelagus mediū est, cuius latitudinē nō amplius quā mille & quingentorum stadiorū esse dixerūt, primusq; omnium Sesostris Aegypti rex id efficere, cogitauit. Mox Darius Persarū, deinde Ptolemæ9 sequēs, qui fossam eduxit, latitudine centū pedum, altitudine triginta: longitudine passuū triginta septem milliū, & quingentorum. Vltra progredientem metus inundationis deterruit excelsiore tribus cubitis rubro mari comperto, quàm terra Aegypti. Plinius omissam fossionem asserit, ne mare immissum aquam Nili corrumperet, quæ sola potus præbet Aegyptijs.

Qui Aphricæ, Europæ, Asiæ limites: & de diuisione Asiæ per Taurum montem. Cap VII.

Nili amnem pleriq; limitem esse inter Asiam & Aphricam uolunt. Melior per maria certiorq; partitio est, ita ut peninsulam Aphricam accipiamus, undiq; mari cinctam præter Hiscinum: qui à Pelusio in Arabicū sinum excurrit. Nec usquam septentrionalior est Alexandria: quæ triginta & uno gradib. ab æquinoctio distat, nisi forB tasse promontorium aliquod aut in nostrum, aut in Atlanticum pelagus paulo amplius procumberet. Europa per Hispaniam, Italiam, & Peloponēsum australior est, parallelū qui per Rhodum ducitur attingens, in septentrionem per Germaniam & Noruegiam maxime protensa. Quinto & sexto climate felix ulterius non adeo benigna Asia ad septentrionem & ad meridiē extēditur. Australiora eius latera Meroē sunt opposita, quāuis aurea Chersonesus in India ad æquinoctialem usq; circulum protendatur, partes ei9 magis Boreales ad Scythas pertinent, intra et ultra Imaum montē, quæ ad parallelū usq; per Thulē proferuntur. Taurus mediū quodammodo scindit, qui ab occidēti in orientē excurrens, partē ad aquilonē, partē ad meridiē relinquit, Græci alterā interiorem uocāt, alteram exteriorem. Latitudo mōtis plerisq; in locis stadiorū tria millia cōtinet. Longitudo quantum Asia, stadiorum circiter quinq; & quadraginta millia, ab ora Rhodiensi usq; ad Indiæ & Scythiæ extrema orientem uersus caput eius inter Cariam Lyciamq; cōsurgit: quib. in locis modo Cadim mōs, modo Cragus appellatur, neq; altitudine, neq; latitudine memorabilis, multæ sunt eius partes: & multa illi nomina uetustas indidit. Progressus intra cōtinentē quantū Lyciæ fines extenduntur: tū primū & attollitur promontoriū Masicitū, ad dexterā emittit quod in mare Pāphilicū usq; procumbēs Pamphiliā ipsam Lyciamq; disiungit, mox ad septentrionem uergens, Celenorum efficit iugum, quod ad magnam Phrygiam Lycaoniamq; respicit: transmissa uero hinc atq; inde PisiC dia Ciliciam attingit: & Antiochia à sinistris relicta in duo cornua diuiditur, quorum dextrum Tauri nomen retinet, sinistrum Antitaurum uocant, qui septentrionem uersus incedens, minorem Armeniam à maiori disterminat, relicto ad sinistram iugo uersus Euxinum pontum, cui Scordisco est nomen, & orientalia Cappadociæ à minori Armenia seiungit. Ex Tauro uero cum ad extrema Ciliciæ peruenit, Amanus oritur, qui Syriam à dextris relinquens ad Euphratem usq; uersus orientem digreditur, nec interruptus (ut Straboni placuit) nomen amittit: sed multum in altū latumq; crescens, multifidus efficitur. Pars Australior Taurus est, qui Armeniā à Mesopotamia disterminat, pars septentrionalior in multos quasi ramos scinditur. Ptolemæus post scissionem Euphratis Amanum montem iterum appellat Taurum, inter Armeniam Mesopotamiamq; protēsum, donec rursus ab amne Tigridis interrumpitur, ultra uero Niphatem nominat, cui Assyria in dextro latere subiacet, & Adiabena regio, qua dimissa ultra Capri amnis fonteis, Niphates, in duas scinditur parteis: Ea quæ ad septentrionem uergit, Caspios mōteis efficit: qui ad Hyrcanum pelagus deferūtur. Quæ uero ad meridiē inclinat, Choatras mōs appellatur: qui iuxta Assyriam aliquandiu progressus, in austrum rursus in duo cornua diuiditur, quæ Medorū prouinciam includunt. Septentrionale nūc Zageius mons, nūc Orōtes appellatur, Australi Parthoatras est uocabulū, quo Media disiūgitur, à Perside.

Con-

Coniunguntur iterum hæc inter se cornua circa finem Mediæ ad orientem, & iterũ dis- D
iunguntur, Ragianam Sigrianamq; terrã includentia. Circa finem uero Sigrianæ denuo propemodum cohærent, ita ut portam quandam uideantur efficere, quæ in Parthiã iter aperiat. Nam & Parthia Tauro cingitur: cuius pars septentrionalis Coros uocatur. Inter Hyrcaniam Parthiamq; discurrens orientalis Masdoranus, qui Parthos ab Aria separat, Australis Parthoatras sicut circa Persidem Mediamq; nominatur, hic Parthos à Carmania prohibet. Coros autem Hyrcaniam prætergressus promontoriũ nõ paruum à se dimittit, quod ad Hyrcanum mare procumbens Margianam ab Hyrcania separat. Ipse inter Margianã & Ariam dilapsus Sariphus appellatur, ex quo brachium aliud excurrit septentrionem & occidentem uersus, Bactrianam à Margiana disiungens, quod ubi ad Hyrcanum prope pelagus peruenit, rursus ad orientem septentrionemq; decurrit: usq; Iaxartem fluuiũ. Ipse uero postquã Bactrianam, Ariamq; trãsmisit, Paropamissus uocitatur, à quo regio quæ ad Austrum uergit, Paropamisadum nominatur, eius cõclusa iugis. Vlterius iam Indiam ingressus Caucasus dicitur, quod nomẽ ab Alexandri militibus accepisse uidetur. Eius gloriæ causa & per adulationẽ, quæ regũ comes est, tanquam ille Caucasi iuga & Promethei miracula transcendisset: hæc altissima uidentur, & admodum lata Indiæ montana, quæ ad Sacas pertingentia Comedorũ nominantur: deinceps Imaus incipit, & usque ad fonteis Gangis extenditur, ex quo dorsum deriuatur, E
quod in septentrionem uergens, in oceano procumbit, et iuxta Ptolemæi traditionẽ Scythas in duas parteis diuidit: multosq; ramos producit, qui Boreales Asiæ parteis multifariam partiuntur. Is ubi per aliquantũ spatium Gangem prætermisit, & ad exteriorem Indiam peruenit Emodus nominatur, qui circa finem Indiæ in duos ramos diuiditur, usq; in eorum excurrentes pelagus, alteri Ortorocoras nomen est: & Seras respicit, alteri Semantinus ad Sinas terrarum ultimos, medij inter utrunq; Semantini degunt, & ipsi orientaliũ extremi, ac pene incogniti, sic Taurus se habet totius Asiæ diuisor, cui per Antitaurum & Caspium montem Caucasia iuga, & quæcunque per Asiam montana excellunt propemodum coniuncta sunt. Nec male existimasse putauerim: si quis per iuga Syriæ, quæ de Tauro deriuantur. & dorsum Arabiæ quod inter mare nostrum Arabicũq; decurrit, Troglоditarum monteis usq; ad eos qui Lunæ uocantur, & deinde per iuga incognita in Atlantem usq; peruenire posse affirmauerit, rursusq; Hispaniarum monteis Pyreneis contineri, & illos per montana Galliarum gelidas Alpeis attingere. Ex quibꝰ hic Apenninus Italiam omnem intersecat, illinc per Istriam & Dalmatiam usq; in Peloponesum & in Thraciam altissima iuga decurrunt: et inter Rhenum ac Danubium dorsum assurgit, quod ex alpibus deriuatum per Germaniã, Sarmatiamq; dilapsum, supra fonteis Tanais ad Riphæos monteis attingit, & per illos Caucaso iungitur, exinde per Caspium Antitaurum, deniq; Taurus ipsa compræhenditur. Vltra quem regnare ma- F
gnum Antiochum Romani permisere, ex quo fit ut totius continentis una montium series intelligatur, quamuis plerisq; in locis tumor non satis appareat.

Generalis distributio Asiæ in sex præcipuas parteis, Cap. VIII.

Asiæ parteis, alij plureis, alij pauciores efficiũt, nostra descriptio sex tantũmodo cõtinebit. Treis citra Taurum, & totidẽ ultra. Prima intra Taurũ & oceanum septentrionalẽ, ab oriente sole usq; ad Hyrcanũ pelagus extẽdetur, popinario cultro similis, continebitq; Scytharum plurimas genteis, quæ ultra Imaũ montem, citraq; habitant, cum quibus & Bactriani memorabuntur, & Gordiani & Sacæ, & Massagetæ & ultimi ad auroram Seres, & qui sinum circũ habitant Atacenum. Secunda ab eodẽ Hyrcano mari usq; ad amnem Tanaim & paludem Mæotidem proferetur, habens à septentrione terrã incognitã in oceanũ uersa, à meridie pontũ Euxinũ: & qui ab eo in Hyrcanũ pelagus excurrunt Moschicos mõteis. In hac Albani, Iberes & Colchi collocabuntur, atq; alij quãplures populi, quos uno uocabulo Scythas appellãt. In tertia parte Romanis inuicta uirib. Parthia claudetur, Medorũq; terra, & utraq; Armenia, & quicquid hodie minor Asia appellatur inter Euxinũ et Hellespõtũ, et Cilicũ pelagꝰ Histino clauditur, q ab Issico sinu in Phasidẽ uergit. In quarta designabitur India cũ Sinarũ populis ad orientẽ extremis,

A extremis, & insulam Taprobanæ, quæ ad meridiem sita circulum equinoctialem transcendit. Quinta ab Indo fluuio usque ad amnem Tigrim, intra Taurum & mare Indicum sinumq; Persicum iacēs, Paropamissadas, Aracosios, Arianos, Drangianos, Gedrosianos, Carmanos, Persas, Assyrios, & Susianos complectetur. Sexta eademq; postrema ab ipso Tigride amne, usque ad Issicum sinum nostrumq; pelagus extendetur, omnia complexa quæ à Tauro monte in Persicum & Arabicum sinum, atque in Aegypti septentrionalia uergunt. His in locis priores ad orientem Mesopotamij occurrent, Babylonij ac Chaldæi, quibus contermina est Arabia deserta: Ad occidentem triplex Syria collocabitur Palæstina, Comagena, ac Phoenicia cum Cilicia, & Pamphilia ac Lycia, & cum his Arabia Petrea. Ad meridiem felices Arabes inuenientur inter sinum Persicum Arabicumq; conclusi, arduis montibus à reliquis sui nominis gentibus diuisi usq; ad insulam prope Dioscuriadem in Indicum protensi pelagus.

De Seribus populis, Cap. IX.

HAec nobis totius Asiæ certior commodiorq; partitio uisa, nunc parteis partium attingere oportet. Seres ut ante diximus ad orientem æstiuum ultimi reperiuntur: quibus ad ortum terram incognitam Ptolemæus & alij eorum, oceanum posuere ad meridiem, Emodi montes & Otorocoras Indos ac Sinas excludunt. A septentrione B Antropophagi iacent Scythæ, quibus humana corpora cibi sunt: et ut Ptolemæo uisum est ignota terra: ut alijs Scythicus oceanus, ab occidente Scytharũ natio. Montes apud Seras excellentes Annibi, Auzaci, Casij & Asmiræi, ex quibus Tagurus assurgit. Amnes nominat Ptolemæus Oertadem & Banthisum. Plinius Veronensis Psitaram, Cambrim, & cui nomen est Lanos. Inter urbeis metropolim Seram ponunt, Otorocoræ mōti uicinam. Inter gentes maximam Essedonum esse dicunt: quæ Taguri iuga montis, & adiacentes incolit campos. Iulius Solinus sicut & alij complures mare Hyrcanũ ad Scythiam oceanum habere ostium dixit: ibiq; ab exordio eiusce plagæ uersus orientem à dextris profundas iacere niues, mox longa deserta, Post Antropophagos gentem asperrimam & efferatam, quæ dimidiam ferme itineris partem inpenetrabilem reddidit, usq; ad iugum mari imminens, quod Tabin Barbari uocant. Vltra quod, post longinquas solitudines moræ tractu, quæ spectat æstiuum orientem, & ultra inhumanos situs ad Seres demum perueniri: homines inter se mites & quietissimos, sed qui per alios mortaleis refugiunt, hos aquarum aspergine inundatis frondibus arborum uellera liquoris adminiculo depectere, & lanuginis tenerum subtilitate humorem ad obsequium domare asserit: & hoc esse illud Sericum in usum publicum damnosæ uanitatis admissum. Ex quo potius est ostendere corpora quàm uestire, quod primo fœminis, postea etiam uiris luxuriæ persuasit ambitio. Mercatores fama est primum eorum fluuium pertransire, atque in C eius ripis nullo linguæ commercio negociari: sed oculis tantum rerum precia extimare, aurumq; offerre: cum Seres sua tradant, nostra non emant. Strabo Apollodori Adramittini utens testimonio scribit, Menandrum ac Demetrium qui ex gente græca post Alexandrum in Bactria regnauerunt, res orientaleis aggressos, longe ulterius quàm Alexander processisse, & usq; ad Seras & Faunos imperium protulisse.

Vellera ab arboribus depexa.

Seres sua tradunt, nostra nō emunt.

De gente Atocorum, Ciconibus populis seu ut alij uolunt Sementinis, & quæ de Macino prouincia denarrauit Nicolaus Venetus, Cap. X.

HIs Atacenus annectitur sinus, & gēs Atocorũ, quibus temperiei prærogatiuã miram dicunt aëris clementiam subministrare, & arcere afflatum noxium colles, qui salubri apricitate, secluso undiq; obiectu pestilentes auras prohibent, atq; ideo par illis, et Hyperboreis uitæ genus esse crediderunt. Plinius tradit Homerũ de his priuatim uolumina cōdidisse, sicut de Hyperboreis Hecatæũ. Inter hos & Indos nōnulli Ciconas locauerũt. Ptolemæus Semantinos posuisse uidetur, qui Seras inter et Sinas oriētaliores existunt, ad quos nulli nostra tum hodie perueniunt, immensa barbaries iter claudit, & imperantiũ multitudo, q̃ nemo probarit pacis amicus, et qui orbis sitũ nosse cupiat: ignota esset terrarũ maxima pars, nisi Rom. principatus, et Alexādri potētia orbē aperuisset. Nicola9 tamē quidã Venet9 cognomēto comes, nostra ætate in hæc loca puenit, si uera sunt

Nicolaus Venetus de Macino.

sunt quæ ab eo narrata feruntur: is ait mare Indicum ultra Gangem cum mense toto nauigasset ad Ratham fluuium se peruenisse, eoq; sex diebus nauigato, ciuitatem inuenisse, quæ nomine fluminis appellaretur. Exin per desertos habitaculis montes, quos Tauri partem fuisse crediderim, decem & septem diebus in campestria descendisse, quibus duabus hebdomadibus magno labore peragratis flumē offendisse Gange maius, quod ab incolis Daua diceretur: atq; in eo mensis nauigatione peracta ciuitatem nobilissimā appulisse, stadiorum centum uiginti circuitu patērem, cui nomen Dua: hic lasciuienteis fœminas, & supra modum libidini deditas esse affirmat. Viros autem uxore unica contentos esse. Prouinciam Macinum appellari, elephantis refertam, quorum decem millia rex ad bellum nutriat, ipse albo uehatur Elephanto: cui catena aurea gemmis distincta, colloq; circumdata, ad pedes usq; pendeat. Viros ac mulieres stilo ferreo uarijs coloribus figurisq; corpora pingere, idola omneis colere, surgentes è lecto ad orientem se solem uertere, iunctisq; manibus orare, in oratione trini dei opem petere. Serpentes assos in cibum pro delicijs habere, rubeasq; formicas pipere conditas, paruulis gammaris similes. Animal hoc in loco nasci suillo capite, bouis cauda, unico in fronte cornu, eoq; cubitali, colore, & magnitudine elephantis, quibus cum bellum continue gerit: id cornu ueneno medetur, atq; idcirco in honore est. Qua regio ad Cathaum uergit, boues albos nigrosq; gigni equina cauda, sed pilosiore ad pedes usque protensa: pilos caudæ subtilissimos, in modum plumæ uolatilis, magno in precio esse, quos equites in cacumine lancearum suspendentes egregiæ nobilitatis insigne ducunt. Hæc de Macino Nicolaus tradidit: quam prouinciam ad orientem uersam inter Indiæ montes, & Cathaium collocans, haud dubie regionem Sericam denotasse uidetur, quæ Scytharum gentibus & à septentrione, & ab occidente iungitur. Scythas autem orientales nostra ætas in Cathaio ponit, magno Cani subiectos: sic enim illi suum imperatorem appellant. Sed illud difficile est credere, quod de amne Dua commemorat, quem Gāge maiorem dixit, cui ueteres cuncta cedere flumina tradiderunt. Nec illud dignum fide, decem millia elephantum belli causa regem alere, nec notum esse aut fama clarum: sed longinquitas redargui non facile potest.

X. millia elephātū ad bella nutriūtur.

Boues equina cauda.

D

E

De Sacis populis quos & Nomadas appellant, Cap. XI.

POst Seras occidentem uersus Sacæ sunt, & Massagetæ, & Taburei, & Suebi, & ultimi ad septentrionem Alanorsi. Ptolemæus Massagetas duplices esse dixit, alteros Hyrcano mari uicinos, & Margianæ regioni, alteros inter Sacas posuit. Sacarum gentem ab occasu Comedo monte & amne Iaxarte conclusit: à septentrione Scythia, quæ intra Imaum est & Ascantici montis iugo, ab oriente Seris, ad austrum montibus indicis: Sacæ Nomades sunt, qui carentes urbibus nemora & speluncas habitant. Fama est Sacarum gentem usque in Hyrcaniam & Parthiam prædicari solitam, quamuis multa & deserta siccaq; regio interiacet. Parthos amore pacis tributa illis pependisse, id erat permittere, ut statis temporibus in agros excurrerent, & prædam agerent, cum præter conuenta facerent, bellum gerebatur, rursumq; pax fiebat: fuitq; Nomadum uita ita instituta, ut semper uicinos infestarent, rursusq; reconciliarentur. Sacæ multas inuasiones fecere, modo propinquas, modo longinquas: Bactrianam occuparunt, & optimam Armeniæ regionem, quæ postea Sacasina ab eis est appellata. Inuaserunt & Cappadocas, qui ad Euxinum uergentes Pontici nominantur. Sed cum ex spolijs festa celebrarent, Persarum imperatores eos funditus deleuere. Sunt qui tradant Cyrrum Persarum regem ducto aduersus eos exercitu prælio superatum, sed fugientem eo in loco castrametatum ubi impedimenta reliquerat, bonis omnibus & præsertim uino instructa, indeq; postquam exercitus paulum quieuerat, relictis uesperi tabernaculis progressum quantum sibi commodum uisum fuit, consedisse: Ingruenteis Sacas & castra uiris deserta, ac rebus uoluptuosis plena comperienteis, immodice se impleuisse: Cyrrum conuersum uinolentos, atque attonitos ad internecionem cecidisse, diemq; illum patriæ deæ consecrasse, Sacamq; nominasse: quæ cum celebrabantur positis die ac nocte bacchanalibus, uiri simul ac mulieres eo usque potabant, donec stupore comprehenderētur, tamq; simplex

Excursiones gētis Sacarū.

Sacæ uicti à Cyrro rege.

F

A plex purissimaq́ diuinitas fœdissimis hominum moribus oblectaretur, & Sacarũ Massagetarumq́ genteis Athasios et Corasmos esse putant, ad quos Spithamænes ex Bactrianis ac Sogdianis confugit, unus ex Persis, qui Alexandro resistere conati sunt. Citius ad insequendum Spithamænem ab Alexãdro missus, barbaros pugna superauit, illi per deserta tamdiu fugerunt, donec Alexandrum ipsum aduersus se uenire cognouerunt. Tunc autem placaturi hostem, Spithamæni caput amputauerunt, & Alexandro miserunt, nec amplius ab eo uexati sunt.

De Massagetis, ubi & de adolescente qui tempore Pij papæ Solem adorabat, Cap. XII.

POst Sacas ad septentrionem Massagetæ reperiuntur: & ipsi Nomades Scytharũq́ genus, qui uirtutem suam maxime in bello aduersus Cyrrum ostenderunt. Horum alij monteis habitant, alij campos, alij paludes, et quæ sunt in paludibus insulas. Margum amnem per hos labi dicunt, quem alij Araxen uocant, cumq́ plureis in parteis diuidunt: & uno tantum ostio Hyrcanum ingredi pelagus, reliquis in oceanum septentrionalem exonerari. Ptolemæus Margum fluuium duobus fontibus ex mõtibus Sariphijs descendere tradit, et per Massagetas, qui Margianis uicini sunt, ac Derbita in Oxum deferri amnem, qui iuxta Ribios Hyrcanum pelagus ingreditur. Massagetæ equum Soli mactant, eumq́ tantummodo deum putant, multos hic error antiquorum præcipitauit, inter quos fuit Dion Prusensis, Plinius Veronensis, Macrobius, & omnis ferme illa ætas, quæ à Vespasiano Cæsare usq; ad Traianum cucurrit, & Adrianum. Nuper quoq; in arce quæ sub ipsa Adriani mole magnificentissime structa est, Vrbinas quidam adolescens repertus est huius stultitiæ sequax, alioqui non ignarus: qui cum arcem prodere conaretur, essetq́ deprehensus, uotum Christo uouit ei se crediturum, relicturumq́ solis cultum, si libertatem, atq; impunitatem assequeretur. Sed raptus ad supplicium stultum se fuisse testatus est, qui ab eo salutem sperasset, qui seipsum saluare non potuisset, tanquam Christus Iesus & dominus noster crucem tulisset inuitus, qui pro nostra uita, sua sponte moriens, mortem occidit. Stultus adolescens sub nostro pontificatu sui sceleris pœnas dedit, laqueo suspensus, & in Tyberim proiectus. Massagetis mos fuit singulis, uxores singulas ducere, neque tamen alienis abstinebant, cum quibus suspensa è curru pharetra in propatulo coibant. Fœda gens & brutis simillima, apud quem genus mortis maxime optimum iudicabatur, ut senio confecti, in frustra cæderentur, & cum carnibus ouillis promiscue ederentur: eos qui morbo decederent, ut impios abijcientes: tanquam dignos, qui à feris deuorarentur. Equites ac pedites inter eos optimi fuere, arcu, gladio, thorace ac securi ænea utentes: aut eas zonas, aurea equorum frena ac pectoralia habentes. Ferri parum apud eos fuit, argento carebant, ære & auro abundabant, insularum cultores, herbarum radices edebant, & agrestes fructus, ex quibus pocula exprimebant. Vestis erat arborum cortex, qui paludes inhabitabant, piscibus uescebantur, phocarum coria è mari prodeuntium induebant. Montani pomis syluestribus alebantur, nõ ausi oues occidere, cum paucas haberent, eisq́ lactis & lanæ gratia parcerent. Campestres & si regionem late patentem occupabant, non tamen agros excolebant, sed ex ouibus piscibusq́ uiuebant. Bellicosi homines, quamuis simplices & in contractando minime uersuti.

Massagetæ Solem deum putant.

B

Vrbinus adolescens Solis cultor.

Massagetarũ obscœnꝰ mos

C

De Antropophagis, Essedonibus, Arimaspis, & id genus immanium hominum, Cap. XIII.

HIs ad Orientem ac Septentrionem Antropophagi sunt, quibus execrandi cibi humana uiscera esse creduntur, & circa hos tristissima solitudo, & mare quod Tabin uocant, & Essedones, qui ossa capitum suorum parentum auro cincta in poculorum tradere ministerium asserunt, & Scythotauri qui pro hostijs cædunt aduenas. Iulius Solinus in hac parte terras esse locupletes, sed inhabitabiles dicit. Nam cum auro & gemmis affluant, Gryphes tenere uniuersa testatur, alites ferocissimos & ultra omnem rabiem sæuientes, quorum immanitate obsistente, rarus pateat ad diuites uenas accessus. Discerpere enim homines, tanquam genitos ad plectendam auaritiæ temeritatem. Arimaspos cum his dimicare gentem monoculam, si credere par est, ut intercipiant

Gryphes auri custodes.

lapides. Smaragdis hic primam esse, quibus tertiam dederit Theophrastus dignitatem, quibusq; nihil uideant oculi iucundius. Christallum quoque optima hinc auferri, cuius frustum Liuia Augusti ad pondus centum & quinquaginta librarum inter Capitolina donaria dicauerit. Sub Massagetis, Tapirenis, & Alanorsis occidentem uersus, usque amnem Ras & Asiaticos Sarmatas, Ptolemæus quàm plurimas Scytharum genteis enumerat. Quibus ad meridiem Iaxartes fluuius & mare caspium occurrit, à septentrione terra incognita iacet. Iaxartem apud Sacas oriri arbitratur, & in septentrionem fluere: postea ad occidentem uerti inter Scythas & Sogdianos, demumq; ad meridiem inclinantem, Hyrcanum ingredi pelagus, multa & magna flumina una trahentem: quæ partim Sogdij, partim Noroxi, Aspisij & Tapuri montes effundunt. Ras uero amnem Hyperboreos emittere monteis existimat, qui modo in orientem, modo occidentem uersus, postremo ad meridiem tendens Hyrcanias auget aquas. Inter Iaxartem, et Ras duo ingentia ponit flumina, Rhimmum, qui & ex Rhimmicis oritur iugis, & Daixem Noroso monte cadentem. D

Qui populi inter Iaxartem fluuium & Hyrcanum mare incolunt, & de habitantibus sub polo Arctico, & Hyperboreis populis, Cap. XIIII.

INter hos monteis, et Iaxartem fluuium, Hyrcanumq; mare, Orgasos, Erimnos, Asiotas, Norosbes, Norossos, & Catagas, Scytharum populos collocat: transmonteis autem septentrionem uersus Galactophagos, Aspisios, Thabrenos, Samnitas, Pamardos, & alios quàmplures, & Albanos iuxta montes qui admodum septentrionales sunt, ab Australi parte Saxonibus locum præbet, ex quibus fortasse orti sunt qui Germaniam incolunt, quamuis suam originem ex Macedonibus repetant: à Boreali parte Nessæis & Subocis sedes dedit, qui non minus ad septentrionem uergunt quàm Thule. In cuius parallelo Scythas Alanos descripsit, & hyperboreos Sarmatas, quibus ad austrum monteis collocat Hyperboreos, & Asiaticos facit, quanquam pleriq; Europæos esse tradiderint, nonnulli hoc genus hominum ultra Aquilonem iacere putauerũt, gentemq; beatissimam esse, quàm alij mediam statuerunt inter utrumq; solem Antipodum occidentem, & nostrum renascentem, Iulius Solinus aspernari rationem dixit tam uasto mari duos orbeis interfluente & in Europa circunscripsit, apud quos mundi cardines essent, & extimi siderum ambitus nox, quæ una sex mensium, & una totidem dies, magnam his de cœlo clementiam concessam esse, auras spirare salubreis, nihil noxij flatus habere, domos esse nemora, uictum arbores ministrare, discordiam nescire, egritudine non inquietari, ad innocentiam omnibus æquale uotum esse, mortem accersire, & uoluntario interitu obeundi tarditatem castigare, consuesse olim primitias frugum per uirgines Apollini Delio missitare, quibus perfidia hospitum uiolatis, Pontificio intra fineis suos recepto, missionem neglexisse. Fabulosa hæc, nam quis credat, uirgines tam longo terrarum tractu, tantasq; montium fluminumq; ac marium difficultates singulis annis penetrare potuisse, aut gentem esse quæ trans aquilonem habitet nobis cognitam? Diodorus Hecatæo teste utens, oppositam Zeltis iuxta oceanum esse insulam dicit, haud multo Sicilia minorem pone arctos, habitariq; ab ijs qui Hyperborei appellantur, eo quod uento Boreæ sunt expositi, insulam ualde fertilem in qua fructus annui bis nascuntur. Latonam in ea natam fabulantur, & Apollinem ibi præ cæteris dijs coli, esseq; homines eius insulæ ueluti quosdam sacerdotes Apollinis, cuius laudes & hymnos quotidie in cantu celebrent. Lucum præterea ingentem, templumq; Apollinis, forma rotunda, multis donis atque ornamentis cumulatum. Vrbem ei sacram cuius incolæ maiori ex parte citharœdi existant, continueq; in templo sonant, & hymnos canant: habere hyperboreos propriam linguam, & Græcis, maxime Delijs atque Atheniensibus, societate ac beneuolentia iunctos à priscis temporibus cœpta. Græcos enim quosdam olim ad Hyperboreos transisse ferunt, & dona sumptuosa in templo apposuisse Græcis literis inscripta. Ex Hyperboreis uero Abarmi uenisse in Græciam, amicitiamq; cum Delijs antea contractam firmasse aiunt, & Lunam apud Hyperboreos uideri parum à terra distantem,

Origo Saxonum. E

Sacra Apollinis. F

A stantem, ac terrestres quosdam ueluti cumulos habentem in se manifestos, deumq; Apollinem, per annos undeuiginti adiri insulam, in quibus astrorum reuolutiones perficiantur: imperare ciuitati, temploq; præesse Boreadas. Borei progeniemq; per genus recipit principatum, quæ omnia tanquam fabulosa referens Diodorus uidetur contẽnere. *Prospect9 Lunæ apud Hyperboreos.*

De Arimphæis populis non absimilibus Hyperboreis, Cataio, & quæ de his locis enarrat Nicolaus Venetus, Cap. XV.

HYperboreis similes Arimphæos esse dicunt, Asiaticos Scythas, qui baccas edunt, comas uiri & fœminæ tondent, nullum lædunt, quietem amant, nec læduntur ab alijs, fugientes ad eos tuti sunt tanquam asylo tegantur, sacri omnes habentur. Sic forsitan olim fuit, nunc gentis huiusce nulla cognitio. Iaxartem fluuium nonnulli Tanaim esse crediderũt, qui Asiam ab Europa disterminat, inter quos fuisse Policletum Strabo commemorat, cuius errorem Alexandri comites secuti sunt, qui eum transmisso Tanai aduersus Europæos Scythas belligerasse tradiderũt. Sed Dimas dux Seleuci & Antiochi satis idoneus uero autor, hunc transuectus amnem, ac titulos omnium supergressus, alium esse quam Tanaim deprehendit, ob gloriam sui nominis altaria ibi Apollini Didymeo ædificauit, & hoc esse colliminium inter Scythas & Persas ostendit, nõ quod B Persia Scythas attingat, sed quod imperium Persarum per Bactrianos & Gordianos ad Iaxartem usque fluuium protendatur. Iaxartis nomen à Bactrianis inditum ferunt. Plinius à Scythis uocatum Scythim tradit: hic aræ conditæ feruntur ab Hercule ac Libero patre, Cyrro quoque & Semiramide, & postremo ab Alexandro: quas profectionis metas ad septentrionem ostenderunt, qui nostra ætate orbis situm figurant. Cathaium his in locis designant, quæ ultra Iaxartem commemorauimus, multasq; prouincias & multa regna circunscribunt, quibus unus præsit imperator, qui apud eos Can appellatur. Nicolaus Venetus apud eum se fuisse affirmat, & Vrbem inuenisse, quæ duo de triginta millibus passuum pateret in quadrum Gambaleschiam nomine, in cuius medio arx munitissima & ornatissima haberetur, in qua rex habitaret, & ex qua muri arcuati ad quatuor urbis angulos protenderentur, per quos accessus regi esset, si quid in urbe tumultus excitaretur, ad arces quæ ipsius in angulis eminent, quarum quælibet passuum quatuor millia in ambitu continet, & omnis generis arma tormentaq; bello apta concludi. Asserit insuper & alteram se urbem reperisse quindecim dierum itinere ab hac distantem, Neptai appellatam, nostro æuo aut paulo ante ab imperatoribus eius gentis conditam, cuius ambitus triginta millibus passuum contineatur, eamq; populosissimam esse omnium: In utraque ciuitate domus, palatia, templa, cæteraq; urbium ornamenta, Italicis similia esse affirmat: homines modestos atque urbanos, & multis diuitijs C affluenteis: quod si credimus magna profecto morum mutatio facta est, ab his quos antiqui prodiderunt, qui Scythas ferme omneis pastorales esse affirmauerunt, & propemodum intractabileis: nec horrida septentrionis ora eos admittit mores, quibus uel Græcia olim claruit, uel Italia nunc floret: aut certe Cathaium ipsum quod tantopere laudant, minus septentrionale est quàm pictura demonstrat. Nam quicquid ultra Iaxartem colitur: si Ptolemæo fides est, ultra septimum clima protenditur: & parallelum transcendit, qui per Borysthenem describitur: nisi respondeat aliquis magni Canis imperium, & ultra & citra Iaxartem extendi, ac Gordianos, Bactrianos, & alias genteis, usque ad Indiæ atque Ariæ monteis comprehendere: quod facile persuaderi potest his, qui Scytharũ res gestas aliquando legerunt: à quibus magnam Asiæ partem olim subactam fuisse, constat nec imperia suos tenent perpetuo limites, sed pro fortunæ uarietate nunc magna sunt, nunc parua. Strabo in hac parte Scythiæ, ad occidentem, quam Ptolemæus Ras fluuio terminauit, Hyrcani pelagi fauces collocauit: ab utraq; parte cultas: De quibus postea differemus.

Magnus Can imperator.

De Sogdianis & Bactrianis. *Cap. XVI.*

INter Iaxartem & Sariphos Paropamissosq; monteis Sogdiane & Bactriani iacent, Oxo discreti fluuio: Sogdiani ad Iaxartem magis accedunt: Bactriani ad Paropamissi iuga, per quos fluuius Ochus dilapsus, in Oxum fertur. Bactrianis ad occidentem Margiani sunt, Sogdianis montes Oxij, quos interrumpit Oxus, per Ribios & Derbitas, in Hyrcanum cadens pelagus. Margianis ad occidentem Hyrcania occurrit, quæ nomen pelago dedit olim, sicut Strabo asserit. Sogdiani & Bactriani, nec uita multum, nec moribus à Nomadibus differebant: quamuis Bactriani mitiores essent. Nec uera locutus Onesecritus existimatur, qui Bactrianos senio, aut morbo confectos, apponi canibus uiuos scripsit: ad hoc ipsum de industria enutritis, quos patria lingua sepulchraleis uocabant: quam legem sustulerit Alexander, quem ferunt alij octo, alij duodecim urbes in Bactriana & Sogdiana condidisse, nonnullis euersis: quarum Cariata fuit in Bactriana, ubi Callisthenes comprehensus est, et in uincula coniectus, qui diuinos honores Alexandro negauit exhibendos esse. In Sogdiana, Paracanda: & Cyra, ultimum Cyrri opus ad Iaxartem flumen conditum, quod Persici imperij confinium erat: nec pepercit Alexander memoriæ Cyrri, quamuis illum coleret, propter continuas oppidanorum rebelliones. In Bactriana Petram Sisimetræ altitudinis stadiorum quindecim cœpit, cuius ambitus octuaginta continebatur: in superiore parte planam ac feracem, ut uiros quingentos alere posset. In ea Alexander & hospitio sumptuose acceptus est, & Rosanam Oxiartis filiam duxit uxorem. In Sogdiana secus Oxum Aria mare petram occupauit, quæ duplo altior fuit Sisimetra. Xerxes in his locis urbem condiderat, & Branchidas in ea collocauerat: propterea quod dei pecunias ac thesauros qui apud Didyma erant, sibi tradidissent: & secum è patria sponte migrassent. Alexander eos sustulit, proditionem sacrilegium exosus, quæ scelera nulla non ætas improbauit. Per Sogdianam amnis labitur: qui postquam multam regionem irrigauit, in desertam arenosam terram euadit, atq; ibi absorbetur: quemadmodum in Ariana fluuius Arius, qui regioni nomen dedit. Macedones propter Alexandri gloriam hunc amnem nobilitarunt: qui apud Ochum flumen olei fontem inuenientes, multi fabulati sunt: tanquam miraculum fuerit, nitrosam & aluminosam terram, sulphure ac bitumine intermistam, id liquoris fundere: hunc fluuium alij per Bactrianam labi dicunt (quos Ptolemæus secutus est) alij secus eam: Alij ab Oxo diuersum usque ad ostia, atque australiorem: & ambos in Hyrcanum mare decurrere. Alij ab initio diuersum, & deinde in unum coire. Oxus, sicut Ptolemæo uidetur, in Caucaso Indiæ intrare, prope Paropamissades fontem habet: & in septentrionem longo flexu directus, maiori demum in occasum uergit, multa & magna flumina in mare Caspium secum ferens, inter quæ Ochus est, per quem nauigasse Pompeium crediderim, sicut ante diximus, cum descendit in Oxum: nam & Ochi fontes in Paropamisso monte reperiuntur. Oxi alueum multis in locis, sex septem ue stadiorum latitudinem habere tradiderunt. Alexander Bessum insequens, hunc amnem ponte ex utribus facto traiecit, misitq; Ptolemæum Lagi, cum parte exercitus, qui Bessum à Barbaris derelictum in uilla quadam intercepit, & nudum ac catena ligatum adduxit. Quem cum Alexander uidisset: interrogauit cur regem suum simul & propinquum & benefactorem Darium interfecisset: ad quem Bessus non solum sibi soli id agere uisum fuisse respondit, sed omnibus qui circa Darium erant, ut inuenirent sibi salutem ab Alexandro: quibus dictis publice fustigatus est, & in Bactra remissus, ut ibi moreretur. Sogdianam à septentrionali parte Iaxartes claudit amnis: inter quem & Oxum duos fluuios decurrere. Ptolemæus scribit, Poleti metum & Iaxartem: qui ex montibus Oxijs in Hyrcanum mare descendunt: Inter Oxij & Iaxartis ostia nonnulli octuaginta parasangas esse esse dixerunt, Persicum autem parasangam: alij sexaginta stadiorum fecere. alij ter centorum quadraginta: qualem amplitudinem uix omnem Scythiam crediderim continere. Eratostenes his aduersus est, qui (ut ait Strabo) ab Oxij fluminis ostio, apud Hyrcanos sito, usq; ad Iaxartem fluuium, duo milla & quadringenta stadia intercurrere affirmat. Alexander de suo nomine ultra Oxum amnem duas urbes condidit: alteram uersus

Fons olei.

Pons ex utribus factus.

A sus septentrionem, alteram uersus orientem, in Vandabanda regione, ab Hyrcania usque in Sogdianam ad orientem eunti solem, intra Taurum & Iaxartem fluuium, quæcunque gentes occurrunt: primo Persis, deinde Macedonibus, postremo Parthis subiectæ fuerunt. Romanorum signa raro apud eas uisa sunt, quamuis magis nauigationem per Oxum & Hyrcanum pelagus Varro commemoret: quæ ultra Iaxartem ad septentrionem recedunt intactæ remansisse uidentur: In quas Alexander expeditionem aggressus, propter Bessum & Spittamænem, qui ad eos confugerant, Besso captiuo ad eum deducto, & Spittamæne à Barbaris interempto, destitit ab incœptis: cuius in Bactrianam reuersi horrendum scelus commemoratur, occisi inter bibendum Cliti amici ueteris & collactanei fratris, non aliam ob causam, nisi quia Philippi laudes pertinacius tueretur: sed uini magis quàm hominis fuisse crimen pœnitentia docuit, mox secuta, quando ægre retentus est, ne se occideret, occisor amici: Bactria sub imperio Macedonum, qui Persas deleuere, usque ad secundum Seleucum Antiochi nepotem retenta est. Tunc uero Theodotus præfecturæ titulum mutauit in regnum & se regem uocauit, reliquitque successorem sui nominis, qui cum Arsace Parthorum rege contra Seleucum se coniunxit, regnumque tutatus est, quod sub Eucratide ad magnam gloriam peruenit. Is enim cum obsidionem Demetrij regis Indorum pateretur, audacia inaudita cum tre-
B centis militibus sexaginta hostium millia assiduis eruptionibus uicit, & quinto mense liberatus, magnam Indiæ partem in potestatem suam redegit. Vnde cum se reciperet, à filio, quem regni socium fecerat, in itinere interfectus est: qui uelut hostem non patrem interfecisset, per sanguinem eius currum egit: & corpus abigi insepultum iussit: & in Bactriam Sogdianorum Indorum & aliorum bellis fatigati, tandem uelut exangues oppressi sunt.

De Aria & Hyrcania, & mirifica harum regionum uite, Cap. XVII.

ARia Bactrianæ contermina est ad meridiem, & monti subiecta, qui Bactrianam habet, & Hyrcania sex millibus fere stadiorum abest: ipsi autem Arianæ ad Austrum Arachosia subiacet, usque ad Indum flumen: de quibus alio loco dicetur. Margiana Bactrianis ad occidentem adiacet, & campis desertis ambitur: fama est Antiochum, cui Sother cognomentum fuit, loci naturam admiratum, magnam terræ partem muro circunclusisse: cuius ambitus mille & quingentorum fuerit stadiorum, & urbem Antiochiam condidisse. Vites hic optimas inueniri, quarum truncum uix duo uiri complecti queant, racemumque duorum ferè cubitorum. Ptolemæus Tapyros ultra Margianos ad orientem posuit: Strabo inter Derbitas & Hyrcanos habitare putauit: quibus mos fuerit, proprias uxores alijs uiris nuptui concedere, cum duos tres ue
C filios ex eis suscepissent, quemadmodum apud Romanos Cato indigenti Hortensio Martiam concessit. Hyrcaniam ualde opulentam esse dicunt & magna ex parte planam, præclarissimis urbibus adornatam, quarum Talabrotam, & Samariam, & Chartam, & Tapen, paulo supra mare sitam extollunt. Opulentiæ signum adducunt, quòd uitis uini metretam afferat: ficus, sexaginta modios: frumentum ex semine nascatur, quod cadit ex culmo, in arboribus mellificetur, perfluatque semel ex folijs, nec in his opus sit diligentia: illud admiratione dignum, quod ab Eudoxo, & ab alijs de Hyrcania scribitur, ripas quasdam cauernosas stare ante mare humili interiacente littore, & superioribus rupibus flumina decurrere, tanta ui delata, ut cum ad ripam peruenerint, aquam in mare iaculentur, subiectum littus aspergine intactum relinquentia, ut etiam exercitui unda tecto peruium sit: indigenas in eum locum epulandi & sacrificandi gratia sæpe descendere, & interdum in antris discumbentes, interdum sub ipso fluctu apricantes, alio atque alio modo oblectari, cum simul hinc mare pateat, hinc littus propter humorem herbidum floridumque conspiciatur: Nobilitatem huius gentis hinc licet intelligere, quod uicino mari ab ea nomen est inditum. In Hyrcania res gerenti Alexandro, Thalestris regina Amazonum, quam alij Minitheam uocant, cum trecentis

Vites miræ magnitudinis

Mos in pmutãdis uxoribus.

Attende Hyrcaniæ feracitatem.

Congressus Thalestris cũ Alexãdro magno.

mulieribus occurrit, trigintaquinque dierum inter confertißimas gentes itinere facto, D liberos ex rege quæsitura, cuius conspectus, aduentusq; omnibus admirationi fuit, propter insolitum fœminis habitum, ob hoc tredecim diebus prolis gratia cum rege datis, ut est uisa uterum implesse, discessit. Hoc mare quod Hyrcaniam abluit, Ptolemæus (ut ante diximus) lacum esse affirmat, undique terra conclusum: cuius septentrionalia Scythæ occupant, Australia Medi atque Hyrcani, qui & orientis partem attingunt, cum Margianis, Derbitis, ac Rhibijs: occidentalia Armenij, Albaniq; ambiunt, quorum pars septentrionem attingit. Polycletus quoque ut affirmat Strabo lacum esse, & dulces aquas habere, & serpentes nutrire, hoc pelagus asseruit: in eo uero maxime errauit, quod unum esse cum Mæotica palude existimauit: inde coniecturam faciens, quia Tanais in ipsum emittit, non animaduertens duos inueniri huius nominis amnes, ut ante diximus. Quod si Mæotidi iungeretur Hyrcanus sinus, nequaquam lacus esset, cum Mæotis ab Euxino ponte marinas aquas accipiat: Pontus uero per Hellespontum, & mare nostrum ab Herculeo freto salsis impleatur undis. Plinius Veronensis, Iulius Solinus, Strabo Capadocus, Priscianus Cæsariensis, & alij complures, Hyrcanum pelagus oceani Borealis sinum esse tradiderunt, ex quo liceat usque in orientem & mare Indicum nauigare: ai ntq; ab oceano meridiem uersus recedere, ab initio arctum, in progressu dilatatum: & præsertim in ultimo recessu, ubi à quinque millia ferme stadiorum E latitudine patet: & ostij utramque ripam tenere Scythas, reliqua littora aut Scythas, aut similes Scythis: quales Hyrcani sunt, Albani, Clusi, Narisci, ac Mardi. Magnitudinem huius maris Patrocles Pontico similem existimauit. Plinius autore Claudio, refert id terræ spatium quod inter Mæotim & Hyrcanum iacet pelagus centum quinquaginta millia passuum continere: idq'ue persodere excogitasse Nicanorem Seleucum, quo in tempore à Ptolemæo Ceraunio sit interfectus. Verum alij trecenta septuagintaquinque millia passuum id esse existimant. Cornelius Nepos ducenta quinquaginta millia: quod alij centum & quinquaginta millibus passuum, alij paulo amplius contineri dixerint, magno errore: neque enim retro Mæotim ad Boream Hyrcanus offertur sinus, ut illis uisum est: sed Pontico mari ad orientem occurrit, Histinumq; Colchi, Iberi, & Albani inter duo maria obsident. Nec longum iter ab Euxino Ponto per hunc Histinum & Hyrcanum pelagus, ad Indiam transeunti peragendum, Plinius existimauit: quem secutus Solinus Pompeium magnum octo diebus ex India ad Bactros usque Alterum flumen peruenisse affirmat: quo influit Oxum, per quem mare Caspium ingressus ad Cyri amnis ostia penetrauit: qui Armeniæ & Iberiæ fines interluit: à Cyro uero diebus non amplius quinque, terreno itinere, subuectis nauibus ad alueum Phasidis pertendisse: atque inde in Pontum Sororia, Strabo dicit, qui multas Indiæ merces F teste Aristobolo in Hyrcanum mare per Ochum amnem deuehi tradidit: deinde in Albaniam, atque per Cyrum & sequentia loca in Euxinum & Ochum in Oxum putat exonerari: quæ duo flumina Hyrcaniam irrigare censet: & Niscam partem esse Hyrcaniæ, per quam Ochus decurrit: quem Aristobolus nauigabilem esse retulit, & omnium fluminum maximum quæ ipse in Asia uiderit, præter indica. Sed hoc iter multo breuius eo est: quod per Aegyptum & Arabiam multasq; alias gentes ducit in Indiam: neutrum tamen hodie nostratibus est apertum: qui terræ formam nostra tempestate figurant, Ptolemæo consentiunt, & lacus speciem Hyrcano concedunt. Solinus Xenophontem Lapsacenum autorem facit, à littore Scytharum, & quo sinus irrumpit Hyrcanus Abaltiam insulam triduo nauigari: cuius magnitudo immensa, & penè similis continenti existat: nec longe Oenas separari, quas qui habitent, uiuant ouis auium marinarum, & auenis uulgo nascentibus, propter quas & alias constitutas quarum indigent humana usque ad uestigium forma in equinos desinant pedes. Feruntur et alia pleraq; tãquam fabulosa relinquimus, apud Hyrcanum pelagus, desinit Asiæ prima pars.

Polycleti error.

Oenæ incolæ ouis uictitant.

De secun-


Dewina prouincia
Permia prouicia
Cingulo terræ
Mologa
Rostow
Vglitz
Kastroma
Czeremissa
Otwer
Permia
Volga fl.
Moscouia
Mostha fl.
Orlow
Nouogardia
Occa fl.
REZAN
Rezitza fl.
Tula fl.
Tanais fl.
Don fl.
Sem fl.
Asow
Tartaria
olim Scythia
Minor Tanais
Meotis
palus
Tocari
Volga fl.
Circassi populi
Caucasus mons
Trapana
Bosphorus
Taurica
Iberia
Colchis
Phasis
Aragus fl.
Albania
Cyrus fl.
Pontus Euxin.
Moschici môtes
Mare Caspium
Araxes fl.
Capadocia
Eufrates fl.
Armenia
maior
Gordei môtes
MEDIA
Caspius mons
Tigris
Armenia minor
Asyria

SEcunda incipit in occidentali littore, quæ usque ad paludem Mæotidem & amnem Tanaim extenditur, inter mare Ponticũ iacens & oceanum septentrionalem. Ptolemæus hanc partem ab orienti Ras flumine clausit & Hyrcano mari, cui negauit in oceanum patere exitum, & omnes Sarmatas Asianos appellauit, qui hanc terram incolerent, præter Colchicos, Iberos, & Albanos, atque alios qui circa Caucasum Coraxemq; montem ad meridiem siti sunt. Sarmatas autem in plurimas gentes, & multa nomina diuisit. Vltimos ad septentrionem Hyperboreos posuit, & sub eis Basilicos, deinde Zachatas, Suardenos, Chenides & magis ad meridiem per Hierbidorum numerosum genus, quorum sedes illic esse ostendit, ubi Ras fluuius ad occidentem Solem, & Tanais ad orientem maxime uergunt, sibiq; inuicem propinquiores existunt. Sub his uersus meridiem & ultra Hippicos montes, Syracenos collocauit, Iaxamatas, Persesios, & Melandanos, apud quos Mithridatis regionem fuisse arbitratur. Rursus ad orientem Ras flumini proximos, & ultra Ceraunios montes Sapothremos posuit, & sub illis paululum australiores Scymmitas & Amazones de quibus postea dicemus, quando imperium fama est eas quàm maximum obtinuisse: Ceraunios mõtes partem esse Caucasi, uersus Septentrionem uergentem: quibus proximi sint ad orientalem plagam Vali, Serbi, Diduri, & Vdæ ad occidentalem Sacani & Tusci prope Sarmaticas pilas, ubi à Caucasijs iugis Ceraunia uidentur obrupta. Forsitan & hinc Tuscorum genus ortum, qui Hetruscos ex Italia pepulerunt. Tria flumina in Hyrcanum pelagus ex Caucasio monte cadere Ptolemæus ostendit: Hudonem qui septentrionalior est, Alontem & Saonam, & inter ea Olondas & Isondas collocat, & citra Saonam Gerros. Intra Caucasium montem, & Vardanum amnem, Sananeis & Agoritis sedes dedit. Vltra Vardanum uersus Psatim fluuium & Boream, Conapsenos, Arinchios, Metibus, Zinchos, & Asturicanos memorat. Vlterius Tirambas & Marubio flumini proximos Themeotas, fluuios ex Asia in Mæotim magnos decurrere, præter Tanaim octo dinumerat, Inter quos Vardanus australior est, Marubius septentrionalior, cui proximus est Rhombites maior, deinde Theofanus, postea Rhombites minor, de hinc Acticies & Vardano propinquior Psatis. Multa est inter ueteres discordia, quam inde nasci arbitramur, quia nec montium, nec fluminum, nec gentium nomina perseuerant: & prouinciarum regnorumq; termini multam uarietatem accipiunt à Strabone, qui sub Tyberio Cæsare uixit usque ad Ptolemæum Alexandrinum, qui per tempora Antonini Pij situm orbis descripsit. Haud equidem magnum tempus est, & tamen tanta nominum uariatio intercessit, ut paucissimos Scytharum populos ex his nominari uideamus apud unũ, quos nominauerit alter. Sed ad rem redeamus. Strabo Cyrum amnem, & Araxem, & Hyrcanum pelagus ab occidentali plaga immittere arbitratur, & Araxem per Armeniam, Cyprum per Iberiam & Albaniam decurrere, & ab ostio Cyri per Albanos, Iberas, & Colchos, à mari in mare tria fere stadiorum millia esse, & Histini rationem obtinere huius partis quam describimus. *Posidonius notatur.* Posidonius hanc Histinum mille & quingenta stadia continere putauit, quantum inter Pelusium est & mare rubrum, tantundemq; spacij à Mæotide in oceanum esse censuit, indignus fide quamuis Pompeio familiaris fuerit, & res eius scripserit.

De Albanis, & de bonitate soli sui, & simplicitate gentis, & prisca eorum superstitione, Cap. XIX.

ALbani in hac descriptione primi occurrunt, quos pastorales fuisse constat, & Nomadico generi proximos, nõ tamen uagos atque iccirco minus bellicosos. Inter Iberas & mare Caspium habitant, ab ortu solis mari coniuncti, ab occasu Iberiæ finitimi, & reliquis lateribus. Boreale Caucasis montibus munitur, qui campis imminentes, & mari plurimum coniuncti Ceraunia uocantur, ut Strabo putauit, & complures alij quamuis Ptolemæus (ut ante diximus) aliter sentiat, australe latus Armeniam contingit, quæ partim campestris est, partim montana, sicut & Cambisen, ad quam Armeni simul & Iberi & Albani coniunguntur. Cyrus per Albaniã fluit, & alia flumina quæ

quamuis

A quamuis eum augent fœcundioremq; terram exhibent, mare tamen confundunt propter limum quem afferunt. Raxes prope emittit, asper ex Armenia cadens, sed quem limum propellit alueum peruium faciens, eum Cyrus repellit: Homines in Albania inertes fuisse feruntur, nam qui ibi militarunt, Cyclopicam eos degere uitam dixerunt, & terram omnis generis fructum etiam domesticũ afferre, & stirpes omnes, & ea quæ semper uirent, & quamuis ne minimã quidem cultam habeat, bona tamen omnia sine satione & inaratam gignere, multisq; in locis semel satam, bis terq; fructum reddere ac primo quod modios quinquagenos, idq; minime renouatam, aut ferro proscissam, uineas ineffossas manere, quinq; annis putari, in bimatu nouellas fructum ferre, adultas tantũ reddere, ut pars maxima in palmitibus relinquatur, mira res, cum Ptolemæus in Albaniam in sexto climate ponat. Pecora cum mitia, tum agrestia, pulcherrimos edere fœtus aiunt, staturam hominum pulchram & magnam esse. Simplex mortalium genus, minimeq; cauponarium, nummi usum magna ex parte ignorauerunt, neq; numerum ultra centenarium nouere. Commercia inter se mercibus facere, in cæteris quæ ad uitam pertinent inertes, exquisitorum ponderum ac mensurarum totiusq; ciuilitatis & agriculturæ prorsus ignari, si quando ad bella prodiderunt expediti & armati, ut Armenij fuere. Exercitum maiorem emittere consueuerunt quam Iberes: nam peditum ad

Albani inertes.

A tende huius ce terræ feracitatem.

B sexaginta millia, equitum ad uiginti duo millia contra Pompeium magno suo damno armauerunt. Iaculatores sunt & sagittarij clypeos & thoracas habentes, & quemadmodum Iberi firmas galeas, hos Nomades ab exteris defenderunt, sicut Iberas & ijsdem de causis. Aliter uero sæpe eos adoriebantur: nec sinebant agriculturam exercere. Deos Albani Solem & Lunã gentili dementia coluere. Lunæ templum Iberiæ proximum summa religione colebant, cuius sacerdos honore post regem secundus habebatur, & & sacris seruis, & sacræ regione præerat, quæ multa fuit & hominibus plena. Seruorum quidam afflati numine uidebantur, & quoddammodo diuinare: qui plurimum numine correptus fuit, diu per syluas solus errauit: exin sacerdos comprehensum sacra catena deuinxit, ac per annũ sumptuose aluit, postea ad sacrificium deæ cum alijs hostijs mactandum produxit, tumq; negocij quidam gnarus sacram hastam tenuere, qua mos fuit hominem mactari, ex multitudine procedens illam in conserui afflati perlatus adegit, & cadente seruo quædam diuinationis signa captauere, atq; in cõmune prætulere, corporeq; in locum quendam delato, omnes super illud transiere, sic enim stulta natio & à dæmonibus possessa, expiari, si quid peccati fuerat, arbitrabatur. Senectus honore præcipuo apud Albanos fuit, non parentum modo, sed etiam reliquorum, cum mortuis pecunias defodiebant, nec aliam defunctorum curam gerebant. Strabo sex & uiginti linguas Albanorum fuisse tradit, & totidem aliquando reges, postea ad unius imperi-

Serui numine afflati diuinabant.

Senectus in honore.

C um cuncta redijsse, terram serpentia quædam lætifera gignere, & scorpios, & araneas, quarum quædam ridendo mori cogunt, quædam flendo desiderio suorum, quemadmodum de Tarantulis in Calabria rumor est. Et Caspianam & Albanos pertinere aiunt, eiusdem nominis cum gente Caspia, quæ postea obscurior facta est, & mare Caspium attingit. Ingressus ex Iberia in Albaniam per Cambisenam patuit, regionem asperam & siccam, quamuis flumine Alazanio pars eius irrigetur: Albani & eorum canes excelientes uenatores fuere, studio magis quàm arte, originem eorum ex Iasone ductam existimant, qui cum Armenio Thessalo in Colchos nauigauit, & usque ad mare Caspium, per Iberiam & Albaniam processit, & Armeniæ ac Iberiæ multum peragrauit, sicut Iasonia, & alia compluria monumenta testantur, Trogus Pompeius Albanorum originem Italicam dicit, afferens Albanos Herculem ex Italia ab Albano monte, cum Gerione extincto, armenta eius per Italiam duceret, secutos fuisse, originis Italicæ memores, exercitum Cnei Pompeij bello Mithridatico fratres salutauisse. Albania sub imperio Persarum fuit, postea Macedonum, deinde Romanorum: sed Traianus imperator his regem dedit, nunc non satis certum est cui pareant, quamuis sub regno Magni Canis degere credantur, ab his Albani orti sunt: quorum pars hodie in Peloponnesso, pars in Macedonia sedet, iuxta Pyrrachium,

Aranearũ mira natura.

Albani unde orti.

quorum

quorum dux est Georgius Scanderbei, qui multa per nostrā ætatem aduersus Turcas pro Christi nomine prælia gessit, magnanimus & inuictus copiarum ductor, in Gothorum exercitu fuere, cum illi Græcorum imperium afflixerunt: deinde longæ militiæ affecti tedio, in Adriatico littore consederunt. D

De Amazonibus & Gargarensibus, & ex quibus prolem suscipiebant, Cap. XX.

THeophanes qui cum Pompeio militauit, & Albaniā procurauit, Inter Albanos & Alazonios habitare Gelas & Lelegas dicit, & inter hos & Amazonas, Mermandalim delabi fluuium: Metrodorus Scepsius & Ipsicrates locorum non ignari (ut Strabo refert) Amazonas septentrionem uersus Gargarensibus finitimas tradiderunt, sub radicibus montium Caucasiorum, qui Ceraunia uocantur, cum quibus & Ptolemæus sentit: qui eas (ut diximus) inter Ras fluuium & Ceraunia iuga collocauit, quamuis de Ceraunijs paululum discordare uideatur, de Amazonibus multi meminerūt, & apud Græcos, & apud Latinos, non Poëtæ solum, qui fabulosa tractant, uerumetiam historici, quos à uero recedere turpissimum est, Trogus Pōpeius, Iustino teste, duos regios iuuenes ex Scythia pulsos per factionē optimarum, iuuentutem ingentem usq; in Cappadociam & amnem Thermodoontem subiectosq; Themiscyræ campos, secum traxisse affirmat, ibiq; per multos annos finitimos spoliare assuetos, postremo conspiratione populorum trucidatos: Sed uxores cum uidissent exilio suo additam orbitatem, arma sumpsisse, finesq; suos summouentes primo, mox etiam inferentes bella, defendisse: nubendi quoque uicinis animum omisisse, seruitutem non matrimonium appellantes: & ne feliciores alijs aliæ uiderentur, uiros qui domi remanserunt interfecisse, ultionem cæsorum coniugum excidio finitimorum consecutas, deinde pace armis quæsita, ne genus interiret, cum circunstantibus populis concubitū iniuisse, si qui mares nascerentur interficientes, fœminas non ocio aut lanificio, sed armis & equis & uenationibus exercētes, inustis infantium dexterioribus mammis, ne sagittarum iactus impediretur, unde Amazones dictæ sunt. Duas quorum his reginas fuisse Marthesiam & Lampedonem, quæ uicibus bella gererent, et se Marte genitas prædicarēt: à quibus magna pars Europæ sub acta sit, & urbes cōdiderint. Sed cum partem exercitus domū dimisissent, reliquas quæ ad tuendum Asiæ imperium remanserant, concursu barbarorum cum regina Marthesia interfectas: In cuius locum filia eius Orithyia successerit, cui præter singularem belli scientiam, eximia in omne æuū uirginitatis admiratio fuerit. Herculē cui imperatum erat, ut arma reginæ Amazonū ad regem deferret tanquā impossibile id esset, eo profectum longis nouem nauibus, comitante principū Græciæ iuuētute, inopinātes aggressum, uoti compotem factum, duas tūc sorores regnum tenuisse Anthiopem & Orithyiam, quæ foris bellum gerebat, cum Hercules ad littus Amazonum applicuit: Quæ domi manserant repētino tumultu excitatas arma sumpsisse, sed facilem uictoriam hostibus dedisse, cæsas captasq; fuisse, & in his duas Anthiopæ sorores, Menalippem & Hippolytem: Theseum captiuam Hippolytem uxorem duxisse, ex qua genuit Hippolytum, qui nouercæ fraude perijt: Herculem Menalippem captiuam sorori reddidisse, & preciū arma reginæ accepisse, atq; ita functū imperio ad regem redijsse. Sed Orithyiam ubi comperit sorori bellum illatū, et raptorem fuisse Atheniensiū principem, hortatam in ultionem comites, auxilium à Sigilo Scytharum rege petijsse, ex cuius genere orta esset, ab illo filium Panaxagorum auxilio missum, sed ante prælium dissensione orta, ab auxilijs desertas, bello ab Atheniēsibus uictas fuisse: receptaculum tamen habuisse castra sociorum, quorū auxilio intactæ ab alijs gentibus, in regnum redierint. Post Orithyiam regno potitam fuisse Panthasileā, cuius Troiano bello magna uirtutis documēta extiterint, qua interfecta, & assumpto eius exercitu, paucas quæ domi remanserant ægre se aduersus finitimos defendisse, usque ad Alexandri Magni tempora, cum Thalestris (ut ante diximus) ad eum in Hyrcaniā uenit. Hæc Trogus de Amazonibus. Sed quid Diodorus de his scribat non incongrue referendum est. Sic enim duorum autorum, qui magni habentur, quāta sit uel cōcordia uel discordia, cognoscemus: Diodorus penes Thermodoontem

De Amazonibus ex Trogo

Nubere seruire appellant.

Hercules in Amazonas.

Item de eisdē Amazonibus ex Diodoro.

E

F

A doontem fluuium primo gentem Amazonum fuisse ostendit, quæ uiris similes corporis uiribus, & bellicis artibus præstarent. Earum reginam, exercitu mulierum coacto, nõ nullas uicinas gentes expugnasse, filiamq; genuisse, quam Martis filiam appellauerit: uiros ad texturam, & muliebria exercitia deputasse, lege edita, ut solæ fœminæ in re militari erudirentur, uiris interdicta essent arma, maribus qui ex eis nascerentur, quo bello inutiles fierent, crura & brachia debilitasse: fœminis dextram inussisse mammam, à regina urbem præclaram in ostio Thermodoontis fuisse conditam, & Themiscyram appellatam: atq; in ea insignem regiam magno splendore erectã, ab hac propinquas gentes usque ad Tanaim fluuium domitas fuisse, cui in pugna cadenti filia successerit matre præstantior, quæ ultra Tanaim exercitu traducto, omnes eius ore gentes ad Thraciam usque deuicerit, domumq; reuersa magnifica deis templa cõstruxerit, & ad alteram fluminis partem uersis armis, Asiamq; usque Assyriam bello subegerit. Multis post seculis, uulgata Amazonum per omnem orbem uirtute, Herculi Semeles ac Iouis filio, ab Euristeo mandatum fuisse, ut Hippolytæ Amazonis balteum ad se deferret: Herculem illato bello, acieq; profligatis Amazonib9, uicta Hippolytam cum balteo cepisse, quo prælio Amazonum regnum ceciderit. Siquidem barbaræ gentes contempto earum nomine, & iniuriarum memores, adeo Amazones continuis bellis contriuerunt, B ut ipsarum nomen & genus extingueretur, quamuis paulò post Herculis expeditionem, Panthasilea Troiano bello ab Achille interfecta fuerit, quibus in rebus quantum à Trogo differat Diodorus diligens lector facile metietur. Ephorus Amazones inter Mysiam Cariam ac Lydiam prope Cumam patriam suam, habuisse sedes arbitratur: forsitan aliquando ibi habitauerunt, ubi Ephesum, Smyrnã, Cumam & Magnesiã condidere, Sed Aeolibus & Ionibus postea cessere, cum quibus ante Troianum bellum Priamus in societate Ionum belligerauit, ut Homerus affirmat. Sunt qui Gargarenses cum Amazonibus è Themiscyra in ulteriorem Scythiam migrasse ferunt, postea ab illis discissos, cum Thracibus & Euboibus quibusdam errabundis aduersus eas bellum gessisse. Quo composito his inter se conditionibus conuenisse, ut in filiorum prole communicarent, uiuerent autem utrique separatim. Amazonum autem alias his intentas fuisse, quæ ad arationem insitionemq; pertinebant, alias equorum uenationem, ac bellorum curam gessisse, arcu, securi, & pelta utentes, galeas & subligacula & alia operimẽta è ferarum pellibus confecisse, duos his anni menses fuisse sacros, quibus montẽ proximum conscendebant, qui eas à Gargarensibus, distingit, quo & illi more peruetusto conuenientes sacrificabant, & prolis gratia cum mulieribus coibant, idq; obscure & inter tenebras in quascunque inciderent. Quæ si fœminã peperissent, apud se retinebãt, si mares Gargarensibus tollendos reddebant. Vnde propter ignorantiã, ualde se inuicem C diligebant, cum quælibet affinem sibi quamlibet existimaret. Strabo de Amazonibus non satis certam sententiam fert, & quod Thalestris regina, prolis gratia, cum Alexandro in Hyrcania permista fuerit, incertum dicit: & rerum scriptores inter se discordare, nec fide dignũ esse Clitarcum, qui Thalestrã scribit à Caspijs portis & Thermodoonte profectã, ad Alexandrum uenisse, cũ Caspiæ portæ supra sex millia stadiorum distent à Thermodoonte, nec uerisimile censet, uel exercitum, uel ciuitatem, uel gentem unquam ex solis mulieribus constitisse, quæ sua custodierint, & aliena inuaserint. Vicinisq; subactis, usque in Ioniam processerint, & exercitum trans Pontum in Anticam miserint, quod perinde sit, ac si quis dicat uiros tunc mulieres fuisse, & mulieres uiros, suo autem tempore paucos fuisse, qui traderent, ubi Amazones essent, & id quidem sine demonstratione. Nobis non impossibile uidetur, quod prisci scriptores de Amazonibus tradiderũt, qui & in Bohemia tenuisse fœminas principatum legimus, & in Hũgaria Marina uiriliter imperasse, quæ nõ reginã, sed regẽ se appellauit. In regno Neapolitano duas Ioãnas rerũ potitas scimus, quarum altera nostra ætate, altera paulò ante, res magnas gessit. Sed puella Frãciæ, de qua suo loco dicemus, nõ parũ dubietatis affert, cuius ductu sæpe Anglorũ copiæ nostro æuo, ꝓfligatæ fuerũt, sub Claudio imperatore secũdo, q de Gothis magnificẽtissime triũphauit, decẽ mulieres ante currũ ductæ fuerũt, quæ in bello

Ephorus de Amazonib.

Strabo de Amazonib. non satis rectè sentit.

Vbi fœminæ principatum olim habuerint.

X. mulieres cum habitu uirili in bello captæ.

bello captæ uirilem habitum gestabant, & Amazonum genus esse putabantur: nunc de his nulla cognitio apud nos est, nec affirmare tam uetusta, neq; negare, audemus: nec miramur antiquissimarum rerum scriptores inter se discordare, quando nec nouissima uno modo referuntur. Ex his quæ prisci scribunt, illud constare uidetur, Amazonas primo Themiscyram, & subiectos Thermodoonti campos, & imminētes montes incoluisse, postea inde pulsas in Scythiam migrauisse, unde illarum erat origo, atq; id asserere Trogus uidetur, qui Albanis uicinas Amazones dicit, & Thalestrim reginam inde ad Alexandrū uenisse putat in Hyrcaniā. Mermedonas amnis, ut Straboni uidetur, è montibus descendens, per Amazonum regionem, & Syracenam, & loca intermedia, quæ deserta sunt, in Mæotim emittit: quod multū est Ptolemæo aduersum, qui aquas per Amazonum agros fluētes in Ras fluuiū, & Hyrcanū pelagus decurrere quodāmodo indicare uidetur, nisi montes aliqui ex Amazonibus in occidentem inclinent. Ex quibus Mermedonas ortus, lōgissimo cursu Mæotim perquirat: nonnulli, qui nostro tempore orbem figurauerunt, Amazones insulam habitasse designant, quā fluuius efficit, quem Edil appellant: hunc esse Ras arbitramur, cuius supra meminimus. D

De Iberia, Iberis, uictu, uestitu, & repub. eorum, & quomodo, quoue tempore Christi fidem susceperunt, quodq; Georgiani nunc appellentur, Cap. XXI.

Iberia post Albanos ad occidentem occurrit, cui ad Septentrionem Nomades adstāt, & Caucasij montis accolæ: ad meridiem Armenia est, ad occidentem Colchis. Tota regio Caucasijs montibus circundatur: nam cubiti quidam fertiles ad meridiē procurrunt, qui uniuersam Iberiam comprehendentes, sese ad Armeniam & Colchidem coniungunt: planitiem in medio relinquentes fluminibus irriguam, præsertim Cyro, qui ortum ex Armenia trahens planitiem ipsam ingreditur, & Aragum amnem à Caucaso defluentem, atque alias aquas in se recipiens, per angustam fluminis regionem euadit in Albaniam, inter quam & Armeniam, multus in latus per uberes campos compluribus fluminibus auctus, è quibus Alazonius & alia tria nauigabilia sunt, in mare Caspium erumpit. Quatuor aditus in Iberiam ducunt admodum difficiles, ex Colchide per medios Sarapanos itur, & angustias montis, per quas Phasis excurrit, centum ac uiginti pōtibus transmeandus: hic amnis propter flexiones asper ac uiolentus, ex Iberia in Colchidem fertur, conualliū torrētibus multo imbri adauctis, & propter imminētes montes arctus, quā plurimis impletur fontibus. In campos aūt delatus, alia & alia in se recipit flumina, è quibus est Glaucus & Hippus, quibus auctus ac nauigabilis factus, exijt in pontū, secus eū urbs iacuit eiusdem nominis, & lacus nō procul, aditus igitur ex Colchide in Iberiā huiusmodi est, petris, munitionibus, fluminib. & cōuallibus clausus: nec minus difficilis ex Nomadibus patet, septentrionem uersus, trium dierum itinere, deinde angusta regio, circa flumē Aragū, dierū quatuor, cuius uiæ finē murus inexpugnabilis munit. Ex Albania primo aggressus est per petram excisam, dehinc per stagnum quod amnis efficit, cadens ex Caucaso: Ex Armenia per angustias itur, quæ secus Cyrum sunt, atque Aragum, qui priusquàm inuicem concurrant, duas urbes natura munitas ambierunt: quæ saxis impositæ sedecim inter se stadijs aberant, propter Cyrum, Armozicam, propter Aragum seu Samoram. Pompeius ex Armenia mouens, hoc itinere usus est, & post eum Canidius. Iberiæ campos agricolæ habitāt, homines ad pacem intenti: Armenico & Medico cultu montanam regionem pars eorum maxima ac bellicosa Scytharum more uiuentes, quorum cognati sunt, & contermini: agriculturam tamen exercent, & cum tumultus ingruerit, multa ex se atq; Nomadibus hominū millia cōtrahunt, fuitq; Iberia maxima ex parte urbibus & habitatoribus plena, & tecta fictilia habuit, & fabrefactas ædificiorum structuras, & fora, & publica ornamenta, & ad sextum clima pertinet, sicut Albania. Quatuor olim genera hominum apud Iberas fuere. Primum, ex quo reges duo deligebātur, alter, qui propinquitate & ætate antecederet: alter, qui iura daret, & exercitum duceret. Secundum, sacerdotū, qui iura finitimorū curarēt. Tertiū militū & agricolarū. Quartū, uulgi, quod regibus seruiebat, & omnia quæ ad uitam pertinēt ministrabat: his omnia per familias erant cōmunia, rem tamen tenebat qui senior E

Phasis ubi 120. pontibus trāsmeandus.

F

Tecta fictilia

A senior erat. Magnus Pompeius Iberiam Romano imperio subiecit, quam sub Constantino Cæsare, Helenæ filio uerbi dei fœdera, & fidem futuri regni suscepit. Mulier captiua tanti boni causam præstitit: quæ cum uitam pudicam duceret, & dies ac noctes in orationе consumeret, admirationi Barbaris fuit: quibus sciscitantibus, cur tantopere se affligeret, ita se suum deum colere respondit, qui Christus esset. Nihil ex hoc amplius ad mirati Barbari, quam nouitatem nominis, mulierculam in honore habuerunt. Mos gentis erat, paruulos, cum ægrotaret, per uicinas domos à matribus circunferri, remedia exquirentibus. Mater quædam cum puerũ aliquandiu circuntulisset, nec salutare quicquã inuenisset, captiuam adiens eius opem petiјt, illa se humani nihil scire testata est, sed deũ quem coleret Christum desperatam ab hominibus salutem posse conferre, paruulumq́ cilicio suo superimponens, & orationem ad deum fundens, sanum matri reddidit. Impleuit urbem facti rumor, & ad reginam perlapsus est, quæ dolore quodã afflicta, ad captiuam se ferri curauit: cum illa regiam domum ingredi recusasset, reddita est regina sanitati, atq́ admonita ut in Christum crederet, & eum coleret, qui salutem præbuisset, rogauit regina uirum ut Christianus efficeretur, quod quanquam ille promisisset, segnis tamen erat, nec sæpius ab uxore cõmonitus baptizari curabat, non tam fidei hostis, quàm dubius. Contigit eum in altissimas syluas ire uenatum, quo cum peruenisset, coorta subito tempestate, ita tenebræ cuncta operuere, ut nec ipse comites cerneret, nec cerneretur ab illis: ignarus quid ageret, promissionis coniugi factæ recordatus est, Christumq́ rogauit, ut si deus esset, ex tantis eum periculis eriperet, nec mora dies reddita mundo est, & rex ad urbem incolumis perductus, qui reginæ quæ gesta erant miraculi loco exposuit, uocatur captiua, audit consilium eius, illa reiјcienda idola, & Christum colendũ dicit, eiq́ supplicandũ, & basilicã faciendã, cõuocato populo rex Euangeliũ prædicat, & nondũ sacris initiatus, fit suæ gentis apostolus, credũt uiri per regẽ, fœminæ per reginam, cõstituitur templũ magni operis, & eleuato pertinaciter murorũ ambitu, columnæ collocantur. Sed prima ac secunda erecta, tertia nullis machinis erigi potest, nullisq́ uiribus, cum ad noctem usq́ laboratum esset, recedẽtibus omnib9, sola captiua apud templum in oratione perseuerat, postera die, prima luce, redeũte populo, colũna reperta est, supra basim in aëre suspensa, quantum esset unius pedis spaciũ, magnificauerunt omnes deum, ueramq́ captiuæ fidem recognouerunt, quibus mirantibus ac stupẽtibus, sensim supra basim suam, nullo contingente, deposita est, & summa cum liberatione descendit, mox reliquæ columnæ magna facilitate erectæ & collocatæ sunt, perfectum templũ: & populi fide confirmata, suadente captiua, totius gentis legatio ad imperatorem Cõstantinum mittitur, res gesta exponitur, & sacerdotes petuntur, qui cœptum erga se munus impleant. Ferunt Constantinum non minus hoc nuncio lætatum, quam si gentes Romano imperio incognita, & ignota regna, uicisset, Iberis iocundissimo uultu satisfecisse. Ruffinus in ecclesiastica historia hæc sibi Bacchurium ipsius gentis regem narrasse affirmat, uirum fidelissimũ, cum Hierosolymis secum humaniter degeret, ueri periculum ad eum referendum est. Iberas hodie Georgianos appellant, quorum legatio ad nos uenit, cum ex Mantua Romam rediјssemus, colunt & hi hodie Christum, quamuis procul ab apostolica sede ueritatis magistra, & Barbaris circunfusi gẽtibus, non omnem Euangeliј puritatem seruant.

Miraculũ captiuæ mulieris pro Christiana fide apud Iberiam factum.

Regina sanitati restituitur.

Rex Euangelium suis prædicat.

Columna in aëre diuinitus suspensa.

Georgiani Christicolæ.

(B and C are marginal section letters beside "bito tempestate" and "mano imperio".)

De Colchis, & quæ flumina Colchidem claudunt, de melle amaro, & de Tragelapho, & quantum Colchis olim claruit, Cap. XXII.

COlchis (ut placere Ptolemæo uidemus) monte Coraxe à septẽtrione clausa est, quem Caucasi partem esse ostendit, & Nomades excludere: ab oriente, Iberia: à meridie, Phasi flumine, & Armeniæ montibus: ab occidente, Euxino ponto, in quem Hippum flumẽ cadere arbitratur: & inter eius ostium & amnem Phasim, duo flumina decurrere in pelagus Cariustum & Ganeum, & post Hippum, ultra Dioscuriadem, septentrionem uersus, Coraxem fluuium in idem mare exonerari, qui ex monte sui nominis oriatur. Strabo uero Hippum cadere in Phasim afferit, & Colchidẽ, magna ex parte ad mare protensam, Phasim irrigare, ingentẽ fluuium qui ortus in Armenia Glauco

& Hippo in se receptis, usque ad Sarapanos nauigetur, exinde pedestri itinere curribus uectos, quatriduo in Cyrum proficisci, ad Phasim urbem iacere eiusdem nominis Colchorum emporium, quod ex alia parte amni procingitur, ex alia lacu, ex alia mari, hinc biduo triduo'ue, amissum, Sinopemq; nauigari, littora hæc & fluminis ostia amœnissima esse, regionem fructibus & omnibus quæ ad fabricandas naues pertinent, abũdare. Mel tamen frequentius amarum esse, linum, cannabem, cæram & picem gignere: linificium uulgatum et multũ, in peregrina exportari loca, propter quod cognationem inter Colchos & Aegyptios esse quidam uoluerint, Plinius Veronensis, animal ceruo simile, barba tantũ & armorũ uillo distãs, iuxta Phasim amnẽ, & nõ alibi nasci affirmat, quod Tragelaphon uocatur: Secus Phasim Leucothoæ fanũ fuisse, quod Phrixus cõdiderit, atq; illius oraculũ ubi aries non mactabatur, id olim diues habitũ, deinde à Pharnace, & paulò post à Mithridate Pergameno direptũ, nã læsa religione, etiã diuina patiuntur, nec coli possunt, ut Euripides inquit, uana garrulitas quæ religionem pauperibus aufert: Deus & inopum & diuitum pater est, neque aliud ab homine quàm uoluntatem requirit. Quantam olim Colchis claritatẽ habuerit, fabulæ declarant, Iasonis exercitum innuentes, qui ad Medos usque processit, ac prius etiam Phrixi expeditionẽ, postea cum reges succederent, & regionem haberent in prouncias diuisam, mediocriter agebant. Cum uero Mithridatis Eupatoris potentia uehementer esset audacta, tota ei regio paruit, à quo semper aliquis ex amicis regionis præfectus & administrator mittebatur. Strabo refert Moaphernem matris suæ patruum Colchis administratorem fuisse: sed Mithridate sublato, regionem omnem quæ suberat, euersam, & multis distributam. Polemonem postremo Colchidem habuisse, atque eo mortuo coniugem eius Pithodorim, quæ & Colchorum, et Trapezuntis, & Pharnatiæ, & ulteriorum barbarorum regnum tenuit. Strabo existimat montem Caucasum Pontico mari & Caspio imminere, Histinumq; munire interiacentem: Iberiam quoque & Albaniam ab eodem monte disterminari, qui Sarmatas ad septentrionem dimittit. Ptolemæus quoque Caucasia iuga inter Iberios et Colchos procurrere arbitratur, et ab utrisque gentibus disiũgere Sarmatas: Erathosthenes eundem esse Caucasum et Caspium existimauit, et ab eo quasi cubitos quosdam ad meridiem procurrere, qui complectens Iberiam Armenis et Moschitis montibus coniungantur. Secadissæ quoque et Pariadræ. Idemq; sentire Ptolemæus uidetur, et hos esse Tauri partes, qui Australe Armeniæ latus efficit, et ab eo quodam modo obruptas. Septentrionem uersus usque ad Caucasum et maritimam Euxini oram procurrere.

Mel amarũ.

Tragelaphon animal Leucothoæ fanũ

De Dioscuriade, & apud eam linguarũ uarietate, & aurati uelleris ficta fabula, de uictu & uestitu eorum, qui apud Dioscuriadem conueniunt, Cap. XXIII.

QVæ à Colchide Themiscyram tendit, Dioscuras et Sebastopolis à Ptolemæo uocata est. sicut Straboni places, orientalis sinum totius Euxini pelagi signum obtinet, et extrema nauigatio appellatur. Vnde illud quod in prouerbio dicitur, in Phasim ubi cursus carinis ultimus, sic intelligẽdum est, non quod Poeta qui Iambicum fecit de flumine dicat, nec de urbe eiusdem nominis, quæ ad flumen iacet, sed de tota Colchide. Nam de Phasi, usq; ad intimum Dioscuriadis recessum sexcenta esse stadia putant, & Dioscuriadem initium Histini tenere, qui duo inter maria eminet. Ptolemæus uero Iambicum intellexit ad uerbum, et intimum Euxini sinum ad orientem in Phasis ostio terminauit, ibiq; Histinum incipere ostendit. Dioscuriadem uero septentrionalem Ponti ripam tenere, non procul ab amne Coraxe. Dixerunt aliqui qui res parum animaduertunt, septuaginta, et quibus minor ueri cura fuit, trecentas gentes apud Dioscuriadẽ conuenire solitas, omnes diuersarum linguarum, propterea quod sparsim et impermiste, ob asperitatem atque intractabilitatem habitent, quarum pleraq; pars Sarmatæ sint. Vniuersæ tamen Caucasiæ, inter quas Phthiraphagorum natio fuit, cui nomen à sordibus datũ est, quibus proximos Seranes esse Strabo putauit, nihil fama meliores, quãuis robore præstarẽt, uicinisq; gentibus dominarẽtur, eosq; Caucasi extrema obtinere, quæ imminent Dioscuriadi. Ptolemæus Saonam fluuium quendam memorat, qui ex Caucaso ca-

In Phasim cursus carinis ultimus.

Quot apud Dioscuriadẽ gentes conuenire dicãtur.

A caso cadit in Hyrcanum pelagus, à quo Soanes dici potuerunt. Sed hi Albanorum extrema uersus septentrionem colerēt, ij quos Strabo nominat Colchis imminebant, qui ad Euxinum pertinent. Ferunt his regem fuisse, & trecentorum uirorum collegium: & quamuis inordinatā gentem, bellicosam tamen, ducenta hominum millia in exercitum cogere consuesse. Torrentes apud eos aurum detulisse, quod perforatis tabulis, ac lanosis pellibus excipiebant, atque hinc aurati uelleris confictam fabulam, & fortasse Iberes his contermini eodem nomine uocantur, quo occidentales, ab auro quod apud utrosq; inuenitur. Soanes ueneno ad spicula mirifice utebātur, cuius tanta uis fuit, ut etiam odore admodum lederet. Reliquæ gentes quæ circa Caucasum iacuere, tenuem habuisse regionem feruntur. Mosticos montes partim Colchi habuere, partim Iberes atq; Armeni. Polignium quod Phrixus in Iberia cōdidit id Cessa postea dicta est, locꝰ optime munitus. Altissimæ ueri Caucasi partes ad Austrum uersæ, quæ Albaniam, Iberiā & Colchos, & Heniochos respiciunt, ab his habitantur, quos apud Dioscuriadem conuenisse relatum est, nam salis gratia frequentius conueniebant: horum alij montium tenuere cacumina. alij in collibus habitauere, ferina carne & lacte uiuentes: mōtium uertices hyeme sunt inaccessibiles, æstate caligas bubulas in tympani modum latas calceati per glaciem ac niuem ascendunt barbari, & cum oneribus super pelle dilapsis, descendunt ad montis ima.

Torrentes aurū deferētes.

Soanes ueneno spicula armabant.

B

De Syracoris & Troglodytis, & nominum mutatione, & de pellibus quæ ab ijsdem manant, Cap. XXIIII.

DEscendenti regio septentrionalior occurrit, mitior tamen quæ Syracorum iungitur campis. Insunt etiam Troglodytæ quidam, qui propter frigora habitant in cauernis, & pane abundant. Post eas Cheanitæ reperiūtur, & Polyphagi, & aliorum quorundam uici agriculturam patientes: deinceps Nomades inueniuntur, Paxani, & Nabiani, qui inter Mæotim Caspiumq; habitant, mox Syracorum Aorsorumq; nationes, quas superiorum Aorsorū exules fuisse putant, magis ad septentrionē expositas. Abeatus Syracorum rex, dum Pharnaces Bosphorum haberet, equitum misit uiginti millia. Spadines rex Aorsorum totidem superiores. Aorsi plura cum terræ haberent, & maxima ex partæ oræ Caspiæ imperarent, unde camelis iter agentes, Indicas & Babylonias merces, ab Armenijs Medisq; accipiebant: atq; propter opulentiam auro adornabantur. Strabo Aorsos Tanaim accoluisse tradit, Syraces Archedeum amnem, qui ex Caucaso fluens, emittit in Meotim. Ptolemæus Aorsorum in hac plaga nusquam meminit, Syracenorum mentionem facit, quos ultra Hippicum montem prope Ras fluuium iacere ostendit: sed mutatis temporibus gentes quoque situs, & nomina mutant. Tanais (ut ante diximus) Europæ atque Asiæ terminus est, ferturq; à Septentrione Nilo con-
C trarius, paulo tamen orientalior originem eius incertam aliqui putant. Ptolemæus ex montibus Riphæis prodire arbitratur, qui magis australes sunt quàm Hyperborei. Nos hominem allocuti sumus Verona oriundum, qui per Poloniam & Litanam, ad fontes Tanais peruenisse se affirmauit, eosq; transcēdisse, & omnem illam Barbariæ borealem perscrutatum. Is aiebat paludem esse nō admodum magnā, ex qua Tanais nasceretur, qui duobus ostijs Mæotim ingreditur, quæ stadijs intra se circiter septuaginta distare feruntur. Theophanes Mithyleneus ex Caucasis montibus oriri Tanaim existimauit, & in septentrionem diu currere. Postea conuersum ad meridiem, in Mæotim emittere. Ferunt Græcos qui Bosphorum habitauere ad flumen Tanaim urbem condidisse, quam postea Polemo rex depopulatus est, cum minus obtemperaret. Commune in ea emporium erat Nomadum, Asiæ atque Europæ, & eorum qui è Bosphoro lacum nauigabāt, quorum alij mancipia, pelles, & si quid aliud est Nomadicum uehebāt: alij uestē, uinum, & cætera, qui mitis uitæ sunt propria onerabant. Nunc his locis propinquum est Venetorum castellum, quod Tanam uocant, unde & nobilissimæ pelles feruntur, & mancipia, quæ è Scythis emunt, quos appellant Carcassos.

Tanais duob. ostijs Mæotim ingreditur.

De Alopetia in Mæotide insula quæ mistorum hominum domicilium continet, quantaúe opprimantur glacie & frigore, Cap. XXV.

D

IN Mæotide insula memorant Alopetiam, quæ mistorum hominum domiciliũ fuit, stadijs centum à ueteri emporio distans ab ostio Tanais, quod magis orientale est: ad sinistram terrestri itinere pergenti, post octingenta stadia magnus Rhombites occurrit, ubi piscatio multa, & condituræ apta: pari deinde interuallo minor Rhombites se offert, non adeo piscibus abundans. Ptolemæus Rhombitem maiorem & minorẽ duo flumina esse dixit. Strabo promontoria significare uidetur, qui populos ab eis Rhombitarios nominari asserit, et maiores insulas habere stationibus plenas, minores operarios esse, & omnes uocari Meothas non minus quàm Nomades bellicosos, & in gentes plurimas diuisos, quorum qui Tanaim accolerent, agrestiores essent, qui Bosphoranis cohærerent, mitiorem uitam agerent. A minore Rhombito in Anticetã flumẽ, & Tyramben, stadia esse sexcenta dixerunt: hinc in uicum Cymbricum, centum ac uiginti, unde soluebant, qui lacum nauigabant. Ex quo fit ut longitudo Mæotis per trecenta ferè milliaria esse uideatur à Bosphoro Cimmerico usq; in ostium Tanais. Cimmericum urbs in Cherroneso oriẽtali fuit, quæ fossa & aggere Histinũ claudebat: Nam Cimmerij potentiã olim maximã in Bosphoro habuere, à quibus Cimmericus appellatus est. Hi à ponti dextra mediterraneã regionẽ habitãtes, usq; in Ioniã excurrebant: sed à Scythis ex his sedibus pulsi sunt. Schythæ à Græcis qui Panthicapeũ et alias in Bosphoro urbes habitauere, à Cimmerico usq; in uicũ Achilleũ stadia uiginti numerabãtur. Templũ hic Achillis fuit, iuxta quod angustissimũ ostij Mæotidis fretum, ad stadia uiginti, uel paulo plura patet: hinc ad Satyri monumentũ, stadia nonaginta esse dixerunt. Id fuit in promõtorio quodã positũ, hominis in Bosphoro clarissimi ac potẽtissimi, cui proximus fuit Vicus petreus, à quo usq; in Chorocundam, stadia excurrũt centũ & triginta, atq; ibi finis est Bosphori, qui Cimmericus appellatur, cuius longitudo stadiorũ est ducentorũ ac uiginti in cuius initio in parte Asiæ Achilleum fuit, in parte Europæ Minetũ, uersus Mæotim: uersus Euxinum in Asia Cyrocondama in Europa uicus nomine Aera Panthicapensis agri, quæ duo loca septuaginta stadijs inter se distabãt, huc usq; glacies pertendit, cum riget hyems Mæotide adeo frigore cõcreta, ut pedibus permeetur. In his angustijs multi fuere portus & supra Chorocũdiam locus Chorocundamẽtis appellatus, qui decem stadijs a uico mittebat: In mari pars Anticetæ fluminis abrupta lacũ influens insulã efficiebat, quæ hoc lacu & Mæotide & flumine undiq; abluebatur, & mari Anticetam nonnulli Hypanim uocauerunt, quemadmodũ & fluuium Borystheni proximum.

Satyri monumentum.

E

Mæotis frigore cõcreta pedibus permeatur.

De Phanagoria, de Gigantibus Venerem adorantibus, de Polenionis regis morte, Cap. XXVI.

F

VLtra hunc locum nauiganti uersus Orientẽ Phanagoria olim occurrit, ciuitas memoratu digna, et Cepœ, Hermonassa, & Apaturum Veneris fanum. Phanagoria & Cepœ in insula fuere: quicunq; olim Bosphori potẽtibus obediebãt, Bosphorani appellabantur, & alij Asiani, alij Europei: horum Metropolis Panthicapeum fuit, Asianorum phanarium, sic enim postea Phanagoria est appellata, earum rerum emporium quæ ex Mæotide, & ulteriore barbarorum regione importantur, earum uero quæ mari aduehuntur Panthicapeum. In Phanagoria templum fuisse insigne tradunt, Veneris Apaturiæ fabulam afferentes: quod cum gigantes Venerem adorirentur, illa Hercule inuocato, tamdiu in lateribus quibusdam latitauerit, donec gigantes sigillatim dolo excipiens, occidẽdos exhibuerit Herculi. Nulla enim mulier tam sui corporis prodiga est, ut uim libenter admittat, & sæpe dolis potentia succumbit. Inter Phanagoriam & Gorgophiã quingentorum stadiorum spaciũ ponunt, quod Aspurgitani habitauerunt, & ipsi Meotæ: quos cum Polenio rex simulata amicitia adoriretur, nec id eos lateret, sed cõtra instructi exirent, captus interemptusq; est, pœnasq; cogitati sceleris dedit. Bosphoranorũ duces ad Tanaim usque imperium protulere, præsertim Pharnaces Cassander ac Polenio regionem à freto usq; Gorgophiam Syndicam appellauere.

Fabula Veneris Apaturiæ

De Zogoris & Heniochis, de lemborum magnitudine, & eorum maritimis furtis, de Enochiorum regum pluralitate, Cap. XXVII.

A Post Gorgophiam Achæi, Zogori, & Heniochi, sequuntur, montana & importuosa colentes loca, quæ Caucasi partes sunt. His uita ex maritimis latrocinijs fuit, lembos exiles ac leues habentes hominũ uigintiquinq; capaces. Fama est Phthiotas, Achæos, ex Iasonis exercitu Achaiam hanc habitasse, Laconas uero Heniochiam quorũ duces Rhaccas & Amphisastrus fuerint, Castoris & Pollucis aurigæ: ij mari dominabantur more piratarum, prædam Bosphoranis uendentes, & ab eis comeatum accipientes, lẽbos humeris impositos in syluis cũ mare nauigari non poterat, occulẽtes, tenue solum arantes: Vicini principes eorum iniurias ulciscebantur, sed Romanorum subditi propter negligentiam præfectorum sæpe inulti fuerunt. Heniochi quatuor reges habuere, cum Mithridates Eupatore paterno regno fugiens, Bosphoranorum regionẽ permeauit, quæ quidem ipsi peruia fuit. Zogorum uero terram, propter locorum difficultatem atque asperitatem accedere diffisus, ægre maritima ora profectus est: sæpe mare ingressus, quousque in Achæorum agrum peruenit, quibus adiutoribus iter ex Phaside consumauit, ad quatuor fere millia stadiorum. Hanc Zogorum terram eam esse arbitramur, ex qua populi exierint, qui nostra ætate cum liberis & uxoribus Europam peruagãtur, Zigari appellati: insignes fures, & inter nostros homines Nomadum more uiuentes: B A Chorocundame orientem uersus recta nauigatio est, ad stadia centum & octuaginta, ubi Sindicus portus, & ciuitas cuius meminit Ptolemæus: de hinc ad quadringenta stadia sunt ea quæ Batha nominantur, uicus & portus ubi Sinope austrum uersus, huic oræ plurimum uidetur opponi. Ptolemæus hic amnem Psycam ingredi mare arbitratur, & hic Achæos esse. Strabo Arthemidorum secutus Certetarum oram esse tradit, octingentorum & quinquaginta fere stadiorum, quæ stationes & uicos habeat: de hinc Achæorum regionem stadiorum quingentorum, postea Heniochorum mille, de hinc Pitherintem trecentorum fere ac sexaginta, usque Dioscuriadem: totaq; nauigatio à Chorocundame usque huc, stadia complectitur tria millia centum & quinquaginta. Qui Mithridatica conscripserũt (ut Strabo refert) prius Achæos posuere, deinde Zigos, mox Heniochos, post Certetas, & Moschos, & Colchos & Phthiophagos, qui ultra hos habitauere, Toonas, & alia circa Caucasum paruas gentes, quæ australia Caucasi occupant, loca Euxini: quæ Ponti, septentrionale latus ultra Caucasum usq; ad oceanum innumerabiles iacent gentes, quas ab occidente Tanais claudit, ab oriente (ut Ptolemæo placet) Ras fluuius: ut Straboni, Plinio, & multis alijs, longissimus Caspij maris sinus, omnes qui hanc terram incolunt Scytharum nomine continentur, quamuis Ptolemæus Sarmatas appellat: quos bifariam partitus est, & alios Asiaticos uocat, à Tanai C usq; ad flumen Ras: alios Europeos, qui Germaniam inter & Tanaim iacent. Scythas uero ultra & intra Imaum montem collocat, ut à nobis ante relatum est. Scriptores alij Scytharũ nomen multo maius efficiunt, quos à germanico limite, usq; ad ipsos Seras, & orientale pelagus occupare arbitrantur: & sicut habitabilis terræ australia Aethiopibus tradiderunt, pari modo septentrionalia Scythis, quos cum Sarmatis confuderunt.

Zigari cũ pueris & uxoribus Europam peruagantur, suntq; fures insignes.

De Scythis, eorum origine, de sedibus incertis, eorum uictoria, & qualiter in hos triumpharint Romani, Cap. XXVIII.

Diodorus Scytharum gentem apud Araxim flumen originem habuisse putat, paruamq; ab initio nationem fuisse, & modicæ terræ cultricem, ac propter ignobilitatem à uicinis contemptam, nactamq; deinde regem quendã bellicosum, & militari uirtute præcipuum, agros ampliasse montanos quoadusq; ad Caucasum, campestris uero usq; ad Oceanum & Mæotidem, flumenq; Tanaim. Fabulam quoq; adducit: Natam apud Scythas ex terra uirginem, umbilicotenus hominis forma, reliqua uiperæ, quæ puerum genuerit nomine Scytham, qui omniũ ante se clarissimus euadens, nomen ex se populis uocabulum indiderit, inter cuius posteros duo fratres extiterint, summa uirtute, alter Pluto, alter Napis appellatus, qui magnis rebus gestis, regno inter se diuiso, alteros popu-

Scytharũ origo ex Diodoro.

Fabula de Scythis.

ros populos Plutones, alteros Napas uocitauerunt. quorum progenies regiones ultra Tanaim, usque ad Thraciam subegerit: uersisque deinde in alteram partem armis, ad Nilum Aegypti peruenerit: redactis in potestatem omnibus, quæ intermediæ erant, gentibus, & usque ad orientis Oceanum, & mare Caspium imperium protenderit: multosque reges habuit memoria dignos. Scytharum autē populos Sacas, alios Massagetas, alios Arimaspos, alios alio nomine uocari dicit: Coloniasque plures ab eis deductas fuisse, sed duas maximas, unam ex Assyrijs inter Paphlagoniam ac Pontum, alterum ex Medis pone Tanaim flumen, cuius populum Sauromatas appellauerint: qui multis post annis, imperio late diffuso, magna ex parte uastata Scythia, eam penitus desertam cultoribus reddiderint. Trogus Pompeius Scythas cum Aegyptijs de generis uetustate contendisse dicit, eisque datam palmam tanquam loco editiori natis. Parthos & Bactrianos eorum sobolem esse. Scythiam ab uno latere Ponto, ab altero Riphæis montibus, à tergo Asia & Phasi flumine clausam: multum in longitudinem & latitudinem patere hominibus, inter se nonnullos fines, neque tecta, aut certas sedes, & armenta pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Iustitiam genti ingenijs, non legibus, cultam: furtum inter eos grauissime uindicari, argentum & aurum pariter aspernari, ac cæteri mortales appetunt, lacte & melle uesci, ferarum pellibus uestiri. Darium regem Persarum ab his turpi fuga submotum, Cyrum cum omni exercitu à regina eorum trucidatum, Alexādri magni ducem Sophiriona pari ratione cum copijs uniuersis deletum, Vesoim regem Aegyptiorum exercitu cum omni apparatu belli relicto repulsum, ac fugatum. Scythas ab Aegypto paludes prohibuisse, qui reuersi Asiam domuerint, uectigalemque fecerint, ac per mille & quingentos annos tenuerint, usque ad Ninum regem Assyriorum: Romanorum arma audierint, magis quàm senserint. Pulchre Trogus, sed arbitramur Græcos eum aliquos secutum, quibus mos est omnia in maius extollere. Scytharum natio barbara est, nec iusti nec relicti tenax, fœdissima apud eos uita, religionum mille modi, idola & serpentes colunt, in libidinē profusi, aurum non concupierunt donec fuit ignotū, ubi splendorem eius conspicati sunt, nihil non auri causa patrauere, & propter regnum sæpe parricidia commisere, neque inter se iusti, neque cum alijs ueraces, cui plus uirium est, huic & iuris magis, potentiæ omnia cædunt. Nec Romani intactos eos reliquere, neque Græci: Alexander ultra Iaxartem fluuiū eos cæcidit, successores eius plurimis cladibus Scythas affecerunt: Cneus Pompeius magnos Scytharum exercitus fudit, qui Mithridati suppetias tulerunt in Septentrionem Scythicum iter tanquam in mari stellis secutus, & omnis Albania atque Iberia, ab eo domita est: Regem Colchorum Orodem, positis sub ipso Caucaso castris, iussit in plana descendere, quarum prouinciarum, & si Græca origo fuit in Scytharum tamen mores populi declinauerant: Imperante Claudio Mithridates Bosphoranus, amissis opibus uagus, postquam Didium Romanum ducem, ac robur exercitus abijsse cognouit, spreto Cothi iuuene, ac rudi & nouo rege, cum Iulio Aquila equite Romano, nationes sibi allexit: & perfugas, & coacto exercitu regem Dandariorum exturbauit, & imperio eius potitus festinauit in Bosphorum, Aquila & Cothis, quia Iorsines Saracorum rex hostilia resumpserat, ad Eunonem, qui Adroscorum genti præcellebat, legatos misere, eumque sibi sociarunt: Pellitur hostis, uenitur que Soxam Dandanice oppidum, quod desertum à Mithridate præsidio muniuit, & in Saracos pergunt, & transgressi amnem Pādam, circunueniūt urbem Huspediam, eamque excidunt. Iorsines rex Saracorum, diu pensitato, Mithridati ne rebus extremis, an primo regno consuleret: postquam præualuit gentilis utilitas, datis obsidibus, apud effigiē Cæsaris procubuit: magna gloria exercitus Romani, quem inuictum & uictorem tridui itinere abfuisse ab amne Tanai constitit, Mithridates nullo in armis subsidio fratrem Cothim proditorem atque hostem metuens, ad Eunonē confugit: qui cum, impetrata tantū uita ad Claudiū misit. Multi præterea imperatores, & apud urbem Romā, & apud Cōstantinopolim, de Scytharum gente gloriosissime triumpharūt. Quod autē ad interiora eorum, & ultima uersus Boreā non est itum, paupertas soli fecit, et itineris asperitas, atque intolera-

Victoria Scytharū uaria.

Dandariorū rex exturbatur.

D E F

A intolerabile frigus, & nullum uincentis præmium. Multos Romani populos (ut Appianus tradit) sese sponte dedentes reiecere, quod nullo esset emolumento eorum imperium: quis arma sumat, & cum mortis periculo dimicet, cum sciat uictoriam sterilem esse? id perinde est, ac si quis laudis causa cum bestijs pugnam ineat. Nec Scytharum robur insuperabile est, magis quàm elephantum & taurorum, quos ingenio uincimus: sed in his inest aliquid utilitatis, Scythas illos exteriores si prælio superaueris, non tam tibi quàm illis uiceris pane alendis, qui multis est incognitus, ubi eorum seruitia quæras. Fatemur tamen ab his exisse quàmplures, qui res magnas gessere. Facile enim migrant quibus sterilis sedes est, & melioris soli fama multos trahit. *Multarum gẽtium imperiũ tãquã inutile Romani reiecerunt.*

De Asiaticis, Scythis, & eorum ferocitate, unde Attilas, de eorum fœditate, & quomodò Hungaros uelint esse Scythas, quomodóue quidam Hungaria lingua sint loquentes, Cap. XXIX.

Ex Asiatica Scythia migrauerunt in Europam Huni, feroces populi, quos Iordanus, & alij nonnulli, ex mulieribus magis & dæmonum semine natos crediderunt: qui transmissa Mæotide, omnem barbariem inter Tanaim & Danubium, occupauere: ex his magnus ille Attilas ortus est, qui subacta Pannonia, Italiam ingressus, *Huni ex quibus nati.*
B Aquileiam subuertit, & in Germaniam transiens, plurimas uastitates edidit, ac transmisso Rheno, in agris Catelaunicis memorabile illud prælium commisit, in quo supra centum sexaginta millia hominum cecidere: & quàuis uictus esset, id tamen solacij tulit, quod Theodoricum Gothorum præstantissimum ducem obtruncatum cognouit. *Grandis Hunorũ strages.* Is domum reuersus, dum nouis nuptijs operam dat, uino plenus, effuso è naribus multo sanguine, suffocatus est: de quo etiam in posterioribus nonnulla erunt dicenda. Scytharum quoque genus est Turcarum fœdissima gens, qui ut Heticus Philosophus tradit, in Asiatica Scythia ultra Pyriceos montes, & Taracontas insulas, contra Aquilonis ubera sedes patrias habuere. *Attilas uino plenus suffocatus est.* Natio truculenta & ignominiosa in cunctis stupris, ac lupanaribus fornicaria: comedit quæ cæteri abominantur, iumentorum, luporum, ac uulturum carnes, & quod magis horreas, hominum abortiua: diem festum nullum colunt, nisi mense Augusto Saturnalia: Romanorum imperium admirata magis, quàm experta est: Octauiano Augusto in auro littorico censum dedit, & id quidem sponte, nam cum uicinas gentes annua illi tributa reddere animaduertisset, nouum dierum ac temporum exortum esse deum arbitrata, munera illi quotannis misit. Otho historicus qui Phrisingensis fuit episcopus, tradit Turcas imperantibus Græcis, ac regnante apud Francos Pipino, annis ab hinc supra sexcentis. Caspias portas egressos, cum Auaribus ferocissima pugna, multis utrinque desideratis, conflixisse. Nicolaus Segundinus
C multa eruditione præditus, græcas ac latinas literas apprime callẽs, de Turcis ad nos scribens, Asiaticos Scythas illos esse fatetur, qui Pontum Cappadociamq; transgressi, ad reliquas finitimas gentes sensim illapsi sint: ij more latronum clandestinis quibusdam excursionibus, uires sibi uendicantes, occupatis mõtibus & claustris opportunis, unde per occasionem irruptiones facile fieri possent, usqueadeo emersere, atque animis sublati sunt, ut palam iam, & pari Marte aduersum finitimos de agri possessione certarent, & denique procedenti tempore Galatia, Bithynia, et utraque Phrygia, in potestatem redacta, omnem Asiam quæ minor uocatur, ultra citraq; Taurum, ad oras usque Ioniæ & littora græci maris occupauerint: & unum quendam principem, sed alios alij duces, & uaria auspicia, quasi per factiones secuti, de quibus alio loco dicendum erit. *Nicolaus Segundinus ad Pium papam de Scythis.* Ferunt & Hungaros, qui Danubij ripas incolunt, Scytharum genus esse, non quasi ab Hunnis ortos quod propter uerbi cognationem aliqui crediderunt, sed ab alijs Hungaris, quorum Iordanus meminit, qui Nothos eos dicit, suo tempore fuisse, propter commercium pellium Mardurmarum. *Hũgaros Scytharum genus esse.* Fuit autem Iordanus sub imperio Iustiniani, quo tempore nondum Pannoniam Hungari attigerant, lõge post Hunnos, Gothos ac Longobardos, Hungari Scythiam egressi, ad Danubium peruenere: pulsisq; prioribus incolis, aut sub iugum missis, regnum sibi fecere. de quibus suo loco dicemus. Noster Vero-

nensis, quem supra diximus, ad ortū Tanais peruenisse retulit populos in Asiatica Scythia, non longe à Tanai sedes habere, rudes homines, & idolorum cultores, quorum eadem lingua sit cum Hungaris Pannoniam incolentibus, uoluisseq; cum plerisq; sacrarum literarum professoribus, uiris religiosis, & ex ordine beati Francisci, qui linguam illam nossent, eo proficisci, & sanctum Christi Euangelium prædicare: sed prohibitum à domino, quem de Mosca uocauit, qui cum esset græca perfidia maculatus, ægre ferebat Asiaticos Hungaros, latinæ coniungi ecclesiæ, & nostris imbui ritibus. Fuerunt & qui Gothos ex Asiatica Scythia erupisse putarunt, quorum est peruulgatum nomen præsumptio, hinc oritur quod Alani inter eos militauere, & usque in Hispaniam transiere, ibiq; sedes obtinuere, in quibus hodie Catelani tanquā Gothi, Alani uocantur: Alanos autem Ptolemæus in Asiatica Scythia ultra Hyperboreos montes collocat, ad septētrionem maxime uergentes. Iordanus Europeos fuisse Gothos affirmat, quem sequi non pudet, suæ gentis initia referentem: neque alienum fuerit, Alanos post quam in Europā migrassent, cum Gothis societatem iniisse, ex qua facta sit Catelanorum natio. Multa de Gothis inter res Europeas dicenda erunt, quæ nunc relinquimus, illud conclusisse sat fuerit, non idcirco Scytharum genus in aliena prorupisse, quia cæteris uirtute præstarēt, sed auiditate melioris agri, & quod in patrio solo nutriri non possent. ¶ Sequitur Asiæ ad nostram supputationem tertium membrum, cui Parthia dabit initium, quamuis recta in orientem iter habenti Aria occurrat, et Paropamissadū regio, quæ montanæ sunt, et in eodem parallelo qui per Rhodum est cum Parthia continentur: sed nobis placuit quinto loco de illis agere, qui post Indiam ad occidentem primi reperiuntur. Nos Parthiam in hac descriptione, Mediamq;, & utranq; Armeniam, ac magnam minoris Asiæ Cherronesum comprehendemus: quamuis aliqua ultra citraq; Taurum iaceant, & non nulla in ipsis montium cacuminibus sita sint.

De Parthis, apud eos uario terræmotu, sermone misto, de eorum uario incessu, & de regum uaria successione, atque in bellis multa nunc regni populatione, nunc autem auctione, Cap. XXX.

Parthia ut Ptolemæo uisum est, ab ortu Ariam habet, & Masdoranum montem: ab occasu Mediam, & quibus dissecatur iuga: ad meridiem Carmaniam desertam, & Parcoachiæ montis sublimem uerticem: à septentrione Hyrcaniam: & qui medius intercurrrit mons coronis, regiones in ea quatuor collocat: Comissenam quæ Hyrcanis imminet: Thabienam, quæ ad Carmaniam respicit: Pataurícenam, quæ Ariam: & Sindacam, quæ Mediam intuetur. Ciuitates commemorat plures, de amnibus qui eam irrigent nullam efficit mentionem, quis Bagadram in ea ortum indicare uideatur, qui lōgo itinere per Carmaniam desertam & Hippophagos, non longe à Sureis Persicū illabitur sinum. Strabo fluminibus irriguos Parthiæ campos esse commemorat, quos partim Arius, gartim Margus, inundet. Iulius Solinus Parthiam Rubro mari à meridie claudit, à septentrione Hyrcano salo, non Parthiam hoc pacto, sed Parthicum circunscripsit imperium, quod in duo deuiginti regna diuisum dixit, & undecim superiora ab Armenico limite et Caspio littore incipientia, ad terram Scytharum porrecta, quibus concordes essent reliqua septē inferiora. Sic enim uocat ab ortu Arianos habere, à meridie Carmaniam, ab occasu Medos, à septentrione Hyrcanos. Plinius, quæ fuerant olim Persica regna, postea Parthorum intelligi uoluit, inter duo maria, Persicum, & Hyrcanum: montana Parthiæ Scenatas tenere populos. Strabo refert loca optima, & montibus clausa, Trogus Pompeius urbem claram in monte à Partheno primo Arsace conditam dicit: cuius loci ea conditio fuerit, ut nec quicquam munitius inueniri, neque amœnius posset, præruptis undiq; rupibus cinctus, ut tutela nullis egeat defensoribus: & soli circumiacentis tanta ubertas sit, ut proprijs opibus expleatur. Fontium ac syluarum ea copia, ut et aquarum abundantia irrigetur, et uenationum uoluptatibus exornetur. Apollodorus Hecatompylon Parthorum regiam appellauit, per mille et septingenta sexaginta stadia distantē à portis Caspijs. In Parthia terræ sunt, quas Rhagas uocauerunt, propter terræmotus q ibi frequēter fiūt, à quib. multæ urbes (ut Possidonius refert) et duo millia uicorū euersa

Margin notes: Solinus de Parthia. — Hecatōpylos. id est, 100. portas habens.

A euersa sunt. Strabo affirmat Parthiam ab initio non multam fuisse, Parthos cum Hyrcanis Persicæ uixisse, eisq́ subfuisse, cumq́ regio esset nemorosa & montana atq́ inops, reges eam cursu præterisse, cum ne minimã quidem exercitus partem alere possit: successu uero temporis auctam esse: Camisenamq́ atq́ Cormam, & totã fere regionem: usq́ ad Caspias portas & Aragos & Tapyros, quæ prius Medorum erãt, ad Parthos transisse: atq́ Apamiam & Heracliã insignes urbes, & Rhagis uicinas, in Parthia uidetur describere. Parthorũ collegiũ duplex fuisse affirmat, alterũ affiniũ, alterũ Magorũ & sapientũ, atq́ ex his duob. reges creari, nationẽ Barbarã esse uerum bellacẽ, & à Scythis ortã, quæ propter præclara belli facinora, adeo polluerit, semper aliquid finitimis adimens, ut tandẽ ad Euphratem propagarit imperium, & uim Scythis attulerit, Bactrianæ partem eius auferens, & propter imperij magnitudinem cũ Romanis uario Marte contenderunt, Scytharum exules crediti, quod ipso uocabulo manifestari Trogus affirmat: nam Scythico sermone exules Parthi dicuntur: ij Assyriorum & Medorum temporibus, inter orientes populos obscurissimi fuere: postea quocunq́ imperium orientis translatũ est, ueluti uulgus sine nomine, præda uictorum fuere, & Macedonibus triumphato oriente, seruierũt. Parthia frigidissimos habet montes, & planities admodum calidas, administratio gentis post defectionem Macedonici imperij, sub regibus fuit: proximus maiestati regũ, & populorum ordo, ex hoc duces in bello, & in pace rectores habuere: sermo his inter Scythicum Medumq́ medius, et ex utrisq́ mistus: uestis olim sui moris, posteaquã opes accessere, luxuriæ materia, ut Medis, prælucida ac fluida: armorũ patrius, ac Scythicus mos, exercitum nõ ut aliæ gentes liberorũ, sed maiorem partẽ seruorũ habuere: quorũ uulgus nulli manu mittendi potestate permissa, ac per hoc omnibus seruis nascẽtibus indies crescit, hos pari liberos suos cura, & equitare, & sagittare, magna industria docẽt. Locupletissimus ut quisq́ est, ita plures in bella equites regi suo præbet: aduersus Antonium cũ equitum quinquaginta millia Parthi duxissent, soli quadringẽti liberi fuere, præliari in acie comminus, aut obsessas expugnari urbes, ignari. Pugnauerũt aũt procurrentib. equis, aut terga dãtibus sæpe fugã simulantes, ut in cautiores aduersum uulnera insequentes haberẽt. Signũ his in prælio non tuba, sed tympano dabatur, nec pugnare diu poterant, de quib. Lucanus: Pugna leuis, bellumq́ fugax, turmæq́ uagãtes. Et melior cessisse loco quã pellere miles: Illita terra dolis, nec Martẽ cominus unquã Ausa pati uirtus, sed lõge tendere neruos: Et quæcũq́ uelint permittere uulnera uentis. Cæterũ intolerãdi fuissent, si quantus erat impetus, uis tanta & perseuerantia fuisset: plerũq́ in ipso ardore certaminis prælia deseruerunt, ut cũ maxime te uicisse putas, tunc tibi discrimen subeundũ sit, munimẽtũ ipsis equisq́ loricæ plumatæ fuerunt, quæ utrũq́ toto corpore texere, auri, argentiq́, nullus, nisi in armis, usus: uxorea dulcedine libidinis singuli plures habuere, nec ulla delicta adulterio grauius uindicarunt: ob quã rem fœminis non conuiuiũ uirorum tantum, uerumetiam conspectum interdicebant, carne non nisi uenatibꝰ quæsita, uescebantur. Equis omni tempore uectabantur, illis bella, illis cõuiuia, illis publica, ac priuata officia obibant: super illos consistere, mercari, colloqui. Hoc deniq́ discrimẽ inter seruos liberosq́ fuit, quod serui pedibus, liberi nõ nisi equis incedebant. Sepultura uulgo, aut auium, aut canum, laniatus fuit. Nuda demum ossa terræ obruere, in superstitionibꝰ, atq́ cura deorum præcipua omnibus ueneratio. Ingenia genti timida, seditiosa, fraudulenta, procacia: quippe uiolentiam, uiris, mansuetudinẽ mulieribus, assignabant: semper in externos, aut in domesticos, motus inquieti: nam taciti ad faciendũ, quàm ad dicendum promptiores. Secunda atq́ aduersa silentio tegebant, principibus, metu, non pudore parebant. In libidinem proiecti, in cibũ parci, fides dicti promissiq́ nulla, nisi quatenus expedit. Libet hic paulo altius ordiri, et res Parthicas quæ memorabiles fuerũt, longius attingere. Orientis imperiũ primo Assyriorũ fuit, postea Medorũ, deinde Persarum, quarto loco Macedonum, quos Parthi simul & Romani debellarũt: seu uerius hodie domestica & execrãda parricidia, post mortem Alexandri magni Parthiã tanquã uilem & inopem nemo Macedonum dignatus est. Ob quam rem, Stragonori externo socio eam tradiderũt. Exin, Macedonib. inter se ciuili bello contendentib. Parthi Eumenẽ secuti sunt, et eo uicto, ad Antigo

Parthorũ collegium.

Parthi exules dicti.

B

C

Serui pedibꝰ Liberi equis omni tempore incedebãt.

Orientale imperium quoties mutatum.

De regni Parthici initio.

Antigonum transiere. Post hunc à Nicanore Seleuco, & Antiochio, & successoribus eius possessi sunt. Demum uero à Seleuco, Antiochi nepote, defecerunt impunitatẽ assecuti, quia Seleucus cum Antiocho fratre, de regno contendebat, quo tempore & Theodotus Bactriæ præfectus defecit, quem Strabo Eucedamum appellare uidetur: qui cum se regem appellare iussisset, exemplum totius orientis populis præbuit, ut à Macedonib. deficerent. Nullum est enim imperium, quod ciuilis discordia non euertat. Parthianæ defectionis auctor Arsaces fuit, cui alij Bactrianam originẽ præbent, alij Scythicam, et qui Scytham fuisse putant, ex paruis ortum affirmant, quos Dahas credunt, & Dahis profectos, qui ultra Meotim habitauere Xandros siue Parios dictos: nonnulli Dahas circa ostium Caspij maris posuere, ex quibus ortus Arsaces cum plerisq; Nomadibus Ochũ accolentibus Parthiam inuaserit, atq; obtinuerit: Trogus incertæ originis dicit, qui solitus latrocinijs et rapto uiuere, ac cœpta opinione quod Seleucus à Gallis in Asia uictus esset, cum prædonum manu Parthiam ingressus, Mãdragoram regionis præfectum oppresserit. & imperium gentis inuaserit: duarumq; ciuitatum imperio potitus, parato grandi exercitu, aduersus Theodotum Bactrianorum, & Seleucum Persarum regem, se tueri conaretur. Theodoto cito mortuo, filius eius eiusdem nominis, pacem & fœdus cum Arsace percusserit: nec multo post, cum Seleuco rege ad defectores persequendos ueniente congressus, uictor euaserit. atq; is dies Parthorum imperij initium fuerit, qui ab eis solemnis habetur. Ex quo libertas genti orta, reuocato deinde Seleuco, nouis in Asiam motibus, dato laxamento, regnum Parthicum formam accepit, & recte uiuendi normã, constitutis magistratibus, qui belli pacisq; munera sub rege gererent. Arsaces quæsito, constitutoq; regno, matura senectute decedit, cuius memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes deinde reges suos Arsaces appellauerint. Huius filius et ipse Arsaces nomine, aduersus Antiochum Seleuci filium centum millibus peditum, & uiginti millibus equitum instructum, tanta uirtute pugnauit, ut ad postremum in societate eius reciperetur. Tertius Parthis rex Priapatius fuit, & ipse Arsaces dictus, qui actis in regno quindecim annis decessit, Mithridate & Phraate filijs relictis: quorum maior Phraates, more gentis hæres, Madros ualidam gentem bello domitam regno adiecit, nec multo post decessit, instituto fratre hærede, quãuis multos reliquisset liberos. Quo tempore Eucratides apud Bactros regnauit (de quo supra meminimus cum de rebus Bactriæ ageremus) Mithridates aduersus Medos bellum gerens, uictoria demum potitus, ac uiribus auctus, Pharsacem Mediæ præposuit, & Helimeorum gentem regno suo adiecit, rege ipsorum in prælio superato. Imperiumq; Parthorum à monte Caucaso, usque ad flumen Euphraten, protulit: nec minor Arsace proauo gloriosa senectute decessit, relicto Phraate filio, hærede, qui cum bellum inferre Antiocho regi statueret, Scytharum motibus ad sua defendenda reuocatus est, profectusq; aduersus Scythas Hymerum quendam ad tutelam regni reliquit, qui oblitus uicarij officij tyrannica crudelitate Babylonios, multasq; alias ciuitates importune uexauit. Ipse autem Phraates Græcos secum contra Scythas adduxit, quos prius in bello aduersus Antiochum gesto, superbe, crudeliterq; tractauerat: ij cum inclinatam Parthorum aciem uidissent, arma ad hostes transtulere, insigni proditione contumelias ulti: Phraates obtruncatus est, & in eius locum Arthabanus patruus constitutus, Scythæ uictoria contenti, populata Parthia, in patriam redierunt. Arthabanus bello Thegarijs illato, uulneratus in brachio statim decedit. Mithridates filius succedit, cui res gestæ magni cognomen dedere. Multa enim bella cum finitimis summa uirtute gessit, & cum Scythis prospere dimicauit, ultorq; iniuriæ parentum fuit, ad postremum Arcoadisti Armeniorum regi bellum intulit, deinde propter crudelitatem à senatu Parthico pulsus est. Frater eius Herodes cum regnum uacans occupasset, Babyloniam quo Mithridates cõfugerat, diu obsedit: & fame coactos in ditionem oppidanos compulit, & Mithridatẽ in conspectu suo adductum, trucidari iussit: Deinde cum Romanis bellum gessit, Crassumq; cum filio & omni exercitu deleuit: huius filius Pacorus missus ad persequendum Romani belli reliquias, magnis rebus in Syria gestis, reuocatur in patriam: patri suspectus, nam quem non timeat, qui

Seleucus à Gallis in Asia uictus.

Herodes fratrem occidit & Crassũ cũ filio & exercitu deleuit.

D

E

F

A qui fratrem occidit. Exercitus Parthorum illo absente in Syria relictus, à Cassio quæstore Crasi cum omnibus ducibus trucidatur. Post hæc ciuili bello Parthi Pompeianarum partium fuere, cum Crasi alterum filium in partibus Cæsaris esse audirent, uicto Pompeio auxilia Bruto & Cassio aduersus Augustum et Antonium misere, & post belli finẽ rursum Pacoro duce, inita cum Labieno societate, Syriam & Asiam uastauere: castraq; Ventidij, qui post Casium, absente Pacoro exercitum Parthicum fuderat, magna mole aggrediuntur. Sed ille simulato timore diu continuit, & insultare Parthos aliquantisper passus, ad postremum in securos lætosq; partem legionum emisit, quarum impetu fusi Parthi in diuersa abiere. Pacorus cum fugientes suos abduxisse Romanos secum legiones putaret, castra Vẽtidij aggreditur: ille reliqua parte legionum emissa, uniuersam Parthorum manum cum ipso Pacoro interfecit. Herodes audita nece filij, diu sine cibo fuit, nec aliud loquebatur, nisi Pacorum: erant enim triginta filij ex diuersis pellicibus, quarum quælibet suum filium loco Pacori substituendum petebat. Dum Herodes deliberat, unũ ex filijs Phraates eum interfecit, pœnasq; occisi ab eo fratris exegit: sed Phraates multo sceleratior patre, uniuersos fratres suos trucidat, nec filio suo parcit, ueritus ne illum optimates sequerentur, qui sibi erant infesti: hinc Antonius propter auxiliũ Bruto missum, cum sedecim ualidisimis legionib. intulit bellum: sed grauiter multis prælijs uexatus, & amoris impatiens, quo Cleopatram ardebat, à patria refugit. Phraates insolen-

Cassius Parthos trucidauit.

Herodis 30. filij.

B tior ea uictoria redditus, à populo in exilium pellitur, nec multo post tempore Scytharũ auxilio in regnum restituitur. Nullius est enim tanta nequitia quæ non inueniat adiutores, si quid auferre utilitatis posse uidetur. Substituerant interim Parthi Tyridatem, qui audito Scytharum aduentu, cum magna amicorum manu ad Octauianum in Hispaniã belligerantem confugit, obsidem Cæsari Phraatis filium ferẽs, quem negligentius custoditum rapuerat, pariturum se omni tempore Romanis affirmans, si ad recuperandum regnum adiuuaretur. Phraates, & ipse legatos ad Cæsarem mittit seruum suum Tyridatẽ, & filium remitti postulat: Cæsar his cognitis, neq; contra Tyridatem se Parthis dixit, neque aduersus Parthos Tyridati auxilia daturum. Phraati tamen filium sine precio remisit, & Tyridati quo ad manere apud Romanos uellet, opulẽtum sumptum præberi iussit. Sed finito Hispaniensi bello, cum in Syriam ad componendũ orientis statum uenisset, metum Phraati incussit, ne bellum Parthiæ inferret: Itaq; tota in Parthia captiui, siue ex Crassiano, siue ex Antonij exercitu recollecti, signaq; cum his militaria Augusto remissa: sed & filij nepotesq; Phraatis obsides Augusto dati: plusq; Cæsar magnitudinẽ nominis sui fecit, quam armis alius imperator facere potuisset. Misit tamẽ Augustus antequàm moreretur, aduersus Parthos, rebus nouis studentes, Germanicũ Drusi filium, Caligulæ patrem: qui anno quarto Tyberij Cæsaris, de illis clarũ triumphũ egit. Sub Ne-

Cæsar Phraati filium sine precio remisit.

Germanicus Drusi filius de Parthis triũphauit.

C rone Parthi Armeniam sustulerunt, & Romanas legiones sub iugũ misere, ægreq; Syria retenta est. M. Antonio & Aurelio Commodo imperiũ tenentibus, Vologesus rex Parthorum graui eruptione facta, non Armeniam modo, sed Cappadociam, Syriamq; uastauit. Antonius tamen per duces suos eum repressit, ac Seleuciam Assyriæ urbem super Hydaspem fluuium sitam, & multa hominum millia in deditionem accepit, & cum fratre de uictoria Parthica magnifice triumphauit. Traianus qui usq; ad Indos imperium protulit, Parthos pluribus bellis uicit, eisq; non modo australia regna, sed Armeniam quoque abstulit. Sub Hadriano Cæsare, qui Traianum secutus est, iterum res Parthicæ auctæ sunt, & Euphrates utriusq; imperij limes factus, contenderunt cum Seuero Cæsare Parthi: & ab eo superati sunt. Aurelius Bassianus cognomento Caracalla, inter Edissam & Cannas commisso cum Parthis prælio, interfectus est. Helius lampridius non in prælio, sed cum ex prælio, recessisset, ad requisita naturæ, insidijs eum à Macrino præfecto occisum dicit: Deinceps ad orientale imperium, nunc Parthicum, nunc Persicum appellatum reperimus: quamuis imperio Persico Macedones finem imposuerunt. Sed scriptores non tam gentem, quæ imperaret, quàm locum cui imperabatur, intuiti sunt: ideoque Persarum reges, pro Parthicis acceperunt. Aurelius Alexander Xerxem regem Persarum maximo prælio superauit. Cordianus Parthis bellum intulit,

tulit, qui iam moliebantur erumpere, feliciterq; prælijs ingentibus eos afflixit: rediens autem, non longe à Romanis finibus, interfectus est, fraude Philippi qui post eum imperauit. Valerianus, qui septimo & uigesimo loco post Augustum imperio præfuit, et uigesimo loco post Augustum imperio præfuit, à Sapore rege Persarum captus, luminibus orbatus, ignominiose in Persarum seruitute consenuit: id officij apud eos sortitus, ut Sapore equum ascendente, incuruatus regem non manu sed dorso leuaret, Sub Galieno Parthi Mesopotamia Syriaq; potiti sunt: sed Odenat⁹ his recuperatis, usq; ad Thesiphontẽ penetrauit. Carus Narbonensis secundus et trigesimus ab Augusto, Persas prælio uicit, Senem & Thesiphontem notissimas urbes cepit: & cum castra super Tigrim flumẽ haberent, nõ armis hostium, sed ictu fulminis interijt. Maximianus, aduersus Narseum Persarum regem, inter Gallinicũ & Carras, congressus superatus est, fugitq; ad Diocletianum in Mesopotamiam, à quo turpiter receptus, & admodum reprehensus, instauratis uiribus, iterum cum Narseo Ormisade & Saporis auo in Armenia maiore pugnauit: Victorq; pulso Narseo castra eius diripuit, uxores, sorores, & liberos cepit, & cum ingenti præda ad Diocletianum redijt. Constantius magni Constantini filius, à Persis multa & grauia damna perpessus est: uidebatur tamen superaturus in fine, nisi ad ciuile bellũ contra Iulianum redire compulsus esset. Iulianus rerũ potitus, Parthis intulit bellum, oppida aliquot et castella eorũ in deditionem accepit, et ui expugnauit: Assyriam populatus est, castra apud Thesiphontẽ statiua aliquandiu habuit, rediensq; uictor, dum se incõsultius prælijs inserit hostili manu interfectus est, sicut Eutropius refert, qui eius expeditioni interfuit. Nonnulli diuinitus interemptũ asserunt, qui ex Christiano ad gentilitatem redisset, propter quod mox ut uulneratum se intellexit dixisse fertur, uicisti Galilæe (sic enim apostata per irrisionem appellabat Christum, Iouinianus duobus prælijs uictus, pacem cum Sapore Parthorum rege necessariam, sed ignobilem fecit, abbreuiatis imperij finibus: & parte superiore Mesopotamiæ tradita, quod ante eum annis trecentis & duobus de uiginti, ex quo Romanum imperium conditum erat, nusquam acciderat. Iustinianus Parthos bella mouentes per suos duces pluribus prælijs superauit, postea apud Euphratem eius exercitus uictus est: Sed per Bellisarium resarcita sunt damna, & fœdus cũ Parthis initum. Zeliorbes Hunorum rex intra Scythiam manentium, cum uiginti millib⁹ aduersus Iustinianum Cosdroam adiuturus aduenit: sed suspectus ab eo habitus, multis uulneribus confossus, interfectus est.

Valeriani ignominiosa seruitus.

Iuliani apostatæ diuinit⁹ illata mors.

D E

De Cosdroa tyranno & uictoria Heraclij, crucem domini ablatam ac iterum esse restitutam, de Maumethe pseudopropheta, necnon insigni uictoria Tharmerlanis Parthorum ducis, Cap. XXXI.

SVb Foca imperatore Cosdroas Mesopotamiam occupauit, & paulòpost Palestinã cum Hierosolyma, et nonaginta millia Christianorum interfecit, partemq; crucis dominicæ secum asportauit, Heraclio imperium tenente: et deinde in Aegyptum arma uertit, Alexandriamq; occupauit: nec moratus Aphricam ingressus est, & Carthagine capta, imperio potitus est Libyæ. Heraclius pacem ab eo petijt, etiam cum dedecore imperij, neq; impetrauit à superbiente rege. Itaq; dux in eum omnia bella fortunæ committens, ille ex Azoto Syriæ fugit in Persidem relictis ducibus, quo Romanorum impetũ morarentur. Heraclius flexo ad sinistram itinere, & superato monte Tauro, in Persidẽ transiuit, uicitq; Sabbarum & Saym duobus prælijs: & tertio Razatenem alium ducem superatum, interfecit, & uigintiseptem militaria signa intercepit. Cosdroas Medarsem filium regni consortem appellauit, Syrochio prætcrito, qui natu erat maior: propter quod captus ab eo cum Medarse & uxoribus in carcerem coniectus, est, atq; deinde cum filio necatus. Syrochius Heraclio uictori captiuos reddit, & crucem domini, & insuper munera dedit. Hoc tempore Maumethes Pseudopropheta exortus est, qui Arabes ad defectionem compulit: Crux domini Hierosolymam reportata est. Heraclius nõ multo post in hæresim lapsus, per desidiam languens, Saracenorum uires tum primũ nascentes propagari et crescere sinit, qui sub falsa lege Maumethis imperium erexere. Arabes enim cũ Parthos in suam perfidiam trahere non possent uerbis, armis eos agitauere. Decesserat

F

Crux domini Hierosolymã reportata.

primo

primo regni sui anno Syrochis, eiq; filius successerat Adheser, cui pariter infra annum defuncto Ormisda, suffectus est, quem Arabes prælio superatum interfecere, eiusq; imperium obtinuere. Arabes aūt tantis uictorijs aucti: nam & Romanorum arma longe propulerant, Antiochia occupata, & in Aphricam manus iniecerant, transmissa Aegypto Saracenorum nomen assumpsere: atq; ita & Parthi, & Persæ, & Arabes, & Aegyptij, et multæ aliæ gentes in Saracenicum nomen transiere: neq; postea nomen Parthicū auditum est quasi magnum, usq; ad tempora nostra, anno circiter decimo priusquā nasceremur. Thamerlanes genere Parthus, gregarius miles, adeo inter suos uimentis & corporis agilitate excelluit, ut breui multarū gentium dux fieret: quibus Parthorum imperio potitus, Scythas, Iberos, Albanos, Persas, Medosq; sibi subegit: Mesopotamiam inuasit, atque Armeniam, transitoq; Euphrate, cum quadringentis millibus equitum, sexcentis millibus peditum, omnem Asiam quam minorem appellamus, obtriuit. Regem omnium potentissimum Pazaitem Turcarum dominum, cum pari equitum numero, & magnis peditum copijs, fines suos tutantem, apud Armenos prælio superatum, ducentis millib. hominum interfectis, uiuū cepit, caueaq; in modū feræ inclusum, per omnē Asiam circuntulit, egregium et admirandum humanarū rerum spectaculum. Castra eius in urbis modum ordinata fuere, statuto cuiq; arti loco, atq; in partes suas distributis exercitijs, ut omnia in promptu essent: ad uitæ usum necessaria summa semper rerū copia inueniebatur, cum nullus esset latrocinijs locus, tutoq; omnia comportarentur: nulla unq̄ seditio, nullus tumultus inter milites fuit, aduersam fortunā nunquā expertus est. A Tanai flumine usq; ad Aegyptū, uniuersam Asiam percurrens, Smyrnas, Antiochiā, Sebastiā, Tripolim, Damascū, multasq; ualidissimas urbes ui cepit, diripuit, atq; incendit. Soldanum Aegypti bello superatū, ultra Pelusiū repulit: Aegyptum ingredi parantē uastæ solitudines & deserta loca auerterūt, uirum belli artib. insignem, ad ea maxime obeunda promptū quæ ardua & dura cæteris uidebātur: Damasco capta, cū arcis antiquæ expugnatio difficilior uideretur, constructa è regione altera, quæ antiquam altitudine superaret, ui cepit: quis multa suorū cæde. Capha urbs est Genuēsiū, Colonia in Taurica Cherroneso, non procul à Bosphoro Cimmerico: hanc cū Thamerlanes inuadere statuisset, Scythas negociatores præmisit, qui pretiosissimas animaliū pelles minori q̄ consueuerūt precio uenundarēt, sciens aurū abscondi posse, pelles suffodi nō posse: moxq; bello indicto, admotis urbi machinis, expugnata ui atq; armis ciuitate, & auro & pellib. potitus est. In obsidionib. urbiū, prima die albo tentorio utebatur, secunda rubeo, tertia nigro: qui se se dabant in albo sedenti, salutē consequebātur. Rubeus color moriendū patrib. familiarum indicabat: niger ciuitatis excidiū, et omnia in cinerem cōuertenda. Fama est populo sæ cuiusdā ciuitatis, quæ prima die deditionē neglexisset, pueros, puellasq; omnes in candida ueste ramos oliuæ præferentes exiuisse, ut principis iram placarent: illum omnes ab equitatu[?] conculcari atq; conteri iussisse, & urbē captam incendi. Interrogatū aliquando ab homine Genuensi, qui ei familiaris esset, cur tanta crudelitate uteretur: Cōmotum ac ueluti furentē, distorta facie, ac spirantibus ignem oculis, respōdisse. Tu me hominē esse arbitraris? falleris: ira dei ego sum & orbis uastitas: caueto ne post hac mihi occurras, nisi uelis interrogationis tuæ pœnas dare. Abijt Genuēsis, neq; ulterius oculis Tyranni obiectus est. Ferebant qui Thamerlanē uiderunt, eū Hannibali fuisse similem, secundū ea quæ de Pœno scribuntur: nihil eius animo seuerius, nihil magis quā latrocinia uindicasse, ut ipse unus esset, qui latrocinari impune posset. Quærebat tanq̄ uirtutis opus quibus cum bellū gereret. Deletis regib. ac tyrannis permultis, uastatis pluribus prouincijs, onustum de uictarum gentiū spolijs exercitum in patriam reduxit: & ciuitatē Marchantem condidit, quam uarij generis captiuis repleuit, & hostium spolijs exornauit. Quod si aliquod excellens ingenium eius acta reperissent, inter clarissima ducum gesta legerentur: uita functus, duos filios reliquit regni successores, qui discordia laborantes effecerunt, ne Parthorum imperium rursus posset emergere. Thomas Apostolus Euangelium Christi, ad Parthos detulit, per quem Medi, Persæ, Hyrcani, & Bactriani nostræ fidei sacramenta receperunt. Corpus eius alij in India, alij in Mesopotamia sepultum asserunt.

Pazaites rex cauea inclusus per omnē Asiam circunfertur.

Distincta coloribus tentoria quid indicent.

Dyra tyrāni responsio.

Thomas Apostolus.

De situ Mediæ ac diuisione generatim, de montibus eius, fluminibus, Atropatia regione, & lacu Spantha, Cap. XXXXII. D

MEdia uulgati nominis terra post Parthiam ad occidẽtem occurrit: quæ (sicut Ptolemæo placet) à septentrione Hyrcano mari terminatur, ab occasu maiori Armeniæ & Assyriæ parte, à meridie Perside, ab oriente Hyrcania ac Parthia, quæ mõtibus excluditur: Hyrcaniam Charindas disterminat fluuius: inter Persidem ac Mediam Parcoatras excurrit mõs: Assyriã Choatras excludit. Armeniã Caspia iuga, & Cambisus amnis. Sagrus & Orontes altissimi montes interiora Mediæ percurrũt: Ex Oronte Straton oritur in Hyrcanum defluens pelagus, ex Zagro Amardes in idem mare decurrẽs. Eleucus quoq; fluuius ex Australi parte Zagri descendens, Mediæ magnã partem irrigat, & Parcoatram scindens montem, per latissimas terras in Persicum defluit sinum. Cyrus amnis Choatra monte dimissus inter Cambisem & Amardem in Caspium labitur mare. Regiones quatuor memorantur apud Medos: Propatena quæ occidentalis est, & ad septentrionem uergit inter mare Caspium & Zagrum montem: ad quam Margarsi, Mardi, Marundæ, Cadurchi, et Cadusij pertinere uidentur: Elimeis, quæ ad septentrionem uergens orientem respicit: et Tapuros, ac Tribuces populos. Daritis magna in conualle iacet: hinc Parcoathia inde Oronte clausa. Syromedia regio tota montana est, & ad orientem uergit, coniuncta Parthiæ, & Ragianæ regioni, Parcoathiæ montis insidet iuga, & ad meridiem respiciens supereminet Persidi ac Parethacinæ regioni, quã nonnulli Mediæ tradiderunt. Oppida supra quinquaginta memorantur, quorum nomina referre plus tedij quã utilitatis habet, tantũ est quod Ptolemæus nobis de Media tradit. Strabo dicit Mediã multum & olim potẽtem regionem, in medio Tauro sitam esse, qui circa hæc loca multifidus, & conualles magnas comprehendit. Mediam in duas partes diuiserunt, quarum alteram maiorem uocauere, alteram Antropatiam. Maioris Metropolis Ecbatana fuere, magna ciuitas, & imperij Mediæ caput, qua & Parthi postea usi sunt. Nam reges ibi æstatem agebant, cum sit frigida: hyemem uero Seleutiæ, quæ secus Tigrim est, prope Babylonem. Atropacia ab Atropato duce nominata est, qui obstitit, ne ea Macedonibus subigeretur, ut maioris Mediæ pars. Is postea rex declaratus, regionem hanc à Media sequestrauit: cuius successores regnum continuantes, cum Armeniorum regibus affinitatem contraxere: deinde cum Syris, & postremo cum Parthis. Atropacia Armeniæ & Macianæ ad orientem sita est, Mediæ uero maiori ad occidentẽ, utrinque ad aquilonem habitantibus, circa Hyrcani maris recessum: & Matranam ab Austro iacet. Araxis fluuius Armeniam et Atropaciam disterminat à Zeumate, quod est iuxta Euphratem, quousq; in Atropaciam perueniatur octo millia stadiorum esse feruntur. Maior Media ab oriente Parthia terminatur, & Cosseorum montibus, & Parescitacinis, qui etiam mõtani sunt, et latrones, ac Persis continui. Sed hos Ptolemæus Mediæ ad Austrum opponit, à septentrione Cadusijs, & ab alijs supra Hyrcanum mare habitantibus, qui à Ptolemæo inter Medos collocantur, & ut Patrocles ait, ad quinq; millia stadiorum oræ montanæ circa Caspium occupant mare, loca tenuia & aspera incolentes, ab austro Apollomatide (quam Sitacinam ueteres appellarunt) & monte Zagro, apud quem Massabatica est, quæ ad Mediam pertinet: Quidam ad Helimeam dixerunt pertinere. Ptolemæus, quamuis Sitacinam regionem & Apolloniatem, quãtum ad Mediam meridionalem facit, nonnihil tamen occidentis illis attribuit, & Zagrum montem per Mediam assurgere: Mediam ostendit ab occidente Atropacijs, & Armeniorũ quibusdam Media concluditur. In Atropacia lacus est nomine Spãtha, in quo sales nascuntur & congelascunt: eius regionis loca opulenta sunt, præter septentrionalia, quæ montana aspera sunt & frigida. Apollonides ait, ex ea regione equitum decem millia, peditum quadraginta millia ad bellum cogi posse. Multa eis cũ Parthis & Armenijs prælia fuerunt, tenueruntq; dignitatem suam, si quid amiserunt, forti manu recuperantes. Amicitiam cum Parthis, & cum Romanis quæsiuere. Regia eorum æstiualis Gaza fuit in campo sita, & Vera castellum munitissimum, quod Antonius in Parthica expeditione obsedit. Id ab Araxe stadijs abest duobus millibus & quadringentis, ut Adelphius refert, qui

Mediæ regiones.

10. millia equitum, & peditũ 40. milla Atropacia ad bellum cogit.

Gaza oppidũ ab Antonio obsessum.

E

F

A qui Antonio familiaris fuit,& illius in Parthos expeditionem conscripsit,in qua non affuit modo,uerumetiam præfuit.

De Media magna,& solo equis pascendis apto,ex hac Vescos equos genus habere,de herba, quæ Medica uocatur,equorũ nutritura,abundantia, Cap. XXXIII.

MEdia magna ex parte alta & frigida,cuiusmodi sunt montes Batanis imminentes, & qui apud Ragas et Caspias partes consurgunt,& omnes deniq; septentrionales partes,usq; in Marianam et Armeniam,huiusmodi sunt. Regio uero quæ sub Caspijs portis, & in humili, & in concauo solo iacet, opulenta est:& omnia fert,præter oleam,quæ & si ibi nascatur,arida tamẽ & sicca est. Media sicut Armenia eximie pascendis equis apta est,unde pratum quoddã est, quod Hippoboton uocatur, per quod iter faciunt, qui ex Perside & Babylone in Caspias portas proficiscuntur:in eo pasci dicuntur equarum quinquaginta millia, regium id armentum est. Vescos equos,quibus reges utebantur,optimos ac magnos,alij hinc genus habere,alij ex Armenia dixerũt:quibus propria forma quædam fuit, quemadmodum Parthicis præ Græcis cæterisq; qui apud nos sunt. Herba quæ præcipue nutrit equos,eo quod ibi abundet, proprie Medica uocatur. Longitudo ac latitudo Mediæ penè par,maxima eius lõgitudo ea uidetur, quæ est à Zagri transitu,qui uocatur Medica porta,per Sigrianam ad Caspias portas,stadiorum quatuor milliũ supra centum. Tota Media inter quartũ & quintum clima continetur:Parallelus qui per Rhodum est,australia eius attingit,secundũ Ptolemæi descriptionem:parallelus qui per Hellespontum,septentrionalia,circa Hyrcanum mare percurrẽs. Ditissimam fuisse Medorum terram (sicut Vergilius ait) ex tributo licet intueri, quod Persis pendebant:duplo enim maius fuit,eo quod à Cappadocibus exigebatur quos asserit Strabo,præter argentum,mille & quingentos equos,mulorum duo millia,& ouium quinquaginta millia pendisse quotannis: Græcas urbes in Media Macedones condidere,Laodiceam,Apamiam,& Rhagam, quæ apud Rhagas est,& prius Aropus nominata fuit. Parthi Ariaciam ædificarunt,quæ australior est, quàm Caspiæ portæ, quingentis fere stadijs(ut Apollodorus Adriamittinus ait)Ecbatanam Mediæ caput Plinius à Seleuco rege conditam dicit,à portis Caspijs per uiginti millia passuum distantẽ:Idem Margianam regionem quam Strabo uidetur à Media seiungere,inter Medos collocare uidetur,apricitatis inclytæ:quæ sola in eo tractu uitifera sit,undiq; mõtibus inclusa amœnis:ambitu stadiorum mille quingẽtorum penè inaccesso,ob incommodum arenosæ solitudinis, quæ per centum uiginti millia passuum undiq; uersum circunfusa est:cuius amœnitatem Alexander magnus usqueadeo miratus est, ut ibi primam condiderit Alexandriam,q̃ mox à Barbaris excisam Antiochus Seleuci filius reformauit,et de nũcupatione suæ dom9 dixit Seleuciã:cui9 urbis circuitus,in stadia septuaginta quinq; diffunditur. Marg9 fluuius eã interluit. In hanc Orodes Romanos Crassiana clade captos deduxit,nostri imperij magnũ dedecus. Iuli9 Solinus Tigrim fluuiũ in Armenia regione caput attollere dicit,in loco edito,ex lucido cõspicuoq; fonte:nec ab exordio statim totum esse,primo pigre fluere,nõ cũ suo nomine:At cũ fines Medorũ inuectus sit,Tigrim statim uocari(ita eñ Medos sagittam nominare)Arethusam lacũ influere grauia põdera sustinentẽ,cui9 pisces nunquã se alueo Tigridis immisceant, sicut nec amnici stagnũ attingãt Arethusæ,p quod dissimili colore uolucri meet cursu:Mox Tauro resistẽte in profundũ mergatur,quẽ subterlabẽs in altero eius latere emicet, uluas,& purgamẽta plurima secũ trahens,identidẽ abscondatur: & Adiabenos Arabasq; præterfluens, Mesopotamiam amplectitur: & amnem nobilissimum Hydaspen accipiens, Euphratem quoq; defert in sinum Persicum. Sed Ptolemæus nihil ad Mediam pertinere Tigrim demõstrat, quamuis in Armenia fontes habere fatetur. Apud Cordicam montem multi inter Medos latrocinium exercuere,sicut Cadusi,Montani,& Amardi,& Tapirdi,et Circitij,et huiusmodi plures. Nam Zagrus et Niphates mõtes has gentes sparsas habuere,quamuis Circitij,et Amardi,in Perside et Armenia essent eodem nomine appellati, et eandẽ formam seruantes. Cadusi peditum multitudine non multum ab Acianis superabãtur, iaculatores optimi existentes. Cossei olim aduersus Susios et Babylonios,Helimeorum

Hippoboton pratum.

Medica herba.

Miraculu9 Arethusæ natura.

socij sagittariorum tredecim millia exhibuere. Nearchus tradidit quatuor fuisse gentes, D quæ illis in regionibus latrocinium exercebant. Mardos, qui Persis erant finitimi: Vxios & Helimeos, qui Persis ac Susijs imminebant: & Cossæos, qui Medis, atque omnes tributum regibus pendisse, Cossæos tamen cum rex æstate Herbatanis peracta, Babylonem descenderet, dona accepisse: quorum audaciam Alexander contuderit, hyeme eos adortus. Sed Ptolemæus Mardos & Helimeos boreales facit Hyrcano mari uicinos, & inter Medos connumerat. De portis Caspijs multa memoria est. Nemo tamen satis explicat ubi terrarum existant. Quidam Amazonas portis Caspijs egressas, ad Alexandrũ uenisse in Hyrcaniam prodidere: sed ille Caucasiæ fuerunt, per quas transitus est ex Iberia in Scythiam. Neronis quoq; principis comminatio ad Caspias portas (ut inquit Plinius) ad eum transitum respiciebat, qui per Iberiam ducit in Sarmatas. Verum mõs Taurus tribus in locis interruptus, quasi portis quibusdam pertransitur in Armenia, in Cilicia, & in Media: sed illæ tantummodo Caspiæ portæ appellantur, quæ apud Medos existunt, quemadmodũ ex Ptolemæo, Plinio, & Strabone licet intelligere: ac per has transitus est ex Babylone ac Perside, ad mare Caspium, & hinc fortasse Caspiæ dictæ sunt: et quod aliquæ gentes uicinis insident montibus, appellatæ Caspiæ. Iuga uero Caspia procul hinc absunt, & ad Armenios ulterioresq; populos pertinent. Portæ autem Caspiæ (ut Iulius Solinus tradit, Plinium secutus) panduntur itinere manu facto, millibus octo E passuum longo. Nam latitudo uix est plaustro permeabilis, in his angustijs, & illud difficile, quod præcisorum laterum saxa liquentibus inde salis uenis exundãt: præterea octo & uiginti millia passuum tractus omnis, quoquo inde pergitur, humus arida, nullis puteis aut fontibus sine præsidio sitit, eum serpentes undiq; gentium conuenæ à uerno statim die illuc confluunt: ita periculi ac difficultatis concordia, ad Caspias portas accedere non nisi hyeme conceditur.

Portæ Caspiæ

Quanta portis Caspijs lõgitudo & latitudo sit.

De Medorum in Venerem profusione, de uxorum pluralitate, & Medea quæ hic regnauit, Cap. XXXIIII.

HAEC de situ Mediæ dicenda reperimus, mores gentis diuersi, montanorum ingenia ferociora sunt, qui campos habitant mitiorem agunt uitam, illi regem eligere consueuerunt, qui fortissimus esset, ut qui præda & latrocinio uiuerent, isti sapientiam genusq; sequebantur: Magna ex parte Armenis similes, omnes in Venerem profusi, regibus multas habere uxores mos fuit, nec pauciores quàm septem mulieres quoq; pulchrum sibi existimarunt, ut uiris nuberent compluribus, paucioribus quàm quinq; calamitosum putauere. Equitandi & sagittandi magnum his studium, à quibus & stola reperta est, & cultus, & ornatus: & religiosa à subditis in reges salutatio: & tiara & cithara: & pileus & manicatæ tunicæ, quibus postea Persæ usi sunt, qui subactis Medis in eorum mores transiuere: nam qui propemodum nudi uidebantur, leuissimis induti uestib. F muliebria gestare, & uelamentis contegi passi sunt, Medeam quæ ibi regnauit, ferunt eã prius uestem commonstrasse, quæ cum pro rege exiret, faciem suam occultabat. Medi à Medio dicti sunt, Aegei regis Atheniensiũ & Medeæ filio. Scribit enim Trogus Pompeius Iasonem, cum uicta Colchide domum redijsset, rursum à Peliæ filijs Thessalia pulsum, cum ingenti multitudine, comite Medea uxore, quam repudiatam miseratione exilij rursum receperat, & Medo priuigno, Colchos repetisse: socerumq; regno pulsum, restituisse: magna bella cum finitimis gessisse, captasq; ciuitates, partim regno soceri adiunxisse: partim populis, quos secum aduexerat, assignasse: primumq; humanorũ post Herculem, et Liberum patrem, qui reges orientis fuisse tradunt, eam cœli plagam domuisse, quæ ad septentrionem & orientem uergit. Post eius mortem Medum priuignum uirtutis eius æmulum, in honorem matris Medeam urbem condidisse, regnumq; ex nomine suo Medorum constituisse, sub cuius maiestate orientis imperium fuerit: Paruere tamen Medi Assyriorum regibus, usque ad Sardanapalum. Sed Arbaces Medis præpositus, ignauum regem aspernatus, Medis ad defectionem persuasis, uicto Sardanapalo, imperium ad Medos transtulit: quod sub Astyage in magno culmine fuit: Cum iam per trecentos

Medorũ mores.

A centos & quinquaginta durasset annos, Cyrus ex filia nepos Astyagis Medorum extinxit,imperium & ad Persas detulit,uicto Astyage: quem regno Mediæ priuatum,maximæ genti Hyrcanorum præposuit,nõ tam uictorem,quàm nepotem agens. Post Persas Medi Macedonibus paruere,deinde Parthis,quamuis pars eorum Romanam amicitiam secuta sit, & aliquando uictricia Romanorum stagna Mediam pertransiuerint. Thamerlanes his imperauit,hodie sub magno Cane degere creduntur: cuius imperium quamuis latissimum esse traditur, nostratibus tamen inaccessum ac pene incognitũ est.

De Armenia,quod Tigris in ea nascatur, *Cap.* XXXV.

ARmenia maior post Mediam ad occidentem occurrit:Ea,quantum ex Ptolemæo licet intelligere,à septentrione Colchidem habet,Iberiam, & Albaniam:ab occasu magnum Euphratis cursum,qui Cappadociam,minorem Armeniam,& Syriam Comagenem relinquit à dextris,& uersus Euxinum Moschios montes:ab oriente partem Hyrcani maris,ac Mediam,qua montes assurgunt Caspij:à meridie Mesopotamiam,atque Assyriam:Montes in Armenia memorantur,Moschici, qui supra partem Ponti ad Cappadociam se efferunt: Pariades, in quo fontes habent Euphrates & Araxes: Antitaurus,qui ab Euphrate scissus,& Mediam percurrens,Armeniam postremo Albus appellatur:Cordica,ex quo Tigris oritur,& in paludem Tospitis defertur: Taurus ac Niphates,qui Mesopotamiam atq; Assyriam ab Armenijs distermināt: Caspij qui uergũt ad Medos,et Caucasij,qui septentrionalia Iberiam uersus,Albaniamq; concludunt,Flumina quatuor nominantur. Cyrus qui monte ortus Caucaso, à sinistris Iberiam, Albaniamq; dimittens,Armeniam à dextris,in Hyrcanũ defertur pelagus,Araxes,ex Pariade(ut diximus)cadens,diu ad ortum excurrit,deinde ad septentrionem flectitur,& longum iter emensus,in duos diuiditur amnes:alter,borealem tenens uiam,in Cyrum cadit: alter,ad orientem uersus,mare Caspiũ petit. Euphrates eodem monte dimissus, ad Moschicos usq; mõtes,& Cappadocũ limitem,in occidentem excurrit,ibi uersus ad austrũ, non paruum iter efficit:et Antitaurũ offendens,apud Armeniam minorem,eum interse cat:pergensq; recta in meridiem, Melan in se fluuiũ accipit, ex Arga monte cadentem: Deinde Taurum attingit,quo scisso,Syriam à dextra,Mesopotamiam à sinistra cadens, in Arabiam usq; desertam prolabitur,multũ in meridiem prouectus. Deinde in orientẽ ac septentrionem uergens,Babyloniam Mesopotamiamq; disterminat, rursusq; aurorã petens,non procul à Seleucia,in meridiem flectitur:peractoq; nõ paruo cursu, apud Apamiam denuo in orientem currens,miscetur Tigri:& cum eo in austrum flexus, Persicum ingreditur sinum. Tigris quoq; in Armenia nascitur,ex mõte Cordica,de quo alio loco dictum est, secundum Iulij Solini conscriptionem. Nos (si deus dabit) alio loco secundum Ptolemæum de ipso dicemus,et paulo inferius secundũ Strabonem. Regiones Armeniorum nomen habent prope Moschicos montes,Cotharena inter Cyrum & Araxem. Thotena ultra Pariadem montem,uersus Boream,Sacapena apud Euphratem, qua uergit in Cappadociam Basilicene:& iuxta eam,orientem uersus,Obordma: apud Antitaurum,in Boreali parte,Sophena: & illi contigua Astannetis, ad ortum inter Album,& Niphatem montem Cagrandanena,& Corea,circa Chordicam montem. Gordena & Tospitis,circa paludem eiusdem nominis:& demum Anzitena, inter Taurum et Antitaurum:Non procul ab Euphrate paludes tres inueniuntur,quæ magnæ existũt. Tospitis,quã Tigris ingreditur. Arsissa,quæ non procul à Caspijs montib.inuenitur:& huius limitis,Araxi fluuio proxima oppida,quã plurima referuntur: uerũ sine dignitate à Ptolemæo,qui tantũ nomina ponit. Paralleli qui per Byzantiũ & Hellespontũ feruntur,mediam quodãmodo Armeniam intersecãt:quæ nunquã australior est parallelo qui per Rhodum deducitur,neq; illũ attingit à quarto climate,in sextũ uergens,quod mini me ascendit:Tantũ est quod nobis de Armenia Ptolemæus insinuat. Profusior & suauior Strabo est,quẽ referre haudquaquã pigebit,secundũ quem Armenia nusquã extra Taurũ ad Austrũ porrigitur:sicut nec Media. Australes Armeniæ partes Taurũ obijciunt,q eã ab omni regiõe dirimit. Quæ inter Tigrim est ac Euphratẽ,Mesopotamia dicta.

Montes Armeniæ.

Flumina Armeniæ.

Armeniæ regiones.

De Armeniæ montibus uarijs, quod arca Noë in montibus Armeniæ hæserit, & quanta niue hi sunt obruti. Cap. XXXVI.

D

ORientales maiori Mediæ, & Atropaciæ sunt contiguæ: septentrionales, montes sunt Paracoathiæ Caspio mari imminentes. Item Albani, & Iberes, & Caucasus, qui gentes has circuit, & Armeniæ, & Moschicis, & Colchicis montibus cõiungitur: usq; ad eos, qui Tibareni appellantur. Ab occasu sunt gentes hæ atq; Pariadra, & Cidissa, usq; in Armeniam minorem, & fluuialem Euphratis regionem, quæ Armeniã à Cappadocia dirimit: & Comagena: Montana fere, sed aspera est Armenia paucis exceptis Mediam uersus, ac propterea cum diluuium desedit, arcam Noë in montibus Armeniæ terræ primum hæsisse, sacra tradit historia. Taurus mons ab ulteriore Comagenorum et Medianorum regione incipiens, in Armeniam erigitur. Masius quoq; ex Mesopotamia & austro Armeniam irrumpit, inter quem & Antitaurũ est Sophina regio, cuius regia est Carcathocerta. Antitaurus autem ab Euphrate, Tauroq; initium sumẽs, ad orientales Armeniæ partes desinit: cui ad alteram partem Acilesina est, inter Taurũ & Euphratis Mesopotamiam sita, priusquã is ad Austrum deflectat. Masio, oriẽtem uersus, iuxta Gorgodilenam Niphates mons imminet: dehinc Abus quem Ptolemæus Album appellare uidetur, ex quo Euphrates & Araxes fluũt: Deinde Nibarus usq; in Mediam extenditur. Multi montes & multi colles sunt in Armenia, in quibus non facile uitis nascitur: multæ etiam conualles, aliæ modicæ, aliæ opulentæ, quemadmodum campus Araxinus, per quem Araxes fluit. Est & Sacasena regio, quã existimo Sacapenam uocari à Ptolemæo, Albaniæ & Cyro flumini finitima. Deinde Gorgarena, fructibus ac domesticis arboribus affluens, & his quæ semper uirent: fert etiam oleam. Faunena quoq; Armeniæ pars est, & Orchisena, quæ equis abundat. Corzena, & Cambisena, quæ septentrionales & ualde niuales sunt, Caucasis montibus & Iberiæ & Colchidi cõtiguæ: ubi iter agentes, in summis montium cacuminibus, niue obrui dicuntur, quæ ibi plurima cadit: ob quam rem baculos secum ferunt, quos in summam niuem dilapsi, respirãdi gratia exerunt, & ut eo signo auxilium à transeuntibus consequantur: quapropter sæpe effossi seruantur. In niue glebas quasdam concauas congelascere prodiderunt, aquam optimam tanquam in tunica continentes.

Arca Noë. in montibus Armeniæ post diluuiũ resedit.

E

Aquam in niue congelata mire cõtineri.

Qui fluuij sint in Armenia, & de Arsino lacu, aqua quæ in illo propter celeritatem impermista feruet, de equorum apud eos bonitate, & eorundem opulentia, Cap. XXXVII.

MVlti amnes sunt in Armenia: sed clarissimi Phasis & Lycus in mare Ponticum exeuntes. In Caspium, Cyrus & Araxes emittunt. In rubrum mare, Euphrates & Tigris. Araxes ex monte Abo descendens, ad orientem illatus, usq; in Atropaciam ad occasum septentrioneq; deflectit: & primo Azara præterlabitur, deinde Artaxata Armeniæ urbes: postea per Araxinum campũ, in mare Caspium emittit. Euphrates à boreali Tauri parte, qua Abus uocatur, exoriens, primo per Armeniam fluit, occidentem uersus: deinde ad austrum flexus, inter Armenios & Cappadocas, Taurum recidit: egressus uero cum prope Syriam peruenerit, ad hyemales ortus reuertitur, usq; ad Babylonem, & ad Tigrim Mesopotamiam efficit, et ambo in Persicum sinum finiunt. Arsinus lacus est in Armenia, quem etiam Toarim uocant, nitrosus, unde uestes dilacerat ac rumpit, et propterea eius aqua nõ bibitur: per hunc lacũ Tigris fertur, et à montana regione iuxta Niphatem ruens, propter celeritatem undam impermistã seruat, unde et nomen habet: nam Medi (ut ante diximus) sagittã Tigrim uocant. Lacus hic uarios pisces fert: in interiore lacus recessu flumen in uoraginẽ quandam incidens, lõgo spatio subter terrã delatũ iuxta Calonetim exoritur: inde iam ad Opam et Semiramidis murum defertur, à dextris Gordicos et totam Mesopotamiã relinquẽs, econtrario Euphrates à sinistra eandem regionẽ habet: cum uero inter se iam appropinquarint, ac Mesopotamiam fecerint, alter per urbẽ Seleuciã fertur, Persicũ sinum uersus: alter per ipsam Babylonem. Mantianis lacus, qui Ceruleanus interpretatur, in Armenia magnum nomen habet, et post Mæotim maximus creditur: qui usque in Atropaciam progreditur, et salis ha-

F

lis ha-

A lis habet fontes. Armeniæ claræ urbes habitæ sunt Artaxata, quã Hãnibal Artaxiæ regi cõdidit: & Araxata, ambæ ꝓpe Araxẽ: Araxata iuxta fines Atropatiæ: Artaxata apud Araxinũ campũ bene habitata, & regionis eius caput, iacens in flexu quodã, qui peninsulam facit, pro muro flumen opponens præter Histinum, quem uallo & fossa diuisum habuit, nec procul ab urbe castella quædam munitissima fuerunt Barbisa & Olana, ubi Tigranis & Artabasi thesauri custodiebantur: regionis latitudinem Theophanes schœnorum centum esse tradidit, longitudinem duplam, quadragenum stadiorum. Schœnum faciens, in quo ueritatem transgredi uidetur. Est tamen ueritati proximum ponere longitudinem ab illo dictam, latitudinem dimidium uel paulo plus: Effodiebantur & auri metalla apud Armenios in Sispiretidæ regione apud Cambala, ad quæ Alexander Memnonẽ cum militibus misit. Fuerunt & alia metalla, eius scilicet quæ Opandix dicitur, quam Armenium colorem uocant, Calthæ uirgultis persimilem, ut fœniculum est. Nec minus Armenia pascendis equis apta est, quàm Media. Vnde Nisei equi, quibus Persarum reges utebantur, hinc fuisse creduntur: & Armeniæ præfectus quotannis regi Persarum uiginti millia pullorũ in Phœbeis sacris mittebat. Artabazus Antonio, præter alios equos, Cataphrattorum instructorum sex millia ostendit, quando in Mediam cum illo simul irrupit: quorum equorum non Medi solum & Armenij studiosi fuere, sed etiam Albani: nam & illi cataphrattis utebantur. *Armenia pascendis equis apta.* B

De opulentia Armeniorum, auctione, Thanaide dea, de uestitu atque Sarapatis populis, Cap. XXXVIII.

OPulentos fuisse Armenos hinc documentum sumitur, quod cum Pompeius Tigrani patri Artabazi sex millia talentorum argenti scripsisset, mox Romanorum copijs uiritim distribuit, militi quinquagenas dragmas, centurioni millenas, singulis præfectis prouinciæ & Chiliarchis talentum. Tradunt Armeniam, cum prius parua esset, ab Artaxia & Zaliadra auctam, qui magni Antiochi imperatores fuere: quo superato, alter Sophinæ, & Acisenem & Odomãtidi, & quibusdam alijs locis: alter regioni, quæ circa Artaxata est imperantes, multum conualuere: & uicinis loca plurima abstulerũt: Medijs, Caspianam, & Pharnitem, & Basoropedam: Iberibus, circum montanam Peadri regionem, & Corzenam, & Gogarenam: trans Cyrum Chalybum gẽtibus & Mosinoicis, Parenitam, & Xerxenam, quæ Armeniæ minori conterminæ, uel eius partes sunt. Cathaonibus, Adisienam, & regionem quæ circa Antitaurũ est: Syris uero, Thamonitam: adeo ut cuncti lingua utantur eadem. Armeniorum mores nõ multum à Medis alieni fuerunt, & circa religionem quidam Armenij Medicꝫ Persarum ritum sequebantur. Coluerunt tamen Armenij Thanaidem quandam deam præcipuo & singulari cultu, eicꝫ plurima templa ædificarunt, tum in Acilesina, tum in alijs locis: dedicabantcꝫ C illi non solum seruos ac seruas, uerũ etiã nobilissimorum hominũ filias, quibus lex fuit, ut diu apud deã prostitutæ nuptui daretur, nec erat qui talibus renueret cõiugari. Armeniacam uestẽ, id est, longas tunicas ex Thessalia sumptã putãt. Equitandi quocꝫ studiũ tam Armenijs quã Medis Thessalicũ esse. Armenius ex Armenia Thessaliæ urbe, quæ inter feras iacet, & Larissam iuxta Beida, unus ex numero ducũ Iasonis recollecta multitudine, quæ amisso Iasone rege, passim uagabatur, Armeniam occupauit, eicꝫ nomen & mores dedit: ob quã rẽ maxime circa uestitũ Armenij Thessalos secuti sunt, q lõgas uestes gestauerũt, cũ inter omnes Græcos ualde Boreales essent, & frigida incolerẽt loca. Dicũtur etiã Thraces quidã, Sarapatæ appellati, id est, decapitatores, ultra Armeniã habitasse, ꝓpe Guramos ac Medos, mõtani homines, Brachati indociles & immanes. *Armeniorum uestitus.*

De regibus & tyrannis qui Armeniam uicissim inuaserunt, atque grauissima inter se prælia commiserunt, Cap. XXXIX.

POst uetustiores illos Armenij successores, Persæ Armeniam inuaserunt, postea Macedones, qui Syriam Mediamcꝫ habuere: postremos Orontes & Hidarni genere unus ex septem Persis: Postea ab imperatoribus magni Antiochi, qui cum Romanis bellum gessit. Artaxia & Zariadra (quorum paulo ante meminimus) in duas partes diuisa est: hi enim permittẽte rege imperauerunt: quo superato, Romanos adorti ac

reges appellati, magnum sibijpsis nomen fecere: è genere Artaxiæ fuit Tigranes, is qui eam habuit, quæ propriæ Armenia est appellata. Ea Medis, Albanis, & Iberibus contigua erat, usque in Colchidem & Cappadociam, quæ iuxta Euxinum est. Ex Adriada fuit Arthanes Sophinus, qui Australes partes habuit, eas maxime: quæ uergunt ad occidentem: hic à Tigrane deletus est, qui quanquam rerum omnium potitus, uaria tamen fortuna usus est. Nam in initio apud Parthos obses fuit, deinde septuaginta Armeniæ uallibus in precium datis, reuersus est. Auctus uero ea loca recepit, & Parthorum regione uastata, Perinium, & loca circum Arbela, Atropatinum quoque & Gordicum regulos, & cum his reliquã Mesopotamiã subegit. Præterea Syriam, Phœniciã ui cœpit. Euphratem transgressus elatusque animo penes Iberiam urbem ædificauit, quàm Tigranocerta appellauit, inter Iberiam et Euphratis põtem prope Zeugma Mediæ, hominibus duodecim Græcarum urbium à se euersarum, in ea congregatis. Sed Lucullus qui aduersus Mithridatem bellum gessit, continuo subsecutus, habitatoribus in sedes suas dimissis, opus quod adhuc erat imperfectũ facto impetu demolitus est, atque in paruũ uicũ redegit, Tigrane ex Syria ac Phœnicia pulso, uictus in ponto à Lucullo Mithridates, desperatione rerum suarum coactus, ad Tigranem Armeniæ regẽ confugerat: Lucullus in Armenia profectus Mithridatem & Tigranem, & ingentes utriusque regis copias pluribus prælijs fudit. Sed ne summam uictoriæ imponeret, seditio militum impedimento fuit. Cn. Pompeius ei suffectus, Pharnacem Parthorum regem aduersus Tigranem armauit, Tigranemque filium aduersus patrem bellum gerere suasit: ipse Mithridatem nocturno prælio aggressus, uictum ac profligatum in Bosphorum profugere cõpulit, moxque Tigranem in deditionẽ accepit: adepta Syria, Phœnice, ac Cilicia, in Armenia regnare permisit. Artabasus autẽ Tigranis filius, quandiu mansit in amicitia populi Romani, tam diu fortunatus fuit: Postea uero quam Antonium in Parthico bello hostibus prodidit, perfidiæ pœnas dedit. Expeditionem enim Antonij in Mediam, non loci natura grauem reddidit, sed uiarum dux Artabazus rex Armeniorum, quem ille sibi insidiantem consilij participem fecit, ac bellicæ sententiæ compotem. Ingressus Mediam Antonius cum legionibus peditum decem & octo, & sexdecim millibus equitum, bellum intulit Parthis: & cum duabus legionibus amissis nulla re prospere cedente retro rediret, insequentibus Parthis, ab Artabazo per deuia & aspera loca deductus, multa incommoda perpessus est: quamuis & desiderium Cleopatræ maioris incõmodi causa fuerit. Nolẽs enim in Armenia hyemare, octo millia hominum tempestatibus amisit. At cognita quamuis sero Artabazani fraude, eũque cepit uinctumque duxit Alexandriã, & cõtumeliose per urbem circunlatum, postremo in carcere necari iussit, regnumque Armeniæ filio suo ex Cleopatra Naro concessit: Mithridates tamen alius ex genere Tigranis Armeniam obtinuit, quem Cæsar Augustus captũ uinctumque Romã deduxit: eius Pharasmenes Iberorum rex, regnante Claudio, nunciauit Parthos qui Armeniã occupauerant, inter se discordes esse, magnisque bellis implicitos, facile posse Armenia detrudi, si Mithridates eo mitteretur. Annuit Claudius, Mithridates in Orientẽ profectus, Armeniam occupat ui militis Romani, fuso qui prælium cõmittere ausus erat. Demonacte præfecto paululũ cunctationis attulit rex minoris Armeniæ Chotis, sed illo literis Cæsaris coërcito, cuncta in Mithridatẽ fluxere, atrociorẽ quã nouo regno cõduceret. Bardanes qui Gottharze expulso Parthorum imperio potitus erat, Armeniã recuperare aggressus, à Iulio Marso Syriæ legato bellũ minitante cohibitus est. Nec diu post, inter Armenias & Iberos bellum exortum est, quod etiam Parthos ac Romanos inuoluit. Pharasmenes (ut diximus) Iberis imperabat: frater eius Mithridates Armenijs, præsidio Romanorum. Radamiscus Pharasmenis filius simulata aduersus patrẽ discordia, tanquã nouercæ odijs impar, peregre ad patruum primoresque Armeniorum ad res nouas illicit: deinde spe reconciliationis ad patrẽ reuertitur, paratasque insidias aperit. Pharasmenes bellũ Mithridati indicit, causas confingens, quod sibi aduersus regẽ Albanorũ & Romanos noluerit opem ferre, copiasque filio tradit, qui subita irruptione Mithridatẽ cãpis exutũ in castellũ Gorgoneas compellit, militibus & loco tutũ. Cælius Polio militibus præerat, & cum eo

Lucullus Mithridatem & Tigranẽ bello uicit.

Antonius ab Artabazo proditus.

A cum eo Centurio Casperius uiri Romani: oppugnatur frustra castellum, sed auaritia præfecti spem hosti facit. Centurio resistit, tempusq; paciscitur, ut ad præsidem Syriæ Quadratum res referatur. Polio impatiens, milites corrupit, ut pacē flagitent: compulsus Mithridates diem locumq; fœderi accipit: Ibi mox catenæ & conpedes ei inijciuntur. Pharasmenes cui regni cupido fratre potior ac filia fuit, non ferro aut ueneno, sed multa grauiq; ueste opertos & humi proiectos, Mithridatem ac uxorem necari iussit: filij quoq; trucidati sunt, quia parentum cædibus illachrymauerāt, atque ita perfidus rex neque fratri, neque filiæ, neque nepotibus pepercit. Quadratus qui Syriæ præerat mittit ad Pharasmenem, iubetq; à finibus Armenijs filium abstrahere. Iulius Pelignius ignaui animi ac ridiculo corporis iuxta despiciēdus, Cappadociæ procurator erat, Claudio per quàm familiaris: is contractis auxilijs prouincialium, tanquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis quàm hostes prædatur, abscessu suorum & incursantibus Barbaris præsidij egens ad Radamiscum uenit, donisq; eius euictus, ultro regium insigne sumere cohortatur, sumentiq; adest auctor & satelles. Eluidius priscus legatus cum legione montem Taurum transgressus, redire in Syriam iubetur. Vologesus Parthorum rex, materna origine ex pellice Græca, natus fratrem suum Tyridatem in Armeniam deducit: pulsisq; sine acie Iberis Artaxata & Tigranocerta Armeniorum urbes occupat, fratriq;
B tradit, sed hyeme superueniente parum prouisis comeatibus, & tabe exorta ex Armenia recedit. Radamiscus reuertitur, truculentior quàm antea: qui dum uastare agros pergit, & multa crudelitate utitur, subiectorum conspiratione in periculum adductus, pernicitate equorum cum coniuge simul militante saluatur: quæ grauida, primum utcunq; fugam, & metum hostilem mariti charitate tolerauit: post, festinatione continua ubi quatitur uterus, & uiscera uibrantur, orat ut morte honesta contumelijs captiuitatis eximatur: Radamiscus amplecti, alleuare, adhortari: modo uirtutem admirans, modo terrore æger, ne quis relicta potiretur. Postremo uiolentia amoris & facinorū non rudis distringit Acinacem, uulneratamq; ad ripam Araxis trahit, fluminiq; tradit, ne corpus etiā auferretur, ipse præceps per Iberos ad patrium regnum peruadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida illuuie spirantem, ac uitæ manifestā aduertere pastores, & dignitate formæ haud degenerem reputantes, obligāt uulnus: agrestia medicamina adhibentur, cognitoq; nomine & casu, in urbem Artaxatā ferunt: inde publica cura deducta ad Tyridatē, comiterq; excepta, cultu regio habita est. Nero qui Claudio successit, cognitis quæ in Armenia gesta erant, legiones orientis iuuentute supplet, & prope Armeniam collocari iubet. Mittitur Corbulo, qui partē exercitus ab Humidio Quadrato suscipiens, rebus afflictis consulat, exoritur in tempore æmulus Vologeso filius Bardanis, abscedunt Armenia Parthi, tanquā differrent bellum: traduntur obsides nobilissimi ex fa-
C milia Arsacidarum, & prior solitaq; reuerētia in Romanū populum à Vologeso innouatur, gloriā facti Quadratus in se trahit, cuius cēturio obsides acceperit: Corbulo sibi uendicat, quia non prius conuersus rex obsides dederit, quàm ipse dux bello delectus, spes eius ad metā mutauerit, sed nō diu postea bellū resumitur, cum Vologesus Tyridatem fratrem in Armeniæ regno solidare uellet & Corbulo dignum duceret, parta à Lucullo & Pompeio recipere: Armenij dubia fide utraq; arma inuitabant, situ terrarum, similitudine morum, Parthis propiores, connubijsq; permisti, ac libertate ignota, illuc magis ad seruitium inclinantes. Tyridates ope Vologesi fratris adiutus, Armeniam infensat, ubi Romanis fidos esse arbitratur: Corbulo præsidium impartitur oppresis, & regem Antiochum proximas sibi præfecturas petere monet. Pharasmenes interfecto filio Radamisco, quasi proditore suo, quo fidem in Romanos testaretur, uetus aduersus Armenios odium Pompeius exercebat. Tyridates spe delusus, per Oratores quæritur, cur datis obsidibus, Armenia pellatur. Corbulo suadet ut ad Neronē mittat, regnumq; petat, tractatur de colloquio, neq; conuenitur. Interea Corbulo oppidū Volandum, ui capit, & trucidatis puberibus, militi diripiendū concedit. Artaxatam caput gentis Armeniæ, cuius Mœnia (ut ante diximus) Araxis abluit, ultro se dedētibus oppidanis, cū sine ualido præsidio retineri nō posset, igne deleuit, ac solo æquauit: Barbaros ad speluncas confugientes,

Mithridates cum uxore uestibus suffocatur.

Radamiscus in fuga uxorē semmecem relinquit.

Corbulo Artaxatam solo æquauit.

fugientes, fumo & igne consumpsit: Mardos suo more latrocinijs Armeniā infestantes, D immissis Iberis uastauit, hostilemq; audaciam externo sanguine ultus est. Tigranocerta petens, aureā coronā à ciuibus oblatam accepit, dataq; populo pace, præsidium quod ferox iuuentus clauserat, non paruo certamine expugnauit. Hyrcanorum legatos qui ad principem Romanum societate contra Parthos oratum ierant, regredientes, ne transgressi Euphratis ostium, custodijs circunuenirentur, dato præsidio ad littora maris Rubri deduxit. Vnde uitatis Parthorū finib9, ad primas sedes remeauere. Tyridatē per Medos extrema Armeniæ intrantē, abire procul, & specie belli amittere coēgit. Interea Tigranes ex nobilitate Cappadocū regis Archelai nepos, qui diu Romæ obses & usq; ad seruilē patientiā dimissus fuerat, ad capessendū Armeniæ regnū, à Nerone delectus, cum præsidio Romanorū militū Euphrate trāsmisso Armenia potitur, rebusq; secundè cedētibus, Adiabenos cōtermina nationem uastat. Monabazus quē penes Adiabenorū regimē erat, auxiliū à Parthis petit. Tyridates quoq; Armenia pulsus ne deseratur, Vologesus & Adiabeno & fratri auxilia decernit. Monesemq; aduersus Tigranē ducem declarat, qui & si in famā sui præiret, nō tamen incautū Tigranem offendit: cui Corbulo, qui iam Syriā acceperat, morte Hinnidij legati uacuā, duas legiones auxilio miserat: reliquas pro ripa Euphratis locauerat. Tigranes igitur in Tigranocertam sese recepit, copia defensorum & magnitudine mœniorū ualida, quorum partem Nicepharius amnis haud E spernenda latitudine ambit. ibiq; obsessus est. Corbulo Casperiū centurionem ad Vologesum mittit, qui obsidionē solui iubeat: reperitur rex apud Nisibim oppidum, septem & triginta millibus passuum à Tigranocerta distans: qui acceptis Corbulonis mādatis, missurum se ad imperatorē Romanū legatos dicit, super Armenia petenda, & firmanda pace: & nihilominus Monesem Tigranocertam dimittere iubet. Scripserat paulò ante Corbulo, ut proprius dux ad res Armeniæ mitteretur. Nero Cesennium Petū cum quatuor legionibus, & Galatharum Cappadocumq; auxilijs eo transmisit, legatis Parthorum absq; spe ulla remissis. Reuocauerat præsidia ex Tigranocerta Corbulo, & Parthi urbem inuaserant: Petus transmisso Tauro in Armeniam gloriabundus exercitum duxit. Captisq; quibusdam castellis, gloriæ ac prædæ non parum nactus erat: si aut gloriam cum modo, aut prædam cum cura, habuisset. Sed corrupto qui captus erat commeatu, & distante iam hyeme, reduxit exercitum. Magnifica de se ipso Cæsari scribens, quasi iam bellum confecisset. Parthi interea in Syriam irrumpere conati, à Corbulone, cum Euphratis transitu prohiberentur, in Armeniam uerterunt. Nesciumq; Petum atque improuisum magno & infenso agmine inuadunt. Petus quasi prælio certaturus obuiam procedit, deinde amisso centurione & paucis militibus, quos uisendis hostium copijs præmiserat, trepidus remeauit. Tria millia peditum proximo Tauri iugo F imponens, quo transitum regis arceret. Alares quoque Pannonios robur equitatus in parte campi locauit, coniugem & filiū in castello (cui Arsamasota nomen erat) data in præsidium cohorte, abdidit. Sed Vologesus nihil mutato consilio, ui ac minis Alares exterruit, legionarios obtriuit, ipsumq; Petum obsedit, qui cognito periculo missis ad Corbulonem precibus, auxilium petijt, sed minime expectauit. Nam dum Corbulo per Comagenam & Cappadociam in Armeniam ducit, ad colloquium cum Vologeso ueniens, præsente Monabazo Adiabeno, ita conuenit, ut liberatis obsidione legionibus, omnis miles finibus Armeniorum decederet, Castellaq; & commeatus Parthis traderentur, fieretq; copia Vologeso mittendi ad Neronem legatos. Petus una die quadraginta millium spatium emensus, desertis saucijs ad ripam Euphratis, Corbulonem obuium habuit: Pauca inter se locuti sunt, Corbulo irritum laborem questus est, potuisse Parthos deleri, si expectatus fuisset. Petus integra utriq; cūcta respōdit, cōmitterent aquilas, & uicti inuaderent Armeniā abscessu Vologesi infirmatā. Corbulo non ea imperatoris mandata dicere, incertumq; esse an Syriam Parthi repeterent, eo quod reuersus est Petus, qui Cappadociam hybernauit. Vologesus Corbuloni mandat castella trans Euphratem facta, detrahit amnemq;, ut olim mediū reddat: ille Armeniam diuersis præsidijs uacuam fieri expostulat, uterq; paret. Inter hæc legati Vologesi

Tigranes obsidetur.

Petus magnifica de seipso Cæsari scripsit.

A Vologesi Romam ueniunt, Armeniam petentes, cuius possessionem dij potētiæ populorum arbitri Parthis tradidissent offerentes Tyridatem, accipiendo diademati in urbē uēturum. Nero, ut intellexit uacuam Romano milite Armeniā, & Parthos petere quod habebant, bellum maluit, reuocatoq; cum ignominia Peto, Corbuloni eam potestatem dedit, quam olim Cn. Pompeio bellum piraticum gesturo traditam ferunt. Corbulo cōgregato magno exercitu, Euphratem transmittere parat. Tyridates, & Vologesus, legatos ad eum de pace mittunt, nec Corbulo superbe respondet, tēpusq; tractando trahit. Interim Magistanas Armenios, qui primi à Romanis defecerant, suis sedibus pellit: Castella eorū excidit, plana edita ualidos atq; inualidos pari metu complet. Vologesus inducias petit, Tyridates locum diemq; colloquio poscit, tempus propinquū, loc9 in quo nuper obsessæ cum Peto legiones erant, ubi ad colloquium uentum est, uiso Corbulone rex prior equo desilit, nec cunctatus Corbulo, sed pedes uterq; dexteras miscuere: Romanus laudat iuuenem, quia omissis præcipitibus cōsilijs salutaria capesceret, ille de nobilitate generis multa præfatus, deniq; iturum se Romam dicit, laturumq; nouū Cæsari decus, non aduersis Parthorū rebus supplicē Arsatidē. Tum placuit Tyridatem ponere apud effigiē Cæsaris insigne regiū, nec resumere nisi manu Neronis. Paucis inde diebus interiectis, magna utrinq; spe, inde eques compositus per turmas, & insignibus patrijs: B hinc agmina legionum stetere, fulgentibus aquilis, signisq;, & simulacris deum, in modum tēpli. In medio tribunal sedem curulē, & sedes effigiē Neronis sustinebat. Ad quā progressus Tyridates, cæsis ex more uictimis, sublatū capiti diadema imagini subiecit, magnis apud cūctos animorū motib. quos angebat insita adhuc oculis Romanorū cædes aut obsidio. At nūc uersus casus iterū Tyridatē ostētui gētibus quasi captiuū dedit, atq; in hūc modū, quāuis Armeniā Parthi possiderēt, Roman. tamē auspicijs impabāt.

Petus cū ignominia reuocatus.

Tiridatis & Corbulonis colloquium.

Quomodo Armeni Christiani sint effecti, & Tyridates gentis illius rex, sit ad baptismum conuersus, Cap. XL.

IN temporibus autem religiosi principis Constantini, Armeni Christiani effecti sunt. Aiunt enim Tyridatem tunc gentis illius regem, ex quodam mirabili signo circa domum suam diuinitus ostenso, Christi baptismum suscepisse, qui simul omnes suæ ditioni subiectos, una præceptione iussit, ut similiter deo colla summitterent. Ex quo factum est, ut ad finitimas quoq; gentes Christianum dogma transiuerit, & multitudine dilatatum sit: quorum commercio etiam Persæ rudimenta fidei susceperunt, sicut postea suo loco dicetur. ¶ Cherronesus deinceps scribenda est, magna illa & illustris Armeniæ maiori continua, & ad Hellespontum usque porrecta, quam plerique Asiam uocauere, non illam cui in orbis terræ diuortio tertiam dedimus partem, sed minorem ac propriam, & in ea comprehensam, quamuis angustioribus inclusa limitibus, tertio C loco proxima ponitur.

Quanta sit longitudo, quantaue latitudo Asiæ minoris, Cap. XLI.

MArcus Agrippa (ut est apud Pliniū) minorē Asiā in duas partes diuisit, unā inclusit ab oriente Phrygia ac Lycaonia, ab occidente Aegeo mari, Aegyptio à meridie, à septentrione Paphlagonia: cuius lōgitudinē quadringētis & septuaginta millib. passuū patere uoluit, latitudinē trecentis & uiginti: alterā terminauit ab oriente Armenia minore, ab occidente Phrygia, Lycaonia, ac Pāphylia à septētrione, prouincia Pontica: à meridie, Pāphylio mari, longā quingēteis septuaginta quinq; millibus passuū, latā trecētis uigintiquinq; millib. Quo iudice nusquā Asia Euxinū attingit: modo Paphlagonib. modo Pōticis gētib. septētrionē obsidētibus: Nōnulli Asiā inter Euxinū & Taurū cōclusere, ab Hellesponto Aegeoq; mari, ad Halyn usq; fluuiū & Cappadociæ limites extēsam, uniuersas in medio gentes complexā, quibus Crœsus imperauit: quē Herodotus gentium dominū appellat, quæ eis Halyn existūt. Alij longe minorē propriā Asiam tradidere præcipue Ptolemæus. Cherronesum uero Triquetram pleriq; dixerunt, tanquam minima æstimatio eius lateris facienda sit, per quod ducitur Isthmus: qui tamen nusquā tria millia stadiorum cōplectitur, quamuis Plinius ducenta millia passuū ei attribuerit, Arthemidorum forsitan secutus, qui mille & quingenta stadia ponit: Verū

Isthmi



Plinius notatur. Iſthmi lineam alij à Sinopenſi ora, alij ab Amyſenſi in Cilicum pelagus & Iſsicum ſinũ producunt: quæ deſcriptio magnam Cappadociæ partem extra Cherroneſum collocat. Nobis melior Ptolemæi ſententia uiſa eſt, qui Cherroneſi huius Iſthmũ paulo ultra Trapezuntem incipiẽs, per Moſchicos montes, ad Euphrátem producit, ac fluuium ipſum per Antitaurum & occurrentes minoris ac maioris Armeniæ campos, ad Amanum uſque recta fluentem ſequitur, donec Syriam attingat. Exin lineam in occidẽtem per eiuſdem Amani montis iuga, uſque ad Iſsicum ſinum reflectit, nec nobis quicquam obliquatam lineam abiecerit, nam & qui ab Amyſo in Iſsicum ſinum Iſthmum acipiunt lineam non rectam ſequuntur, minus qui à Sinopico ſinu, cui non Iſsicum ſed Pamphylium pelagus è regione opponitur, et Tracheæ Ciliciæ littus, reliqua Cherroneſi latera mari undiq; alluuntur. Aquilonare Pontico ab oſtio Boſphori uſq; in Colchidẽ. Auſtrale, primo Dorienſi, poſt Lyciaco, mox Pamphylico, deinde Cylico, & poſtremo Iſsico: Occidentale quoque multinomium euerberat mare. Intra Byzantium & Chalcedonem Boſphorus Thracius appellatur, ubi latius ſe pelagus effundit, Propõtis eſt: rurſus in anguſtijs, Helleſpontus, exin magis ac magis patẽs, Ægeũ pelagus, cui ſuccedit Icarium, & deniq; non procul à Creta Myrtoum. Multum in quolibet latere ſinus, & multæ peninſulæ, ſed nobiliores in occiduo. Lõgitudo lateris aquilonaris octo milliũ ſtadiorũ eſt, reliquum aliquãto minor. Tota Cherroneſus ſeptentrionalior eſt. paralleio qui per Rhodum ducitur, auſtralior eſt qui per Byzantium: Si Paphlagonum & aliorum quorundam pleraq; loca exceperis, terra magna ex parte ad quintũ pertinet, clima propter quod temperata eſt & frugifera, pecori ſalubris & homini.

In quot

In quot sit diuisa Cherronesus, Cap. XLII.

A PTolemæus totam Cherronesum in partes octo diuisit. In prima Pontum & Bithyniam locauit, duarumque prouinciarum apud autores late memoratarum, limites confudit. Secundo loco Asiam circunscripsit, & propriam nominauit. Phrygiam ei Mysiamque & alias plerasque prouincias admiscens: tertio Lyciam: quarto Galatiam, cui & Paphlagoniam, & Lycaoniam, & Pisidiæ partem adiecit: quinto Pamphyliam, sexto Cappadociam, septimo minorem Armeniam: cuius partes ita designauit, ut intra Cappadociam haud dubie contineri uideatur. Vltimam omnium Ciliciam fecit, suos cuique parti terminos assignans, quos prout commodum fuerit, referemus. Strabo plurimas partes fecit, & multas gentes, multasque nationes commemorauit, de quibus suis locis quantū necesse fuerit explicabimus. Nobis aptissima totius Cherronesi triplex partitio uidetur: Prior & nobilior pars est Asia, quæ ab Hellesponto usque ad Halyn & Cappadociam porrigitur, & à monte Tauro in septentrionem uersa Ponto procumbit Euxino. Altera est Cappadocia, quæ incipiens ubi Asia desinit, orientem uersus ad Euphratē usque procurrit, & ab Euxino Antitaurum superans, usque ad Taurum & Amnum montem in meridiem extenditur. Tertia est omnis plaga, quæ à summis Tauri iugis, usque ad mare in Austrum uergit: hæc rursus trifariam diuiditur. Nam Lycia in hac parte continetur, & Cilicia, & Pamphylia: similiter & asiam partimur & Cappadociam. B Asiam enim propriam seorsum ponimus, & Bithyniā, & Galatiam, & minori Cappadociæ minorem Armeniā, et oram Ponticam subtrahimus, facillima hæc partitio quæ uel gētes respicit, uel fluminū ac montiū naturales terminos. Verum reges ac populi qui rerū potiti sunt, pro sua quique libidine atque imperij magnitudine prouinciarū limites aut extenderunt, aut coarctarunt: quæ res locorum cognitioni maxime aduersa, scriptores non modo obscuros, uerum etiam inter se contrarios reddidit. Conandum tamen est, ut quæ à maioribus tradita sunt cognoscentes quantum fieri potest, noua etiam non ignoremus. Magnam igitur Cherronesum (ut promissum est) conscripturi, à Cappadocia sumemus initium, quæ orientalior est, Armeniæ proxima. Exin reliquas partes prosequemur: nec insulas memoratu dignas omittemus, quæ Asiæ propinquæ sunt. *Cherronesi triplex partitio.*

In quot sit diuisa Cappadocia, Cap. XLIII.

CAppadocia mutationes plurimas accepit. Persæ in duas satrapias diuisere. Macedones ex satrapijs regna constituerunt, & partim Cappadociæ quæ Taurum uersus est, proprie Cappadociam nominarunt, alteram Pontum, Euxino expositam. Cappadociæ fines (quemadmodum Ptolemæo placet) occidentem uersus Galatæ occupāt, & Pamphyliorum aliqui: ad meridiem Cilices, per Taurum montem, & Syriorum quidam, & Amanum usque ad Euphratem: ad orientem Moschici mōtes assurgunt, & C Armeni occurrunt Euphratis accolæ: septentrionem Euxinus claudit ab Amyso usque ad Aspori fluminis ostia. Paria propemodum Strabo de limitibus Cappadociæ refert. Macedones, & qui post eos in Cappadocia regnauere, decem præfecturas cōstituerunt. Cæsar & senatus qui Archelao uita functo regnum in prouinciam redegerunt, unam addidere: eas nominare nihil suauitatis habet, quarum aliquæ ad minorem Armeniam pertinent, aliquæ ad ipsam propriam Cappadociam: cui etiam Isuriæ pars coniuncta est. Sed diximus Cappadociam tres partes habere, has nunc prosequi oportet: & primo de minori Armenia dicendum est, quæ orientem respicit, Euphrati & maiori Armeniæ contermina. Australe eius latus ad Syriam spectat & Amanum montem: boreale, ad Cidissiæ iugum usque pertendit Pharnaciæ & Trapezunti uicinum, quæ ad occidētem uergunt, propria Cappadocia excipit.

De situ minoris Armeniæ, quomodo deum coluit, quamuis in errores non nunquam lapsa, Cap. XLIIII.

IN Armenia minori (sicut Ptolemæo uidetur) non parua pars est Antitauri, & Melitina regio, quæ persimilis est Comagenæ. Sola enim ex omni Cappadocia domesticis arboribus tota consita est, & oleum fert, & Monoraticum uinum, quod cum Græco decertat, Hæc inter Cathaoniam & Euphratem iacet Comagenæ cōtinua, & Sophinæ *Monoraticū uinum.*

Ee opponi-

opponitur, maioris Armeniæ regioni admodum fertili. In hac Strabo ciuitatem nullam esse dixit, sed castella in montibus munita, asseruitq; minorem Armeniam satis felicem esse, & semper à potentioribus occupatam fuisse, quemadmodum Sophinam: occupatores autem interdum cum cæteris Armenijs amicitiam habuisse, interdū per sese uixisse: qui & Chaldæos & Tybarnos sibi subiecere, montanos populos, qui Cidissam incolentes medij fuerunt inter Pōtum & minorem Armeniam. Mithridates Eupator quinque & septuaginta castella apud eos construxit, & opes suas in illis uelut inexpugnbilibus collocauit. Sed manus humana quæcunque facit, eadem destruit, nec ullum est homini tutum in terra refugium. Mithridates in his arcibus tandē à Pompeio clausus est, & tamdiu immoratus, donec per obsidionem in Bosphorum fugere cogeretur. Pompeius circa hæc loca in Armenia minori Nicopolim condidit, quæ postea optime habitata est. Melas fluuius ex Argeo monte descendens, per minorem Armeniam in Euphratem exoneratur: Ptolemæus plurimas ciuitates, & aliquot prouincias minoris Armeniæ commemorat: quarum australiorem Orbisenam dicit, Amano monti propinquam, & magis septentrionalem, Orbalisenam oræ Ponticæ continuam, Cathaoniam quoque minori Armeniæ dedit, sed nos Strabonem secuti eam Cappadociæ relinquimus. Successu temporis minor Armenia Taurum transcendit, Ciliciamq; complexa est: cuius Turcæ nostra ætate sub Caramanno duce, imperium tenent. Armenia tamē minor, proprium ducem habet Christi cultorē, qui ad nos anno superiore legatum misit aduersus Turcas suppetias petitū. Armenij enim post accepta fidei sacramenta nunquā Christū negauere, quamuis procul ab Apostolica sede constituti in errores aliquos inciderunt. Gotfrido autem & reliquis Christianis ducibus, qui Hierosolymam petierunt magno adiumento fuere, commeatus ministrantes, & hostium consilia atq; itinera ostendentes. Fredericus imperator cognomento Barbarossa, qui primus eius nominis imperauit, traiectis in Asiam copijs, minorem Armeniam occupauit, gesturusq; rex maximas uidebatur, nisi lauandi gratia perspicuū amnem ingressus, absorptꝰ aquis disparuisset, & uanas hominum cogitationes ostendisset. ¶ Cappadocia quæ maior & propria dicitur, ab orienti minore Armenia terminatur, ab occidente Lycaonia & parte Galatiæ, à meridie Tauro monte, ex quo boream uersus usq; ad Comana Ponti & Amasiorum australia protenditur. Apud ueteres separati fuerunt à Cappadocibus Cathaones, tāquam alterius linguæ genus. Ariarates eos Cappadociæ addidit, qui primus Cappadocum rex est appellatus, Illi postea usque adeo in Cappadocum linguam ac mores transiuere, ut nulla peregrinæ gentis signa remanserint.

Fredericus Barbarossa dum lauat in amne absorptus disparuit.

De Cathaonia, & de Pyramo fluuio eiusq; alueo, Cap. XLV.

CAthaonia plana est, lata, & cōcaua, & omnia fert præter ea quæ semper uirent. Mōtes, cum alij, tum Amanus à parte australi, quæ à Tauro Ciliciæ quodāmodo auulsus est, & Antitaurus in contraria abruptus eam intercludunt, ut Straboni uidetur. Sed Ptolemæus Cathaoniā inter Taurū & Antitaurū collocat, ut qui Taurū nō ante Amanum uocat, quā Syriam attingat. Strabo etiā in Cilicia Amanū appellat, & Cathaoniæ contra nothum opponit. In Antitauro, qui per Cappadociam ad septentrionē inclinat, & orientis nonnihil apprehendit, conualles profundæ et angustæ sunt. In his Comana ciuitas fuit, & Bellonæ fanum, & sacrorū seruorū, quos numine afflatos putabant, ingens multitudo. Strabo cum ibi peregrinaretur, supra sex millia se inuenisse testatur uiros ac mulieres: tanta illic hominū turba obsequio dæmoniū mācipata erat. Cathaones urbem incoluere, qui & si regi subditi erant, sacerdoti tamen parebant: qui & fani & sacrorum seruorum magna ex parte dominus habebatur, ex progenie regū electus, & secundo loco post regem in honore habitus. Sacrorū genus Orestem cum sorore Iphigenia è Scythia Taurica illic attulisse putabāt: quæ Dianæ Tauropolæ uocabantur, Creditus est hic Orestes lugubrem comā deposuisse, atq; hinc urbi nomen datum. Eam Sarus amnis interfluit, qui per Tauri cōualles deuolutus, ad Cilicū campos, et subiectū pelagus excurrit: Pyramus amnis ut Ptolemæus existimat, in Orbisena prouincia, quā minori Armeniæ dedimꝰ, caput attollit: ut Strabo apud Cathaoniā è media planicie, qui mox exortus

A navigabilis est: nec diu currens memorabilem fossam ingreditur, per quam aqua purissima magno spatio occulte sub terram fertur, deinde in summũ exoritur, tanta ui, ut immergi superne uix hasta possit: cum Tauro se adiungit, mirum in modum contrahitur fluuius, & mira est montis cæsura, per quã aquæ ducitur alueus, imminentes flumini petræ utrinq; fere usq; ad montis summa pertendentes, duorum trium'ue iugerum spatio concauæ sunt, solum quod interiacet totum saxeum, ualde profundum, & angustam rupturam in medio habet, ut eam canis ac lepus saliat: & fluminis quidem alueus ad labrũ usq; plenus est, latitudine aquæ ductus par, qui propter obliquitatẽ & angustias & uallis profunditatẽ, tanquã tonitru procul exauditur: montes egressus tantũ limũ in mare deuoluit, partim ex Cathaonia, partim ex Ciliciæ campis, ut non ab re carmina illa in modum oraculi ferantur: Tempus erat rapidis olim Pyramus undis: In sacram ueniet congesto littore Cyprũ. In Sargausina prætura, quæ Lycaoniæ uicina est, oppidũ fuit Herpa apud flumen Carmalã, quod in Ciliciam emittit, & Argus munitio alta iuxta Taurũ, & Nora, quæ postea Noraxus dicta est, in qua Eumenes obsessus dum restitit, & postea Sisimis thesauros habuit, is qui Cappadocum imperiũ adortus est, cuius regia fuit Cadena, in modum urbis ædificata, & in montibus Lycaoniæ sita. Sauera quoq; olim uicus fuisse dicitur, qui postea magnifice ædificat9, regionis Metropolis extitit: in Morimena B regione Iouis fanum celebre fuit, in quo sacrorum seruorum fere tria millia habitabant, qui cum crederent se deo seruire, dæmoni famulabãtur. Sacerdos eius sacram regionem habuit admodum fertilem, ex qua prouentum annuum accepit talentorum quindecim, & durante uita sacerdotium tenuit, quemadmodum Comanus secundus post illum in honore habitus.

De Thianensi prætura, quot Cappadociæ præturæ, ubi Asiæ fanum in quod nudæ mulieres nudis pedibus primores ingrediuntur, Cap. XLVI.

IN Thianensi prætura Thiana urbs fuit Tauro subiacẽs, qui apud Cilicas portus est, ad quas montium cacumina in Ciliciam ad Syriam tendentia facillima sunt & omnibus communia, Ptolemæus Thianam urbem & præturã ab ea dictam ad Borealeis Antitauri parteis collocauit: hæc urbs aggeri Semiramidi subiacuit optime munito, nõ procul hinc Castabala fuerunt: & Cibistra oppida monti propinqua. In Castabalis fuit Dianæ Perasiæ fanum in quo sacras mulieres super prunas nudis ingredi pedibus illesas crediderunt, tantum præstigia dæmonum potuere. Perasiam id est translatitiam iccirco deã dixere, quia eius sacra per Orestem è Scythia aduecta, sicut Comana putauerunt. Regionem iuxta Taurum Eusebiam uocauere, magnam ex parte planam & fertilem inter præturas Cappadociæ, quas undecim esse diximus: unam Cilicam Strategiam appellarunt, quæ ultra Antitaurum uersus Boream iacet. In hac mons est Argeus omnium altis-C simus Asiæ minoris centro proximus, cuius cacumina semper niue albicãt, è quibus dicunt qui eo ascẽdunt, quanquã paucissimi sunt, sereno cœlo æquor utrunq; perspici Issicum scilicet & Ponticũ. Mazacã sub Argeo sitã Cappadoces matrẽ urbiũ habuere, quæ etiã Eusebio nuncupata est, & magna Cæsarea: hæc ad ciuitatis habitationẽ incõmoda fuit, nam & sicca & debilis erat, & immunita, sed hoc fortasse de industria factum, ne freti mœnibus ciues nimis confiderent, planiciem habitantes arduis collibus clausam. Circunstantia loco omnino sterilia & inculta erant, quamuis campestria arenis plena & petris, & paulo ulterius igne exusta: solumq; per multa stadia incensum, quapropter necessario è longinquo non sine periculo afferebatur.

Sacræ mulieres super prunas nudis ingrediebantur pedibus.

De Argeo, & quomodo Cappadocia lignis careat, & de Argei situ, Cap. XLVII.

NAm cum tota fere Cappadocia lignis careat: Argeus tamen syluosus est, sed loca syluæ subiecta ignes habent, & gelidis aquis plena sunt: nec tamen aut ignis aut aqua in summũ exit, & solũ herbidũ est, & quibusdã in locis palustre, ex quibus per noctẽ flãmæ cõsurgunt. Locorũ gnari caute ligantur, reliquis periculũ est præsertim pecori in obscuras ignis fossas insidẽti. In Mazacea fontes habet mellis, loco humillimo: sed plus damni affert quã emolumẽti, cum nõ aptũ habeat exitũ, & in lacus ac pecudes diffusus, urbis aẽrẽ æstate corrumpat, & lapidicinis non parũ noceat, alioquin utilissimæ paludes

Ignis fossæ.

ipsæ sæpe ardere uisæ sunt. Rex Ariarates ut regioni cōsuleret, angustijs quibusdā obstructis ad quas Melas exitū in Euphratē habet, proximā planiciē totam lacu diluit: atq; insulas quasdā tanquā Cycladas cōprehēdens ibi per hyemē immorabatur. Clausura uero ad imū rupta, aqua soluta est: intumefactusq; Euphrates habitationes ac consita multa deleuit, ob quā rem ijs, qui damnū passi erant, trecētis talētis mulctatus est à Romanis. Idē circa Herpā contigit Carmale exitu obstructo, & ore deinde rupto, cū aqua quædā Cilicū loca deuastasset: sæpe enim cōtra euenit quā cogitamus, & damnū ferimus ubi sperauimus lucrum. Elegerunt aūt reges Mazacinorū loca ad habitandū, quæ totius regionis media erant: & lignis ac lapidibus abundabant, & herba qua plurimum ad alēda pecora indigebant, alioqui incōmoda, sed montibus & uicinis munita castellis.

De Mazaca, de exemplo quomodo parentes uereri debent pueri hic gesto, quibus abundet Cappadocia, Onichitum lapidem in ea inuentum, Cap. XLVIII.

DIstat Mazaca à Ponto stadijs octingentis Austrum uersus, ab Euphrate paulominus quàm duplum, à Cilicijs portis sex dierum itinere. Mazacini Charondæ legibus utebantur, assumentes aliquem legis peritum, qui leges eis interpretaretur, quemadmodum apud Romanos iurisconsulti, atque ita ciuitatis duplex erat seruitus iurisconsultorum & regum: nam populi qui legibus uiuunt, his proculdubio seruiunt, qui leges interpretātur. Mazacinos Tigranes Armenius male affecit: omnes enim transtulit in Mesopotamiā & Tigranocerta magna ex parte ex his coluit, postea captis Tigranocertis, potentiores reuersi sunt. In hac urbe (sicut Aug. in libro de ciuitate dei scribit) decem fratres fuere, septem mares & tres fœminæ, inter suos ciues nō ignobiles: qui cum matri uiduæ parū obtemperarēt, ab ea maledicti sunt, moxq; diuinitus ea pœna coërciti, ut horribiliter omnes membrorum tremore quaterentur, ex quibus duo ad Augustinum peruenere. Paulus frater & Palladia soror, & apud memoriā beati Stephani martyris orantes sanitatē consecuti sunt: quo exemplo, & parentes uereri, & sanctos Christi martyres uenerari docemur. Gabadania regio campestris est, & cæteris australior, nam Taurū subit, & uix ullā fructiferarum arborum producit, sed pascua habet optima, sicut reliqua Cappadocia, præsertim apud Gargaurā & Morimenā. Tota Cappadocia frugibus abūdat, maxime frumēto, & pecore omnis generis, quæ cum Pōto australior sit, frigidior tamen est: in ea Sinopica nascitur rubrica omniū optima, quæ cum Iberica decertat, & appellata est Sinopica, quia mercatores eo illam deferebant, priusquàm Ephesiorū emporiū tam celebre esset, quā postea factum est. Archelai inquisitores Onichitum lapidem in Cappadocia, & crystalli crustas inuenerunt. Cappadorus amnis (ut Plinius ait) genti nomē dedit, antea Leucosyri dicebantur, de quibus in Ponticis rebus mentio fiet. Alexander qui post Narcisum Hierosolymitanæ præfuit ecclesiæ, uir doctrina clarus, & morū sanctitate conspicuus ex gente Cappadocum fuit, & pontificatum in patria sua gessit, ad Hierosolymam peregrinationis causa petens diuina illic uoluntate retentus est, non ambitione propria, ut multi hodie ad meliores ecclesias migrant.

Decē fratres à matre uidua maledicti tremore quatiebātur.

De Ponto, quare Cappadocia aliquando dicta, Leucosyris, cuius sit figuræ Pontus, Cap. XLIX.

SEquitur Pōtus qui (ut Strabo ait) ab occidenti Haly flumine clauditur, ab oriēti Colchide, à meridie minori Armenia, et ipsa propria Cappadocia: nec termini in hac parte satis certi ostenduntur. Boream Pontus immittit, à quo nomen acceptum Ptolemæus (ut ante diximus) Bithyniam Pontumq; commiscuit: quamuis & circa Trapezuntem Ponti mentionem uideatur afferre. Mithridates Eupator Ponti rex cōstitutus, ab Haly flumine usq; ad Tybarnos, & Colchos, & Armenios regnauit, & cis Halyn quasdam Paphlagoniæ partes, usq; Amastrim & oram Heracliam possedit, Pontumq; appellauit, cui minorē Armeniam adiecit: atq; his finib. eo sublato Pompeius prouinciā accepit, qui distributis inter principes secū militātes his, quæ uersus Armeniam & Colchidē sunt, reliqua in undecim gubernationes diuisit, & Bithyniæ adiecit, ut ex utrisq; una efficeretur prouincia, quā Ptolemæus uidetur describere. Paphlagonū quosdam his regendos

A regendos dedit, qui erant à Philemone, quemadmodũ Galatas his qui erãt genere Tetrarchæ. Postea Romanorum duces alias atq; alias partitiones fecerũt: nam & reges et principes constituerunt, et ex ciuitatibus alias deliberarunt, alias principibus tradiderũt, alias sub Romano populo dimiserunt, quibus ex rebus haud mirandum est, si Pontus ipse alios atq; alios accepit terminos: & aliquando à Bosphoro Thraciæ usq; in Colchidem procurrit, aliquando in Heraclia finem accepit, aliquãdo alibi nos in hac descriptione Strabonis limites amplectemur, ab Haly fluuio auspicantes: hic fontes habet in maiori Cappadocia, iuxta Cambisenam, & multus ad occidentem fertur: postea ad septentrionẽ cõuersus, Leucosyros in dextera, Galatas & Paphlagonas in sinistra relinquit: et in Euxinum exit, non procul à Gadilone. Cappadoces (ut diximus) Leucosyri prius appellabantur, ad differentiam Syrorum qui extra Taurum sunt, colore adusto, quod albiores essent nomen adepti: his sedes apud Halyn fluuium Euxinumq; fuerunt. Pindarus ait Amazonas, Syrium hastatumq; exercitum duxisse, significans Themiscyræ habitatores. Themiscyra enim Amysinorum Leucosyrorumq; fuit, qui post Halyn orientẽ uersus in Ponto erant. Pontica regio haud multum lata fuit, & formã quodãmodo pyramidis habuit: tanto magis arcta atq; reducta, quanto in orientẽ ulterius procedit. Nã circa Pharnaciam, & Trapezuntẽ, plurimũ à minoribus Armeniæ mõtibus coërcetur:
B apud Halyn qui Galatas & Paphlagonas disterminat Basim habet: nec tamen hæc latitudo amplior est sexcentis aut octingentis stadijs, à mari usque in Cappadociam: huius oræ partem Amysini habuerunt, partem Pompeius Deiotaro dedit, ut ea quæ Pharnaciæ & Trapezũti proxima sunt, in Colchidem & Armeniam minorẽ, atq; horũ regem fecit, cum paternã Tetrarchiam haberet: hic est pro quo apud Iulium Cæsarem orauit.

De Gadisonetica regione, Cap. L.

POst Halys ostia uersus auroram Gadilonetica occurrit regio usq; ad Saramenam tota campestris, & lustrum omnium ferarum: oues in ea pellis & lanæ mollioris fuerunt, quod in tota Cappadocia & Ponto perrarum dicunt. Inerant & Damæ quæ alibi raræ sunt: postea Gadilonem Saromenam posuere, & Amysum ciuitatem insignem, distantem à Sinope stadijs noningentis: hanc prius Milesij condidere: postea princeps Cappadocũ reformauit. Deinde Athenienses Pyreum uocantes habitauere. Eupator templis exornauit, & partem muris instruxit. Lucullus obsedit. Pharnaces traiecto Bosphoro uexauit. Iulius Cæsar libertate donauit. Straton tyrannus inuasit. Marcus Antonius regibus dedit: Augustus Cæsar post bellum Acciacum libertati restituit, qua diu bene usa est. Hæc regionem optimam habuit, & Themiscyram possedit, antiquum Amazonum domicilium, & Sydinam.

De Themiscyra campo, & quomodo Pontus regio sit fertilis, & in ea uiri docti orti sint, Cap. LI.

C THemiscyra campus est ab Amyso sexaginta stadijs distans, qui pelago alluitur: & monti adiacet arboribus pleno, & aquis irriguos, ex quibus flumen unum efficitur, cui Thermodoonti nomẽ est. Id cãpũ percurrit, & Amazonũ fabulis clarũ habetur. Est & alterũ flumẽ, huic æquale, eãdẽ planiciem irrigãs, nomine Iris, cuius fontes in ipso Ponto reperiũtur. Iris mediã Comanorũ Ponticorũ urbẽ perfluit, & in occidentẽ uersus Daximoneticã felicem campũ permeat: postea apud Garuiram illustrem quondã regiã, quæ iam pridẽ corruit, ad septentrionẽ conuertitur, deinde rursus ad arorã, & Silace fluuio atq; alijs amnibus assumptis, ad ipsa Amasiæ mœnia egreditur in Phanaroeam: Villicus ex Armenia minori descẽdens, & cum eo concurrens nomẽ amittit. Postremo per Themiscyram actus, in mare deuoluitur. Planicies Themiscyræ semper rosida & herbida est, equorum boumq; nutrix, miliũ et panicum multum producit, nec unquã fame uexatur. Præter montana regio agrestibus pomis abundat, uuæ, pruna, mala, et nuces spõte in syluis enascuntur: quocunq; anni tempore in syluas exieris, fructus inuenies, aut in arboribus pendentes, aut in folijs iacentes: et propter alimoniæ copiam multa est ferarũ omnis generis uenatio, Themiscyram sequitur Sidena planicies, licet non ualde ferax irrigua tamen, habẽs in ora maritima loca munita, Sidã, ex qua Sidena nominatur, et alia

Quocunq; anni tempore in syluas exieris fructus inuenies.

pleraq;,atq; hucusq; Aminisa pertenditur:hinc uiros in disciplinis excellentes cõmemorat Strabo. Demetrium Reteni filium mathematicum,& Dionysiodorum,& in grãmaticis Tyrannionem,quem ipse audiuit:post Sidenam fuit Pharnacia,oppidũ munitissimum,deinde Trapezus græca ciuitas,in quã ex Amyso duum millium & ducentorum stadiorum nauigatio est,hinc ad Phasim mille & quadringentorũ,siue ut alia tralatio habet,quadraginta:tanta est totius oræ Ponticæ longitudo. In hac ora ab Amyso nauigantibus,promõtorium Herculanũ prius occurrit,deinde Iasonium,mox Genetes, postea Cytoras oppidum à quo in Pharnaciam migrarũt inquilini. Subinde Histopolis humi prostrata,ulterius sinus in quo Hermonassa est Cerasus: unde appellata creduntur Cerasa,loca abũde habitata: nec procul ab Hermonassa habitationẽ ponũt Zigopolim appellatam: tantũ Strabo de hac littore tradit,Ptolemæus ulteri9 & promõtoria,& urbes, & flumina usq; ad Asporũ amnẽ cõmemorat:uerũ sine dignitate & historia. Trapezunti & Pharnaciæ:ad austrum imminebant olim Tibareni,& Chaldæi,& Sanni prius Macrones nominati,& Armenia minor,& Apaitæ:hic quodãmodo locis proximi erãt,qui prius Cercetæ dicebantur. Inter hos Cidissa mons asperrimus erigitur,& Moschicis cõiungitur,qui ad Colchidem pertinent: cuius summa ab Heptacometis,id est, Septipagis obtinentur,Pariadra quoque per hos præterit,qui à locis Sidenæ et Themiscyræ proximis,usq; in Armeniam protenditur: omnes hi agrestes homines fuerunt, præsertim Heptacometæ, quorum nonnulli super arboribus ac turribus habitarunt, Vnde & Mosmeci dicti sunt,id est,turricolæ. mosmos enim turres uocant, his cibus farina, caro, & arborum fructus erat. Peregrino generi infesti tres Pompei cohortes obtruncarũt,cum per montana transirent: miscentes enim crateras furentis mellis, quod rami arborum ferunt: potos & mente alienatos adorti, facile interemerunt. Quædam ex his barbaris Bizares uocabantur. Et qui Chaldæi dicti sunt,prius Chalybes appellabantur,apud quos Pharnacia sita est,in mari habens Pelamidũ copiam,in terra ferri & argenti metalla. Sed argentaria postea defecere,ut est terrenarum omniũ rerum finis,ora hic maritima prorsus angusta est. Continuo enim rupes incumbunt nemoribus ac metallis refertæ: cultura agrorum exigua,ideo ex fossionibus & piscationibus uictum quærunt, & multam ex delphinis aruinam recipiunt ad res uarias utilem. Homerus in dinumeratione gentium quæ ad Troianum bellum iere,cum Paphlagonũ meminisset,postea Halizonas adiecit, quo Strabo Chalybes esse arbitratur:de quib9 modo locuti sumus. Sed quidam Halizonas,quidam Amazonas scripsere,quarum uaria historia est: alij eas apud Cariã,Lydiãq; collocarunt,alij Migdonũ campum illis attribuerunt,alij in Hellesponto sedes dedere, alij ultra Borysthenem in Scythia eas quæsiuere: Vulgarior opinio Themiscyram illarũ fuisse primam censet,quamuis Scythicam originem ducerent. Leucosyri earum postea sedes inuaserunt,à quibus Henetes exisse putauit Meandrius, qui Troianis auxiliũ tulere, atq; inde cum Thracibus digressi, in Adriæ sinu habitauere.

Cerasa unde sint appellata

Heptacometæ super arboribus ac turribus habitarũt

De Sydina & soli fertilitate, Cap. LII.

PHarnaciæ uersus occidentem,ut diximus, continua est Sydina,postea Themiscyra, his ad Austrum Phanarea incumbit, quæ Ponti partem beatissimam obtinet:nam & oleis & uitibus consita est,& cæteris rebus excellit: hæc à partibus orientalibus Pariadram montem obtendit,in longitudine secum pariter progredientem, ab occasu Pazemoneticam regionem in Sydina conuallis quædam est, longitudine ac latitudine insigni,quã Lycus ab Armenia minori descendens irrigat,& in media ualle miscetur Iri. In concursu amnium Amasia urbs fuit Strabonis patria optime munita,quã primus fundator Eupatoriam à se nominauit. Pompeius cum inchoatam inuenisset colonis introductis,& regioni illi addita Magnopolim appellauit. Ea in media planicie iacuit,& profunda ualle, per quam fertur Iris,mira prouidentia & natura cõstructa,quæ ciuitatis usum exhiberet,fuitq; optime munita turribus & propugnaculis,& præruptæ petræ rupibus, apud quã & regiæ fuerũt,& regũ monumenta. Sub ipsis Pariadræ radicib9 Cabira sita fuerunt,stadijs centũ quinquaginta quam Magnopolis australiora:hic erat Mithridatis regia apparatu magnifico structa,hic aquarum balnea calidarũ,ferarum uiuaria,propinquæ ue-

A quæ uenationes, aurifodinæ: fuit & Nouus locus appellatus, stadijs ducentis à Cabiris distans, petra munita ingentis altitudinis: undiqꝫ prærupta, & mœnib. cincta, quæ in uertice fontem uberrimũ habuit, & ad radicem flumen, & cisternam profundã, & montana in circuitu ad centum uiginti stadia altissimis tecta syluis: hic preciosissimi Mithridatis thesauri comperti sunt, quos Pompeius in Capitolio dicauit: qui cũ Cabira in urbis modum struxisset, Diopolim nominauit. Sed Pithodoris eam augens Augustam appellauit, & pro regia sua usus est. Ptolemæus Sebastopolim uocat, quod idem sonat. Nõ procul hinc uicus fuit urbis amplitudinẽ habens, nomine Cameria, in quo fanũ mensis Pharnacis appellatum est, multis sacris seruis ornatũ, & regione sacra diues: quod adeo reges uenerati sunt, ut quod ipsi regis iusiurandũ uocarent, id regis fortunã, & Pharnacis mensem dixerint: supra Pharnaceam uersus meridiem Comana fuerunt Pontica, eodem nomine quo maioris Cappadociæ Comana, eidem deæ siue eidem dæmoni consecrata, simile templi ædificium, & similem fere ritum habentia, & sacrorum, & diuinationum, & cultus erga sacerdotes: in his maxime quæ ante reges fiebant, quoniã bis in anno in festis q̃ deæ exitus appellabantur, sacerdos diadema gestabat, & secundus erat in honore post regem. Pompeius huic templo Archelaum sacerdotem præfecit, & sexaginta stadia regioni adiecit, cui sacri serui fuerunt sex millia: cæca & perdita hominum manus. Archelaus filius fuit eius, quem Sylla & senatus in honorem habuerunt: & qui Mithridatis Eupato- *Seruorum sacrorũ sex millia.*

B ris se filium effingens, Ptolemæi regis Aegypti filiam duxit uxorem, & à Gabinio postea in prælio interemptus est. Lycomedes post Archelaum sacerdotium accepit, & eo sublato Clitatus Adiatorigis filius, qui ob unitatem hanc dignitatem obtinuit: nam Cæsar Augustus Adiatorigem cum uxore ac filijs in triumphum ducens, illũ cum filio maiore statuit interimẽdum: maior hic erat. At cum secundus, militibus qui eum ducebant maiorem se affirmaret, diu inter ambos contentio fuit, & pulchrũ de morte certamen, cũ præmori uellet uterqꝫ, quousqꝫ parentes Clitato persuasere, ut iuniori cederet, asserentes ipsum, qui ætate prouectior esset, maiorem de matre ac reliquo fratre curam habiturum. Itaqꝫ secundus cum patre interemptus est: Clitatus seruatus uel inuitus, qui hanc dignitatem est consecutus. Nam Cæsar, re cognita, uehemẽter doluit, & eos, qui seruati erant, beneficio & cura prosecutus est. Comana urbs populosa fuit. Multi ex Armenia, et ex uicinis ciuitatib. ad festa conueniebãt, uiri simul ac mulieres, & sacra deæ, ut ipsi putabant, ex uoto perficiebant. Incolæ molles ac delicati, mulierum multitudo maxima, et operatrix: & magna ex parte quamuis sacra, meretricio uiuens, tanta gentilium stultitia fuit, ut lupanaria etiam sacra putarent: Ager circumiectus uitibus consitus est, aptissimus qui Veneri fomentum præstaret. *Pulchra fratrum de morte contentio.*

C *De Coma urbe, & quanta incolarum superstitio, de uarijs Ponti regionibus, & unde Germani salis habeant excoctionem, de Sandara monte ubi metalla effodiuntur, & qui Pontici Christum colant, Cap. LIII.*

REgio Zelitica Comanis ad orientem iacet, in ea urbs fuit Zela super aggere Semiramidis condita, & illic Anaitidis falsæ deæ templum, quæ ab Armenijs colebatur. Hoc in loco maxima cum sanctimonia fiebant sacra, quamuis dæmoni celebraret, & iusiurandum maximis de rebus apud aram sumebatur. Sacrorũ seruorum multitudo ingens, & sacerdotiũ præcipui honoris fuit. Zelam olim reges non ut ciuitatẽ, sed ut Persicorum deorũ templũ colebant. Sacerdos rerũ omnium potestatẽ habebat, eratqꝫ urbs ualde diues, & Pompeius multas ei prouincias adiecerat minori Armeniæ finitimas, in quibus sales fossiles reperiebantur, & Megalopolim appellauerat. Post Phanaream occidentem uersus Phazemonetica regio sequitur, cuius septentrionale latus Gazilotus & Amysinus claudit ager, occidentale Halys, australe Amasiensium terra, quæ plurima est et cæterorum optima. Pompeius hanc regionem Megalopolim nominauit, et facta apud Phazemonem uicum habitatione eam Nicopolim appellauit. In Phazemonetica lacꝰ est pelagi magnitudine nomine Stiphana, cui Cizana castellũ adiacuit munitissimũ, quo destructo, ꝓpe regia cõstructa extitit, reliqua terra magna ex parte nuda, frumẽti tamẽ ferax. Amasiensibus imminebant aquæ calidæ, ualde salubres, quæ Phazemonensiũ

sunt. Imminebat etiam Saligium castellum super monte quodam situm, erecto & excello, & aquis abũdantissimo, quod postea neglectum est: hic Arsaces denominatũ & nouas res quærens, à filijs Pharnacis regis fame captus et interemptus est, cum ex planicie pulsus sine commeatibus eo confugisset. Dehinc est Diacopena, et Pimolisena regio, tota felix usq; ad Halyn, & hæ sunt septentrionales Amasiensium partes quingentorum fere stadiorum longitudine patentes, nec minor reliqua pars est circa Ximinam, quæ etiam usq; ad Halyn descendit. In Ximina sales sunt fossiles à quibus Halyn flumen dicitum putant, quod imitati Germanorũ populi, omnia loca in quibus sales excoquuntur Halys appellant. In Amasiensi agro, multa regio sub Mithridate deserta fuit, & multa castella diruta. Is arboribus plenus erat, & pascendis equis & cætero pecori idoneus, & totus habitabilis. Amasiam prius reges habuere, postea Romanorum prouincia facta est. Pimolisena regio Halys fluminis utrãq; ripam occupat: in ea Sandaracurgiũ mons est concauus propter metallorum effossionem, operatores ex aliquo maleficio redempti huc mittebantur, qui propter laborem & letiferum aërem è glebis prodeuntem cito moriebantur, nec plures quàm ducenti adesse solebant. Tantum est quod de Ponto explicare possimus. Pythodoris regina plurimũ in Ponto ualuit, cui et Tybareni & Chaldæi usq; in Colchidẽ subiecti fuerunt. Sydina quoq; & Themiscyra & Phanarea illi paruit. Hæc filia Pythodori Traliani fuit & uxor Polenionis, cũ quo aliquandiu regnauit, deinde imperio successit, eo in prælio defuncto: ex Polenione filij duo relicti sunt, & filia quæ Cothi Sapeo nupsit, eoq; dolo interempto cœlibatum egit, susceptis ex uiro filijs, quorũ nata maior patris imperium tenuit. Ex filijs Pythodoris alter cum matre paternã hæreditatẽ administrauit, alter maioris Armeniæ rex declaratus est: ipsa Archelao nupta, cũ eo mansit usq; ad extremũ. Aquila ponticus fuit ueteris testamenti translator & interpres, nescimus qua ciuitate. Is uerba prophetæ de uirgine paritura prolata ad iuuenculã transtulit, non satis capiens diuina mysteria. Pontus Christi sacra cepit, & usq; in hanc diem quadam in parte seruauit. Marcion Ponticus quamuis Christianus uideri uellet, alium tamẽ creatorem omnium rerum esse dicebat quàm Christi patrem, illumq; maiorẽ aiebat, & aliquos in suum errorem traxit. Trapezuntij sub imperatore sunt Christi cultore, qui anno proximo legatum ad nos misit, auxilia contra Turcas orans, quorum arma atq; impetum uerebatur. Nouissime Venetorũ literas accepimus quæ Turcarũ imperatorẽ in Pontũ cum exercitu traiecisse ferebãt, nec dubium faciebant quin Trapezuntij sese dederent, cum Hismaël Sinopensium dominus, qui diu restiterat tandem imperata fecisset: nondum uero fama æquata est, Trapezuntius imperator uni ex Turcarum principibus filiã nuptui dedit, quæ res fidem eius non satis firmam ostendit. Quis enim Christianus est, & inimico Christi ecclesiæ sacramenta communicat? Multa metus & regnandi cupiditas admittit indigna: sed nõ est cœlesti regno idoneus, qui pro terreno cœlestẽ regem contemnit. Reliqua Ponti & Cappadociæ in potestate Turcarum existunt, quamuis ubiq; misti ferãtur Armenij Christi cultores: Atq; in hunc modum absoluta est Cappadocia, quã totius minoris Asiæ tertiam fecimus partem: in qua illud memoratu dignũ cõtigit, quod offerẽtibus Romanis libertatem & populare regimen, Cappadoces regẽ petiere, quæ res stupenda Romanis uisa est, quibus regia potestas exosa, & arbitriũ populi pro libertate fuit. Sed Cappadoces maxime seruos arbitrabantur, quorũ ceruicib9 populare iugum immineret, cuius nec superbiam tolerare, nec auaritiã explere quisquã potuit. ¶ Minoris Asiæ tres partes fecimus: Prima est ipsa quæ propria dicitur, altera Galatia, tertia Bithynia. De Galatia prius dicendum quæ orientalior est: huius termini erũt (quemadmodum nos partim ex Ptolemæo, partim ex Strabone atque alijs accepimus) ab oriente Cappadocia & Hyls fluuius, qui Pontum disterminat: ab occidenti, Bithynia, & Asia: à meridie, Pamphylia: à septẽtrione, Pontus Euxinus. In hac parte Lycaonia continebitur, quæ totius Asiæ medium quodammodo locum, et arcem occupat. Pisidiæ quoque pars cõprehenditur Austrũ uersus, et ad Taurũ exposita, circa Pontum Paphlagones & Mariãdini sedes habuere. Ptolemæ9 ab Amyso usq; Cytorũ boreales, Galatiæ partes, ꝑduxit, atq; ibi Bithyniã incipere uoluit Eupator q Põtũ tenuit, à Colchide usq; Hera-

Sales fossiles

Homines maleficio redempti ad metallorum effossionem mittebantur.

Trapezuntij Christiani.

Cappadoces regẽ petiere.

A Heracliam imperauit. Reliqua usque ad os Euxini & Chalcedonem reges Bithyni habuere, sublatis regibus. Romani eosdem terminos seruauere, ut Heracliam Ponto concederent, citeriora Bithyniæ. Strabo Sangario flumine Bithyniam clausit, quem sequi nõ pudet, & hoc littus ab ostio Sangarij usq; Halyn, deinde mediterranea explicare. Ptolemæus Prusiam ciuitatem mox post Sangarium collocat, deinde Hippum flumen, postea Candiopolim, mox Elatam amnem: nec procul huic Diopolim, cui succedit Heraclea, de qua paulopost dicemus. Mariandini circa Heracliam collocantur, de quorum origine parua cognitio est. Strabo eos à Thracia profectos arbitratur, Theopompus Mariandinum barbarum quendam Paphlagoniæ portionem imperio tenuisse refert, & facto impetu Bebriam regionem occupasse, eiq; de suo nomine uocabulum indidisse. Fuerunt tamen Mariandini Bithynis persimiles, quos Milesij qui primi Heracliam condidere, in seruitutem redegerunt: hi Caucones expulerant, qui hãc oram usq; ad Parthemum flumen coluere, habentes urbem Theium, ex qua Phileterus natus est autor generis regum Attalicorum. Caucones, alij Scythas, alij Pelasgos fuisse putant: quorum genus omnino interijt.

De Heraclia ex qua Heracletus, Cap. LIIII.

B Heraclia optimum portum habuit, & ad Ponticam prouinciam pertinuit, cum Bithynia à Romanis ordinata, ciuitas alioquin memoratu digna, quæ plurimas colonias emisit, & cum prius libera esset, postea sub tyrannis fuit: deinde rursum in libertatem se uendicauit, & iterum à Romanis regem accepit, & Romanorum coloniam in partem urbis & agri admisit. Adiatorix ac Menecli tetrarchæ Galatarum filius, cuius in Ponticis rebus mentio facta est, hanc urbis partem ab Antonio accipiens, quàm Heraclienses tenebant, paulo ante Acciaca bella Romanos noctu adortus ad unum iugulauit, id sibi ab Antonio imperatum dicens: sed non tulit impune scelus, captus ipse post uictoriam Augusti, & in triumphum ductus (ut ante diximus) cum filio iugulatus est. Archiam poëtam, pro quo Cicero orauit, in hac urbe honoratum fuisse constat, & Platonicum Haraclidem hic natum: abest à Ponti ora (ut Plinius ait) miliarijs ducentis. Portus Aconæ non procul hic iacet, ueneno aconito dirus.

Adiatorix Romanos iugulauit.

De Henetis, Sinopensibus, & de eorum uico. Harmena unde Diogenes Cynicus & alij complures, Cap. LV.

Post Parthenium amnem Heneti sequebantur Cytorum habitantes, apud quos feroces fuisse mulos affirmat: hi clarissima Paphlagonum natio fuere: ex qua natus est Palemon, cum quo plurimi apud Troiam militarunt. Qui amisso duce in Thraciam post captum Ilium traiecere, errantesq; in eam regionem deuenere, quæ post Venetia appellata est. Quidam Antenorem & eius filios classi præfuisse putant, quæ in intimum Adriæ recessum Henetos uexit: alij nationem quondam Cappadocibus finitimam prodiderunt: sub Henetorum nomine cum Cimmerijs militasse, & postea in Asiam peruenisse. Id genus in Paphlagonia prorsus defecit, quamuis non procul ab Amastri, uicum esse in Ponti littore nonnulli tradiderunt, qui usq; ad Romanorum tempora coleretur. ab Henetis Xenodotus Henetiam describens, eam significari putat, quæ Amysus appellata est, cuius in Ponto fecimus mentionem. Paphlagones inter Moriandinos & Halyn fluuium collocantur, & rursus inter Galatas & Euxinum. Parthenius amnis occidentalia claudit, cui proxima fuit Amastris, de conditricis nomine appellata, q̃ in Peninsula iacuit, & portus habuit ex utraq; Isthmi parte. Amastris uxor fuit Dionisij Heracliæ tyrãni, & Oxiartis filia fratris Darij, Roxanæ soror, quæ Alexandro nupsit, cũ quo Darius bellũ gessit. Hæc mulier ex quatuor urbiũ incolis unam ciuitatẽ fecit: Sesamo, Cytoro, Cronina, & Teio, quæ cito à cõmunione defecit, cæteris in ea permanentib. Sesamus Amastris arx dicta est, Plini9 totã urbẽ Sesamon olim appellatã tradit. Cytorũ prius Sinopensiũ emporiũ fuit à Cytoro Phryxi filio dictũ. In Amastriano agro plurima atq; optima bux9 nascitur, præsertim iuxta Cytorũ, à quo p centũ stadia ul cus fuit Cronina appellatus, postea Egialus, et duo scopuli qui à colore uocabantur Erytri, erant enim rubri. Vlterius Carãbis occurrit, promontoriũ magnum ad septentrionẽ porrectum,

porrectum, arietinæ frontis habens formam, quod longo spatio pelago incumbens, Scythicæ obiectum Peninsulæ, Euxinum Pontum bimarem uidetur efficere. Post Carambim nonnulla fuerunt oppida indigna quæ nominentur, præter Harmenam, de qua prouerbium factum est: Cui nullum negotium erat Harmenam muniuit: Sinopensium uicus fuit & portum habuit. Deinceps sita est urbium quæ in hac regione sunt clarissima, Milesij etiam condidere, sicut Heracliam: magna huius urbis potentia fuit, quæ classe cõparata, mari, quod intra Cyaneas est, imperauit. Extra uero, multorum certaminum particeps cum Græcis fuit, Sinopenses urbis suæ conditorem Stenidem quendam putauere, unum ex ijs qui cum Iasone nauigarunt, quem ut deum colebant, & eius oraculum habebant. Sed Milesij loci oportunitate & incolarum imbecillitate perspecta, illos pepulerunt, & nouos induxere colones: ea naturali prouidentia optime munita fuit super collem cuiusdam peninsulæ sita, ex utraq; Isthmi parte portus & stationes habens, & miras Pelamidum piscationes. Peninsula undiq; ripas iugosas obtendit, & fossas quasdam in petris excauatas, quæ mari tumido complentur, ut non facile adiri possint: petræ quoque summa echinis plena, nudo pedi inaccessibilia sunt. In superiore urbis parte, optimum solum, & agrestibus hortis ornatum fuit, præsertim suburbanum. Aedificia in urbe magnifice structa, Gymnasium & forum & porticus & templa splendida & ampla, diu ciuitas cum libera fuisset, amissa libertate Pharnaci tandem obtemperauit, & successoribus eius usq; ad Eupatorem: & Romanis, qui eum sustulerunt, Eupator ibi natus educatusq; ac deniq; sepultus eximie illam coluit, & regni Metropolim fecit, Pharnace subito & præter opinionem ingruente, capta fuit a Lucullo per obsidionem, Bacchide, qui præpositus erat miris modis ciues affligente. Romani coloniam eo misere cui & urbis & regionis pars data est. Distat ab ostio Ponti Sinope, stadijs tribus millibus et quingentis, ab Heraclia duobus millibus, à Carambi septingentis. Hic Diogenes Cynicus, & Timotheus Patrion orti sunt, philosophi celebres, & Diphilus poëta comicus, & Bathon qui de rebus Persicis scripsit historiã. Sinopensis ager usq; ad Halyn protendebatur: Hæc urbs iamdudũ in potestate Turcarum fuit. Ferũt Sinopis tyrannũ prædiuitem esse, propter æris metalla quæ in Sinopica terra effodiuntur. Mahumetes Turcarũ imperator, thesauris eius inhians, anno superiore exercitũ ad capiendam Sinopẽ misit: qui turpiter reiectus est, hoc anno maioribus copijs terra mariq; comparatis, ipse per sese urbẽ inuadendam statuit. Sed Ismahel loci dominus non expectato impetu sese dedit, quamuis legatum ad nos miserit, multa pollicitus si sibi auxilia mitterentur. sed longũ est Christianos, non modo armare, sed consulturos de sumendis armis congregare. Non miramur si apud obsessum principem plus instans metus, quàm spes longinqua & dubia potuit. Tota Sinopica regio ac montana quæ illi imminet usq; in Bithyniam. optimam ad ædificandas naues materiam, & ductu facilem habent. Acerem quoq; Sinopica gignit, & nucem montanam, è quibus mensas faciunt: tota oleis consita fuit, paulo supra mare culturam habens. Heracliam, Amastrim, & Sinopem, post Homerum conditas putant: nusquam enim eas nominat. Olgasis mons altissimus & aditu difficillimus, quamuis citra Halyn Sinopicæ regioni contiguus esset, tamen ad Ponticam regionem pertinuit, in quo plurima Paphlagonum templa fuerunt. Blaëna, & Domanetica regio monti adiacet, satis ferax, per quã Amnias flumen illabitur, quem Ptolemæus Zaliscum appellare uidetur: & Olgasim Oligã. His in locis Mithridates Eupator, Nicomedis Bithynici copias per imperatores suos ita deleuit, ut pauci cum eo euaserint, & postea eam uictoriam Bithynia & Asia usq; in Cariam ac Lyciam ad uictorẽ defecerint. His urbs postea Pompeiopolis constructa est, prope Sandaracurgium mõtem, de quo diximus in rebus Ponticis, post Pompeiopolim Magni opus, reliqua est Paphlagonia mediterranea, occidentem uersus, usq; in Bithyniam: quæ quamuis parua est, multos tamen dominos habuit, priusquam Romanorum esset. Ciniata castellum munitissimum fuit, Olgasi monti subiectum, quod Mithridates condidit, eoq; receptaculo usus Ponti imperiũ acquisiuit, et qui ab eo profecti sunt, usq; ad Eupatorẽ successionem seruauere: postea Deiotarus Castoris filius cognomẽto Philadelphus Paphlagoniæ imperauit, et Gãgra regiã, habuit, q oppi-

Cui nullũ negotium erat Harmenam muniuit.

A oppidum simul & castellum fuit, Eudoxus pisces fossiles in Paphlagonia locis siccis reperiri tradidit, nec tamē mendacio suo satis certos limites circunscripsit. Hæc de Paphlagonia traduntur, quam Plinius Pylemoniam prius dictam asserit à flumine (ut credimus) Pyli, quem ipse pro Parthenio uidetur accipere, qui apud Galatas ortus inter Paphlagonas & Mariandinos fertur in Pontum. ¶ Australes Paphlagoniæ partes Galatis hærent, à quibus Galatia dicta est: cui ab occidente Bithynia & propria adiacet Asia, ab oriente Pontus, à meridie Lycaonia: quamuis Strabo inter Galatiam & Lycaoniam alam quandam Phrygiæ collocauerit, & usque in Cappadociam extenderit, quem Ptolemæo in hac parte postponimus. *Pisces fossiles.*

De Galatia, & in eam Gallici hostis pulchra uictoria, Cap. LVI.

TRes Galatarum gentes fuere, Trogini, Tolistobogi & Tectosages, priores à Dacibus nominatæ sunt: tertia à gente, quæ in Celtica est. Galli abundante multitudine, cum eos non caperent, terræ quæ genuerant, trecenta hominum millia ad sedes nouas quærendas emiserunt: & portio in Italia consedit, quæ post annos ducentos cum iam Italica esset effecta, urbem Romam cepit atque incendit: portio Illyricos sinus per strages barbarorum penetrauit, & Pannonia subacta in ea consedit, ac per multos annos cum finitimis uaria bella gessit. Hortante deinde successu diuersis agminibus, alij B Græciam, alij Macedoniam petiuere: tantusq; terror Gallici nominis erat, ut etiam reges non lacessiti, ultro pacem ingenti pecunia mercarētur. Ptolemæus Macedoniæ rex, ausus in armis occurrere, uictus & multis uulneribus saucius captus est, caput eius amputatum & lanceæ affixum, tota acie ad terrorem hostium circumlatum. Sosthenes unus de Macedonibus contracta raptim iuuentute, Gallos uictoria exultantes compescuit, & Macedoniam ab hostili depopulatione defendit. Sed aduentante Brenno altero Gallorum duce, qui in Græciam se effuderat uictus est, & in munitiones repulsus: Galli nemine prohibente totius Macedoniæ agros uastauere, neque contenti hominum spolijs, eorum quoque quos deos putabant, spoliare templa aggressi sunt. Sed dum Apollinis ædem apud Delphos adoriuntur, partim obruti terræmotu, partim grandine & frigore dissipati, urgentibus oppidanis, usq; ad internecionem cæsi sunt. Brennus in prælio uulneratus, cum dolorem uulnerum ferre non posset, pugione uitam finiuit. Belgius alter ex ducibus cum parte agminis è Græcia excessit, quem inter fugiendum cum toto exercitu perisse Trogus affirmat, tanta dæmonibus cura fuit eius domicilij conseruandi, in quo diuinos consequebantur honores. Sed constat Gallos (siue horum reliquiæ fuerunt, siue nouum examen fœcunda hominum Gallia misit) post multos errores & multas excursiones in Asiam peruenisse, & loca nonnulla occupasse, Athalicis regibus ac Bithynijs subdita, ibiq; tamdiu permansisse, donec eam, quæ postea Galatia et Gallogræcia C dicta est, ab eisdem regibus non inuitis acceperunt. Dux transitus in Asiam Leonnorius quidam fuisse uidetur: Vna trium gentium lingua fuit, ipsi tamen unam quanque gentem in partes quatuor diuisere, quas Tetrarchias uocauere, singulæ proprium tetrarcham habuere, & iudicem & tribunum tetrarchæ subiectos, & duos subtribunos. Fuit & tetrarcharum concilium, qui erant uiri trecenti, & in locum conueniebant nomine Drimenetum: concilium de sanguine, tetrarchæ ac iudices de rebus cæteris iudicabant. Hæc antiquiora, postea ad tres duces res delata est, deinde ad duos, postremo ad unum Deiotarum, cui successit Amyntas, postea Romani, omnibus in unam prouinciam redactis, partem, quæ Pontum & Cappadociam respicit, Troginti habuere, quæ totius Galatiæ optima est: ij tria muro castella cinxerunt. Huiam, quod indigenarum emporium fuit, & æneam Iouis statuam habuit, et delubrum eius asylum, et Mithridatium, quod Bogodaro: Pompeius dedit, et Danalam, ubi Lucullus et Pompeius conuenere: cum alter in belli successionem, alter illi potestate permissa ad triumphum pergeret. Tectosages uersus maiorem Phrygiam iuxta Pessinuntem sedes obtinuere, castello usi cui Acira uocabulum fuit. Tholistobogi Bithynijs finitimi fuerunt, et Phrygiæ quæ Epictetus dicta est. Horum castella fuerunt Blutium et Peium, quorum Deiotari regia erat, in altero thesauros habebat. Nec procul Pessinus fuit, commune *Ptolemæus Macedo à Gallis uictus & saucius captus est.*

regionis

regionis emporium,& in eo templum maximum,& magnæ uenerationis,matris deum. D
Sacerdotes olim præpotētes quidem erant,& sacerdotium maximum habebant: postea eorum dignitas imminuta est: Athalici reges hunc locum magnificauerunt,tēplo & porticibus ex albo lapide structis, Romani statuam hinc deæ accersiuerunt, quemadmodū eam quæ Aesculapij erat ex Epidauro. Mons quidam urbi imminebat,nomine Dindyma, à quo Dindymena dicta est, quemadmodum à Cybelis Cybele. Prope Sangarius amnis fluit,non procul ab ortu suo in Galatia Cim fontem habet,secus quem antiqua erant Phrygum domicilia,& Mydæ,et prius Gordij:& aliorum quorundam quæ postea in uicos redacta sunt. Hic Gordium fuit in quo magnus Alexander nexum plaustri rescidit,de quo uaticinium erat,eum tota Asia regnaturum,qui nondum soluisset. Fuit & Corbeus Castoris,Saoconi Darij regia, in qua Deiotarus generum & filiam iugulauit, quamuis ei summas Cicero laudes attribuat.

Deiotarus generū et filiam iugulauit.

De Lycaonia & lacu Tatta,& de Mirasalis congelatione,& cuius fraude interierit Amyntas, Cap. LVII.

POst Galatiam Austrum uersus usq; ad Taurum inter Phrygiam & Cappadociam Lycaonia extenditur,tota mediterranea. Hic lacus est nomine Tacta Cappadociæ adiacens iuxta Morimenam,quem Strabo maiori Phrygiæ dedit,secundum quem non fuisset Lycaonia Gallatiæ contermina(quemadmodum Ptolemæo uisum est)cuius opinionem sequimur. In quo lacu sal nascitur,atq; adeo facile circa res immersas congelatur,ut sæpe cum funalem torpere dimiserint salis coronas educant, & uolucres, aquas eius alis contingentes, propter salis concretionem facile capiuntur. In Lycaonia colles sunt frigidi,& nudi,& pascendis onagris apti:ubi multa aquæ penuria est,nec inuenitur nisi in puteis admodum profundis, sicut Soatris ubi aqua uenditur. In Garsabora,quæ Lycaonum regio est,uicus fuit in urbis modū ædificatus,qui multas oues nutriuit, quāuis siccitas circumiaceret. Amyntas super trecentos ouium greges in his locis habuit, sed lanam asperam præbuere. Insunt & duo lacus Coralis maior, Trogetis minor dict9 est. Circa hoc Iconium fuit oppidum optime habitatum, quod fortunatiorem regionem habuit, quàm ea quæ Onagros producit, Polemo hoc possedit. Ptolemæus id Cappadocīæ dare uidetur Lycaoniæ propinquum. Conradus Imperator circa hoc obsidionem tenens, periclitatus est, cum Hierosolymam peteret, Manuele secundo Græcorum imperatore, qui commeatum ministrabat gypsum farinæ commiscente: Quæ res fecit, ut exercitum morbo afflictum, re infecta in Europam cogeretur reducere. Taurus his in locis appropinquat, cuius pars in septentrionem uergens Cappadociam & Lycaoniam terminat, ad imminētes Cilicas Trachiotas. Lycaoniæ etiam Isaurica est Taurum uersus, quæ duos uicos habuit, quibus alia loca obtemperabant: omnia latronum domicilia, quæ Romanis negocia exhibuerunt. P. Seruilius cognomento Isauricus ea Romanis subegit, F
& multas piratarum munitiones quæ in ora maritima erāt, ui cepit. In Isauricæ lateribus Derba fuit Cappadociæ adiuncta, Antipatri Derbēsis sedes: cuius et Laranda erat apud Cappadoces, & Isaura in Lycaonia. Amyntas Antipatrum adortus Derbam cepit, & illum interemit: Isaurā uero à Romanis accepit, ubi antiqua Isaura diruta regiam sibi construxit, sed non perfecit. Huic Antiochia parebat Pisidiæ finitima, & tota Lycaonia, & multa ora montana usq; Apolloniadem Apamiæ uicinam, quæ Cybotus dicta est: eaq; potentia fretus, Cilicas delere conabatur, & Pisidas, qui è Tauro frequentibus incursationibus suum regnum infestabant. Cepit itaq; multa predonum loca, quæ prius inuiolata fuerant, & inaccessibilia credebantur, è quibus Cremma fuit. Sandalium autem accedere non est ausus, quod inter Cremmā atq; Salagasum iacuit: Cremmam habuere postea Romani coloni. Salagasus sub eodem Romano duce fuit, sub quo totum Amyntæ regnum, distās ab Apamia diei itinere, descensum habens ab arce fere triginta stadiorū, quæ alio nomine Selgessus uocata est, & ab Alexandro olim capta fuit: Amyntas cum Cremmam cepisset, progressus ad Omonades Tauri cultores, qui nunquam capi posse existimabantur: multa eorum loca expugnauit, et tyrannum interemit: Sed uxoris illius fraude deceptus, captus est, & ab illis interfectus: neq; ultimus, cui fœmina illuserit. Cyrinius

Sal mirabile quo uolucres capiuntur.

Gypsum farinæ commistū.

A nius eosdem fame confecit,& quatuor hominum millia à se capta in alias propinquas urbes habitatum traduxit,regionem iuuentute desertam reliquit. Ea est in altis Tauri partibus,& in rupibus præruptis & magna ex parte inaccessibilis.In medio planicies concaua & ferax,& in multas ualles distincta. Hanc excolentes in superioribus montium superciliјs ac speluncis habitabant,& cum frequentius armati essent,ad aliena excurrebāt.

De Pisidis, & quo modo Storace syluæ abundent, *Cap. LVIII.*

HIs contigui fuerunt,cum aliј Pisidæ,tum etiam Selgenses Pisidarum optimi, maxima eorum pars summam Tauri obtinuit,Pamphyliæ imminentia loca edita et oleis consita, quorum quædam Aspendo & Sidæ Pamphiliæ urbibus imminebant, montana quæ supra hos sunt Cathaminenses incoluere, Selgensibus & Omonadibus finitimi. *Cathaminenses.* Selgam urbem ab initio condidere Lacedæmoniј,quæ propter legitimam gubernationem tantum adoleuit,ut aliquādo uiginti millia uirorum haberet:mira locorum natura,quæ in summis Tauri partibus adeo ferax fuerit,ut tantæ multitudini sufficeret. *Selga.* Pleraq; loca oleis & uitibus consita erant,& omnium pecorum pascuis abundabant: syluæ materiæ plenæ circuniacebāt,in quis plurimus nascebatur Storax arbor magna et recta, ex qua Storacinæ hastæ fiebant corneis similes: illic liliū optimum ad unguēta reperiebatur: aditus per montana difficilis, è quibus Euthymedon & Cestius oriuntur flumina, B quæ in Pamphylium mare decurrunt,nec sine multis pontibus transeuntur. Selgenses longo tempore libertate usi sunt,& cum regibus decertarunt.Alexandro per legatos responderunt,se ut amicos imperata facturos:cum Romanis certis conditionibus conuenere,postea omnino iugum subierunt,sicut & uicini qui sub Amynta fuerūt.Isauria igitur eam Tauri partem occupauit,quæ inter Lycaoniam & Tracheam, Ciliciam excurrit:reliquam partem uersus occidentem usq; Apamiam,Pisidæ tenuere. Hinc ad Tracheam,Ciliciam,ac Pamphyliam:inde ad Lycaoniam pertinentes,qui per tyrannides diuisi,quemadmodum Cilices,uicinos latrociniјs uexabant:inter hos Leleges quidam uagi olim admisti fuerunt,& propter morum similitudinem ibi remanserunt. Arthemidorus Pisidarum tredecim ciuitates nominauit,quarum aliæ omnino montanæ fuerunt, aliæ usq; ad montium ima descenderunt: ex utraq; parte Ptolemæus Celenorum iuga apud Lycaonas collocauit,& sub iјs Laodiceam combustam & Neapolim & Apolloniam.Lycaoniam beatus Bartholomæus in sortem prædicationis accepit,quamuis posteà usq; ad uictos iubente spiritu profectus,sacro martyrio uitam finierit: *Bartholomæus apostolus.* Atq; in hunc modum Galatia terminata est,cum qua & Paphlagones,& Mariandinos,& Lycaones,& Isauros,et Pisides ostendimus:Nunc Bithynia sese offert.

C *De Bithynia eiusq; urbibus compluribus,* *Cap. LIX.*

LImites Bithyniæ ab oriente(sicut Straboni uidetur)Paphlagones et Mariandini excipiunt et pars Epicteti:à septentrione mare Pōticum, quod ab ostiјs Sangariј usq; ad os Euxini tendit, quod inter Byzantium est atq; Chalcedonem: Ab occidente Propontis:Ad austrum Mysia et Phrygia,quæ dicitur Epictetus siue Hellespōtia Phrygia.Nos in hac parte propriam Asiam collocamus,eiq; Mysiam et Phrygiam adiecim9. Ptolemæus ad orientem Bithyniæ terminos usque ad Parthenium flumen extendit:nobis Strabonem sequi placet,qui Sangarium amnem orientale confinium facit.In Bithynia urbs est Chalcedon, sita in ore Ponti: Hanc Megarenses condidere cæci appellati, qui nunc potius oppositum littus elegere, in quo iacet Constantinopolis optimo loco. Hic olim magna Synodus celebrata est,quæ inter octo numeratur,cuibus Romana ecclesia præcipuum impartitur honorem. Chalcedonensis agri fuit Chrysopolitanus uicus, et Phanum in extremo angulo ad ostium Ponti situm,ubi septentrionale Euxini Ponti littus incipit,ad dexteram in orientem nauigātibus. Flumina quæ in eam partem labuntur nomen habent Psillis et Calpas, et postremo Sangarius, cuius fontes apud Sagiam uicum reperiuntur centum et quinquaginta stadiјs à Pisinunte: hic magnam Phrygiæ ac Bithyniæ partem percurrit, et Gallum in se amnem recipit, et Modris Phrygiæ or-

tum, ex quo auctus efficitur nauigabilis. Post Chalcedonē sequitur littus quod Astacenum sinum appellauere, & ad Propontidem pertinet: in eo condita fuit Nicomedia, dicta de nomine regis cuiusdam Bithynij, qui eam cōdidit: multi enim eodem nomine uocati sunt, quemadmodum Ptolemæi propter prioris claritatē. In huius ciuitatis uilla Magnus Constantinus obijt, qui cum uellet in Iordane fluuio baptizari, atq; iccirco Hierosolymam peteret, morte præuentus ab Eusebio Nicomediensi episcopo Arrianæ perfidiæ sectatore baptizatus est, quæ res Christiani principis fidem apud plerosq; in dubiū uertit. Nobis nō est uerisimile, eum principem qui per omnem uitam suam Arriani dogmatis hostis fuerat, in extremo spiritu ei dementiæ consensisse, quàm summo studio de suo imperio prius eliminauerat. Apud Nicomediam tempore Diocletiani Cæsaris sæuissima Christianorum persecutio uiguit, multiq; ibi Christi martyres sunt effecti. In hoc sinu urbs fuit Astacus, quæ illi nomen dedit, Megarenses & Athenienses eam condidere, Dedalsus ampliauit, Lysimachus diruit, & habitatores eius in Nicomediam transtulit. Huic sinui alius cōtinuatur ad orientem Solem recedēs, in quo Prusias ciuitas fuit, quæ Cius antea uocabatur. Cium Philippus diruit Demetrij filius & Persei pater, deditq; Prusiæ Zelæ, qui in hac diruenda & uicina urbe Mirlia socia arma præstiterat. Ille ea excitans Cium quidem à se Prusiadem nominauit, Mirliam uero Apamiam, ab uxoris nomine. Hic est ille Prusias, qui post Antiochum superatum, fugientem ad se Hānibalem hospitio suscepit, quiq; ex Hellespontia migrans Phrygia, secundum Athalicorum fœdera cessit: eam priores paruam appellauere Phrygiam, postea Epictetam, id est, acquisitam. Prusiadi mons imminet, quem Argātonium uocauere: hoc in loco Hylam unum ex socijs Herculis, qui etiam argonauta erat, cum aquatum egrederetur à nymphis captum finxerunt. Cius quoq; Herculis comes è Colchis rediens, & in his locis residens, urbem de suo nomine condidit: Prusienses diu postea festa celebrarunt, in quibus per montes uagi ac saltantes Hylam uocabant, quasi in syluas ad illum inquirendum egrederentur: hi cum beneuole erga Romanos se gessissent libertatem obtinuere. Apamenses Romanorum coloniam acceperunt. Prusa urbs fuit in Olympo Mysio sita. hāc Prusias cōdidit, qui cum Crœso bellū gessit. Hinc ortus est Dion Philosophus, q de regno scripsit, & Traiani tempore claruit. Inter Phryges Mysos ac Bithynios determinare fines arduum est. Nam cum incolæ barbari & militares essent, & quæ uicissent non firmiter tenerent, sed modo eijcerent, modo eijcerentur, consequens fuit sæpe mutari cōfinia. Strabo tamen inter Bithyniam & Aesepi ostium Mysiam posuit, & mari contiguam fecit, & usq; ad totum pene Olympum progredientem. Ptolemæus duplicem Mysiam minorem & maiorem commemorauit, & utraq; extra Bithyniam in Asia posuit, non procul ab Ida. Scylax Cariandrus dixit Phryges ac Mysios circa lacum Ascanium in Bithynia habitasse, Dionysius uero cōditarum urbium scriptor ait, angustias, quæ apud Chalcedonem et Byzātium mediæ sunt, olim Mysium Bosphorum nominatas fuisse: Homerus uero Aesepū Mysorum confiniū dixit & Troū. Olympus aūt Mysius in ipsa Bithynia assurgit, cuius latera uersus orientem usq; ad Ascanium lacum Epictetus occupat, Epictetū uero aliam Mysiacam, aliā Phrygiacam dixere: Mysiaca Troianis propinquior fuit. Olymp9 in uertice syluas habuit ingentes alendis latrocinijs accōmodatas, & loca optime septa: ex quibus sæpe tyranni & prædones uicinas gentes infestauere: inter quos fuit Cleonlatro Sigismundi Malatestæ, qui nostro tempore proditorum princeps habetur similis: qui cū esset è uico Gordo, quem postea augens urbē fecit, & Iuliopolim appellauit, in initio prædonum receptaculo loco ualidissimo utebatur nomine Callidio: Is Antonio ualde utilis, fuit, nam profectus ad eos qui pro Labieno tributa colligebant, omnia impediuit, quo tempore ille Asiam obtinebat. In Acciaco autem bello quum ab Antonio desciuisset, Cæsaris ducibus adhæsit, & supra quam eius meritum pateretur, in honore habitus est, & ultra munera ab Antonio data, accepit & iam quæ Cæsar dedit, ita ut pro latrone principis habitum gereret. Idem ætate nostra fecit Iacobus Caudola, qui centum millibus aureis emptus à Martini quinti pontificis maximi nepotibus, mox nouo auro inarratus, ad Eugenium pontificem maximum defecit, dicens, adeo se proditionibus

Mors & baptismus Constantini magni.

A tionibus auctum ut proditorem se cõpellare nemo coram auderet. Cleon Iouis Abretanij sacerdos erat, quem deum Mysij colebant, postea Comanorum sacerdotium in Ponto accepit, ad quod cum uenisset intra mensem obijt, ex nimia crapula morbo correpto. In eo phano prohibitus erat suillarum esus carnium, unde nec in totam urbem sus inferebatur: sed Cleon latronum morem ostendens, non ut sacerdos, sed ut corruptor primo ingressu consuetudinem præuaricatus est, atq; iccirco creditus est ira deæ percussus interijsse. Olympum in circuitu habitauerunt, à septentrione, Bithynij, & Mygdones, et Doliones, reliquum Mysij habuerunt, & Epictetus: quidam uæro Doliones eos dixerunt, qui circa Ciricum habitauere ab Esapo flumine usq; in Rhyndacum & Dascyliticum lacum: post hos Mygdones fuisse, usq; in Myrleanorum agrum: supra Dascyliticum lacum alios duos extitisse lacus, Apolloniaticum, & Miletopolitanon: Dascylium ciuitatem Dascylitico lacui nomen dedisse, & Miletopolim Miletopolitano: & Apolloniam (cuius Ptolemæus meminit) quæ prope Rhyndacum sita fuit, Apolloniatico: quorum locorum maximam partem Coriceni postea possederunt, eius Phrygiæ quam Epictetum uocauere, & circa Olympum fuit. Sex ciuitates nominauit Strabo, inter quas Cados posuit, quos quidam ad Mysiam pertinere dixerunt, Mysiam in mediterranea posuere, ab Olympina regione usq; in Pergamenam, et Caici campos descendentem: Ex quo B fit, ut manifeste ad Asiam propriam pertineat, extra Bithyniam sita.

Cleõ latro nimia crapula perijt.

Sus in totã urbẽ non inferebatur.

De Salone & Nicæa eiusq; figura, Cap. LX.

IN Mediterranea Bithyniæ regio memoratur Salon appellata, pascendis bobus idonea, unde etiam Salonẽsis caseus dictus est. Hic Nicæa Bithyniæ Metropolis iuxta lacum Ascanium, & campus ingens & ualde felix circũstat, æstate nõ admodũ salubre. Nicæam primus Antigonus condidit Philippi filius, et Antigoniã nominauit: postea Lysimachus, à nomine uxoris Antipatri filiæ, Nicæam appellauit. Vrbis ambitus stadiorũ sexdecim fuit, in figura quadrata, quæ in campo sita quatuor habuit portas ad rectos angulos, ex uno lapide qui circa medium gymnasium positus erat, omnes quatuor portæ cernebantur. Hic iubente Constantino famosa illa Synodus celebrata est decentorum decem & octo episcoporũ, & perfidum Arrij dogma recisum. Petrus eremita, & Rhainaldus Teutonicus, qui Gothifredi in expeditione Asiatica fuere comites, in agro Nicæno duo oppida occupauere, Heregorgon ac Cynitum: sed Turcarum subita irruptione conclusi, Petrus per speciem legationis aufugit, Rhainaldus cum aliquod millibus, abnegata Christi fide, deditionẽ fecit reliqui omnes à Turcis trucidati sunt. Paulo post Gothifredus trãsmisso mari Nicæam circũsedit, & eam post dies quinquaginta obsidione pressam obtinuit, Turcis cum rebus & armis abire permisis: postea male defensam iterum Turcæ occupauere. Huius urbis ætate nostra pontificatũ accepit Bessarion Græ C cus, quem Eugenius Põtifex maximus inter Cardinales assumpsit, uirum excellentem & moribus & literis: sed nunquam plebem suam adijt, quæ uel minima est hodie uel nulla. Ex lacu fluuius oritur quem pariter Ascanium prisci uocauere, is in Propontidem cadit. Apud eum Bursam esse tradunt nobile Turcarum emporium, & eorum qui sunt in Asia præcipuam regiam: paulo supra Ascanium lacum ad orientales Bithyniæ partes Otrea ciuitas fuit. Ptolemæus Begdonis regionem apud Asiam propriam in Bithynia collocauit, Olympinis uicinam, & Thimuntis regionem ultra Nicomediam uersus Pontũ: & plurium locorum meminit, quorum relatio lectori onerosa esset. Bithyniam prius Bebryciam fuisse dictam Iulius Solinus affirmat, deinde Mygdoniam: postea à Bithynio rege Bithyniam & in ea Libyssam lacum Nicomediæ proximum, sepulchro Hannibalis famæ datum: qui ne traderetur Tito Quintio, ob hanc causam in Bithyniam misso, captiuusq; Romam duceretur, gustato ueneno animam expulit, & à Romanis se uinculis morte defendit. Ex Bithynia fuerunt uiri in disciplinis memorabiles Zenocrates philosophus, & Dionysius dialectico, & Hipparchus & Theodosius, & filij eius mathematici, & Cleophanes orator ex Mirlea, & Asclepiades medicus Prusensis, & quem paulo ante nominauimus Dion. ¶ Asiam nunc minorem & propriam aggrediemur, huic septentrionem Bithynia claudit. Auroram modo Galatia, modo Lycaonia et Pisidia exhibet:

Ab uno lapide quatuor urbis portæ cernebantur.

Synodus 318. episcoporum.

hibet: occiduas partes maria exterminant, quæ à Propontide usq; in Cariam & Doricā extendūtur. In Austro Taurus occurrit. Rursus minorem Asiam in quinq; alias partes subdiuidimus, quarum prima maior Phrygia erit, altera Mysia, tertia Troas, cum qua Aeolis concurrit & aliquanto maior est: quarta Ionia, quinta & ultima Caria.

De Maiori Phrygia, eiusq; urbibus, & quomodo à Christo delapsi, Cap. LXI.

Maior Phrygia ab Epicteto incipit, & in Austrum uergens, ad Taurum usq; protēditur: à sinistra Bithyniam & Pisinūtem relinquens: à dextera Mysos, Mæonas, & Lydos, & Caras. Hæc partim montana est, partim campestris: nam & montes attingit, quos Pisides obtinuere, quib. propinqua fuit Apamia quæ Cibotus dicta est, & Laodicea quæ Phrygiarum urbium maximæ fuerunt. Sed in Cælenorum iugis, quæ ad Lycaoniam pertinet, urbs fuit nomine Cælenis, qua destructa Antiochus Soter homines transtulit in eam, quæ postea Apamia dicta est, & urbē appellauit de nomine matris Apamiæ Artabazi filiæ, quæ Seleuco Nicanori nupta fuit. Vrbs in ostijs Marsiæ sita fuit, qui amnis mediam urbem percurrebat, ab ipsa ortum habēs. Sed uehementi ac prono flumine in suburbanum delatus, in Meandrum exonerabatur. Insigne hic emporium fuit, secundas post Ephesum ferēs laudes, & commune Italicorum & Græcorum hospitium habuit. Non procul hinc lacus extat, qui calamum gignit ad tibiarum linguas idoneum: hinc fabula conficta est de contentione, quam cum Apolline Marsias habuit, & sunt qui putāt ab eo lacus Marsiæ ad Meandri fontes emanare: Laodicea cum prius parua esset, postea maximum cepit augmentum, quāuis ab obsidione Mithridatis plurimū labefactata fuerit: nam loci uirtus & ciues quidam fortunati, eam ualde magnificarunt. Primum Hiero qui hæreditatem populo dimisit, supra duo milia talentorum, & multis donis ciuitatem exornauit: Postea Zeno orator et Polemo eius filius, qui ob res fortiter gestas prius ab Antonio, postea ab Augusto ad regiæ dignitatis fastigiū euectus est. Loca Laodiceæ proxima oues optimas ferunt, nō modo lanæ mollicie, quā Milesijs præstāt, sed etiam colore, unde magnos prouentus assequuntur. In hoc tractu Caper & Lycus influunt in Meandrum, & Laodiceam à Lyco dictam putant. Vrbi mons imminet nomine Cadmus, ex quo Lycus fluit, & alter eodem nomine quo mons appellatur: hic plurimum sub terram delapsus, postea erumpens in idem influit, in quo alia flumina: estq; regio ualde cauernosa & quassabilis: nam & Laodicea & proxima ei regio plurimum terræmotibus concussa est: Apamia quoq; ante Mithridaticum bellum sæpe terræ motib. afflicta fuit: rex uero cum urbem euersam uideret, ut repararetur centum talenta exhibuit: Dicunt & Alexandri tempore similia contigisse, quibus ex rebus maxima apud eos in ueneratione Neptunus fuit, putantq; à Cæleno Neptuni filio ex Cæleno una Danaidum procreato urbem appellatam, ex qua cultores in Apamiam translatos diximus. Inter Laodiceam & Apamiam lacus fuit pelagi magnitudinem habens, qui cœnosam & subter errantem exhalationem emisit. Carura Phrygiæ Cariæq; confinium fuit: hic uicos diuersoria habuit, & feruentes aquas in Meandrum exeuntes. Fama est Lenonem cum magno scortorū grege in diuersorio hospitatum, facto per noctē terræmotu, cum omnibus perijsse: nam tota fere regio circa Meandrum terræmotib. quatitur, & aquæ et ignis ductibus pererratur. Inter Laodiceam atq; Carurā templum fuit mēsis Carij appellatū, in maxima ueneratione habitū, in quo medicorū scholā Zeusides cōstruxit. Meāder igitur ex Celenis ortus Carurā usq; per Phrygiā labitur, quo in loco Lycum excipit, quem possumus Phrygiæ Cariæq; limitem facere. Lysias præter montana regio et ipsa Phrygiæ datur: Hæc iugum quoddā habet, quod ab ortu in occasum uergit: huic planicies utrinq; subiacet, et urbes fuere à septentrione Philomeliū, et ex altera parte Antiochia iuxta Pisidiam, quæ partim in cāpo iacuit, partim in colle, et Romanorum coloniā admisit: Magnetes prius eam habitarunt, qui iuxta Meandrum fuere, Romani ex potestate regū eripuere, et libertate donarunt. In ea sacerdotium quoddā fuit mensis Arcei, quod maximam sacrorū, et seruorū et locorū multitudinem habuit: sed post Amyntæ obitum, euersum est, ab his qui in eius hæreditatē missi fuerant: perraro enim religionis affectus ad hæredes trāsit. Ptolemæus Antiochiā, quæ Philomelio opposita fuit, Lycaoniæ dedit. Symnada

Calamus ad fistulas idoneus.

Apamia terræ motibus afflicta.

Leno cū scortorum grege terræmotu absorptus.

A nada urbs non magna ad Phrygiam pertinebat, antequã planicies iacuit oleis consita sexaginta fere stadiorum. Vlterius magis ad septentrionem Docimia uicus fuit, in quo Symadicus lapis effodiebatur, sic enim Romani appellabãt, indigenæ uero et Docimitem, et Docimeum. Vena à principio paruas glebas emittebat, postea propter maximos Romanorum sumptus columnæ integræ & ingentes extrahebantur, uarietate Alabastro persimiles, multaq; hinc onera ad mare deuehebantur, et columnæ ac lapideæ tabulæ magnitudine & pulchritudine admirabiles Romam deferebantur. Amorium quoq; & Eumenium oppida in Phrygia fuere, & alia multa commemorat Ptolemæus, quorum insipida est absq; historia nominatio. Phrygiæ maiori Mydas imperauit, partem Galatæ tenuere: Regio Cipilo uicina ab antiquis Phrygia dicta est, sed utrum maioris, an minoris Phrygiæ pars fuerit, incertum: unde Niobem, & Tantalum, & Pelopem Phrygas dixerunt. Phryges Christianam fidem receperunt, & diu tenuerunt, sed emersit apud eos Montanus quidam, qui se Paracletum nominauit, gentemq; illam infecit, cum quo mulieres Prisca & Maximilla, reliquis uiris suis incedebant, & illius inspiratione prophetissæ dicebantur, multisq; erroribus & Phrygiam et uicinas regiones impleuerunt. Hæc de maiori Phrygia, de Epicteto quæ minor fuit iam diximus. ¶ Mysiam duplicem esse dixere, alteram Olympinam, Bithyniæ & Epicteto continuam, cui cultores ab Istro uenisse Arthemidorus affirmat: alteram Pergamenam quæ ab Olympina in Caicum pergit. Harum circunscribere terminos operosum est, quando & Phryges, & Lydi, & Mæones intermisti fuerũt, neq; separare eos facile est. Dicemus ergo de Mysis, Lydis, et Mæonibus simul, & unam ex omnibus prouinciam faciemus, eamq; Mediterraneam: quæ ab Olympo & Bithyniæ finibus, usq; ad Ioniam uersus meridiem protenditur: ab oriente maiorem Phrygiam, ab occidente Troiadem relinquens.

Pseudo prophetissæ.

B

De Mysis, Lydis, & Mæonibus, quomodo uiri hi literati & ad Christum proni, Cap. LXII.

MYsos alij Thraces, alij Lydos fuisse dixerunt: & quoniam Lydi fagum acetosam (quæ multa nascitur in Olympo) Mysam uocauere, ab eo Mysos dictos putarunt, quibus sermo fuit ex Lydo Phrygioq; permistus, & hi circa Olympum habitantes usque ad Caicum fluuium se extenderunt. Phryges uero ex Thracia profecti circa Troiam consederunt, & aliquibus in locis commisti Mysis fuere, & aliquando circa Cyzicum & Practium habitauere: postea mutantes loca, alij circa Olympum in Epicteto, alij magis uersus meridiem & orientem sedes accepere, quos maiores Phrygas appellauimus. Hæc autem quæ de Phrygibus Mysisq; memorantur, Troianis temporibus antiquiora sunt. Intra Mysiam omnis ager continetur, qui ab Olympo & Ida montibus usq; ad Caici fontes per mediterraneam protenditur, et quoniam Lydi et
C Mæones inter Mysos computantur, ulterius in Austrum, usq; in agrum Fordicensem trans Hermum amnem et Laodiceã Caistrianã, Mysia excurrit, Bithyniæ nonnihil comprehendens, in qua est Olympus. In his terminis mons Tmolus concluditur, et Simpylus, et cõbusta regio, et Theutranea, et Pergamenus ager, et Thebanus qui supra Adramytteum fuit: hunc propter fertilitatem prius Mysi ac Lydi, postea Græci infestauerunt, deinde Adramyttei obtinuerunt: et sunt qui dicunt ipsum Adramytteum à Lydis fuisse cõditum, in quo et portæ fuerunt Lydiæ appellatæ. Astyram autem uicum Adramytteo propinquum, non dubitarunt ad Mysiam pertinere, in quo Astyræ Dianæ templum fuit, et lucus cui Antandrij religiose præerant, quorum ciuitas propinqua fuit. In mediterranea supra Antandrũ et Adramytteum ad stadia circiter quinquaginta Theba fuit, quã cinctam syluis Homerus dixit: non procul ab Ida inter Thebam et Astyram sexaginta stadiorum spatium posuere, sed hæc nunc loca deserta sunt. Fuit et Lyrnessus locus, natura munit9, stadijs octoginta ab Adramytteo distans, q prorsus corruit. Hæc loca Troiani belli tempore Cilices tenebant, in duos diuisi principatus, alterum Neetionis, alterũ Mynetis. Neetioni Theba paruit, Myneti Lyrness9, Chryseis: et Theba capta fuit è Lyrnesso Cryseis: prope Thebam locus fuit Cilla appellatus, et Apollinis Cillei templũ, et Cilleus fluuius, qui ex Ida delat9 Antandri perlabitur agrum. Inter Helliam Pythanãq;

loca maritima, & Pergamum, quæ Mediterranea urbs est, Theutraniam fuisse dicunt, distantem à qualibet earũ circa Caicum, supra stadia septuaginta. Euripides fabulã scripsit in qua refert Aleum cum filiam Augeã ab Hercule corruptam reperisset, in urna quadã cum Telepho filio impositam in mari demersisse: sed urnam Palladis prouidẽtia ad Caici ostia transmissam euasisse. Theutrantem uero qui Cilicum & Mysorũ rex esset, cum eos excepisset, Augeam in uxorem, Telephum in filium habuisse: fabulosa hæc & contemnenda, quæ deorum tanquã hominum stupra commemorant: alij tradunt Archadis filiam cum Mysorũ rege congressam, Telephũ peperisse, qui regno successerit, & Theutrantem regioni Theutraniæ nomen dedisse, quæ Caico proxima est. Telephus eius filius, Euripilum progenuit, quem Neoptholemus interfecit, cum quo Cetij corruerunt, à fluuiolo Cetio nominati, qui torrenti similis in agro Elaitico exortus in aliũ similem incidit, & deinde in aliũ, qui in Caicũ deuoluitur. Caicus aũt non fluit ab Ida (ut aliqui dixere) sed ex Tegno mõte, qui in Mediterranea Thebano cãpo imminebat. E Tegno Mysius amnis fluit in Caicũ emittens, sub fontes eius, prope cuius ortũ uicus Gergeta fuit, in quẽ Attalus eos transtulit, qui in Troade erant, cum locũ eum cepisset. Euripilũ (cuius mentio facta est) in locis Caico proximis imperasse, Homerus tradit: ob quam rem credibile est, magnum Cilicũ partem sub eo fuisse, & tres extitisse Cilicũ principatus, quamuis duo tantum commemorentur. Caicus amnis regionem ualde bonam, & totius fere Mysiæ optimam percurrit, cuius principatum Pergamum obtinuit.

De insigni ciuitate quæ diu sub Attalicis regibus fortunata fuit. Cap. LXIII.

INsignis ciuitas quæ diu sub Attalicis regibus fortunata fuit, & postea Romanorum prouincia facta est, Attalici reges à Philetero Thienensi eunucho ortũ habuere. Lysimachus Agatoclis filius, qui unus fuit ex Alexandri successoribus, turbineum et acutum montem supra Pergamũ communijt, & suos ibi thesauros posuit, quorum custodiam Philetero tradidit, cum optime esset educatus, & sibi charus: sed is cum ab Arsinoẽ Lysimachi uxore dissideret, quæ eum accusauerat, tempus ad defectionẽ expectauit. Interea Lysimachus malo consilio ductus Agatoclem filium interfecit: Seleucus autem Nicator reuersus illum sustulit, & ipse à Ptolemæo Ceraunο sublatus est, & dolo interemptus. Inter hos tumultus eunuchus in arce se continens, nunc isti, nũc illi, quem ualidiorẽ esse animaduertit obsequens, uiginti annis castellũ & pecunias possedit. Duo enim fratres erant, Eumenes natu grandior, & Attalus iunior: ex Eumene natus est alter Eumenes, qui Pergami successionẽ habuit, & Antiochũ Seleuci filiũ apud Sardes prælio superauit, & cum regnasset annis uiginti duobus, mortem obijt, cui successit Attalus ex Attalo & Antiochide Achei filia natus, qui primo rex est appellatus, et prælio maximo Galatas superauit, & Romanorũ amicus in classe Rhodiorũ cum eis aduersus Philippum pugnauit, obijtq; iam senior cum imperasset annis quadraginta tribus, relictis quatuor filijs ex Apollonide Cyzicena. Eumenides primogenitus, regnũ suscepit: qui cũ Romanis aduersus magnũ Antiochum, & aduersus Persem bellũ gessit, et totam eam regionẽ à Romanis accepit, quæ sub Antiocho circa Taurũ erat, regnauitq; annis quadraginta nouem, urbem muniuit, lucum Nicephorium seuit, tẽpla construxit, & bibliothecas & palacia, & mirũ in modum ciuitatem amplificauit. Imperiũ Attalo filio reliquit, ex Stratonice Ariaratis Cappadocũ regis filia nato, sed admodum puero: fratrem Attalum tutorem constituit, qui uiginti & uno annis regnauit, & aduersus Demetriũ Seleuci filium cum Alexandro Antiochi bellũ gessit: contra Pseudo Philippũ Romanorũ socius fuit: Diegelim regẽ cepit, ducto in Thraciam exercitu, Prusiã interemit, Præfecto illi filio Nicomede. Postremo Attalo, qui sub tutela erat, urgente morte, reliquit imperiũ. Is Philomator cognominatus, cum annis quinq; regnasset, morbo decedens, Romanos hæredes instituit, qui eam regionem in prouinciam redegere, ut sunt res humanæ, quæ paruis ex principijs cum multũ creuerint & postea corruunt. Viri excellẽtes Pergameni fuere, Mithridates Menedoti filius, et Adobogion ex Tetrarchica Galatarũ stirpe genitus: q contracta Iulij Cæsaris amicitia, ad id honoris puenit, ut materni generis Tetrarcha et Bosphori rex efficeretur. Sublatus est aũt à Lysandro q Pharnacẽ regẽ occidit et Bosphorũ

Res humanæ uariæ & mutabiles.

occu-

A occupauit Apollodorus etiam orator Pergamensis fuit, qui artes conscripsit, et Apollodoriam sectam introduxit, & Augusti Cæsaris magister fuit, & discipulum habuit memoratu dignum Dionysium ciuem suum cognomine Atticum, qui sermones & historias conscripsit. Attalus ciuis Pergamenus, Christi nomine in Gallia martyrium pertulit, & in ipsa Pergamo complures occisi sunt, Christum deum esse cõfessi, inter quos Papyrius & Carpus, & Agathonica optima fœmina martyrij coronam acceperũt. Progredienti ad urbem, orientem uersus, urbs Apollonia fuit, in loco edito imposita: ad sinistram Caici fluminis partem, urbem Tyatiram cõmemorant, Macedon habitationẽ, quam nonnulli Mysorum ultimam dicunt. Hic una fuit ex septem ecclesijs, ad quas Ioãnes Apostolus scripsit Apocalypsim. Vlterius ad meridem Hermi campus occurrit, & Sardis olim urbs magna, posterior Troianis rebus, antiqua tamen, quæ promontorium munitissimum habuit, & Lydorum caput fuit: Tmolus ei imminebat mõs felix, qui speluncã in uertice habuit, albi lapidis, à Persis cõditam: ex qua circunstantes spectabantur campi, usque ad Caystrum. Lydi, & Mysi, & Macedones, circum habitauere. Pactolus à Tmolo multa olim auri ramenta deferebat, ex quo præclaras illas Crœsi & maiorum diuitias ferunt, nunc auri uena defecit. Pactolus in Hermum defertur, & Hylas, qui postea Phrygius dictus est. Nonnulli Hermum initium esse Mysiæ dixerunt: è monte Dindymenæ sacro, per exustã in Sardianum agrum & mare defertur. Vrbi Sardianæ

B planicies subiacuit, & Cori, & Hermi, & Caystri campi, qui continui sunt, & camporum omnium optimi.

De Sardensibus, & uiris apud hos excellentibus, de Troade, & ad hanc pertinentibus urbibus. Cap. LXIIII.

QVadraginta stadijs ab urbe lacus fuit, quem Homerus Gregoëum appellauit, postea Rolus dictus est, ubi Coloëna Diana uenerationis maximæ templum habuit. Circa Coloum antiqua regum monumẽta fuere: apud Sardis uero Aliatis ingens tumulus super excelsa crepidine, cuius maximam partem ancillæ perfecerunt, quæ (ut Herodotus ait) omnes meretricabantur: quidam meretricis monumẽtum hoc fuisse dicunt. Callisthenes ait: Sardis prius à Cimmerijs captã, postea à Treribus ac Cilicibus: deinde à Cyro & à Crœso: exin ciuitas hæc ob loci uirtutem ita instaurata est, ut nulli finitimarum cederet. Imperante Tyberio Cæsare multa eius ædificia ex terræmotibus corruerũt, sed imperator & hanc & multas alias suo beneficio reparauit. Viri memorabiles ex Sardis fuere, duo Diodori oratores, quorum natu grandior cognomento Zonas, multa certamina pro Asia concertauit: accusatus autem quod ciuitatem ad Mithridatis amicitiam pelliceret, habita excusatione, omnes calumnias diluit. Iunior Diodorus Strabonis amicus fuit, & historias scripsit, & poëmata, quæ antiquis non cederent. Xãthus

Aliatis tumulus ancillarũ.

C rerum scriptor antiquus, Lydus fuit, an Sardianus, incertum est. In Sardis ecclesia fuit una ex septem Asiæ, quarum Ioannes meminit. Melito Sardensis ecclesiæ antistes, pro Christiana fide multa scripsit, & Apologeticos libros, imperatoribus misit, qui propter regnum dei eunuchus effectus, & spiritu sancto plenus, apud suam plebem quieuit. Philadelphia quoque quæ ad Mysos pertinuit, urbs terræmotibus concussa, cuius incolæ magna ex parte in agris degebant, non tamen magnopere agriculturæ studebant, quamuis terram haberent fertilem. In hac etiam urbe una ex septem ecclesijs & Christi sacra recepit. Supra Philadelphiam orientẽ uersus exusta regio patet, stadijs longa quingentis, quadringentis lata: quam alij Mæoniæ, alij Mysiæ dedere: nullæ hic arbores inueniuntur, præter uitem, quæ exustum uinum fert, ita elegans, ut nulli cedat: Summa camporum facies cinerulenta est, montana, petrosa, & nigra: quidam ex crebro fulminum ictu id contigisse arbitrantur, nec dubitant, quæ de Typhone dicuntur hoc in loco fabulari: sed credibilius est subterraneũ ignem, qui postea defecerit, regionem exussisse. Tmolus coactus est et ambitũ mediocrem habet, atque in ipsis Lydiæ partibus terminatur, Larissa quæ in agro Ephesio collocatur, & in cãpo Caystrano sita, Tmolo quã Epheso uicinior, sub mœnibus fuit. Ephesij enim multo ex agro Mæonio absciderũt, quos postea Lydos appellauere: Sipilũ mõtẽ & regionẽ q̃ circa est, qdã maiori Phrygiæ dederũt, qdã

Exusta regio & sine arboribus.

Vinum exustum.

minori, nos Mysiæ apponimus. Sub eo Magnetia fuit Hermo uicina, quam terræmotus deiecit. Altera est apud Meandrum, de qua postea dicemus: tãtum est quod de Mysis ac Lydis explicare placuit, quamuis etiam inter Caras & maiores Phrygias, usq; ad Taurum, Lydorum Mysorumq; nonnulli concurrerint. Troas fama percelebris Mysiæ ad occidentem subiacet, tota mari exposita: Homerus ab Aesepo usque ad Caici fluminis ostia eius fines produxit, Eudoxus à Priapo fecit initiũ, Damasces à Pario, Carõ Lamsacenus à Practio, Scylax Cariandius ab Abydo: tanta ueterum discordia fuit, ut Strabo refert. Nobis Homeri limites placent, sed addimus id terræ spatium quod ab ostio Rhyndaci fluminis est, usq; ad Aesepum, ut oram Cyzicenam includamus, quã Ptolemæus proprie Asiæ dedit, qui etiam minorem Phrygiã Troadi commiscuit, nos eam Bithyniæ applicauimus, Olympo Mysiæ adiacentem: sed quoniam Aeolis Troadi permista fuit, eaq; usque ad Hermum fluuium percurrebat, non ab re fuerit ad eundem limitem meridiẽ uersus extendere Troadem, ut inde Rhyndaco, hinc Hermo claudatur: quamuis nonnulla Ioniæ loca ad dexteram Hermi iaceant. A Rhyndaco igitur incipiemus, qui Troadis terminus est septentrionalior: Hic fluuius ex Aranitide regione, quæ Mysorum fuit, ortum habet, & per Myletopolitanum & Apolloniaticum agrum decurrit, assumptisq; cum alijs, tum etiam Aceste, ex Abretana Mysia in Propontidem iuxta Besbidim insulam emittit, quæ Cyzicenorum fuit, & montem habuit arboribus plenum nomine Artacem: Non procul hinc Cyzicus insula fuit, quingentorum fere stadiorum, ambitu admodũ ferax, & duobus pontibus iuncta continenti, quæ iuxta pontem eiusdem nominis urbẽ habuit, & portus duos clausos & noualia. Pars urbis in planicie iacuit, pars monti adhæsit, qui Vrsarum appellabatur, cui mons alius imminebat Dindyma nomine, unicum habens uerticem, in quo Dindymenæ matris deum (ut erat stulta gentilitas) Argonautæ delubrum ædificauerunt: ciuitas & magna fuit & pulcherrima & optimis instituta legibus, & paci & bello aptissima, in qua tria fuerunt armamentaria, aliud armorum, aliud instrumentorum, aliud frumẽtorum, quæ ne corrumperentur calcidica terra præstabat. Mithridates cum centum quinquaginta millibus hominum, & multo equitatu hanc urbem obsedit, cuius impetum Cyziceni cum quadringentis nauibus perfregerũt, ipsumq; prope in cuniculo oppresserunt cõtra effodientes. Lucullus auxilia obsessis misit, & pestis adiumento fuit, quæ regem multis suorum amissis discedere coẽgit: Romani liberam ciuitatem dimiserunt, & multum agri ei addiderunt, cum ex Troadis regione, tum ex alijs: Nam & ad Rhyndacum & Aesepum Cyzicenorum ager protendebatur. Nunc quid sit Cyzicus nobis non satis constat, adeo claritatem rebus adimunt tempora, & nos humuntiones diuturnam quærimus in hoc seculo gloriam, quàm potentissime ciuitates retinere non potuerunt A cyzicena regione, & locis Aesepo & Granico uicinis, usque Abydum Propontidis ora producitur, quæ ad Troadem pertinuit: ex Abydo uero usque Lectum promontorium & Ilij, & Tenedi, & Troianæ Alexandriæ regio fuit. Hisq; omnibus Ida imminebat: à Lecto usq; ad Caicum cõplura alia loca fuerunt, quibus ex aduerso Lesbiorũ insula consurgit, quæ omnia Troianorũ fuere, per principatus octo uel nouẽ administrata, quibus post deletum Ilium Aeoles sese immiscuere, à Cyziceno agro usq; ad Caicum Troadis terminum. Sed Aeoles ulterius processere, usq; ad Hermũ, Cumanum agrum, & Phocensem occupantes, ubi Ioniæ fuit initium. Dicunt autem Aeolicam coloniam quatuor seculis antiquiorẽ esse Ionia. Pẽthylus Orestis filius annis sexaginta post Troiam captam, patre suo in Archadia mortuo, in Thraciam processit, quo tempore Heraclidæ in Peloponnesum rediere. Deinde Archelaus Penthylo natus, cum Aeolica classe in Cyzicenã regionẽ traiecit: Gran uero filius iunior, usq; ad Granicum fluuium profectus est, qui ab eo nomen accepit, & deinde in Lesbum insulam transmisit eamq; occupauit. At Clebas Dori filiꝰ & Malaus, qui & ipsi Agamemnonis genus fuere, eodẽ tempore quo Penthylus exercitum contraxere, sed circa Locrensem agrũ & Phritium mõtem diu commemorati, postea in Asiam transgressi Cumam condidere, quã Phritioniã uocauere. Penthyli classis trãsitum ex Thracia anticipauit, Aeolesq; per totã Troadem dispersis,

Dissentiũt autores.

Armamentaria tria.

Humanarum rerum labilis gloria.

A dispersit, atque idcirco Aeolis & Troas simul accipitur. Ida mons altissimus ad Troadē spectat, habetque multos pedes, latus eius septentrionale, ex angustijs Abydi usque ad Stesepum & Cyzicenum agrum, ad Proponticlē pertinet, & circa Zeliā finitur: occidētale, ad Hellespontum respicit: Australe, promontoriū facit, quod Lectū appellatur, et paruo freto à septentrionali parte Lesbiæ insulæ disiungitur: oriētalia Idæ ad Mysos declinant. Primus è mari exitus in Idam ascendentibus apud Lectum fit, abundatque mons aquis, & multa flumina ex eo descendunt, in cuius summitate locus fuit Gargarus appellatus, à quo Gargara Aeolica ciuitas dicta est. Zelia in extrema Idæ prætermōtana fuit, distās à Cyzico stadijs cētum & nonaginta, à proximo mari, in quod Aesepus emittit stadijs octoginta. Circa Zeliā Tharsius effluebat amnis, quē uiginti locis ea uia pertransibant. Prope Aesepi ostia tumulus quidā fuit, in quo Mēnonis sepulchrū ostēdebatur, eius quē Thytoni filium dixere, & proximus Mēnonis uicus. Inter Aesepum & urbē Priapum Granicus effluit amnis, magna ex parte per Adrastiæ cāpos delatus, ubi Alexander Darij satrapas prælio superauit, totamque regionem cepit, quæ inter Taurū erat et Euphratē: Ad Granicum urbs fuit et regio nomine Sidena, sed urbs diruta iacet. In Cyzicē et Priapem agri confinio Arpagia fuit locus, ex quo Ganymedem gentilis theologiæ dedecus atque infamiam raptum dixere, quod alij circa Dardanium promontorium contigisse arbitrantur. Priapus ad mare iacuit, & portum habuit, cultores eius, alij Milesios dixerūt, alij Cyzicenos: Priapus ei nomen dedit, quem ciues tanquā Liberi patris filium & nymphæ colebant. Lactātius Firmianus obscœnā causam refert, propter quā matronæ Priapum in exiliū actum colere cœperint. Circumuicina regio Adrastia uocabatur, ab Adrasto rege qui primus Nemesi, id est Fortunæ templum ædificauit, Adrastiāque uocauit. Romani quoque huic deæ templa dicauere, stulti, qui substantiā esse aliquā fortunam putarunt, regnorū & opum dispensatricem, quæ solius dei nutu huc atque illuc transferuntur.

Memnonis sepulchrum. *Ganimedes raptus.* *Adrastia Fortunæ deæ templum.*

De Adrastia, & quomodo homines cum serpentibus cognationem habere dicantur, Cap. LXV.

ADrastia ciuitas inter Priapum & Parium fuit, qua diruta lapides transuecti sunt, et ibi ara ædificata Hermocreontis, opus magnitudine & pulchritudine memorabile. Parium ad mare situm fuit, & portum habuit maiorem quàm Priapus: ciues Athalicis regibus paruere, quorum fauore multum agri Priapensibus absciderunt. Hic genus hominum fuit quos Anguigenas uocauere, & cognationem quandam cum serpentibus habere crediderunt: quorum mares proditum est serpentum morsibus fuisse remedio, si eos continuo attigissent, ac primo liuorem transtulisse, postea tumorem ac dolorē sedasse. Auctorem gentis heroem quēdam tradidere ex serpente immutatum, ut est antiquitas fabulosa. Vis ea aliquandiu in genere mansit, quemadmodum in Calabria fama C est de ijs qui ex progenie scilicet Pauli appellantur, nam & hos mederi serpentum morsibus affirmāt. Parium Milesij & Erythrei, & Parij condidere. Ex Pario fuit Neoptolemus cognomento glosographus, uir memoratu dignus. Pythia apud Pythitatem Parianæ regionis fuit, & montē Pythium imminentē habuit, inter Parium & Priapum sita, iuxta Linum, qui locus ad mare fuit, ubi Cochleæ Linusiæ appellatæ optimæ omnium capiebantur. Claritas loco ab irritamento gulæ tradita est & Pario Priapum nauiganti antiqua Proconesus occurrit, & noua, quæ ciuitatem habuit, & alibi lapidis largam uenam apprime laudatam, unde Cyzicenorum opera pulcherrima extructa fuerunt. Hic fuit Aristeus carminum poēta uir facundiæ blanditijs uehemens. Rhehæ montes alij Zeliæ uicinos putauerunt, alij Lampsaco ad quadraginta stadia. In his Tera fuit, prima Lydorum regia, postea Persarum, nunc ignota est, & sine nomine iacet. Fuit & templum matri deorum sacrum quod Rheæ uocauerunt. Vrbs Lampsacus ad mare iacuit, & portum habuit optimum, sicut Abydus, à qua distabat centū et quinquaginta stadijs, Pythuisa prius appellata. Xerxes hanc urbē Themistocli in uinum dedit, nam tota hæc, regio et Pariana uineis abundauit. Hinc fortasse temulenta matronarum turba, et Veneri dedita, Priapi cultum inuenit. Lampsacus Callipoli opponebatur, quadraginta stadijs ab ea distans. Inter Lampsacum & Parium urbs fuit Pesus & flumen: urbe diru-

Anguigenæ. *Sancti Pauli progenies.* *Pythuisa à Xerxe Themistocli in uinum data.*

urbe diruta Pesini Lampsacum migrauere, cum & ipsi Milesiorum coloni essent, quemadmodum & Lampsaceni. In agro Lampsaceno locus fuit Gergithium appellatus uineis consitus, & ciuitas Gergitha à Gergithis dicta, quæ in Cumano erant: ex Lampsaco fuit Carõ historicus, & Adimanthus, & Anaximenes, & Metrodorus Epicuri sodalis, ipsum etiam Epicurum quodãmodo Lampsacenum dicunt, qui Lampsaci uersatum, atque Leonti & Idomenti amicitia usum, qui primi erant in ea ciuitate: nec alienũ est uoluptatis laudatorem eam ciuitatem amasse, in qua uinum erat optimum, sine quo langui da uoluptas est. Ex hoc loco Agrippa leonem qui corruerat transtulit, Lysippi opus: eumq; collocauit in luco, qui inter lacum & Euripum erat. Lampsacus & Parius Troianis temporibus nondum erant, sed Arisbe in his locis fuit prope Seleentẽ amnem. Asij Hirtacidis regia fuit, & Practius amnis & urbs sub Asio: sed hæc loca prorsus defecere cum tempore, quod omnia uorat: post Lampsacum Abydus fuit, quã Milesij condidere, Gyge Lydorum rege permittente, qui totius Troadis imperiũ habuit: & ab eo promontorium quoddam iuxta Dardaniũ Gygas appellatum est, & in ore Propõtidis iacet, & Hellesponti, æquali spatio à Lampsaco & Ilio distans, per stadia circiter cẽtum & septuaginta. Hic est illud septem stadium mare, quod Asiam dirimit ab Europa, à Xerxe põte iunctum Abydus in Asia, & Sestus in Europa, triginta stadijs inter se distabãt à portu in portum: locus pontis paululum ab urbibus digredienti uersus Propontidem fuit. Thraces post res Troianas Abydum habitauere, deinde Milesij: Sed quum Darius Xerxis pater è Scythia rediens, Nomades aduersus se transitum parare intellexisset, ne urbes inimico exercitu commeatum præberent, multas earum concremauit: Inter quas et Abydus passa est incendium: Sæpe enim suis urbibus plus domini quàm hostes nocent. Abydeorum regioni Astira imminebat, urbs diruta, quæ olim suis legibus uixerat, & auri metallis abundauerat, quæ postea consumpta sunt. Abydus ab Aesepo distabat septingentis stadijs, recta tamen nauigatione paucioribus: totumq; hoc spacium Troadis ad Propontidem respicit. Hinc Hellespontus incipit, & Iliensia sequuntur, quæ extra Abydum sunt, Austrum uersꝰ. Quum cætera maritima usq; Lectum, quibus Mediterranea Troiani campi, & Idæ prætermontana adiungimus, post Abydum promontorium Dardanium occurrit, & ciuitas Dardanum septuaginta stadijs ab Abydo distans, & Rhodius amnis, quem alij in Aesepum emittere tradunt: alij per sese in mare putant exonerari.

De Dardania, Cap. LXVI.

DArdanum prisca res adeo spreta fuit, ut sæpe reges, alij eam Abydum trãstulerint, alij rursum in pristinam conditionem habitauerint. Cornelius Sylla & Mithridates Eupator, ut bellum dissoluerent hoc in loco conuenerunt. Non procul hinc Hectoris lucus fuit in loco conspicuo, deinde lacus Ptheleus, & urbs Rhytium in colle sita, & regio littoralis Rhytio continua, & Aiacis tumulus, & templum, & statua, quam ab Antonio ablatam & in Aegyptum asportatam, Augustus Cæsar sicut pleraq; alia restituit Iliensibus. Post Rhytium Sigæum urbs fuit, & nauale, & Achiuorum portus, & Achaica castra, & lacus, qui Os dicitur, & Scamandri ostia, nam Simois et Scamander in campo concurrentes, multum lutum deuehunt, et maritimam oram exaggerantes, ore obstructo, maria stagnantia, et loca palustria efficiunt. A Rhytio usq; Sygæũ et Achillis tumulum: recta nauigantibus stadia intercedũt septuaginta, totaq; hæc ora nouo Ilio subiacet, duodecim fere stadijs ab eo distans, iuxta Achiuorũ portum, à priore aũt alijs triginta stadijs, ad partem quæ est Idam uersus Achilles templum habuit, et tumulum iuxta Sygæum. Patroclus et Antilochus tumulos, quibus omnibus et Aiaci sacrificabant Ilienses, tanquã dij essent, qui homines fuerant, et quidẽ sanguinarij. Herculem non colebant, causam afferentes, quod is urbem fuerit depopulatus. Sed aliud in causa esse oportuit, siquidem Achillis et sociorum opera urbs funditus corruit, et Hercules paruam ciuitatem diripuit, qui cum sex tãtũ nauibus et paucis uiris potitus est uictoria. Græci qui cum Achille fuerunt, magnam et præclaram urbem deleuere, nã Priamus ex paruo magnus, et rex regũ effectus erat. Paulũ ab hac ora progredietĩ Acheium fuit, et ad ulte-

A ad ulteriorem Tenedorum regionem pertinuit: hæc omia ad mare sita erãt, quibus Troianus campus imminebat, usq; ad Idam stadia plurima ascendens orientẽ uersus. Huius prætermontana perangusta quidẽ partim ad meridiẽ extensa, usq; ad loca quæ apud Scepsim erant: partim ad Septentrionem, usq; Lycios, qui iuxta Zeliam habitabant: hanc Homerus sub Aenea & Antenoride posuit, Dardaniamq; uocauit: quod nomen & urbi dedit & regioni: sed urbis nec uestigium quidem extat. Plato post diluuium tria hominum genera fuisse putauit. Primum simplex & agreste, eorum qui per aquas formidarent, & montium cacumina incolerent. Secundũ, eorum qui plus aliquid audebant. & in ipsis montium radicibus habitabãt. Tertium eorum qui omni semoto metu, in patentes campos exiere: & has differẽtias ab Homero traditas dixit, qui pro primo exemplo Cyclopeos posuit, fructibus sponte nascentibus utentes, & montium cacumina in speluncis habitantes. In secundo Dardanũ, qui Dardaniã ædificauit antequã Ilium cõderetur. In tertio Ilũ, quem Ilij conditorẽ tradunt. Vnde par est eũ in medio campo sepultũ esse, quoniã prior ausus est in campis habitare: possent et plura hominũ genera inueniri, eorum qui uel in littore maris, uel in insulis habitarẽt. Sed nec omnino ausus est Ilus qui non ad mare ubi nouum fuit Iliũ, sed superiꝰ triginta ferè stadijs ad orientẽ Idam & Dardaniam uersus, urbẽ cõdidit: post Dardaniã Cebrenia occurrebat, magna ex parte cam-

B pestris, quæ quodãmodo pariter cum Dardania progrediebatur, & in ea urbs Cebrena. Demetrius usq; huc Ilij agrũ Hectori subditũ pertẽdere arbitratus est, progrediẽtem à nauali usq; in Cebrenã, ibiq; Alexandri & Oenones sepulchrũ ostendi, quã dicunt Alexandri uxorẽ fuisse, priusquã Helenã raperet: Cebreniã uero Scepsim usq; procedere, & eorũ confiniũ esse Scamandrũ. Cebrenos cũ Scepsijs semper inimicitias exercuisse, donec Antigonus eos in Antigoniam transtulit, quæ postea Alexãdria dicta est: & Cebrenos cum alijs Alexandriæ remãsisse, Scepsios Lysimacho permittente domum redijsse.

De Ilio duplici, de Ida & eius fluminibus, deq; pinu quæ mira magnitudine pulchra est cognominata, Cap. LXVII.

SEd quoniam Iliensia iam attingimus, quæ toto orbe decantata sunt, monstrandum est quo in loco fuerit Iliũ, pro quo Græci decertauere, & de quo scripta est Ilias Homeri: dicta est Idam montem Hellesponto imminere, in quo multæ conualles existunt, & multi colles ab eo deriuantur, nec pauci amnes descendunt ex eo: duo flexus, tanquã duo cubiti, ad mare decurrunt, alter Rhytium, alter Sygæum uersus, atque dimidiati circuli lineam efficiunt, duodecimq; fere stadijs in planicie procul à mari desinunt. Duplex Ilium antiqui commemorant, alterum inferius intra dictorum flexuum finem, alterum superius intra initium. Interius Simoisius campus comprehendatur per quem Simois ibat: & Scamandrius, per quem Scamander: atq; hunc proprie Troianum cam-

C pum appellauere, & Homerus maximam certaminum partem hoc in loco factã ostendit: nam & latior est, & loca hic celebrata fuerunt, & flumina Simois, & Scamãder, quorum alterum Sigæo, alterum Rhytio proximum in conspectu inferioris Ilij concurrunt: postea Sigæum delata lacum efficiunt, qui Os dicitur: utrosq; campos, alterum ab altero ingens quidam collis dictorum flexuum in rectum dirimit, qui ab inferiori Ilio incipiens, & ei coniunctus, usq; in Cebrenam tendit, super quo alterum Ilium fuit, quod superius appellauimus, distans ab inferiori stadijs triginta. Vlterius decem stadijs Caliconam tumulum quendam fuisse tradunt, iuxta quem ad stadia quinque Simois labebatur. Caliconia uero stadijs quadraginta ab inferiori Ilio distabat, erat & Tymbra campus Ilio superiori proximus, et Tymbræus fluuius, qui per eum ad Apollinis Tymbræi templũ fluebat in Scamandrũ. Superius Ilium quadringenta duobus stadijs à mari aberat. Inferius duodecim: hoc antea uicus fuit, qui Palladis templum habuit, quod Alexander, ex uictoria apud Granicum habita, rediẽs magnificis donis exornauit: & arbitratꝰ illic Priami sedem fuisse, uicum appellari urbẽ iussit, & ut ædificia repararentur, curatoribus mandauit, ac liberam & immunẽ censuit, subactisq; Persis facturum se maiora promisit. Erat enim Homeri studiosus & propter Aeacidarum cognationem, qui Molossis imperarunt, apud quos regnauit Andromache Hectoris uxor, erga Ilienses magnopere affe-

Plato post diluuium hominum tria genera esse putauit.

pere affectus. Post eius obitum Lysimachus urbis cura suscepta delubrum cōstruxit, & D
murum ad stadia quadraginta circunduxit, ac uicinas & antiquas urbes in eam habitatum deduxit, quæ iam erant labefactatæ. Sed cum Romani Asiam ingressi, magnū Antiochum eiecerunt, collapsa erant Lysimachi mœnia. Extabat tamen uicus, urbis amplitudinē habens. Demetrius Scepsius inquit, cū adolescens in eam urbē peregrinaretur, adeo neglectā uidisse, ut coctilicijs tectis careret. Agesianax scribit, Gallos ex Europa transgressos, tutelæ gratia in urbē transcēdisse: sed ea sine mœnib. repertā, ilico reliquisse: postea multū reparata fuit, & deinde à Romanis, qui cū Fimbria erāt labefactata Fimbria quæstor cum Valerio Flacco consule aduersus Mithridatem missus, orta seditione consulem in Bithynia occidit, & exercitu potitus Ilium uenit: unde cum tanquam latro excluderetur, admoto ad urbem exercitu, undecimo die eam cepit. Sed glorianti quod tam cito urbem cepisset, quamuis anno decimo cum mille nauibus ex tota Græcia ceperat Aagamemnon, respondit quidam ex Iliensibus: Non enim Hector aderat qui pro ciuitate pugnaret. Sylla uero cum Fimbriam sustulisset, Mithridatemq; domū cum quibusdam conditionibus remisisset, Ilienses multis beneficijs solatus est: deinde Iulius Cæsar maximam de his curam suscepit, Alexandrum æmulatus, cuius erat amantissimus, & certissima cum Iliensibus signa cognationis habebat, tanquam Romanus. Romani enim autorem generis sui Aeneam putauerunt. Iulius ab Iulio quodam uiro ex progenitoribus & ille ab Iulo cognomen hoc habuit, qui unus fuit ex posteris Aeneæ, quē Vergilius filium fuisse testatur. Regionem itaq; eis tribuit libertate & immunitate seruata, in quibus diu permansere. Sed hoc non fuit Ilium Homericum, quod Greci euertūt. Illud enim quadraginta duobus stadijs (ut ante diximus) à mari distabat, hoc duodecim, cum Alexādri iussu reparatum est, & campus ante urbem fluminis aggestio erat, quem Troiani tempore belli multo minorem esse oportuit, nec poterant tam breui spacio inter urbem & mare Homerica prælia fieri, neq; urbs in hoc loco propter perpetuū iugū circuire poterat, Homerica uero poterat. Multa præterea ex Homero colliguntur, quibus palam fit Hectoreum Ilium superius fuisse, cuius Alexandro aut Iulio imperante, nullum extabat uestigium. Nam uicinæ urbes uastatæ, non tamen prorsus erutæ. Exusto Ilio lapides inde ad instauranda sua mœnia transtulerunt, ita nunc & in rebus humanis spem ponito, aut te diu mansurum credito, quando Ilium ingens, & totius Asiæ columen adeo extinctum est, ut neq; cadauer inueniatur, & dubium sit quo in loco tanta gloria fuerit. Sunt qui putant reliquas Iliensium uoluisse super ruinis antiquæ urbis nouum Ilium ædificare, existimantes locum eum in quo prius fuerat inauspicatum esse, & calamitatibus obnoxium, uel quod Agamemnon antiqua consuetudine eum fuerit execratus, & sunt qui urbem hanc multa loca mutasse tradunt. Postremo iuxta mare in loco quem designauimus, ex oraculo constitisse. Neq; ab initio urbs fuit, sed multis annis uici formam habuit, & paulatim (ut diximus) creuit. Hellanicus uolens Iliensibus gratificari, concessit nouam & antiquā urbem eandem fuisse, qua deleta, qui Sigæum et Rhytium habitabant, regionem inter sese diuiserunt, ea autem restituta omnia reddiderunt. Sed hic non satisfacit his quæ ab Homero sumpta contrarium suadent: uicum postea in eo loco ædificatum dicunt, in quo uetus Ilium fuit, & Troianorum regia, ex qua originem cuncti se ducere iactitant, qui nobilissimi uideri uolunt: nam & Franci & Angli, & alij complures hinc maiores suos uenisse tradunt. Sed Romanorum genus ab Ilio profectum multi autores prodidere, quibus fides habenda est.

Galli in Iliū asenderunt.

Vbi & quādo Ilium Homericum.

E

F

De Ida & eius fluminibus, deq; pinu, quæ mira magnitudine sua, pulchra est cognominata, Cap. LXVIII.

SVpra Ilium Idam esse diximus, quam multi fontem appellauerunt, propter fluminū multitudinem ex ea cadentium, præsertim ubi Dardanica regio ei subiacet usq; Scepsim & Iliensia. Demetrius collem quendam Idæ esse dixit, nomine Cotillum, ultra Scepsim ad centum & uiginti stadia, ex quo Scamander, & Granicus, & Aesepus fluunt. Sed hi ad septentrionem & Propontidem tendunt manantes è pluribus fontibus, Scamander ad occasum ex uno fonte, cursus Aesepi quingentis fere stadijs terminatur. In

Scaman-

pere affectus. Post eius obitum Lysimachus urbis cura suscepta delubrum cōstruxit, & murum ad stadia quadraginta circunduxit, ac uicinas & antiquas urbes in eam habitatum deduxit, quæ iam erant labefactatæ. Sed cum Romani Asiam ingressi, magnū Antiochum eiecerunt, collapsa erant Lysimachi mœnia. Extabat tamen uicus, urbis amplitudinē habens. Demetrius Scepsius inquit, cū adolescens in eam urbē peregrinaretur, adeo neglectā uidisse, ut coctilicijs tectis careret. Agesianax scribit, Gallos ex Europa transgressos, tutelæ gratia in urbē transcēdisse: sed ea sine mœnib. repertā, ilico reliquisse: postea multū reparata fuit, & deinde à Romanis, qui cū Fimbria erāt labefactata. Fimbria quæstor cum Valerio Flacco consule aduersus Mithridatem missus, orta seditione consulem in Bithynia occidit, & exercitu potitus Ilium uenit: unde cum tanquam latro excluderetur, admoto ad urbem exercitu, undecimo die eam cepit. Sed glorianti quod tam cito urbem cepisset, quamuis anno decimo cum mille nauibus ex tota Græcia ceperat Aagamemnon, respondit quidam ex Iliensibus: Non enim Hector aderat qui pro ciuitate pugnaret. Sylla uero cum Fimbriam sustulisset, Mithridatemq́; domū cum quibusdam conditionibus remisisset, Ilienses multis beneficijs solatus est: deinde Iulius Cæsar maximam de his curam suscepit, Alexandrum æmulatus, cuius erat amantissimus, & certissima cum Iliensibus signa cognationis habebat, tanquam Romanus. Romani enim autorem generis sui Aeneam putauerunt. Iulius ab Iulio quodam uiro ex progenitoribus & ille ab Iulo cognomen hoc habuit, qui unus fuit ex posteris Aeneæ, quē Vergilius filium fuisse testatur. Regionem itaq; eis tribuit libertate & immunitate seruata, in quibus diu permansere. Sed hoc non fuit Ilium Homericum, quod Greci euertūt. Illud enim quadraginta duobus stadijs (ut ante diximus) à mari distabat, hoc duodecim, cum Alexādri iussu reparatum est, & campus ante urbem fluminis aggestio erat, quem Troiani tempore belli multo minorem esse oportuit, nec poterant tam breui spacio inter urbem & mare Homerica prælia fieri, neq; urbs in hoc loco propter perpetuū iugū circuire poterat, Homerica uero poterat. Multa præterea ex Homero colliguntur, quibus palam fit Hectoreum Ilium superius fuisse, cuius Alexandro aut Iulio imperante, nullum extabat uestigium. Nam uicinæ urbes uastatæ, non tamen prorsus erutæ. Exusto Ilio lapides inde ad instauranda sua mœnia transtulerunt, ita nunc & in rebus humanis spem ponito, aut te diu mansurum credito, quando Ilium ingens, & totius Asiæ columen adeo extinctum est, ut neq; cadauer inueniatur, & dubium sit quo in loco tanta gloria fuerit. Sunt qui putant reliquas Iliensium uoluisse super ruinis antiquæ urbis nouum Ilium ædificare, existimantes locum eum in quo prius fuerat inauspicatum esse, & calamitatibus obnoxium, uel quod Agamemnon antiqua consuetudine eum fuerit execratus, & sunt qui urbem hanc multa loca mutasse tradunt. Postremo iuxta mare in loco quem designauimus, ex oraculo constitisse. Neq; ab initio urbs fuit, sed multis annis uici formam habuit, & paulatim (ut diximus) creuit. Hellanicus uolens Iliensibus gratificari, concessit nouam & antiquā urbem eandem fuisse, qua deleta, qui Sigæum et Rhytium habitabant, regionem inter sese diuiserunt, ea autem restituta omnia reddiderunt. Sed hic non satisfacit his quæ ab Homero sumpta contrarium suadent: uicum postea in eo loco ædificatum dicunt, in quo uetus Ilium fuit, & Troianorum regia, ex qua originem cuncti se ducere iactitant, qui nobilissimi uideri uolunt: nam & Franci & Angli, & alij complures hinc maiores suos uenisse tradunt. Sed Romanorum genus ab Ilio profectum multi autores prodidere, quibus fides habenda est.

Galli in Iliū ascenderunt.

Vbi & quādo Ilium Homericum.

D E F

De Ida & eius fluminibus, deq́; pinu, quæ mira magnitudine sua, pulchra est cognominata, Cap. LXVIII.

SVpra Ilium Idam esse diximus, quam multi fontem appellauerunt, propter fluminū multitudinem ex ea cadentium, præsertim ubi Dardanica regio ei subiacet usq; Scepsim & Iliensia. Demetrius collem quendam Idæ esse dixit, nomine Cotillum, ultra Scepsim ad centum & uiginti stadia, ex quo Scamander, & Granicus, & Aesepus fluunt. Sed hi ad septentrionem & Propontidem tendunt manantes è pluribus fontibus, Scamander ad occasum ex uno fonte, cursus Aesepi quingentis fere stadijs terminatur. In

Scaman-

A Scamandrum Adirus influit, ex quadam Carsinæ montana regione, compluribus uicis habitata, & optime culta, quæ Dardaniæ adiacebat, usque ad loca Zeliæ, et Pithiæ finitima: eam regionẽ à Careso flumine dictam putant. His in locis & Rhesum fluuium posuere, qui postea Rhoites dictus est, & in Granicum influit, Septemuadus ab Homero uocatus, quia septies pertransitur, in locis pulchra Pinui finitimis: digna fuit arbor quæ nomen haberet. Attalus qui primo regnauit in Attalica gente, ambitum eius fuisse pedum uiginti quatuor scripsit, altitudinem à radice sexaginta & septem, postea in tria scissam æqualiter in se distantia, & iterum in unum apicem cohiberi, totam eius altitudinem duorum iugerum, & quindecim cubitorum spacio contineri, distãtem ab Adramytteo stadijs centum & octuaginta, septentrionem uersus. Nunc nulla est, habent & arbores suam mortem, aut percussæ cadunt, aut suo tempore arescunt. Nihil est in terra non mortale. Caresus à Malunte fluit, qui locus inter Palæscepsim iacuit, & Achæum ulterioris Tenediorum agri. Immittit autem in Aesepum Rhodius, qui fluit in Euiũ à Cleandria & Gordo descendens, quæ loca sexaginta stadijs à pulchra Pinu distabãt, in Aesepi conualle, quæ à sinistra cursus eius est. Poliena locus munitissimus fuit, deinde Palæscepsis mox Halyxonium, quod Amazonum fabulis applicatum est. Postea Caresus urbis deserta, & Caresina regio, & amnem ab eo dictum quod uallem ingentem efficit, B minorem tamen ea qui Aesepi est. Deinceps Zeliæ sequuntur campi, & loca collibus plena, & olim optime culta. In Aesepi dextera Argentariæ fuerunt, apud nouum uicum Polienæ & Palæscepsi oppositæ. Palæscepsis ab Aesepo stadijs triginta distabat, ab urbe Aenea quinquaginta. Sed ad oram maritimam reuertamur.

Pulchra pinus.

De Tenedo insula, & quod in ea castellum fuerit nobilissimum, quod cum Veneti & Genuenses pro eo multis inter se prælijs contenderent, communi consensu est deletum. Item de urbe Alexandrina quæ prius Sigæa uocabatur, deque in ea Smynthei delubro sacris muribus habitato, Cap. LXIX.

POst Sigæum promontorium Achillæum sequebatur, & Achæium, & regio Tenediorum, atque ipsa Tenedos insula, distans à continenti stadijs quadraginta. In qua priusquã in agrum Troianum Græci descenderent, stationẽ habuerunt, & Agamẽnon Iphigeniã immolare nõ dubitauit. Vincebat patris affectum regnãdi cupiditas, et quod credenti Abrahæ ad iustitiam reputatũ est, huic ad iniquitatem cessit. Ambitus huius insulæ stadia octuaginta continebat. Vrbs Aeolica in ea fuit, & portus duos habuit, & Apollinis Smynthæi delubrum. Duæ insulæ circunstabant, Calydnæ olim appellatæ, et aliæ quædam ignotæ. Tenedũ alij Calydnam uocauerunt, alij Leucophryn, id est, candidum superciliũ. Vergilius opulentã fuisse sub Priamo insulã dicit. Diodorus ait Tenũ Cyeni filiũ Coloniæ Lesbiæ quæ erat in Troade imperasse, deinde relicta patria, cõgregatis co C lonis, in insulam desertam nomine Leucophryn nauigasse, distributisque insulæ agris, inter eos qui secum erant urbem condidisse, atque insulam nomine Tenedon uocauisse, & cum multa hominibus, beneficia cõtulisset, post obitum inter deos relatum. Nonnulli ferunt Cyenum patrem uxoris calumnia inductũ, Tenum filium in arca positum in mare deiecisse, qui mirabili deorum ope seruatus, tempestate in Tenedũ appulerit, qui nouercæ fauerat insidijs lege sanxerit, ne quis Tibicem templum ingrederetur. Belli Troiani tempore, cum Achilles post Græcorum in Tenedum ascensionẽ, urbem Temnum deleuisset, statuerunt postea Tenedi, ut in templo quod nouiter ædificauerunt, nemo Achillem nominaret. In hac insula nobilissimũ post ea castellum fuit, propter quod Veneti & Genuenses multi inter se prælijs contenderunt. Postremo ea lege pax facta est, ut castellũ deleretur cõmuni consensu, apud Sabaudiæ comitem, qui pacis arbiter electus erat, depositum. Achæio continua erat Larissa, & Coloniæ prius, Chrysa in loco excelso & portioso, & Amaxitus Lecto subiacens in promontorio. Nec procul ab Achæio in Mediterranea constituta est Alexandria, in quam plurium oppidorum incolæ migrauere, sicut ex Larissa, Chrysa, Amaxito, Cebrina & Mæãdrina, & alijs compluribus. Locus in quo Alexandria condita est, prius Sigæa uocabatur. Lysimachus Alexandriam curauit, quæ iam ab Antigono habitata erat, et Antigonia appellata. Lysimachus nomẽ

mutauit. Pium enim uisum est Alexandri successoribus ut prius de nomine illius
urbes conderent, postea de suo multo iustioribus, quàm hi qui alienis operibus sua D
imponunt nomina: nec uerentur deletis ueri autoris signis, sua uel pingere, uel scul-
pere. Alexandria diu permansit & aucta est, ex Romanorum colonia accepit, & in-
ter claras nomē habuit. In urbe Chrysa priusquàm rueret, Apollinis Smynthei delubrū
fuit, & signum quod nominis ueritatem seruaret. Nam mus quidam pedi statuæ subia-
cebat, statuam Scopas Parius fecerat. Ferunt Teucris è Creta profectis oraculum fuisse
datum, ut ibi sedes ponerent ubi terrigenæ eos adorirentur: idcirco Amaxitum et Chry
sam contigisse, maximāqꝫ agrestium muriū multitudinē noctu exortam, quicqd armo-
rum & utēsilium ex corio inuenissent corrosisse, Teucros ibi mansisse, atqꝫ Idam ab I-
da, quæ in Creta erat appellasse: aiūt & mures ibi circa templum abundasse, quos uana
gentilitas sacros existimauit. Simulacrum uero ita constructum fuisse, ut murem pedi-
bus premeret, alij Teucrum quendam prodidere ab urbe Troum, quæ postea Oxiphe
theon nominata est, ex Attica profectū: Teucros uero nullos ex Creta uenisse, signūqꝫ
coniunctionis Troum cum Atticis dicunt, quod apud utrosqꝫ Erichthonius quidam ge
neris autor prædicatur. Multi hodie qui uideri docti uolūt, Turcas appellant Teucros,
quos Scytharum genus esse haud ambiguum est, quemadmodum postea dicemꝰ, cum
de Turcis agemus. Alia Chrysa in agro Thebano fuit, de qua dictum est, & illi magis E
Homerica conueniunt.

*De agro Lecti, campo Halysio, item de salibus Tragescis qui Etesijs uentis spiranti-
bus sponte nasci dicuntur,* Cap. LXX.

IN agro Lecti seorsum est Halysius campus, & Tragesci sales qui sponte nascūtur, &
Ethesijs uentis congelascunt. Duodecim deorum aram (uerius dæmonū dixerimus) *Ara deorum duodecim.*
apud Lectum construxit Agamemnon. Hæc loca contra Ilium erant ad stadia ducen-
ta uel paulo plura, sicut ex altera parte Abydensia, quanquam pauso ante propius Aby
dus fuit, ex quo usque Lectum stadia computarunt circiter quadringēta: cum Lectum
circunflexeris clarissimæ occurrunt Aeolum urbes, & sinus Adramyttinus in quo ma-
ximam Lelegū partem Homerus collocauit, & duplices Cilicas, hic & Mitylenorum
littus fuit, quod uicos aliquot habuit in continenti. Hunc sinum etiam Idæum nomi-
narunt, nam iugū à Lecto ad Idam porrectum, primis partibus huiusce sinus imminet,
in quibus Leleges siti erant, & urbs eorum Pedasus fluuio Satmoëti iuncta, quæ pror-
sus deserta est. Hæc loca Dardanio agro & Scepsio continua erant, tanquam alia quæ-
dam Dardania, humiliora tamen. Neandrini ultra Amaxitum erant magis Mediterra-
nei, & magis Ilio propinqui quàm Lectus, nam centum & quinquaginta stadijs ab Ilio
distabant. Vltra hos erant Cebrini, & postea Dardanij, usqꝫ Palæscepsim atqꝫ Scepsim.
Alceus Antandrum urbem Lelegum esse dixit, Scepsius ad Cilicas traxit, australe Idæ F
latus terminātes usqꝫ ad oram maritimam: post Lectum Polymediū sequebatur, in quo
paruus erat lucus supra mare: octuaginta stadijs peractis, Gargara reperiebātur, in pro
montorio quod sinum efficit Adramyttinum uocatum: nam tota ora à Lecto usqꝫ ad
Canas, quod est alterum promontorium, hoc eodem nomine appellabatur: in quo & E
laiticus comprehendebatur, sed proprie Adramyttinum dicebant, qui à promontorio in
quo Gargara fuerunt claudebatur, & ab altero quod Pyrrham uocabat, in quo Aphro
disium situm fuit: oris latitudo à promontorio in promontorium centum & uiginti sta
diorum. Interius Antandros iacuit, cui mons imminebat Alexandria uocatus, ubi deas
à Paride iudicatas dicunt, quarum quæ spretæ fuerunt, Troianum incendium paraue-
rint: Indigna res quæ diuinitati attribuatur. Proximus Aspaneus erat lucus, ubi materi-
es Idæ cedebatur, hic enim eam aptabant: postea per flumen deducebant: deinde uicus
Astyra & lucus Astyemæ Dianæ sacer, in proximo Adramytteum Atheniensium colo
nia, quæ portum habuit, & nauale extra sinū, & promontorium Pyrrham: urbs Cisthe-
na cum portu fuit, quæ destructa est, & ultra eam in Mediterranea æris uena & multa ha
bitatio. In sequenti Mytileneorum ora Coriphanitis lucus, & Heraclia, & Haactea, &
Nameus, et Pythana usqꝫ ad Caici fluminis ostia, quæ loca ad Elaiticū sinū pertinebāt,
& ultra

A & ultra flumen Maha,& reliquus sinus usq; Canas. Sed in his locis paululum immorandum est,propter ea quæ propriam historiam habent.

De Palæscepsi,& qui ex ea Socratici fuere Philosophi, item de Theophrasto & eius bibliotheca, Cap. LXXI.

PAlæscepsis ultra Cebrenam fuit ad excelsiorem Idæ partem prope Polienam, ea olim Scepsis uocabatur,quæ cum esset in loco circunspecto, à Samandrio Hectoris & Ascanio Aeneæ filijs,ad sexaginta stadia inferius traducta est,quorum genus multo tempore in ea imperauit,postea in paucorum principatum ciuitas declinauit. Deinde cum Milesijs popularem statum accepit, & nihilominus qui ex eo genere erant reges dicebantur,& honores quosdam habebant successu tẽporis, Antigonus Scepsios Alexandriam deduxit,qui deinde Lysimacho permittente domum rediere. Scepsius Aeneæ regiam Scepsim fuisse putat,quæ media erat inter regionẽ illi subditam,& Lyrnessum,in quam ab Achille agitatus fugisse dicitur: Homerus (sicut Straboni placet) Aeneam imperij successorem apud Troiam significat remansisse, ac Troiæ imperiũ: extincto Priamidarum genere,natis natorum tradidisse: Alij (quæ uulgatior fama est) fatentur eum propterea, quod Priamo esset infensus,bello superfuisse, sicut Anthenoridas, qui propter hospitalitatem,cum Menelao habitam euaserunt,& cum Henetis primo in
B Thraciam,deinde in Adriam peruenerunt,quæ ab eis Henetia dicta est, nunc addita litera Venetia nominatur. Aeneam cum patre Anchisa, & Ascanio filio, multis comitantibus enauigasse, quem plerique circa Macedoniam & Olympium habitasse dicũt, nonnulli circa Mantineam,Capaus in Archadia condidisse. Alij, quibus accedit Vergilius,in Ciliciam profectum cum Helimo Troiano, Hericem & Lylibeum occupasse tradunt,et fluuios circa Egestum appellasse Scamandrum & Simoentem. Postremo in Latium traiecisse,ibiq; permansisse, iubente oraculo ut ibi maneret, ubi mensas ederet:quod in agro Lauinio completum est, ubi panis ingens pro mensa per imprudentiam appositus,cum carnibus quæ super eo erant, absumptus est. E Scepsi fuerũt Philosophi Socratici, Erastus & Coristus,& Ereus Coristi filius, qui Aristotelem & Theophrastum audiuit, & successor fuit bibliothecæ Theophrasti,in qua erant Aristotelica, nam Aristoteles & bibliothecam & scholam Theophrasto reliquit,& primus fuit (ut Strabo arbitratur) qui libros congregauit,& Aegypti reges bibliothecæ ordinem docuit,incertum plus boni an mali rebus humanis attulerit,quãdo componendi libros nullus est finis,& multorum ingenia deprauata sunt, quæ in peruersa dogmata inciderunt: ob quam rem consulte agunt,qui damnata uolumina exurunt,neque passim omnibus scribendi facultatem permittunt,ut est illud Persianum, Scribimus indocti doctiq; poë-
C mata passim: sed hodie tanta est doctorum turba, ut nemo ferè indoctus reperiatur, ex his qui aliquid scribunt,qui non doctoris nomen titulumq; receperit. Theophrastus bibliothecam Neleo tradidit,Neleus eam Scepsim detulit ad homines imperitos,qui libros inclusos ac negligenter compositos tenebant: cumq; Attalicorum regum sub quibus erant,studium sentirent, ad instruendam Pergami bibliothecam, eos in fossa quadam sub terra occuluerunt: & demum tineis & humiditate labefactatos qui ex eo genere erant,Apeliconi Teio tradiderunt magno emptos argento, Aristotelicos scilicet atque Theophrasticos.Apelicon qui magis librorum esset studiosus quàm sapientiæ, quales multos ætate nostra cognouimus,uolens corrosiones emendare,eos transcribendos dedit, scriptura non recte suppleta,librosq; dedit erroribus plenos. Continuo post Apeliconis obitum,Sylla,qui Athenas cepit,ablata illius bibliotheca,eam Romam trãstulit: quo in loco Tyrãnion grammaticus, cum Aristotelis amantissimus esset, conciliato sibi bibliothecæ præfecto,& librarij quidam scriptoribus utentes non bonis,nec scripta conferentes, opera minus emendata æddiderunt: quod si græca exemplaria corrupta fuerunt,quid de his putandum est,quæ in latinũ conuersa sunt,illa præsertim priora,quæ qui legunt, non tam quod dicatur quàm quod dici uelit, nosse laborant.Quippe si reuiuisceret Aristoteles, multa sua esse negaret, quæ nos illi attribuimus.Sed melius

lius cum eo auctum est quàm cum alijs, quorum opera funditus periere, & ipse causa extitit, cur multa perirent, qui aliorum gloriam ad se traxit: ruet etiam quãuis magnus, neque enim uerum est quod sibi aliqui persuadent, literarum monumenta non interire: omnia occidunt, nec literis sua mors negata est, quamuis aliæ alijs plus uiuant. Aetas cuncta aufert, nec hominis opus est quod in tempore non euanescat. Apud Scepsim ultra eos quos nominauimus, Demetrius grammaticus floruit, qui Troianam extructionem exposuit, & post hunc Metrodorus, qui è philosophica uita in ciuilem mutatus est, & propter elegantiam, quanquam pauper erat, clarum coniugium apud Chalcedonem obtinuit, & à Mithridate reddendo iuri præpositus fuit, à quo non erat prouocatio. Sed legatus ad Tygranẽ missus, cum desciuisset, inuitus remissus est, Mithridati iam è paterno regno fugienti, & in itinere, siue regis opera, siue morbo, decessit: sensitq; philosophicam uitam imprudenter se reliquisse, quæ si neq; honores neq; opes accumulat, at saltem periculis & molestijs quàm pluribus caret. D

Intereũt etiã literarum monumenta.

De Anderis, mirandoq; lapide, qui solus combustus in ferrum, cum terra quadam in argentum falsum, quæ terra si æs accepisset in aurichalcum uertebatur: de Pitana urbe Aeolica, quodq; apud eam lateres inuenti sint, qui super aquas innatarent, Cap. LXXII.

POst Scepsim Andera fuerunt, circa quæ lapis quidam inueniebatur, qui combustus ferrum fiebat, deinde cum terra quadam in fornace decoctus, pseudargyrum, id est, mentitum argentum exsudabat: quæ terra si æs accepisset, in aurichalcum uertebatur. In his locis Leleges habitauerũt, qui & Pionias, & Gargarensem agrum, & Assensem occuparunt. Assus, & arte & natura munita ciuitas fuit, quæ à mari & portu longum & rectum ascensum habuit, ex quo Stratonici dictum est, qui celeri passu assumit, mortis periculũ adit: hinc fuit Cleantes philosophus stoicus, qui Zenonis Ciciensis scholæ successit, quã postea Chrysippo Solensi reliquit. Hermias eunuchus Trapezitæ cuiusdam famulus Athenas profectus, Platonem Aristotelemq; audiuit, & domum reuersus cum domino suo, Atarnenses & Assenses aggressus eos subegit, & illis simul cũ domino imperauit, quo mortuo solus dominium adeptus, Aristotelem et Zenocratem ad se accersitos diligenter curauit: Aristoteli etiam fratris filiam uxorem dedit. Sed non illi, ut tyrannidem inuaderet, philosophi suaserunt, nec rursus ut retineret præstare potuerunt. Memnon Rhodius, simulata cum eunucho amicitia, eum ad se uocatum cõprehendit, & ad regem Persarum misit, ibiq; uitam suspendio terminauit. Philosophi fugientes loca à Persis occupata, incolumes euasere. Assum aliqui dicunt à Metimneis conditam, aliqui Aeolicam fuisse uolunt: ipsi uero Assij Gargara & Lamponia condiderunt, quæ cum non bene habitarentur, reges ex Myleto incolas eo deduxerunt, & pro Aeolibus semibarbaros effecere. Leleges hæc loca sub Priamo tenebant, & inter eos misti erant, qui sub Aenea fuere. Cilices quoq; cum his habitabant, & Cares aliqui: sed ab Achille uastati Leleges, in Cariam migrauere, quo & Cares Cilicesq; Taurum transiuere. Orã, quæ post Leleges sequitur, Adramyttini habuerunt, & Atarnenses, & Pythanei, usque ad Caici fluminis ostia: Non procul ab Adramytteo Apollinis Cillei templum fuit, & Cilli monumentum, ingens quidam tumulus, hunc Pelopis aurigam & ducem equorũ dicunt, à quo forsan Cilicia dicta est. Adramytteum in bello Mithridatico calamitate maxima oppressum fuit, culpa Diodori qui ciuium consilium deleuit, cum regi cuperet gratificari, & se principem Academicorum philosophorum ostendere. Rege autem euerso pœnas dedit, qui de multis criminibus accusatus, infamiam non ferens, turpiter & obstinate perijt. Sæpe enim eorum ignominiosus est finis, qui nimium gloriæ cupidi sunt. Ex Adramytteo fuit Zenocles orator clarus Asiatici stili, qui in senatu pro Asia dixit, quo tẽpore Mithridaticæ factionis est accusatus: dehinc Atarneus fuit Hermiæ tyranni sedes, postea Pythana urbs Aeolica, quæ portus duas habuit, & fluuium Enocenum, qui eam præterfluebat, ex quo aquæductus Adraminus factus est: è Pythana Archesilaus academicus fuit, qui cum Zenone apud Polemonem didicit. Fama est apud Pythanam lateres inuentos esse, qui super aquas innatarent, quod de alijs locis traditum

Stratonici dictum.

A traditum est. Post Pythanam Caicus amnis ad stadia triginta in sinum Elaiticum emittit, qui Pergamenum agrum irrigat. Eleapolis duodecim stadijs ultra Caicum ad meridiem fuit, Aeolica ciuitas: & Pergamenorum portus, centum & uiginti stadijs à Pergamo distans, deinde ad stadia centum est Cana promontorium, quod contra Lectum consurgens, Adramytteum efficit sinum, cuius pars est Elaiticus, Canæ Locrorum oppidulum fuit, ad australia Lesbij extrema, situm in agro Caneo, qui usque ad Arginusas protendit: & ulterius promõtorium, quod Aegam nominarunt, eodem modo quo animal: sic enim totum montem appellabant, quem postea Canam & Canas uocauere. Circa montem Austrum & occasum uersus mare procumbit, ad oriẽtem Caici campus, ad Aquilonem Elaiticus ager: mons satis per se contractus est, uergit tamen ad Aegeum pelagus, unde ei nomen est. Postea id promontorium (ut Sphao dicit) Aegea est appellatum: reliquum uero Cana: & Canæ urbs: deinceps Aelea sequitur, quæ portum habuit, & nauale regnum Attalicorum, Amistæi opus & Atheniensium, qui cum eo apud Ilium militarunt: distans à Grineo Myrmeorum oppido stadijs septuaginta, hæc Elaitico sinui nomen dedisse uidetur. In Grineo Apollinis fauum, & peruetustum oraculum, & templum candido lapide sumptuosum plebes admirabantur: deinde Achiuorum portus extitit, in quo duodecim deorum aræ constitutæ fuerunt certissima dæmonum theatra. In ultimo uero sinus recessu, ad sexaginta ferme stadia Myrma fuit Aeolica ciuitas, quæ portum habuit, & ab una ex Amazonibus nomen accepisse credita est.
B In ora sinus Hydra promontorium fuit, quod Amatunti aduersum Elaiticũ sinum efficit, oris latitudinem septuginta fere stadia complexam dicunt: post Hydram Adæ fuerunt ad stadia quadraginta.

De Cuma Aeolitarum urbium maxima, & quomodo Cumani insulsi & hebetes sint putati: item de Larissa, Cap. LXXIII.

DEinceps Cuma, Aeolicarum urbium maxima & optima, & omnium ferè metropolis, quas numero triginta fuisse tradunt, quarum maxima pars corruit. Cumanos insulsos & hebetes homines putauere, qui post trecẽtos annos ab urbe condita portoria exegerunt, tamdiu prouentum eiusmodi non cognouere. Feruntur etiam publica pecunia mutuo recepta porticum struxisse, cumq; die constituta pecuniam nõ reddidissent, à deambulatione fuisse prohibitos: creditores uero, cum plueret edictum misisse, ut Cumani porticum subirent: ex quo prouerbium factum est: Cumanos non sentire porticum in pluuia subeundum esse, nisi preco admoneret. Ex Cuma uir sine controuersia clarus Ephotus fuit, Isocrati oratori familiaris, & historiæ conscriptor, & ante ipsum Hesiodus poëta, qui patrem suum, relicta Aeolica Cuma, in Boëtiam migrasse dicit. Homerum hinc fuisse non satis constat, multi enim de eo susceptant. Quod si Cumanus fuit Homerus, non est cur miremur conciues eius obtusioris ingenij fuisse, Nam quicquid in urbe diuinum erat, id secum Homerus abstulit. Cum Aeolicis urbibus Aegæ fuerunt, & Temnus, unde Hermagoras fuit, is qui de dicendi arte conscripsit. Hæ urbes secus montanam regionem iacuere. Quæ Cumano & Phocensi & Smyrneo imminet agro, iuxta quam Hermus labitur. Post Cumã Larissa fuit, quàm Pelasgi coluere. Larissa tres in Asia reperimus: Primam apud Amaxitum, de qua dictum est: Alteram apud Cumam: Tertiam apud Caistrum: Quartam in Thessalia, unde Larissæus Achilles appellatus. Inuenimus Lelegum populos, & Cilicũ, & Pelasgorum, & Cenorum, multis in locis permistos fuisse, sed intra Caicũ quẽ Troadis terminũ esse diximus. Post Caicum Pelasgi per sese usq; ad Hermum habitauere, prius quã Aeoles aduentarent. Leleges sub Alceo fuerunt, Cetij sub Euripillo, Pelasgi sub Hippothoo & Pileo. Cilices alios duces habuere. Quod aũt Pelasgi magna natio esset Menecrates autor est, qui totam oram quæ postea Ionica dicta est, facto à Micale initio, prius à Pelasgis habitatam fuisse tradit, & propinquas insulas. Lesbij quoq; se sub Pileo positos affirmabant, quẽ Homerus Pelasgorũ ducẽ appellauit. Chij suos autores Pelasgos ex Thessalia profectos putauere: Quæ gens errabunda & ad trãsmigrandũ facilis, ut multũ creuit ita pariter tota extincta est, ex maxime tempore, quo Aeoles Ionesq; in Asiã traiecere.

Prouerbiã de Cumanis.

Larissa Amaxito proxima ducentis fere stadijs ab Ilio distabat, non ergo ei conueniunt ea quæ de Hippothoo dicuntur, quoniam procul à Larissa cecidisse Homerus tradit, dū pro Patroclo pugnatur, sed ab ea quæ Cumæ proxima est, nam mille stadia intersunt. Caistrianam uero seu Ephesiam Larissam non satis constat, an Troiani belli tempore condita fuerit, de Cumana certum putant. Tradunt enim eos qui Phrycio Locrensi mōte ultra Thermopylas erant, inde profectos in eum locum uenisse, ubi postea Cuma cōdita est. Cūq; Pelasgos inuenissent Troiano bello labefactatos, adhuc tamen Larissam obtinentes, septuaginta stadijs à Cuma distantem, condidisse apud illos locum, qui Nouus murus appellatus est, triginta stadijs à Larissa, atq; inde profectos, Cumam condidisse, & homines qui superfuerant ei habitatum deduxisse. Cumam uero à Locrensi monte Phrytionida appellasse, eodem modo Larissam, quæ postea omnino deserta est. Hactenus Aeolis protenditur. Deinceps Phocea est, & Hermus non ignobilis amnis, & Ioniæ initium: uerum quia Troadi à Lecto promontorio usque ad Cumas, Lesbos insula opponitur, quæ ab ipsa Aeolica fuit, & ad Troadem pertinuit, de hac dicendum est prius quàm Ioniam attingamus. D

De Lesbo Aegæi maris insula, & quot in ea urbes memoratu dignæ sint: item qui philosophi, poetæ, & rerum scriptores ibidem floruerint: insuper de fœmina, quæ urbem à Turcis una seruauit, Cap. LXXIIII. E

LEsbos olim non solum Aeolica, sed Aeolicarum urbium altera Metropolis fuit, & uniuersæ Troadis imperium obtinuit: ambitus eius stadiorum centum supra mille à Borea in Austrum protensa: quingenta & sexaginta stadia longitudinis habens, feraci agro, & multa materia ad classes conficiendas idonea. Tantum à Chio Lemnoq; distans, quantum à Tenedo intra quinquaginta fere stadia. Vrbes in ea fuere memoratu dignæ, Mitylene quæ adhuc extat, & ab ea nunc insula uocatur: & Pyrrha in occidentali latere sita, quæ ab antiquo subuersa est, relicto suburbano quod habitaretur. Fuit & Cressus in colle iacens, & Antissa cum portu Metymna promontorio Lecti opposita. Mitylene inter Metymnam iacet & Maliam, quod est Australissimum extremū insulæ Canæ oppositum. Hæc urbs rebus omnibus pulcherrime instructa fuit, portusq; duos habuit, quorum Australis clausus erat, quinquaginta triremium ac nauium capax. Borealis uero magnus ac profundus aggere protectus, ambobus quædam parua insula obiecta fuit, partem urbis habens ibi habitatam: distat à Malia stadijs septuaginta à Cana centum ac uiginti, totidem ab Arginusis, quæ tres insulæ sunt paruæ continenti proximæ, & Canæ adiacentes. Inter Mitylenem & Metymnam ubi uicus Aegyrus fuit, angustissima insula est, tractum habens in Pyrrheum Euripum, passuum duorum millium & quingentorum. Ex Mytilene fuit Pittacus unus ex septem sapiētibus, & Alceus poeta, & Antimenedes frater eius, quem Babyloniorum socium Alceus dicit magnum certamē peregisse, atq; eos è maximis laboribus eripuisse, uiro pugnacissimo, & (ut inquit) regum luctatore interempto: cum his & Sappho claruit, admiranda mulier & poeticæ peritissima, cui post tot sæcula non est reperta quæ posset æquari. Diophanes orator multo tempore posterior fuit, & Potamon et Lesbocles, & Chrynagoras, & Theophanes rerum scriptor, qui Pompeio magno admodum familiaris fuit: nam & res eius gestas, posteritati commendauit, & Græcorum omnium clarissimum se exhibuit: cuius filius Marcus Pompeius Cæsari quoq; Augusto charus fuit, à quo Asiæ curator constitutus est, & postea inter primos Tiberij familiares locū obtinuit. Ex Cresso fuere Theophrastus et Phanias philosophi, peripatetici, & Aristoteli familiares. Theophrasti patris Tyrtamo nomē fuit, Aristoteles mutato uocabulo Theophrastū uocauit, simul prioris nominis absurditatem euitans, et futuram simul eius facundiam significans. Aristoteles enim discipulos suos omnes eloquentes fecit, Theophrastū uero eloquentissimū, quæ res admodum eos confundit, qui Aristotelis opera omni eloquentia nuda in nostram linguā cōuerterunt. Altera quoq; Sappho (ut nonnulli asserunt) hinc orta est, poeticæ perita, sed Mitylenēsi minor. Ex Metymna ortus est Arion, is, quem Herodotus a prædonibus F

Aristoteles discipulos suos omnes fecit eloquentes.

A donibus in mari obrutũ, et à delphine incolumem deuectũ in portum ad Tenarũ fabulatur, quem Citharœdum fuisse constat: ex hac insula & Terpandrum fuisse dicunt, musicæ artificem, qui primus pro tetrachordo, lyra, heptachordo usus est, ad quem uersus illi referuntur. Nos tibi mutato chordarum quatuor usu: Iam noua pars septem modulamur carmina neruos. Hellanicus quoque rerum scriptor, & Callias (qui Alcæum & & Sapphon exposuit) Lesbij fuisse perhibentur: Mitylenæis durissima fuere cum Atheniensibus certamina, & uecordia: adeoq; Athenienses in eos seuiere, ut senatusconsulto decreuerint omnem Mitylenæorum pubem iugulari, pœnituit tamen eos, decretumq; mutatæ sententiæ una die ante allatum est ad imperatores, quam mandata essent peracturi: non tam benigne cum Capuanis Fuluius egit, qui susceptis reipublicæ literis ut senatu Capuano ignosceret, quem statuerat perdere, prius sæuitiæ suæ satisfecit, quàm literas legeret: tanta illi sanguinis auiditas erat. Plurimæ apud Mitylenæos intestinæ seditiones fuere, & plures tyranni ciuitatem oppressere, inter quos & Pittacum numerant. Sed is ad dominatus eruendos, principatu usus est, non ad tyrannidem exercendam, qui sublatis tyrãnis, mox ciues in pristinam libertatem restituit, ostenditq; sapienti principatum non esse appetendum. Sed neque libertas diuturna speranda est ciuibus, neque perpetuo metuenda seruitus, altera succedit alteri, sicut montibus ualles. Hanc in-

B sulam (ut Diodorus ait) Pelasgi primum habitauere: Xanthus enim Priapi filius, Pelasgorum qui ex agro uenerant rex, parti Lyciæ imperauit, deinde Lesbum cultoribus uacuam petens, agro Pelasgis dimisso, insulam quæ Issa prius dicebatur, ab eis Pelasgiam uocauit. Septima deinde progenie, ob diluuium tempore Deucalionis factum, cum insula deserta remansisset, Machareus in eam peruenit, Cyrnaci Ionis filius apud Achaiam natus, eoq; Ionas transtulit, & humanitate ac iustitia plurimum auctus, & hanc & uicinas insulas possedit. Successu deinde temporis Lesbus Lapithi filius in hanc insulam nauigans, sumpta in uxorem Macharei filia Metymna nomine, apud eum perseuerauit, & claritatem assecutus insulam à se Lesbiam nominauit. Fuit & altera Machareo filia Mitylene appellata, quæ nomen ciuitati dedit, in hoc usq; tempus permanenti: è Lesbo Coloni in Chium, & in Samum, & in Rhodum missi feruntur. Eæ insulæ cum saluberrimum aërem haberent, & frugibus abundarent: loca uero incontinenti opposita, propter diluuij humiditatem, pestilentia & frugum sterilitate laborarent, Fortunatæ sunt cognominatæ. Machareus legem ualde utilem apud Lesbios edidit, quam Leonem ab eius animantis uirtute ac robore appellauit. Res Mitylenenses nũc prosperæ, nunc aduersæ, per multas manus actæ sunt. Pelasgi, ut diximus, priores insulam habitauere, cum staret Troia. Postea Aeoles successerunt, deinde Persarum imperium subijt, postea Macedonum, deinde Romanorum, cum Romana res in Constantinopolim translata esset. Sub Græ-

Fortunatæ insulæ unde denominentur.

C corum imperatoribus, uaria insulæ fortuna fuit. Postremo cum Kalo Iohannes Constantinopolitanus imperator à Cathacusino per arma pulsus, ope Francisci. Gatalusij Genuensis imperium recuperasset, hæc insula ob gratitudinem auxiliatori tradita est, atque in eius posteris usque in hæc tempora durat. Ab eo qui nunc regnat, cum frater natu maior aliquandiu rem administrasset, in uincula coniectus est, publicata causa, quod insulam Turcis Christianamq́ue fidem prodere statuisset, ut est calamitatis infamia comes: ætate nostra Turcarum classes sæpenumero in Lesbum delatæ, homines & armenta abegerunt, nihil extra urbium mœnia relinquentes, quarum unam fœminea manu seruatam tradunt. Oppugnauerat Turcarum exercitus insulæ oppidum non contemnendum, muriq; partem machina deiecerat, & facta clypeatorum testudine irrumpere properabat, nec oppidanis animus erat ad ferendum impetum, alijs deditionem, alijs fugam meditantibus. Sed affuit uirgo uirilibus armis induta, quæ, mirabile dictu, salutem patriæ peperit, adhortata enim ciues ne hostem metuerent, primam se Turcis obiecit, ac pro loci fractura depugnans, nonnullos obtruncauit, cuius audaciam admirati oppidani, et ipsi animũ resumpsere, tantamq; hostium stragem ediderunt, quantam uix credere quispiam possit. Turcæ è terra pulsi ægre in nauigia se receperunt, quos Calisa classis insecuta, magno detrimento affecit. Laus tamẽ seruatæ insulæ penes

Fœmina quæ oppidũ à Turcis defendit.

uirginem fuit, cuius tedet non habere nomen: digna enim erat non minori memoria quàm Sappho: sed illi maiora præmia in cœlesti patria reseruantur. Episcopus Caphensis Calisto pontifici maximo nobis præsentibus hæc enarrauit, qui tunc transitum per Mitylenem fecerat, ab ecclesia sua Romam petẽs: atq; in hunc modum tota Aeolis ac Troas absoluta est, quæ inuicẽ (ut sæpe diximus) permistæ fuerunt. Hæc cum aliunde scribere statuissemus, tum Federicus Comes urbinas nos impulit literis clarus & armis, nostriq; tẽporis ductor exercitus. Nam cũ è Roma Tybur peteremꝰ, obuius in itinere cũ parte copiarum suarũ, dum Christianos equites, armorũ splẽdorem admiraremur, quæsiuit ex nobis an priscorũ militiam tam splendide armatã fuisse arbitraremur, respõdimus: nisi apud ueteres huiusmodi armaturæ fuissent, non potuisse Vergiliũ atq; Homerũ eas describere, quas & pulcherrimas & ornatissimas commemorant, his quibus nostra utitur ætas perquàm similes. Quæsiuit ulterius Comes quæ nobis opinio de rebꝰ Troianis esset, nã ipse eas fuisse minimas censebat: sed Poëtarum studio amplificatas diximus minores fuisse, quã fabulæ ferant: magnas tamen, quando hinc Græcia, inde Asia, in bellum ruit: et si enim non tota Cherronesus sub Priamo fuit uniuersa tamen ei suppetias misit, & multi etiam qui ultra Halyn, & ultra Euphratem habitabãt: nec regnum Priami minimũ fuit, quod à Rhyndaco fluuio meridiem uersus Caicum usq; protendebatur, & ulterius circa maris littora usq; Cumam, per stadia circiter mille quingenta in Mediterranea. Non satis explicare possumus orientem uersus quousq; imperiũ eius excurreret. Nam Troas in Mediterraneis Mysiæ Phrygiæq; permista fuit, & Mysorũ Phrygumq; duces Priamo suberant. Diximus regnum eius in octo siue nouem principatus fuisse diuisum, ita enim Strabo refert, sed qui fuerunt huiusmodi principatus, & qui duces non satis explicat. Videtur tamen Hectorem, Aeneam, Antenorem, Pandarum, Asium, Eurypilum, ac filios Meropis Adrastum & Amphium, simulq; Hippotoum, et Pyleum, inter duces referre: ij fratres erant, & Pelasgis dominabantur, unumq; tantum principatum efficiebant, sicut & filij Meropis, qui Adrastiæ campos, & Pythiam atq; Apesum possidebãt. Dardani quoque in duos principatus diuidebantur sub Aenea & Antenore constituti, Lycij sub Pandaro, Zelienses & Aphini sub Asio, Ilienses sub Hectore, Cetij & Lyrnessa sub Pyleo. Quodq; magna fuerit Priami potestas, & ad Lesbum insulam se extenderit, Achilles ipse testatur, quem ita loquentem inducit Homerus: Ante tuas noramus opes spaciosaq; regna. Quo felix pariter Lesbos complectitur, et quæ cõprehendit Phrygiæ tellus atq; Hellespontus: non igitur contemnenda sunt, quæ de Troianis dicuntur, nec minima existimanda. Quamuis nec Ilium nec Iliensia bella famam æquarint.

Federicꝰ Comes. — *Priameiũ regnum in octo partes diuisũ.*

D — E

De Ionia minoris Asiæ regione, de Mileto & Epheso, quæ totius Ioniæ urbes fuere clarissimæ, de Branchidis oraculum Didymeum Xerxi prodentibus, de uiris ex Mileto memoratu dignis, de Latmio Endymionis astrologi monte, Item de Auerno pestiferas exhalationes habente, Cap. LXXV.

F

IOnia Aeoliæ succedit quæ ab Hermo fluuio et urbe Phocea meridiem uersꝰ, usq; ad Miletiorũ & Caricorum montium Posideum iuxta mare procurrit. Pherecides Miletum & Myuntem ad hãc oram pertinere dixit, & Cares prius Mycalensia, & Ephesia habuisse, oram uero sequentẽ Leleges usq; Phoceam & Chiũ, et Samum: sed utrosq; ab Ionibus eiectos ad reliquas Cariæ partes euasisse. Fama est multos ex Pylis cum Melanco Codri patre Athenas concessisse, et totam hanc gentẽ cum Ionibus in Asiã transiuisse, ibiq; duodecim urbes condidisse, quæ Ionicæ Coloniæ appellatæ sunt. Androdus Codri Atheniensiũ regis legitimus filius Ephesum cõdidit, et Ioniũ regiam ibi cõstituit: huius posteri usq; ad tẽpora Romanorum reges nominabãtur, et honores quosdam habebant: in certaminibus præsidentes, et purpurã gestantes regij generis insigne, quãuis hodie apud Italiam purpura etiã mercatorũ, apud cæteras gentes histrionum gestamen existat. Neleus Miletum condidit, qui genere Pyleus fuit, et aram in Posideo collocauit. Cidrellus Codri filius nothus Myuntem ædificauit, Adropompus Lebedũ, Colophonẽ Andremon, Pyleus Prienem: Epitus Nelei filius Theum, prius Athamas: quapropter Anacreon Athamantidam eam uocauit, postea Naudus Codri filius spurius eam auxit:

Duodecim Ionicæ coloniæ à diuersis constructæ.

Eritias

A Eridas Gnopus atq; is etiam Codri filius nothus Phoceam: Athenienses cum Phylogene Clazomenas, Paralus Chium: Egertius mistam multitudinem ducens, Samũ, Tymbrion, ac deinde Patrocles. Addita est loco tertiodecimo Smyrna Ephesiorum opera: nam his olim cohabitabãt, cum Ephesus Smyrna uocaretur Smyrna Amazon fuit, quæ Ephesum tenuit, urbiq; nomẽ dedit: Smyrnei à Milesijs secedentes exercitum in eum locum duxere, in quo postea Smyrna condita est, non procul ab Hermo fluuio, cum Leleges eum tenerent, quibus eiectis antiquam Smyrnam condidere, distantem ab ea quæ postea ædificata est stadijs uiginti: deinde ab Aeolibus pulsi Colophonem aufugerunt, & cum Colophonis redeuntes regionem suam recuperauere: sed de his posterius dicemus, nunc de principalioribus agendum est, Mileto scilicet atq; Epheso, hæ nanq; toti9 Ioniæ optimæ urbes clarissimæq; fuerunt, hodie parum habitationes habẽt, & ruinas magnas ostendunt. Nam Turcæ regionis domini, nauticarum rerum ignari, & Piratas & Christianorum arma timentes, ad Mediterranea se contulerunt, Græci tantum, & hi nõ multum in maritimis urbibus remanserunt. Diximus supra Australem Ioniæ terminum Milesiorum Corichorumq; montes esse, in quibus Posideum fuit: ab eo septentrionem uersus, iter habenti oraculum fuit Apollini Didymæo sacrum, quod Branchidæ decem & octo stadijs in Mediterranea ab eo distantes, Xerxi prodiderunt, & cum eo abierunt ne pœnas darent: sed ab Alexandro (ut ante diximus) quamuis sero, grauiter tamen
B puniti sunt. Xerxes templum incendit, sicut cætera Asiana Epheso excepto: Milesij postea id reparare aggressi, cum & omnium maximum erexissent, propter magnitudinem cooperire non potuerunt, ut sæpe spes humanas destituũt uires: hinc ad Miletum breuis admodum uia fuit. Cretenses Miletum prius supra mare condidere. Sarpedon habitatores ex Mileto Cretensi deduxit, & urbi nomen ab illo imposuit, cum prius Leleges hunc locum tenerent: postea Neleus urbis locum mutauit, & Iones introduxit. Vrbs quatuor portus habuit, quorum unus classis erat capax: multæ hinc coloniæ exiuerunt, & maxima pars Euxini Ponti ab his habitata est & Propontis, & Hellespontis, & alia multa loca. Ex Mileto fuere uiri memoratu digni, Thales unus è septem sapientibus, qui primus Physiologiæ ac Mathematicæ autor inter Græcos est habitus, & Anaximander eius discipulus, & Anaximandri Anaximænes, & Hecatæus qui scripsit historiam, & Eschines orator, non ille qui cum Demosthene contendit, sed alter, qui assumpta nimia erga Põpeium magnum, licentia pariter in exilium missus est: Ruit enim omnis audacia, & moderata tantummodo durant. Hæc ciuitas, cum Alexandrum exclusisset ui capta est, quemadmodum Halicarnassus, prius etiam à Persis oppressa fuerat. Phryntius tragic9 cum actum fecisset, qui Miletum à Dario captam ostendit, mille dragmis ab Atheniensibus mulctatus est. Neque enim semper tuto ueritas dicitur, ubi cum tyrannis aut plebi-
C bus agitur. Ante Miletum in proximo iacuit Lada insula, et aliæ pleræq; stationes Piraticas habentes. Deinceps Latmius occurrit sinus, in quo Heraclia oppidulum fuit, & ibi mons Latmius, quem Hecatæus eum esse putat, qui ab Homero Pediculorum appellatur, & à Milesiorum agro per Cariam uersus orientem tendit. In eo Endymionis sepulchrum in spelunca quadam ostendebatur. post Heracliam Pyrrha succedit, centum ferè stadijs ab ea remota, à Mileto, duplum si quis in sinum sese inferat, nam recta nauigatio ex Mileto Pyrrham stadia triginta continet: adeo longum iter habet littoris præternauigatio: E Pyrrha usq; ad Mæandri ostia quinquaginta stadia computauerunt, propter stagna & paludes: subministratorijs scaphis adnauiganti stadia triginta, Myus occurrit. una ex duodecim Ioniæ ciuitatibus, quàm propter hominum paucitatem Milesij habitauere: hanc Themistocli Xerxes in obsonium dedit, cum Magnesiam in panem, Lamsacum in uinũ dedisset. huic proxima fuit Thymbria uic9, iuxta quem Auernum esse dixere, & sacrum specu Charoniũ appellatum, pestiferas exhalationes habens. Vlterius Magnesia fuit Mæandrũ uersus, de qua post dicem9. Post Mæandri ostia Boreã uersus Prienensium littus fuit, & ipsa Priene, & Mycale mons feris et arboribus plenus, qui Samiæ regioni adiacet, & ad eã quasi octo stadium efficit, Isthmũ ultra Trogilium promontorium. Priene à quibusdam Cadme appellata est, quoniam Philotas eius cõditor è Boetia uenit.

Endymionis sepulchrum.

uenit. E Priene fuit Bias unus è septem sapientibus, ante Trogilium parua insula iacet eodem nomine. Trogilium promontorium pes quidam est, qui à Mycale procurrit, & alius ei mons adiacet, qui Ephesij agri est, nomine Pactias, ad quem mediterranea deflectit. à Trogilio Samum usq; stadia insunt quadraginta. D

De Samo Aegei maris insula, de tabulis, statuis, & colossis in ea pulcherrimis, de Polycrate annulum aureum in mare projeciente, & eum paulopost in piscis à piscatore accepti uentre inueniente, de Pythagora philosopho, & quod Calcaphontis confabulatoris sui animam, diu noctuq; secum degere dicebat, Cap. LXXVI.

SAmus urbs ad Austrũ spectauit, maxima pars eius in plano fuit, & mari abluebatur: pars in montem ascendit ad dexteram nauiganti urbem uersus Posidum fuit, quod promontorium Mycalen uersus, septem stadium efficit fretum, & Neptuni templũ habuit, ante quod Narthecis parua insula iacuit: ad sinistram suburbanum fuit, et Iambrasus amnis, & æreum uetustissimum sacrarium, & ædes quæ pictarum tabularum armarium erat, & locus sub diuo pulcherrimis statuis plenus, quarum tria colossica opera Myronis erant, super una Basi sita. Quæ cum Antonius abstulisset, Augustus Cæsar duo in eandem basim reposuit, Palladem & Herculem: Iouem autem transtulit in Capitolium, & sacellum ei construxit, errore sui temporis imbutus, in quo idola colebantur, & falsorum deorum statuæ. Circũnauigationem insulæ Sami sexcentorum stadiorum esse dixerunt, ea prius Parthenias dicebatur à Caribus inhabitata, postea Anthenius, deinde Melamphylus, postremo Samus à quodã heroë indigena, qui colonos ex Ithaca & Cephalenia deduxit. Mõs qui insulam corrigit, Ampelus uocatus est. Insula est uino infelix, cũ cæteræ circũuicinæ uino optimo abundent. In cæteris reb. feracissima, propter quod bellis afflicta est: qui eam laudant, etiam Gallinæ lac ferre dixerunt. Multæ ei cum Atheniensibus inimicitiæ fuerunt, & plurimas tyrannides passa est. Polycrates & Syloson fratres, cum uaria fortuna eius dominium tenuere: Polycrates adeo clarus fuit, ut etiã mari dominaretur. Is annulum de industria gemmis & sculptura pretiosum in pelagus proiecit. Paulopost piscator quidam piscẽ eduxit, qui eum deuorauerat, in cuius uentre annulus est inuetus. Quod cum rex Aegyptius Amasitis intellexisset, finem eius infortunatũ dixit, qui talibus prosperitatibus uteretur. Ille à Persarum satrapa dolo captus suspensus est. Nam quæ prosperitas fine clauditur non luctuoso? Polycratis tempore fuit Anacreon Lyricus, cuius tota poësis eius mentione plena erat. Mirabilis & ipsius Anacreontis exitus, qui (ut est apud Plinium) acino uuæ strangulatus interijt, magnum fragilitatis humanæ documentum. Pythagoras philosopus famatus, tyrannidem Polycratis fugiens, urbem deseruit, & in Aegyptum ac Babylonem discẽdi studio abscesit: cunq; reuersus durare tyrannidem inuenisset, in Italiam nauigauit, ibiq; uitam contriuit, totamq; illam Italiæ partẽ erudiuit, quæ olim Magna Græcia dicta est. Illud hic non est subticendum, quod Hermippus de Pythagora tradit (ut est apud Iosephum.) Pythagoras uno confabulatorum suorum defuncto, nomine Calcaphonte, genere Crotoniate, illi9 animam dicebat secum degere die noctuq;, ac præcipere ne transiret de loco unde asinus onus portaret, & ab aqua fœtulenta semetipsum abstineret, & ab omni blasphemia recederet, digna uerba quæ memoriæ teneantur. Syloson priuatus relictus, cum Dario Hystaspis filio priusquã regnaret, uestem quã ferebat cupienti largitus esset, ab eo regnum consecutus, Sami tyrannidem obtinuit, qui acerbe imperans urbẽ hominib. uiduauit, ex quo prouerbium fecerũt. Sylosontis opera locus amplus est: quod de multis Italiæ ciuitatibus nostro tempore dici potest: Nam & Pisa in Hetruria Florentinorum, et Sena paucorũ ciuium opera facta est ampla: amplior Aquileia, atq; Rauenna apud Adriaticum sinum: amplissima iuxta Tiberim Roma, non sine culpa suorum ciuium. Athenienses misso Pericle imperatore, et Sophocle poëta cum eo, Samios non obtemperantes, graui obsidione affecerunt: postea duo municipum millia ex suis miserunt, qui uastatã urbem incolerent. In his Neocles fuit Epicuri pater Grãmaticæ magister, quẽ & hic & in urbe Teo educatum ferunt, adolescentiã uero Athenis egisse, cui Menãder comic9 æquæuus fuit. Creophylum esse Samiũ tradunt: qui cũ aliquando Homerũ hospitem accepisset, creditus est ab eo

Anacreõ acino uuæ strangulatus.

Anima Calcaphontis cũ Socrate degebat.

E

F

A ab eo inſcriptionẽ poẽmatis obtinuiſſe, quod Oechaliæ captiuitatem uocauere. Sed Callimachus in epigrammate contrariũ oſtendit, opus ſcilicet à Creophylo cõpoſitum, Homeri tamen exiſtimatum. Quidam hunc Homeri magiſtrum fuiſſe tradunt, quidam nõ hunc, ſed Ariſteum Procõneſium, quicunq; is fuerit, multo eſt à diſcipulo ſuperatus.

De Icaria inſula & quæ de ea dicta ſunt fabuloſa, de Ortygia inſula in qua Latona peperiſſe fertur, de Curetibus & Epheſiæ Dianæ templo nonnihil ſcitu digniſſimum. Item qui apud Epheſum uiri memoratu digni fuerint, Cap. LXXVII.

SAmo adiacet inſula Icaria, à qua Icarium pelagus nominatur. Ea ab Icaro Dædali filio nomen habuit, quem dicunt paternæ fugæ comitem, cum ambo pennati à Creta aufugiſſent, in hoc loco cecidiſſe, uia non ſeruata quàm pater oſtenderat. Nam cum celſius ſe ad ſolem extolleret, liquefacta cera pennæ effluxerunt. Fabuloſa hæc, documẽtum tamen habent, mandata parentum ne filij contemnant. Inſulæ ambitum trecentorũ ſtadiorum eſſe dixerunt, et in ea Dianæ templum Tauropolium appellatum, & oppidulũ Oenoẽ diſtat à Samo ſtadijs octoginta, cum defeciſſent in ea homines, Samij pro paſcuis uſi ſunt. Poſt Samium fretum, quod Mycalen reſpicit Panionia fuit, tribus ſtadijs ſupra mare: ubi Panionia cõmunia omnium Ionium feſta Neptuno Heliconio celebrabantur, quæ quamuis in agro Epheſio fierent, Prienenſes tamẽ ſacrificijs præerant. Proxima huic loco Neapolis fuit, quàm Epheſij pro Matheſio agro cum Samijs permutarunt. Deinde Pygella oppidum ubi Agamemnon Munychiæ Dianæ templum edidit, & Pygalios dimiſit, gentem morbis defatigatam, quos natibus agnatos Pygas uocant: unde locus nomen accepit. Exin portus fuit nomine Panormus, & Dianæ Epheſiæ templum memorabile, deinde ciuitas ipſa: de quibus mox dicemus. In eadem ora paulo ſupra mare Ortygia fuit, lucus omnis generis materiæ pulcherrimus, præſertim cypariſſo, Cenchrius amnis per eum fluebat, in quo dicunt Latonam ex partu lotam, hic enim eã peperiſſe fabulabantur, & nutricem partus Ortygiam fuiſſe: adytum in quo peperit, & proximam deam ad quam primo poſt partum quieuerit, oſtendentes: & montem luco imminentem nomine Solmiſſum, in quo Curetas armorum ſonitu Iunonem obtuderint, ex æmulatione inſidiantem, eoq; modo Latonæ partum eam latuiſſe ſcilicet ea dijs cura erat, & adulterinis partubus implere cœlum oporteat. Vrbem Epheſum Cares & Leleges habitauere, ſed cum maximam eorum partem Androclus eieciſſet, eam ex his ſuppleuit, qui ad ſe circa Athenæum & Hypelæum conuenerant, aſſumpta prætermontana Coriſſo proxima: atq; in hunc modum uſq; ad Crœſi tẽpora habitata fuit. Poſtea à prætermontana deſcendentes circa templum habitauere, uſq; ad Alexandri tempora. Lyſimachus condita urbe alio loco magis eminenti, cum homines non libenter eò migrarent, obſeruato uehementi imbre cannales obſtruxit, urbemq; ſubmerſit, atque ita ciues C uel inuitos traduxit, urbemq; de uxoris nomine Arſinoën appellauit, ſed antiquum nomen obtinuit: In ea ſenatus conſcriptus erat, cum quo & hi conueniebant, qui uocati dicebantur, & omnia adminiſtrabant: quemadmodum Venetijs cum domino & duce togati conueniunt Dianæ templum primus Cherſiphron mire fabricatus eſt, poſtea aliud fecit maius illo, quod Heroſtratus famæ gratia incẽdit: Senat9 decretum edidit, ne quis eius nomen literis mandaret, dignum ſupplicium: ſed minime obtemperatum eſt, quando uſque ad noſtram ætatem ſacrilegi nomen peruenit, uerum cum infamia & dedecore, cuiuſmodi nec Neronis nomen, nec proditoris Iudæ, nec eius qui nũc uiuit Sigiſmundi Malateſtæ, inuidioſum eſt nomen. Epheſij incenſo templo, cui Xerxes pepercerat, aliud præſtantius conſtruxerunt, mulierum ornamentis & multis operibus ad id collatis, non ut Timæus Tauromenitanus ait ex Perſarum depoſitis, cum nulla eſſent: & ſi qua fuerant, cũ templo conflagrauerant. Ferunt Alexandrũ, cum templũ inſtaurari accepiſſet, factas, & futuras impenſas pollicitũ, ſi eius rei titul9 ſibi adſcriberetur, illos aũt renuiſſe. Epheſiumq; laudibus quendam attollũt, qui regi dixerit, non decere deum dijs quicquam dedicare. Norat ſcilicet amicam regibus adulationem eſſe, & in magna fortuna plurimum poſſe. Sed Alexander ab India reuerſus, & ueneno apud Babylonem hauſto, mortalem ſe eſſe cognouit, quamuis deus exiſtimari uellet. Cheromocrates ultimo

loco templum instaurauit, qui Alexandriam construxit in Aegypto, & Alexandro pollicitus est, se montem Athon in eius formam fabricaturum: facturumq; duas urbes, alte- D ram ad dexteram, alteram ad sinistram: ita ut ab altera in alteram amnis efflueret. Sed homines facile ea promittunt, quæ uentura in periculũ non creduntur, ædes plena fuit Praxitelis operibus, & nõnulla Thrasonis inerant, sacerdotes eunuchi honore maximo potiebantur: cum his uirgines aliquas sacras esse oportebat. Templum Asylum erat, cuius libertatis termini sæpe mutati sunt. Alexander ad stadium extendit, Mithridates paululum plus addidit. Antonius etiam urbis partem cõprehendit. Augustus Cæsar id irritũ fecit, quod multis causam malefaciendi præstabat. Sentiunt id Romani apud quos tot sunt Asyla, quot Cardinalium ædes, in quibus seruati fures atq; sicarij, urbem alioqui pacatam & nobilem ueluti latronum speluncam efficiunt. Ephesus naualia & portum habuit, & loci opportunitate multum creuit, & maximum citerioris Asiæ emporium fuit. Viri memoratu digni ex ea fuerunt, Heraclitus cognomine Scotinus & Hermodorus, qui propter excellẽtiam ingenij & doctrinam, & quia frugi erat, in exilium missus fuit: dicẽtibus Ephesijs: Nemo nostrum frugi esto, alioqui cum alijs ejciatur. Propter quod ait Heraclitus, dignos esse Ephesios, ut omnes strangularentur. Pari supplicio & Nursinos dignos censuisset, qui literatos ex Concilio pellunt. Ephesius fuit etiam Hipponax poëta, & Parasius pictor, & Apelles, & Alexander orator, & Theodocion Iudæus, qui E sacram scripturam interpretatus est. Timotheus apostoli Pauli comes apud Ephesum episcopatum accepit. Hireneus dicit Ephesiorum ecclesiam à Paulo quidem fundatam fuisse, sed à Ioanne ædificatam, qui supra pectus domini in cœna recubuit. Is enim nõ solum Ephesinæ, sed omnium ecclesiarũ quæ erant in Asia gubernacula suscepit, et usq; ad Traiani tempora prudentissime rexit, post Domitianum ex insula regressus. Polycarpus Smyrneorum episcopus referre solebat Ioannem apostolum, cum balneas apud Ephesum aliquando lauandi gratia fuisset ingressus, & Cherintum ibi uidisset, continuo exiluisse, dixisseq;: fugiamus hinc ne balneæ ipsæ corruant, in quibus Cherintus lauatur ueritatis inimicus: tanta erat apud illos fidei fundatores cura, ne ab hæreticis interficerentur: quorum consortia nostra secula facile admittunt, non sine magno religionis damno. Duo fuerunt apud Ephesum sepulchra, & utrunq; Ioannis appellabatur: nam & duo Ioannes fuerunt, quorum & si alter non fuit apostolus, magnus tamen uir extitit, & eum Papias Hieropolitanus episcopus audiuit, & sunt qui Apocalypsim illius esse asserunt, quibus non consentit ecclesia, quæ sub nomine apostoli legit Apocalypsim. Hinc Drusiana fuit mulier sanctissima, & apostoli amantissima, quæ ut reuersum eum ab exilio cernere mereretur, à mortuis suscitata est. Multa in hac urbe dilectus à Christo discipulus signa peregit, & tãdem dormitione sua eam honorauit, antrum eius ibi ostenditur, in quo multa scripsit, id sacrum incolæ habent. Vna quoq; ex filiabus Philippi apud Ephesum F sepulta est, pauci nunc habitatores in urbe semidiruta morantur, & ij Græci non parum ab Romana ecclesia dissidentes. Ephesinus episcopus disputator uehemens sub Eugenio quarto Florentinum concilium adijt, nunquã tamen sæpe & multum rogatus ueritati acquiescere uoluit. Post Ephesum Caystri ostia ad septentrionem sequuntur, & deinde lacus nomine Selinusius, ex pelago refusus, deinde alius in eum confluens, qui deæ sacri magnos prouentus templo afferebant, reges eos abstulerunt, Romani restituerũt. Postea publicani sibi uendicauere. Artemidorus legatus Romam missus lacus deæ recuperauit, & Heracleotim quæ desciuerat euicit, propter quas res aurea effigie in fano donatus est.

Ephesiorum dictũ in Hermodorum.

Drusiana à mortuis suscitata.

Artemidorus aurea effigie donatus.

De Colophone, & qui ex ea uiri fuere clari, de Lebedo, & quod eo in loco scenicorum histrionum fuerit collegium, de Erythris ciuitate Ionica, de Coryco monte à quo & Corycei Piratæ sunt dicti. Cap. LXXVIII.

PAulo ulterius Gallesius mons assurgit, & ciuitas Colophon Ionica, et ante eam Apollinis Clarij lucus, in quo tradunt Calchantem augurem cum Amphilocho Amphiarai filio, è Troiano bello redeuntem declinasse, et Mopsum augurem ex Mantho Tiresiæ filia natum inuenisse, ac propositis quæstionibus cum eo contendisse, et alterum

A terum de fructibus caprifici, alterũ de prægnante sue quæsiuisse, uictumq; Calchantem mœrore obijsse. Colophonij nauales opes satis amplas habuere, & in equestribus certaminibus tãtum excelluere, ut uictoriam inde futuram sperarent, unde Colophonius pugnaret equitatus, & in prouerbijs dicerent: Colophonem addidit: cum summa operi manus imponebatur. Par gloria apud Italos superiori tempore Perusinorum fuit, nec adhuc prorsus extincta est. Maius tamen hodie Sfortiadum nomen habetur, et maior equitatus, qui Longobardorum imperium armis adepti sunt. Ex Colophone fuit Minnerius tibicen, & elegiæ poëta. Item Xenophanes physicus, qui poëmata de Psillis edidit, & Polymnastus musicus: sunt & qui Homerum hic ortum dicunt. Ab Epheso Colophonem usq; stadia numerant recta nauigatione septuaginta: postea Corarium montem collocant, & insulam Dianæ sacram, in quam ceruas parituras tranare crediderunt, tanquam Diana numẽ haberet, & opem posset animalibus afferre. Lebedus deinde succedit, centum & uiginti stadijs à Colophone distans. Hoc in loco Scenicorum histrionum collegium fuit. qui ludos, ac certamina Libero patri quotannis celebrabant. Prius Teo habitauerant, quæ consequens Ionum ciuitas erat, sed orta seditione Ephesum confugerunt. At cum Attalus eos in Myonneso collocaret, qui locus inter Teum & Lebedum medius erat, Tei Romam miserunt oratum, ne Myonnesum sibi admuniri paterentur: Romani illos Lebedum transmisere, ubi propter hominũ paucitatem benigne suscepti sunt.

Calchas & Mopsus quæstionibus contenderunt.

Ceruæ parituræ in Dianæ insulã tranãt

B Teos à Lebedo centũ uiginti stadijs procul fuit, in Peninsula portum habẽs Anacreontis Lyrici patria: cuius tempore Tei relicta domo Abderam Thracum urbem migrauerunt, cum Persarum contumelias ferre non possent. De Apelicone diximus, qui Teius fuit, & Hecatæus historicus. His in locis pulchra Cherronesus est, quam Tei & Erythræi habitauerunt & Clazomenij. Chalcides Isthmum facit, cuius australe latus Tei habuerunt, boreale Clazomenij, extrema Cherronesi Erythræi. Chalcidibus lucus imminebat, Alexandro Philippi filio dicatus, in quo Iones ludos Alexandria uocatos quotannis celebrabant. Circumnauigatio Cherronesi, stadia plusquã mille continuit. In fronte Erythræ ciuitas Ionica fuit, quæ portum habuit, & quatuor oppositas insulas admodum paruas. Priusquã Erythras perueniretur, oppidulum Gerræ fuit, deinde Teum, postea Corycus mons excelsus, & portus Calystes sub eo: & alij nonnulli. Tota Coryci præternauigatio latronibus plena fuit, qui Corycæi dicebantur, hi per uarios dispersi portus, mercatorũ consilia explorabant, eosq; soluentes in alto aggrediebantur et diripiebant. Hinc factũ est, ut omnes curiosi, occulta ac secreta auscultare conantes, Corycæi appellarentur, & in prouerbio diceretur: Hunc ergo Corycæus auscultauit, cuius consilia secreta patefacta sunt. Post Corycum Halonnesus insula iacet, deinde Argenum promontoriũ agri Erythræi, quod Chiorum Posidio proximum fuit, sexaginta fere stadiorum interiacente freto.

Corycæi latrones.

C Inter Erythras & præcipitium, quod in boreali parte Cherronesi reperitur Clazomenis proximum, Mimas assurgit, mons altissimus, felix, atq; arboribus plenus: deinde uicus Cybelia, & promontorium nomine Melæna, ubi molæ effodiebantur. Ex Erythris Sibylla fuit, quã numine afflatam crediderunt: antiqua sane mulier & diuinatrix, & tempore Alexandri. Alia quedam eodem modo futura prædicens, nomine Athenais. Ex eadem ciuitate fuit Heraclides Hierophilus medicus, Apollonij condiscipulus, eius qui Mus est cognominatus.

De Chio insula, deq; in ea uino Aruisio Græconicorum optimo. Item de Mastiche ibi nascente, Cap. LXXIX.

CHius insula nongentorum stadiorum ambitu cõtinetur. Vrbs in ea portum habuit optimum, sicut et hodie. Si quis circumnauiget, & insulam à dextris habeat, locum primo inueniet, ubi Posidium fuit: deinde Phanæ, portum profundum: postea ubi Apollinis templum erat, & palmarum lucus. Deinceps littus australe, quod stationes habet: mox alterum littus, Leus appellatum. Deinde Melæna promontorium, cuius opposita est Psyra insula excelsa, quadraginta stadiorũ ambitu, & urbs eiusdem nominis. Deinde Aruisia, locus asper & importuosus, stadiorũ trecentorũ, qui uinum fert Græconicorum optimum: propter quod Chij nomẽ assecuti sunt. huic succedit mons Pelinæus, om-

nium eius insulæ altissim9 ex quo marmor effoditur. Viros protulit Chius memorabiles Ionem tragicũ,& Theopompum historicũ,& Theocritũ sophistam. De Homero ambiguitas est, Chij suum ciuem esse uolunt, atq; eos in testimonium adducũt, qui Homeridæ uocabantur, ab illius genere profectos, quorum Pindarus meminit, & cantores optimos esse dixit. Chij olim classem habuere, & maris imperium & libertatem sibi uendicarunt. Huius insulæ sicut & aliarum uarij casus fuere, postremo ruente Constantinopolitanorum imperio, in Genuensium potestatem facta est, qui eam non sine magno discrimine cõtra Turcarũ impetum defenderunt. Masticnes hic nascitur, quæ res Genuensiũ reipublicæ magnum emolumentum affert: sunt qui aiunt nusquã alibi nasci, quod nõ credimus. Ait enim Strabo in Libya regionem esse Cyreneis proximam, quæ Silphium id est mastichen gignit: quamuis Barbari odio quodam ingruentes, radices eius penè omnes eruerint. Sed possent alia quoq; loca eiusdem naturæ inueniri, ex quibus difficile sit ad nos aliquid asportari, mercatoribus ea inferentibus, quæ facilius haberi possint.

De Clazomenis & Smyrneorum sinu ac ciuitate, de Leucis gentibus, & quod apud eas P. Crassus in prælio occubuerit, Cap. LXXX.

POst præcipitium Clazomenæ sequũtur, quæ octo insulas in fronte habitatas habuerunt. hec Anaxagoræ physici patria fuit, Anaximeni Milesio familiaris. Auditores eius cõmemorantur Archelaus physicus, & Euripedes poëta. Deinceps Smyrneorum sinus & ciuitas succedit, subinde alius sinus, & antiqua Smyrna, distans à noua stadijs uiginti. Lydij Smyrnã euerterunt, quæ per annos quadringẽtos uici modũ retinuit. Antigonus eam suscitauit, Lysimachus ampliauit, deinceps omnium pulcherrima facta. Pars eius in monte sita fuit, sed pars maxima in campo, portũ habuit. & gymnasium, & matronarum locum, & uias in rectam distinctas, lapidibus instratas, & porticus quadratas magnas & altas, & bibliothecam, & Homerũ cum eius statua. Nam & hæc ciuitas hunc sibi poëtã maxime uendicauit, & nummo æneo utebatur, qui Homerius uocabatur. Melas amnis mœnia præterfluebat: sed cloacarũ commodo caruit, propter quod imbrium tempore excrementa fluitabant è uasis dimissa: In hoc Dolobella Treboniũ obsidione cepit, unũ ex his qui C. Cæsarem dolo occiderũt, & multas urbis partes diruit. Patrum nostrorũ memoria Tamerlanes Parthus, hãc urbem funditus euertit Rhodijs parentem. Post Smyrnam Leucæ fuere, paruum oppidũ, quo Aristonicus post Attali Philomatoris obitum ad defectionem produxit, & putans se regia stirpe natum, imperiũ sibi uendicare cogitauit. Sed prælio superatus ab Ephesijs, in Mediterraneam confugiens, hominum inopũ ac seruorũ ad libertatem uocatorum, quos Heliopolitanos appellabat, tumultuariam manum congregauit: Thyatiramq; & Apollonidem capiens, alias ciuitates inuadebat: quæ suis uiribus & aliquorum regum auxilijs eius impetum sustinuerunt. Quinq; tamẽ legati Romanorũ in bellis cõtra Aristonicum fatigati sunt, & deinde consul. P. Crassus, qui in prælio apud Leucas occubuit. Deinde. M. Perpenna, qui capto Aristonico & Romam misso, bellum absoluit: Aristonicus in carcere obijt, quamuis honestiori titulo bellum gessisset quã nostri prædones Italici, qui ex infima plebe nati, quam primum militare cœperunt, urbes sibi & regna deberi putant, multos tamen digna supplicia exceperunt. Manlius Aquilius consul cum decem legatis in Asiam missus, ea quæ Aristonicus occupauerat, in prouinciæ formam composuit. Post Leucas in sinu Phocea fuit Atheniensium colonia, unde profecti sunt qui Masiliam apud Gallos non procul à Rhodano condidere, de qua suo loco dicemus.

De Magnesia, & de iuxta eam Thorace monte, apud quem Daphita grammaticus, propterea quod reges uersibus incesserat, cruci est affixus, unde & prouerbium (Caue à Thorace) natum est. Item de Tralibus, & ex eis uiris illustribus, de Nissa, & mirabilis naturæ antro Coronio, Cap. LXXXI.

DEinceps Ionũ fines atq; Aeolum, quos in Mediterraneis separare arduũ est, sicut & Phrygas et Mysos et Cares in Mediterranea. Oræ Ionicæ uia fuit quæ ab Epheso usq; Meandrũ & Antiochiã protẽdebat, per loca Lydis Caribus, & Græcis admista, inter quæ prima erat Magnesia, quæ ad Mæandrũ uocabatur, cui propinqua fuit: sed uicinior Lathæo qui fluit in Mæandrũ, ex Pactio cadens Ephesiorũ monte. Magnesia in

A sia in campo iacuit iuxta montem qui Thorax appellabatur, in quo dicunt crucifixum fuisse Daphitam grammaticum, propterea quod reges uersibus incesseret. Ex quo prouerbium tractum est: Caue à Thorace. Neq; enim cōsultum est in eos scribere, qui possunt proscribere. Male hæc animaduertit Sigismūdi Malatestæ poëta, quem cum suo domino non Thorax, sed durior eo ultima fœtētis horti expectabat cella. Magnetes à Delphis profectos putant, qui Didyma montes in Thessalia coluerunt, Hæc urbs Dianæ fanum habuit, quod magnitudine & multitudine rerum dedicatarum ab Ephesio superabatur. Artificio uero & structuræ cōcinnitate longe præstabat. Magnetes olim à Treribus funditus deleti fuerunt, quæ gens Cimmerica diu secundis rebus usa est, postea Milesij eum locum occupauere. Viri ex Magnesia clari extiterunt, Hegesias orator, qui Asiatici styli autor fuit, immutato more Attico, qui tunc uigebat: et Simon modulator, qui et ipse corrupto prisco cantandi instituto, nouū introduxit. Itē Cleomachus pugil, qui in amorē ancillæ incidens, quæ à Cinædo alebatur, Cinædorū & orationē & mores est imitatus, propter quod minoris pretij habit9 est. Post Magnesiā uia est quæ Trallis ducit, Mediterraneam à sinistris habens, à dextris Mæandri campū, quē Lydi simul et Cares, & Iones, & Milesij, & Aeoles habitabant: Eademq; locorū ratio fuit usq; Nyssam & Antiochiam. Trallianorū urbs in uertice quodam plano sita fuit, qui promontoriū natura munitum habuit, & circuitū abunde septum. B Multus in ea populus & opulentissimi ciues fuere, & inter principales Asiæ, qui Asiarchæ appellabantur, semper aliqui ex Trallianis erant. Inter hos Pythodorus fuit, uir ab initio Nyssaēnsis, postea propter claritatem huc migrauit, Pompeioq; amicissimus fuit. Et regales opes supra duo millia talentorum possedit, quas à Iulio Cæsare uenundatas, cui propter Pompeium erat infensus, postea redemit, & filijs non minores reliquit. Huius filia Pythodoris fuit Ponti regina, cuius supra meminimus. Trallianus Menodorus uir doct9 & Larissæi Iouis sacerdos, ab amicis Domitij Aenobarbi accusatus, tanquam classem prodidisset, ab illo interemptus est: tanta est delatorum potentia. Oratores clari fuerunt Dionysocles, & Damasus Scombrus. Hanc urbem ab Argiuis & Thracibus conditam ferunt, & aliquandiu circa Mithridatis tempora sub tyrannide filiorū Cratippi fuisse. Hic una è septem ecclesijs fuit, ad quas scripta est Ioannis Apocalypsis. Nyssa ad Mediterraneam iacuit supra Tralles ad orientem, & maxima ex parte monti accubuit, torrente quodam diuisa, qui conuallem efficit, ponte tamen coniuncta. Inter Tralles atq; Nyssam uicus fuit, Acharaca nomine, & Plutonium luco sumptuose circūdatum, & Plutonis ac Iunonis delubrum, & antrum Charonium natura admirabile, in quo ægrotantes multos dies ieiuni & quieti permanentes exudabant, & aliquando ex propriis insomnijs sacerdotum consilio curas recipiebant: non procul à Nyssa trans Mæandrum multæ habitationes fuere, & ultra urbem in monte Aroma. C o. litera correpta, unde uinum Aromense ex Mediterraneis optimum iudicarunt. Viri è Nyssa illustres fuere, Apollonius philosophus stoicus, Panætij familiaris, & Menecrates Aristarchi discipulus, et Aristodemus eius filius, quem ualde senem iuuenis admodum audiuit Strabo. Item Sostratus Aristodemi frater, & alius Aristodemus eius consobrinus, qui magnum Pompeium erudiuit. Trans Mæandrum meridiem uersus, his in locis ad Cariam cuncta pertinebant. Superius uero ad orientem loca permista fuere, & modo Phryges, modo Cares, modo Lydi, modo Mysij urbes coluerunt, inuicem coëuntes.

Daphita grāmaticus crucifixus.

Charoniū antrū natura admirabile.

De Mycale monte, de Hierapoli urbe, & quot aquas calidas habeat quæ in Tophum durabantur. Itē de ore Plutonio nōnihil mirū creditu, Cap. LXXXII.

MYcale mons est qui à Celænis incipit, et in occidentem uergit, eius oppida uersus Celænam et Apamiam, partim Phryges, partim Mysi ac Lydi occupauerunt, partim Cares et Iones. Flumina quoq; eodē modo se habebant, præsertim Mæander Caystriano campo, qui inter Mediterraneam cadit, et Tmolum montem. Continuus fuit orientem uersus, Cilbianus campus multus et bene habitatus, qui regionem optimā habuit. postea Hyrcanius, cui Persæ nomen imposuere, et Hyrcanos incolas adduxere. Parimodo et Cyri campus sic à Persis appellatus, deinde Peltinus iam Phrygius, et Cil

lanus & Tabenus, in quo semi Phrygia fuerunt oppida. Pysidicum quiddam obtinentia. Superantibus uero Mediterraneam inter Caras & Nysæum agrum, trans Mæandrũ ad meridiem usque in Cibyrensem & Cabalensem regionem, contra Laodiceam urbs fuit Hierapolis, ubi aquæ calidæ scaturiebant, quæ in tophum admodum facile durabantur, & Os Plutonium in paruo quodam montis supercilio ita commensuratum, ut hominem suscipere posset mira profunditate: cui uallum propositum erat quadratum ambitur semijugeris, nebulosa & crassa caligine plenum, ut uix solum discerni posset: exterius tranquillo cœlo aër innoxius. Animal si quod ingrederetur, statim moriebatur, & Tauri introducti mox cadebãt, educebanturq; mortui. Strabo se Passeres immisisse ait, qui subito expirauerint. Galli execti usq; ad os, illæsi appropinquabant, & immergebantur, nec delabantur, quousq; possent spiritum continere. Apud Hierapolim aqua quædam adeo tingendis lanis idonea fuit, ut ex radicibus tincta cum his decertarent, quæ ex uermiculo purpuraq; tingebantur: atq; hactenus de Ionibus alijsq; gentibus, quæ cum eis coierunt.

Strabo passeres in os Plutonij misit.

D

De Caria, & apud Halicarnassum Mausoleo. Item de Salmaci fonte celeberrimo, Cap. LXXXIII.

CAriam quam propriæ Asiæ ultimam partem fecimus, Strabo à Borea Mæãdri flumine clausit, ab occidenti Icario & Myrthoo pelago, à meridie Rhodiensi, ab ortu Lycijs & alijs gentibus: magnamq; Tauri montis partem in Caria conclusit, oram omnem Rhodiam ei attribuens, quæ meridionalis est. Nos partitioni nostræ inhærentes, Cariam inter Mæandrum & montem Taurum collocabimus, reliqua Lyciæ attribuemus, quanquam Myletum & alia pleraq; maritima loca Ioniæ attribuerimus, quæ Iones condidere. Principium nobis Halicarnassus præstabit, quæ prius Zephyra dicta est, & Cariæ principum regia fuit circa initium Tauri sita. Huius urbis uarij casus fuere. Hecatõnus Cariæ rex tres filios habuit, Mausolum, Idryeum, & Pixodorum: et filias duas, è quibus Artemisia natu grandior, Mausolo maiori ex fratribus nupsit: Idryeo, qui secundus erat, altera soror nomine Ada. Mausolus regnum obtinuit, quo mortuo uxor imperiũ habuit, quæ sepulchrum illi construxit adeo magnificum, ut ex septem spectaculis orbis hoc unum celeretur, & nihilominus Artemisia tabe consumpta est, propter luctum quẽ ex uiro susceperat. Trogus Artemisiam Halicarnasi reginam in auxilium Xerxi aduersus Græcos uenisse commemorat, inter priores duces accerrime bellum cientem: & in Xerxe quidem muliebrem timorem, in Artemisia uirilem audaciam fuisse. Incertum an hæc Mausoli coniunx fuerit. Post Artemisiam Idryeus imperauit, cui ex morbo absumpto pariter successit uxor. Pixodorus autem qui reliquus erat ex filijs Hecatomni hanc eiecit, & Persicarum partiũ satrapem ad communicationem imperijs acciuit, qui eo defuncto Halicarnassum tenuit, & aduentantis Alexãdri sustinuit obsidionem. Huic Ada Pixodori filia coniunx erat. Altera uero Ada Hecatomni à Pixodoro eiecta ad Alexandrum cõfugit, opemq; ad capiendam urbem ei præstitit, propter quod Regina ab eo declarata est, & ad obsidendam arcem dimissa, quàm paulopost obtinuit. Apud Halicarnassum Salmacis fons calumniatus est, quod eos emolliat qui inde bibant: sed uerisimilius est diuitias & uictus incontinentiam molliciei causam præbuisse. Ex Halicarnasso fuit Herodotus historicus, quem postea Thurium uocauere, eo quod particeps fuisset coloniæ in Thurios missæ, & Heraclitus poëta Callimachi sodalis, & alter historicus Dionysius. Deinceps Termerium sequitur Myndiorũ promontorium, quod Scopiæ Ptolemæus appellat: et Cãdariæ opponitur Coũ, ꝓmontoriũ, à quo distat stadijs quadraginta.

E

F

De Coo maris Aegæi insula, Longoum à nostris iam dicta, deq; in ea uenere ab Apelle picta, & quod in ipsa domus Hippocraticæ ostendantur adhuc ruinæ, Cap. LXXXIIII.

COorum urbs antiquitus Astypalæa uocabatur, & in alio loco habitabatur ad mare: Postea propter seditionem inde migratum est, & iuxta Scandalium ciuitas ædificata, quàm (sicut insulam) Coum appellauere: quæ olim magna fuit, & optime habitata, & aspectu iocundissima ijs qui eo nauigabant: Ambitus insulæ quingentis & quinquaginta

A quaginta stadijs clauditur, tota fertilis, et optimo uino abundãs, sicut Chius & Lesbus: Ad austrum promontorium habet nomine Lacterium in quo Halisarna locus fuit. Ad occiduas partes Drecanum habuit, & uicum nomine Stomalimnes id est os paludis. In suburbano Coi Aesculapij templum fuit ualde insigne, & multis donis opulentum: inter quæ nuda Venus erat, quæ postea Iulio Cæsari Romæ dicata est. Augustus eam patri posuit, ut generis parentem. Apellis hanc picturam crediderunt, pro qua remissa Cois centum talenta ex imperato tributo dicunt, tanti erant illius artificis opera. Ex hac insula Hippocrates fuit diuinus ille medicus, cuius adhuc extant opera, & Simus eiusdem artis & Philætas poëta, & Niceas, qui Coorum tyrannus fuit, et Ariston Peripatetici auditor & hæres, & Theonestus uir clarus, cantor nobilis, & in administranda republica Niceæ æmulus. Hanc insulam ætate nostra Rhodij habuere, quàm Turcæ diris calamitatibus afflixerunt, nostri Longoum hodie uocant: ruinas ibi domus Hippocraticæ ostendi asserunt, & hortum in quo modicas herbas habuit in ora continentis.

De Astypalæa maris eiusdem insula, ex Cycladibus una, & quod in ea Dianæ Cindialis templum fuit, quod circumplui crederetur, dein Mediterraneis tribus memoratu dignis urbibus Mylasis, Stratonicia, & Alabandis. Cap. LXXXV.

PRope Myndium agrum Astypalæa promontorium assurgit, & Zephyrion, postea B Myndus ipsa sequebatur, quæ portũ habuit: deinde Bargylia ciuitas, et inter hæc Caryanda lacus, & insula eodem nomine, à Caryandensibus habitata. Vnde Scylax ortus est, antiquus rerum conscriptor prope Bargylia Dianæ Cindialis templum fuit, quod circumplui crediderunt: ut erat gentilium dementia. Ex Bargylijs uir clarus fuit, Protarchus Epicureus, præceptor Demetrij, qui Lacon appellatus est, si modo claritas ulla debetur Epicuri sectatoribus, quorum deus uoluptas fuit. Deinde Iassus in insula quæ continenti adiacet sita fuit, & portum habuit, cuius incolæ magna ex parte uictum ex mari captabant, cum sterilem regionem haberent, piscosam tamen. Fama est Iassios, cum citharœdum quendam audirent, ut tintinabulum increpuit, quod erat uendendorũ pisciũ signũ, ilico oẽs à foro pisciũ discessisse, præter unum surdastrum. Citharœdũ, propius ad illũ accessisse, gratiasq; egisse, qui & se & musicam honorasset, cũ cæteri abijssent. Surdastrũ uero interrogasse an iam tintinabulũ sonuisset, et affirmãte citharœdo, surrexisse pariterq; discessisse: Tãtum distant inter se palati uoluptas & aurium. Ex Iasso fuit Diodorus dialecticus cognomento Cronus. Post Iassum Milesiorum Posidium sequitur, ubi Ioniæ templum fecimus. In Mediterranea tres urbes memoratu dignæ fuerunt Mylasa, Stratonicia, Alabanda: cætera castella magna ex parte sub his fuere. Mylasa in campo iacuerunt admodum fertili, cui supra uerticem mons imminebat, & albi lapidis uena, quæ ad publicas & priuatas fabricas magnum præbuit adiumentum: urbs enim & porC ticibus, & templis, pulcherrime instructa fuit. Sed mirandum est quod tam erecto & accliui præcipitio conditores urbem subiecerunt, quod si non metuebant, at certe erubescere debebant: Labranda uicus fuit in monte iuxta transitum, qui ex Alabandis ad Mylasa fuit, & in eo peruetustum Iouis militaris templum, à circumuicinis mirifice cultum. Via per sexaginta fere stadia usque ad urbem instrata, nomine sacra, per quam sacrorum pompa mittebatur. Sacerdotes ex ciuibus nobilissimi eligebantur, quorum sacerdotium cum uita durabat. Traditum est hanc urbem olim uicum fuisse, patriam ac regiam Carum regum & Hecatomni, mari proximam, nec procul ab Physco, in quo Mylasij portum habuere: Hinc uiri memoratu digni fuerunt rhetores simul & oratores, Euthydamus & Hybreas, prior ingentes opes à maioribus suis accepit, & ipse magnas per se parauit, non solum in patria clarus: sed tota in Asia primos honores adeptus. Hybreæ, ut ipse narrare solebat, & ciues confitebantur, pater mulum lignarium & mulionem reliquit, à quibus aliquandiu nutritus est: postea Diotrephem Antiochenum audiuit, & domum reuersus ædilitati se tradidit, nec multa lucratus ad gubernandam rempublicam animum intendit ac forum secutus cito creuit, & in admiratione maxima habitus est, uiuente adhuc Euthydamo: nam his crescunt patrimonia fabris: Sed illo mortuo ciuitatis compos omnino fuit: Euthydamus dum uiueret multum anteibat, cum simul et

potens esset, & utilis in re publica: & si quid erat in eo tyrannidis, id reipublicæ utilitate compensabatur: Quapropter laudatum est uehementer illud Hybreæ, quod extremo in concione dixit: Euthydame, malum es ciuitatis pernecessarium: nam nec tecum uiuere possumus, nec sine te. Quod in plerisque ciuitatibus Italiæ nostra ætate erga nonnullos haud inconuenienter diceretur. habent enim & nostra tẽpora suos Euthydamos. Hybreas cum plurimum creuisset, & optimum se ciuem atque oratorem exhibuisset, ad extremum errauit contra Labienum, aliter atque alij in re publica sentiens. Nam cum cæteræ urbes Labienum admitterent, cum societate Parthorum aduentantem, hic suis ciuibus ut resisterent suasit. Sed Labienus impetu facto urbem ui cepit, & domum eius demolitus est cum pluribus alijs. Hybreas Rhodum aufugit, & post tempus reuersus se atque urbem reparauit, cũ iam Labienus Asiam reliquisset. Stratonicia quamuis in Caria sita esset, Macedonum tamen habitatio fuit, sumptuosis fabricis à regibus exornata. Prope urbem in Iouis Chrysaorei templo Cares omnes conuenire solebant, de communibus rebus deliberaturi, conuentus Chrysaoreus appellabatur, ex uicis constans, ubi qui plures uiros afferebant in suffragijs antecellebant. Stratonicenses quamuis non essent Carici generis, in conuentu tamen participabant. Ex ea urbe uir fuit memoratu dignus Menippus orator, cognomento Catocas, quem supra omnes Asiaticos oratores à se auditos Cicero laudat. magnum tanti uiri præconium fuit. Est & aliud oppidum Stratonicia Tauro monti adiacens. Alabandã urbem duobus montibus subiectam, ita dispositã extitisse dicunt, ut cistæ inuersæ præberet speciẽ: Vnde Apollonius cognomento Malacus, cum sales dicacitatis in hanc urbem iactaret, propter scorpiones qui multi inerant: Vrbs est (inquit) cista inuersa scorpionibus plena. Guarinus Veronensis hunc Strabonis locum è Græco in latinum conuertens, asellum pro cista posuit: tanta est tralatorum diuersitas. Alabanda homines molles, & Psaltrias multas habuit: Hinc uiri memorabiles fuere duo fratres oratores, Menecles & Hierocles, & Apollonius & Molon, qui Rhodum migrauerunt.

Notat Italos.

Vrbs ut cista inuersa scorpionibus plena

De Antiochia, Asiatica & Cibyreis populis linguis quatuor utentibus, quodque apud eos facile erat ferrum extornari, de Caribus, qui & Leleges dicti sunt. Item qui proprie dicantur Barbari, Cap. LXXXVI.

AD Cariam & Antiochia pertinuit, quæ Mediterranea fuit, Phrygiæ proxima, mediocris urbs, ad Meandrum sita, Phrygiam uersus: & põtem habuit in flumine, & regionem multam ex utraque parte amnis totam fertilem, & caricam plurimam producẽtem, quam modo Antiochiam, modo Triphyllon uocauere: locus facile concutiebatur, sicut cætera regionis eiusdem: Hinc fuit sophista clarus Diotrephes, quem Hybream diximus audisse. Antiochiæ propinqui Cabalenses fuere, de quibus non satis certum est, an Cares fuerint an Pisidæ. Sunt qui eos Solymos fuisse credidere: nam collis qui Termensi promontorio imminebat, Solymus uocabatur, & ipsi Termenses Solymi dicuntur. Proximum erat Bellerophontis uallum, & Pisandri filij eius sepulchrum, qui in bello cecidit contra Solymos gesto. Termesus Pisidica urbs sine controuersia fuit, quæ proxime ad plurimum Cibyræ imminebat. Cibyrei à Lydis profecti dicuntur, qui Cabalensem agrum tenuerunt. Postea Pisidæ finitimi eam habitauere, atque in alium locum transtulerunt, & munitissimam reddiderũt, ambitu fere centũ stadiorum. Hæc urbs propter equitatem plurimum creuit, & uici propagati sunt, à Pisidia & finitimo Myliæ agro usque in Lyciam, & ulteriorem Rhodiorum regionem, additis tribus urbibus proximis Bubone, Balbura, & Oeneandro, quarum conuentus Terapolis dictus est: harum singulæ singula suffragia habuere. Cabyra uero duo de triginta peditum millia mittebat, equitum duo millia. Cabyra longo tempore sub Tyrannis fuit, quorum regimen temperatum erat, & in Moageta finem habuit. Murena tyrannidem sustulit, & Balburam Bubonemque Lycijs adiecit, quæ montana erant loca. Cibyrensis tamen administratio inter maximas totius Asiæ censebatur. Cibyrei quatuor linguis utebantur, Pisidarum, Solymorum, Græcorum, ac Lydorum: Proprium apud Cibyreos fuit, ferrum facile extornari. Milya mõtana est, quæ ab angustijs Termesi, & à trãsitu qui per eas fit ad citeriora Tauri,

A Tauri,uſq; ad Apameorum regionem & Sagalaſſum portendit. Sed quoniam de Caribus hoc in loco tractatio eſt,ſcire oportet eos ſub Minoë fuiſſe, ſed tunc Leleges dicebantur, & inſulas habitabant. Poſtea in continentem migrauere, multumq; maritimæ oræ & mediterraneæ occuparunt,prioribus habitatoribus expulſis, qui & ipſi magna ex parte Leleges erant et Pelaſgi. Rurſum his Græci partem abſtulerunt. Iones ſcilicet ac Dores. Fuerunt aũt Cares circa rem militarem admodũ ſtudioſi,cuius rei indicium eſt,quod lora,criſtas,& cætera inſignia militaria olim Carica dicebantur, ut eſt illud Anacreontis. Nectite bene cõpactum Cariæ lorum,manum inſertantes:& Alceus,Caricam inquit quatiẽs criſtam. Sed quæſitũ eſt:cũ multæ barbaræ nationes in auxiliũ Priami ueniſſent,cur ſolos Cares barbarici ſermonis Homerus dixerit?Strabo arbitratur ab initio cõfecto nomine eos barbaros appellatos,qui difficulter aſpere atq; duriter loquerentur,ut bleſos,balboſq; dicimus. Sumus enim ad confingẽda cognata rebus nomina ingenioſi. omnes igitur qui craſſe loquũtur,barbaros dici,quales ſunt nationes omnes præter Græcos,& primo quidem per cõuitium,quaſi duriloquis,& craſsilinguibus barbariem imputatam. Poſtea uero id nomen per abuſionem receptum eſſe,cæteras gentes à Græcis diſtinguens: fuiſſe quoq; in Græca lingua quandam loquendi prauitatem, eamq; barbaram uocatam,ſi quis non recte græca pronunciaret:ſed ita nomina profert

Carica inſignia.

B quemadmodum Barbari ſolent,qui ad græcã dictionẽ introducti expedire linguam nõ poſſunt,ſicut nec Græci illorum orationẽ,quod apprime Caribus cõtigit. nam alij non multum cum Græcis diuerſabãtur, nec Græce uiuere,nec eorum dictionem diſcere pertentabant: niſi perrari admodum. Cares uero per totam Græciam errauerunt,ſtipendia merẽtes,& ex illo tempore Barbari ſunt appellati, & multo magis poſtea quàm inſulas habitauerunt,& cũ in Aſiã profecti ſunt,ubi cum Græcis uixerũt:nam Ioannes cum eis ac Dores traiecere. Recte igitur barbarũ eis ſermonẽ imputat Homerus, qui græcè minus expedite loquebantur. Barbariſmus quoq; in his dicebatur,qui male græcizabant, non aũt in his qui Carice loquerẽtur. Apoſtol9 Paulus in epiſtolis omnes inter ſeſe barbaros eſſe dicit, qui ſe inuicẽ nõ intelligũt:& Romani omnes barbaros uocauere, qui latine loqui neſcirent,præter Græcos,quibus honorem detulerunt: Barbariemq; nonnunquam etiam de moribus traxere. Solœciſmum aũt qui orationis artẽ reſpicit, à Solis ductum putant, quæ ciuitas Ciliciæ fuit, poſtea Pompeiopolis appellata: nec plura de Caribus,nec de Aſia propria,cuius ultimam partem Cariam fecimus.

De Lycia minoris Aſiæ tertia parte,deq; in ea Dorica Cherroneſo,de Gnido promontorio. Item de Caunis populis uiridem colorem habentibus, Cap. LXXXVII.

Reſtat minoris Aſiæ tertia pars, quæ trans Taurum appellatur abiecta noto: in hanc Lyciam Pamphyliam,& Ciliciam collocauimus. Lycia (ut Ptolemæus uolu
C it)& ab occaſu & à ſeptentrione Aſiam propriam habuit,ab ortu Pamphyliæ partem,à meridie Lycium mare, nec Strabo Ptolemæi ſententiæ multum aduerſatur: quamuis Lyciæ terminos anguſtiores ab occidenti fecit. Multa ij extra Taurum Canæ tradiderunt, quæ nos Lyciæ concedimus, totam ſcilicet oram Rhodienſem, quæ Phœnicis promontorio uſque ad Dedala protenditur, & inſuper totam Doricam regionem, in reliquis concordes erimus. Prima igitur Lyciæ pars, Dorica Cherroneſus erit, quem Myrtoo Rhodienſiq; pelago cincta, ultimum Aſiæ angulum ad occidentem ac meridiem occupat: quemadmodum Bithynica Cherroneſus Borealem & occidentalem alterum tenet angulum. Nam his ueluti duabus columnis baſis ipſa ſuſtinetur Aſiæ, ſiue duo uelis cornua dicere, quorũ alterum Thraciam reſpicit, alterum Cretam, oram Helleſpontiam in medio conſtitutam, quaſi bouinam frontem habentia (& ſi non eſt) hinc atque inde par diſtantia. Circa Iſthmum Doricæ Cherroneſi in auſtrali parte mons Phœnix eſt, omnium eius regionis altiſsimus, in cuius ſummo caſtellum fuit eiuſdem nominis, & in fronte ad quatuor ſtadia inſula Eleuſa, octo fere ſtadia in ambitu habens: & Loryma ora aſpera, ubi flexus quidam Cherroneſi ad Aquilonem inclinat: deinceps recta nauigatio uſq; in Propontidem quaſi quandã meridianam lineã facit, quæ millia circiter ſtadiorum quinq; cõplectitur. Poſt Loryma Cynoſſema

fuit Canis sepulchrum, & insula Syma. postea Gnidus promontorium, quod nostra æ- B
tas Chij caput appellat, & ciuitas quæ portus duos habuit, & in fronte insula quæ sta-
dia septem ambitus complectebatur, theatralis et alta, aggeribus iuncta et continen-
ti. ea Gnidum quodammodo biurbem fecit: nam maxima pars ciuitatis insulam habi-
tat, ambos portus contegentem. E Gnido uiri memorabiles fuerunt, Eudoxus mathe-
maticus Platonis sodalis, & Agatharchides peripateticus historiæ conditor, & Theo-
pompus Iulio Cæsari familiaris, qui apud eum plurimum potuit, & Artemidorus eius
filius, & his antiquior Ctesias, qui Xerxem medicatus est, et res Syriacas Persicasque cō
scripsit. Post Gnidum in septētrionali Cherronesi latere, duo supra mare oppida fuerūt,
Ceramus & Bargasa, Coorum insulæ e regione opposita. Deinceps Halicarnasseus ex
tra Isthmum, quem uix duorum stadiorum esse arbitrantur: eum sæpe Rhodij interrum
pere cogitauerunt. In ruinis Halicarnassi castellum sancti Petri Rhodij apprime cōmu-
nitum possident, apud quod multæ insunt antiquæ nobilitatis ruinæ et res. Halicarnas-
sum Cariæ dedimus. In australi uero littore, & in Rhodiorum regione Physcus oppi-
dum fuit, in quo Mylasij ad Cariam pertinentes portum habuere: ibi & Latonæ lucus
erat, quam gentiles Dianæ matrem, deamque fuisse falso credidere, quamuis ex adulte-
ro peperisset. Vlterius ad orientem Caunus ciuitas fuit, & in proximo Calbis profundus
amnis, per quē res inuehebātur: urbs naualia habuit, & portū clausum, & imminentem E
in colle arcem nomine Imbrum, et regionem felicem adiacentem: sed aerem æstate & au
tumno grauem propter æstum, & pomorum copiam. Stratonicus citharœdus cū Cau-
nios uiridi colore animaduertisset: hic est (inquit) quod poeta dicit: Tale quidem genus
est hominum quale et foliorum. Reprehensus autem quod urbem ueluti morbidam car
peret: Ego (addidit) eam morbidam dicere ausum, ubi mortui ambulant? Hæc eadē ad
eos transferri possent, qui maritimam Senensium oram incolunt. Cānij cum aliquando
à Rhodijs desciuissent, iudicantibus Romanis recuperati sunt. his eadem lingua cū Ca
ribus fuit, sed proprijs legibus utebantur, ex Creta originem ducentes. Calymna ciuitas
huic proxima fuit, & promontorium Artemisium, & templum, & alter Latonæ lucus.
Calymna sexaginta stadijs à mari recessit. Vlterius Glaucus sinus sine portu, & magis
ad orientem Dædala loca, & promontorium in quo Rhodiensis ora finiebat, & Lyciæ
secundum Strabonem præternauigatio incipiebat, mille & septingenta ac uiginti stadia
continens: aspera sane ac difficilis, sed portuosa, & ab hominibus temperantibus habi-
tata, quam paulò post attingemus. Nam prius de Rhodo dicēdum est, quæ his locis ex
posita est, de quibus modo locuti sumus.

Tale genus hominum quale foliorum.

De Rhodo insula, & quod apud eam Telchines populi ferri & æris fabricam primi inuenisse dicuntur, de Colosso & Protogenis tabula, de uiris in ea claris, de religiosis militibus beato Ioanni dedicatis. Item de canibus Christianis aduentantibus, blandientibus, & Turcas morsibus impetentibus. Cap. LXXXVIII. F

RHodus insula noningentorum ac uiginti stadiorum ambitu patet, secundum no-
stram descriptionē Lyciæ opposita, secundum Ptolemæum & Strabonem Cariæ,
inter Asiaticas insulas tertia. Lesbus enim et Cyprus maiores habentur, Rhodij tamen
rerum gestarum gloria præualerunt. Insula prius Ophiusa dicta est, deinde Stadia, & po
stea Telchinis, eo quod Telchines insulam incolerent, quos nōnulli fascinatores & ma
leficos fuisse tradunt, tanquam Stygiam aquam stirpibus & animalibus perniciei gra
tia inspergerent. Alij contra sentiunt, Telchines eximios artifices extitisse, primosque
ferri & æris fabricam inuenisse, quos ex Creta in Rhodum profectos, uicini per inui-
diam fascinationibus perdiderint: sed priorem infamiam ualuisse. Sæpe enim apud ho
mines succumbit ueritas. Post Telchines Heliades insulam tenuere, quorum posteri
Lindon ac Ialyson, & clarā Camiron condiderunt: alij tamen à Tlepolemo conditas a-
iunt, qui cum primū uirilem inisset ætatē, patris sui auunculum Tecinium senectute gra
uem interfecit, et nauibus ædificatis frequentē cogens populū, fuga in Rhodū peruenit,
ibique habitauit ab Argis profectus: propter quā rem originem Rhodiorum, alij Aeoli-
cam, alij Doricam esse tradunt. Sūt enim qui Dorienses cū maximas ædificassent urbes,
post Co-

A post Codri obitum partim Argiuorum aggregatos regno tradant, partim coloniæ in Cretam missæ participes factos, partim Rhodium petisse. Sed hæc posteriora sunt his, quæ ab Homero dicuntur, qui Rhodios non Dores nominat, sed Aeoles, ac Boëtios inuit, apud quos Herculis & Lycinimi habitatio erat. Est autem Rhodiorum uetustissimum nomen, siquidem ante olympiadum institutionem claruere, qui longe à domo profecti in Hispaniam nauigarunt, ibiq; alteram Rhodum urbem condidere, quam postea Massilienses occuparunt, & in bello Troiano fuisse traduntur, atque eos peracto Gymnasias insulas ædificasse quas quidem Baleарides esse putant. Poëtæ antiquitatem ac nobilitatem insulæ astruentes, fabulam confinxerunt, dicentes aurum in insula pluisse, cum Pallas ex Iouis capite nasceretur, ut Pindarus inquit: Nomẽ insulæ ab urbe sumptum, quæ pari modo Rhodus appellatur, in orientali promontorio sita: ea portubus olim, & uijs & mœnibus, & reliquis ornamentis tantopere cæteras superauit, ne ullam putaretur æqualem habere. Legum præstantia, & naualis rei peritia, adeo ualuit: ut annos multos maris imperio potiretur, et piratarum latrocinia sustulerit, Romanis & Græcis amica: quæ cum libera esset, multis & donis et simulacris excellẽtissimis claruit: præcipua tamen fama Colossi extitit. Statuam enim alij Iouis, alij solis fuisse tradũt, quam Chares Lindius decies septenum cubitum altam edidit ære: postea ex terræ motu fractis *Coloss. apud Rhodum.*
B genibus corruit, nec Rhodij ipsam attollere ausi sunt, oraculo quodam prohibiti. Hoc inter oblata dona excellentissimum, & inter septem miracula maximum omnes confessi sunt. Soldanus Aegypti cum insulam inuasisset, ex ære huius statuæ, quam confractã reperit, noningentos camelos onerasse fertur, atq; in Alexandriam terrestri itinere trãsmisisse. Fuit & Protogenis pictura insignis in ualuis, scilicet Satyrus iuxta columnam stans, super qua Perdix erat, ad quem ita homines hiabant cum nuper tabula esset posita, ut illum solum admirarentur, Satyrum uero contemnerent, quanquã perfectissimum opus. Augebant admirationem Perdices mansueti, qui à nutritoribus allati & contra pictum appositi canebant, & congredi gestiebant, quod præter opinionem Protogenes accidisse uidens, æditμos rogauit, ut se auem delere permitterent, quod illi annuerunt. Fuerũt & naualia apud Rhodum instructissima, & aliqua occulta & ignota plebi, in quæ si quis introspexisset, capite plectebatur. In hac urbe & Massiliæ, & Cyzici fabrorum & architectorum instrumenta, armorumq; uaria genera, in thesauris summa cura studioq; locabantur, magis quàm penes alios usquam. Ex hac insula uiri illustres multi prodierunt, & imperatores & pugiles, è quibus Panætij philosophi progenitores fuere, & Memnon qui Persarum regibus militauit, & eorum copias duxit. Circa res ciuiles, & Philosophiam, et artes liberales Panætius ipse, & Stratocles, et Andronicus peripateticus, et Leonidas stoicus, ac priores Praxiphanes, & Hieronymus, et Eu
C demus. Posidonius uero quãquam Rhodi uixit, & sophisticam exercuit, Apamiensis tamen è Syria fuit: quemadmodum Apollonius Malacus, & Molõ, qui Alabandenses fuere (ut supra diximus) sed prius Apollonius Rhodum profectus est, postea Molon. Pisander etiam qui Heracliam scripsit poëta Rhodius fuit, & Simias grammaticus, & Aristocles. Dionysius quoque Thrax, et Apollonius, qui Argonautas composuit. Alexandrini quidem fuere, Rhodij tamẽ uocati sunt, quoniam Rhodi habitauere. Cleobolus insuper unus è septem sapientibus è Lyndo fuit, cuius urbis habitatores (quemadmodum Camirenses & Ialysij omnes in urbem Rhodiam migrauerunt, ubi Linus fuit: nũc carcer est religiosorum militum, qui atrociter peccant, & munitio quædam altissimo saxo uix humanis expugnanda uiribus. Multa hæc ciuitas Rhodia per ciuilia Romanorum bella perpessa est, nec sub Græcorum imperio calamitatibus caruit. Sed postquam Saraceni Aegyptum et Syriam, Turcæ uero Asiam obtinuere, longe maioribus cladibus subiecta fuit: et aliquando Venetorum iugum, aliquando aliorum Christianorum pertulit, neque ullo pacto Turcarũ uiribus restitisset, nisi religiosi milites (qui beato Ioanni dicati sunt) insulæ eius curam suscepissent. Hi enim post perditam Hierosolymam in eam sese receperunt, et urbem pene dirutam instaurantes, naualiaq; et classes reformantes, non solum insulam ipsam tutati sunt, sed Cyprijs et alijs finitimis

Christum

Christum colentibus magno præsidio fuerunt, quorum uirtute quicquid in oriente nostræ religionis est, Christo seruatum fateri licet. Abusacus Aegypti dominus (quem Soldanum appellant) magnis classibus per nostram ætatem armatis, toto quinquēnio Rhodum uexauit, multo tamen minora intulit damna, quā pertulit, nec dispari fortuna Turcarum conatus in Rhodijs facti ceciderunt. Nam & apud oppidum sancti Petri, quod Rhodi in continenti munitissimū possident, & in ipsa insula magnas sæpe strages acceperunt. Calixtus tertius Papa, quos in beati Petri sede præcessit, classem non paruam in auxilium Rhodiorum misit, quæ diu apud eos morata plures Turcarum naues prælio superatas dimersit, & corpora hominum palo suffixit. Staliminumq; insulam Lemnum olim appellatam, & Taxum, & Nembrum, & alias quasdam minoris nominis Turcarum imperio ademit: nec Aegyptios quiescere permisit, neq; Syrios, neq; Cilicias. Sed mortuo Calixto dissoluta classe. Ludouicus Cardinalis Aquileiensis, qui ei præfectus erat, Romam redijt, Rhodo & omni oriente nostri religionis cultore in discrimine summaq; desperatione relicto: Et acquisitæ insulæ ad hostes rediere, cum nos intestinis Italiæ motibus, & subditorum seditionibus occupati, longinqua prospicere nō possemus, præsertim cum Roma ipsa in periculo esset, non solum Baronibus per circuitum, sed aliquibus Romanis ciuibus, res nouas molientibus, & ecclesiasticæ potentiæ insidiantibus. Hactenus de Rhodo, in qua mons omnium altissimus Atabyris uocabatur, pro gentili dementia Ioui sacer, qui ex loco Atabyris dicebatur. Castellum sancti Petri, quo in cōtinenti munitissimum magno sumptu custodiunt Rhodij, nō paruo usui Christianis est, qui manus Turcarum incidunt, sæpe eo fugientes saluantur. Canes ingentes noctu extra muros excubant, de quibus fama est, quod Christianos odore cognoscant, eisq; aduentantibus blandiuntur, Turcas autē latratu prodant, & morsibus insectentur. Nunc reliquam Lyciam absoluamus.

De Lycia in qua tres & uiginti urbes in suffragijs dandis participabant, de tribus Chelidonijs insulis asperis, de Climace monte, qui iter facientibus eum pelago nudante peruius est, & quod apud eum Alexander per hyemem incidens, cum suis militibus mare fluctu resignante, umbilico tenus est mersus. Cap. LXXXIX.

LYcij adeo ciuiles & continentes extiterunt, ut quamuis feliciter usq; in Italiam mari dominarentur, nullo tamen unquam turpi lucro sese extulerint. Viginti tres urbes apud eos erant, quæ in suffragijs dandis participabant, & ex quaq; ciuitate in cōmune collegium conueniebant, id decernentes quod pars maxima comprobasset. Maximarum ciuitatum quælibet tria suffragia ferebat, mediæ duo, cæteræ unum: pariq; modo pro portione tributa ponebant, & alia munera subibant. Hæc de his Lycijs dicimus, quos Strabo ultra Dædala uersus orientem collocauit. Nam Dorica & Rhodiensis ora ad Cares pertinebat. Artemidorus Lyciorum sex maximas fuisse urbes asseruit, Xanthum, Pataram, Pinaram, Olympum, Myram & Tlon. In collegio ciuitatum primo eligebatur Lyciæ præfectus, post alij urbium magistratus: iudicia in communi fiebant. Antiquitus de bello, de pace, de socijs consultabant: postea Romani hanc eis potestatē abstulerunt. Sed cum iuste uiuerent, libertatem consecuti sunt, & patriam pacatam habuerunt, & Piratas funditus deletos uiderunt, primum à Seruilio Isaurico, postea à Pōpeio magno, qui supra mille & trecenta nauigia concremauit, et eorum habitationes deleuit, & ex hominibus qui in prælio superfuerant, alios in urbem Solos, apud Cilices habitatum deduxit, & urbem Pompeiopolim appellauit: alios Didymenam quæ hominibus carebat, et postea Romanorum Colonia facta est. Sed Piratæ ut plurimum aut Pisidæ, aut Isauri fuerunt, aut Cilices Trachiotæ, qui apud Sidam Pamphyliæ urbem nauigia faciebant, ibiq; captiuos sub hasta uenditabant, non diffidentes eos liberos esse. Pisidæ & Isauri ut diximus montani fuerunt, ultra & citra Taurum iugum habitantes, & summos etiam uertices incolentes, de quibus satis dictum est in superioribus, quamuis magna pars eorum australia Tauri teneret, & ad tertiam quam nunc describimus Asiæ partem respiceret. Post Dædala Lyciorum montem in proximo suis Telmissus oppidum, & Telmissias promontorium, & in eo portus. hunc locum Eumenes in bello aduer-

A lo aduersus Antiochum gesto à Romanis accepit: sublato regno, Lycij locum receperunt. Deinceps Anticragus mons assurgit, & in eius conualle Carmylesus locus habitatus, deinde Cragus in octo promontoria diuisus, & urbs eiusdem nominis. Hic fabulas de Chimeræ montibus confinxere, & prope conuallis fuit nomine Chimera, à littore porrecta in Mediterranea. Crago subiacuit Pinara, una ex maximis Lyciæ ciuitatibus, in qua Pandarus colebatur. Dubium an is qui apud Troiam in prælio fuit, nam & illum ex Lycia dixere. Postea Xanthus fluuius prolabitur, quem priores Sirbim uocauere: iuxta hunc procul à mari septuaginta stadijs Xanthus erat ciuitas, una ex maioribus, & post eam Patara & ipsa maxima, Patari opus, quæ portum habuit, & templa plurima. Ptolemæus Philadelphus eam auxit, & Arsinoën Lyciacam nominauit: sed antiquum nomen delere non potuit. Nicolaus hic pontificatum habuit, uir sanctitate præcipua clarus. is cuius nautæ in tempestatibus singulari patrocinio utũtur, & qui auro in domum inopis patrisfamilias clam iniecto, tribus puellis ne prostituerentur diuinitus consuluit. Deinde ad stadia uiginti supra mare in sublimi colle Myram locauerunt: postea Lorymi fluminis ostia ascendenti stadia uiginti pedestri itinere Limyra oppidum occurrebat, in hac præternauigatione portus & insulæ multæ, quarum maxima Cisthenæ fuit, eiusdem nominis urbem habens. Deinde in Mediterranea Phellus et Antiphellus appel-
B lata loca, postea Hiera promontorium, & tres insulæ Chelidoniæ asperæ, & magnitudine æquales, stadijs quinque inter se distantes: à terra uero sexaginta, quarum ima stationē habuit. Quidam initium Tauri è regione Chelidoniarum surgere putauerũt, propterea quod promontorium altum est, & à Pisidicis montibus descẽdit. Sed re uera à Rhodiorum transmarina Pisidiam uersus, montana regio perpetua est, quæ etiam Taurus appellatur. Post Hieram Crambusa fuit, & Olympus ciuitas maxima, & mons eiusdem nominis, qui etiam Phœnicus uocabatur. Deinde Corycus littus, postea Phasilis tribus munita portubus, ciuitas insignis & lacus, cui mons nomine Solyma incumbit, & Telmissus Pisidica ciuitas angustijs adiacens, per quas in Milyadē transitur. Sed de Telmisso supra diximus, quam Alexander cum angustias aperire uellet, cepit ac diruit. Inferius ad mare circa Phasilidem angustiæ sunt, et mons nomine Climax, Pamphylico pelago adiacens, quem Ptolemæus Masiticum appellare uidetur. Is transitum arctũ relinquit in littore, qui tranquillo mari nudatur, & iter facientibus peruius est, pelago affluẽte undis contegitur: transitus per montem & arduus & prolixus est, atque idcirco in tranquillitatibus littore utuntur. At Alexander in hyemem incidens, & maximam partem suarũ rerum fortunæ permittens, priusquã fluctus rediret, mouit: & totam diem in aquis habuit, ita ut umbilico tenus milites mergerentur, periculũ per tot pericula dux simul & exercitus quærebat. Phasilis Lyciaca urbs fuit in montibus sita, qui Pamphyliam spectant,
C sed cum Lycijs non communicauit suis utens legibus: nonnulli Lycios prius Solymos uocatos putauerunt. Postea Termilas ab his qui cum Sarpedone ex Creta uenerunt, deinde Lycios à Lyco Pandionis filio, quem domo profugum Sarpedone in regni partem suscepit: Sed melius sentiunt, qui Solymos in boreali Tauri parte collocant, & postea Milyes appellati sunt. Homerus. I. Solymos diuersos facit à Lycijs, quorum Rex ad Troianum bellum misit Bellerophontem, de quo dicitur: Hic Solymis iterum præstantibus intulit arma. Lycij Christiana sacra receperunt, denique seruauerunt. Beatus Christophorus apud eos martyrium accepit in ciuitate Samonæ, quem uirgis ferreis attritum, & flammis exustum diuina uirtute saluatum ferunt. Postremo sagittarum ictibus confossum, dum constanter in Christi confessione persisteret, capite obtruncatum, sed nostra ætate Lycij omnes in potestate Turcarũ facti, rectã fidẽ amiserũt. *Beatus Christophorus.*

De Pamphylia & in ea Cataracte fluuio admodum quàm impetuoso, quodque in ipsa Pamphylia Christi Euangelium sit susceptum, postea in Mahumetis dogma deuentum, Cap. XC.

PAmphylia tota montana ex Tauro in mare procumbit, ab oriente Tracheæ Ciliciæ iuncta, ab occidente Climaci monte seu Masitico, qui Lyciam distermінat: Pisidæ ei à septentrione incumbunt, qui Taurum obtinent, de quibus mentio facta est.

cta est. Initium Pamphyliæ Olbia præbuit, Phasilidi propinqua, ingens munitio. Postea Cataractes effluit amnis, multus & torrentis more impetuosus, ab alta petra descendens, cuius impetus longissime exauditur. Deinde Attalia Philadelphi Attali opus, à quo dicta est. Sũt qui dicunt inter Phasilidem & Attaliã Thebã quandã & Lyrnessum fuisse, quod non est alienũ credere, si quod Callisthenes autor est, Troianos Cilices post Ilium deletũ ex Thebano campo in Pamphyliam exiuisse, à quibus facile fuit oppidis, quæ conderent ea nomina imponere, quibus in patria utebatur. Attaliam prætergresso Cestrus occurrit fluuius, quem ad stadia sexaginta nauigãti, Perga ciuitas offerebatur, & proximum loco ædito Pergææ Dianæ fanum, ubi quotannis festa celebrabantur, dæmonibus expectata solatia. Deinde ad stadia quadraginta supra mare urbs alta, quæ à Pergæis conspici poterat: deinde lacus ingens nomine Capria, & fluuius Eurymedon, & superius stadijs sexaginta in eius ripa urbs Aspendus plena populo, quam Argiui cõdiderunt. Ptolemæus hunc amnem inter Cataractẽ & Cestrum posuit, Strabo ultra Cestrum ad orientem locauit. Vltra Aspendum Petnelissus defluit amnis, deinde & multæ in frõte insulæ parum cognitæ. Postea Sida Cumanorum colonia, quæ Palladis templum habuit, & Piratarum commune forum: et ei proxima minorum Cibyrensium ora: & Melas amnis. Postea Ptolemais urbs & non procul Pamphyliæ fines, & Coracesium Tracheæ Ciliciæ initium. tota Pamphyliæ prænauigatio sexcentorum & quadraginta stadiorum spatium continet. Herodotus autor est Pamphylios ex socijs Amphilochi et Calchantis fuisse, mistis sane hominibus, qui ex Troia illos sequebantur, atq; ex his alios hic remansisse, alios in alia loca fuisse dispersos. Callinus asserit Calchantẽ apud Clarum obijsse: gentes uero quæ cum eo erant Taurum cum Mapso transgressas, partim in Pamphylia remansisse, partim in Ciliciam Syriamq; usq; ad Phœniciam processisse. Pamphylia sicut & reliquæ Asiæ prouinciæ sacrosanctum Christi Euangelium suscepit. Postea de uia uitæ recessit, sceleratum Mahumetis dogma, & inanes secuta fabulas, & in hoc usq; tempus delirat, Turcarum imperio subiecta, quibus ad uoluptatem humano generi amicam multa permissa sunt: Sed iam ad Ciliciam transeamus.

D
E

De Cilicia duplici Trachea scilicet & Campestri, de emporio nomine Delus, apud quod mancipiorum millia multa quotidie uenundabantur, de Arsinoe & Amaxia cedrifera, de Scandalaro oppido, cuius dominus hominum uiginti millia armare posset. Item de Athenæo Philosopho, ruina domus per noctem oppresso, Cap. XCI.

CIlicia prius ad Pelusium usq; Aegypti pertendebat, Lydia, Pamphylia, Cappadocia, Armenis ac Medis, sub imperio Cilicum constitutis. Mox ab Assyrijs edomita, in breuiorem modu[illegible] scripta est: ab oriente Amano clauditur, à septentrione Tauri iugis, ab occidente [illegible]nphylia, & plurima iacens campo: In austra[illegible] latere sinu lato mare Issicum recipit. Cilix ei nomen dedit, quem pristina ætas pene ultra æuum memoriæ abscondit. Phœnice ortus, qui apud gentiles antiquior Ioue, de primis terræ alumnis habebatur. Ciliciam duplicem esse diximus, alteram Tracheam, alteram Campestrem. Trachea oram maritimam perangustam habet, & nullum uel raro locum in plano. Taurus ei incumbit, male habitatus usque ad latera borealia, quæ circa Isauriam & Homonades existunt, usq; in Pisidiam: Incipit autem Trachiotis Cilicia à Coracesio, & usq; Magnopolim excurrit. Campestres uero à Magnopoli & Tarso Issum usq; pertendit: cui ad boreale Tauri latus Cappadoces adiacent. Primum igitur Tracheæ castellum Coracesium dixere in petra prærupta situm. Hoc ex loco Diodorus cognomento Tryphon regibus Syriæ bellum intulit, & uaria usus fortuna, ab Antiocho tandem filio Demetrij in quodam loco conclusus, sibijpsi manum consciuit dignus homini finis, qui sine regno nesciret uiuere. Quod autem Cilices Piratæ fierent, ipse Triphon in causa fuit, & regum ignauia, qui tunc Ciliciæ ac Syriæ ex successione imperantes, & inter se dissidentes plurima neglexerunt, neq; enim natis regibus atq; electis par solertia inest. Inuitabant etiam lucra ad maleficium, & ipsa facilitas capiendi & uendendi captiuos. Deletus non procul aberat emporium magnum & pecuniosum, quot multa mancipiorum millia & recipere & remittere eadem die poterat. Ex quo prouerbium factum est:

F

Mercator

A Mercator nauiga & expone, iam omnia uenundata sunt. Nam Romani post Carthaginis & Corinthi euersionem diuites effecti, multis seruis utebantur, quos apud Delum emebant. Piratæ igitur & prædandi & uendendi opportunitate oblata, mirum in modũ coaluerunt. adiuuabant & Cypri reges & Aegypti Syris infensi. Nec Rhodij illis beneuoli erant, quapropter impunæ Piratæ grassabantur. Romani tamen quamuis parum eos qui trans Taurum erant curarent, Scipionem Aemilianum miserunt, qui populos & urbes inspiceret: sed intelligentes ex improbitate principum à Seleuco Nicatore per successionem profectorum, id malum euenire non prouidebant. Pudebat enim Romanos id regnum abolere, quod ipsi constituissent. Inuiti enim destruunt homines quæ ipsi construxerunt: ea res Parthos qui trans Euphratem erant, postea regionis eius dominos fecit. Deinde & iam Hermenios, qui regione transmarina usq; in Phœniciã occupata reges & genus eorum uniuersum funditus sustulerunt, mare autem Cilicibus concessere, quos Romani opibus auctos & bello et exercitu deleuere. Sed uicinis rebus, & in conspectu sitis occupati, postea ea loca neglexere. Vltra Coracesium oriẽtem uersus urbs Arsinoẽ fuit, deinde Amaxia in colle sita, quæ habitatio stationem habuit, ad quam materies ad fabricandas naueis deducebatur, maxima ex parte cedrina, quæ arbor in ea regione plurima est: Atque idcirco Cleopatræ ab Antonio donata fuit, B quia fabricandis nauibus esset idonea. Laërtes subinde castellum in tumulo situm fuit, qui mamillæ speciem præbuit, et stationem habuit: nec procul Selenus amnis in mare decurrit: postea Crangus petra prærupta supra mare, & Charadrus munitio cum statione. Vlterius mons Andriclus, et aspera quædam præter nauigatione nomine Platanius. De hinc Anemurium promontorium ubi continens Crommyo Cypri promontorio appropinquat, ad stadia trecenta et quinquaginta à Pamphyliæ finibus Anemurium usque, Ciliciæ præternauigatio octingenta ac uiginti stadia continet. Reliquas usque ad Solos circiter quingenta: In Cilicia Trachea ciuitatem hodie magnam esse dicunt, quam Sataliam uocant, & oppositum mare Satalicum pelagus, quod angustijs Cyprijs proximum ferunt: & oppidum esse non paruum Scandalarum appellatum, cuius dominus uiginti millia hominum armare posset, qui quanquam Turca sit, Caramanum cum & Ottomanum inimicos Rhodijs amicitia iungatur. Post Anemurium Agidus ciuitas occurrit, deinde altera Arsinoẽ statione prædita, cui succedit locus Melania nomine, & Celendris ciuitas, quæ portum habuit. quidam in hoc loco Ciliciæ initium fecerunt, non in Corasio, quibus Artemidorus cõsensit. Holmus deinde sequebatur, quàm prius habitarunt qui postea Seleucenses appellati sunt. Sed condita Seleucia apud Calycadnum eo commigrarunt. Calycadnus fluuius est, qui ultra Sarpedonis promontorium in mare prorumpunt: per hunc Seleuciam nauigabant urbem bene ha- C bitatam, et à Cilicio & Pamphylio more plurimum abhorrentem. Hinc ferunt ex peripateticis philosophis uiri memorabiles Athenæus, & Xenarchus: ille in republica uersatus aliquandiu, in patria populum duxit, deinde contracta cum Murena singulari amicitia, & cum illo fugiens captus est, cum insidiæ contra Cæsarem Augustum deprehensæ essent, sed insons inuentus à Cæsare dimissus est. Rediens autem Romam cum ab amicis interrogaretur unde ueniret, illud Euripidis respondit: Aduenio ab imis atq; cæcis inferum tenebris: sed breue tempus superuixit, à ruina domus per noctẽ oppressus, (ut fit) quod uno superato periculo alterum incurrimus. Xenarchus (quem Strabo audiuit) non diu domi permansit, sed Alexandriæ & Athenis & Roma electa docendi uita, usq; ad senectutem in honore habitus est, primum Arij. postea Cæsaris Augusti amicitia usus, sed paulo ante obitum amisit uisum.

Nauiga & expone prouerb.

Xenarchus ruina domus oppressus.

De Pœcila petra scalis excisa, de Coryco monte & antro crocum optimũ producente, deq; ibidem specu flumen ingens emittente, quodq; flumen ipsum à terra inuisibiliter absorptũ in mare delatum exeat, de Zeniceto Pirata, qui capto monte Isaurico, se cum tota domo concremauit, Cap. XCII.

POst Calycadnum petra fuit nomine Pœcila quæ scalas habuit ui excisas, quibus in Seleuciam ibatur: deinceps alterum Anemurium promontorium, & Crambusa

insula,& Corycus mõs,& ulterius ad stadia uiginti Corycum antrũ in quo crocus optimus nascebatur. Antrum autem ingentem quandam concauitatem in orbem ductam uocauerunt,cui labrum petrosum & altum circumiacuit,cum descenderis solum est inæquale ac petrosum & fruticosa, ac semper uirenti, & domestica materie plenum. adiacens solum olim croco satum erat,& ibi specu, quod fontem ingentem habuit puræ ac nitentis aquæ in flumen exeuntis, quod mox à terra absorptum inuisibiliter delatum exit in mare: amaram id aquam uocauerunt. Post Corycum Eleusa insula continenti adiacet,quam Archelaus habitauit,& regiam fecit, tota Cilicia Trachea assumpta præter Seleuciam, sicut prius ab Amynta & à Cleopatra fuerat olim habitata. Nam cum locus terra & mari idoneus esset ad latrocinium,satius esse iudicarunt ea loca sub regibus administrari, quàm sub ducibus Romanorum, qui ad iudicia missi non semper adesse cum armis possent: atque hoc pacto Archelaus Cappadociam & Tracheam Ciliciam assumpsit. Post Eleusam Latmus fluuius & uicus eiusdem nominis occurrebat. In excelsis autem Tauri partibus Olympus fuit,Zeniceti Piratæ sedes & mons,& castellum eodem nomine,Ex quo tota Lycia,& Pamphylia & Pisidia cernebatur. Zenicetus capto monte Isaurico, se cum tota domo concremauit, dignus exitus, qui nostri temporis latrones haberet,quando pœnitentiæ speciem nullam faciunt. Illius erat Corycus,& Phasilis,& multa Pamphyliæ loca, quæ omnia in Isaurici potestatem uenerunt. Neque enim diuturna sunt quæ malis artibus acquiruntur. Post Latmum Soli occurrebant,ciuitas insignis,alterius Ciliciæ initium quæ circa Issum iacet: hæc Achiuorũ opus fuit,& Rhodiorum qui ex Lindo uenerunt: hinc Solœcismum appellatum existimant, quod Grammaticæ artis uitium est. Pompeius magnus in hanc hominibus exhaustam reliquos Piratas transtulit,quos dignos existimauit qui seruarentur,& mutato nomine urbem Põpeiopolim appellauit: hinc fuit Chrisippus philosophus stoicus ex patre Tarsensi ortus,qui inde migrauit: & Phylemon poëta comicus,& Aratus qui de astris uersu conscripsit,cuius plurima carmina Cicero in latinum uertit.

Zenicetus pirata se cum tota domo concremauit.

De Zephyrio Ciliciæ promontorio,& Anchiala urbe, in qua Sardanapali sepulchrum cum statua uidebatur: de Cydno flumine & eius natura, de Tarso,& quod apud id uiri fuerint percelebres complures,inter quos & Paulus Apostolus, Cap. XCIII.

SEquitur Zephyrium promõtorium eodem nomine,quo aliud iuxta Calycadnum. Vlterius Anchiala fuit paulo supra mare sita,Sardanapali opus,ubi Aristobolo teste sepulchrum eius ostendebatur,& lapidea statua,quæ dextræ manus digitos committens atq; collidens applaudere uidebatur. Epigrãma quoque Assyrijs sculptũ literis huiusmodi aderat: Sardanapalus Anacyndaraxis filius, Anchialam & Tarsum una die condidit: Ede,Bibe, Lude. Dignum epitaphium (ut Cicero dicit) quod nõ in hominis sed in bouis sepulchro inscriberetur. Vltra Anchialam munitio fuit nomine Quinda, in qua Macedones thesauros seruabant,quos Eumenes ab Antigono deficiens abstulit. Vltra hæc & Solos montana sunt, in quibus Olbus ciuitas erat, quæ Iouis templum habuit Aiacis Teucri fratris opus, cuius sacerdos etiam Tracheæ dominabatur. Postea tyranni eam adorti latrocinia constituere, quibus sublatis iterum sacerdotes principatum obtinuere, uel Teucri uel Aiaces uocati. Aba Zenophanis filia unius ex tyrannis per cognationem in hanc domum ingressa principatu potita est, quem pater antea procuratorio nomine acceperat. Postea Antonius & Cleopatra cum illi concessérunt, obsequijs & cultu deliniti. Sed Aba sublata principatus, ad eos redijt, qui ex eodem genere erant. Post Anchialam Cydnus fluuius erumpit in mare,iuxta locum cui Rhegma nomen fuit. Stagnum id erat, in quod Cydnus exit Tarsum perfluens, qui supra urbem ex Tauro cadit. Tarsi uero nauale lacus fuit. Hucusque tota ora à Rhodiorum transmarina incipiens, ad æquinoctiales ortus, ab occasu eiusdem nominis extenditur. Postea ad hyemalem ortum conuersa Issum usque, deinde flexũ quendam sumit in Austrum usque in Phœniciam, reliquum occidentem uersus usque ad columnas Herculis. Tarsus in campo iacuit, Argiuorum opus, qui Io quærẽtes,cum Triptolemo errauerunt. Iulius Solinus matrem totius Ciliciæ Tarsum appellat, & à Perseo

A Perseo nobilissima Dianæ prole conditam dicit. Sardanapalus in epitaphio quod ante retulimus Tarsi conditorem se iactauit. Vrbem Cydnus mediam perfluebat iuxta gymnasium iuniorum, cuius ortus non procul ab urbe fuit. Alueus per profundam uallem recta in urbem ibat, aqua rapidissima ac frigida, hominibus ac bestijs quæ crassiores neruos haberent auxiliari putabatur. Alexander captus eius amœnitate, proiectis armis plenus pulueris ac sudoris, cum in eius undā se proiecisset, periculosissimū indicit morbum, de quo uix tandem curatus euasit. Tarsenses adeo philosophiæ studiosi fuerunt, ut Athenienses & Alexandrinos superarent. Verum indigenæ Tarsi discebant, peregrini non multi: nec rursus indigenæ domi manebant, sed foris proficiscebātur, & perfecti libenter peregrinabantur, detinebantur autem perpauci. Atheniensibus contra euenit: nam multi eo proficiscebantur, & libenter immorabātur. Indigenæ non multi admodum ibi studebant, nec alienas urbes discendi studio quærebant. Alexandrinis utrunque contigit: nam & multos peregrinos suscipiebant, & à suis non paucos emittebant. Ex Tarso uiri illustres inter Stoicos fuerūt, Antipater, Archedemus, & Nestor, & duo Anthenodori, quorum qui Cordylion dictus est, cum Marco Catone uixit, & apud eum mortuus est. Alter Sandonis filius quem Cananitam à uico quodam dixerunt: Cæsaris præceptor fuit, & in honore maximo apud illum habitus. Ex Academicis Nestor B Tarsensis Marcellum Octauiæ sororis Cæsaris filium instituit. Plutiades & Diogenes Tarso nati, per alienas urbes peregrinati sunt, & scholas optime rexerunt. Diogenes etiam poëmata in adolescentia composuit, maxima ex parte tragica. Dionysides optimus tragœdiæ poëta, & Artemidorus & Diodorus grammatici ex eadem urbe fuerunt. Sed nullius uiri gloria Tarsum magis extollit, quàm Pauli Apostoli, qui uocatus à domino, segregatus in Euangelium, doctor gentium factus est, & uas electionis appellatus, cuius mira fuit eloquentia, & diuina doctrina, & ei non solum Hebrei, sed Græci & Latini crediderunt.

Alexander in Cydno fluuio lauit.

Paulus Apostolus doctor gentiū, & uas electionis.

De Mallo urbe, & qui apud eam uiri clari fuere, de montis Amani portis Amanides appellatis, de Pindo amne, iuxta quem Alexander cum Dario conflixit. Cap. XCIIII.

PRoxima Tarso Mallus fuit, Pyramo fluuio (de quo supra diximus) intercurrente. Mallus in edito loco sita, Amphilochi opus & Mopsi Latonæ & Apollinis auguris, de quibus multa conficta sunt, & quæ de Calchante supra diximus, nonnulli huc transferunt, dicuntque Mopsum, & Amphilochum ex Troia profectos, Mallum condidisse, postea Amphilochum Argos digressum, cum Argiuis non placuisset, illo rediisse: sed à regni communicatione exclusum, singulari certamine cum Mopso concurrisse, & cum ambo cecidissent, nō multum inter se distantes, iuxta Pyramum fuisse sepultos. Ex Mallo fuit Crates grammaticus, qui Panætium philosophum instituit. Vltra hanc C oram Halenius iacet campus, per quem Philotas Alexandri equitatum duxit, cum ille phalangem per oram maritimam & Mallensem agrum Issum uersus, & Darij copias ex Solis ageret. Hesiodus dicit Amphilochum ab Apolline apud Solos interemptum, quidam apud Halenium campum, quidam in Syria. Alexander ei propter cognationem cum Argiuis gentili dementia sacrificauit. Post Mallum Aegeæ oppidum succedunt, deinde Amanides portæ, in quas Amanus mons desinit à Tauro descendēs, qui ultra Ciliciam est orientem uersus, semper à tyrannis occupatus, loca munitissima obtinentibus. Tarcodementus uir memoratu dignus his locis potitus est, qui ob præclara facinora rex à Romanis nuncupatus, successionem suis posteris tradidit. Post Aegæas Issus oppidum fuit statione præditum, & Pindus amnis, iuxta quem Alexander cum Dario conflixit, ac uictor percurrit orientem. Hic sinus Issicus ab oppido dictus, & Rhosum ciuitatem, & Myriandrus, & Alexandriam, & Nicopolim continet, & Mopsi domicilium, & portas quæ Cilicum Sycororumque confinium appellantur, & in ultima Ciliciæ terra Dianæ Sarpedoniæ fanum & oraculum fuit, ubi dæmonibus arrepti responsa dabant. In Syria uero prima ciuitas fuit, Seleucia Pieriæ, iuxta quam Orontes exonerabatur. Ex Seleucia usque Solos recta nauigatione stadia circiter mille computarunt. Sunt qui arbitrantur Cilices Troianos, quorum Homerus meminit, horum

Cilicum autores fuisse, de quib9 nunc actum est, quamuis ab illis plurimum distent, qui dam econtrario censent. Nos suam cuiq; sententiam relinquimus. Ciliciam campestrē Caramanus obtinet, qui secūdus in honore apud Turcas habetur. Is etiam minoris Armeniæ & Cappadociæ partem possidet, quadraginta millia armatorum, cum necessitas ingruit in campis habens. Is qui modo regnat Abraam nomine, sæpe nostris præcessoribus & nobis scripsit, auxilia contra Octauianum petēs, cui inimicus est, quamuis in cultu Mahumeti cōsentiat. Reliqua quæ extra Taurum in Asia sunt Octauian9 habet, exceptis quæ Scandalari dominus possidet. Hactenus de Cilicia & Asia, quam minorem diximus. Sed quoniam Cyprus ei ad Austrum iacet, de hac simul agendum est, qua peragnita, finis erat Asiaticæ descriptionis. D

De Cypro insula & in ea promontorijs, quodq; in eo cuius summitas Olympus dicebatur Veneris Arcææ templum fuerit, quod mulieribus nec uidere, nec adire licebat, de Clidib. & Carpasijs circum Cyprum abiacentibus insulis, de promontorio, unde qui Apollinis aram tetigissent præcipitabantur. Item de Treta, Boosura, Palæpapho, Arsinoë altera, Hierocepia & Papho, Cap. XCV.



E

CYprus inter maiores nostri maris insulas locum sibi uendicat, cuius septentrionales partes Tracheæ Ciliciæ oppositæ sunt, ibiq; continenti proxima est: Orientales Isico sinui, occidentales Pamphylicum alluit pelagus, australes Aegyptium. Ambitus insulæ trium millium & quadringentorum ac uiginti stadiorum in sinum se inferenti dicitur. Longitudo à Clidibus in Acamantem pedestri itinere mille, & quadringentorum stadiorum ab oriente in occidentem progrediēti. Clides duas insulas uocauerunt, ad orientales partes ante Cyprum sitæ, quæ à Pyramo stadijs distat septingentis. Acamas promontoriū est syluosum, quod duarū mamillarū speciem præbet, & in occidentalibus insulæ partibus sitū, tendit ad aquilonē, Tracheæ Ciliciæ proximum, tota insulæ figura parte altera longior est. Crōmyum promontorium Anemurio Ciliciæ Tracheæ promontorio per trecentorum & quinquaginta stadiorū opponitur, interuallum à Crōmyo usque Clidas nauiganti recta nauigatione, stadia septingenta insunt, insulam ad dexteram, continentem ad sinistram habenti. In hoc spacio Lapathus ciuitas fuit, statione prædita ac naualibus, Laconum & Praxandri opus, & iuxta eum Agidus & Aphrodisium, F

fium, atq; ibi insula angustissima: nã LXX. stadiorum interuallo ad Salaminam trãsitur. Deinde A chæorũ acta, quo primũ appulisse aiũt Teucrũ, à parte Telamone pulsum, q Salamina in Cypro cõdidit. Post ea Carpasia ciuitas, q̃ portũ habuit circa Sarpedonẽ ꝓmontoriũ sita. Deinceps mõs & ꝓmontoriũ, cuius summitas Olympus dicitur, in quo Veneris Acreæ tẽplũ fuit, q̃d nec adire, nec uidere mulierib. licuit. In frõte Clides & aliæ cõplures insulæ fuere. Postea Carpasiæ, & ultra eas Salamis, unde fuit Aristus historic9: ulteri9 Arsinoẽ ciuitas et port9, & ꝓmontoriũ Pedasiũ, cui collis altus & asp imminet, mẽsæ cuiusdã figurã ꝑbens, gẽtili more olim Veneri sacer, à Clidis sexcẽtis et octuaginta stadijs distãs. Postea sinuosa quædã & aspera ꝑternauigatio, qua Cetiũ iter erat, ciuitatẽ clauso portu prædita, ex qua Zeno fuit stoicæ sectæ autor, & Apolloni9 medicus, ex q̃ loco usq; Barutũ stadia mille & quingẽta cõputauere. Deinde Amath9 ciuitas & inter medio spatio oppidũ nomine Palæa, & Olympus mõs, qui mamillæ speciẽ præbuit, & Curias peninsularis, & Curiũ urbs ab Argiuis cõdita, quæ stationẽ habuit in occidẽtali parte insulæ, quæ Rhodũ respicit. Postea promontoriũ est, unde iaciebãtur qui Apollinis arã cõtigissent: tãta erat apud cæcã gentilitatẽ, nõ dei, sed dæmonis reuerẽtia. Vltra promontoriũ Treta fuit, & Boosura, & Palæpaphus ad decẽ stadia supra mare sita, quæ stationẽ habuit, & antiquũ Veneris Paphiæ tẽplũ, subinde Zephyriũ promõtoriũ, & altera Arsinoẽ cum statione & tẽplo, et luco: nõ ꝓcul à mari Hierocepia, et Paphus ab Agapenore cõdita, quæ portũ habuit, et tẽpla optime cõstructa, distãs à Palæpapho itinere pedestri stadijs LX. In qua uia uiri simul ac mulieres ex omnib. urbib. cõfluentes, festa quotãnis celebrabãt, quidã dixerũt Paphũ ab Alexandria distare per tria millia & sexcẽta stadia: adhuc urbs extat, & episcopũ habet, quẽ nos creauimus.

De Acama promontorio, Nicosia, Famagusta & Atraclensi hodiernis in Cypro urbibus, quod apud Colossum castellũ cucurbitæ nascantur, adeo ingentes quod ex eis picatis efficiantur dolia. Item quod æs, metallũ, uitriolum, rubigo æris, cãna mellis ex qua saccharum excoquitur, plurimum apud Cyprum abundent. Cap. XCVI.

POst Paphũ est Acamas ꝓmõtoriũ, unde incipit in orientẽ nauigatio, deinde Solus q̃ portũ habuit & flumẽ, & Veneris & Isidis delubrũ, Phalerus & Acamas Athenieſes eã cõdiderunt. Incolæ Solij dicebãtur, et fortasse ab his solœcism9 nomẽ accepit, quãuis in Cilicia eiusdẽ nominis ciuitas fuerit, cui hoc tribuitur, hinc fuit Stasanor Alexãd. sodalis, uir q principatũ meruit. Vlterius in Mediterranea ciuitas Limenia fuit, cui ꝓximũ erat Cromyi ꝓmontoriũ, unde circũnauigationẽ inchoauimus. Hæc fuerũt antiquarũ urbiũ nomina, hodie Metropolis & regia est Nicosia, q̃ nostris tẽporibus magnas calamitates ꝑtulit. Est & Famagusta, q̃ Genuẽses obtinẽt, et Paph9 de qua dictũ est, ubi Nimosiẽsis episcopat9 est: turris quædã extat, et tẽplũ dirutũ, uulgo Limisũ uocãt. Atraclẽsis ciuitas in mediterraneis fuit, nũc destructa est, quãuis habet episcopũ q uillis aliquib. ꝑest. Sũt & oppida q̃dã non cõtẽnenda, inter q̃ Cerines nominatur, in q̃ Ludouicus rex obsidionẽ ꝑpessus est, stadijs quatuor ab oppido mõs est, et in eo caput sancti Hylarionis custoditur ẽ regione Ciliciæ: nec ꝓcul hinc monasteriũ Græcorũ in q̃ sancti Epiphanij corp9 miraculis claret. Inter Paphũ et Limisũ, castellũ est munitũ nomine Coloss9 à Rhodijs custoditũ, ubi cucurbitæ nascũtur ingẽtes, de quib. picatis efficiũt dolia. Insula ferme tota australior est parallelo, q per Rhodũ ducitur, uirtute nulla insularũ inferior, nã et uino abũdat & oleo, frumẽti q̃q; satis habet, æris etiã metalla in ea ferũt, in q̃bus uitriolũ et rubigo æris nascebatur, ad medicinæ usum idonea. Cãna mellis multa in Cypro reperitur, ex qua saccharũ excoq̃tur. Ex pilis q̃q; caprarũ pãnus cõficitur, cui Zãbelloto nostra ætas nomen dedit. Multas res insula ad alias gẽtes mittit, ex q̃bus lucra nõ pauca redundãt, alienis nõ multũ eget, sed aẽrẽ parũ salubrẽ habet. Tota insula delicijs incũbit, fœminæ admodũ lasciuæ sunt. Trog9 autor est cõsuesse Cyprios uirgines suas prius q̃ nuptui traderẽt exteris, nautis insulã petẽtib. offerre, ꝓstituras q; demũ uiris dare: ut nõ ab re sacrã Veneri Cyprũ dixerit antiq̃tas. In initio p singulas urbes tyrãni fuerũt, sed postq̃ Ptolemaici Aegypto potiti sunt, Cypr9 etiã fauẽtib. Roman. in eorũ ditionẽ cõcessit. Postrem9 Ptolem. cũ ingratus erga bene merẽtes inuẽtus esset, sublat9 est, & Rom. insulã occuparũt, & ꝓuinciã prætoriã fecerũt. Tollẽdi regis autor fuit P. Claud. pulcher, q à Piratis Cilicib capt9, imperato sibi redẽptionis ꝑtio, misit ad regẽ ut se redimeret. Ille ꝑtium adeo exiguũ remisit, ut Piratæ id accipere recusauerint, Publiũq; sine ꝑtio dimiserint. q liberat9 gratiã utriq; retulit. Nam creat9 pleb. tribun9, euicit, ut M. Cato in Cyprũ mitteretur, eã à rege ablatur9: Ptol. re intellecta seipsũ interfecit. Cato insulã accepit, & regis opib. uenũdatis pecuniã in pub. ærariũ detulit. Cypr9 diu postea ꝓuincia fuit, quãuis paruo tẽpore interiecto, Antoni9 eã Cleopatræ et sorori ei9 Arsinoẽ tradidit. Sed breui omnia eius acta rescissa sũt, postq̃ man9 sibi cõsciuerit: antiqua hæc sunt, & noua digna relatu, quæ paucis absoluemus.

Historia de bello apud Cyprum facto. Item quomodo Iacobus Cyprius nothus, Soldano fœdum & execrandum præstitit iuramentum. Cap. XCVII.

CYprus cadentibus rebus Romanis diu sub imperio Græcorũ fuit, qui post Cõstantinum apud

Hylarionis sancti caput.

Byzantium regnauere. Ricardus Angliæ rex Græcos ex insula deiecit, cũ Hierosolymã classe petẽs, eo tẽpestate delat⁹ portu ꝓhiberetur. Indignat⁹ enim arma q̃ in Saracenos parauerat, in Græcos uertit, eisq; insulã abstulit, spoliatãq; firmo suorũ præsidio cõmunitã reliq̃t. Nec diu postea Guidoni Lusiniano genere Gallico, q̃ de Hierosolymitano regno cõtẽdebat, eam ꝑmisit: quã ille ab Anglico acceptam, sibi & posteris suis usq; in hæc tempora obtinuit, post uarias successiones regnũ ad duos fratres ꝑuenit, q̃rũ alter nomine Petrus, classe instructa, cũ Catelanis ac Gallicis Alexandriã Aegyptiorum inuasit: ingressusq; urbẽ mediam diripuit, & quãuis occurrentib. maximis Aegyptiorũ copijs fugæ se cõmiserit, ingẽtẽ tamẽ ꝑdam & ditissima spolia reportauit: nec diu postea à fratre interfectus est. Nulla enim sacta reperitur regni societas. Cruẽt⁹ fraterno sanguine rex cõstituitur, sed neq; ei lõga q̃es fuit, neq; impune cessit parricidiũ, nã cũ solẽne conuiuiũ instituisset (q̃d annis singulis instruere mos erat) ingẽs calamitas obtigit. Inuitati Genuensiũ ac Venetorũ mercatorũ iudices, q̃s Baiulos appellant, magna inter sese cõtentione de priori cõsessu certare cœperũt. Cũq; rex Venetis ꝓpensior uideretur, indignati Genuens. armis suam dignitatẽ retinere statuerũt, atq; in regiam tectis sub ueste gladijs ꝓfecti sunt, q̃d intelligẽtes Venetorũ primores. regẽ adeunt, atq; insidias suo capiti paratas dicunt, & idcirco iuuentutẽ Genuensiũ armatã intrasse palatiũ. Rex missis e uestigio q̃ rem inq̃rant, inuentos cũ armis Genuens. in sublimẽ palatij locũ rapi iubet, atq; ex altissimis fenestris in forũ ꝑcipitari, statuta militũ cohorte, q̃ lanceis atq; gladijs cadẽtes exciperet, tantũ maligna potuit accusatio. Reliqui etiã per Cyprũ cõmorantes Genuenses ꝑquisiti ac necati sunt, ita ut uix unus ex tanta clade superfuerit, q̃ rem gestã in patriã renũtiaret. Accepit tamẽ dux Genuensiũ ac senat⁹ paulopost atrocem suorũ ciuiũ iniuriã, atq; in ultionẽ erectus, intra XL dies potentissimã classem armauit, & in Cyprũ misit. cuius aduẽtus eodẽ fere tẽpore, & uisus est & audit⁹. Trugosius. q̃ classi ꝓfectus erat, expositis in terrã copijs, mox Nycosiã ꝓfectus ægre defensam cepit, breuiq; regẽ ac reginã, & uniuersam insulam in potestatẽ suam redegit: et interfectis nephandi cõsilij autorib. ingẽti ditat⁹ ꝑda, maiori cũ gloria, et breuiori tẽpore quã speraretur, domũ redijt. Rex cũ cõiuge aliquandiu in carcere seruat⁹ est, et regina prægnans in captiuitate peperit: tandem uenia regi data est, & regnũ tributariũ factum est, & urbs nobilissima totius Cypri emporiũ Famagusta, de regno recepta, Genuẽsi populo applicata, portu & uectigalib. diues. Puerũ regi natũ Ianũ appellauere, quod in Genua natus esset, quã nostra ætas Ianuam uocat. Aduersus hũc cũ patri successisset, in ultionẽ direptæ Alexandriæ Soldanus Aegypti Melchella ualidissimã classem transmisit, q̃ ueluti tẽpestas horrida cũcta corrupit. Cypros occurrere ausos prostrauit in campo. Ianũ regẽ captiuũ abduxit, Nycosiã regni caput diripuit, ecclesias incẽdit, & omnẽ ferme populũ rapuit in seruitutẽ, uacuas urbes & insulã pene solã reliq̃t. Rex postea centũ & uigintiquinq; millib. aureis redẽptus, et tributarius Aegyptiorũ fact⁹, in regnũ redijt. Sed dũ insulã Aegypti spoliarẽt, & eorũ nauigia paucis custodib. seruarẽtur, in littore nauis Veneta, q̃ peregrinos q̃tannis Hierosolymã uehit, uoto pacto rediẽs huc applicuit, et paulòpost sex Catelanorũ naues aduentarunt, quarũ patroni Venetũ allocuti, ei suaserunt, ut signa deponeret, simulq; classem Aegyptiam aggrederetur: futurũ ut opulẽta spolia referret, paruit Venet⁹, sed inter noctis tenebras Catelanis mutato cõsilio dilapsis, redeũtes in ortu lucis ad litt⁹ Aegyptij, nauẽ Venetã solã, & sine signo inuẽtam adoriũtur, ac breui expugnant, iubẽtq; peregrinos q̃ aderant, si uiuere uelint, erectis digitis Christũ negare, mira uirt⁹, nemo repert⁹ est, q̃ pluris uitã quã fidẽ fecerit: ob quã rem uiri triginta, qui ꝓlio superfuerant, uincti deponũtur in littore: atq; ibi lapidib. cæsi & obruti, usq; ad ultimũ spiritum Christo benedixerũt. Felix exitus, & optimo cuiq; optandus. Fœminas in captiuitatẽ ductus, apud Alexandriam Veneti mercatores redemerunt, inter quas una ex nostratibus fuit Corsiniani nata, uidua & sancta mulier, quæ domum reuersa, hæc nobis à se uisa narrauit. Ianus per tot aduersa uitam agens, tandem relicto filio impubere Ioanne mortem obijt. Filius inter fœminas educatus, cum uirilem ætatem attigisset, mulierem se magis quã uirum ostẽdit: inter epulas atq; delicias languens, semper sub tutoribus & curatoribus uixit: uxorẽ tamen duxit ex familia mõtis ferati, quæ ubi in Cyprũ uenit peractis nuptijs, siue aëris intẽperie, siue ut fama fuit ueneno extincta est, & comitatus eius pene uniuersus interijt, nec postea repertus est ex occidẽtalib⁹ regibus, qui suã sibi filiã despõdere uellet. Ad Græcos igitur itũ, et in Peloponẽso quæsita cõiux, ex Paleologorũ prosapia Helena nomine, ingeniosa & cordata mulier: uerũ Græca instituta ꝑfidia, latinis inimica sacris, & Roman. hostis ecclesiæ. Quæ ubi cõsũmato matrimonio uiri uecordiã cognouit, nõ tã reginã quã regẽ egit, regnũ ipsa gubernauit, magistrat⁹ deposuit atq; instituit. Sacerdotia ꝓ suo arbitrio ordinauit, & eliminato Latino ritu, Græcanicũ supinduxit: belli pacisq; leges dixit. Viro satis fuit cõuiuari, delicijsq; affluere, atq; in hũc modũ uniuersa insula in potestatẽ Græcorũ redijt. Potẽtissima apud reginã nutrix ei⁹ fuit et apud nutricẽ fili⁹, apud quẽ summa regni esse uidebatur. Cũ is matrẽ, mater reginã, regina regẽ regeret. Io

annes

Venetorum & Genuẽsiũ cõtentio.

Christiani peregrini pro Christi fide lapidibus obruti.

Helena Paleologa Rõ. ecclesiæ inimica.

anni ex cōcubina Iacob. nat9 est magni spirit9 adolescēs, ex coniuge Carlotā tm̄ suscepit: quæ postq̄ adoleuit, Ioāni regis Portugalliæ patrueli nupsit. Vir ei9 cōsensu ꝓcerū in regnū accersit9 est, q uiuēte socero rē administraret. Iā enim muliebris regiminis nō minus tedebat populū q̄ pudebat. Aduentāte igitur Ioāne, celebratisq; nuptijs, cūcta in eius manu posita sunt, & forma regiminis correcta, diuina & humana reformata negocia, Roman9 ecclesiæ ritus instauratus, Regiæ ac nutrici adēpta potestas. Nutricis fili9 noui principis faciē uerit9 Famagustā cōcessit. q̄ ex loco matri suasit, ut si se cū filio saluā uellet, Ioan. ueneno extingueret: q̄ uiuo sperare uitā ipsa nō posset: nec surdo cātata fabula est. Venefica mulier cōsētiēte regina (ut fama est) nobilissimū principē toxico sustulit, atq; ita priores illecebræ et dānata Helenæ impia redierūt. Filius q̄q; nutricis gloriabūdus ex Famagusta rediēs, q̄si domin9 et rerū omniū moderator recept9 est. Qui Carlotā ludibrio habēs multis eā cōtumelijs affecit: illa ad fratrē cōfugiēs suas cōquesta calamitates, opē petijt. Iacob9 nō tā sororis gratia q̄ regni sibi parādi græculū cūctis insultantē sua manu interfecit, cœpit cū amicis id agere ut rex appellaretur, q iāpridē in animo gesserat: ut primū em̄ sapere aliqd cœpit, uidēs patrē mentis inopē, ex matrimonio uirili ꝓle carere ad regnū aspirauit, indignū existimās, aut sororē sibi, aut sororis uirū p̄ferri. Quod præsagiēs Helena, uiro p̄suaserat, ut filiū regni cupidū extra matrimoniū natū, ecclesiæ traderet, ac sacris ordinib. iniciaret, sic futurū ut regnādi spē poneret. Vacua p̄ id tēporis pastoris regimine ecclesia Nicosiensis erat. Hāc igitur Iacobo spōdent, postulantq; in præsulē curāt, atq; in possessionē deducūt, q Romana ecclesia nunquam ratū habuit: sed post græculi cædē regina et nutrix aduers9 Iacobū insurgētes, eū urbe regia pepulerunt. ille apud iudicē Venetorū aliq̄diu latitās, tandē apparato nauigio cōcessit in Rhodū, quo in loco nō sine honore habit9 est. Interim Carlota suasu matris ac procerū Ludouico Sabaudiæ ducis filio nubit, eūq; quā celerrime ad se ꝓficisci hortatur. Medio tēpore Iacob. spe regni amissa, per amicos apud Nicolaū pontif. maximū instat, ut ecclesiæ Nicosiēsi p̄ficiatur: sed Helena & Carlota cōtranituntur, negantq; sanguinariū hominē, et qui regnū seditionib. agitet in ecclesiæ militiā recipiendū. Literæ casu à Iacobo intercipiūtur, qui cōtracta amicorū nō parua manu, in Cyprū nauigās, clam regiā urbē ingreditur, eorūq; domos adiens, q̄s sibi norat infensos cūctos interficit: bona inter amicos partitur, et tanquā uictor in ciuitate moratur. Regina interim moritur, & paulopost rex uir muliere corruptior, quāuis forma et habitu corporis regio dign9 honore uideretur. Sed q̄ erat exteriori decorus specie, tā fuit ignauus & turpis animus. Inter hæc turbato multifariā regno, accersit9 crebriorib. nūcijs Ludouicus apd' Venetias classe parata, in Cyprū nauigat, magnoq; omniū applausu ac fauore rex appellatur. Iacob. eius aduentū haud quaq̄ expectare ausus, cōsilio & ope (ut aiūt) Marci Corarij potētis amici, q sibi nauigiū cōcessit, cū amicis ferme centū in Alexandria nauigauit, Soldanū q̄ primū liceret cōuenturus, eiusq; opē imploraturus. Soldanus missis obuiā primorib. suæ curiæ, eū ad se q̄ celerrime uenire iussit, & magnis honorib. uenientē accepit. q ut in cōspectu dat9 est: Supplex (inquit) ad te cōfugio regū maxime atq; potentissime. Tu mihi dominus es, & ut clemētia tua spōdet adiutor & tutor eris. Ioannes pater me9, qui tibi quotānis tributū pēdebat, superiorib. dieb9 è uita decessit, nec p̄ter me uirilē sobolē reliquit. Soror mea uirū sibi ex Gallis accersiuit, eū Cyprij regē susceperūt, me posthabito, quē regnare par fuerat. Sed tuū est regnū Cypri, tuū est diffinire quem regnare oporteat. Natura masculis nō fœminis imperiū dedit, nec æquitas p̄mittit regū filios extraneis cedere. Respice oro fortunā meā, nec me regē natum, regno priuari sinas: paternā hæreditatē à te postulo, qui me9 iudex es: nisi causam meam suscipis, exul à patria, regius sanguis mēdicabo panē. Indigna hæc tuo nomini inuretur nota, q̄ subditorū iustas causas nō defenderis, nec è re tua fuerit, me repulso cuius maiores seruire tibi didicerunt, Gallicū hominē Cypriorū regno præesse, nosti superbiā gētis, & quanta Aegyptiorū imperio attulerint Gallorū classes incōmoda: nunq̄ Alexandria, aut aliæ maritimæ urbes pacē habebūt, tenentibus Cyprū occidentalibus regibus. Quod si me foueas, tā tua Cyprus q̄ Aegyptus erit: nec tu difficilem rē crediderís, paternū atq; auitū regnū mihi restituere. Multi sunt qui meis reb9 student, nec aliud optāt quā tuo fauore præditū, me redeuntē cernere. Parua me classis in soliū paternū collocabit: satis amicis meis fuerit tua signa uidisse, & tuis auspicijs bellū geri, cætera ipsi expediēt: nec dubita, breui me seruū tuū Cypri regē uidebis, tantū facito, ut te uelle intelligā. Mouerunt ea uerba, non Soldani modo, sed omniū qui aderant animū, nec quisquam fuit qui non indigna pati adolescentem arbitraretur, eiq; subueniendum existimaret. Erat enim Iacobus duos & uiginti natus annos, forma egregia & statura corporis patri per quàm similis: uerum animi dotibus & eloquentia longe dispar. Placuit igitur subuenire supplici, moxq; regijs ornamentis allatis, Iacobus ueste purpurea indutus, cæterisq; insignibus adornatus, quibus regibus uti mos est, in conspectu Soldani, & omnium procerum rex declaratur: ac per urbem circumductus, præcipuis honoribus cumulatus est, classe decreta, quæ illum mox in Cyprum ueheret: prius tamen literæ in hanc sententiam Soldani nomine ad Ludouicum

Ioānes ueneno extinguitur.

Exteriori speciei ignauū plerunque animū significat.

Iacob9 à Soldano ueste purpurea induitur.

scriptæ sunt. Venisti ab occiduis partib. ut alienũ regnũ in oriẽte inuaderes, paterna hæreditate filiũ exueres, uana est cogitatio tua: Cyprus mihi uectigalis est, et meũ de rege iudicare. nisi q̃ primũ abieris, Aegyptio peribis gladio. Si uxor tibi cordi est, potestatem facio, ut eam tecum auferas: si tamen prius recesseris, quã secũdo monearis. His acceptis toto regno trepidatũ est, ingẽsq; mœror omniũ mentes peruasit, cũ neq; Soldani iussib: resistere possent, neq; sine turpitudine obedire. Postremo cũ remediũ nullũ aliud inuenirẽt, Legatos ad Soldanũ mittere placuit, qui eius mẽtẽ lenirẽt: miserũt et simul Rhodij uiros ex religione primarios, qui apud Cairũ cõuento Soldano Ludouici causam humilib. uerbis defendere conati sunt. Nil eũ de iure Soldani ablaturũ uenisse dicẽtes. Ioannẽ Cypri regẽ Carlotã filiã unicã ex matrimonio suscepisse, q̃ secundũ Christianas leges reliqsset hæredẽ: Iacobo ex cõcubina nato, regnũ nequaq̃ deberi maritũ pro cõiuge coronæ iura sortiri: hortari ne regni cõsuetudines confunderet, neue Christianis Christiana inter se iura negaret. Ludouicũ Soldano in omne tẽpus amicũ futurũ, tributũq; suis temporib. præstiturũ, Iacoboq; decẽ millia aureorũ singulis annis quoad uiueret traditurũ. Res diu in cõsilio apud Soldanũ agitata est, & iã eo uentũ erat, ut postulata Ludouici admitterẽtur, triginta millib. aureis superadiectis: hãc enim summã loco impensarũ Soldanus exposcebat, nec Ludouic9 pro redimẽda pace abnuebat. Sed ambiẽs Iacob. modo istos, modo illos amicos, ac Soldani fidẽ accusans, q se pauloante regẽ declaratũ desereret, Gallicæq; perfidiæ proderet. Purpuratos quosq; in curia potẽtes hortabatur, ut Soldano suggererẽt, ne Gallicis oratorib. auscultaret, neue se semel in fide relinqueret. Aderat ei Soldani fili9 æqualis ætatis, q eius fortunæ miserebatur. Aderãt et tres Mamaluchi in palatio potentes, qui præcib. assiduis Iacobũ cõmendabãt. Sed parũ eorũ conamina ualuissent, nisi Mahumetis Turcarũ impatoris legat9 opportuno in tẽpore affuisset, q uerba huiusmodi habuisse fertur. Accepit amicus tuus Turcarũ imperator Mahumetes, te Iacobũ Cypri regẽ appellasse, eũq; in patriũ regnũ statuisse restituere: digna res, quæ de tuo solio manaret, et nostræ religioni accommoda. Sed renuntiatũ postea est, te mutato consilio pacẽ cũ rege Gallico pacisci, & quẽ iuuare cœpisũ uelle deserere, tanq̃ ignores quãto persequatur odio gentem nostrã Gallic9 sanguis: neq; Gotfridi Balduuiniue, aut aliorũ eiusce gẽtis facta mente teneas, q sæpe maiores nostros magnis cladib. affixerunt. Vide quid agas. Si pax tibi cũ Gallico genere cordi est, cũ nostro bellũ expecta, nec tibi cũ solis Turcis inimicitias futuras putes. Aegyptij, Syrij, et Arabes, quib. præes. summo te odio prosequẽtur, nec tuus tibi filius hærebit, qui religionẽ nostrã Gallicano sanguini prodideris: ꝙ si promissam fidẽ Iacobo seruaueris, classemq; pararis in Cyprios, Mahumetes quoq; alterã parabit in Rhodios & utriusq; insulæ spolia tua erunt, solũ tantũ insulæ Rhodiæ Mahumetes sibi seruatũ cupit. Placuerunt Soldano Turcæ oblata, atq; in eius postulata cõsensit. Apparata est è uestigio classis, et Iacob. cũ magna militũ manu in ea uectus Cyprũ appulit: nõ tulerũt eius impetũ Galli, q̃uis Rhodios adiutores haberẽt: neq; ausi apud Nicosiã expectare, in castellũ ꝙ Cerines appellatur sese receperũt. Iacob. reliqs omnib9 in potestatẽ recepis, obsidionẽ aliquãdiu circa castellũ tenuit. Deinde spe potiũdæ munitionis deposita, dimissis custodib. q Gallos ab incursione ꝓhiberet, Nicosiã reuers9, ad reformationem regni se cõuertit, Legatosq; ad nos misit, q multa peterẽt faciẽ honestatis habẽtia. Sed re uera nil aliud q̃rebat, q̃ Christiani regis apud sedẽ apostolicã nomẽ usurpare: sed cõtra illi euenit quã putabat. neq; ẽm oratores suos tanq̃ regios admisimus, cũ accepissem9 eũ Soldano ægypti, eo tẽpore quo regnũ ab eo suscepit, turpissimũ iuramentũ præstitisse. Adiurato eñ quadragies deo (ut accepim9) sic ait: Per deũ magnũ & altũ, misericordẽ, & benignũ formatorẽ cœli & terræ, & omniũ quæ in eis sunt, et q sancta hæc euãgelia, per sanctũ baptisma, per sanctũ Ioannẽ baptistã, atq; omnes sanctos, & per fidẽ christianorũ promitto et iuro, quod omnia quæ nouero, aperta erunt domino meo altissimo Soldano Aegypti, et totius Arabiæ imperatori, Alesseraplio Asnali, cuius regnũ deus fortificet, ero amicus amicorũ suorũ, & inimicorũ inimicus. Nihil enim celabo, neq; Piratas in regno meo patiar, neq; his uictũ aut auxiliũ dabo. Aegyptios q meo in regno seruiũt emã, et libertate donabo, auri quinq; millia nummũ in Calẽd. Septẽbris aut Octobris, tributi nomine in tẽplis altissimis Hierusalẽ et Lamech singulis annis offerã. Colosseos ꝓhibebo, ne Piratis arma ministrẽt: q̃cunq; digna cognitu nouiter emerserint, Soldano renũciabo, in iustitia, et ueritate Pædami, nihil mea in parte fraudulentũ erit. ꝙ si aliquid horũ neglexerim, ero apostata & mandatorũ sancti euãgelij Christianæq; fidei ꝑuaricator, dicã euangeliũ falsum esse, negabo Christũ uiuere, et matrẽ eius Mariã uirginẽ fuisse, sup fonte baptismatis Camelũ interficiã, et altaris presbyteros maledicã, diuinitatẽ negabo, et illæsũ nuntiũ humanitatẽ adorabo. Sup altari cũ Iudea fornicabor, & sanctorũ patrũ maledictiones omnes in me recipiã, hoc iuramentũ in scriptis redactũ, et ex Arabica lingua in Latinã traductũ, Legati Rhodiorũ uiri præstãtes ad nos detulerũt, asserentes certissimũ esse, ita Iacobum apud Cairum Soldano iurasse: propter quam rem Oratores eius multum increpatos absq; honore remisimus. Carlota interim quæ Rhodũ petierat, cõparatis aliquibus

Legati Iacobi ad Papã Pium II.

Iuramentũ turpe.

A aliquibus auxilijs, cum noua militum manu quam socer ex Sabaudia miserat, ad uirum quem Cypri reliquerat apud Cærinem redijt, eo proposito ut Nicosiam peteret, nõ parua spe freta recuperandi regni. Iacobus consilijs eius exploratis, iter intercipit, consertoq; prælio multos Gallorum interficit, reliquos in castellum repellit, quo in loco usque in hanc diem Ludouicus obsidionis incommoda fert, reliquæ partes insulæ Iacobo tanquam regi parent, excepto Colossi oppido, quod Rhodij tenent, & Famagusta quam Genuensium esse diximus. Carlota uiro apud Cærinem dimisso Rhodum contendit, & deinde plena calamitatis ad nos nauigauit, sibi & uiro ut consuleremus non sine lachrymis orans, nã & ipsa multa in mari aduersa pertulerat: nos qua potuimus humanitate prudentem sane & cordatam fœminam consolati sumus. Vinum & triticum quod regi mitteretur obsesso apud Ancona obtulimus, & sibi quæ omnium rerum erat indigna equos & mulos coëmimus, & uiaticum dedimus, quo in Sabaudiam (ut reginam deceret) proficisceretur ad socerum: auxilia quoque polliciti, quibus in regnum restitui posset, si nostris cõsilijs uteretur. Facile nanq; exulibus regibus cõmisereri scimus. Sed digna dei ultio. Nam cum nos apud Mantuã cõuentũ ageremus, regesq; hortaremur, ut in tutelã regionis assurgerẽt, neq; hinc Turcas, inde Sarracenos in Christianos sæuire permitterent. Huius Ludouici pater, qui multa promiserat, inter primos repertus est, B qui orthodoxæ fidei auxilium negauere. Ipse quoque Ludouicus adolescens, cum per Padum nauigaret, essetq; Mantuæ propinquus, in eo loco ubi Mincius Pado miscetur, haud quaquam dignatus est nos uisere, aut nostram benedictionem exposcere, quibus ex rebus sæpe oratores Sabaudienses allocuti, eorum facta damnauimus, futurumq; diximus, ut in pœnam eorum quæ pater faceret filius regnum amitteret, frustraq; opem ab alijs peteret, quam suus pater negasset ecclesiæ, sicut postea cum magno religionis damno secutum est.

Carlota cum militũ manu ad uirũ redit.

Quo iure Soldanus Cyprum, & Turca Rhodum sibi pertinere dicãt. Item disputatio qui primum populi Asiam minorem coluerint, quiq; duces apud eam armis præcipuæ claruerint, Cap. XCVIII.

HAec habuimus quæ de Cypro diceremus. Aliquanto longius quàm consueuimus propter historiam nostri temporis, quæ non uidebatur negligenda, quod etiã in alijs locis facturi sumus, ubi nostra ætas aliquod habuerint memoratu dignum. Soldanus suam esse Cyprum dicit & Rhodum, propter Hierusalem, de cuius regno has insulas esse putant: & cum ipse Hierosolymam possideat, ad eas quoque ius sibi competere arbitratur. Turcarum imperator de Cypro nihil aduersatur, Rhodum uero sui iuris esse contendit, qui uicina in continenti littora obtinet. Antiqui & Rhodum & CyC prum Asiæ tradiderunt, quibus nulla continens propinquior est. Nam Rhodus Cariæ, Ciliciæ Cyprus obijcitur, quæ Asiæ partes existunt. ¶ Asiam ipsam minorem qui primo coluerint non satis certum est: quidam indigenas putant, nos ex Syria primos cultores aduenisse arbitrantur, quando ex unis parentibus omnes originem ducimus. Illi uero in terrestri paradiso creati, atque illinc eiecti in Damasceno primum agro locati sunt, indeq; genus humanum. Nisi Armenica magis origo alicui placeat, quia in arca Noë seruata sit humana caro, & illa in montibus Armeniæ cessante diluuio requieuerit, unde rursus propagati homines ad colendas prouincias exierint. Sed omnes ab Adam prognati, qui filios Noë sui generis autorẽ faciunt. Ante Troianum bellum cultores Asiæ inter primos memorantur Caucones, quos alij Pelasgos, alij Scythas fuisse tradunt: hos Bebrices è Bithynia pepulerunt, Bebrices Mariandyni cum Paphlagonibus, ex quibus Mariandyni exiuerũt & Heneti. Nobilis Paplagonũ natio. Mygdones Olympi cultores, quæ Boreã respicit, & Doliones inter Rhyndacũ habitantes & Aesapum: et Mysi qui ex Mysia profecti sunt Europea, apud Danubiũ sita: & Lydi, qui & Mæones appellati sunt, & antiquiores q̃ Mysi credũtur, & ab aliquib. Mysorum patres existimati sunt. Asiæq; indigenæ: & Leleges, qui per insulas habitãtes sub Minoë Cretensi fuerunt, postea incontinentẽ Asiæ migrãtes, australe inde latus usq; Assum, et deinde usq; ad Caicũ & Her-

Qui primum populi Asiam coluerint.

& Hermum, oram maritimam tenuere: & Cares qui prius Leleges esse putantur & insulares, postremo terrestres facti apud Mæandrum sedes obtinuere: & Phryges qui ex Thracia profecti, primo Sangarij ripas habitauere, deinde ad orientem Mediterraneam petierunt: & Lycij, qui prius non procul ab Ilio sortiti sedes, in duos diuisi principatus, denique ultra Taurum migrasse creduntur: & Teucri quos alij ex Creta, alij ex Attica ortos existimarũt, et circa Amaxitũ habitauerũt: et Cilices qui sub Hectore fuerũt Thebam colentes. Ilio proximi, quo deleto, Taurum transiuere: & Dardani sub Aenea & Antenore constituti, Idæ accolæ: & Cetij prope Caicum sub Eurypilo militantes: & Pelasgi qui Larissam Cumanam prius coluere. gẽs ab origine Thessalica, quæ postea multum creuit, & tamẽ cito defecit: & Solium in Mediterranea supra Cares ad Taurum habitantes: & Leucosyri ultra Halym in Ponto collocati: et Amazones, quæ Themiscyræ campos incoluere: & Calybes, qui montes Pharnariæ & Trapezunti riuos insederunt. omnes huiuscemodi gentes ante bellum Troianum in Asia fuisse traduntur. De Lycaonibus, & Cappadocibus & Cataonibus, & Armenijs, & Pamphylijs, & Pisidibus, & Isauritijs, & Thracibus qui Cimmerij fuerunt, & Magnetes deleuerunt, & alijs compluribus incertum est. Aeoles, & Iones, & Dores, & Macedones, & Galatas nemo dubitat post cladem Iliacam in Asiam peruenisse: quæ frequenter externo subiecta imperio, aut raro, aut nunquàm regem pertulit in armis clarum, cuius uetusta origo Asiatica fuerit: siue quod imbelle genus hominum facile iugum subijt, siue quod regionis ubertas externos reges ad eam acquirendam, summis conatibus attraxit. Nam priusquàm Troia Græcorum armis rueret, multi Asiani externi reges inuaserunt. Iupiter, siue Cretensis fuit, siue (ut alij uolunt) Aegyptius Asiæ imperium adeptus est: et Hercules ille primus, & Dionysius quem Bacchum uocauerunt, & Osiris, quem cum superioribus stulta Aegyptus tanquam deum coluit. Sesostris quoque rex Aegypti Asiam sibi subiecit, & Idam Tyrsus Scytharum rex, qui sibi & successoribus suis per mille & quingentos annos uectigalem Asiam fecisse traditur, & Amazones Scytharum soboles, magnam sibi Asiæ partem uendicauerunt, & Ninus rex Assyriorum usque ad Hellespõtum cum exercitu peruenit, omnemq; Asiam domuit, quæ & sibi & successoribus usque ad Teuthrantem paruit, sub quo Troianum bellum exortum est. Teuthras autem per legatos à Priamo requisitus Memnonem Tithoni filium cum decem millibus Aethyopum, & totidem Susianis, ac ducentis curribus in auxilium misit, cum amplius mille annis Asia sub Assyrijs fuisset. Hercules etiam Alcmenæ filius Troiam depopulatus est. Sed neque Hercules, neque Agamemnon in Asia imperium continuarunt, qui habita uictoria in uarias regiones dispersi sunt, quẽadmodum & Cimmerij, qui multas in Asia ciuitates desertarunt, nec totam Asiam occuparunt: sicut neque Iasonis socij, quamuis aliqua loca obtinuerint post Troiam deletam. Lydorum res magnæ fuerunt, apud quos Mydas, Gyges, & Alyates, & Crœsus rerum potiti sunt: deinde Persæ horum imperium deleuere, qui usque in Græciam penetrarunt. Persas uero Macedones deiecerunt, & ipsi à Romanis pulsi sunt. Post Romanos Græci Asiam obtinuerunt, cum apud Byzantium imperij sedem Constantinus posuisset. Græcos autem Turcæ eliminarunt, quos Tamerlanes (ut ante diximus) magnis affecit cladibus, sed tanquàm fulgur (cum omnia pertriuisset) breui defecit, & res ad Turcas sine controuersia redijt.

Qui post cladem Iliensem in Asiam uenerunt.

D E F

De Mithridatis Eupatoris laudibus admirandis, Item de mulieribus in Asia clarissimis, Cap. XCIX.

INter Asiaticos autem qui armis claruerit, unum reperimus cunctis excellentiorem, & cui pauci possint æquari, Mithridatẽ scilicet Eupatorem, cuius progenitores Pontici fuerunt, & ipse apud Sinopen natus educatusq; est, & ibi tandem sepultus. Ad hunc puerum (ut Apianus Alexandrinus scribit) & parentibus orbatum principatus translatus est, qui mox ut adoleuit, finitimos Barbarorum populos in potestatem suam redegit, Scytharum non paucos sibi subiecit, in Romanos per quadraginta annos uarijs euentibus bellũ gessit, Bithyniam & Cappadociã non semel adeptus est: Asiã Phrygiã, Paphla-

In Romanos 40. annos bellum gessit.

A Paphlagoniam, Galatiam ac Macedoniam cũ in Græciam transisset, potenter inuasit, multa & præclara egit, mari à Cilicia ad Ionium usque dominatus est, quoad Sylla intra paterni regni limites eum inclusit, centum & sexaginta millibus hominum bello sibi ademptis. Inter lubricos prolapsus casus minime animum posuit, bellũ facile instaurauit, cum optimis ducibus prælio decertauit, à Sylla quidem & Lucullo Pompeioq; uictus, sæpenumero magnas illis intulit clades L. Catium, & Q. Oppium, & Manium Acilium captiuos sibi deditos palam circunduxit, quo ad illum qui totius belli causa fuerat interemit, reliquos Syllæ tradidit. Vicit Fimbriam ac Murenam, Cottam quoque consulatu illustrem, & Fabium ac Triarium. Ingenium illi ad res difficiles præcellentissimum fuit inuictus sæpe minime ab incepto destitit, nec una uia Romanos aggressus est. cum Celtis fœdus iniit, & Sertorium in Hispaniam misit: per insidias siue ab hostib. siue ab aliis ferro impetitus & saucius, nullo tamen ab opere cessauit. Sanguinolentus & crudelis in omnes fuit, nam matrem, fratrem, ac filios tres impuberes totidem filias interfecit. statura ingenti fuisse traditur, ualetudine prosperrima usus usq; ad ultimum uitæ tempus, æquitare, iaculari, ac mille stadia equis per interualla dispositis una die discurrere, currus sex & decem equis agitare. Græcis imbutus disciplinis, & ob id sacris eorum usus, musicæ præterea deditus, sobrietatis eximiæ, in pluribus laborumq; patientissimus, solum mulierum deuictus illecebris. B His moribus Mithridates cum orbis plurimas & præclaras regiones cladibus inuoluisset, postremo desertus à suis, & filii fraude circumuentus, ad ueneni remedia conuolauit, quibus non satis celeriter opitulantibus, quod antydoto assuefactus erat, à Buthico quodam Celtarum duce, ut se ferro interimeret precibus impetrauit, atque ita rex quondam potentissimus, è uita decessit, sextus decimus à Dario ultimo Persarum rege, octauus siue sextus à Mithridate illo, qui à Macedonibus defecit, & Ponti regnum sibi uendicauit. Vixit annis octo siue nouem supra sexaginta, in quibus per septem & quinquaginta regnum tenuit, consensu Pompei regali sepulchro apud Sinopen conditus, & solennia funeris magnifice consecutus, sed neque is uetusta origine Asiaticus fuit. Mithridates enim qui primus Cappadociæ Pontiq; regnum inuasit, è genere Persarum regio fuisse traditur. Fuerat ille Antigoni amicus. Antigonus uero cum per somnum sese agrum auro serere uidisset, & Mithridatem aurum metentem in Pontum recedere, expergefactus, illum interficere conatus est. Mithridates cum sex duntaxat equitibus fugiens, quendam locum Cappadociæ muniuit, multisq; illuc per Macedonum incuriam confluentibus, Cappadociam finitimasq; circa Pontum tenuit nationes. Postremo imperium in maius propagatum filiis tradidit, quod uicissim unus ab alio suscepit, usque ad Eupatorem, qui eiam Dionysius uocatus est, de quo modo locuti sumus. Mulieres in Asia clarissimæ ante omnes fuerunt Amazones, quarum C genus è Scythia profectum diximus. Deinde Artemisia Halicarnassi regina, quæ cum Xerxe aduersum Græcos bellum gessit. Postremo Pythodoris quàm supra in Ponto regnasse memorauimus, non possumus nõ Asiaticam dicere: eius pater Pythodorus apud Trallianorum urbem, ex priuato ciue magnꝰ euasit, & opes regias cumulauit. Nec nos latet plurimas Asiæ fœminas clarum nomen assecutas esse: sed inter eas quæ regnauerunt has præferimus.

Mithridates matrẽ, fratrẽ, filios tres impuberes & totidem filias interfecit.

Mulieres in Asia clarissimæ.

De Turcarum origine & moribus. Item de Ottomanorum progenie, Cap. C.

VErum quia de Turcis superius mentionem fecimus, ad quos ultimo loco imperium Asiæ delatum est, haud absurdum fuerit eiusce gentis originem recensere. Vt eorum confutetur error qui gentem Troianam Turcas esse affirmant, ac Teucros uocant. Turcæ (ut Ethicus philosophus tradit) in Asiatica Scythia ultra Pericheos montes, & Taracuntas insulas, contra Aquilonis ubera sedes patrias habuere. Gens truculenta & ignominiosa, in cunctis stupris ac lupanaribus fornicaria, comedit quæ cæteri abominantur. Iumentorum, luporum, ac uulturum carnes, & quod magis horreas, hominum abortiua. Diem festum nullum coluit, nisi mense Augusto Saturnalia. Romanorum imperium audiuit magis quàm sensit, quamuis Octauiano Augusto in auro

littoreo censum dedit,& id quidem sponte. Nam cum uicinas undique regiones annua D illi tributa reddere animaduertisset, nouum dierum ac temporum exortum esse deum arbitrata, munera illi quotannis misit. Hæc gens (ut Otho historicus tradit) imperantibus Græcis, & regnante apud Francos Pipino annis ab hinc supra sexcentis, non Caspias (ut ille ait) sed Caucaseas egressa portas, cum Auaribus ferocissima pugna, multis utrobique desideratis conflixit. Exin Pontum Cappadociamq; transgressa, ad reliquas finitimas gentes sensim illapsa est, nec multo post (quemadmodum Nicolaus Sagundinus ad nos scripsit) græcis ac latinis literis eruditus, eadem gens more latronum clandestinis quibusdam excursionibus uires sibi uendicans, occupatis montibus, & claustris opportunis, unde per occasiones faciles irruptiones fieri possent, usqueadeo emersit, atque sublata est animis, ut palam iam & pari marte aduersum finitimos de agri possessione certaret: & denique procedenti tempore non solum Pontum & Capadociam, uerum Galatiam, Bithyniam, Lycaoniam, Pisidiam, utranque Phrygiam, Pamphyliam, Ciliciam, Cariam, & omnem Asiam quæ minor uocatur, ultra citraque Taurum, ad oras usque Ioniæ & littora græci maris occuparet. Nec unum quendam principem, sed alios alij duces, & uaria auspicia per factiones secuti. ex hac gente trigesimum, ab hinc & centesimum circiter annum, Ottomanus quidam exigui tum census, & obscuri inter priuatos nominis, ex collectitio milite non ingenti manu per seditionem conflata, E grassari passim, ac non solum reliquias Christianas uexare, uerum etiam homines suæ gentis armis infestis petere, & sibi subdere cœpit: cuius conatibus orta inter principes graui discordia, felicem cursum præbuit. Ottomanus enim dum illi sese inuicem laniant, accitis undique omnibus, qui pro ingenio prædæ rapinarum cupidi essent, autoritatem breui & nomen adeptus, oppida non pauca, partim ui, partim seditione in potestatem accepit. Huic successit Orcanes, qui rem inchoatam à patre commode prosecutus, longe lateq; propagauit: quem secutus Amurates filius, duobus de Græcorum imperio disceptantibus, ab altero qui superari timebat in auxilium accersitus, cum ex Asia transisset in Græciã, consulto bellum protrahens, ubi ambos consumptis eneruatisq; uiribus fractos ac defessos animaduertit, uersis (ut aiũt) proris, arma in eos sine ullo discrimine per occasionem conuertit, & plurimum Græciæ sibi subiecit. Is uita functus duos reliquit filios Solmanum & Pazaitem, quem superius à Tamerlane captum retulimus. Solmano extincto res uniuersa ad Pazaitem deducta est, qui priusquàm caperetur res magnas in Græcia gessit: dimissus uero nihil memoria dignum egit, mortemq; in Asia inglorius obijt, cuius filij qui complures erant, in potestatem Græcorum uenere, cum capto patre periculum euasuri, ex Asia in Thraciam nauigare contenderent. Calapinus tamen natu maior emissus à Græcis regnum obtinuit, cui uita functo Orcani filio tenella ætate adolescentulo quorundam principum regnum occupare conati, Moyses pa- F truus, & ipse à Græcis dimissus, infestis armis occurrit, & magis proditione quàm pugna oppressũ, extinxit adolescentẽ. haud multo post, & ipse nullo superstite filio decessit, quem Mahumetes frater tertius ex Pazaite, filijs subsecutus regnum ingruente obtinuit: qui magnis rebus in Europa gestis, in Asia quoque complures Turcarum regulos ui atq; armis oppressos, regnis exuit. Huic defuncto successit Amurates filius, qui per tempus in Asia manens, audita patris morte, in Thraciam conatus traijcere, imperatoris Græcorum maritimo apparatu prohibitus est, & Mustaphas natorum Pazaitæ reliquus, ut rerum potiretur à Græcis liberatus, & summa ope adiutus. Sed Mustapha pugna superato & interempto, Amurates uictor uniuersum regnum obtinuit. Hic fuit Mahumetis qui modo regnat pater, utriusque res gestæ memoriam exposcunt, quas cum de Græcis agemus haud quaquàm reticebimus. hæc est Ottomanorum progenies, & Turcarum origo, qui quanquam ea loca possident quæ olim Teucri tenuere, non tamen Teucri appellandi sunt: alioqui & Dardanos, et Mysos, et Phryges, et multarum gentium quas uel in Asia uel Græcia subiecerunt nominibus appellare possemus, siue enim ex Attica, siue ex Creta, quod ad mare probare uidetur, Teucrorum origo fuit, nihil ad Turcas pertinet, quos Scytharum genus esse docuimus, barbaram

et te-

A & terram progeniem: quamuis pluribus sæculis in Asia Græciaq; commorati uitam mitiorem induerint, & imperium utriusque terræ consecuti sint. Adeo Turcarum nomen auctum est, ut quæ olim Asia uocabatur, nunc Turciam uocitent. à Turcis enim uniuersa possidetur, præter oram Trapezuntiam, quæ suo imperatori paret Christianæ religionis cultori, quamuis Græco & nonnullis erroribus imbuto, aduersus quem profectus hoc anno Mahumetes eius imperium labefactum existimatur. habent & Armenij aliqui suum ducem in Asia qui Christum sequitur (ut ante diximus) reliqui omnes Turcarum potestati subiecti sunt: sed nō omnes Turcæ Ottomanorum imperio subsunt: nam & Caramanus Ciliciæ dominus, qui magnam Cappadociæ partem possidet, & Asambecus qui prope Euphratem dominatur, & alij nonnulli reguli ab origine Turcæ, cum Ottomani progenie diu de regni possessione certarunt. Caramanus inter Mahumetem Turcarum imperatorem, & Soldanum Aegypti dominum medius, multa per nostram ætatem, modo cum hoc, modo cum illo prælia gessit, locorum difficultatibus, & Ciliciæ gentis, cui dominatur uirtute confisus, & odio Mahumetis Christianorum amicus, nec Asambecus Ottamanorum prosapiam quiescere permisit, Christianæ coniunctus uxori, imperatoris Trapezuntij filiæ: quamuis parui momenti est apud Turcas matrimonij nomen, quis coniuges sunt, quot ducere uoluerunt, impiam Mahumetis legem
B sequentibus, cum qua nobilem & pulcherrimam Asiam fœdauerunt. eadem ab initio idola coluit, deorumq'ue uarijs superstitionibus dedita, quamuis nonnullos admiserit Iudæos ueri dei cultores: non tamen legem eorum accepit, sed quemadmodum hodie Iudæi inter nos uiuere permittuntur, ita & inter gentiles per Asiam sub tributo uitam agebant. Damnatissimus ille idolorum cultus usque ad Romanorum imperium perdurauit, quibus ad Christum conuersis, & in Asiam, & in omnem ferè terram prædicatum per apostolos, intonuit euangelium, & benigne auditum est, credidit Asia Christo, & pulcherrimas erexit ecclesias, ue ulla eius portio fuit Christianis non initiata sacris. Fatemur plurima ibi & per Romanos, & per alios iudices Christianorum persecutio acta est, sed uicit gloriosa martyrum constantia, uicerunt & sanctissimi uerbi dei prædicatores. Erecta sunt monasteria uirginum, & sanctorum patrum cœnobia, laudatus est in canticis dominus, & in odorem suauitatis sacrificatum est ei, cuncta populi ora, & omnes linguæ Christum insonuere, cui nulla non uilla altaria dedicauit, et dona in eius nomine consecrauit. Cessauit omnis spurcitia ueteris cultus, diruta sunt dæmonibus sacrata templa, exusta simulacra, contritæ deorum imagines, omnis turpitudo, omnis blasphemia procul acta, euangelica uita recepta, sancti & pudici mores admissi, laudata uirginitas, probata nuptiarum castitas, innocentia in honore habita, sobrietas & mansuetudo ore omnium commendata, nulla consuetudo admis-
C sa, quæ aduersa sacrosancto euangelio uideretur. uerum Turcarum aduentu cuncta immutata sunt. Mahumetea lex, quæ sub Heracleo imperatore cœperat, euangelium Christi repulit Christianorum desidia, qui petentibus opem, Asianis neque consilio neque auxilio fuerunt. Redijt fœditas & pristina turpitudo. nam quamuis simulacra horrent Turcæ, & unum se colere deum dicunt, indigna tamen de Christo sentiunt, nec trinitatem adorant, haud intelligentes quomodo possit deus unus & trinus esse, & scripturam sacram deprauarunt, uoluptatis ac libidinis serui. Perierunt sacræ literæ, & omnia bonarum artium studia defecerunt, apud seruos paucos Christi nomen auditur, neque illi qui se Christianos appellant in Asia, ueri Christiani sunt, non ambulantes ad ueritatem euangelij: et si enim plurimi adsunt Græci Christianis imbuti sacris, multum tamen ab antiquorum sanctorumq; patrum regulis abierunt, nec Romanam ecclesiam audire dignantur omnium fidelium matrem. Nimis multum est quod in Asia perdidit Christus, nobilissima prouincia à nostra religione est alienata. Et quot populos quot præclarissimas urbes, quot insulas fama celebres, quot inclyta regna cum Asia perdidimus, in oratione qua resuadet rex Agrippa Iudæis apud Iosephum, ne cum Romanis bellum susciperent, quingentas ciuitates in Asia minori ac propria fuisse comperimus.

mus. Et quæ unquam terra uiros doctrina excellentes, plures quàm Asia protulit? Dum D singulas percurrimus urbes commemorauimus illustres uiros, è septem sapientibus, quos admiratur antiquitas, tres uel quatuor Asiaticos fuisse constat, quando ex ipsa cõtinenti, aut ex insulis sibi adiacentibus orti sunt. Homerus ipse inter poëtas præcellentissimus, haud dubie Asiaticus fuit, quamuis eum apud senatum plures ciuitates decertent: & Hippocrates medicorum princeps ex Coo natus, Asiam honorat. & Aratus astrologus Solensis. Inter Philosophos siue stoicos siue peripateticos multi Asiatici claruerunt. Oratorum quoque & historicorum maximus numerus, sicut in particularibus relatum est. Theologi quoque nostræ religionis non pauci in Asia floruerunt. Sed unum omnium & primum & maximum satis fuerit commemorasse Paulum Tharsensem, cuius epistolæ post euangelia primum sibi locum in ecclesia uendicarunt. Omittimus aliarum artium studia, architecturam, picturam, statuariamq́ue, in quibus Asianorum ingenia facile principatum obtinuere. longum esset singula recensere, quæ apud Asiaticos præcipua extiterunt, & è septem miraculis orbis duo uel tria in Asia referuntur. Mausolei sepulchrum apud Cares, & Iouis siue Solis Colossus apud Rhodios, quos inter Asiaticos computauimus. Hæc longius fortasse quàm par fuerat recensuimus, ut intelligant qui hæc legerint, quantum Christiana res publica perdiderit: atque hæc potissimum causa fuit, cur Asiam & eius partes distinctæ usque ad minutissimas describeremus. Dicet E fortasse aliquis non minoris damni fuisse, uel Græciam amisisse, quæ omnium doctrinarum mater iudicata est, & armorum gloria plurimum excelluit, uel Syriam in qua primus homo uisus, & in qua Christus natus & altus, humanum genus per crucem redemit, & uiam qua cœlum peteremus, aperuit. Vtilius igitur fuisse has prouincias descripsisse quàm Asiam: sed neque nos illos negligemus, si uita comes fuerit, qui & orbis uniuersi situm, & gentes percurrere decreuimus. Nunc de Europa dicemus.

Paulus apostolus.

ASIAE MINORIS ELEGANTISSIMAE DESCRIPTIONIS FINIS.

AENEAE

AENEAE SYLVII PII II. Pontificis Maximi, in Europam sui temporis uarias continentem historias,

Præfatio.

QVæ sub Frederico tertio eiꝰ nominis imperatore apud Europeos, aut qui nomine Christiano censentur, insula, homines, gesta feruntur memoratu digna, mihiq; digna tradere posteris, quàm breuissime libet commiscebimus, aliqua interdum altius repetita, quemadmodum locorum, rerumq; ratio expostulare uidebitur.

De Hungaria, siue ut nonnulli uolunt Pannonia, de Sigismundo imperatore catholicæ fidei ad unitatem insigni redactore,

de Alberto rege Bohemo in imperatorem Romanorum à Germanis electo, de Iacobo Marchiano ad tumultum sedandum crucifixigero, de multis alijs & ducibus & regibus, inter quos de Marthia qui ex carcere ad regnum est uocatus, Cap. 1.

Vngaria quæ Austriæ Frederici patriæ contermina est, & in orientem uergit, principium narrationis præstabit. Hanc prouinciam nonnulli Pannoniam uocant, tãquam Hungari Pannoniorum loco successerint: uerum neq; Hungaria Pannoniæ terminos implet, neq; illa tam lata olim fuit quàm nostra ætate Hungaria. Intra Danubium enim et Alpes, qui ad Italiam & Adriaticum respiciunt mare, Pannonia continebatur: ab occasu Noricum Enumq; amnem, ab ortu Mysos ac Triballos & flumen Sauum contingens, intra quos limites Austriæ magna portio clauditur, & Teutonibus incolitur. Stiria quoq; ijsdem terminis continetur, Valeria quondã appellata. Hungaria uero, quamuis inferiorem Pannoniam à fluuio Leycha usq; Sauum complexa est, Danubium tamen transgressa ad Polonos usq; protenditur, & quæ quondam arua tenuere Gepidæ, Daciq; possident. Imperium gẽtis Hungariæ multo latius est quàm ipsa Hungaria:

garia: nam & Dalmatæ, quos Schlauos, & Illyrij quos Bosnenses, Triballi seu Mysij, qs D tum Seruios, tum Rascianos appellant: & Getæ, quos partim Valachos, partim Transyluanos nominant, Hungarorum imperium subierunt: & si nonnulli æuo nostro Turcarum armis deuicti defecerunt. hanc prouinciam quatenus citra Istrum extenditur, sub Octauiano Cæsare Romani primum obtinuere, Bachone Pannoniorum rege subacto & Amantinis inter Sauũ & Drauum prostratis. Daciã uero trans Danubium quæ nũc Hungariæ portio est, Traianus imperator edomuit, & in solo Barbarico prouinciam fecit: sed amisso sub Galieno per Aurelianum recuperata est. Post Romanos aliquando Huni Scythica gens, aliquando Gothi ex insulis Balthei maris populi, deinde Longobardi ex Germania profecti Pannoniam occupauere. Postremo Hungarorum natio ex ultimis Scytharum finibus inundauit, quæ usq; in hanc diem regno potitur, & ultra citraq; Istrum late dominatur. Extat adhuc nõ longe ab ortu Tanais altera Hungaria, nostræ huius de qua sermo est mater, lingua & moribus pene similis, quamuis nostra ciuilior est Christi cultrix, illa ritu barbarico uiuens seruit idolis. In Hungaria quam Danubius interlabitur tempestate nostra Sigismundus Caroli quarti Romanorum imperatoris filius natione Bohemus, origine Teutonicus, uaria fortuna annos supra quinquaginta regnauit, princeps singulari prudentia, magnitudine animi, beneficentia & liberalitate insignis, corporis quoq; maiestate ac decore illustris, cæterum bello prorsus infelix: quem E non Turcæ duntaxat, sed Bohemi quoq; sæpe acie fuderunt. Vxor ei prima fuit Maria Ludouici regis filia, cum qua regnum accepit. Illius causa duos & triginta regulos in Hungaria primarios, qui aliquando rebellassent, gladio percussit. ob quam rem & ipse paulopost, regina fatis functa, in uincula coniectus est, mulieriq; uiduæ cuius uirum interfecerat, in custodiam traditus, donec regni proceres supplicium decernerent, sed non defuit capto in extremis rebus prouidentia, qui ut erat facundia potens, mulieri lõge melius esse ostendit regium sanguinem conseruare quàm fundere. Dimissus ab ea Barbaram Hermanni comitis Ciliæ filiam duxit uxorem, nec diu postea comparatis auxilijs regnum uendicauit, de proditoribus supplicium sumpsit. Mulieris uiduæ filios & honoribus & opibus inter primos regni proceres cumulauit: quorum adhuc alterius uiuit filius Ladislaus Garus comes regni Palatinus. Multa huius Sigismundi egregia facinora memoriæ prodita sunt, inter quæ illud præclarissimum, quod ecclesiã catholicam in tres partes diuisam, coacto apud Constantiam generali concilio, ad unitatem redegit: Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam, huius rei causa peragrans: Viteldo Lituaniæ duci, ut se regem appellaret missa corona, indulsit. Prius tamen ille uita decessit quàm solennia coronationis expleret. Prusiam, quàm rex Poloniæ fratribus beatæ Mariæ Teutonicorum armis ademerat restitui iussit. Cum Venetis duce Pipone Florentino grauia bella F gessit. Venceslaum Bohemiæ regem germanum suum, quod regno inutilis esset coniecit in uincula: quamuis negligenter custoditum magno reipublicæ malo, quidam Bohemi è carceribus surripuerint, coronam imperij ab Eugenio quarto pontifice maximo, Romæ accepit. Bohemia post multos calamitates uix tandem potitus est: Marchiã Brandenburgensem Frederico Burgaffio Nurenbergensi dono dedit, filiam Elisabeth ex Barbara natam Alberto duci Austriæ in matrimonium copulauit, illiq; demum apud Zuoymam Morauiæ ciuitatem morienti, regna quibus præfuerat ultima uoluntate reliquit, ossa eius in Veradino iacent. Albertus apud Albam regalem cum coniuge coronatus, Bohemiæ quoq; diadema suscepit. Cuius felicitatem admirati Germaniæ principes, & ipsi suum sanguinem extollere decreuerunt, Romanum ei committentes imperium. Id Alberto suscipere non licebat, nisi primores Hungariæ indulgerent, quibus haud ex usu uidebatur suum regem Teutonibus imperare, atq; ob eam causam iureiurando Albertum obligauerunt, ne suo iniussu imperium acceptaret. Vocati tamen ad regem, qui tum Viennæ fuit, uicti precibus præbuere consensum. Ille imperio auctus, ad Hungariam redijt aduersus Turcas, qui tunc Rasciam inuaserant arma moturus. Sed dum Budæ moram facit (ea est regum sedes) iudex ciuitatis natione Teutonicus, Hungarum quempiam ob delictum fluuio demersit. Id Hungari molestissime tulerũt, quibus Teutonicum

Venceslaus rex inutilis à fratre Sigismundo in uinculа cõijcitur.

tonicum nomen exosum est. Excitatur è uestigio tumultus, Hungari arma capessunt, obuios Teutones passim trucidant, fit fuga in arcem, qua rex se continebat, diripiuntur negociatorum domus, quorum pars maior teutonica fuit. Euangelizabat eo tempore Budensibus Iacobus Marchianus, ordinis minorum professor, doctrina literarum & uitæ sanctimonia clarus, qui sedaturus tumultum, simulacrum Saluatoris crucifixi manu gestans, furenti armatoq; populo obuiam factus, ut cædi parcant, ut rapinis abstineant, ut arma deponant, supplex orat. Illi uerba eius minime intelligentes (neq; enim tempus ferebat interpretem) bene sibi futurum autumant, qui Christum suis ceptis ducem habeant, sublimemq; Iacobū, simulq; Crucifixum inulnis attollunt, ac bacchati per urbem, nunc istam, nunc illam domum compilant. Fiunt tamē aliquanto minora spolia, & à cædibus temperatum est ob præsentiam Iacobi, modo precibus, modo lachrymis furorem incensæ plebis lenire conatus est. Sedato tumultu Georgius Palocius Strigoniensis ecclesiæ pontifex moritur apud quem pretiosa regni suppellex in custodia fuit. Rex Strigonium petit, & regina cum eo, aperiuntur arcæ in quibus thesaurus obseruabatur coram regina, & selectis regni baronibus. Illa clam subtracta corona (quam sacram appellant) fideliq; anui tradita, arcas claudit atque obsignat. Albertus paulopost Drauum usque fluuium proficiscitur, ibiq; castrametatus maiores copias expectat, cum quibus Turcas inuadere posset Sindronium obsidentes, prius tamen expugnatum est oppidū quàm auxila uenirent. Ipse Budam reuersus, cum dysenteria laboraret Viennam repetere statuit, siue moriturus inter suos, siue quod aërem in quo fuerat enutritus, conseruare aliquid ad sanitatem sperabat. Sed in itinere magis ac magis morbo affectus, relicta uxore prægnante, obsignatoq; testamento, in uilla quæ Longa dicitur, sexto Calendis Nouembris è uita decessit: Religiosus princeps, & qui liberalitate simul iustitiaq; præstaret. Fuit quoque in bellis audax & manu promptus, Morauos ac Bohemos armis subegit, Polonos late uagantes intra regnum suum coërcuit. Magna de se Christianæ reipublicæ promittere uidebatur, nec minora populi de sua uirtute conceperant, pulcherrimæ spei satisfieri breuitas uitæ non siuit. Repente occidit qui breui ad summum potentiæ creuerat: neque enim biennio toto imperauit. Statura eius procera fuit, neruosum & ualidum corpus, facies terrifica, more gentis erasa barba, superius labium intensum, uestem haud splendidam, balteus auro grauis cinxit, nec unquam lateri defuit ensis. Corpus eius in Alba reconditum est. Cognita regis morte, conuenientes Hungari indignum ac periculosum existimantes, tantum regnum unius fœminæ iudicio subiacere, reginam magnis precibus hortantur, Vladislaum Poloniæ regem, qui populum armis tueatur, sibi ut uirum asciscat. Consentit mulier, ea conditione adiecta, ne quod filio præiudicium fiat si masculum pariat, legantur in Poloniam prælati ecclesiarum, & principes regni natu & autoritate maiores, quibus iter agentibus, Ladislaus posthumus nascitur, qui mox ut in lucem prodijt, apud Albam regalem, & baptismum Christianæ fidei signaculum, & militiæ cingulum, & sacram Hungariæ coronam, quàm mater penes se habuit, eadem die accepit. Inde sublatus in tutela Frederici Cæsaris, duodecim ferme annis fuit, cui mater & ipsum & coronam commendauit, legati quamuis prohibente regina Vladislaum adiere, quem magnis pollicitis oneratum in Hungariam traxerunt, & imposito diademate, regem salutauere, quo cum diu Ladislai mater uario euentu armis contendit, Hungaris in duas partes diuisis. Vlricus comes Ciliæ, dum consobrinæ studet, Ladislaoq; regnum defendit, captus à Polonis diu in carcere maceratus est. Dionysius archiepiscopus Strigoniensis, qui postea Cardinalatus honore donatus est, genere ac moribus illustris, utrique regi diadema imposuit: alteri uolens, alteri coactus. Vocatus enim ad Polonum, quamuis publica fide accepta Budum petiuisset, non prius libertati suæ redditus est quàm Vladislaum in Alba coronauit. Ipse quàm primum potuit domum reuersus, Polonorum conatibus summo studio aduersatus est. Iulianus cardinalis sancti angeli ab Eugenio pontifice maximo in Hungariam missus, uir summo ingenio singulari facundia, excellenti doctrina, quamuis inducias belli inter Vladislaum & Elisabeth ad certum tempus composuerit, pacem tamen efficere nō ualuit. Regina mor-

Iacobus Marchianus ordinis minorum professor, tumultum sedaturus, Saluatoris crucifixi simulacrum gestat.

Hungariæ corona sacra, à regina clam subtracta.

Descriptio staturæ Alberti imperatoris.

Vlricus à Polonis in carcere maceratus

tua, omnes pene Hungariæ optimates ad Polonos defecere, solus Gischra Bohemus rei bellicæ peritissimus, et manu promptus, Ladislai partes in Hungaria tutatus est, qui sæpe cum parua militum manu, ingẽtes Hungarorum Polonorumq; copias uicit, fudit, deleuit, bisq; Ioannem Huniadem magnis exercitibus cinctum castris exuit. Hic Ioãnes natione Valachus fuit, haud altis natalibus ortus, sed ingenio dextero, & animo sublimi, et uirtutis amator, multa cũ Turcis secunda prælia fecit, & hostium spolijs Hungarica templa ditauit, primusq; omnium apud Hungaros Turcarum acies & frangi, & uinci posse mõstrauit. Quibus ex rebus excitatus Vladislaus, et ipse prælium cum Amurate Turcarum imperatore committere non dubitauit, de quo postea suo loco dicemus. Fœdus inter Fredericum imperatorem & Vladislaum, qui se regem Hungariæ appellauit, Iulianus Cardinalis ea lege composuit, ut liceret imperatori Hungaros coërcere, si quod in Austria, Stiria ue damnum inferrent. Idem permissum Vladislao est in Frederici subditos Hungariam infestãtes. Guncium oppidum in Hungaria est, Stiriæ atq; Austriæ proximum, hoc latrones occupauere, et pleraque circũiecta castella, ex quibus in Austriam profecti, magnam uim pecorum atq; hominum abegerunt. Motus ea re Fredericus cõparato raptim exercitu in Hungariã traiecit, munimẽta expugnauit, ex latronibus octoginta furca suspendit. Cum cecidisset in bello Vladislaus, cõuentus Hungarorum apud Pestã habitus est, locus hic trans Danubiũ Budæ opponitur, neq; muris cinctus, neq; magnificis domibus exædificatus, uillæ speciem gerit. Hic Ladislaus Alberti filius communi procerum consensu rex designatur, suisq; deinceps auspicijs in Turcas pugnare cœpit, nec tamen feliciora eius prælia, quã Poloni fuerunt. Ioannes Huniades regni gubernator assumptus, absente rege prouinciam (ut aiunt) in uirga ferrea gubernauit. Nec dũ rex affuit minor eo habitus est, hic prostratis apud Albam Turcis (quemadmodũ in rebus Rastiscianis referemus) breui tempore superuiuens, morbo extinctus est: Ferunt eũ cum ægrotaret, noluisse dominicum ad se corpus deferri, indignum esse dicentem serui domum intrare regem, iussisse sese, quamuis deficientibus uiribus, in templum uehi, ibiq; de more Christiano confessum, diuinam Eucharistiam suscepisse, atq; inter sacerdotum manus deo animam reddidisse. Felix spiritus qui tantæ rei, quanta gesta est apud Albã nuntius atque autor migrauit in cœlum: Ladislaus qui ex tutela iampridem imperatoris emissus, & in paterna regna receptus, Turcarũ metu ex Hungaria in Austriã se cõtulerat, audita Turcarũ strage, & gubernatoris morte, quo cum Ciliæ comes apertũ gerebat odiũ, impellẽte ipso comite, qui ueluti sublato æmulo lætabũdus id nunciũ audiuerat, rursus in Hungariã redijt: sed dũ apud Albam spolia Turcarum, et interemptorũ hostiũ cadauera respicit, comes ipse cuius caput erat à rege secundũ, et qui iã solus tanquã regis auunculus leges Hungaris præscribebat, à Ladislao Huniadis filio in Castro regio obtruncatur, inde necẽ cõsecutus, unde sperauit imperiũ. Offensus ea re mirũ in modũ regius animus, dolorẽ tamẽ suppressit, nec dubitauit auunculũ iure cæsum fateri. Cadauer defuncti in Ciliã missum est. Rex Budã se contulit, ubi secutos curiã Huniades filios in carcerem rapi iussit, percussorẽq; comitis Ladislaũ natu maiorẽ capite plecti. Matthiã captiuum duxit in Austriã, et profectus in Bohemiã eũ pone seq mandauit. Ipse paucos dies Pragæ moratus, siue morbo pestifero, ut pleriq; tradiderũt, seu ueneno, ut alij affirmãt, obijt diẽ, nobilissim⁹ sanguis paterna origine ac materna ex imperatorib. ortus. Matthias qua die rex clausit oculos, eadẽ Pragã applicuit, quẽ Georgius gubernator in custodiã suã recepit. Corpus Ladislai apud proauũ Carolũ. iiij. Romanorũ imperatorẽ in arce Pragẽsi atq; in æde sancti Viti recõditũ est. Defuncto Ladislao rege Hũgari ad eligẽdũ successorẽ ad Calẽ. Ianuarias diẽ cõstituũt. Proceres apud Budã frequẽtes cõueniũt: inter quos Michael Rylag⁹ magna militũ stipatus caterua pPsto adest: xiij. millia equitũ. peditũ. vij. millia eũ secuta ferũtur, quã statuto tpe in Pesta fuerũt. Michaël frater cõiugis Huniadis Mathiæ auunculus, cui propter necẽ Ladislai nepotis, cũ plerisq; regni baronibus acerrimæ simultates erant: his potentia eius haud paruũ ingessit terrorem, nec iam perculsa metu concio, liberam regis electionẽ futuram arbitrabatur. Michaël uero conuentum adiens, non se idcirco armatos adduxisse ait, ut uim cõgregatis inferat, sed ut eos deterreat si qui fiat

Ladislaus rex apud Pestam designatus.

Comes Ladislai auunculus obtruncatus.

A sint qui libertatem principum ac popularium in assumendo rege perturbare conentur. Illud tantum se ueluti unum ex regni accolis monere, ut Ioānis Huniadis beneficia meminerint, qui unus omniū Turcarū arma ab Hungarico regno depulerit, clarasq; genti uictorias pepererit, indigna suis meritis præmia reddita. Ex filijs eius alterum crudeliter occisum, alterum in Bohemia captum seruari, posse Barones memoriam Ioannis extollere, Matthiā ex captiuitate redimere, atq; in eius regni fastigio collocare, quod pater sua uirtute seruasset: neq; ferēdum ut ad exteros ea potestas deferatur, parcere se omnibus, qui nepoti fuissent insidiati: regni salutem ante oculos ponere: si quē prouinciæ utiliorē esse arbitrentur, nihil obstare, quo minus melior eligatur. Fuit res aliquandiu anceps, cū Baronum sibi quisq; timeret. Postremo reconciliatione inter proceres facta, cuius autorem Ioannē sancti Angeli cardinalē, uirum doctrina & moribus excellentē, qui tū legatum agebat Apostolicū, tradidere. Matthias octo & decē natus annos, nono Calen. Februarij, inter quadraginta millia uirorū, qui medio in Danubio tum glacie constricto, impatientes magni frigoris, secreti electionis exitum expectabant, rex acclamatus. Nūc quisquis hæc legis & futura prædicito: singulare prorsus humanæ inconstantiæ documentū, ex duobus adolescētulis ætate moribusq; pene paribus, alter ex regio solio dum nouæ nuptæ thalamū exornat, defertur ad tumulum: alter dum capitale iudiciū trepidus manet, ex carcere uocatur ad regnum. Libertas eius ex gubernatore Bohemiæ sponsalitijs atq; alijs pactionibus empta refertur. Mirabile quod matrem repētina lætitia nō exanimauerat, cū tot cladibus afflicta prius regē appellatū audierit, quā uinculis exemptū. In parte Hungariæ, quæ trans Danubiū in Septentrionē porrigitur, & nūc Sepusiū uocant, olim Gepidæ consedere. Insignis latro Examites, natione Bohemus, Hussitarū pestifera labe infectus, milites prædandi cupidos undecunq; ad se uenientes benigne collegit, eosq; fratres appellauit, & uniuersam regionē illā tributariam sibi reddidit, exædificatis munitionibus locis opportunis, ex quibus modo in unam, modo in alteram partem discurrere posset, prædas in fine cuiusque mensis uiritim diuisit. Ex quibus nō plus accepit qui totum mensem, quàm qui diem unam ante diuisionem in castris fuit numero fratrum ascriptus. Id sibi ex Euangelio præceptum affirmauit, quod in uinea domini laborantibus, & qui prima hora, & qui undecima uenerant, æquam mercedem promittit. Hæc societas tum longe lateq; rapinas agere, & iam quinq; millia pugnatorum in armis habere, indiesq; crescere, non aliter dissipari potuit, quàm duce ipso Axamite ad stipendia Ladislai regis uocato.

Matthias ex carcere uocatur ad regnū. (B)

De Transsyluana regione, Teutonibus, Siculis, & Valachis populis eam incolentibus, Cap. 11.

C TRanssyluana regio est ultra Danubium sita, quā Daci quōdam incoluere, feroces populi, & multis Romanorū cladibus insignes: nostra ætate tres incolunt gentes, Teutones, Siculi, & Valachi. Teutones è Saxonia originē habēt, uiri fortes & bello exercitati, à septē ciuitatibus quas inhabitāt Sibenburgenses patrio sermone appellati. Siculi Hungarorū uetustissimi creduntur, primi omniū qui ex Hūgaria ueteri in hanc prouinciā uenerint. Eā ob causam quāuis agros suis colūt manibus, ac rure uiuentes, greges pecorū pascunt, nobiles tamē appellātur. Et cōcurrentes inuicē, alter alterū generosum dominū salutant, nec tributa pendunt, nisi quo anno rex Hungariæ coronatur. Tunc enim quod sunt patresfamilias, tot boues regi tradūt, quorū numerū supra sexaginta millia esse ferūt. Iussi uero in bellū exire nisi pareāt, capitali pœna plectuntur, bona fisco applicantur. Valachi genus Italicū sunt, quemadmodum paulopost referemus, paucos tamen apud Transsyluanos inuenias uiros exercitatos Hungaricæ linguæ nescios. In hac prouincia oppidum fuit, quod Bistricium uocauere regiæ coronæ subiectum. Id Ladislaus rex cum Viennæ ageret, Ioanni Huniadi dono dedit. Tulerunt id ægre oppidani, diuq; restitere, coacti tamen imperata fecerunt. at mortuo Ioanne, eiusq; filio Ladislao Budæ occiso, Michaëlem Rylagum, qui pro Matthia altero Ioannis filio regnum petebat, turpiter reiecerunt. Ille indignatus quàmprimum Ladislai regis mortem accepit, eò cum exercitu redijt, ui oppidū expugnauit, rebellium ciuium alijs oculos eruit, alijs ma-

Siculi se nobiles appellāt.



nus amputauit, alijs necem gladio intulit, oppidum incendio deleuit, ingreſsi ſunt paulòpoſt Tranſyluana Turcarum circiter tria millia, prædamq́; magnam abegerunt pecorum atq; hominum: quos inſecuti Sibinenſes & ipſi Teutones ad internecionem uſque deleuerūt, uictoresq́; præda recuperata domum rediere. Vix ciuitatem introierant, cum Michaël ex alia parte haud paruas ducens copias affuit, ciuitati exitium parans, quæ Biſtricenſibus aduerſum ſe opem tuliſſet. Sed cum Sibinienſes intra munitiſsimam urbem ſe continerent, fruſtratus deſiderio ſuo, minabundus receſsit. Apud Hungaros obijt ætate noſtra Paulus Vergerius Iuſtinopolitanus, Græcis ac Latinis literis apprime inſtructus: cuius plura extant opera ab eruditis probata. Arrianus, qui Alexandri magni geſta Græco ſermone cōſcripſit, Latinus ab eo redditus eſt, hortatu Sigiſmundi Cæſaris. Scripſit de ingenuis moribus, græcas ac barbaras amicitias comparauit, aduerſus Malateſtam qui Maronis ſtatuā in foro Mantuano deijci iuſſerat, nobilē inuectiuam edidit. Ex Hungaris, qui ſtudia humanitatis ſecuti æuo noſtro claruerunt, duos nouimus, Ioannem epiſcopum Varadienſem, qui regni cancellariam obtinuit, & alterum Ioannē eius ex ſorore nepotem, qui ſub Guarino Veronenſi Græcas ac Latinas literas didicit, nec minus uerſu quā ſoluta ualet oratione: horum tamen originem Schlauonicā ferunt. Scientiā iuris plurimi profeſsi ſunt, inter quos Dionyſius excelluit gente Canyſia natus, qui Strigonicēſem ſortitus eccleſiā, honorē quoq; cardinalatus (ut ante diximꝰ) emeruit. In re

A In re militari Nicolaus Vayuoda transsyluanus, Michaël Vrsatius, & qui Talisium inuasit Pancratius, nomen adepti sunt. Nunc clarus habetur Michaël Rilagi ex aliena ruina magnus, Ioannes Huniades, cuius nomen cæteros obnubilat, nō tam Hungaris quàm Valachis ex quibus natus erat, gloriam auxit. Valachia per quā lata regio est, à trāsyluanis incipiēs, usq; in Euxinum protēsa pelagus, plana ferme tota, & aquarum indigua, cuius meridiem Ister fluuius excipit, septentrionem Roxani occupant, quos nostra ætas Ruthenos appellat, & uersus fluuium Thirannomadas Scytharum genus, quos Tartaros hodie uocitamus. Hanc terram incoluerunt quondam Getæ, qui Darium Histaspis filium turpi fuga repulerunt, & Lysimachum regem uiuū in potestate pertraxerūt, & Thraciam pluribus cladibus affecerunt. Postremo Romanis armis subacti ac deleti sunt. Et colonia Romanorū quæ duces coërcet eo deducta, duce quodā Flacco, à quo Flaccia nuncupata. Exin longo temporis tractu, corrupto ut fit uocabulo, Valachia dicta. Et pro Flaccijs Valachi appellati sermo adhuc genti Romanus est, quamuis magna ex parte mutatus, & homini Italico uix intelligibilis. Inter Valachos tempestate nostra duæ factiones fuere, altera Danorum, altera Dragularum: sed ij cum Danis impares essent, atq; ab illis multifariam opprimerentur, Turcas in auxilium uocauere, quorum armis adiuti, Danos pene ad internecionem deleuerunt. Danis uero Ioannes Hu-
B niades Hungarorum imperio fretus opem ferens, non tam illos restituit quàm sibijpsi claritatem & opes acquisiuit. quippe qui Danorum agros ex potestate Turcarum ereptos, & sibi & posteris perpetua possessione retinendos occupauit. Valachi & insulas Istri accolunt, inter quas Peucen apud ueteres fama notam, & in Thracia quoque sedes habent. Valachorum pars Turcarum imperio, pars Hungaris subiacet. Non me latet difficillimam esse prouinciarum descriptionem, quando & autores ipsi quos imitari oportet, non solū uarij, uerum & inter se contrarij ac magnopere dissentientes inueniuntur, & ipsarū prouinciarū limites pro dominantium autoritate ac potentia sæpenumero commutati. Nam quæ prouincia latissima quondā fuit ætate nostra, aut extincta est, aut permodica. Cōtra uero quæ nulla uel minima extitit, nunc latissimā florentissimāq; uidemus. Longobardiam ac Romandiolam non cognouere maiores, nostra tempora Insubriam, Aemiliam, ac Flaminiā prorsus ignorant. Macedoniā sub Aemathione Rege, à quo Aemathia cognominata, peranguști clauserunt termini: uirtus postea regum, & gentis industria, subtractis finitimis populis, longe ac late protendit. Dent igitur ueniam, æquum censeo, si qui mea scripta legentes non eos locorum terminos offenderūt, quos ipsi uel mente sua cōceperunt, uel apud alios inuenerunt, quæ ab alijs accepimus, seu antiquis seu nouis autoribus incorrupta referimus, quamuis nō est propositi nostri geographiam edere, licet aliquando historiam quam scribimus, locorum aliquam signi-
C ficationem requirat: sic enim clarior redditur.

De Thracia & populo in ea, quomodo Byzantium, quod & Constantinopolis dicitur, à Constantino imperatore Romanorum sit muris & pulcherrimis ædificijs auctum. Item de Synodo facta super sancti spiritus processione, Cap. III.

POst Valachos igitur & Hungaros, de quibus sermo habitus est, Thraciensium res gestæ sese offerunt. Thracia uero (ut plerioq; autores tradūt, ipsiq; præstantiores) amplissima prouincia est, longe lateq; patens. Cui ab oriente Euxinum pelagus ac Propontis occurrit. A meridie Aegæum mare, & Strymō fluuius, simulq; Macedonicus ager. Septentrionem Ister claudit. Occidentis oram tum Pœoniæ montes, tum Pannonia, & Sauus excipit amnis. In qua sententia & Plinium Veronēsem fuisse uideo, & Strabonem ipsum, qui iuga montis Hemi, Thraciam diuidere mediam affirmat, idemq; Dardanos, Triballos, Mysos incolere Thraciam non ambigit. Triballos autem eos coluisse campos, in quis uel Rastiani modo, uel Seruij sedes habent, nemo negabit, qui scripta ueterum præsenti rerum statui coaptauerit. Mysij uero post Triballos ad orientem usq; in Euxinum protendūtur, inter Istrum & Aemum montem habitacula sortiti: hos hodie Bulgaros appellant. Post quos maritima loca uersus meridiem ad Hellespontum usq;, Romania est, natio Græca, quamuis olim Barbara fuerit. Et iterum nostro tēpore

deleto

deleto Græcorum imperio, dominantibus Turcis in Barbariam redit. huius prouinciæ D
Metropolis est Byzantium, Agios prius appellata, Lacedæmonij eam condidere duce Pausania, quibus Apollinem consulentibus, ubinam sedes quærerent, mandasse oraculum memoriæ proditum est, ut contra cæcos habitationem locarent. Cæcos autem Megarenses appellauit Chalcedonis conditores. Qui cum prius in Thraciam nauigassent, situmque ubi postea Byzantium ædificatum est conspexissent, omissa tam locuplete ripa, tenuiorem è regione in Asia delegissent. Hæc Strabo Constantium uero imperatorem cognomine Magnum, cum statuisset imperij sedem ex urbe Roma in orientem transferre, quo facilius Parthorum excursiones compesceret, tradunt ecclesiastici autores in Troadem profectum, ibi regiæ urbis fundamenta iecisse, ubi quondam Agamemnon cæterique Græcorum principes aduersus Priamum regem fixere tentoria. Sed admonitū in somnis, Christo saluatore locum alium designante, cœptum opus, cuius diu mansere uestigia, infectum reliquisse, atque in Thraciam nauigantem Byzantium petiuisse, eumque sibi locum diuinitus ostensum dixisse, mox urbem ampliasse, noua mœnia erexisse, sublimes excitasse turres, magnificentissimis tum priuatis tum publicis operibus exornasse, tantumque illi decoris adiecisse, ut altera Roma non immerito dici posset. Scriptores uetusti qui florentem uidere, deorum potius in terris habitaculum quàm imperatorū putauerunt. Nomē urbi nouam Romam imperator indidit. Sed uicit obstinatio uulgi, ut à E
conditore potius Constantinopolis uocaretur. In hac urbe multa sub imperatoribus Episcoporum concilia celebrata, multæ suppressæ in Christiana religione surgentes hæreses, multæ inuētæ, inter quas ea diutius mansit, quæ de processione Sācti spiritus, quamuis in pluribus agitata ac reiecta cōcilijs, ad nostram ætatem usque perueniens. Denique sub Eugenio quarto pontifice maximo in Florentino Synodo (quemadmodum suo loco dicetur) non solum à Latinis, sed ab ipsis etiam Græcis damnata, explosaque est. Verum quanquam Ioseph patriarcha, & Ioannes imperator gentis eiusce, cum Latina ecclesia concordibus animis fidei symbolum decantauerint, Constantinopolitana tamen ecclesia credere quod Romana sentiret, uelut nefas duxit. Obierat in Florētina patriarcha qui unioni consenserat. Nec imperator domum reuersus diu superuixerat. Constantinus, qui ei successit, siue deceptus, siue sponte sua insaniens, haud quaquam unioni consentiens uidebatur. Etiam Gregorium patriarcham priori suffectum, quod ad ueritatem fidei ambularet, domo pepulerat, ecclesiastica bona inuadens. miserat eo Nicolaus Pontifex Romanus Isidorum episcopum Sabinēsem, uniuersalis ecclesiæ cardinalem, uirum industrium, & qui Ruthenorum ecclesiam iam dudum rexerat, percontatū, quanam ratione græcanica natio legatorum suorum conuenta rejceret, cum latinis Florentiæ habita? Iam ille imperatorem eiusque senatum in rectam uiam pellexerat, cum Turcarum bellum, duce & autore Mahumete, ueluti repentina tempestas in Constantinopolitanos emersit, de quo paulò post suo loco dicetur. F

Byzantiū altera Roma.

De Turcarum origine & propagatione, uictu, uestitu, & moribus eorum, Cap. IIII.

Video complures ætatis nostræ nō autores aut poëtas duntaxat, uerum etiam historicos eo errore teneri, ut Teucrorum nomine Turcas appellent. Credo eos idcirco motos, quoniam Turcæ Troiam possidēt, quam Teucri coluere: sed illi originem ex Creta atque Italia sumpserunt. Turcarum gens Scythica & Barbara est, de cuius origine atque progressu, quamuis propositum egredi uidear, dicere haud alienum existimo: quando sub æuo nostro in tantum hoc genus hominum auctū est, ut Asiam Græciamque tenens, Latinum Christianumque nomen late perterreat. Et narratio res quoque Thracienses aperiet, de quibus institutus est sermo. Turcæ (ut Ethicus philosophus tradit ultra Pyrenæos montes & Taracontas insulas contra aquilonis ubera, id est, ad septētrionalem oceanum sedes patrias habuere: gens truculenta, ignominiosa, & in cunctis stupris ac lupanaribus fornicaria. Comedit quæ cæteri abominantur, iumentorum, luporū, & uulturum carnes, nec abortiuis hominum abstinet. Diem festum nullū colit, nisi mense Augusto Saturnalia. Romanorum imperium audiuit magis quàm sensit, quamuis Octa-

De hoc meminit in historia Asiatica in fine.

A uiano Augusto in auro littorio censum dedit,& id quidem sponte. nam tum uicinas undiq; regiones annua illi tributa reddere animaduertit, nouum dierum ac temporum deum exortum esse arbitrata, munera ei quotãnis trãsmisit. Hæc gens teste Othone historico & Imperatoris Frederici patruo, regnante apud Francos Pipino, à Caspijs portis egressa, cum Auaribus(quos Hungaros nostra uocat ætas) feroci pugna, multis utrobiq; desideratis conflixit. Exin Pontum, Cappadociamq; transgressa, ad reliquas inde finitimas gentes sensim dilapsa, more latronũ clandestinis quibusdam extransitionibus uires sibi uendicans, occupatis quibusdam montibus, & claustris opportunis, unde per occasiones facile irruptiones fieri possent, usq; adeo emersit ac sublata est animis, ut palam iam & pari marte aduersum finitimos de agri possessione certaret. Et deniq; procedendi tempore non solum Pontum & Cappadociam, uerum Galatiam, Bithyniam, Pamphyliam, Pisidiam, utranq; Phrygiam, Cilices, Cares, & eam Asiã quæ minor uocatur, ad oras usq; Ionij & littora Græci maris occupauerit, non unum quendã principẽ, sed alios alij duces & uaria auspicia quasi per factiones secuti. Ex hac gente(quẽadmodum Nicolaus Sagundinus uir Græcæ ac Latinæ historiæ peritissimus ad nos scripsit) uigesimum ab hinc & centesimũ circiter annũ. Ottomanus exigui tum cẽsus & obscuri inter priuatos nominis, ex collectitio milite non parua manu per seditionẽ cõflata, grassari passim, ac non solum reliquias Christianas uexare, uerũ etiã homines suæ gentis armis infestis petere, & sibi subdere cœpit. Cuius conatibus orta inter Turcarum principes seditio, facile cursum præbuit. Nam illi dum sæpe inuicẽ laniant, accitis undiq; omnibus, qui pro ingenio prædæ rapinæq; percupidi essent, autoritatem breui & nomen adeptus est, oppida non pauca partim ui, partim seditione in potestatem accepit. Ottomano filius successit Orcanes, qui rem inchoatam à patre cõmode prosecutus, admodum propagauit. Eum Amurates filius subsecutus est, qui duobus de Græcorum imperio disceptantibus, ab altero qui superari timebat, in auxilium accersitus, Turcarum primus trãsiuit in Græciam, ubi consulto bellum protrahens, postquã ambos eneruatis consumptisq; uiribus, fractos ac defessos animaduertit, uersis(ut aiunt) proris, arma in eos sine ullo discrimine per occasionẽ cõuertit. Et occupato Calliopoli oppido, peropportune in Cherronesо ad Hellesponti fretũ sito, cætera græca oppida aperte petere bello, palãq; sibi & posteris Græcorum polliceri imperiũ nõ dubitauit, magnãq; Thraciæ partem, nullis ferme obsistere audentibus, ditioni suæ subiecit. Is uita functus duos reliquit filios, Solmanem & Pazaiten. Solmane breui è uita subtracto, res uniuersa ad Pazaitẽ deducta est. Qui prosperos fortunæ adeptus afflat9, usq; adeo nouelli regni fines extulit, ut Thraciã pene uniuersam, excepta Cõstãtinopoli ac Pera, Thessaliam, Macedoniã, Phocidẽ, Bœotiã, Atticam, maiori ex parte occupauerit. Mysos quoq; Illyrios, Triballos crebris excursionibus infirmauerit. Constantinopolim uero omni agro, suburbanisq; ac delitijs spoliauit: tam longa & perdifficili obsidione uexauit, ut ciues desperata salute de ditione agere cœperint, perissentq; proculdubio, & in hostis seuissimi potestatem uenissent, ni Tamerlanes ille Scytharum præpotens rex, instar torrentis ipso incursu atque impetu cuncta prosternendo ac uastando, Pazaiten ipsum occurrere ac reluctari conãtem, magno prælio & ingenti strage superatum in Asia cepisset. Hic est ille Tamerlanes terror gentium, in cuius exercitu duodecies centena millia hominũ fuisse traduntur, Xerxe ac Dario maior, quorum copijs siccata flumina prodiderunt. Irã ipse se dei uocitauit, nec nomini crudelitas defuit. Multas ac præclaras Asiæ urbes deleuit, homines tanquã pecora trucidauit, non ætati, non sexui pepercit. Damascũ nobilissimã Syriæ urbem diripuit atq; incendit. Pazaiten catena uinctũ prandẽs, quasi canem sub mensa sua comedere iussit, ascensurus equum, eo tanquã scabello usus est. Post cladẽ Pazaitæ, filij eius, qui cõplures erant, in potestatem uenere Græcorum, cum periculũ euasuri in Thraciam traijcere contenderent. Calapinus autem natu maior emissus à Græcis, tandem patrium regnũ obtinuit. Aduersus quem Sigismũdus rex Hũgariæ collatis signis præliũ iniens, tumultuose fusus, castra & impedimẽta reliquit, Christianorũ ingẽs occisio facta. Ioãnes dux Burgundiæ in eo prælio captus, multo auro libertatẽ redemit. Calapino mortuo Orcam eius

B

C

filio

filio tenella ætate adolescentulo Moyses patruus & uitam eripuit, qui paulopost sine filio desideraturus Mahumetem fratrem reliquit hæredem: is Valachis fortissimis & bellicosissimis nationibus trans Danubium (ut ante diximus) late dominantibus, bello attritis tributa grauia imperauit. Nonnullos in Asia Turcarum regulos armis oppressos regnis penitus spoliauit, Christianos sub imperio suo degentes, quàm durissime afflixit. Mahumete mortuo Amuratem eius filium, qui per id tempus in Asia morabatur, audita patris morte, in Thraciam traijcere conantem, imperator Græcorum diu prohibuit. Mustaphamque reliquum ex Pazaitæ filijs, ut rerum potiretur emisit, & summa ope prosecutus est, sed Mustapha pugna superato & interempto, Amurates uictor uniuersum regnum consecutus, Thessalonicam illustrem Græciæ urbem, quàm tum Veneti possidebant, ui captam, pugnatamque penitus diripuit, eaque uictoria auctus, Epirum atque Aetolia non obscuras prouincias reliquo regno adiecit. Illyriorũ agros uastãs, oppida multa ui cepit, diripuit, atque incẽdit: uxoribus more gẽtis quãplurimis iũctus est, inter quas Georgij Seruiæ Despoti filiã duxit. Nec diu post immemor affinitatis, aduersus eũ duxit exercitũ. Georgius impar generi potentiæ, furentẽ uerit⁹ hostẽ, relicto uno ex filijs, qui cũ præsidio Synderoniã tueretur, cũ cõiuge cæterisque liberis ac gẽtis suæ sacerdotib. in Hungariam profugit. Expugnata est tamen Synderonia ac direpta. Despoti filio lumen ademptum, Georgius patria expulsus, diu apud Hungaros exulauit. Ioannes Huniades iam per arma clarus, sæpe cum exercitu Seruiã ingressus, plurimis cladibus Turcas affecit, eorumque duces acie conflixit. Verum quamuis Seruiæ magnam partem recuperauit, non tamen Georgio cuncta restituit, multa dedit amicis. Neque iniuria, cum & ipse sua uirtute repulisset hostes, & Georgij suspecta fides esset, qui medius inter Hungaros ac Turcas nũc illos fefellisset. In his uero quæ religionis essent, neque Romanæ ecclesiæ auscultarent, neque Mahumetis legem sequerentur.

De bello contra Turcas ab Hungaris duce Ioanne Huniade commisso. Item de altero ab eisdem cõtra eosdem magno Christianorum detrimento habito, facto. Cap. V.

Libet, quoniam uentum est huius opera ad finem prosequi. Cum male pugnatum esset in prælio Varnensi, de quo paulò post dicemus, fugiens Huniades, in Seruiam se recepit. Sensit aduentum eius Georgius, atque obuiam factus uenientem intercepit, & quasi hostem coniecit in uincula. Nec prius dimisit quàm oppida suæ ditionis, ab eo pridem occupata recepit. Nec multo postea cum Ioannes uersus Sophiam copias duceret, uidereturque non parua Turcis illaturus damna, Amuratæ omnia Hungarorũ consilia patefecit. Vnde ille admonitus maximam Christianis intulit cladem, quemadmodum suo loco conferetur. Cum uero Turcæ Constantinopolim euicissent, atque in Seruiam ducere exercitum minarẽtur, secundo auxilia petens ad Hungaros transit, & in Austriam, neque profectus Ladislaum adijt regem, grandæuus iam senex dignus ueneratu, nisi recta de religione sensisset, ea in eo sermonis autoritas, ea corporis maiestas fuit. Accessit huc Ioannes Capistranus ordinis minorum professor, uitæ munditia & inter prædicatores Euangelij nostro tempore insignis, quæsiuit, an audire se uellet? Annuenti, quod Romana ecclesia credit & docet exposuit, diu secum per interpretem de sacris eloquijs disputauit, ut errorem suæ gentis relinqueret, magnopere cohortatus est. Ille hoc denique responsum dedit. Annis nonaginta uitam produxi, nec aliam religionẽ quam suscepi à patribus noui, sapientem me ciues mei, quamuis infelicem hactenus putauere, tu nunc quod sæpe agitant, senem delirum efficere cupis, laqueo uitam finire malim, quã patrum traditiones relinquere, atque his dictis è conspectu abijt: tam periculosum est religionem imbuisse damnatam. Reuersus domum, cum accepisset Michaëlem Zilagum, qui tum Albæ cum præsidio præerat, fratremque eius Ladislaũ quadrigis uectos urbem exisse, milites misit, qui eos uel comprehenderent, uel occiderent. Michaël ubi adesse hostes animaduertit, curru desiliens, equum quem pone ducebant ascendens ueloci fuga saluatus est. Ladislaus in quadrigis repertus, multis uulneribus confossus ac discerptus interijt: sed nõ impune id Georgio cessit. Cognouit & Michaël paucis post diebus illum

Ladislaus in quadrigis repertus confoditur.

A illum prope Danubij ripam iter habere,aggressusq; cum armatis captiuũ abduxit, cui dextræ manus duos digitos amputauit,cum se gladio defenderet.Redemptus est Georgius magno auri pondere,non tamen diu superuixit,cum truncæ manus fluor sisti non posset,atq; hic perfidi hominis exitus fuit.Lazarus filius post eum gubernationem suscepit,excluso fratre,nomine Georgio,quem quondam Amurates excæcauerat.Is cum sorore (quam nupsisse Amurati diximus)ad opem Mahumetis confugiens, frustra eius auxilium implorauit. Obijt deinde Lazarus,de cuius hæreditate non parua contentio exorta est.Georgius Turcarum auxilio paternum regnum uendicare nititur.Vxor Lazari relicta Hungaricas opes implorat,nec Tatecuzma Vlrici comitis Ciliæ quondam uxor ac Georgij,portionem hæreditatis desperat.Ioãnes Cardinalis Sancti Angeli ab Hungaris inuitatus,eò profectus,ut arces obsedit,cõmeatus penuria compulsus redijt. Iulianus cardinalis sancti Angeli aduersus eum missus, Hungarorum extulit animos, & arma sumere persuasit Rastianus,quæ Turcis in Hũgariam aditum præcludunt, aut Apostolicæ sedis nomine recipiat, aut Hungaris tradi curet. Rebus infectis non sine graui periculo (uix enim Turcarum manus euasit) Budam redijt. Nos Amuratis opera quæ medio cursu reliquimus,prosequamur.Magnus hic uir fuit,domi belliq; tam suis amatus quàm nostris odiosus,cum centum millibus pugnatorum intrauit Hungariam late populatus prouinciam,sterilis annus impedimento fuit,ne regno potiretur.Cõmeatus penuria compulsus redijt. Iulianus cardinalis sancti Angeli ab Eugenio pontifice maximo aduersus eum missus,Hungarorum extulit animos,& arma sumere persuasit. Exercitus Christianus usque Sophiam ad Artum magnum profectus est.Sæpe cum Turcis prospere dimicatum non sine Ioannis Huniadis ingenti laude,qui tum copias ductauit.Cuius nomen apud hostes adeo terrificum fuit,ut plorantibus pueris matresfamilias taciturnitatem non aliter imperarent,quàm Ioannis præsentiam minitãtes. Congregati tamen non paruo numero Turcæ, cum Christianis confligere non dubitarunt. Sed non tam felix eis pugna, quàm fortis animus fuit,superati uirtute Hungarica,multis cæsis,terga dedere.Hungari,qui bello interfuere,cupiditate gloriæ res suas ampliantes,ac de magnis maiora tradentes,Imperatori Frederico,superatos bello Turcas scripsere,triginta millia hostium cæsa,captaq; multo plura. Cardinalis sancti Angeli sex millia duntaxat hostium in eo prælio cecidisse suis literis affirmauit. Signa militaria nouem capta.Ioannem Huniadem non ducis tantum,sed militis quoque singulari uirtute usum,eiq; fides habita. Turcis è Christianorum uictoria plus pauoris quàm damni attulit,non Hungaricas tantum uires,sed Germanicas quoq; in se cõmotas arbitrantibus.Consternati ergo ac perculsi metu,perinde ac totus occidens coniurasset, pacem petiere.Hungari qui suas uires non ignorarent,nec tam potentiæ suæ quàm casui uictoriam imputarent,periculosum existimantes sæpius tentare fortunam,oblatas ultro conditiones pacis non recusarunt.Induciæ belli in decem annos dictæ, iusiurandum per sua sacra ambæ partes præstitere,Despoto Seruiæ quæ bello amiserat reddita.Molesta ea res Iuliano Cardinali fuit,cui prosequenda uictoria uidebatur, Eugenio quoque Romano pontifici nihil molestius nuntiari potuit,cuius menti nulla maior cura insedit,quã Christianæ fidei propagandæ.Scripsit igitur cardinali,nullum ualere fœdus, quod se incõsulto cum hostibus religionis percussum esset. Vladislao regi Poloniæ, qui eo tempore Hungariam occupabat,uti conuenta dissolueret,imperauit.Iuramenta remisit. Nouũ instaurari bellum,tum precibus,tum minis extorsit. Ex Christianis principibus auxilia petijt,præter Philippum tamen Burgundiæ ducem,neminem Christianæ religionis zelus commouit: hic solus classem instruxit,quæ usque in Hellespontum profecta, Turcis ex alia transitum prohibere in Europam conata est. Franciscus cardinalis Venetiarum, Eugenij nepos, cum pluribus triremibus eò missus classi præfuit. Vladislao qui alienum regnum inuasisset, è re sua uisum est, solitudinem belli prouincialibus non deesse. Accersitis igitur ex Bolonia ac Bohemia,cæterisq; uicinis gentibus auxilijs,coactis ex Hungaria copijs, Turcarum agros inuadere statuit,Ioanni Huniadi castrorum cura commissa quadraginta circiter equitum millia fuisse traduntur,plerique dimidio

Amurates cũ centum millibus armatorũ Hungariam intrauit.

Turcæ cõsternati ab Hungaris pacẽ petiuerunt.

Philippus Burgundus, solus classẽ in Turcas instruxit.

minorem numerum prodidere, reguli Hūgariæ pōtificesq; quāplurimi interfuere. Iulianus sancti Angeli cardinalis, milites cruce signatos nō paucos secum duxit. Iter per Valachiā receptū, deinde transito Danubio in Mysiā uentū, ut per plana et cāpestria loca in Romaniā trāsiret. Amurates hostiū cognito aduētu, cū Græcis ac Turcis in Europa manentibus nō satis cōfideret, exercitū ex Asianis militibus cōparauit. Sed augebāt animū traijciendi freti non mediocris cura, qui classem Apostolicam obtinere pelagus nō ignorabat. Anxio (ut aiunt) & multa uoluenti animo, Genuenses quidā curas ademere, qui suis nauibus accepta pecunia transportare copias promiserunt. Locus est ubi non amplius quā stadia quinq; latitudo freti cōtinet, inter Propōtidem & Euxinum pelagus, tantum est spacium quod Europā Asiamq; disterminat, Bosphorū Thracium dixere maiores, à Bizantiorū cornu sexaginta ferme stadijs distantem. Hic Amuratis exercitus trāsuectus est, aureo nummo uectoribus per capita tradito, quæ si uera est fama, centū millia fuisse ferunt. Nam Christiani locū attigerant, cui Varna est nomen, cum aduentare innumerabiles hostiū copias nunciatū est. Cedendū Vladislao Cardinaliq; uidebatur, & ne circumueniri ab hoste possent, munitū montanumq; locū petendum. Huniades aduersari ac resistere, Turcarū se nosse uires dicere, famā semper maiorem esse, quòd si Turcæ omnes adsint, Hungaris tamē impares fore. Illos aurea & discolori ueste, Hungaros ferro atq; ære fulgere, Christianum agmen & stare paratum & sequi, nec turba nec sarcinis prægraue intentum, quo dux non modo signet, sed etiam innuat. Contra si Turcarum mores inspiciantur, fœminas magis existimare debere quā uiros, si fugiat exercitus Christianus quē rex Hungariæ ducit, in quo legatus Apostolicus adest, in quo tot nobilissimi ꝓceres militāt, nūquā deinceps Hungaris cōtra Turcas futurū animū. Vicit Huniadis sententia, expectati hostes, postera die, siue maioris exercitus speciē præbuere quā fama ipsa uulgauerat, siue quod metuentibus omnia uero maiora uidētur, siue qđ Amurates in cogēdo milite, uulgatæ opinioni haud quaquā defuerat, territus Huniades eo cōspectu tum primū periculi magnitudinē animo uoluens, de fuga regē admonuit. Ille serū consiliū arguēs, perniciosam magis fugā quā pugnā dixit. Cōmisso prælio sperari uictoriam posse, sæpe minoribus exercitibus cessisse maiores, nec tam multitudinē bellatorum, quā audaciā & ordinē præstare uictoriā. Deum quoq; respicere meliorē causam, præstantioremq; se paucis (si modo audeāt) exhibere, fugiētes uictoriā hosti tradere, feriēdaq; terga, & multā suorum cedē. Magnifica quoq; uerba Ioānis pridie dicta, plenus irarū rex exprobrauit, iussisq; omnib. arma capere, præliū expectauit. Amurates in ꝓximo colle consederat, ex quo suos pariter atq; hostes spectare potuit, dato belli signo quindecim millia equitum qui pugnā prouocarēt, facto globo in Christianos impetum facere. Singulis albæ super loricas uestes fuere, quæ uento agitatæ instar alarū præ se ferebant, totidē uiridibus induti sagulis sequebātur. Aurea equorū frena multorū uisa, & multis galearū argenti atq; gēmarū nitor, ipsas quoq; gladiorū uaginas prægrādes uniones ornabant. Nō detractauere Christiani certamē. Itum est ferocibus in pugnā animis: Superior acies nostra Turcas in fugam uertit, quàmplurimas primo impetu prostratis. Perculit ea res magno metu Amuratē, nihil tale uerentē, fugisset protinus prodito exercitu, nisi circumstātes Satrapæ cōprehenso eius equi freno, ignauiā eius increpassent, fugientiq; cōminati necem fuissent. Perstitit ergo uel inuitus, iussisq; fortissimis arma sumere, præliū instaurauit. Pugnatū est summa cōtentione pluribus horis, nūc Christianis, nunc Turcis propinquior uictoria sese præbente. Cadebant hinc atq; inde quāplurimi, plures ex Turcis quorū corpora parum tecta, facile sagittæ ensesq; penetrabant. Postremo tum nouus in hora hostis incedere & sauciorum loca integri occupabant, non tam uirtute quā numero superati Hungari, paulatim referre pedem cœpere. Tum Vladislaus cum globo suorum, equos erga se non minus fortes quàm fidos habuit ex Polonia, ut hostes ex acie uictores diuerteret. Christianisq; animū redderet, in tumultum quem teneri ab Amurate diximus, circumiectosq; undiq; currus impetū fecit. Ibi noua pugna commissa, nouus iniectus Amurati pauor, trepidatū totis castris, nec iam consistendi animus aderat. quod si Huniadi par animus ac regi fuisset, & arridenti fortunæ dedisset manus, haud dubium quin ea

Genuēses notantur.

Vide Turcarum ornatum in bello.

D

E

F

A quin ea dies & Amurati uitam & posteris eius imperium Græciæ abstulisset. Verum ipse, ut primum cedere Christiana signa conspexit, cum millibus Hungaris ac Valachis ex acie se subtraxit, atque insalutato rege nutante adhuc uictoria fugam arripuit, fortasse rei militaris perito nulla in pugna salus uisa, & saluare aliquos quàm perire omnes maluit. Poloni acceptam eo prælio cladem, Huniadis uecordiæ, atque ignauiæ tradiderunt, ipse sua consilia spreta conquestus est. Vladislaus suæ sorti dimissus, dum fortiter circa munimenta hostium pugnat equo deiectus, obtruncatus est. Caput eius hasta infixum per Græciam atque Asiam in signum uictoriæ populis ostentatum. Poloni ad unum cæsi omnes, direpta castra, & quæ munitiones curruum tuebantur: necati episcopi, & proceres Hungariæ qui aderant eadem calamitate oppresi. Iulianus Cardinalis dum fugit amisso prælio, cum iam hostes euasisset, Hungarorum perfidiam euadere non potuit. Potum equo dantem apud stagnum forte repertum latrunculi quidam nouere, & arbitrati pecuniam apud eum esse, deiectum equo necauerunt, & ablatis uestimentis nudum cadauer feris ac uolucribus dimisere. Hic exitus uiri fuit magni certe & admirabilis, in quo nescias doctrina maior an eloquentia fuerit. grata hominis præsentia, blandi mores, uita in omni ætate nitida, religionis zelus, qui omnia pro Christo & mortem ipsam uere suaserit. Huniadem (ut ante diximus) fugientem, Despotus Seruiæ cepit. *Iuliani cardinalis exitus miserabilis.*

B Poloni regem suum iam peracto bello pluribus annis uiuere crediderunt, captum non interfectum arbitrati. Cardinali Venetiarum eius culpa cladis magna in parte imputata est, qui neque fretum (uti par fuerat) custodiuit, neque transuectos hostes Christianis ducibus (quod secundum fuerat eius officium) nunciauit. De numero cæsorum minime constat, illud exploratũ est, longe plures ex Turcarum acie cecidisse, cæterum pro numero copiarum longe maius damnum Christianis illatum. Victor Amurates neque fugientes hostes insecutus est, neque gloriabundus inter suos magnifica uerba iactauit, neque ut ante assueuerat, hilarem uultum ostendit. Interrogatus quidnam tristior esset, & cur non uictis hostibus exultaret: Nollem (inquit) hoc modo sæpius uincere, iubensque uasa collígi, copias quæ superfuerant domum remisit. Ipse Adrianopolim reuersus, deo suo quæ uictoria fecerat uota persoluit. Exin uoluens animo, regni curas ueræ felicitatis expertes esse, inconstantiam quoque fortunæ ueritus, quæ nulli perpetuo bona est. accersitis prouinciarum maioribus, Mahumetem ex liberis suis natu maiorem pro se regẽ constituit. Ipse priuatam deligens uitam, in Asiam profectus, cum paucis otij sui comitibus, religioni cuidam solitariæ sese addixit. Calibassa inter Satrapas Turcarũ opibus & autoritate maior, Mahumeti, qui nondum per ætatem aptus esset imperio, gubernator datus. Reliqui regis filij, ne quas regno turbas excitarent, more gentis necati sunt. Felicius apud Turcas priuatis quàm regibus liberi nascuntur. *Victor Amurates tristior.*

C *De alio bello per Huniadem, qui ignominiam apud Varnam acceptam abolere cupiebat, celeriter apparato, & quod Amurates à uita priuata ad bellum ducendum sit reuocatus, Cap. VI.*

Effluxit deinde non paruum tempus, in quo nec Hungari Turcas, nec Turcæ Hũgaros armis lacessere præsumpserunt. Sua quenque calamitas domi attonitum tenuit, cruentissima Varnensis pugna uires utriusque partis eliserat. Nec Turcis, neque Hungaris ex bello idoneus erat, hos Huniades, illos Calibassa alieno nomine gubernauit: ferocior Huniades, reique militaris peritior, ignominiam Varnæ acceptã obliuisci non poterat. unde dies noctesque meditabatur, quo nam pacto abolere infamiam, & resarcire damna maxime posset. Spem bene gerendæ rei Turcarum quies præbuit, qui iampridem nullum belli apparatum ostenderant, uires illis atque animos defuisse ratus, tempus idoneum existimauit in quo pristinam recuperare gloriam posset, Turcasque pessundare, quibus si adsint exercitus, imperatorem tamen prorsus defuturum arbitrabatur, nec magis existimandum exercitum sine duce, quã ducem exercitu carentem. Coactis ita repente copijs ex Hungaria, accersitis Bohemorum auxilijs, mercenariorum quoque militum, non parua manu coacta, ducere exercitum in Turcas statuit, quos prius aggredi ac conficere credidit, quam nouissime ex Hungaria nunciaretur. Eam rebus gerẽdis solertiam ac celeritatem adhibuit. Consiliũ eius Gregorius Despotus Seruiæ (ut ante dixi

mus) Turcarum ducibus patefecit, magnumq; genti periculum imminens maius osten dit. Perculsi eo nuncio Turcæ quid agerent non satis intelligebãt. Amurates iam senior religioni addictus, regni curas abiecerat. Mahumetes ætate minor tantũ belli molem ferre posse non credebatur, Callibassæ defuturam obedientiam putabant, qua nihil est in bello magis necessarium, Trepidare igitur, æstuare, modo huc, modo illuc mentem conuertere, nullum consilium satis placere. hærẽtibus in deliberatione satrapis, nihil tandem salubrius uisum, quàm reuocare ob ocio Amuratem, neque enim ueterani militaturi sub alio credebantur, nec fortunam belli cunctandam arbitrabantur, quàm sub eo qui uincere consueuisset. Calibassa eius sententiæ autor fuit. In qua re Mahumetis animum uehementer offendit, cupientis in ea expeditione sese uirum ostendere uerentisq; ne imperium amitteret, si pater iterum regnum assumeret: ut sunt hominum mutabiles uoluntates. Missi ergo legati Amuratẽ reuocauere, qui comparato mox exercitu in hostem profectus, non aliter quã si ad prædam pergerent alacres milites duxit. Iam Huniades cum copijs Sophiam transierat, prostratisq; qui occurrerant locorũ præfectis, hostiles agros late populatus, loco qui Basilia uocatur castra posuerat. Cum aduentare Amuratis copiæ nuntiantur, nõ expectauit Huniades prouocari, prior ipse pugnam init. Cõmisso prælio anceps diu certamen mansit. Qua parte pugnauit Huniades, fusi hostes terga dedere, nec parua strages edita, pari modo & Amurates in cornu suo uictor. Hungaros fugit. Postremo cum uictor uictorem incurreret, non tulerũt Christiani Turcarum impetum, qui quãquam uirtute præstarent, numero tamen superati, nõ tam uicti quàm fessi cõpulsi sunt cedere. Huniades postquã suos neq; minis neq; precib. sistere potest, cum paucis ex bello profugit. Multi Hungariæ proceres, & nonnulli ecclesiarum episcopi in eo prælio cecidere. Gregorius miles ad internecionem cæsus, nec tamen paucio res ex Turcis interiere, emptã multo sanguine uictoriam, Amurates domũ retulit. Nec diu postea relicto Mahumeti regno, quemadmodum prius destinauerat, mortem obijt. Corpus eius more maiorum in Bursa sepultũ. Ea est Bithyniæ ciuitas, & Asiatici regni caput. Paulo antequã obijsset, Amurates uxorẽ duxerat, filiam Sponderbei nobilis in Penderacia satrapis, ex qua natũ filium nomine Chialapiũ sextum agentem mẽsem, Calibassæ moriens cõmendauit. Ille Mahumetis gratiam initurus, & matrem & puerum ei prodidit. Mahumetes accersitis triginta (ut aiunt) matronis quæ puerum cognoscerent, postquã certamen Amuratis sobolem esse constitit, strangulatum matri filium reddidit. Funusq; regio more fraternum duxit, auspicia regni parricidio consecrans. Sunt qui Calibassam alienum puerum Chialapini nomine supposuisse ferunt, illumq; pro filio Amuratis necatum, Chialapinum uero apud Constantinopolim clam educatum. Post capturam uero urbis inde subtractum, ac Venetias ductum, & hunc esse quem Calixtus pontifex maximus pro fratre Mahumetis in palatio custodiri iubet. Nos uero periculum ad Græcos remittimus, quamuis multa in hisce rebus figmẽta interuenire non ignoramus. Et sæpe tonsoris filios, regio defungi honore uiderimus.

De Mahumete fidei Christianæ ferali inimico, & quod Constantinopolim Thraciæ urbem excellentissimam armis, & Christianæ fide spoliauerit, Cap. VII.

MAhumetes igitur defuncto Amurate gubernacula regni ex uoto adeptus, instituta maiorum pro ingenio correxit. Leges ipse suas domi forisq; tulit, ærarium locupletauit, noua uectigalia excogitauit, copias auxit, in proceres aut aulicos sæuire contumeliari'ue cœpit. Hic est ille Mahumetes qui Constantinopolitanus (ut supra innuimus) bellum intulit, de quo nunc referre ut accepimus haud alienum fuerit. uoluerat iam pridem animum Mahumetes, quonam modo Constantinopolim sibi subigere posset, neque ad suam gloriam pertinere arbitrabatur, urbem in medio Turcarum sitam esse quæ suo imperio non pareret, tantoq; maius inde nomini suo decus accedere, si eam urbem expugnaret, quanto progenitores sui idem conati, turpius à ceptis destitissent. Cũ paucis igitur participato consilio, castellum iuxta littus ad ostium Bosphori paulo ab urbe remotius, aliud dissimulãs incredibili celeritate extruxit, atque muniuit, bellum deinde urbi non modo indixit, sed contra multa fœdera, contra iusiurandum intulit, simul

& gerere

A & gerere cœpit. Senserant eius animũ Græci, diffidẽtesq; suis uiribus ad Latinorũ opes cõfugerãt, lachrymis auxilia expectãtes. Surdæ (Proh pudor) nostrũ principũ aures fuere, cæci oculi, qui cadente Græcia, ruiturã Christianæ religionis reliquã partem non uiderunt, quãuis priuatis quẽq; aut odijs aut cõmoditatibus occupatũ, salutẽ publicam neglexisse magis crediderim. Mahumetes interea coactis undiq; copijs, mirabili apparatu, formidãdo animo & impetu, terra mariq; regiã urbẽ aggressus, cuniculis ac latẽtibus fossis altissime actis, aggere late edito, ponte, qua Peram oppidum uersus mare muros alluit urbis, lõgitudinis ad duo millia passuũ raptim extructo, turribus ligneis eo usq; erectis, ut muros quãuis altissimos excederent, machinamentorũ tormentorũq; multiplici adhibito genere oppugnata est urbs, defensaq; summis utrinq; uiribus. Non paucis diebus ad extremum uoce præconis totis castris inclamatũ est, quinto Calen. Maij milites omnes ieiunium sanctificent, sequẽte die in armis adsint. Vrbẽ extremis uiribus oppugnaturi triduo, ciuitatem militũ direptioni futurã, cõstituta die ieiuniũ ad noctẽ usq; seruatum. Exin lucentibus stellis inuitationes ac conuiuia passim habita, & quisq; amicum propinquum notumq; habuit, cum eo hilaris epulatus est: atq; ubi satis adhibitum, tanquam se deinceps nunquã uisuri essent, amplexati, exosculatiq; simul ultimum uale dixerunt. In urbe autem sacerdotes sacras ferentes imagines, sequente populo, urbem lustrare, auxiliũ de cœlo petere, affligere corpora ieiunijs, atq; orationibus uniuersi ciues intendere. Subsecuta nocte, ad sua quisq; loca defendenda rediere. Erant muri urbis & altitudine & crassitudine toto orbe celebres, sed ob uetustatem & Græcorũ incuriã pinnis ac propugnaculis nudi. Antemuralia uero opportune cõmunita. In his Græci salutẽ posuere. Armati milites inter muros et antemuralia pugnam sustinere decreuerunt. Triangularem pene urbis formam fuisse tradunt. Duas partes alluit mare. Nec muri desunt ad pulsandos nauales impetus idonei. Quod reliquum est, ad terram uergens post alta mœnia & antemuralia (quæ annotauimus) ingenti clauditur fossa. Cœptum est prælium paululum ante lucem, cum miles Turca periculi quã moræ patiẽtior esset, ac uulnera & sanguinem prædarum dulcedine pensaret, pugnatum est in tenebris maiore Turcarum pernicie, in quos tela superne librabantur. At postquã illuxit, dato signo undiq;, non solum Constantinopolis, sed etiam ipsa quoq; Pera, ne quid auxilij Græcis præstaret, oppugnari cœpta est. Sua cuiq; legioni murorum pars, ac portarum attributa, ut discretus labor fortes atq; ignauos distingueret, & ipsa contentione decoris militum uirtus magis ac magis accenderetur: pari modo & nauales socij attributas partes inuadere iussi. Admouentur urbi ligneæ turres. Conuectant milites dolabras, falces, scalasq;. Et iam elatis super capita scutis, densa testudine succedunt. Græci saxorũ pondera prouoluunt, disiectam fluitantem testudinem lanceis contisq; perscrutantur, donec soluta compage scutorum exangues lacerosq; prostrauerunt, fit strages. Et iam Turcæ deficientibus animis, languidius pugnãt. Sed adest Mahumetes fortissimum quenq; nominatim uocitans, utq; in prælium redeant adhortatur: hos præmijs allicit, illos minis deterret. Instauratur ex integro certamen. Turcæ rursus subruere murum, portas quatere innixi humeris, & super iteratam testudinem scandentes, prehẽsare hostium tela brachiaq; nituntur. Iterum integri cum saucijs, semianimes cum expirantibus euoluuntur. Cernitur uaria pereuntium forma, & plurima mortis imago: Ioannes Iustinianus apud Genuam Ligurũ Metropolim nobili loco natus, qui superioribus diebus solus urbem defendisse uidebatur, in hoc certamine uulneratus, ubi fluitare sanguinem suum animaduertit, ne cæteros deterreret, medicum quærens, clam sese pugnæ subtraxit. Sed imperator ut abesse Iustinianum cognouit, quo ierit percontatur. Inuentumq; rogat ne pugnam deserat. Ille nihilo magis flexus, aperiri portam iubet, qua curaturus uulnus in urbem redeat. Erant enim obseratæ urbis ianuæ, quibus ad antemuralia patebat iter, ne qua fugiendi facultas militi esset, ac propterea fortius hosti resisteret: fit interea remissior defensio, quod Turcæ aduertentes, acrius incumbunt. Et quoniam pars muri iam tormentis æneis disiecta, fossam magna ex parte oppleuerat, per ruinas ipsas scandẽtes, antemurale conscendunt, Græcosq; loco deturbant. Porta quæ Ioãni patuerat omnibus aperta, fugam

Cõstãtinopol. pene triangularis duabus partibus mari alluitur.

Cõstãtinpol. oppugnatur.

profuſiorem reddit. Tunc imperator non ut regem decuit pugnando, ſed fugiẽs in ipſis portæ anguſtijs cum cecidiſſet, oppreſſus calcatusq́; obijt. In tanta multitudine pugnatorum duo tantum reperti ſunt, qui ſe uiros oſtenderint, alter Græcus, alter Dalmata, Theophylus Paleologus, & Ioãnes Schlauus, qui fugere turpe putantes, cum diu Turcarum impetum ſuſtinuiſſent, multosq́; obtruncaſſent, deniq́; non tam uicti quã uincendo fatigati, inter cadauera hoſtium occubuere. Iuſtinianus in Peram cum diuertiſſet, inde Chium nauigauit, ibiq́; ſeu uulnere ſeu mœſtitia morbum incidẽs, inglorius uitam finiuit. Felix ſi in ipſis Bizantij mœnibus animam exhalaſſet. In ingreſſu portæ octingenti circiter milites ex Latinis Græcisq́; periere, partim uulneribus à tergo cõfoſsi, partim cõuerſione oppreſsi. Et iam hoſtis ſuperiorem murũ tenebat, ſaxaq́; in ciues deuoluẽs, ingredientibus ſuo auxilio erat. Tum ſubito capta urbe, cæſis omnibus qui reſiſtere auſi ſunt, in rapinas eſt itum. Erat uictorum infinitus numerus, in libidinẽ, in ſæuitiam corruptior, non dignitas, nõ ætas, nõ ſexus quenquã protegebat. Stupra cædibus, cædes ſtupris miſcebantur. Senes exacta ætate, fœminas uiles ad prædam in ludibrium trahebãt: ubi adulta uirgo, aut quis forma conſpicuus incidiſſet in manus rapientium diuulſus, ipſos poſtremo direptores in mutuam perniciẽ agebat. Dum pecuniã uel grauia templorum dona ſibi quiſq́; traheret, maiore aliorum ui truncabatur. Cumq́; in exercitu maximo ac diſſono, ex ciuibus ſocijs atq́; externis conflato, diuerſæ linguæ, uarij mores, atq́; cupidines eſſent, & aliud cuiq́; fas, nihil illicitũ toto triduo in Cõſtantinopoli fuit. Templum Sophiæ Iuſtiniani Cæſaris opus, toto orbe famatum, & cui comparari alterum nequeat, nudatum ſacra ſupellectile, ad omnes ſpurcitias patuit: oſſa martyrum, quæ fuerant in illa urbe pretioſiſsima, canibus obiecta & ſuibus. Sanctorũ imagines aut luto fœdatæ, aut ferro deletæ. Altaria diruta. In templis ipſis aut lupanaria meretricum facta, aut equorum ſtabula. Coacti ſunt ſerui uerberibus ac tormentis dominorum abdita ſcrutari ac eruere. Inuenti non pauci theſauri, quos in ipſo belli principio infelices ſuffoderunt ciues. Quibus ſi pro defenſione urbis uſi fuiſſent, ſuam fortaſſe uitam, & patriæ libertatem ſeruaſſent. Sed auaro in aurum nulla poteſtas: captiui omnes in caſtra deducti, pudet dicere Chriſtianorum dedecus, dicam tamen & poſteritati tradere non uerebor, quando perſuaſum mihi eſt futuros aliquando & fortaſſe antequã moriar, qui tantã ſaluatori noſtro illatam ignominiam ulciſcantur. Simulacrum Crucifixi quem colimus, & uerum deum eſſe fatemur, tubis ac tympanis præeũtibus raptum ex urbe, hoſtes ad tentoria deferunt, ſputo, lutoq́; fœdant, & ad noſtræ religionis irriſionẽ iterum cruci affigũt. Ex in pileo, quem ſartulum uocant, capiti eius impoſito, corona undiq́; facta, hic eſt (inquiunt) Chriſtianorum deus. Tum lapides, lutumq́; iactantes, miris dehoneſtãt modis. Sed nihil hæc obſunt deo noſtro cœlum tenenti. Nec maieſtatem eius quoquo modo imminuere poſſunt, cuius ea gloria, ea ſublimitas eſt, ea beatitudinis perfectio, ut nec laudibus humanis extolli, nec humiliari uituperijs ullis poſsit. Nos iſta lædunt, atq́; confundunt, qui per ignauiam atq́; deſidiã, dum ueri dei cultum perire ſinimus, & in hoc ſeculo bonum nomen & in altero ſpem ſalutis amittimus. Poſt hæc conuiuatus Mahumetes, cum forte plus ſolito adhibuiſſet, ut ſanguinem mero adderet, principes optimatesq́; ciuitatis captos, crudelis & ſanguinarius carnifex fœde miſereq́; iugulari iuſsit. Rirelucas qui apud imperatorem plurimum poterat, cæſo ante oculos maiori filio, altero ad illicitos uſus reſeruato, ſecuri percuſſus eſt: duo eius alij filij occiderant in bello. Iſidorus cardinalis in eo tumultu captus, cum ueſte mutata non fuiſſet cognitus, trecentis aſperis ſeſe redemit, id eſt genus pecuniæ admodum leuis. Multi & Veneti, & Genuenſes, & Latinorum, alij gladio cæſi ſunt, quidam multo redempti auro. Inſignis hic annus fuit expugnatione Conſtantinopolitana, tam Chriſtiano populo fœdus ac lugubris, quã Turcarum genti fauſtus lætusq́;, qui ab ortu ſaluatoris Chriſti ſecundus et quinquageſimus ſupra millenum quadringenteſimus cucurrit. Perenſes uetus colonia Genuenſium, qui & Galatæ nuncupantur, cognita Byzantiorum clade, priuſquàm rogarentur, Mahumeti deditionem fecere. Muri urbis diruti, multorum bona contra fœdus direpta, fœminæ puerique ludibrio habiti.

Conſtantinopol. capitur.

Pie lector huc & oculos & animum uerte.

An. ab ortu domini 1452. Cõſtãtinop. à Turcis capta

D E F

De Mahu-

A *De Mahumete in Hungariam ad Saum usque flumen exercitum ducente, & ab Albi uulnere sub papillam accepto turpiter refugiente, Cap. VIII.*

CAlibassæ, qui ad eum diem non sine Mahumetis displicentia uixerat, tanquã Constantino imperatori Turcarum consilia prodidisset, per miseros cruciatus uita erepta, ingentes quas cumulauerat opes, exitio ei fuisse traduntur, & quod Amuratem dimisso imperio ex priuata uita reuocauit ad regnum. Auctus eius pecunia Mahumetes, tanto rerum successu tumens, in Hungaros expeditionem parare cœpit, qua per triennium circiter instructa, accersitis ex omni regno proceribus, penetratis Thraciæ montib. cum maximis atq; infestissimis copijs ad Saum usq; flumen peruenit: cẽtum quinquaginta millia hominum in eius exercitu fuisse traduntur. Pleriq; tertiam partem huic numero subtraxere. Calixtus tertius, qui per idem tẽpus Romanã cathedram sortitus erat, Ioannem Cardinalem sancti angeli, cuius supra meminimus præstãti uirtute uirum, qui Germanos in arma contineret, Turcarumq; compesceret impetum, ad eas partes legatum misit. Is promissa peccatorum indulgentia, cunctis qui contra Turcas militare uellent, adiuuante Ioanne Capistrano, qui per idem tempus Hungaris euangelizabat, cruce signatorum haud paruum congregauit exercitum, non diuitum ac nobilium, sed inopis atq; incompositi uulgi. Surdæ opulentum aures euangelio, nec diuinus sermo principibus auditus. Contenti præsenti rerum statu potentes, futurum Christi regnum non nisi
B morientes inquirunt: credula paupertas facile prædicatoribus obedit. Supra quadraginta millia, signum crucis accepere. Tecta magis fide, quàm ferro acies. Huniades quoque non paruas copias in armis habuit. Appropinquabat spe plenus, et incredibili superbia tumens Mahumetes, nec iam sibi uel montes, uel flumina obstare putabat, gloriari inter suos Hungariam iam pene uictam asserere, Latinorum imperatorem in propinquo esse dicere, deleto Græcorum imperio, Latinorum instare finem, Turcis omnia paritura, spolia ingentia promittere, Germaniam atq; Italiam militum direptioni offerre, peruia cuncta Turcarum armis iactare. Sed quàm gloriosus eius aduentus, tam turpis atq; infamis recessus fuit. Albam ad confluentes Danubij Sauiq; sitam paruam urbem oppugnare adorsus, obtinere nequaquam potuit, perfregit machinis priores muros. Irrupere in urbem eius acies, pugnatum est interdiu noctuq;. Nunc uicti, nunc uictores uisi hostes, ad extremum uulneratus sub papilla Mahumetes, relictis impedimentis, per noctem trepidus aufugit: huius pugnæ seriem in historia Bohemica comprehendimus. Non est cur hoc loco latius insistamus. Autores uictoriæ tres Ioannes habiti, Legatus Cardinalis, cuius auspicio res gesta est, Huniades & Capistranus, qui prælio interfuere. Verum neq; Capistranus Huniadis, neq; idem Capistrani Huniades mentionem fecere, in eis literis, quas deo obtenta uictoria, siue ad Romanum pontificem, siue ad amicos
C scripsere, per suum quisquam ministerium deum dedisse Christianis uictoriam affirmauit. Auarissima honoris humana mens, facilius regnum & opes quàm gloriam partitur. Potuit Capistranus patrimonium contemnere, uoluptates calcare, libidinem subigere, gloriam uero spernere non potuit. Dicat forsitan aliquis, non suum illi honorem curæ fuisse, sed dei, qui per pauperes & inermes rem Christianam saluare uoluerit. Cedimus huic assertioni, quamuis et Huniades ministrum se uictoriæ, non autorem dixerit: ferunt Mahumetem ab eo tempore nunquam postea eius cladis meminisse, quin mentum barbamq'ue manu demulcens, quassansq; caput, ei diei maledixerit, qua pugnam ad Albam conseruit.

Mahumetes sub papilla uulneratus trepidus aufugit.

De Macedonia, urbibus, fluminibus, montibus, & alijs in ea rebus, Cap. IX.

PRoxima Thraciæ ad occidentem ac meridiem coniungitur Macedonia, terrarum imperio quondam potita, quæ inter duo maria protenditur, Aegæum & Adriaticum. latus eius meridionale Thessaliæ atq; Magnesiæ terga protegunt, partem septentrionalem Pæonia & Paphlagonia excipit, quamuis & ipsæ regiones in Macedonum postea iura concesserint, Macedoniæ additæ, Epirus quoque Macedoniam attingit, ex Illyrica terra, altera meridiem, septentrionem altera excipiens. In Adriatico littore Dyr-

rachium uetus ciuitas iacet, ab Cherroneso ubi sita est, nacta uocabulũ, Epidamnus antea dicta, & à Corcyræis olim condita. Nec procul infra Apollonia fuit optimis instituta legibus, Augusti Cæsaris, qui Græcas ibi literas didicit studio memorabili. In altero littore Thessalonica est, potens quondam ciuitas, quam cum epistolæ Pauli apostoli, tũ magni Theodosij præceps atque implacabilis ira famatam reddidere. Indignatus enim ob cæsos in eo iudices, alioqui dementissimus imperator, uniuersum urbis populum trucidari mandauit, undecim millia uirorum cæsa traduntur. Non tulit Ambrosius Mediolanensium pontifex tam immane facinus incorreptum. Imperatorem ab ingressu templi prohibitum, subire pœnitentiam compulit. Nec maximus princeps pastoris subire iudicium recusauit. hinc lex promulgata, ut lata super morte hominis sententia, ante dies triginta non exequatur. hanc urbem liberæ conditionis fuisse Plinius tradit. Strabo conditorem eius Philippum Alexandri patrem affirmat, ambo eam attribuunt Macedoniæ. Andronicus Emanuelis imperatoris Constantinopolitani filius, hac in parte hæreditatem accepit. Demumq; Ioannis fratris odio qui patri successit in imperio, Venetis tradidit. Amurates Turcarum (ut ante diximus) imperator eripuit, hic reliquam Macedoniam usque ad montes Pæoniæ, & quam modo Albaniam uocant, imperio suo subiecit. Mira rerum mutatio & fluxa humani imperij gloria. hæc est Macedonia quæ duobus inclyta regibus, Græcia Thraciaq; subacta imperium protendit in Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucasum subiugauit. hæc in Bactris, Medis, Persis dominata, toto oriente possesso, Indiæ quoque uictrix, per uestigia Liberi patris atque Herculis, signa circumtulit. Hæc eadem nostra ætate spurcissimæ Turcarum genti subiecta, tributum pendere, iugum ferre miserrimum cogitur. Magnesiam quoque ac Thessaliam nostro tempore Turcarum arma inuaserunt. Nobilissimi montes Olympus, Pierus, & Ossa: Pindus insuper & Othrys, Lapitharum quondam sedes, Turcarum imperio parent, penes quos quinq; & septuaginta urbes fuisse olim Plinius affirmat. Totum Peneũ Turcæ possident, inter flumina Thessaliæ clarissimum, iuxta Gomphos hic fluuius oritur, interq; Ossan & Olympum, nemorosa cõualle defluens, quingenta ferme stadia percurrit, dimidio eius spacij nauigabilis. In eo cursu Tempe uocatur, quinque millium passuum longitudine, ultra uisum hominis attollentibus se dextera, leuaq; leniter connexis iugis. Intus sua luce uiridante allabitur Peneus, uiridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus auium concentu. Arripit amnem Euroton, nec recipit, sed olei modo supernatantem (ut dictum est ab Homero) breui spatio portatum abdicat: pœnales aquas, dirisq; genitas, argenteis suis misceri recusans, hæc Plinius de Peneo. Tot Christianis bona Turcarum arma eripuere, quamuis nostram magis desidiam incusauerim. In Thessalia regem fuisse tradunt nomine Græcum, à quo Grecia dicta sit. Helenum quoque in eodem loco regnasse, à quo Helena nuncupata est. Homerus tribus nominibus Thessalos appellauit. Myrmidonas, Helenas, & Achæos. Hic Termopilarum angustiæ Persarum cæde insignes. Quæ licet olim Xerxis impetum tenuere, Turcarum tamen armis claudere transitum minime potuere.

Græcus rex à quo Græcia.

De Boëtia, Thebis montibus & fontibus sacris in ea, Cap. X.

POst Thessaliam Boëtia succedit ab ortu in occasum porrecta, Euboicũ mare Oetaneumq; sinum contingens, Thebarum claritate apud omnes ferme historicos nominata, hæc musis natale in Heliconis nemore, hic saltus Cithæron, & Ismenius amnis, & fontes Dirce, Arethusa, & Aganippe. Quæ patria quondam Liberi patris atque Herculis fuit, quæ fortem produxit Epaminundam. Non cedens Athenis claritate ciuitas, ea nostra ætate exiguum castellum Thebarum est, & à Turcis proximis annis cum reliqua Boëtia occupatum.

De Hellade, quæ & Græcia & Attica est dicta, Cap. XI.

SEquitur Hellas, quæ à nostris appellata Græcia ἀκτὴν, id est, littus prisci uocauere. Mutato deinde nomine Atticam dixere. Homerus cũctos Atticam incolentes appellauit Athenienses, cum non ædificata forent Magara, protenditur autem Attica ex Boë-

A ex Boëtia usq; Isthmum, ubi columna fuit, in qua hic inerat titulus, in parte Peloponnesum spectante: Hæc Peloponnesus, & nō Ionia. In parte uero Megara intuente, hæc non Peloponnesus est, sed Ionia. Idem enim Attici & Iones fuere, qui tum de finibus cū Peloponnesiacis sæpissime disceptassent, hanc tandem Romano consensu columnam erigi obtinuerunt. Atticam quamuis saxosam & sterilem, pleriq; tamen mirificis laudibus extulerunt, deorumq; domicilium esse dixerunt loca ipsa possidentium & parentū heroum. In hac ciuitas Atheniensis quondam nobilissima fuit, nullius indigna præconij: tanta eius superfuit claritas. Eadem nostro tempore parui oppidi speciem gerit. In eo tamen saxo quo uetustum Mineruæ templum fuit, arx est per omnem Græciam nominata, cum operis magnitudine, tum difficultate oppugnationis: hanc Florentinus quidam Mahumeti tradidit, cum imploratis Latinorum auxilijs nullius opem inueniret. Rura ei ob eam rem tradita, in quis æuum ignobile ducat.

De Peloponneso & eius forma, de Isthmo, Examilio muro ab Amurato diruto, Cap. XII.

PEloponnesus Atticæ iungitur, totius Græciæ arx quondam dicta. Nam præter habitantium in ea gentium nobilitatem atq; potentiam, ipse locorum situs principatum designat & imperium. Multi sinus insunt, & promontoria multa: insignes etiam & per-
B magnæ urbes, Cherronesus ipsa locorum uarietate iocunda. Formam eius platani folio simillimam dixere, longitudine ac latitudine ferme parem. Ab occasu in ortum stadiorū mille & quadringēta Perimetros siue ambitus omissis finibus (ut Polybio placet) stadia quatuor millia continet, Artemidorus quadringēta super addit, cui & Plinius cōsentire uidetur, Isidorum autorem consecutus. Idem duo maria terram ambire dicit, Ionium et Aegæum. Angustiæ, unde procedit Isthmos appellatur, quinq; millia passuū latitudinis cōtinentes. has angustias perfodere Demetrius rex, dictator Cæsar, Caius princeps, Domicius Nero infausto (ut omnium exitu patuit) incepto tentauerunt. Hic Corinthus nobilis colonia fuit. Græci principes postquā Turcarum potentia in Europam penetrauit, ex mari ad mare producto per angustias muro, Peloponnesum à reliqua Græcia distinxerunt, murum Examilium appellauere. Hanc prouinciam hodie Moream Latini uocāt. In ea Achaia continetur Messenia, Laconia, Argolis, & Arcadia, quæ medium peninsulæ obtinet. Amurates expugnata Thessalonica, subacta Boëtia, & Attica, præter Athenas ad Examilium usq; profectus, perterritis Græcis, diruit murum, tributumq; annuū exegit, dedentibus se Peloponnesibus imperauit. At cum Hungari instante Iuliano Cardinali sancti Angeli, aduersus Turcas arma sumpsissent, confectisq; nonnullis feliciter prælijs, amplius instarent, urgerentq'ue hostes, Constantinus qui postea apud Constantinopolim imperauit, ibiq; necatus est (ut ante diximus) huius prouinciæ De-
C spotus, animo auctus, & negare Turcis tributum, & Examilium instaurare non dubitauit. Ob quam rem magna deinde pecunia multatus est, & Examilium denuo destructum, cum uictor Amurates apud Vrnam Hungaros deleuisset, deuicta Constantinopoli, Albani, qui plures Peloponnesum incolebant, sumptis armis, Demetrium & Thomam Constantini fratres regno deijcere annixi sunt, nobilem quendam græculum ad regium fastigium assumentes. Vtraque pars Mahumetis auxilium implorauit. Illi nobilior pars uisa iustior. Auxilia aduersus Albanos Demetrio fratriq; tradita, Albani subacti prioribus dominis paruere. Mahumeti *XVII* millium aureorum tributum pensum. Thomas quamuis hæreditario iure imperatorem se dicere posset, cuius maiores longa serie Græcorum nomini imperauerant, metu tamen Mahumetis eo titulo abstinuit. Cum Calixtus pontifex max. Christianos principes, in sui pontificatus initio, aduersus Turcas inuitaret, existimauit Thomas Turcarum imperium proculdubio ruiturum, Mahumetiq'ue tributum negauit. Cum uero non tam magnifica facta quàm uerba esse animaduertit, pro soluto tributo & adiectis donis Mahumeti reconciliatus est. Nunc uero (si uera est fama per hos dies allata est) uiolatæ fidei maiorem subire pœnam compulsus, Mahumeti prorsus subiectus est, Peloponnesus tota Turcarum imperio adiecta. Egredienti Peloponnesum per angustias Isthmi ad reliquā Græciam, Strabo &

Pelopō platani folio similis.

bo & Plinius occurrere Atticam tradunt, Ptolemæus Achaiam, cuius fines hoc modo describit: ab occasu Epyrum, à septentrione Macedoniam, & partem Aegæi pelagi collocat. ad orientem eiusdẽ maris terminos ponit, usq; ad Sunium promontorium. ad meridiem Adriaticũ pelagus iuxta littus, quod Achelous amnis irrumpit, in Corinthiaco sinu. Quod si ita est, Atticam, Boetiã, Phocidem, Thessaliam, Magnesiam, Aetholiam, & Acarnaniã Achaia ipsa cõplectitur. Idem tamẽ Ptolemæus alio loco mediterraneas Peloponnesi ciuitates enumerans, Elicẽ, Buram, Helenã, Pheream in Achaia esse dicit, & propriam esse Achaiã intra Peloponnesum affirmat. Nobis qui pro nostri operis instituto res Peloponnesiacas & Atticas breuiter absoluimus, & ad occidentem festinamus. D

De Acarnania, & strage memoratu digna à Io. Vintimilio in ea facta, Cap. XIII.

ACarnania prior occurrit, inter Epyrum Boetiamq; protensa, cui Aetholia uel coniuncta uel commiñsta esse uidetur. Hæc hodie Ducatus appellatur. Ioannes Vintimilius natione Siculus, filiam suam Despoto Acarnaniæ in matrimonium dedit. exin uexantibus Acarnaniam Turcis, ac generum obsidentibus, cum parua equitatu mare traiecit, obsessores inuasit, stragemq; memoratu dignam edidit. nam parua manu ingentes fugauit copias, salutemq; genero peperit. Qui tamen paulo post per insidias captus à Turcis, regnum amisit Epirum, tamen adhuc eius nomine teneri ferunt.

De Epiro XIIII gentes autore Theopompo continente, quod apud eam Paulus Aemilius imperator Romanorum urbes LXX. funditus euertit, quodq; in sinu Ambracio Cæsar Augustus Antoniũ & Cleopatram bello Attico deuicit, Cap. XIIII E

EPirus in occidua parte ab Acrocerauniis montibus incipit, protenditurq; uersus orientem usq; ad Ambracium sinum, per stadia mille trecenta Septentrionalem eius partem Ptolemæus Macedoniæ cõiungi tradit: orientale Achaiæ, usq; ad ostia fluminis Acheloi: occidentale latus Ionico excipi pelago asserit. Strabo Ausonium hoc idem mare appellauit. In Epiro XIIII fuisse gentes Theopompus tradidit, quarum celebratissimæ Chaones & Molossi. Regnum enim quandoq; tenuere prius quidam Chaones. posterius Molossi, qui propter regum cognationem ex Aeacidarum sanguine prognati, mirum in modum amplificati fuerunt, penes quos Dodonæ uetus oraculum ac nobile uiguit. Oram huius terræ maritimam felicem atq; uberem tradidere. Multæq; olim urbes & oppida munitissima in Epiro fuere. Sed propter populorum rebelliones, qui cum Romanis contenderunt, prouincia uastata est. LXX enim Epirotarum urbes à Paulo Aemilio Imperatore funditus euersas esse autor est Polybius, uictis Macedonib. & Persa rege superato. Ex quibus maximum numerum uiris Molossorum extitisse, & mortalium centum quinquaginta millia in seruitutem redacta. Plinius Veronensis hanc cladem Macedonibus attribuit, duasq; urbes ruinæ adiecit. Credo quia Macedones Epirator imperium obtinebant, utranq; gentem uno nomine Pliniũ cõprehendisse. Apud Epirum Actiaca pugna late memorabilis commissa est, in qua Cæsar Augustus Marcum Antonium nauali prælio uicit, & simul Aegypti reginam Cleopatram. Nam & ipsa huic certamini præsens interfuit: ob quam rem uictor Augustus in Ambracio sinu urbem condidit, eiq; uocabulum indidit Nicopolim, id est, uictoriæ ciuitatem. Ambracii sinus ostium, paulo quàm stadia quatuor maius est. Circuitus stadia trecenta amplectitur, optima omni ex eius parte statio. Ingredientibus occurrebant olim à dextra habitantes Græci Arcarnanes, & Apollinis Actii templum quodam in tumulo ad ostium eminẽs, cui campus subiacuit, lucumq; habens et naualia, in quibus Cæsar undeuiginti naues decimarum nomine reposuit, ab uno remorum ordine usq; triremes adiungens. Sinistra uero Nicopolis est, & Epirotarum colonia Cassiope, nostra ætas Epirum Artam appellat. Circa littus eius paucis ante annis præfectus regiæ classis nomine Villamarina triremes Venetorum insecutus comprehendit, atque incendit. In eodem littore Acroceraunеos montes finiri Adriæ uel Adriatici maris nauigationem, & Ionium incipere pelagus, Straboni uisum est, apud quem mare Ausonium, idem quod Ionium esse apparet, cum Epiri oram Ausonio ablui pelago affirmet. F

Epirotarum urbes 70. à Paulo Aemilio funditus euersæ.

De Albania

De Albania, inter Dyrrhachium & Apolloniam, regione, Cap. XV.

A QVæ nunc Albania dicitur, olim Macedoniæ portio fuit, ad occidentem uersa inter Dyrrhachium & Apolloniam fuisse prodidimus, non incelebres prisco seculo ciuitates. Sermo genti neq; Græcis, neq; Illyricis notus. Credimus hoc genus hominum ex Albania quodam uenisse, quæ uicina Colchidi in Asiatica Scythia memoratur: ut sæpe barbarorum inundatio nationū, Græciæ atq; Italiæ prouincias occupauit. In hac terra potens Camusa fuit, qui Christianis parentibus ortus, parum tenax catholicæ fidei, ad Mahumetis insaniam declinauit. Sed quā leuiter Christum deseruit, tam facile Mahumetis sacra contempsit. Rediit enim ad paternam legem, & quamuis utranq; religionē contempserit, neutri fidus, Christianus tamen mori quā Turca maluit, paulo post Constantinopolitanam cladem morbo extinctus. Georgius Scanderbechius eius hæreditatem accepit, nobili loco natus, qui ætatem pene omnem in armis pro Christi nomine pugnando consumpsit, multas & magnas Turcarum turmas bello uicit atq; deleuit. Solusq; quodammodo regionem illam in Euangelio Christi continuit, quamuis hodie toties hostili ferro petita, magna ex parte deserta feratur. Rex Alphonsus sæpe milites in Albaniam misit, & Troiam urbem in potestatem receptam à Turcis defendit. Nepos Scanderbechij ex fratre, cum Turcarum parti fauens, insidias patruo moliretur, ab eo captus, & ad Alphonsum missus, in carcerem coniectus est. Calixtus quoque Romanus
B pontifex auxilia pecuniaria Scanderbechio non pauca misit. Valona in Albania non magna ciuitas est, in portu maris sita, qua breuissimus est in Italiam tractus. Hanc Pazaites primus ex Turcis occupauit. Rebellantem Amurates recuperauit. Nescio quod malum minatur Italiæ.

De Illyricis gentibus, de Manichæis hæreticis, deq; Matronis certo tempore post infirmitatem cum monachis promiscue manentibus, Cap. XVI.

POst Albaniam Illyricæ sequuntur gentes, ad occidentem septentrionemq; uersæ. hoc genus hominum nostra ætas Schlauos appellat, & alij Bosnenses, alij Dalmatæ, alij Croacij, Istri, Carniq; nuncupantur. Bosnenses introrsus ad Pannoniam uergunt septentrioni expositi, reliqui adiacentes mari ad Timaui usq; fontes protenduntur, hinc Ausoniam, illinc Pannoniam intuentes. Timauus autem in intimum Adriatici maris sinum excurrit, cuius fontem matrem appellari maris Strabo prodidit. In Bosna rex gentis Despotus Stephanus nomine (sic enim reges appellare suos consueuere) quamuis Christi religionem sectaretur, diu tamen Baptismi sacramento abstinuit. Sed anno superiore uocato ad se Ioāne Cardinali sancti Angeli, cuius sæpe meminimus, ab eo baptismatis unda perfusus, et sacris nostris rite initiatus, Turcis (quibus cum fœdere iunctus erat) bellum indixit. Nunc paululum nutare affirmatur. In hac regione quàmplurimum hæretici possunt, quos uocant Manichæos, pessimum genus hominum, qui duo principia rerum produnt, alterum malorum, alterum bonorum. Nec primatum Romanæ ecclesiæ tenent, neq; Christum æqualem cōsubstantialemq; patri esse fatentur: horum cœnobia in abditis montium conuallibus sita feruntur, in quibus ægrotantes matronæ seruituras sanctis uiris, si euaserint, ad certum tempus deo uouent. Redditæ sanitati permittentibus uiris uota persoluunt, promiscue in monachos præfinito tempore uiuentes: hanc labem nulla sedis Apostolicæ decreta, nulla Christianorum arma delere potuerunt. Sinit ad nostram exercitationem regere hæreticos deus.

Manichæi hæretici.

C

De Dalmatia & Croacia, & ubi nam Liburnia, Cap. XVII.

IN Dalmatia Raguseos magnis affecit cladibus Stephanus, inter Bosnenses & Dalmatas ducatum possidens, & Manichæorum ueneno infectus, qui & si Christianos per insidias captos, sæpe Turcis uenundauerit, mittere tamen Oratores Romam, & auxilia sedis Apostolicæ petere nō erubuit: eius belli sumptus ex Christianis petens, quod gesserat in Christianos. Nec defuere qui tam impijs uerbis aures accommodarent.

¶ In Croacia mulier Australis, quæ nuptias comitis, cum esset inferior sanguine, morum præstantia & formæ elegantia meruit: dum laxandi animi gratia ex castello in castellum obequitat, subito Turcarum interuentu capta, & apud eos aliquandiu detenta, impatientia

impatientia tandem mariti non paruo auro redempta est. ¶ Quærat fortasse aliquis: D
ubinam Liburniam dimiserimus, quàm permeasse Antenorem Italiam petentem insignis poëta commemorat: Confusi sunt admodum prouinciarum fines, nec expedire noua facile est, ne dum quis uetustissima possit absoluere. Plinius Liburniæ finem initiū esse Dalmatiæ dixit, & Tragurium marmore notum in ea esse. Solonam quoq; coloniam, quæ ab Iadera.ccxxij.millibus passuum abfuit. Iaderam uero clx. à Pola distare. Ex quo fit, ut inter Croatinos & Dalmatas Liburni sedes habuerint, forsitan & Croatini nouū gentis nomen Liburnorum loca inuaserunt. Nobis hæc indicasse sufficiat. Si quis certiora desiderat, priscos euoluat autores. Ptolemæus Liburniam & Dalmatiam atq; Illyridem simul confudit. Et Illyridi quidem à septentrionali plaga Pannoniam occurrere dixit, ab ortu, superiorem Mysiam, ab occasu Istriam, à meridie Macedoniam & Adriaticum littus.

De Istria hodie Schlauonia dicta, & quod Pomp. Mela & Nepos Istrum amnem à Danubio in Adriam fluere falso crediderunt. Cap. XVIII.



Istriam ueteres Italiæ tradiderunt, in qua Parentium et Pola est, & Iustinopolis, quam caput Istri uocant. Inconuenienter Italiæ tamen iungitur Adriatico sinu disiecta, & in peninsulæ modum circundata mari, qua continenti applicatur à tergo, lapidea est et montana regio, quam prisci Albiam uocauere. Plinius Istriam adhærere Liburniæ dixit. Ex quo palam fit, Croatinos Liburnorum loco succedere. Istriam ab Istro amne dictā ferunt, quem à Danubio in Adriam fluere falso credidere. Cui errori et Pomponius Mela, &

A la, & Nepos Padi accola aures adhibuit. Nullus enim ex Danubio amnis in Adriaticũ effunditur mare. Argonautarum eos fabula decepit, quos per Istrum ex mari Pontico in Istriam uectos memoriæ proditum est. Sed constat eos in Istro in Sauum aduerso flumine nauigasse, deinde Nauponturn, quem Labacum hodie appellari putauerim, cuius paludem Lugeum Strabo appellat. Ex Nauponto uero per montes humeris uecta, nauis in Adriaticum prouenit. Istri hodie Schlaui sunt, quamuis maritimæ urbes Italico sermone utuntur, utriusq; linguæ peritiam habentes: pars prouinciæ melior ea Venetorũ, quæ maritima imperio subiecta est. Mediterraneam domus Austriæ possidet. Oppidũ sancti Viti, quod ad flumen Titum situm est, Valenses habent. ex quo loco ad Aquileiam mille stadia esse Tutidanus, qui domuit Istros tradidit: finem Italiæ Musiæ fluuium tradidere. In hac terra nihil ætate nostra memoria dignum gestum esse accepimus, quã quod australes & Venetos magna de finibus contentio agitauerit, & utriusque partis subditi armis contenderint: ad quas lites componendas, nos aliquando ab imperatore missi, quamuis inducias belli fecimus, & nouos terminos constituimus, uniuersam tamen litem amputare nequiuimus.

De Carnis, & Iapidibus, Cap. XIX.

B CArni inter quos Iapides enumerantur, Istros sequuntur. Schlaui tamen, quorum sermo regionem obtinet, Carnos bifariam diuidunt, duplicem Carniolam esse dicentes: Alteram siccam & aquarum indigam, in qua Istros ponunt, & Tarsos qui medios inter Labatum & Tergestum incolunt montes, & ad Timauum usque proferuntur: Alteram irriguam, in qua flumen Sauus ortum habet & Naupontus, qui Labatus hodie appellatur, & alij plures fluuij. In hac prouincia dum Fredericus imperator coronam regni Teutonici apud Aquensem ciuitatem peteret, Vlricus comes Tilliæ, & Albertus imperatoris frater coniunctis uiribus, Labatum insigne oppidum ex flumine cui adiacet dictũ obsidione cinxere, diuq; machinis omnis generis oppugnauere: sed à Frederici militibus non sine clade repulsi, & castris exuti, diuitem suppellectilem perdidere: hoc oppidum Schlaui & Itali Lublanã uocant, ex Lugea palude sumpto uocabulo.

De Carinthia, ritu apud eam in nouo principe creando, quomodo nobiles ex Ingonis principis conuiuio ad Christi fidem fuerunt inclinati, de consuetudine in fures, & de comite Henrico uiro corruptissimo, Cap. XX.

CArinthia montana & ipsa regio Carnis applicatur ad ortum ac septentrionem, Stiriæ iuncta ad occasum ac meridiem, Alpes Italos & forum Iulij contingit. Multæ in ea ualles collesq; feraces tritici, multi lacus, multi amnes, quorum præcipuus Drauus, qui per Stiriam ac Pannoniam in Danubium fertur, haud inferior Sauo. imperium pro-
C uinciæ Australes obtinent, & archiducem appellant, cui ea regio paret. Quoties nouus princeps reipublicæ gubernationem init, solennitatem nusquam alibi auditam obseruãt. Non lõge ab oppido sancti Viti, in ualle spaciosa, uetustæ ciuitatis reliquiæ uisuntur, cuius nomen temporis aboleuit antiquitas. Iuxta in pratis late patentibus, marmoreus lapis erectus est, hunc rusticus ascendit, cui per successionem stirpis id officium hæreditario iure debetur. Ad dexteram bos mater nigri coloris extat, ad sinistram Paramatiæ deformis equa, frequens circa eũ populus & omnis rustica turma. Tum princeps ex aduersa pratorum parte procedit, purpurati circum proceres ambiunt. Vexillũ ante ipsum, et insignia principatus. Comes Goritiæ, qui palatij curam gerit, inter duodecim minora uexilla præcurrit. Reliqui magistratus sequũtur. Nemo in eo comitatu non dignus honore uidetur, nisi princeps ipse præ se rustici speciem ferens. Agrestis ei uestis, agrestis ei pileus, calceusq; & baculus in manu gestantis pastorem ostendit: quem postquam rusticus ex lapide uenientem conspicatus est, sermone Schlauonico (sunt enim & ipsi Carinthiani Schlauiæ) Quis hic est inclamat, cuius tam superbum incessum uideo? Respondent circunstantes, principem terræ aduentare. Tum ille: Iustus ne iudex est, salutem patriæ quærens? liberæ cõditionis dignus honore? est ne Christianæ cultor fidei et defensor ac propagator? Respõdent omnes: est, & erit. Rursus ille: Quæro igitur quo me iure ab

Creatio noui principis.

hac sede dimoueat? Ait Goritiæ comes LX denarijs abs te hic locus emitur. Iumēta hæc tua erunt, bouemq; atq; equam ostendens. Vestimenta quoq; principis quæ paulo ante exuit accipies, eritq; domus tua libera & absq; tributo. Quibus dictis rusticus leui alapa principi data, bonum iudicem esse iubet: & surgens, iumentaq; secum ducens, loco cedit. Princeps uero conscenso lapide nudum gladium manu uibrans, ad omnem se partem conuertit, æquum iudicium populo promittens, ferunt & aquam frigidam rustico il latam pileo bibere, tāquam uini usum damnet: deinde ad templum solenne pergit, quod in propinquo tumulo situm est, sanctæ Mariæ uocabulū habens, & olim pontificale fuisse traditur: ubi peractis sacrificijs, princeps rustica indumenta deponit, paludamentūq; induit, conuiuatusq; splendide cum proceribus, in prata reuertitur, ibiq; pro tribunali sedens, ius petentib. dicit, et fundos confert. Fama est anno DCCXC post Christi saluatoris ortum, imperante Carolo Magno, ducem gentis Ingonem nomine, ingens conuiuium prouincialibus præparasse, & agrestibus quidem ad conspectum suum intromissis, in uasis aureis atq; argēteis, nobilibus uero ac magistratibus procul ab oculis collocatis, fictilibus ministrare iussisse: interrogatum cur ita faceret, respondisse, non tam mundos esse qui urbes & alta palatia, quàm qui agros & humiles casas colerent. Rusticis qui Christi euangelium accepissent, baptismatis unda purificatis, candidas et nitidas esse animas: nobiles ac potentes, qui spurcitias idolorum sequerentur, sordidas ac nigerrimas: sic uero pro animarum qualitatibus instruxisse conuiuium, castigatosq; ea re nobiles cateruatim sacri baptismatis undam quærentes, breui tempore sub Vergilio & Armone Iuuaniensibus episcopis, uniuersos Christi fidem accepisse. hinc honos in uestiendi principis rusticati datus. Fuit autem dux Carinthiæ uenator imperij, ad quem lites uenatorum omnium deferebantur, uocatus in iudicio coram imperatore, querelantibus non nisi Schlauonica lingua respondere tenebatur. Multa huius prouinciæ ornamenta fuisse commemorant, multa priuilegia, facile id creditum est, quando imperatorem Ludouicum eius terræ ducatum filio, suo Arnolpho primogenito contulisse non est ambiguum. Est & alia prouinciæ huius consuetudo, in oppido quod Clagefurtinum appellant, contra fures durissima. Si quis in furti suspitionem inciderit, mox captus laqueo suspensus uitam finit. Sumpto supplicio, post triduum de suspitione iudicant, si reum fuisse necatum inueniunt, pendere cadauer infame sinunt, donec sua sponte consumptum decidat: sin uero depositum in cemiterio condunt, iustumq; funus à publico faciunt, & animæ gratas exequias, in hac prouincia Comes Goritiæ Henricus uir muliere corruptior, impuberes filios media nocte ad potum fugere compulit, increpitans qui sine siti somnum agerent, cum pastoribus ac rusticis sæpius, quàm cum nobilibus diuersatus est. senex super glacie cum pueris lusit. Inter uulgata scorta frequentissime lauit, raro in aula pransus est, solus coquum adiens, offulas in ipsa popina uorauit. Vestes induit uiles ac perunctas, pectus nudum & apertum ostendit. Oculi semper lachrymantes fuere, quem cum aliquando ad se uenietem Fredericus imperator ex fenestra intuitus esset, me uocitans: age (inquit) Aenea, principem, qui ad nos properat, contemplare, si quem mundiorem pulchrioremq; uideris aliquando, effare. Mihi, cum satis principem Comitesq; considerassem, fœda rusticitas uisa est, quæ dominatum assecuta, egregiam nobilitatem seruitio præmeret. huic uxor natione Hungara forma præstanti, & audacia plusquàm uiri, cui uincula indidit, mox Vlrici comitis Ciliæ auxilio liberatus, uxorem domo pepulit. Nec diu post uita functus, filios bonæ indolis adolescentes & matri quam sibi similes reliquit hæredes.

Henricus Comes uir muliere corruptior

De Stiria olim Valeria dicta, quod Fredericus Comes uxorem suam amore concubinæ propria manu interfecit. Item quod nobilis quispiam qui seipsum laqueo suspendere sæpe cogitabat, optimo in missa audienda est usus remedio. Cap. XXI.

STiria quam quondam Valeriam inuenio nuncupatam, ad orientem Pannoniæ iungitur, latus eius septentrionale Austriam respicit. ad occidentem & meridiem Carnis & Carinthianis occurrit, eadem quoque montana prouincia est, quamuis in orientem porrecta, planicies non paruas habeat. Drauus ac Mura insignes fluuij terram irrigant.

A gant. Mura in Drauum exoneratur, ille in Danubium. Vrbium populi plerūq; Teutones Schlaui, qui citra Drauum rura colūt, imperium Australis familia. Est in ea uetus oppidum quod Ciliam uocant, nonnulli Syllacem appellatum existimant, & opus fuisse L. Syllæ, de qua re nihil nobis exploratum est. Multæ ibi uetustatis reliquiæ uisuntur, & Romanorum nomina, principum sepulchralia marmora referunt. In eo præfuit ætate nostra Fredericus comes, qui cum esset in libidinem pronissimus, & olim Veronicæ concubinæ incensus amore, legitimam coniugem ex comitibus Croaciæ natam, sua manu interemisset, concubinam uero pater eius Hermannus (ut est potentum iustitia) in profluentem demersisset, uxores passim maritis abstulit, puellarum greges in palatium rapuit, prouinciales pro mancipijs habuit, ecclesiarum bona diripuit, monetarum falsatores, ueneficos, ariolos, nigromantas undique ad se consciuit, & quamuis anno iubilei iam nonogenarius, indulgentiarum causa Romam petisset, reuersus tamen nihilo melior uisus, interrogatus quid sibi Roma profuisset in pristinos mores relapso, & calceator meus inquit ad consuendas ocreas post uisam Romam redijt. Huic uita functo Vlricus filius successit per cætera similis, ingenio tantum & eloquentia maior. Quo (sicut dictum est) interfecto quatuor & uiginti competitores fuere, ut qui uiuens undique bella consciuerat, moriens quoque seditiones excitaret. Sed optimates terræ possessionem
B Frederico imperatori tradendam censuerunt ea lege, ut competitoribus secundum prouinciæ consuetudinem in iudicio responderet. Relicta Vlrici armis defendere quæ possidebat decreuit. Fredericus manu potenti quum plura castella obtinuisset, in Cilia tandem receptus est, arces loci tradente Ioanne Viconitio natione Bohemo, qui cum fuisset magister militiæ comitis. accepta Cæsaris pecunia, à coniuge eius defecit. Sed mox pœnitentia ductus grande scelus ausus, & inexpiabile facinus tanq̄ scelus scelere redempturus, Imperatorem iam sibi securum, & cum paucis Ciliæ morantem nocte concubia interripere aggressus est. Corruptis nanq; oppidanorum plerisq;, qui sibi aduenienti partem oppidi traderent, hora constituta cum octingentis equitibus intromissus, cuncta miscere armis cœpit. Affuit diuina pietas Frederico, quæ illi præter consuetudinem in arce superiori à natura & humana ope munitissima, ea nocte dormiendum suaserat. proceres qui remanserant in oppido capti omnes, inter quos & Ioannes Vngnadi cunctis Stiriensibus opulentior, cum Georgio fratre abductus est. Nec Vlrico Austriæ cancellario, quamuis esset episcopus, & ad templum confugisset parsum est. Vsqueadeo apud homines nostri seculi diuina & humana perierunt. Fama est, eaq; celebris, inter Stirienses nobilem quempiam fuisse, cui sæpe in animum ceciderit, seipsum laqueo suspendere. Id ægre ferentem ex docto quodam uiro remedium petiuisse aduersus eam tentationem. Consilium datum, proprium uti sacerdotem conduceret, qui sibi manenti in
C arce quadam solitaria singulis diebus rem diuinam faceret, paruisse nobilem, atque annum ferme continuasse, nulla suspendij cogitatione interueniente. Postremo rogatum à sacerdote, ut presbytero uicino, qui templi dedicationem in proximo monte habiturus esset, auxilio esse posset, licentiam dedisse, proponentem in animo paulopost sequi & sacris interesse. Stetisse diu postea, nunc una, nunc altera causa retentum. Denique circa meridiem profectum agresti cuidam in nemore occurrisse, qui rem diuinam in monte peractam esse, & populum omnem abijsse diceret. Contristatum eo nuntio, ignobilem infelicemq́ue se esse dicentem, qui eo die sacrum Christi corpus non uidisset, agrestem consolari cœpisse. Venditurum, si uellet nobilis emere præmium quod inter existendum diuinis meruisset, sagumq; nobilis petiuisse pretij nomine. Venditione facta, nobilem nihilominus montem ascendisse, atque orasse in templo. Reuersum autem, in proxima arbore suspensum agrestem inuenisse, sed postea diris cogitationibus haud quaquam uexatum fuisse. In prouincia decoctum sal ad uicinas regiones importatur. Ea & ferri mineras locupletes habet, & argentifodinas non ignobiles, quamuis incuria principum argentū haud multum effodiatur.

Io. Viconitius grande scelus est ausus.

 D



E

AVſtriam deſcribere hoc loco haud neceſſarium exiſtimamus, de qua propriam hiſtoriam edidimus. in ea prouinciales poſt obitum Alberti Cæſaris Frederico ſe cōmiſerunt, ea lege, ut ſi maſculum prægnans regina pareret, tutor eius eſſet. Si fœminam, terræ dominus. Nato (ut prædictum eſt) Ladiſlao, tutelam eius Fredericus accepit. Milites qui ſub Alberto meruerant, cum ſtipendio ſe fraudatos dicerent, prouinciam latrocinijs ac incendijs uaſtauere. Eorum uexatio LXX millibus aureis à Frederico redempta eſt, cum Bohemi & Hungari excurſiones in Auſtriam facerent. Ex ſororibus Ladiſlai maior natu Gulielmo duci Saxoniæ nupſit. Ioannes Huniades cum regni Hungariæ coronam à Frederico fruſtra repetiſſet, cum duodecim millibus equitum ingreſſus Auſtriam, omnem agrum inter Viennam & Stiriæ montes diripuit atque incendit. Petentem Italiam Cæſarem rogauerunt Auſtrales, uti Ladiſlaum qui iam prope modum adoleuiſſet, in paterna hæreditate apud ſe dimitteret. Reiecta petitione, autoribus duobus Vlricis, altero Ciliæ comite Eyezingero, ſumptis armis rebellauere. Redeuntem ex Italia Fredericum apud nouam ciuitatem obſidione cinxere, quibus et Henricus Roſenſis natione Bohemus cum ducentis equitibus & mille peditibus ſeſe adiunxit. Et quamuis F à Nicolao Pontifice maximo iuſsi eſſent, ne tutelam Cæſaris impedirent, contemptis apoſtolicæ ſedis mandatis, & tantæ maieſtatis autoritate deriſa, ſceleratum propoſitum tenuere. docta eo tempore Viennenſis ſchola indoctam ſententiam protulit, quæ per appellationem ad futurum concilium interponendam ſuſpendi poſſe Romani præſulis mandata reſcripſit. Ciuitas Viennenſis & omnis Auſtria ex eo tempore ſemper in armis fuit, temeratæ religionis pœnas pendens: Ceſsit furenti populo Fredericus, pupillumq́ adhuc tenerum ea lege in manus comitis Ciliæ tradidit, ut conuocatis ad urbem Viennam utriuſque paratis conſanguineis & amicis, de tutela, de oppidis, deq́ue cæteris contentionibus principum, qui uocati conueniſſent, arbitrium diffiniret. Ladiſlaus ſumma populorum alacritate apud Viennenſes exceptus, cuncta ex uoluntate comitis adminiſtrauit. Ad conſtitutum diem concilij Ludouicus Bauariæ et Gulielmus Saxoniæ duces, Albertus quoque Brandeburgenſis, Carolus Badenſis Marchiones conuenere. Tum multi ex Bohemia, plures ex Hungaria Barones. Imperator legatos miſit, quibus & nos adiuncti fuimus, diu de re partium diſceptatum. Sed cum omnia ex arbitrio uictoris agerentur, nec leges defenderent quem arma non protexiſſent, infectis reb. diſceſſum eſt. Negata ſunt omnia quæ promiſerat Auſtrales imperatori, dictū omne

Vexatio militum 70. millibus aureis à Frederico redempta.

A omne indictum fuit, neque literis neque sigillis autoritas habita, barbara fide actum. In eo conuentu Ladislaus Ioannem Huniadem qui sibi regnum à Turcarum inuasione seruasset, ad principatus honorem euexit, qui suggesto in magno foro apud Carmelitas erecto, sede sedens aurea regali paludamēto ac diademate ornatus, comitatum ei Bistricensem commisit, quod eo in loco minime licuit. neque enim regni Vngariæ sub imperio Romano maiestatem gerere ius est: sed tanta reuerentia legum quanta eis per arma siue datur siue relinquitur. Comes Ciliæ, cum regem quo libet impellit, & ad se cuncta rapiens Eyezingerum Viennensesque contemnit, concubinam quam uiro interfecto sustulerat, reginali penè honore dignatur. Ex fauore tandem regio cadit, & annitente Eyezingero è curia pellitur: quem in exiliū proficiscentem, quatuor tantum equites comitati sunt, Alberto marchione Brandeburgensi, ne per contemptum à populo lapidaretur, ad portam usque urbis securitatem præbente. Sed quàm fœda & miserabilis eius fugam, tam superbus & fauorabilis reditus fuit. nam post annū cum iam ex Bohemia rex rediisset, suadentibus primoribus Austriæ baronibus, reuocatus, cū mille equitibus argento & auro fulgentibus Viennam repetiit, cui ad portas urbis & rex ad mille ferme passus exiit, & omnis nobilitas redeunti gratulata est. plebs quoque quæ pauloante lutum ac lapides in fugientem iactare tentauit, sternere uiam floribus, qua redeūti transitus fuit, minime dubitauit. Vt est in utranque partem immodica, siue amauerit, siue oderit, mira rerum mutatio, & ludentis fortunæ iocus. Eyezingerus extra gratiam regis factus, in castella sua recedens, imperatori quem grauiter offenderat, reconciliatus est. nec diu postea adeo superbi erant, qui Ladislai regis partes sequebantur, ut nouæ ciuitatis suburbia, in qua Cæsare absente iacebat puerpera imperatrix, intrare præsumpserint, & urbē expugnare contenderint. Quod ubi non successit, exustis quæ obtinuerant locis abierunt. fuit sæpe inter Cæsarem & regem incassum tractata concordia, neque enim comes Ciliæ dum uixit, ex re sua existimauit, unanimes esse Austriæ principes ac eo mortuo, cum Eyezingerus è Bohemia missus ad Cæsarē, leges pacis utrique parti gratas dixisset, & iam quietura propediem Austria uideretur, interitus regis subito nunciatus, non solum concordiam perturbauit, sed magnarum rerum & reipublicæ Christianæ salutarium exorientem spem, prorsus abrupit: australes & à Cæsare & ab Alberto fratre de tradenda gubernatione requisiti, prouincialium conuentum habuere, in quo legati Cæsaris seniori Austriæ principi (is erat Imperator) debere prouinciam dixere. Albertus suo & Sigismundi patruelis nomine regiæ partem hæreditatis exposcēs, suasque calamitates & inopiam tanto sanguini alienam referens, commiserationem inducere conatus est. Conuentus responsio fuit, facturos prouinciales quod ius æquitasue dictaret, postquam fratres inter se conuenissent. Interea latrones trās Danubium in Austriam ad Morauæ fluminis ripam, munitū C locum occupauere, omnemque circa regionem rapinis atque incendiis uexare cœperunt. Aduersus quos profectus Albertus latrones ui cepit, interfectisque pugnando compluribus, quingentos & quinquaginta captiuos abduxit, ex quibus LXXX furca suspendit. Quæ res magnum ei apud Australes & nomen peperit & fauorem. Vlricus uero Eyezingerus cum uisitato apud nouam ciuitatem Frederico imperatore, cuius parti studebat, Viennam repetisset, uocatus ab Alberto nihil mali suspicans fidenter eum adiit, à quo mox captus in uincula coniectus est, & in priuato carcere clausus. Indigna res uisa ciuibus, murmurare, damnare omnes factum, nemo tamen auxilium misero afferre. Imperator sæpe rogatus, Viennam petere aliquādiu distulit, ueritus ne qua fraus inesset. Interim Sigismundus ex Athesi ad Viennam descendit, deinde ad nouam ciuitatem profectus, principatus insignia ab imperatore accipiens, pro ueteri consuetudine in eius uerba iurauit. In qua solennitate & Albertus affuit, qui paulopost cum Sigismundo Viennam repetiit. Et ambo aduersus imperatorem conspirantes, Austriam sibi subigere conati sunt. Quorum studia sentiens imperator, Viennam petere statuit. Et accersito Ludouico, Bauariæ duce, magni nominis principe, eò se contulit, imperatrice sequente. Appropinquanti, urbanus populus obuiam perrexit. Albertus quoque & Sigismundus nobili comitatu extra urbem imperatorem salutauere. Habebat Albertus tria circiter equitum

Vlricus Eyezingerus ab Alberto uocatus in uincula coniectus est.

tum millia in armis expedita, quæ non longe à Vienna in quodam tumulo imperatori se ostentauerunt, magnumq; metum uenienti incussere. Suspicionem auxit Albertus, qui sæpe ad eos profectus ac seorsum locutus, insidias apparasse Cæsari uidebatur. Ferunt eius militiæ duce Alberto dixisse, facile si libet hodie Viennæ te dominum atque Austriæ facio. Nam quis prohibet quo minus Fredericum imperatorem eiusq; comites intercipiam? In me tantum soluta deinceps hæreditatis quæstio erit. Victori leges atque homines fauent. Subdubitasse Albertum aliquantisper, demumq; respondisse: Poteram ignoscere, si quod ais me ignorante fecisses, at mandare turpia non possum. Postquam introgressi urbem sunt Albertus & Sigismundus, in domo quæ Pragensis appellatur, simul habitauere, Imperator priuatas ciuium ædes incoluit. Arx Prouinciali um nomine custodiebatur. Conspirauere Sigismundus & Albertus eam noctu aggredi, atque irrumpere. Armataq; militum manu iter ingressi, iureiurando se astrinxere, non redituros domum, nisi arcem intrassent. Sensere ciues, moxq; arma sumentes, præsidium in arce maius collocauere. Instabat ciuile bellum, & atrox pugna pro arce. Nec dubium uidebatur quin magno suo malo principes commissuri prælium essent: stetit diu res in ancipite. Ciuibus tueri arcem stabile propositum erat, ducibus (qui arcem intrare iurassent) turpe uidebatur infecta re domum reuerti. Et uim inferre, plenum periculi erat. Postremo conuentum est, ut ingressi principes, arcem paululum immorati, potato uino exirent: atque ita delusa magis quàm impleta religio est. Postridie arx consensu Prouincialium, in tres partes diuisa, duas accepere Albertus & Sigismundus, reliquã imperator: delectiq; Prouinciales sunt, qui lites fraternas dirimant: & summa illis potestas data, sed graue iudicium contra potentes est. Nobilitas & ecclesiarum principes imperatori fauentiores sunt, plebs Albertum præfert. Magno se iudice quisque tuetur. Multa sunt in hoc Cæsare, quæ laudare possis: Corpus egregium, & species imperatore digna, animus sedatus & tranquillus, ingenium perspicax, memoria tenacior, religionis ardens zelus, ingens cupiditas pacis & otij. Singularem uirtutem in quouis homine diligit, dignaq; præmio ducit, ædificat splendide, hortos tamen ac gemmas plus æquo admiratur & amat, & in rebus gerendis tardior ac remissior est. Tenacem pleriq; accusauerunt, & ad rem nimis attentum. Id fecere proximi antecessores Sigismundus atque Albertus Cæsares, quorum prodigalitati cuiusuis comparata liberalitas uideri auaritia potest. Cæterum Fredericus nec sua profundit, nec aliena diripit, uerbis factis'ue temperans. Albertus frater eius longe dissimilis, celer in aggrediendis rebus, belli ac gloriæ appetens, periculi contemptor, audax, laboris patiens, manu atque ingenio promptus, pecunias inter amicos partitur ac profundit. Inter opes pauper, in paupertate diues, nullius rei magis quàm famæ auarus.

Laudes imperatoris.

Alberti fratris Frederici imperatoris mores.

De Morauia, per quam nulli propter latronum insidias, transitus patet. Cap. XXIII.

PRocedenti per Austriã in aquilonem Moraui occurrunt, gens ferox, & rapinarum auida, inter Hungaros Bohemosq; trans Danubium sita: hanc prouinciam æuo nostro Sigismundus imperator Alberto genero suo, qui postea imperauit, dono dedit. Rebellantem & imperata facere recusantem, Albertus magnus affecit cladibus. Nam supra quingentas uillas excursione cõbussit, mortales multos neci dedit, pecus penè omne abegit. Iugumq; ferre perfidam gentem coegit. In hac prouincia ciuitates & oppida Romanæ ecclesiæ ritum tenent, & catholicæ fidei consentiunt. Barones fermè omnes Hussitarum labe infecti sunt. Hic cum uerbum dei prædicaret Ioannes Capistranus, & in errores Hussitarum uehementius inueheretur, Baronis nõ parui nominis quẽ Ezernahorã uocant secuta cõuersio est, qui relicta priore perfidia, cũ duobus millibus subditorum ueritatem Romanæ sedis amplexus est: filius eius doctrina & moribus clarus, nõ diu postea Olomucensis ecclesiæ pontificatum obtinuit. Ea est unica ciuitas Morauorũ Episcopalis. Regnũ inter Morauos aliquãdo fuit latissimũ ac potentissimũ, quod usq; ad filium Suatocopij durauit, cuius fortunã in Bohemica conscripsimus historia. At cũ filius Suatocopi ecclesiã dei sperneret regnũ gẽti ademptum est. Quod postea Romani

Cæsares

A Cæsares in Bohemiam transtulerunt. In hac prouincia complura sunt oppida plena populo, & opibus abundantia. Inter quæ Pruina principatum obtinet, & Znoynea, Sigismundi obitu memorabilis. Hac nulli trãsitus patet, nisi armato potentiorię, latronibus omnes aditus obsidentibus: sermo genti mistus est Teutonicus ac Bohemicus, superãt tamen Bohemi quorum est regionis imperium. quæ gentes olim Morauia incoluerint, non facile dixerim. Quantum uero ex lectione Ptolemæi accipere licet, Marcomanni et Sudini, Candicę Morauiam & Austriã quæ trans Danubium iacet incoluisse uidentur.

De Selesia prouincia, de mira apud Vratislauiam urbem seditione, deq; Bulcone Opiliensi, uiro neq; inferos neq; superos esse dicẽte, animãq; cũ corpore interire putãte, Cap. XXIIII.

SClesia post Morauiam sequitur, haud ignobilis prouincia, quã fluuius Odera perlabitur, inter amnes Germaniæ loco cognitus: fontes eius in Hungaria, quæ Sclesiæ ad orientem iungitur. Mare Baltheum cursum terminat: longitudo regionis CC ferme passuum millia continet, latitudo circiter LXXX. Caput gentis Vratislauia est amplissima ciuitas, ad ripam Oderæ sita, priuatis ac publicis ædificijs magnifice ornata. Cuius episcopatũ maiores nostri aureũ uocauere, Hussitarum bella luteum reddidere. In hac urbe (regnante apud Bohemos Venceslao) orta seditione, consules quorũ prima potestas, per fenestras ex prætorio in forum præcipitati, gladijs ac lanceis iratæ plebis excepti, dirum *Vratislauia seditio.* B spectaculum præbuere. Cuius rei autores Sigismundus imperator paucos post annos securi percussit. Duces Sclesiæ multi admodũ numero, inter quos paterna hæreditas per capita diuiditur: hinc scissa multas in partes prouincia frequentes calamitates incurrit, crebris exposita latrocinijs. Inter hos duces unum esse ferunt nomine Bulconem, Opoliensem appellãt, qui Glogoniæ residens delicijs ac uoluptatibus deditus, usq; adeo insaniuit, ut neque inferos, neque superos esse diceret, animasq; cum corporibus simul prorsus interire putaret. Ecclesiam uel nunquam, uel raro ingressus est, sacramẽtis Christianis prorsus abstinuit, nisi quod abusus matrimonio, uxore quæ sibi ingrata esset relicta, alteram superduxit. Quæ ne pellex appellari posset, non nisi per solennia matrimonij coniũgi uoluit. Sclesitæ sub imperio Bohemorum constituti sunt, nunc tamen imperata facere detrectant, Georgium nouum regem admittere recusantes, Gulielmum Saxoniæ ducem secuti, qui regnum Bohemiæ ad se pertinere affirmat propter cõiugem, quæ Ladislai Hungariæ atq; Bohemiæ regis soror fuit. Gladius eius litis arbiter erat. Sermo gentis maiori ex parte Teutonicus est, quamuis trans Oderam Polonica lingua præualet: ob quam rem non immerito quidam hoc in loco Germaniæ terminum esse Oderam putauere, quamuis idem fluuius in septẽtrionem uergens, germanicas gentes ripis ambabus alluit. Libet in hac parte Germaniæ linquere fines, & ad orientem ac septentrionem Sarmaticas inuisere gentes.

C

De Polonia regione uasta, quod in ea domus luto & maceria cõponantur, equi syluestres & uiri inueniãtur, de Vladislao cũ regno baptismũ suscipiente, deq; Frederico Brandeburgensi, & Alberto Bauario regnum quodlibet pro se recusante, Cap. XXV.

POlonia uasta regio est, quæ Sclesiæ ad occidentem proximat, Hungaris, Lituanis, ac Prutenis contermina: hic Cracouia est præcipua regni ciuitas, in qua liberalium artium schola floret. Sbigneus huic urbi præfuit episcopus, literarum doctrina & morum suauitate insignis, à quo plurimas accepimus epistolas, multo sale & Romana elegantia conditas, cui ob singulares uirtutes Romana ecclesia insigne cardinalatus honoris rubentem pileum misit. Ciuitates Poloniæ præter Crocauiã parum nitidæ. Ex maceria domos fermè omnes cõponunt, plerasq; luto linunt: plaga regionis nemorosa est, *Domus maceria et luto cõposita.* potus gẽti ceruisia, ex tritico atq; humulo factus. Vini rarissimus usus, nec uineæ cultura cognita, ager cereris ferax, multa genti armenta, multa ferarum uenatio, equum syluestrem præter cornua ceruo similem edunt, feros boues uenantur, quos prisci Vros uocauere. Pisce ac uolucribus abundant, argenti atq; auri inops terra. Vectigalia regi parua. Regnũ in quatuor partes diuisere maiores: has cũ per circulum anni rex ambiuit, quælibet pars tribus mensibus regem ac curiã pascit: quibus exactis ad alteram partẽ fit trãsitus. Statuta sunt, q̃ præstare ꝓuinciales oportet. Si mãserit ultra præfinitũ tẽpus rex, suo



uiuere sumptu cogitur. Cum rex gentis patrum nostrorum tempestate obijsset, relictã filium Gulielmus dux Austriæ in matrimonium accepit, illiq; regno præfectus est. Non placuit Polonis rex Teutonicus, Vladislaũ ex Lituania uocauere, eiectoq; Gulielmo, coniugem eius & regnũ nouo regi tradidere. Gentilis fuerat Vladislaus, & idola colue rat, sed baptismũ cũ regno suscipere nõ recusauit. Cõuersus ad Christũ, religiosum princi pẽ gessit. Multos ex Lituanis ad Euangeliũ traxit, Põtificales ecclesias nõnullas erexit. Episcopos magno honore prosecutus est. Inter equitãdũ quotiescũq; turres templorũ inspexit, detracto pileo caput inclinauit, deũ, q coleretur in ecclesia ueneratus. Cũ Tarta ris regni limites infestãtibus feliciter dimicauit, Prutenos maximo bello uicit, de quo in ter res Prutenicas memorabimus. Ex priori coniuge prolẽ nõ sustulit, cũ qua matrimo niũ haud legitimũ fuit. Ex secunda iã ferme nonagenario duo nati sunt filij, Vladislaus & Casimirus, is Lituaniæ ducatum consecutus est, prior patri regno Poloniæ succedens, ad Hungariæ quoque regnum accersitus, in bello Turcarum (ut antea narratum est) cecidit. Qua re cognita, solliciti Poloniæ proceres de successore Frederici, cum marchio nem Brandenburgensem, qui pueritiam in regno transegerat, linguamq; gentis & mo res tenebat, ut regnum acciperet rogauerunt. Responsum datum est Casimirum Litua niæ ducem, qui frater esset, defuncti hæredẽ extare. Sciscitari eius animũ oportere, cui fra ternum paternumq; regnum cupienti, impedimẽtum afferre à dignitate sua Fredericus non duceret: pari moderatione & Albertus Bauariæ dux erga Ladislaũ Alberti filium usus est. qui Bohemiæ regnum sibi oblatum recusauit. Fredericus quoq; imperator, & ab Hungaris, & à Bohemis ad hæreditatem Ladislai uocatus, nunquã audire sustinuit, quod patrueli præiudicium faceret. Ingens laus nostræ ætatis, & magnum decus Germa nici nominis, quamuis nõ ambigo esse aliquos, qui nõ tam iustitiæ, quã ignauiæ tradunt, alienis regnis quempiam abstinere. Ego quod boni speciẽ habet nõ laudare nõ possum. Casimirus aũt, & si difficile à Lituanis dimitteretur, qui suũ ad se principem retinere cu piebant,

Vladislaus cũ regno baptismum susci pere non recu sat.

Freder. mar chio Brãdenburgensis re gnũ recusauit

A picbant, in Poloniam ueniens pacificam regni gubernationem accepit: nec diu postea sororem Ladislai regis duxit uxorem. Multa ei aduersus fratres Teutonicos, qui sanctæ Mariæ appellantur bella fuere, de quibus in rebus Prutenis referemus.

De Lituania regione, Vitoldo uiro facile sanguinario in ea regnante, de Soli ad transitum æstiuo tempore difficultate, gentis in moribus qualitate, & quæ super sacrorum diuersitatibus Hieronymus Pragensis eremita denarrauit. *Cap. XXVI.*

Lituania & ipsa late patens regio Polonis ad orientē cōnexa est, palustris ferme omnis ac nemorosa. Vitoldus huic præfuit Vladislai frater, qui relicto deorū cultu, cum regno Poloniæ Christi sacramentum accepit. Magnum Vitoldi nomen sua tempestate fuit, quē subditi adeo timuerūt, ut iussi laqueo se suspēdere. parere potius, quā in principis indignatioem incidere uoluerint. detrectantes imperium insutos ursina pelle uiuētibus ursis (quos eam ob causam nutriebat) dilaniandos obiectauit, crudelibusq; alijs affecit supplicijs. Equitans, arcum semper tensum gestauit. Si quem conspicatus est aliter incedere quàm uoluit, confestim sagitta confodit, multos quoque per ludum interemit. Sanguinarius carnifex, ut esset inter populares & ipsum principem certum faciei discrimen, radere barbam omnibus imperauit. Id ubi non successit (facilius enim ceruicis quā barbæ iacturam Lituani ferebant) tonsus ipse mentum & caput prodijt, capitale interminatus, si quis prouincialiū pilos faciei capiti suo deponeret. Rex à Sigismūdo Cæsare Lituanorum appellatus, prius obijt quàm legati diadema ferentes se conuenirent. Successor Suidrigal ursam nutriuit, quæ sueta ex manibus eius panem accipere, sæpe in syluas uagabatur. Redeunti usque ad thalamum principis, ostia quæque patebant. Ibi confricare ac pulsare pedibus ostium, cum fames affuit consueuit, cui princeps aperiens cibum præbuit. Conspirauere nobiles aliquot adolescentes aduersus principem, atque ursæ modum secuti, sumptis armis cubiculi principalis ianuam confricauere. Credit Suidrigal ursam adesse, ostiumq; aperuit, ibiq; mox ab insidiantibus confossus interijt. Prouinciæ deinde gubernatio ad Casimirū peruenit. Ad Lituanos æstiuo tempore difficilis transitus est, palustribus aquis cuncta ferme obsidentibus, hyems præbet aditum astrictis gelu lacunis. Mercatores super glaciem ac niuem iter faciunt, plurium dierum cibaria in uehiculo ferentes, nulla certa uia: meatus (sicut in mari) siderum cursus ostendit. Rara inter Lituanos oppida, neque frequentes uillæ. opes apud eos, præcipuæ animalis pelles, quibus nostra ætas Zibellinis armellinisq; nomina indidit. Vsus pecuniæ ignotus, locum eius pelles obtinent: uiliores cupri atque argenti uices implent, pro auro signato pretiosiores. Matronæ nobiles publicæ concubinos habent, permittentibus uiris, quos matrimonij adiutores uocant. Viris turpe est ad legitimam coniugem pellicem adijcere. Soluuntur tamen facile matrimonia mutuo consensu, & iterum atque iterum nubunt. Multum his ceræ ac mellis est, quod syluestres in syluis apes conficiunt. Vini rarissimus usus, & panis nigerrimus. Armenta uictum præbent multo lacte utentibus. Sermo gentis Schlauonicus est, latissima est enim hæc lingua, & in uarias diuisa sectas. Ex Schlauis enim alij Romanam ecclesiam sequuntur, ut Dalmatæ, Croatini, Carni ac Poloni. Alij Græcorum sequuntur errores, ut Bulgari, Rutheni, & multi ex Lituanis. Alij proprias hæreses inuenere, ut Bohemi, Moraui, & Bosnenses, quorum magna pars Manichæorum imitatur insaniam. Alij gentili adhuc cæcitate tenentur, quemadmodum multi ex Lituanis idola colentes. Horum magna pars æuo nostro ad Christum conuersa est, postquàm Vladislaus ex ea gente Poloniæ regnum accepit. Noui ego Hieronymum Pragensem sacris literis apprime eruditum, uitæ munditia & facundia singulari clarum, qui annos supra uiginti in eremo Camalduensi, in Apennino Hetrusco pœnitentiam egit, hic (oriente apud Bohemos Hussitarum hæresi) fugiens pestiferum uirus, in Poloniam transiuit. Vbi acceptis literis ab Vladislao rege commendatitijs, prædicaturus Euangelium Christi, ad Vitoldum principem in Lituaniam penetrauit, multosq; populos Vitoldi fauore fretus, ad salutiferam dei Christi fidem conuertit. Venitq; tandem ad synodnm Basiliensem, uocatus à Iuliano sancti Angeli Cardinali, cum de rebus Bohemicis ageretur, narrabat hic multa de Lituanis

Attende uiri sanguinarij mores.

Hieronymus Pragensis eremita. Lituanos ad Christi fidem conuertit.

B

C

Lituanis quæ pene incredibilia uidebãtur. Audiebã ego ex alijs eius dicta, nec mouebat D
ut crederem, libuit adire hominẽ, atque ab eius ore lata cognoscere, comites mei fuerũt Nicolaus Castellanus, qui tum Cardinalis Iuliani domum regebat. Bartholomæus Lutimanus Archiepiscopi Mediolanensis scriba, & Petrus Noxetanus Cardinalis Firmiani secretarius, uiri graues & docti, hominem in cella sua trans Rhenum apud Carthusienses conuenimus, cuius hæc narratio fuit.

Narratio de Lituanis.

Primi quos adij ex Lituanis serpentes colebant, pater familias suum quisq; in angulo domus serpentem habuit, cui cibum dedit, ac sacrificium fecit in fœno iacenti. hos Hieronymus iussit omnes interfici, & in foro adductos publice cremari. Inter quos unus inuentus est maior cæteris, quem sæpe admotus ignis consumere nullo pacto ualuit. Post hos gentem reperit, quæ sacrum colebat ignem, eumq; perpetuum appellabat. Sacerdotes templi materiam ne deficeret, ministrabant, hos super uita ægrotantium amici consulebant. illi noctu ad ignem accedebant, mane uero consulentibus responsa dantes, umbram ægroti apud ignẽ sacrũ se uidisse aiebant. Quæ cũ se calefaceret, signa uel mortis uel uitæ ostentasset, uicturũ ægrotũ facies ostensa igni, contra si dorsum ostentasset, moriturũ portendit. Testari igitur & rebuis suis consulere suadebant, delusionem hanc esse Hieronymus ostendit. persuaso populo, deleto templo, ignem dissipauit, Christianos mores induxit.

Solẽ & malleum alij.

Profectus introrsus aliam gentem reperit, quæ Solem colebat, & malleum ferreum raræ magnitudinis singulari cultu uenerabatur. Interrogati sacerdotes, quid ea sibi ueneratio uellet? Responderunt olim pluribus mensibus non fuisse uisum Solem, quem rex potentissimus captũ reclusisset in carcere munitissimæ turris. Signa zodiaci deinde opem tulisse Soli, ingentiq; malleo perfregisse turrim, Solemq; liberatum hominibus restituisse. Dignum itaq; ueneratu instrumentum esse, quo mortales lucem recepissent. Risit eorũ simplicitatẽ Hieronymus, inaneq; fabulam esse mõstrauit. Solem uero & Lunã & stellas creatas esse ostẽdit, quibus maxime deus ornauit cœlos, & ad utilitatem hominum perpetuo iussit igne lucere. Postremo alios populos adijt, qui syluas dæmonibus consecratas uenerabantur, & inter alias unam cultu digniorem putauere. Prædicauit huic genti pluribus diebus fidei nostræ aperiens sacramenta, denique ut syluam succideret imperauit, ubi populus cũ securibus affuit, nemo erat qui sacrum lignũ ferro contingere auderet.

Syluã alij uenerabantur.

Prior itaq; Hieronymus assumpta bipẽni excellentem quandã arborẽ detruncauit. Tum secuta multitudo alacri certamine, alij serris, alij dolabris, alij securibus syluam deijciebant. Ventũ erat ad mediũ nemoris, ubi quercum uetustissimã, & ante omnes arbores religione sacram, & quã potissime sedẽ esse putabãt, percutere aliquandiu nullus præsumpsit. Postremo ut est alter altero audacior, increpãs quidã socios, qui lignũ rem insensatã percutere formidarent, eleuata bipenni magno ictu cum arborem cedere arbitraretur, tibiam suã percussit, atq; in terrã semianimis cecidit. Attonita circũ turba flere, cõqueri, Hyeronymũ F
accusare, qui sacrã dei domũ uiolari suasisset, neq; iã quisquã erat q ferrũ exercere auderet. Tum Hieronymus illusiones dæmonũ esse affirmãs, quæ deceptæ plebis oculos fascinarent, surgere quẽ cecidisse uulneratũ diximus imperauit, & nulla in parte læsum ostendit, & mox ad arborẽ adacto ferro adiuuãte multitudine ingẽs onus cũ magno fragore prostrauit, totumq; nemus succidit. Erant in ea regione plures syluæ pari religione sacræ, ad quas dũ Hieronymus amputandas pergit, mulierum ingens numerus plorans atq; eiulans, Vitoldum adit, sacrũ lucum succisum quæritur, & domũ dei ademptam, in qua diuinam opem petere consuessent, inde pluuias, inde soles obtinuisse, nescire iam quo in loco deum quærãt, cui domicilium abstulerint. esse aliquos minores lucos, in quis dij coli soleant, eos quoq; delere Hyeronimũ uelle, qui noua quædã sacra introducens, patrium morẽ extirpet. rogare igitur atq; obtestari, ne maiorũ religionũ loca & ceremonias auferri sinat. Sequũtur & uiri mulieres, nec se ferre posse nouũ cultum asserũt. Relinquere potius terram & patrios lares, quã religionẽ à maioribus acceptam dicunt. Motus ea re Vitoldus, ueritusq; populorum tumultum, Christo potius, quã sibi deesse plebem uoluit. Reuocatisq; literis, quas præsidibus prouinciarum declarat, iubens parere Hieronymo, hominem ex prouincia decedere iussit. Hæc nobis Hieronymus cõstanti

uultu

A uultu nihil hæsitans, ac per iuramẽtum affirmauit: dignum fidei & grauitas sermonis, & doctrinam ostendit, & uiri religio. Nos quæ accepimus immutata retulimus, ueri periculum non assumimus, persuasi tamen & nos & comites ab eo recessimus.

De Ruthenis, & quomodo principatus apud eos soleat assequi, Cap. XXVII.

RVtheni quos appellare Rosanos Strabo uidetur, Lituanis contermini sunt, gens barbara, incōpta, apud quã opulentam ecclesiam obtinuit Isidorus Cardinalis Sabinensis, cuius supra mentionem fecimus. In hac gente ciuitatẽ permaximam esse tradunt Nogardiã appellatam, ad quam Teutonici mercatores magno labore perueniũt. Magnas ibi esse opes fama est & multum argenti, pellesq; prætiosas, uendentesq; atque ementes ponderato argento, non signato utũtur. Lapis in medio fori quadratus est, quẽ qui ascendere potuerit, neque deiectus fuerit, principatum urbis assequitur. Pro ea re in armis dimicant, sæpeq; una die plures conscendisse ferunt, unde sæpe seditiones in populo emersere.

De Liuonia semiferos homines in una sui parte continentẽ, Cap. XXVIII.

LIuonia deinde Christianarum ultima prouinciarum ad septẽtrionem Ruthenis iungitur, Tartari eam sæpe incurrunt. In qua nostra ætate magnas acceperunt strages fratres Teutonici, qui beatæ Mariæ uocantur, hanc armis quæsiuere, & Christi sacra suscipere coegerunt, cum esset antea gentilis & idola coleret. Eam alluit ab occidenti B mare Baltheum, quod pleriq; ueterum oceanum esse putauerunt. nondum septẽtrio (ut hodie) cognitus Græcis atque Italis fuit. Christiana religio hanc orbis partem nostro generi aperuit, quæ fortissimis gentibus detersa Barbaris mitioris uitæ cultum ostẽdit. Baltheus sinus adeo late patet, ut incompertæ magnitudinis apud aliquos esse uideatur. Origo eius ex Britannico mari ducitur, quod Germanicum appellari potest. Nam & Germaniæ magnam partem alluit. Ostium eius in occidenti est, non longe à Cherronesо Cimbrica, quam Daciam hodie uocant. Excurrens autem in orientem, in septentrionem panditur, insulasq; magnas ambit. occidentale littus, Noruegi occupant. Ad septentrionem semiferos homines esse tradunt, cum quibus nullum linguæ commercium nauigantes habẽt, signis tantũ & nutibus cõmutare merces feruntur. Meridionale littus Saxonibus ac Prutenis traditur. orientale (ut diximus) Liuones tenent. Inter Liuoniam & Prussiam paruã terram esse ferunt, unius ferme diei latam itinere, quã Massagetæ colunt, gens neq; gentilis, neq; uere Christiana, Polonorum imperio parens, atq; hinc regnum Poloniæ ad mare protenditur, & Baltheum quem diximus sinum.

De Prutenis, & quo modo fidem Christianam à Teutonicis fratribus sanctæ Mariæ sumpserint, Cap. XXIX.

REdeunti Liuonia Germaniam, per littus Balthei maris post Massagetas Pruteni C sese obijciunt, qui ripas utrasq; Vistelæ amnis accolunt, is est Sarmatiæ ac Germaniæ terminus, qui exoriens in montibus, qui Poloniam Hungariamq; dirimunt, partem Poloniæ irrigat. Prussiam uero quàm longa est percurrit, ab oppido Torni usq; Gedanum, quo in loco Baltheum influit. Hunc fluuium alij Vistelã, ut diximus, quibus ætatis nostræ sermo congruit, alij Iustulam, quidam Istulam uocauere. Quod ultra fluuium est, Sarmatici iuris fuit: quod citra, Germanici ad orientem ac meridiem Masonitæ Poloniq; rura colunt. occidentem Saxones occupant, aquilonem Balthei maris excipit littus. Frumenti ferax regio est, aquis irrigua & plena colonis, multa ambitiosa oppida, multi maris sinuosi reflexus amœnã efficiunt. Pecorum ingens uis, multa uenatio, piscatio diues. Vlmerigos olim hanc terram incoluisse Iordanus tradidit, quo tempore Gothi ab insula Scandauia in cõtinentẽ descendere. Qui (ut ille ait) Vlmerigorum terras inuasere. Ptolemæus autem Amaxobios, & Alanuos, Venedes, ac Githones penes Istulã fluuium habitare affirmat. Barbara hæc gens & idolorũ cultrix, usq; ad Fridericũ imperatorẽ eius nominis secũdũ fuit. Sub eius uero imperio, cũ amisissent Christiani Ptolemaidẽ Syriæ ciuitatẽ, fratres Teutones, quos sanctæ Mariæ diximus appellari, inde fugati in Germaniam rediere, uiri nobiles & rei militaris periti, qui ne per ociũ mercarent, Fridericum accedẽtes, Prussiã Germaniæ contermінã Christi cultũ spernere dixerunt: sæpe

ſæpe illius gentis homines in Saxones cæteroſq; uicinos excurrere, ingentem uim pecorum atq; hominum abigere, eſſe in animo ſibi cōpeſcere Barbaram gentem: annuat tantum imperator, prouinciamq; fratribus perpetuo iure poſſidendam tradat, ſi eam armis acquirant. Iam enim Maſouiæ duces, qui eius ſe terræ dominos affirmabant, ius ſuum fratribus conceſſerant: grata oblatio Frederico fuit, qui collaudato propoſito, quas uoluere fratres, ſub aurea bulla literas conceſſit. Illi ſumptis armis breui tempore quicquid Prutenici uiri citra Viſtelam fuit occupauere. Exin tranato fluuio, uetuſtam & late patulam quercum in caſtelli modum erectis propugnaculis iuxta ripam munierunt, ibi collocato præſidio ulteriores Prutenos uexare cœperunt. Pugnatum eſt ſæpe pro quercu, & ingentes Paganorum copiæ fugatæ ac deletæ ſunt: bellum pluribus annis productum eſt. Ad extremum fortuna fratrum imperio arridens, omnem eis Pruſsiam ſubiecit. Victæ Barbaræ nationes, iugum ſubiere. Ex illo tempore lingua Teutonica introducta eſt, & cultus Chriſti gentibus imperatus. Eccleſiæ quoq; pontificales erectæ, trans Viſelam Pomeſauienſis, Culmenſis, Sambienſis, & Varmienſis, ad quam defuncto Frāciſco epiſcopo, paruitatem noſtram poſtulauere canonici. Calixtus Pont. Max. eam nobis annuente, ſenatu Apoſtolico cōmendauit. Quæ una eſt illis in partibus iure ſuo utens, nec ſubiecta fratribus, reliquos epiſcopos religionis habitum geſtare oportet. Quo in loco munitam quercum diximus fuiſſe. Nobile oppidum ædificatum eſt, quod Mariæburgum uocant, & arx nobilis atq; ampliſsima: hic ſedes magni magiſtri, qui cunctis fratribus præeſt Pruſsiam incolentibus. Sunt & alij duo in eadem religione magiſtri, alter Liuoniam regit, alter conuentus Alamanniæ gubernat. Teutones huius religionis inuētores fuere, ac propterea nemo recipitur ad eam, niſi Teutonicus nobilibus ortus parentibus, & cui propoſitum ſit pro tuendo Chriſti Euangelio, aduerſus ſalutiferæ crucis inimicos armis depugnare: ob eam rem ueſtimentis albis utuntur, nigra cruce inſuta. Barbam omnes nutriunt, exceptis qui ſacris altaribus ſeruiunt. Pro Canonicis horis dominicam orationem uſurpant, neq; literas diſcunt. Magnæ his opes, nec minor potentia quàm regibus: ſæpe cum Polonis de regni limitibus acceptis, atq; illatis cladibus contendere, nec totis uiribus belli fortunā experiri recuſarunt. Cum Vladiſlao Caſimiri qui modo regnat patre, contraxerant ambæ partes ualidiſsimas atq; ingentes copias. Polonis Lituani & Tartari adiuncti erant, quos duxerat Vitoldus. Teutonici fratres ex tota Germania uires conciuerant: poſtquam prope ad uiginti ferme ſtadia uterq;

Quercus in caſtelli modū munita.

Ritus fratrū Teutonicorū.

A uterq; consedit exercitus, spe plenus & impatiēs moræ. Prutenorum magister caduceatorem, qui bellum regi denūciaret, & duos enses, in quis staret uictoria misit. facta potestate, ut quem uellet hostis eligeret, alterum sibi remitti iussit. Accepit Vladislaus alacer nunciū, donatoq; caduceatore, uno retento gladio, remisit alterum. Mox iussi milites arma induere, belliq; signum datum, quadraginta millia equitum in ambobus castris fuisse proditum inuenio. Vladislaus Tartaros ac Lituanos primum inire certamen iussit. Ex Polonis subsidiarias acies elegit. Contra Prutenos auxilia in postremis habuit: florētem ordinis sui militiam in exercitus fronte collocauit. Cōmisso prælio inermes quodāmodo Tartari ac Lituani magna strage cæsi sunt. Vrgebat tamen multitudo, nec terga dare Polonus metuens audebat, atrox pugna super cadauera occisorum edebatur. Nec tam uulnerare Prutenus alacer, quā uulnera recipere Tartarus uidebatur: protractum est diu certamen, peracta ingens occisio. Lituani Tartariq; ueluti pecudes mactabātur. At cum nouus semper hostis emergeret, defessi tanta cæde peracta Teutones, uersare ferrum uix poterant & iam remissius pugnabant. Quod ubi Vladislaus animaduertit, tum primum Polonorum aciem ualidam ac ferro rigentem immittit: fit subita irruptio, instauraturq; præliū: non tulere Teutones recentis agminis impetū, impar pugna recentis ac fatigati militis fuit: oritur mox fuga ex parte fratrū, ferit terga Polonus. Magister B ordinis ubi suos cedere uidet, nec iam ullam in auxilijs spem esse animaduertit, cū lecta militum manu hosti sese obiectans occiditur: fit fœdior fuga, nec prius Teutonicus fugere quā Polonus persequi destitit. Perierūt in eo bello ex parte fratrū multa hominum millia, inter quos uiri primarij, quos uocant Cōmendatores, equestri dignitate insignes, cū ipso Magistro circiter DC. Nec Polonis in cruēta uictoria cessit, Tartaris ac Lituanis magna ex parte cæsis. Bellū hoc, anno trecētesimo decimo supra millesimum est post Christi saluatoris ortū. Prussia fortunam regis secuta, omnis excepto Burgomariæ ad uictorē defecit. Sed interueniēte Sigismūdo Cæsare, pax inter fratres & Polonū cōstituta est: percussum fœdus, pecunia Polono data. Prussia reddita fratribus, nec deinde usque ad Frederici tempora, qui modo imperat, in possessione agri sui turbata religio est. Sub eius uero imperio cū populares graue sibi iugū fratrū existimarent, fœdus inter se iniere in hunc fermè modū: ut quindecim uiri singulis certis in locis cōuenirent, qui prouincialium querelas aduersus fratres audirent, nec sinerent quempiam indigne uexari. Ex his quatuor ex religione uiros assumi uoluere, quatuor ex prælatis ecclesiarū, pariq; numero ex nobilibus ac ciuitatibus, hisq; parere omnes uoluere. Per idem tempus diuisa inter se religio fuit: alij magnum Magistrum sequebantur, alij quosdā Commendatores, qui Magistri regimen improbabant. Magister, ut populares sibi alliceret, fœdus ipsum incōsulto fratrum conuentu approbauit. Fredericus quoq; imperator eidē fœderi robur adiecit, C cautione tamen inserta, ne per suas literas ius religionis læderetur. Mortuo deinde Magistro, qui fœdus acceperat, & altero in eius locum suffecto, Nicolaus Pont. Max. legatum misit, qui prouinciam Prussiæ inspiceret. Cognitoq; rerum statu, quantum legatus retulit, popularium fœdus damnauit: utq; ab eo discederent, anathema interminatus, acriter imperauit: quibus pertinacius in eorum sententia perseuerantibus, ex consensu partium, lis ad Fredericum imperatorem deducta est. Ad quem rursus causa cognita, damnato eorum fœdere, iussi Pruteni sunt ad obedientiam fratrum redire: qui eam prouinciam è manibus infideliū suis armis uindicassent, multoq; sanguine cōemissent. Quare ciuitatibus nūciata, mox arma in fratres populariter recepta sunt. Ex quibus plures capti atq; occisi, castella eorum euersa, arces à fundamētis eiectæ, quinquaginta & quinq; oppida in eam rebellionem conspirauere. Sed cū non satis rem suā contra religionē sine externa ope tutam putarent, Casimirum Poloniæ regem sibi dominū asciuere, deuotū fratribus sanguinem, qui fortunam patriæ eius experti fuisset. Ille cum exercitu prouinciā ingressus, dedētes sese ciuitates in potestatē accepit, cū quo fratres diu uaria uictoria dimicarūt. Plures fuere congressus, inter quos memorabilior, qui apud Coninitium oppidum habitus est. Duodeuiginti millia Polonorum obsidionem in eo loco tenebant, in quis & rex ipse Casimirus fuit. Oppugnabāt oppidū dies noctesq; machinis admotis.

Bellū atrox.

Magister ordinis fratrum Teuton. occiditur.

Religio fratrū Teuton. diuisa.

Rebellio Prutenorum in fratres.

Rudolphus princeps Sagoriæ, ex Slesiæ ducibus, tum religionis ductabat exercitũ, qui laturus obsessis opem, cũ septẽ millibus militum aggredi regẽ non dubitauit. Cõmissum est prælium in conspectu oppidanorum summa utrinq; contentione atq; ardore, cæsis hinc atque inde compluribus. Cum suos referre pedem Rudolphus animaduertit, increpans ignauiam fugiẽtium interminatusq; necem, aciem sistit. Et progressus in medium cum recenti pugnatorum manu, acre certamen instaurat: hos sternit, illos confodit: fit subita rerum mutatio. Vrgente Rodolpho, cedit Polonus. Rursusq; Casimirus suos retinet, pugnæq; seipsum miscet, & tanquã ex integro pertinaci contentione certatur. Occiditur in pugna Rudolphus, rex uero equo deijcitur, meliores ex utraq; parte occumbunt. Postremo cæsum credentes Poloni suum regem, desperata uictoria, fugam arripiunt. Rex ab amicis adiutus, uix ex clade ereptus est. Rudolphus morte sua, uictoriã religioni peperit. Ex Polonis supra sex millia cecidisse feruntur, ex Teutonibus quoq; nõ pauci periere. Post eam cladẽ, res Polonica nutare apud Prutenos cœpit, eo inclinantibus populis, quo belli fortuna quæritur. Stat tamẽ adhuc anceps exitus, et alterius Martis iudicium moratur. Ferunt inter hos fratres olim mortuo Magistro, cum de successione ageretur, unum fuisse, qui rogatus eligere quẽ putaret religioni utiliorẽ, seipsum elegisse dicentem nolle deierare. Scire se cogitationes suas, aliorum corda ignorare. Si magistratus sibi committatur, non dubitare quin reipublicæ bene consultum eat. Motos eius uerbis reliquos administrationem illi credidisse, quæ saluberrima deinde fuerit.

Frater se in magistrum ordinis elegit.

D

E

De Saxonia, fluminib, gentibus & oppidis in ea, Cap. XXX.

POst Prutenos Saxonicum nomen incipit, gens ualida & latissima, cui ab occidenti Viscera fluuius terminum facit, pleriq; usq; ad Rhenum protẽdi Saxones arbitrati sunt. Aquilonarẽ plagã Daui obtinẽt & mare Balthẽu: ad meridiẽ, Frãcones Baioarij & Bohemi siti sunt: oriẽtalẽ plagã, Slesitæ simul ac Pruteni obtinẽt. In his terminis inclusi sunt Turingi, Brandeburgenses, Maxinẽses, Lusatij, Pomeraneiq;, quos omnes Saxonici iuris esse uolunt: priorẽ tamẽ Turingos in ea terra consedisse quã Saxones aiũt, hos



F

enim græcã sobolem esse affirmãt, ex Macedonia classibus aduectã, quæ Turingos multis bellis defatigatos paternis agris eiecerit. Quod mihi non fit uerisimile. Est enim uetustissimum in Germania terra Saxonicum nomẽ, cuius omnes ueteres meminere. Turingos nemo antiquorum nominat, qui Germanicas gentes enumerant. In aduẽtu primo Francorum, qui tempore Valentiniani Cæsaris, Germaniam intrauere, Turingos nominari reperio: ob quam rem male quadrat historia ueritati, quæ Turingos priores Saxonibus in Germania fuisse contendit: fatebor tamen Saxoniæ limites aliquando minores fuisse, aliquando maiores. Nã sicut imperia, ita et prouinciarum limites ex tempore uariantur. Carolus Magnus imperator, multa cũ Saxonib. bella gessit, priusq̃ Christi cultũ reciperent, eosq; magnis afflixit cladibus: postq̃ uero deficiente apud Francos Caroli

A Magni genealogia, Romanum imperium ad Teutones orientales rediit, Saxonum aucta dignitas est: inter quos plures imperatores fuere, singulari prouidentia, & rerū gestarum magnitudine clari: maxime uero tres Othones, qui sibi inuicē successere, de Romana ecclesia optimi meriti, quorū uirtute prolatos Saxoniæ fines minime dubitarim. Inter Pomeraneos qui orientem Saxoniæ incolunt, oppida sunt digna nomine. Vismaria, & Sundis, Gripsuoldia, Stetininū, Rostochium, in quo schola liberaliū artium haud contemnenda, & hæc quidē mari proxima, multis ac diuitibus negotiatoribus habitata est: & in Mediterraneis Caminū pontificalis ciuitas, cuius diocœsis latissima est, nec minor Maguntina creditur. Episcopus loci Romano duntaxat præsuli subest. Brandeburgenses in duas marchias diuiduntur, quarum altera uetus, altera noua uocatur. Veterem Marchiam perlabitur Albis fluuius, in cuius littore Stendalum est oppidū, & Gardeleuum, & Solduedleum, & Osterburgium. Nouam Marchiam intersecat fluuius Odera, haud multo inferior Albi, in eius littore Francfordia est diues emporium, & Lubucensis ciuitas. Sproua quoq; fluuius eandem prouinciā irrigat, æquandus Tyberi, Berlinum in eius littore oppidum iacet. Est & aliud flumen Honela nuncupatū, quod Brandeburgensium, ex quo Marchia nomen habet, in duas partes diuidit, ueterem ac nouam ciuitatem efficiens. Ibi episcopalis sedes est, & Marchionum tribunal. Ad eiusdem B fluminis ripam Habelbergium quoque situm est, Pontificalis ciuitas: circum nobile territorium, cui Prigeniza est nomen, multis refertum oppidis, et Martiali populo plenum. Caput Mixnensium ciuitas Mixna est, unde nomen regioni datum, hanc quoque Albis alluit fluuius, hic ualida arx, & in ea cathedralis ecclesia, in qua quoq; prouincia multa sunt oppida Martiali populo plena, & Martinopolis in honorem Martis à ueteribus condita, Merburgium hodie uocant.

De Turingia oppidis, & nobilibus templis in ea, de ritu mirabili super homine grauioribus uitijs inquinato, Cap. XXXI.

IN Turingia nobile oppidum & caput gentis Herfordia, Maguntino subiecta pontifici, studijs liberalium artium insignis. Nuenburgensis quoq; parua ciuitas, duci Saxoniæ parēs, hæc omnia iure Saxonum utuntur, & lingua & ijsdem moribus freti. Cæterum ueri Saxones Madeburgenses nullo dubitante habentur, Bremenses quoq;, Halberstattensis, Hildemenses, Verdenses, Brunsuidenses, Luneburgenses, & Lubecēses. in Madeburga Archiepiscopalis sedes habetur, & in honore sancti Mauricij ex quadrato lapide diues templum, Othonum nobile opus, & in eo sancti Florentini corpus. Credunt quoq; unam è sex hydrijs ibi esse, in quibus uinū ex aqua factum à domino Saluatore Euangelistarum tradit historia, hāc plebibus ostēdunt, materia marmorea est ac pellucida, uini capax quantum equus ferre possit. Alteram ac minorem apud Hildemēses C affirmant, uexillum quoq; sancti Mauricij hic quotannis ostenditur. magistratus urbis ius ciuile Romanorum abbreuiatum, & Saxonica lingua conscriptum, non sine reuerentia custodit, quod Magni Caroli autoritate firmatum tradunt. Eoq; in decisione causarum circūuicinæ gentes recurrunt, magna & uenerabilis eorum lege autoritas habetur. Bremenses gloriam suam ducunt, Danorum gentē ad Christum esse conuersam. Non est omittendum quod de Halberstadio traditur, hanc ciuitatē Oltenna perlabitur fluuius, in medio ferme tumulus assurgit, in cuius cacumine planicies est, duorum ferme stadiorum contingens longitudinem, in cuius extremis angulis duo templa sita sunt, alterum pontificale, alterum quod beatæ uirginis appellant. In medio, late patet forū magnificis canonicorum ædibus undiq; cinctū. Vrbs hæc, quod sub tumulo iacet, Suburbium appellant. In mōte nulla laicorum habitatio. Carolus Magnus huius templi fundator habetur, cuius festiuitas quotannis celebratur, XII hic dignitates, XXIIII præbendæ Archidiaconatus, supra uigesimum primum feruntur. In hoc templo singulis annis unus ex populo deligitur, quem peccatis grauioribus inquinatum putant, hunc ueste lugubri induunt, & obuoluto capite prima ieiunij die ad templum ducunt, indeq; peractis diuinis officijs ejciunt. Is quadraginta diebus nudis pedibus perambulat urbem, & ædes sacras circuit, neq; ingreditur, neq; quenquam alloquitur. Inuitatus à canonicis

per uices, quod apponitur comedit. Somnus ei post medium noctis in plateis permittitur, die Iouis sancta post consecrationem olei, rursus ad templum introducitur, & oratione facta à peccatis absoluitur, pecuniasq; ei populus offert, quæ tamen templo dimittuntur, hunc Adam uocant, & omni crimine liberum putãt. Circa Halberstadium ager optimus ferax tritici, maturescentibus frugibus, culmorum altitudinem equo insedentem hominem ferunt excedere. D

De aliquot alijs in Saxonia oppidis, & rebus in ea gestis scitu dignissimis, Cap. XXXII.

BRunsuica oppidum tota Germania memorabile, magnum & populosum, munitum mœnibus ac fossatis, turres quoq; & propugnacula excellunt, magnifice domus, perpolitæ plateæ, ampla & ornatissima templa. Quinque hic fora, quinque prætoria, & totidem consulatus iura ciuibus dicũt, hinc appellari duces Brunsuicenses tota Germania nobilissimos, Othonum soboles, quorum claritas cum potẽtia labente tempore defluit. Lubecensium ciuitas potentissima est, sine cuius auxilio uix unquam Daciæ reges continere suos subditos ualent. Duodecim uiri reipublicæ præsunt, quos consules appellant. quorum perpetua potestas est, & in equestri dignitate constituti sunt. Popularibus nisi uocentur, nulla de regimine urbis consulendi facultas, nec tamen seruire plebs uidetur. Sua cuiq; substantia tuta est, & libertas, saluis legibus, ut uelint uiuere. Aequum iudicium consules agunt, ab his Cæsar, si excesserint appellatur. Saxoniæ nostra ætate duces habentur Fredericus & Gulielmus fratres, quorum alter electorem imperij gerit, alter regnum Bohemiæ sibi asserit, ut supra retulimus. Fuit cum Brunsuicensibus de electoratu dissensio. Sigismundus imperator litem diremit. Sentẽtia ut sæpe fit, potentior allusit. Alter horum natu senior, robustissimus uenator fuit. Iunior alter, belli appetens & in armis exercitatus. Crudelia inter eos diu bella exarserũt, hæreditatis paternæ causa. & quamuis de pace sæpe mentio fieret, impedientibus tamen Apollonio quem Vicedominum appellant, & alijs plerisq; potẽtibus, quibus ea discordia quæstui erat, frustra omnis tractatus abijt. Sed cum uastatis iam agris, tota prouincia pessum iret, Apollonius uero fraternarum incensor discordiarum, per annum Iubileum Romã petisset, rogauit Fredericus germanum suum, uti ad se Libercam ueniret, secum de pace acturus. Annuit Gulielmus, iter ingresso dixere consiliarij paratas sibi & qui cum eo irent insidias esse, caueret ne se perditum iret, ne'ue suos ad necem traderet. Quibus ille: At ego inquit libens moriar, si uos prius necatos uidero, qui fraternas cõtentiones alitis. Atque ita locutus, sequi iussis qui se armarent, urgensq; calcaribus equum, festino cursu fratrem adijt. Quo cum semotis arbitris euestigio pacem cõposuit, fœdusq; pepigit. Magnus uir qui se tam liberaliter in potestatem dederit hostis. Magnus & alter qui hostem ex fratre factum, rursum fratrem atq; amicum reddiderit. Apollonius interim Roma & qui cum eo sentiebãt, ex Turingia ubi plurima oppida possidebant, exterminati sunt. Apollonius in Coburca, quod est Franconiæ oppidum, aliquandiu se defendit. Sed cum salutem in eo loco desperaret, nullius auxilio fretus, cum thesauris suis clã fugiens, ad Bohemos migrauit. Ex illo tempore quietem habuere Saxones, quãuis Bohemi castella quædam ab eis repetentes, sæpe bellum minati fuerint. Induciæ in hanc usque diem arma partium tenuere. Lis maior nunc oritura uidetur. Quando Gulielmus regiæ sororis maritus ad Bohemiæ regnum aspirare fertur, quamuis terræ proceres alium sibi regem assumpserint: Libet hoc loco audax priuati hominis inserere facinus. Cõradus Raufes nobili loco apud Saxones natus, bellicæ rei peritus, manu promptus, & animo imperterritus, cum sepe patria pulsum & paterna hæreditate priuatum per iniuriam Frederici ducis existimaret, scelus incredibile nostra ætate perpetrauit. Arx est in Mixna in alto mõte & abruptis undiq; rupibus sita, Altumburgum prouinciales uocant, ad radices montis oppidum egregie munitum & populo plenum iacet. In arce duo Frederici adolescentes Ernestus & Albertus educabantur. Huc Conradus in tempesta nocte magnis itineribus cum paucis comitibus contendit, & admotis scalis prodente pedagogo arcem ingressus, dormientes adolescentulos in cubili comprehendit. Interminatusq; mortem, si uocem emitterent, funibus colligatos extraxit, haud dubius

Bella inter fratres.

Fratrum inimicorum pulchra reconciliatio.

E

F

A dubius quin productos in Bohemiam magno precio uenderet, suasque contumelias eo pacto magnifice ultus uideretur. Iam Syluam Herciniã (quæ Bohemiam à Saxonia diuidit) ingressus erat, iamque periculum omne transmissum putabat, cum iunior captiuorum labore ac fame deficiens, et quietem simul & cibum poposcit. Cuius precibus commotus prædo ad carbonarium diuertit quendam, afferrique panem ac ceruisiam iussit. Interea apud Altumburgum cognita tanta rei nouitate clamor exoritur. Attoniti oppidani raptim arma capessunt, & pretiosam uendicaturi prædã præcipiti cursu prædonis uestigia insectantur. Syluam ingressis fortuna blanditur, quæ inter multos tramites eum teneri suasit, qui recta duxit ad carbonariũ. Ibi Conradus dum puero cibum ministrat, ex improuiso capitur, & oblatus principi, audacissimi sceleris capite pœnas soluit. Fredericus eodẽ pene nuntio quo captos atque abductos filios audiuerat, recuperatos & domum reductos didicit. Saxoniæ ducibus, parua ueræ Saxoniæ portio paret. Sunt enim in ea ꝓuincia multi alij principes, multæ ciuitates imperiales, multi episcopi propriũ territorium habentes. Mixna uero & Turingiæ maior pars, Lusatiæ & Franconiæ pleraque oppida his ducibus parent. Ius autem eligendi Romanorum imperatorẽ Saxoniæ ducibus ex paruo quodam principatu competere asserunt, inter Mixnam Sclesiamque iacente, cuius caput, oppidum est Vuittenberg appellatum, Mons Albus. In Saxonia ar-
B gentifodinas apud Glisariam Otho primus imperator inuenit, quarum magni fuerunt redditus, ibi & palacium nobilis operis ædificatum, habet & fontes amaros Saxonia, ex quibus sal coquitur album, quod ad uicinas gentes defertur. Salinæ uberrimæ atque ditissimæ apud Luneburgium habentur, ex quibus multi monasteriorum abbates, & multi ecclesiarum prælati uitam ducere consueuerũt, fuit enim quæstus salis uberrimus, has salinas Luneburgenses uiolenter usurpauere, ob quam rem & à Nicolao Pont. Max. & à Frederico imperatore Augusto damnati sunt, consulatus qui eius rei autor habebatur, autoritate Apostolica deiectus est, sed fauore Bernardi ducis Brunsuicensis paulò postea in pristinum statum redijt. Et qui nouiter consulatum adierant, in carcerẽ conijciuntur, ciuitati rebelli & ecclesiasticorum bonorum rapaci, sacris interdictum est, non tamen qui rem diuinam apud eos faciant. Tantus est æuo nostro, & in populo & in clero autoritatis ecclesiasticæ, contemptus. Est in Marchia Brandeburgensi nõ magni momenti ciuitas aquis circundata, Habelberga uocant, in eius diocœsi loco aspero ac deserto, paruum oppidum est nomine Vilsnacum, hic tres hostiæ habẽtur, ex quibus cruorem sua sponte manasse tradunt, ob eam rem magnus populorum huc concursus, & nautarum uota huc soluuntur, uulgo locum ad sanctum cruorem uocant. Excessimus scribendi modum Saxoniæ ciuitates nominatim commemorantes. id fecimus, quia ueteres scriptores parum de Germania locuti sunt, & tanquam extra orbem ea natio ia-
C ceret, somniantes quodammodo res Germanicas attingunt, ob eam rem dabitur mihi uenia, fortasse & aliquis gratiam habebit, si Germanicas describentes prouincias, ut res oculis subijciamus, paulo prolixiores fuerimus, propositi nostri metas egressi.

Fontes amarĩ ex quib. sal album coquitur.

De Dania siue Dacia siue Suetia, & Noruegia, de Margarita trium regnorum insigni domina, deque uaria trium regum fortuna, Cap. XXXIII.

HOc loco quoniam Saxoniæ Dania iungitur, priusquam Germaniæ reliquas partes absoluo, de ipso Daniæ regno uicinisque in Aquilonem uersus aliqua referre institui non indigna cognitu. Tria sunt in Septẽtrionem uergentia regna, sibi inuicem cohærentia, Danorum, quod hodie Dacum appellant, Suetiorum ac Noruegiorum. Daniã siue Daciam dicere uolumus consuetudini seruientes, Germaniæ portio est Cherronesi habens formam, hanc quondam Cimbri tenuere. Vnde illa inundatio barbarorum emersit, quàm Marius Arpinas Italiam petentem, & res Romanas euertere minantem, ad internecionem deleuit. Posidonius (ut Strabo refert) coniecturam facit, quòd Cimbri latrocinando incertis errabundi sedibus ad paludem usque Mæotim militiam agitarint, ab eis enim Cimmerium uocati Bosphorum arbitratur, quasi Cimbricum, cum Græcorum lingua Cimmerios Cimbros nominet. Suetia cincta



undiq; mari plures inſulas habet, in quis Scandauia eſt apud ueteres late memorabilis, hinc quoq; populorum innumerabilis multitudo egreſſa, omnem olim Europam armorum turbine ac procella inuoluit. Nam Gothorū (qui Hunnos bello uicere, Pānoniam, Myſiam, Macedoniam, & omnem Illyridē occupauere: Germaniā, Italiam, ac Galliam uaſtauere, & demū in Hiſpania conſedere) hinc fuit origo. Noruegia quæ de ipſo Septentrione ſortita eſt nomen, continenti per Ruthenos iungitur, & in arctum protenſa, incognitæ terræ, ſeu ſtricto glacie Oceano (ut pleriq; fabulantur) contermina eſt. Ad orientis partem ac meridiem Baltheo mari alluitur, ad occidētem Britannici finit Oceanus. Daciam Teutones hodie Danorum appellant Marchiam, cuius lingua Germanis incognita eſt. Ex Noruegia ueniſſe putāt, qui Cimbrorum occupauerint loca. In hac terra patrum noſtrorum memoria, Voldimarus regnauit, in Suetia Magnus, Aquinus in Noruegia, quem ferunt diuinum fuiſſe hominem, miro prouincialium amore atque obſequio cultum. huic coniunx Margarita fuit Voldimari filia, ex qua natus Olaus patri ſuccedens, breui tempore uita functus, regnum matri reliquit. Ea & paternū adepta eſt, extincto Voldimaro. At magnum Suetia hominem exigente, Albertus dux Monipolenſis uocatu populi diadema ſuſcepit. Qui dominatum uicinæ fœminæ contemnens, bello Daciam Noruegiamq; laceſſere cœpit. occurrit ei Margarita coactis copijs. In campis late patentibus pugnatum eſt, tanquā ipſa uiri hoſtis fœminæ animum induiſſet. Victus Albertus, captusq; & in triumphum ductus, regnum amiſit. dimiſſus tandem, infame ſenium in paterna domo finiuit. Margarita clariſsima mulier tribus imperans regnis, ad ſenectutem uſque magnifice ac religioſe ſubditos gubernauit, demum ſenio confecta, cum tantum per ſe ferre nequiret imperium. Henricum Pomeraniæ ducem, quatuor & decem annos natū, filium ſibi adoptauit, regnaq; illi commiſit, & Philippam regis Angliæ filiam dedit uxorem. Is cum, coniuge ſine prole defuncta, ducere uxorē ulterius nollet, iamq; LV regnaſſet annos, ad extremū ſub imperio Frederici populari tumultu ex regio ſolio deturbatus eſt. Et Chriſtophorus dux Baioariæ ſibi ex ſorore nepos in eius locum ſuffectus, qui auunculū ſuū decē annis, quib. ipſe imperauit, inſula Gothica regnare permiſit. Chriſtophoro autem ex hoc ſeculo abeunte, Daciæ ac Noruegiæ coronā Chriſtiernus accepit. Sueui uero in electione regis diſcordantes, alij

Carolum

A Carolum equeſtri dignitate inſignem, alij Canutum eius fratrem natu minorem, regno præficiunt. Pendente adhuc electionis negocio, Carolus immiſsis militibus, Stocolnume oppidum clam occupat, in quo regia ſedes habetur. Canutus per amicos arcem inuadit, hinc bellum inter fratres de regno ortum, & pugna diu anceps, occiſis utrinq; pluribus, ea demum lege induciæ pactæ, ut poteſtas eligendi regem, excluſa nobilitate plebi fieret. In qua cum Carolus gratiolior eſſet, maieſtas regni ad eum defertur, Canutus priuatam uitã degit. Carolus uero nouo regno tumidus atq; inſolẽs, armatis nauibus Henricum ætate confectũ, nulli noxium, ſibi ipſi uiuentẽ, è Gothia propulſauit. Qui etiã hodie in humanis apud Pomeraneos, unde illi origo fuit, paruo contentus uitam agere fertur. quã ſint incerta mortalia, & quàm inania ſuo exemplo docens, qui tribus potentiſsimis regnis exutus, nec paruã inſulam, in qua decem annis delituerat uſq; ad mortem retinere potuit, ætate pleniſsimus. Sed neq; Carolo ſcelera ſua impunita fuere, qui dũ Chriſti eccleſias perſequitur, religionem contemnit, ſacerdotes diſpoliat, feſtos dies obſeruari prohibet, iura diuina & humana confundit, à Ioanne benedicto filio Vſalentium præſule uiro cordato & impigro, à quo nobilitas regni excitata eſt, magno prælio ſuperatus eſt, ac regno pulſus, in parua inſula non longe ab oſtio Viſtelæ exilium agit. Chriſtiernus in locum eius aſſumptus, pietate ac iuſtitia melior, iterum tria regna noſtro tempore

Bellum inter fratres de regno habido.

Carolus prælio ſuperatus, regno pellitur.

B in unum redegit, cui & Gothia paret Gothorum quondam ſedes ac patria.

De Bohemia ſuccinctè, *Cap.* XXXIIII.



C

BOhemorum modo res geſtas attingere, ac ſitum referre locorum ratio exigeret, qui Saxonibus ad meridiem iuncti ſunt. Multa apud eos ætate noſtra memoratu digna emerſerunt, multa prælia geſta ſunt, multus ibi ſanguis effuſus, deletæ funditus ciuitates, ſpreta & conculcata religio. Exorta eſt Huſsitarum hæreſis, Adamitarum pullulauit inſania, debacchati ſunt Thaboritarum & Orphanorum exercitus, duo fulmina belli, Ryſca & Procopius prouinciam ex arbitrio ſuo diripuere. Ioannes ac Hieronymus populum decepere, in Conſtantienſi magna Synodo demum combuſti, Iacobellus, Conradus Ratazana, & Petrus Anglicus euangelij corruptores, tanquam magiſtri ueritatis habiti. Quatuor reges extirpare peſtiferum uirus non potuere, Venceslaus, Sigiſmundus, Albertus & Vladislaus, qui apud eos ueneno extinctus creditus eſt. Poſtremo Georgius rex creatus, qui Huſsitarũ labe infectus putatur, magnus uir alioqui, & reb. bellicis clarus. Sed omnia hæc in hiſtoria quã de Bohemis his diebus

edimus, conscripta sunt. Ibi quoq; de situ regionis, & gentis moribus, pro captu nostro D
mentionem fecimus, inde igitur assumendum erit, quicquid huic operi de rebus Bohemicis deesse uidebitur. Nos cœptum sequentes iter, inferioris Germaniæ prouincias absoluemus, deinde ad superiores reuertemur partes.

De Phrisia, moribus gentis eius, & Soli qualitate. Cap. XXXV.



PHrisones ad oceanum siti, ab oriente Saxoniā contingunt, ad meridiem Vuestphalos, ad occidentē Traiectensiū terræ iungūtur, quanq̃ & ipsos Traiectēses pleriq; Phrisones

A Phrisones esse uolunt. Inter quos Othonem inuenio Phrisingensis ecclesiæ præsulem, qui res Germanicas haud imperite conscripsit. Albertus episcopus Maguntinus, qui Fuldense monasterium erexit, cum religionem Christi persuadere Phrisijs niteretur, ab eis interfectus & martyrio coronatus est, gens eadem ferox & armis exercitata, robusti & proceri corporis, securi atque intrepidi animi, liberam se esse gloriatur, quamuis Philippus Burgundiæ princeps eius se terræ dominum uocet. Reuera libera Phrisia est, sui utens moribus, exteris nec parere sustinet, neque dominari cupit: haud inuitus Phriso pro libertate mortem appetit. Dignitas in hac gente militaris inuisa. Sublimem uirum qui se cæteris efferat, non ferunt. Magistratus annuos eligunt, qui rempub. æquo iure disponant. Fœminarum impudicitiam seuerius puniunt. Sacerdotes ne aliena cubilia polluant, sine coniuge non facile admittunt. Vix enim continere hominem posse, & super naturā arbitrantur. In pecoribus omnis eorum substantia est, ager planus ac palustris, multo gramine fœcundus, ligno caret. Bituminoso cespite, & sicco stercore boum, ignes fouent. Ex hac gente tradit Cornelius Tacitus imperante Nerone, duos legatos Romam uenisse, Veritum ac Malorigem, qui Pompeij theatrum intrantes, cum uidissent quosdam cultu externo inter senatores sedere, & intellexissent id honoris earum gentium legatis dari, quæ uirtute & amicitia Romana præcellerēt, nullos mortalium aut armis, aut B fide ante Germanos esse exclamauerunt, ac digredientes inter patres consedere, ob quam rem ambos Nero ciuitate donauit.

Phrisonū summa autoritas.

De Holandia & Traiectensibus, & quomodo Friburgium in ius Sabaudensium sit conuersum, Cap. XXXVI.

Holandia quoque prouincia Germaniæ à septentrione Oceano alluitur mari, quod reliquum est Rheni fluminis brachia intercipiunt, insulamque conficiunt, palustris, pascuosa, pluribus stagnis ac maris interfusa sinibus. Nec desunt qui Traiectum nobilē urbem in Holandia sitam dicant, nobis haud alienū esse uidetur, aliquando Phrisiæ Traiectenses, aliquando Holandiæ traditos esse, ut sæpe regionum terminos dominantiū imperia mutant: nostra quidem ætate neque Phrisiæ neque Holādiæ dātur. Principatus ecclesiæ Traiectensis imperatori tantū subijcitur, latamque possidet terram, diuersis Rheni meatibus interclusam, cui ab oriente Phrisij, à meridie Vuestphali iunguntur, Holandia septentrionem excipit, ab occidente ducatus Gelriæ, de quo suo loco dicemus, Rheno flumine distingitur. Imperitissime uero, ne dicam fallacissime, nonnulli ætate nostra Traiectum Galliæ nationis ciuitatem esse dixerunt, cum de pontificis ageretur electione. Nam quo pacto Traiectum Galliæ dabimus trans duo Rheni brachia sitū, quando & qui cis Rhenū habitant Colonienses, Cliuensesque cōstat esse Germanos. Traiectensium quippe situs, mos, sermoque germanicus est. Traiectū diues et populosa ciuitas est. C Episcopus urbis XL millia pugnatorū, si quādo necessitas ingruit, educit ad bellum: forma uiris ac mulieribus egregia. Ab exterorum incursu, & aquarum inundatione, et propria uirtute defenduntur: potus genti ceruisia, uinum mercatores afferunt. In ea ciuitate memoria nostra multæ seditiones fuere, cum episcopum uni parti acceptum, altera recusaret. Desiderius aliquando quietum episcopatum tenuit, deinde à ciuibus eiectus, Romani pontificis & uicinorum principū aduersus subditos auxilia implorauit, illi Diefoldiam quendā cōtra ius fasque sibi præsulem assumpsere. Martinus Pont. Max. anathema in eos promulgauit. Cōtempsere ecclesiasticū gladium obstinati homines, experiri arma oportuit, ingētes Burgundorū ducis uicinorumque principū copiæ aduersus Traiectenses ductæ infeliciter pugnare. Victor contumax populus, septē annis ecclesiæ mādata cōtempsit, Desiderius in exilio obijt. Canonici qui propter eū patria pulsi fuerāt, Valramū Morsensem archiepiscopi Coloniensis germanum successorem elegerunt. Agitata est in Concilio Basiliensi causa, cōfirmata electio. Iterum damnata in Synodo Traiectensiū rebellio. Iterū frustra pugnatū. Postremo missus ab Eugenio legatus Ioannes Cosoronensis episcopus, qui postea ad Cardinalatus honorem uocatus, Morinēsis appellatus est. Cum retulisset unicam pacandæ prouinciæ uiam esse, Diefoldio ignosci, eique gentis præsulatum committi, excluso Valramo rebelli populo satisfactū est pulchre, sane nullæ

Desiderius ab Episcopatu pulsus.

uictis leges fauent, sacrosq; canones potentia uincit. Voluerunt Calixti quoq; imperiũ eludere Traiectenses, qui mortuo Diefoldio episcopũ ab eo datum recipere recusarũt. Sed apparatibus Philippi Burgundiæ ducis ac potentia territi, & primis conatibus infeliciter usi, furore deposito paruerũt. In Holandia nobile oppidum (Friburgium uocant) in potestate domus Austriæ multis seculis fuit. Sed cum Lodouico Sabaudiæ duci tantã pecuniam deberet, quantam nec priuatim, nec publice dissoluere ciues possent, nostra demum

A demum ætate, et dum Fredericus imperat, in ius Sabaudiensium factum est, quo in loco & sermo germanicus terminatur. ¶ Vltimi Germanorum ad septentrionem & occidentem uersi Hollandini sunt, insulares populi, Rheni ostijs obiecti, inter quos præcipui Dordracenses habentur. Ea ciuitas est egregie munita, diues opum, negociationiq; maxime accommoda, cuius haud paruam partem anno superiore incēdium absumpsisse relatum est. Incuria ciuium id euenisse constat, quanquam pleraq; miracula referunruntur, quæ prætereo, quia non satis digno testimonio cōprobantur. Est & Brielum oppidum nō ignobile, aquis circundatum, in quod etiam mercatores multi nauibus applicant. ¶ Non transibo nunc Rhenum, germanicas quæ ibi habitant gentes cōmemoraturus. Dabitur suo loco de his quoq; dicēdi facultas, prosequar ueteris ac certæ Germaniæ populos, & qui iunguntur uel Traiectensibus uel Phrisijs ad meridiem, expediam. Vuestphalia Rheno fluuio ab occidenti clauditur, Visurgi ab oriente, quem Viscera hodie uocant, à septentrione Phrisiam habet hodie uocant, à septentrione Phrisiam habet, & Traiectensium terram, meridiem Hassiæ montes excipiunt, quos Abnobios Ptolemæus appellare uidetur, ex quibus Amasis fluuius oritur, qui Padeburnā & Monasterium non ignobiles ciuitates alluens, mediam fermè prouinciam intersecat, & per Phrisiam defluens fertur in mare. Salas quoq; fluuius Vuestphaliā irrigat, inter quem et B Rhenū cum Drusus germanicus belligeraret, domitis hostibus uictor oppetijt. Quomodo autem cultores huius terræ uocauerit antiquitas, difficile dictu est, discordantibus autoribus. Strabo uicinos Rheni accolas hoc loco Sicambros appellare uidetur, qui duce Milone cum Romanis bella gessere, uictiq; datis obsidibus pacem obtinuere, quamuis calcata fide ac proditis obsidibus rebellarunt. Ptolemæus quoq; à parte primū septentrionali Germaniæ, circa Rhenum fluuiū Busactores habitare tradit, Paruos appellatos. Sicambros Oquenos & Longobardos. Inuenio apud Strabonem circa Amasim fluuium Bucteros habitasse, quos Drusus nauali prælio superauit. Bucteros aūt bello uictos ab Austro in Aquilonem & Oceanum dilapsos: ob quam rem coniectura capere possumus, hos esse, qui hodie Pruteni appellantur, aquilonares populi, de quibus supra diximus: facile nanq; Bucteros in Prutenos sermo conuertit. Carolus Magnus multa cū Vuestphalis prælia gessit, eosq; magnis affecit cladibus, coēgitq; Christi religionē amplecti. Relicto idolorū cultu, quā quum sæpius abnegassent, nec iusiurandū aduerterēt, ut metu penæ rebellionem compesceret, occultos instituit iudices, quibus potestatē dedit, ut quàmprimum deierasse aliquē comperissent, aut fregisse fidem, aut aliquod aliud flagitiū commisisse, mox illum supplicio afficerēt, ubi primum cōprehendi posset, nulla citatione præuia, aut defensione præmissa. Elegit uiros graues, & recti amātes, quos plectere innocentes haud uerisimile fuit. Terruit ea res Vuestphalos, ac demum in fide con-

Carolus Magnus Vuestphalos ad Christi fidem coēgit.

C tinuit, cum sæpe in nemoribus & proceres, & mediocres uiri laqueo suspensi inuenirentur, nulla accusatione prius audita. Quærentibus tamen causam, constabat fregisse fidē, aut magnum aliquod scelus cōmisisse, qui necati reperiebantur. Id iudicium usq; ad nostram perdurat ætatem, uocaturq; Vetitum. Qui ei præsunt Scabini appellantur, quorū ea præsumptio est, ut per totam Germaniā iurisdictionem extendere uelint. Secretos habent ritus, & arcana quædam quibus malefactores iudicant. Ea nondum quisquam repertus est, qui uel pretio uel metu reuelauerit. Ipsorum quoq; Scabinorum magna pars occulta est, qui per prouincias discurrentes criminosos notant, & inferētes iudicio accusant, probantq;, ut eis mos est: damnati describuntur in libro, & minoribus Scabinis cōmittitur executio. Reus ignarus suæ damnationis, ubicunque repertus fuerit supplicio afficitur: degenerauit autem hoc iudiciū. Nam & uiles aliquæ personæ admittuntur, quæ ciuilia negotia tractare audent, quibus erat solum de criminalibus permissa potestas. In hac prouincia nostro tempore Susatenses ab ecclesia Coloniensi desciuere, nec diutino uexati bello, multisq'ue cladibus affecti & obsidione pertinacissima oppugnati, ad obedientiam rediere. Cuius rei causa & Theodoricus Coloniensis antistes, qui Vuestphalorum princeps habetur, & Ioannes dux Cliuensis, non paruis inter se odijs cōtendere. Cum Susatenses ad Cliuensiū opem confugissent, cūq; Coloniēsis Saxoniæ duces

Iudiciū quod appellatur Vetitum.

duces

duces & non paruam Bohemorum manum in auxilium accersisset, apud monasterium D
quoqꝫ eiusdem prouinciæ ciuitatem, propter ecclesiam quam Valranius Theodori frater sibi debitam existimabat, acriter dimicatũ est, in quo bello multis cæsis, unus ex principibus, qui dux copiarum fuit, interceptus est, & in potestate Coloniensis antistitis factus. Est autem Vuestphalia regio admodum frigida, neqꝫ frumenti abundans, pane utuntur nigro, ceruisia potus est. Vinum quod Rheno uehitur magno emitur precio, opulenti tantum eo utuntur, idqꝫ raro. populus Martialis est, et ingeniosus, de quo prouerbium esse dicunt: Vitiosos ac fallaces Vuestphaliam facilius, quàm stultos gignere. Hic quoniam Theodorici mensio incidit, non ab re pauca de eo referre, cui inter uiros illustres nostri seculi nemo locum negauerit. origo eius ex familia Morsensi apud Germanos principes, honoratissima fuit: tres habuit, qui omnes supra XL annum uixere: Henricus natu maior paternum principatum gubernauit: Ioannes Monasteriensem ecclesiam, multis annis usque ad exitum uitæ suæ summa cum laude administrauit: Valranius & ad Traiectensem ecclesiam & ad Monasteriensem, defuncto fratre nequicquam aspirauit, quamuis ad Traiectum concilij Basiliensis fauore, & ad Monasteriensem Nicolai pontificis institutione uteretur. Theodoricus ipse cum Bononiæ iuri pontificio operam daret, à Ioanne XXIII summo sacerdote, Coloniensem ecclesiam obtinuit, cui iam
XVII annos, non sine plebis ac nobilitatis magno fauore præfuit. Qui & si plurima pro E
defensione ecclesiæ suæ uario euentu bella gessit, in quis modo strenui militis, modo fortissimi ducis officium impleuit, nunquam tamen domi sacerdotalia munia, aut ciuilem administrationem neglexit. Corpore pulchro, & supra omnem statura eminenti, animo magno & perliberali, cuius palatium illustribus semper hospitibus patuit.

De Hassia & aliquot rebus gestis in ea, Cap. XXXVII.

INter Vuestphalos ac Francones Hassia iacet, mõtana regio, quæ à Rheno in septentrionem porrecta, Turingiæ iungitur, princeps gentis Ludouicus Langrauius ætate nostra

A nostra ad imperium uocatus, imperatorem se esse dixit, qui tantæ rei molē sustinere posset. Maluitq; paruo imperio à parentibus sibi relicto utiliter præesse, quàm magnū accipiens dissipare. Id quoq; sibi obstare ad rem Christianam gerendam dixit quod literas ignoraret: fuit tamen legum cultor, quas sibi patrio sermone exponi iussit, quoties corā eo causa uētilata est, nec unquam compertus est tulisse sententiam. Hic dum reformaturus monasterium quoddam suæ ditionis ingreditur, & inuitatus cum monachis edit, uenenum pro cibo inter edendum sumpsisse creditus est. Nam & ipse & abbas, qui reformationem petierat, paulopost extincti feruntur.

De Francia nobili prouincia, origine Francorum, & qui primum duces & reges in ea fuerunt, Cap. XXXVIII.

FRancia huic succedit, nobilis sane prouincia, & admodum potens, ab incolatu Francorum sic appellata. Franci quidem Troiani ab origine fuerunt. qui deleto Ilio duce Priamo, Priami ex sorore nepote, per Pōtum Euxinum in Mæotidas paludes in Scythyam peruenere. Ibiq; ciuitatem ædificarunt, quam uocauere Sicambriam, ex qua dicti Sicambri. Cōstat enim post euictam incensamq; Troiam, qui superfuerunt excidio, in tres turmas diuisos in exilium profugisse, et alios quidem Aenea duce Italiam petiuisse, à quibus Albani prodierunt, & deinde Romani qui orbis imperio potiti sunt. Alij B sub Antenore per medios Achiuos elapsi, Illyricos penetrauere sinus, & regna Liburnorum ad intimum Adriaticum pelagus accessere: Vrbemq; condidere Patauium, ubi sepultum Antenorem tradunt, qui Henetum fugiens secum duxit, à quibus postea dicti Veneti, quorum est hodie ingens potestas terra mariq;. Tertij (ut diximus) in Scythiam penetrarunt, quo in loco in magnam gentem coaluerunt. Cumq; Scytharum multi Romano imperio subiecti essent, & ipsi quoq; tributa penderunt, manseruntq; uectigales usq; ad tempora Valentiniani Cæsaris. Quo imperante Alani imperium uexare inc[o]eperunt. Imperator quidem proposito edicto libertatem in decennium eis promisit, qui Alanorū ferocitatem compescerent: Allecti eo premio Sicambri arma sumpserunt, Alanosq; bello uictos deleuere. Ob quam rem libertate in decenniū ab imperatore donati sunt, & mutato nomine Franci appellati, quod Attica lingua siue feroces siue nobiles sonat, Itali Francos liberos uocant. Exacto decennio cum Romani solita tributa repeterent, Franci ipsa libertate effrenes facti, parere recusauerunt. Principes eo tempore Francis fuere Priamus & Antenor, antiqui nominis ac uirtutis, quibus copias ductantibus prælium cum Romanis cōsertum est, in quo Priamus ipse cum fortissimis suæ gentis cecidit. Qui cladi superfuerunt ex Scythia digressi sunt, et in Germaniam profecti, in partibus Turingiæ consederunt, cum principibus suis Priami & Antenoris filijs Marcomede & Sunone. Suno sine liberis decessit, Marcomedi filius fuit Faramundus, quē C sibi Franci regem creauerunt, & hic primus inter Francos regnauit. huic filius Clodoueus Crinitus, à quo Francorum reges Criniti sunt appellati. Per idem tempus Gothi, qui iam urbem Romanam irruperant, ultra Ligerim fluuium in Gallia sedes inuaserūt. Burgundiones quoque iuxta Rhodanum habitabant, qui et ipsi paulo post reges habere cœperunt. Franci uero trāsmisso Rheno Romanos qui ea loca tenebant fugauerūt, paulatimq; aucti potentia Maguntium, Treuerim, Agrippinam, Tornacum, Cameracum, Remos, Suesonam, Aurelianum inuasere. Ita ut ab Aquitania usque in Baioariam imperium extenderent. Clodoueo autem mortuo Meroueus successit filius, à quo Franci Merouingi dicti sunt. Post Merouenm Hildericus regnum adeptus, dum luxuriose uiueret, à suis pulsus est, Romano Egidio in eius loco suffecto. Hildericus regno priuatus, ad Bisinum Turingiæ regem confugit, cuius coniugem per adulterium polluit. Post octo autem annos reuocatus Agrippinam inuadens, eiectis deinde Romanis magnam regni sui partem recuperauit. Mortuo autem Egidio, filius eius Syagrius in ciuitate Suesona regnauit. Bisina autem regina cum accepisset Hildericum regnum recuperasse, relicto uiro ad eum confugit, à quo recepta, & pro coniuge habita, Clodoueum ei peperit, qui postea regnū adeptus, primus Francorum regum Christi religionem accepit, à beato Remigio episcopo baptizatus. Illud autem ueritate caret, quod plerique tra-

Clodoueus Francorum regū primus Christianus.

dunt, Agrippinam ab incolatu Francorum uocatam Coloniam. Nam priusquàm Franci Germaniam intrarent, Colonia Romanorum appellata est, à Claudio Cæsare condita, & ab eius coniuge Agrippina nuncupata. Fuerunt inter Clodoueum ac Syagrium aliquot bella, postremo uictus Syagrius, ad Alaricum Gothorum regem confugit, qui nonus à magno Alarico regnabat. Reposcitur à Clodoueo Syagrius, atq; obtentus occiditur. Romani quoq; reliqui per Galliam habitantes exterminantur. Clodoueus Alemanos sibi subiecit. Gothis quoq; & Aquitanis bellum indixit, eosq; superauit, occiso Alarico rege. Fertur cum ad bellum progrederetur, si uictor euaderet equum beato Martino uouisse, qui XII & C annis ante id tempus uita excesserat. Victoria potitus, equum tradidisse, eumq; centum solidis redimere uoluisse, stetisse equum immobilem, donec precium duplicaretur. Qua ex re dixisse regem ferunt: Martinum bonum auxiliatorem esse, & negociatorem carum. Hic Clodoueus uxorem duxit Glodosnidam filiã regis Burgundionum, quæ cũ esset Christiana adhuc ei pagano iuncta est, magnisq; præcibus uirum orabat, ut baptizaretur, natosq; filios clanculum baptizabat. Causa autem quæ Clodoueum Christianum fecit, hæc esse fertur: Quia cum pugnaret cõtra Sueuos, & pene uictus esset, uotũ uouit Christianum se facturum, si ex prælio euaderet. Ob quãrem mutata fortuna, ex uicto uictor factus, subactis Sueuis Christianæ religioni se credidit, cuius posteri in Francia usq; ad Pipinum nonum, patrem Caroli Magni regnauerunt. Tunc uero Hilderico secundo per ignauiã regnum ademptum est. Detonso enim eo, et in Monasterio retruso, Pipinus regnum accepit. Erant tunc in Francia maiores domus, quæ regnum gubernabant, anno enim septingentesimo decimo, mortuo Dogoberto minore Francorum rege, filius eius paruulus in tutela Pipini Grossi, quem alij Ansgigi filium dicunt, in tutela fuit, & per insidias perijt. Tunc Crimoaldus filius legitimus Pipini Grossi, regnum usurpãs Dagoberti regis defuncti, captus in custodia obijt. Per idem tempus Galli, qui intra Sequanam & Ligerim fluuium habitabant, aduersus Francos bella mouere, & usq; Maguntium excurrentes, eam ciuitatem obsederũt. Franci rege carentes, Carolum Martellum ad regnum sublimare uoluerunt. Qui regnum renuens, Ducatum accepit, Gallosq; bello repressit. Prouinciam uero inter Ligerim & Sequanam, quæ tunc Gaudina uocabatur, à se Carlingam uocari iussit. Quod postea apud Teutonicos diu seruatum, hic Carolus ex Adelheida nobili cõcubina Pipini Grossi filius fuit, inclytus uir & bello potẽs, qui multa Sarracenorum millia gladio interemit. Et pater fuit Pipini Nani, qui Carolum Magnũ genuit imperatorem toti orbi cognitũ, ex coniuge Berta, quam duxit ex Græcia. Hoc ergo Francorum genus, cum è Scythia in Germaniam uenisset, ibiq; diu consedisset, germanicum effectum est: adeo ut tota ferme Gallia, & magna Germaniæ pars, à mõtibus Pirenæis, usq; ad Pannoniæ terminos, Francia diceretur. Nam quicquid Frãcis suberat, Francia uocabatur. Ea in duas partes diuisa fuit. Nam quod est Galliæ, occidentalis Francia dicebatur. Quod est Germaniæ, orientalis. Et Germaniam quidem eatenus extenderunt, quantum sermo germanicus protenditur. Hæc gens sub Carolo Magno Romanum imperium meruit, qui afflictam Longobardico bello sedem apostolicam consulatus est. Carolus enim quamuis Galliæ potiretur imperio, Germanus tamen fuit, in Germania natus alitusq;. Cuius sedes plerunq; in Aquisgrano fuit, quæ ciuitas Teutonica est, ibi palacium eius & caput ostenditur. Eius posteri imperium tenentes, in Gallia & in Germania regnauerunt. Deficiente autem masculina linea imperium ad Germanos, id est Francos orientales redijt, inter quos primus habitus est Otho. Est autem imperium apud Germanos nunc eo modo, ut nemo imperare possit nisi Germanus. Sed quoniam imperatorum autoritas Germanis tradita est, plerunq; Germanus eligitur. Eam ob causam cum uacasset imperium per obitum Ludouici Bosonis filij, Germani (quorum ea potestas erat) Germanum elegerũt, & Francũ ex orientali Frãcia. Hæc præmisisse uoluimus, quoniã de Frãconia sermo incidit. Sunt enim multi qui Francos eos solũmodo esse uolunt, qui circa Parrhisios habitãt, & illis datũ imperiũ esse uolunt, quos rectius Frãcigenas quis appellauerit.

De Fran-

A De Franconia, ubi de Alberto uiro in armis dexterrimo, & quod suis egregijs factis Achilles Teutonicus sit cognominatus, Cap. XXXIX.



FRanconia uero (ut nostra ætate recipitur) à meridie Sueuis & Baioarijs iungitur, ab occasu Rheno, ob ortu Bohemis ac Turingis. Septentrionem ijdem Turingi Hassiq; excipiunt. prouinciam perlabitur, haud ignobilis amnis, quem Moganum uocant. Ptolemæus hunc fluuium Obrineam appellare uidetur, qui superiores Germanos ab inferioribus eundem diuidere affirmat, neque enim alius fluuius est, qui eam diuisionem aptius quàm Moganus efficere posit, & hodie quidem inferiores Germani usq; ad Maguntium procedunt, abinde superiores uocantur. Moganus uero ex montibus Bohemiæ ortus, à regione Maguntij in Rhenum exoneratur. Ob quam rem non defuerunt, qui Maguntium Moguntium à Mogano fluuio dicerent. Perlabitur idem fluuius non paucas ciuitates, quarum illustriores sunt Herbipolis, Francfordia. In Herbipoli nobilis episcopi sedes est, qui & Francorum dux habetur. & cum rem diuinam facit, gla-
B
C dium in altari nudũ ante se habet. Francfordia nobile emporium est, in quo superi cum inferis Germani conueniunt, bis singulis annis. Ibi quoq; imperator eligitur ex ueteri consuetudine, ob quam rem palam est imperium datum esse Germanis, quando inter eos eligitur & coronatur, & si demum ad culmen gloriæ Romæ quoq; diadema suscipitur. Et in Franconia nobile templum Banbergensis ad Pognitium amnem situ, quod fundauit Henricus secundus imperator, quem accolæ religiose colunt, et sanctũ habent. Ibiq; Berengarius sepultus est, qui regnum Italiæ usurpauit, & ab Othone primo captus, in Germaniam ductus, illuc exulans obijt: Supra ciuitatẽ in edito monte arx est, & natura & arte munita, in qua nos aliquãdo cum episcopo loci, prandium fecimus. Albertus nobilissimus Francorum Comes, & Othonis Saxoniæ ducis ex filia nepos, cum Conradum comitem occidisset, qui Ludouici regis fuisse filius dicebatur, in hanc se arcem contulit, & aliquandiu regis obsidionẽ pertulit. Difficilis expugnatio loci uidebatur, ad quã rem ad dolos recursum est. Otho Episcopus Maguntinus minister sceleris inuentus est, qui profectus ad Albertum, litis arbitrum se dixit, rogauitq; Albertũ ad imperatorem in castra descenderet, quia uel pacem ei daret, uel in arcem reduceret incolumẽ. Credidit Albertus, & accepta iurisiurandi religione Othonem secutus est. Vix arcem egressi erant, cum Otho: uereor inquit ne diu apud imperatorẽ morari oporteat. Vtilius fortas-

se consilium erat, prius sumpsisse cibum: laudauit Albertus uerba præsulis, & in castellũ rediens Othoni prãdium dedit. Quo sumpto ad imperatorem cum eo perrexit, ubi mox captus est, & capitali sententia damnatus: cui archiepiscopi fidem imploranti, respondit parũ religiosus Pontifex se fidei satisfecisse, qui semel reduxisset incolumẽ cum ad prandium introiuit, bis reducere non promisisse. Infelix Albertus gladio obtrũcatus est. Melius Romani, qui pari fraude usum unum ex captiuis ab Hannibale Romam missis uinctum remisere: fraus enim (ut inquit Maximus orator) astringit periurium, non soluit. Prædia quæ Albertus habuit ecclesiæ Banbergensi postea cesserunt. Est autem Franconia partim plana, partim montosa, montes ipsi haud difficiles sunt, ager non admodum pinguis. Nam plerũq; arenosus est, multis in locis consiti colles uineis, gratũ producunt uinum, maxime uero apud Herbipolim: multæ syluæ & multa uenatio est, terra in multos partita est dominos, quamuis episcopum Herbipolenses ducem Franconiæ dicant, ut ante relatum est. Maguntina ecclesia & Bambergensis plurima obtinent loca. Palatinus quoq; Comes haud paruam occupat partem. Marchiones orantes in ea sunt, multæ præterea ciuitates imperiales apud Francones florent. De Norimberga dubium est, Franconiæ an Baioariæ cedat, ipsum nomen indicat ad Baioarios urbem pertinere. Norimberga enim Noricum montẽ significat, ob quam rem patet Noricorum ciuitatem fuisse. Noricis autem Baioariæ successere, & nũc ea portio terræ Baioariæ quæ inter Danubium & Norimbergam iacet, Noricũ appellatur. Ciuitas tamen in parochia Bambergensi est, quæ ad Francones pertinet. Ipsi Norimbergenses nec Baioarios, nec Francones uideri uolunt, sed tertium quoddam separatũ genus. Vrbs ea nobilis magnificis operibus publicis ac priuatis ornata est, amne Pognitio interlabitur, in agro celeri & arenoso condita, atq; ob eam rem industrioso populo: omnes enim aut opifices sunt, aut negociatores: hinc multæ illis diuitiæ, & magnum in Germania nomen. Aptissima imperatorum sedes, libera urbs, & in medio fermè Germaniæ sita. Inter Bambergam & Norimbergam Forchem iacet, famosum niueo pane oppidum, incolæ patriam fuisse Pilati falso putant. In hac prouincia Fredericus Marchio Brandeburgensis fuit, imperatori Sigismundo inter charos amicos habitus, & quatuor filij fuerunt, Ioãnes, Fredericus, Albertus, & alter Fredericus. Ioanni qui primogenitus esset, electoratus imperij debebatur. Sed iudicium patris Fredericum prætulit, qui secundo genitus erat, & aptio ad obeunda imperij munera uidebatur, prius itaq; quã moreretur, hæreditatem suam inter filios diuisit, Fredericum electorem instituit, neq; male iudicauit, nam Fredericus inter principes Germaniæ sapientia clarus habitus est, cuius consilio multæ sæpe prouinciæ pacatæ sunt, iusti quoq; ac honesti tenax habetur, qui cum posset regnum Poloniæ cõsequi per electionem Baronum, recusauit (ut ante diximus) ne uero hæredi iniuriam faceret. Albertus uero germanus eius cum Norimbergensibus bellum intulisset, omnes ferme Teutoniæ principes traxit, ciuitates uero Norimbergẽsibus suppetias misere: graue & atrox bellum fuit, in quo tot potentiæ concurrentes infensissimis odijs biennio certauere. Nouem prælia commissa feruntur, ex quibus octo uictor Albertus confecit, in uno tantũ uictus succubuit, nec de pace cõuenit, nisi postquã exustis agris, attritis uillis, abactis pecoribus, ruricolis interfectis, commeatus ac pecuniæ contendentibus defuere, tũ quoq; pax ex Alberti sentẽtia magis dicta. Hic Albertus ab ipsa pueritia ac teneris ut, aiunt, unguiculis educatus in armis, pluribus interfuit prælijs, quàm alij sui tempori duces aut uiderint aut legerint: militauit in Polonia, pugnauit in Slesia, castra posuit in Prusia, hostes in Bohemia fugit, nullus in Germania terræ angulus, quem nõ calcarit armatus, duxit exercitus innumerabiles, prostrauit ferocissimos hostes, expugnauit munitissimas urbes. In congressibus pugnam prior inijt, uictor à prælio excessit ultimus, in oppugnationibus oppidorum sæpe murum primus ascendit. Ad singulare certamen crebrius à uicinis inuitatus, nunquam detrectauit, nec unquam non strauit hostem. In militaribus ludis (quibus hasta contenditur) unus omnium repertus est, qui nunquam equo deiectus sit, & omnes in se currentes deiecerit. Ex torneamentis nunquam non uictor exiuit. Septies ac decies, solo tectus clypeo ac galea, cætera nudus (ut est apud Teutonicos du elli

Albertus comes Cæsari proditus, obtruncatur.

D E F

A elli quædam species) in prouocatores pariter armatos, acuta lancea cucurrit, nullo unquam damno affectus, cum aduersarios nunquam ipse non equo deturbauerit. Quibus ex rebus nõ iniuria, Teutonicus Achilles appellatus est. In quo non solum militares artes & Imperatoriæ uirtutes singulari quadam gratia reluxere, sed nobilitas quoq; generis, proceritas corporis, ac uenustas, & uirium robur, ac facundia linguæ, admirabilem eum ac penitus diuinum reddidere.

De Baioaria, & unde gens ipsa secundum Strabonem sit deducta. Cap. XL.



Baioaria ad ortum æstiuum ac meridiei partem Frãconiæ proximat, ea quoq; perlata & diues terra est, cui ad meridiem Alpes Italiæ iunguntur, Sueui decidẽtem eius solem recipiunt, Australes orientem, ac Bohemi septentrionem. Danubius mediã fermè perlabitur inter Austriam ac Baioariam. Alij Amasum, alij Enum terminum posuere. Sueuos à Baioarijs Lycus disterminat amnis: hanc olim regionem Norici tenuere. Citius adhuc portio trans Danubium sita (ut ante diximus) Noricum appellatur. Baioarij autem unde dicti sunt, & unde originem traxerint, non facile dixerim. Verum cũ reperiam uetustißimos codices Baioariam appellare, quam moderni Bauariam dicunt, non difficile trahor, ut Baioarios à Boijs dictos, gallicam fuisse olim gentem credam. B Huic opinioni Strabo quinto cõmentario fidem adhibet, ita inquiens: Priscis igitur (ut dixi) temporibus, plurimæ Gallorum gentes fluuium incolebant (de Pado loquitur) è quibus amplißimi fuerant Boij, Insubres, & qui olim cum Gæsatis, Senones, Romana C per impetum potiti sunt urbe. Hos Romani posterioribus annis funditus deletos perdiderunt, Boios uero è finibus eiecerũt. Inde migrantes, circũ adiacentes Istro locos cum Tauriscis habitarunt, bellum aßidue contra Dacos gerẽtes. Constat igitur Boios in Pannonia consedisse. Quo ex loco facile successu temporis in Noricum conterminam regionem migrare potuerunt. Idem quoque Strabo lacum, qui modo Constantiensis appellatur, designans, paululum ab eo distare Rhetios ait, amplius Heluetios & Vindelicos, desertam autem Boiorum regionem esse affirmat, usq; Pannonios: ob quam rem satis indicat Baioariorum terram à Boijs cultam fuisse. Idem Strabo Germaniam describens, Boios prius Hercyniam habitasse syluam asserit, & Cimbros agmine facto eorũ inuasisse locum, atq; à Boijs reiectos fuisse. Itaq; satis persuasum esse potest, Baioaricũ nomen ex Bois descendere. ager enim eorum trans Danubium, Hercyniam syluam nõ parua ex parte occupat. Ea nũc Germanica gens est, sermone utens Teutonico: neque deserta regio, ut Strabo tradit, quod suo fortasse tẽpore fuit, nunc cultißima est, magnas ac ambitiosas ciuitates habens & oppida nobilißima, quorum splendorem nescimus tota Europa, quæ uincere poßint. Pontificales urbes V in ea sunt, quarũ una Metropolitica est (Saltzburgam uocant) ex flumine cui adiacet. Veteres Iuuaniam uocauere. In Baioaria Ludouicus Ludouici filius Gibbo & struma deformis, impia contra patrem

Ludouicus gibbosus & strumosus, impia contra patrem bella suscepit.

bella suscepit, uenerandumq; senem, & autoritate insignem, qui quondam regnum Franciæ gubernasset, in arce munitissima obsedit: sed superis ultionem tanti sceleris petentibus, prius febre percussus, quàm patris animum in suam traheret sententiam. Ille in potestatem Henrici eiusdē familiæ ducis postea factus, breui tempore uitam finiuit. Nec Henricus diu superuixit. Qui cum prohibuisset subditos in anno iubileo Romam petere, ueritus ne prouincia pecunijs exhauriretur, eodem modo ad patres suos additus est. Successit ei Ludouicus filius ex sorore Alberti Cæsaris natus, magni animi adolescens, gloriæ cupidus, & pecuniarum contemptor: qui Iudæos omnes, publice positis edictis, è suis dominijs exterminauit: uxorem de Saxonia duxit, neptem Frederici Cæsaris. Multas Germaniæ lites autoritate sua composuit, quamuis sæpe & multum conatus reconciliare Cæsari Ladislaum regē nequiuerit. Albertus eius terræ ac familiæ princeps, postquam pater eius Ernestus puellam balnei custodē ab eo perdite amatam, & in spem matrimonij susceptam, apud Spraupingam Danubij fluentis demersit. Cum diu uitam in mœrore peregisset, tandem luctu peracto, uxorem de domo Brunsuicensi duxisset, ex qua sobolem pulcherrimam sustulit, sub imperio Frederici podagra laborans, sepositis cæteris curis, sectatus musicam, assiduis cantibus ac sonis animam oblectauit, interdum & uenationi operam dedit. In Saltzburga, quam Metropoliticam in Baioaria sedem obtinere diximus, tres archiepiscopi fuere, quorum ultimus Sigismundus nomine, dum scismatis procella deseuit, cum esset adhuc præpositus, Romanam ecclesiam magnifice iuuit. Sed archiepiscopus à Nicolao pōtifice creatus, literas apostolicas quibus censura in Australes imperatori rebelles fulminabatur, in ecclesia sua publicari non siuit, siue metu potentiæ illorum, siue quod anathemate suspenso, pacem melius inueniri putauit. Ad quam componendam & ipse descendens in Austriam, non paruam operam impendit.

¶ Circa Rhenum qua flos Germaniæ nostro tempore uisitur, inter Theodoricū Maguntinensis ecclesiæ præsulem, & Ludouicum comitem palatinum rheni crebræ dissensiones fuere, & sæpius ad arma uentum est, totaq; circum regio rapinis atque incendijs uastata. Cum Maguntino Marchiones Badenses ac Brandeburgenses opem ferrent, Palatino Iacobus Treuerensis antistes, & nonnullæ ciuitates assisterent, mortuo Ludouico Palatino, qui relictam Ludouici regis Cypri uxorem duxerat, filium ex ea natum infantem adhuc Fredericus frater eius, consentientibus terræ optimatibus, adoptauit. Gubernatorem prouinciæ tanquam dominus, electorem imperij se dixit, cœlibatum perpetuum promisit, ne erogato filio, uxorem ducens præiudicium faceret. Rogatus Nicolaus Pontifex quintus id genus adoptionis confirmauit, recusauit Fredericus imperator sæpe multumq; requisitus. ¶ In Sucula Albertus Frederici frater imperatoris, cum pluribus ciuitatibus uariante uictoria bellum gessit. Ab Vlmensibus ciuitatem Rotenburgensem litigando per sententiam obtinuit.

De in Marchionatu Badensi nonnullis rebus gestis. Vbi de Suitensium in hostes deuictos mira crudelitate, Cap. XLI.

IN Marchionatu Badensi princeps Iacob. iustitiæ ac prudentiæ fama inter Germanos clarissimus, cū sibi ad humanam felicitatē solā literaturæ peritiā deesse uideretur, quos ex coniuge legitima liberos sustulit, ediscere literas compulit: inter quos diuiso patrimonio, cum Carolo primogenito singularis industriæ iuueni imperatoris sororē matrimonio collocasset, plenus annis haud inuitus è uita decessit. Tyrolenses, qui ualles Eni & Athesis incolūt, cum Sigismundū principem suū in tutela Frederici Cæsaris existentem iam grandiusculū ad se remitti frustra petiuissent, sumptis armis præfectos prouinciæ, quos Cæsar instituerat, deiecerūt. Et cū Tridentini episcopi, cuius erāt subditi, in fide Cæsaris perseuerarent, cū exercitu eo peruenere, ciuitatēq; metu perculsam proditione ceperunt, & arcē oppugnatione fatigatā ad deditionē compulerunt. Exin pactionibus cū Cæsare conuenientes, minori q̄ crediderant felicitate suū dominū obtinuere. Suitenses montani & feroces populi, cum Thuricenses ex fœdere, quod cū eis pepigerant, desciuissent, comparato exercitu in eorum agrū cuncta uastantes exiere: Quibus cū Thuricenses prælio cōgredi præsumpsissent usq; ad internecionē cæsi sunt. Tātaq; Suitensiū in ui-

A in uictos hostes crudelitas ac rabies fuit, ut eo ipso in loco partæ uictoriæ epulantes, congestis necatorū corporibus, & mensalia & sedilia ex illis apparauerint, & aperientes hostium cadauera cruorem biberint, corda dentibus laniauerint. Hæc ille.

De Ludouico Delphino Viennensi bellum in Basilienses mouente, de Amedeo Sabaudiæ duce, ex ducatu eremum, ex eremo summum Pontificatum, & ex summo Pont. Cardinalatum subeunte. Item de Bolomero in lacū demerso, & Ioan. Segobiensi Alcoranum Mahumetis traducente. Cap. XLII.

IN Alsatia cui quondam Heluecia nomen fuit, tum Galliæ nunc Germanici iuris prouincia. Cum Ludouicus Delphinus Viennēsis in agrum Basiliensem omnem fermē militiam Gallicam eduxisset, ingentemq; metum Basiliensibus incussisset, Suitenses ex fœdere sociæ ciuitati quatuor millia militum lectissimæ iuuentutis auxilio misere. Quos cum Delphinus appropinquare animaduertisset, medium inter Basileam & Suitenses cum toto exercitu se opposuit, nec detrectauere illi certamen, quamuis pedibus pugnaturi triginta millia equitum stare contra se in aciem cernerent. Pugnatum est summis utrinq; uiribus, ad extremum non tam uicti quàm uincendo fessi, Suitenses nimis audacias præsumpsit facinoris pœnas dedere. Nam pauci fuga dilapsis obtruncati omnes in campo iacuere. Rarus tamen ex Suitensibus inultus interijt, ex quibus plures experti B sunt, qui lanceis perforati ad obtrūcandum hostem per medias hastas dilapsi, uindictam accepti uulneris expetiere. ¶ Amedeus in Sabaudia dux primus eius gentis, cum annis ferme XL post patris obitum prouinciæ gubernacula tenuisset, & admirandus adaucto paterno imperio parta undiq; pace formidandus, cumulatis opibus, sapientia plenus, uicinis populis ac principibus uideretur, ac demum relictis principum & gloriæ fastibus in eremum se recepisset, & sumpta penula, ac retorto baculo, cum sex uiris equestris ordinis ætate prouectis, mundo & pompis eius renuntiasset, ad extremum summi Pontificatus honorem ex Basiliensi congregatione sibi delatum, in ecclesiæ diuisione superis parum fauentibus accepit. Barbam totondit, quam promissam nutriuerat, ducatum primogenito suo tradidit, ecclesiasticas ceremonias & orandi morem repente didicit. Stipatusq; magna nobilium caterua, & illustri comitatu circundatus, Basileam perrexit, ubi ab ijs qui generale concilium facere arbitrantur in maxima populi multitudine, quæ undiq; ad spectaculum tantæ rei confluxerat, inter duos filios egregia facie adolescentes, alterū Sabaudiæ ducē, alterum Gebennarum comitem, solennibus pro more seruatis, Pōtifex Romanæ ecclesiæ coronatus est. Celebrauit sæpe diuina: Benedixit plebibus: Officia curiæ ordinauit: Cardinales doctrina & autoritate præstantes assumpsit. Fuerunt ei cum rege Franciæ Carolo, cum Astolfo rege Aragonum qui tū hostis Eugenij Papæ fuit, cum Philippo duce Mediolani, cum pluribus alijs de recipiēda eius au-C toritate tractatus, qui omnes incassum abiere. Fuit & Fredericus imperator apud eum in Basilea, sed clam nocte intempesta ne adorasse idolum uideretur, abijt. Reuerentiam ei tanquam uicario Iesu Christi, subditi eius tantum & Suitenses populi, & Basilienses, & Argentinenses, & qui Alberto parebant Baioariæ duci præbuerunt. Fuit enim magna spes obtinendæ Germaniæ. Cum sex principes electores in eam sententiam fœdus inijssent, ut nisi Eugenius postulatis eorum annueret (postulabant autem res prorsus negandas) in Amedei (quem Felicem quintum appellauerunt) obedientiam transirent. Sed cum illorum consilia Fredericus peruertisset, & qui sub nomine Synodi Basileæ degebant abire iussisset, desperato meliori successu, interueniente per legatos suos Carolo Franciæ rege, ecclesiæ pacem dedit. Nicolao Pontifici Maximo reconciliatus, relicto nomine Papæ, Cardinalatus honorem retinuit. In quo paulò postea non sine boni uiri opinione decessit felix princeps, & nimium, si senium suum ecclesiasticis titulis non fœdasset. Bolomerus qui eius quondam & primus & dilectissimus consiliorum particeps fuerat, ingentesq; opes apud eum cumulauerat, cum nobilitatis odium incidisset, proditionis reus factis mortis sententiam tulit, & in lacum Lemānum præcipitatus, magno saxo ad collum suspenso demersus est. Nobilitas exinde noui ducis indignationem subiens, ad regem Franciæ confugit, cuius opi-

bus adiuta in patriam rediit. Ioannes Segobiensis homo Hispanus, moribus & doctrina illustris, qui cũ summos theologiæ præceptores doctrina æquaret, ab Amedeo dum se Papam dixit, Cardinalatus eminentiam acceperat. Et deinde unioni cõsentiens Nicolao Pontifice Max. Cardinalatus dimisso titulo, Cæsariensi ecclesiæ præfectus fuerat, in altissimis reconditus montibus, paruo monasterio cõtentus, Vocatis ex Hispania legis Arabicæ magistris, librum quẽ uocant Alchorã, & in quo Mahumetis ψευδοπροφήτου non tam mysteria quã deliramenta cõtinentur, in nostram linguam de nouo conuertit & ineptias eius ueris ac uiuis rationib, & argumentis explosit. ¶ In Arelate ad sepulchrum Ludouici Cardinalis sanctæ Ceciliæ, eius urbis episcopi, quem Basileæ in consessu patrum præsidentem uidimus, magna miraculorum opinio orta est, & inualidorũ frequens undiq; concursus spe sanitatis factus. D

De Ioanna uirgine Lothoringensi, Anglorum copias è Francia fugante, de Flocheto pontem arcis nouo cõmento inuadente, deq; Thalboto Anglo duce cum filijs ad Burdegalam in bello cadente, Cap. XLIII.

IOannes comes Armeniaci incæsto Germanæ sororis amore perculsus, nuptias eius tentare conatus, haud indignus existimatus est, quem paterna hæreditate Carolus rex Franciæ armis eijceret: In regno ipso Franciæ, quod nostra ætate Ioãna uirgo Lothoringensis diuinitus (ut credunt) admonita, uirilibus indumentis et armis induta, Gallicas ducens acies, ex Anglorum manibus magna ex parte (mirabile dictu) prima inter primos pugnans uictoriam eripuit. Cum iam Philippus Burgundiæ dux paternæ necis iniuria remissa, relictis Anglis ad Francos defecisset, ingentes inter Carolum regem & filium eius Ludouicum Delphinum Viennensem, contentiones atque inimicitiæ sucreuerunt. Carolus Andegauensis eo tempore Delphini auunculus apud regem plurimum poterat, cuius potentiam cum Ioannes Alenconij dux ferre non posset, Borbonij quoq; princeps, & frater eius Spurius, Andegauẽsem gubernationẽ ægris animis intuerentur, Delphino ut à patre discederet suaserunt. sic enim fieri posse, ut rex desiderio filij Carolum à se reijceret, regnumq; quod in eius manibus pessum ire uidebatur, meliori cõsilio regeretur. Quibus permotus Delphinus, insalutato patre ad Niuernenses discesit, qua re comperta rex comparato raptim exercitu in Alenconium duxit, & expugnatis non magno negotio plerisque munitionibus, ducem in deditionem accepit. Exin contra filium profectus, cum ciuitates Niuerniæ Delphinum aduersus patris imperium tueri non auderent, eum ut à se abiret rogauerunt. Ille in Borbonium se recepit, nec diu post metuens dux Borbonij regis iram, filium patri reconciliauit, quæ res fratri suo Spurio haud bene cessit. Nam is paruo post tempore captus, in profluentem demersus, uiolati paterni iuris in filium pœnas dedit. Interiecta deinde non longa temporis mora, Rhenatus è regno Siciliæ propulsatus, filiam suam Henrico regi Angliæ in matrimonium collocauit, haud abnuente Francorum rege, qui eo coniugio inducias belli sibi ac regno suo salutares, cum Anglis plurium annorum obtinuit. Quibus cõclusis, securus iam domi rex, ut Franciam militaribus spolijs atq; incẽdijs diu agitatam, tantisper sineret requiescere, Delphinum cum magna parte copiarum ad Heluetinos supra relatum dimisit, ipse cum reliquo exercitu in Lothoringos profectus, Metensem, Tulensemq; agrum uexauit, oppidumq; non parui momenti quod Spinale uocant, dedentibus oppidanis ab ecclesia Metensi abstulit. Exin Franciscus Aragonensis capto furtim oppido Fosersi, quod in Normannia situm, in potestate ducis Britanniæ fuit, duorum potentissimorum Franciæ ac Angliæ regum interrupisse pacem uisus est. De qua re dum missis ultro citroq; legationibus contenditur, Flochetus cum non paucis equitibus à rege Franciæ profectus, quadrigas fœno oneratas, in quo milites armati laterent, pontem arcis quo Sequana fluuius iungitur, qui Normannos à Francia dirimit, edoctos rusticos educere iubet, atq; in medio pontis portæ arcis subsistere. Ipse in insidijs cum cohortibus signum expectauit, quo recepto cum milites è fœno dilapsi portam inuasissent, trucidatis custodibus tam diu locum tenuere, donec Flochetus aduolans, & pontem & arcem in potestatẽ recepit. C[illegible]ius rei percepto nũcio, & rex ipse

E

Superius demergitur.

F

A rex ipse per eundē pontem in Normanniam copias traiecit, & ex alia parte Franciscus Britanniæ princeps exercitum duxit. Dux Summerseti eam prouinciam pro rege Angliæ cum imperio tenebat. Qui postquā tanti belli molem in se uerti cognouit, Talbotum copiarum ducem fama clarum, & rebus gestis insignem, Rothomagi apud se esse iussit, sperans eius cōsilio, atq; armis ciuitatem atq; animos ut animaduerterat, in fide continere. Sed frustra eius consilium fuit. Nam Rothomagenses post quàm regē appropinquare didicerunt, missis ad eum legatis sententiam suam ac fortunarum suarum pacti salutem, exercitum intra urbem recipere & imperata facere promiserunt. Quibus à rege collaudatis, & domū cum præsidio militū remissis, urbis regis dedita est. Talbotus cum duce suisq; omnibus in arcem sese recepit. quæ cū oppugnari recepta esset, interuentu Rhenati regis, ea cōpositio facta est, ut Angli quæ in Normannia retinebāt oppidis excederēt, dux ac Talbotus cū suis liberi essent. Sed cū præfecti oppidorū non parerēt, dux Somerseti dimissis in arce Talboto & duob. priuignis suis clam recessit in Angliam. Arx postea dedita est, & priuigni ducis cū Talboto in potestatē regis facti sunt. Talbotus uero cū esset clara apud omnes fama, quā nō malis artibus, sed robore corporis & ingenij dexteritate in aperto mare quæsiuisset, data fide quod aduersus Francos deinceps arma non gereret, libere dimissus est. Hic anno iubilei indulgentiæ causa

B Romam uenit, ut quidam putant absolutionē quæsiturus eius promissi, quod regi Franciæ fecerat, mihi hoc minime compertum est. illud constat, Talbotum cum in Angliam redisset, iamq; rex Franciæ uicta omni Normannia, Burdegalam quoque armis subegisset, à rege suo non sine magnis copijs in Gasconiam cum imperio missum, & Burdegalam recuperasse, & alia pleraq; castella quæ ab imperio Anglicano desciuerāt, partim ui expugnasse, partim deditione uolūtaria recepisse. Quæ cum rex Franciæ resciuisset, è uestigio duos exercitus instruxit, quorū alterū, cuius præfectus gener suus comes Clarimōtis, ac ducis Borbonij filius, cum quindecim millibus pugnatorum, in quis totius militiæ robur fuit, ad urbem Burdegalam recto itinere contendere iussit: Alterū quem ipse ductauit, ex purpuratis suis conscripsit, quibus & comes de Stampis annumeratus est, quem lecti iuuenes D, equites CCC ex Britonia sequebantur. Iussit & hunc exercitum retēto apud se comite rex præire, qui cum septem, ut aiunt, leucis à Burdegala cōstitissent, paruū quoddam castellū oppugnare cœperūt, turri quadam inter Burdegalam & castellū ipsum occupata, ac sagittariorum præsidio munita. Talbotus uero, postquā sibi duobus exercitibus pugnandum esse intellexit, eum prius aggrediendum censuit, quem minori negotio superari posse confidebat. Egressus igitur cum robore sui exercitus, iam uespere ad turrim quā diximus occupatā peruenit, qua primo impetu expugnata, sagittarios omnes ibi captos circiter quinquaginta interemit. Exin mane profectus,

C cum accepisset regium exercitū pugnam parare, ueritus tanquam sibi è manibus præda dilaberetur, iussis alijs sequi, cum quingētis galeatis militibus, octingētis sagittarijs prope hostes aduolans, tumultuarium prælium inijt. Consultauerant aliquandiu inter se hostes, an retro pedē fugiendo referrent, sed pudore propinqui regis experiri belli fortunam decreuerant. Erant eis trecenta circiter tormenta ænea, id est bombardæ quæ curribus aduexerant, ea uia, per quam Talbotus aduenturus erat opposuerunt, multas præterea machinas hinc atq; inde collocauerunt, quibus ignari hostes confici possent. Vt ergo furentes Talboti milites, itinere, quod unum patebat in castra hostium, nescij machinarum procurrunt, dato tormentis igne, primo congressu treceni ferme milites ictu lapidum ex Anglis periere. Quod ubi Talbotus animaduertit, filium qui se sequebatur ut abiret, & ad meliora tempora se reseruaret, admonuit. At cum filius diceret non esse sibi ex eo prælio fugiendum, in quo pater periclitaturus esset. Ego, inquit, fili multis rebus clarissime gestis, nec mori sine dedecore possum. te nunc militare incipientem, nec fuga infamē, nec mors clarū faciet. Sed cū filiū plus pietas quā cōmonitio paterna moueret, coartatis socijs ut forti animo pugnā redintegrarēt, testudine suorū facta in hostes, qui nunquā munitiones castrorum exire præsumpserant, audacibus inuectus animis, haud paruā illorum stragē edidit. Sed cum hostes partim loco, partim tormentis

ac nume-

ac numero militum superiores essent, & iam crus Talboto lapis è tormento missus arripuisset, cæsis maiori ex parte suis, & ipse tandem cum duobus filijs, altero legitimo, altero extra matrimonium nato, & uno genero procumbens cecidit: hic post sumptas ex hoste uictorias clarissimi uiri exitus fuit, quem Britonum potissimum constantia & audacia prostrauit. Burdegala iterum in potestate regis facta est. Britanniæ ducem, eius germanum qui nunc rerum potitur, cum diu sobole caruisset, uotum uouisse ferunt, liberos si superi darent, priores duos alterum Minorum, alterum Prædicatorum religione consecraturum, exin uoti compotem, primum qui sibi natus est Franciscum appellauit, secundum Dominicum. Natus est ei & tertius filius quem in Angliam nutriẽdum misit. Is cum mortuo patre in Britoniam Francisco regnante redijsset, ab eo captus et in carcere necatus est. Fama est eum, cum neci traderetur, impietatẽ fratris accusando, qui non contentus regnum sibi debitum occupasse, sed animam quoque sibi nepharius auferret, Franciscum coram diuino iudicio de parricidio responsurum, infra annũ citasse: Ob quã rem cum infra præfinitũ tempus Franciscus hydropisi laborans obijt, ut est religiosa Gallorum natio, correctum cum diuina cẽsura uulgo creditum est. Dominicus ei successit, qui cum hoc anno sine liberis decessisset, Arturum Francorum militiæ principem patruum suum successorem habuit, non minus prudẽtia quã annis grauẽ. Carolus dux Aurelianensis, qui magno quondam prælio ab Anglis captus fuerat, iam senex in patriam dimissus, defuncto Philippo Maria Mediolanensis ducatus, tanquam sibi ex successione debiti sese titulis adornauit.

Franciscus Britonũ dux fratrem in carcere necat.

Quod Gandauenses supra uiginti millia ciuium amittentes, Philippo duci Burgundiæ se submisere, quodq; Delphinus Viennensis Agnetem occidere tẽtauerit, Cap. XLIIII.

IN Flandria Gandauenses aduersus Philippum Burgundiæ ducem rebellantes, pluribus prælijs uicti, ad extremum supra uiginti millibus ciuium una pugna amissis, confessi errorem Philippo manus dedere, legesq; uictoris acceperunt: idem Philippus & oppidum Lucenburgense maximum ac munitissimum, quod in Saxonum potestatem dotis nomine uenerat, non sine indignatione Ladislai regis armis accepit. Delphinus Viennensis, cum mulierem quandam nomine Agnetem forma præstantem ac patri dilectam occidere tentasset, iterum regis odiũ incurrit: cumq; nusquã alibi se tutũ arbitraretur, ad florentes Philippi opes confugiens, ut primum eum cõuenit: Miserto mei consanguineæ (inquit) qui sine terra sum filius regis. Ad quem Philippus: Dum terra mihi est (ait) caue te sine terra dixeris. Nam quæ mihi prouinciæ parent, eædem tuæ sunt, nec minus tibi quã mihi obediãt uolo. Post hæc ei & Brabãtiæ florẽtissima oppida, et ambitiosas Flãdriæ ciuitates ostẽdit, dominũ eũ et principẽ in cõspectu suo nũcupari iubẽs.

Delphinus Viennen. Agnetem occidere tentat.

De Anglia insula, & quod olim Britannia, quodq; Albion fuerit dicta. De rege Henrico, Sofulso, Eboracensi & Somerseto, ducibus, Cap. XLV.

VEntum modo est in eum locum, de quo breuissimus est in Angliam traiectus, neq; enim plusquã triginta millibus passuum id mare latum est, quod Flandriam atque Angliam interluit: absolutis Galliæ rebus, haud inconueniens fuerit transmisso pelago, Angliæ (cui quondam Britanniæ nomen fuit) quàm breuissimè mutationes sub Frederico factas, cõmemorare. In Anglia quam tum Albion, tum Britãniam ueteres uocauere, rex Henricus solitudinis & otij cupidus, alieno magis quã suo iudicio regnũ gubernauit. Potens apud eum, & in primis auditus dux Sofulsi fuit, qui leges pro suo arbitratu, & populis & principib. dixit. Suppressit quos odiuit, & iterũ quos amauit erexit. Sed cum res Anglica apud Francos imminui cœpisset, & iam imperiũ Gallicũ in pristinam gloriã emergeret, dux Eboracẽsis coactis nõ paruis copijs, nec paucis stipatus Baronibus, Lundonias uenit regis consiliũ mutaturus, atq; (ut ipse dicebat) regis & regni saluti consulturus. Nõ expectauit eius aduentum dux Sofulsi, sed nauigio raptim correpto, per Themisiam fluuium saluti suæ fuga cõsulere adorsus est. Sed destinatam quis mortem fugiat? Missi qui eum cõprehenderent, per compendia itinerũ cursum eius præuenere, ipsumq; mox interceptum, in prora nauis qua uehebatur obtruncauerunt. Dux quoque Somerseti, qui perdita Normannia Angliam remeauerat, potensq; apud regem cre-

A



B gem credebatur, in carcerem coniectus est. Nobiles uiri quàm plures necati, nec sacerdotio præditis parsum est: inter quos & amicus noster Adã Molines secreti regij signaculi custos & literarum cultor, amisso capite truncus iacuit: nec diu postea cum dux Eboracensis domũ rediisset, Somerseti princeps è carcere missus, permittente rege, gubernare regnum incœpit, quæ res supremæ sibi cladis causa fuit: irritatus enim ob eam causam princeps Eboracensis, cum maioribus copijs quàm prius Lundonias properauit: cui cum rex obuiã unà cum duce Somerseti exiuisset, putans illum aut uerborum lenocinio placare, aut regiæ maiestatis autoritate deterrere, nihil profecit. Eboracensis enim cum esset longe potentior, iusso rege ut in partẽ se reciperet, Somerseti ducem ac eius equitatum arripuit, eumq; mox captum, detruncato capite interfecit.

De Scotia & mirandis apud Orcades arboribus, suos fructus in aues mutantibus. Item de Hybernia, Cap. XLVI.

SCotia eius insulæ in qua est Anglia suprema portio est, in Aquilonem uersa, fluminibus haud magnis, & monte quodam ab Anglia discreta: hic nos brumali tempore fuimus, cum Sol paulo amplius quàm tres horas terram illuminaret. Iacobus eo tempore regnabat quadratus & multa pinguedine grauis, qui cum olim in Anglia captus, undecim annis in custodia fuisset, ac dimissus tandem suscepta ex Anglis coniuge domum reuersus, complures regulos gladio percussit, & ipse tandem à suis domesticis interfectus. In quos ultione peracta, filius eius regnum suscepit. Audiueramus nos olim arborem esse in Scotia, quæ supra ripam fluminis enata, fructus produceret anetarum formam habentes, & eos quidem cum maturitati proximi essent, sponte sua decidere, alios in terram, alios in aquam, & in terram deiectos putrescere: in aquam uero demersos, mox animatos enare sub aquis, & in aëre plumis pennisq; euolare. De qua re cum audiuimus inuestigaremus, didicimus miracula semper remotius fugere, famosamq; arborem non in Scotia, sed apud Orcades insulas inueniri, illud tamen nobis in Scotia miraculum repræsentatum est. Nam pauperes penè nudos ad templa mendicantes, acceptis lapidibus eleemosynæ gratia datis, lætos abisse conspeximus: id genus lapidis siue sulphurea siue alia pingui materia præditum, pro ligno, quo regio nuda est, comburitur. ¶ Hybernia nunc nobis absoluenda esset, quæ paruo à Britannia disiuncta freto, partim libera Scotorum amicitia & societate gaudet, partim Anglicano paret imperio. Sed quoniam nihil dignũ memoria per hoc tempus, de quo scriptio est, gestum accepimus, ad res Hispanicas festinamus.

Dies trium horarum.

C

Attend. miraculũ arborũ, quarũ fructus in aquã decidẽtes, mutantur in aues.

Quod

Quod Hispania sit in quinque regna diuisa, & quod apud ipsam nonnulla scitu digna sint gesta, Cap. XLVII.

LAtissima regio Hispania & terra optimis comparanda, uiris armisq; potens, hoc anno nostro in quinque reges diuisa est. Primum ac maximũ castellum regem appellant. Proximum ei Aragonum. Tertio Portugalensem. Quarto Nauarræ, Granatæ, quod ab Euangelio Christi alienum est, ultimum ponunt. In Castella prænobili ac late dominante regno, cuius reges Gothorum sanguine creti, nunquã genus uariarunt. Aluarus de Luna, natione Aragonensis nobili genere, quãuis extra matrimonium natus, cum olim Ioanni regi adeo se insinuasset, ut unus omniũ regni regisq; potẽs uideretur, Ioannẽq; Nauarræ regẽ & Henricũ magistrũ militiæ sancti Iacobi, potẽtia sua opprimere, ac regnũ gubernare conatos armis deturbasset, postea tamen aduersante sibi regina D



E

redeuntibus illis, ac regẽ in potestatem suã recipiẽtibus, è curia pulsus, in possessionibus suis aliquandiu priuatus uixit: felix si concesso frui ocio nouisset, sed nulla est regno deiectis quies. Dũ ergo sublimẽ locum de quo rursus maiori cum ruina præcipitetur uendicare conatur, regi clã suadet, uti per speciem uenationis in saltus sibi propinquos egrediatur, secum potenti manu futurum obuiam. Nec dubium quin regni optimates libertatem regi afferant, non fuit difficilis persuasio. Rex cum paucis egressus parum custoditus, (nam Aluari iam pene nomẽ extinctũ erat) ubi ad insidiarũ locum peruenit, mox F clamore edito, Aluarus inter lectos exultans milites, liberum regem saluere dixit, eumq; secum adduxit, quare uulgata confestim mira inclinatio regni facta est, & iterũ ad Aluarum regni gubernatio deuoluta: nec diu post cum eisdem Ioãne atq; Hẽrico atrox prælium cõmissum est, in quo plures utrinq; cecidere, uictoria penes Aluarum fuit. Henricus non multis post diebus ex uulnere manus, quod in ea pugna receperat, mortem obijt. Magistratũ eius Aluarus obtinuit, & aliquandiu postea regis pariter et regni moderator est habitus, ad extremũ tamẽ potenti inuidiæ succubuit. Nam cum nobilẽ quempiam iussu regis ingrata sibi quædã renunciantẽ, è fenestra suæ domus præcipitari iussisset, mox captus, & in medio foro capitali sententia damnatus est: nõ tamen ut ignauus occubuit, sed numeratis suis in regem regnumq; meritis, nõ lachrymãs aut eiulans, sed alacri uultu & quasi ad epulas inuitatus, ceruicem gladio præbuit: uir alti spiritus, nõ minus domi quã belli clarus, & cui magna semper in mente sederint. Ioannes deinde aliquot annos per se regnũ administrauit, quo uita functo, filius eius Henricus regnum accepit. Adolescens animo plenus, & recti cupidus, qui relicta priori coniuge uelut infœcũda, alteram ex Portugallia duxit imperatricis sororem, & in regnũ Granatæ cũ exercitu profectus, magnã hostibus terræ partem diripuit atq; pertriuit. Ioannes Cardinalis Ostiensis,

Henricus rex ex uulnere manus obijt.

Aluarus ceruicem alacri uultu gladio præbuit.

A Ostiensis, summa uir integritate, & scientia iuris eminens, cui iuuenis in dictandis epistolis seruiui senio confectus, in eo regno, unde illi origo erat, animā deo dedit. In regno Nauarræ & filius in patrē et pater in filiū arma suscepit, filiusq; tandem regno pulsus ad Alphōsum patruum Aragonū Siciliæq; regē, peragrata prius Gallia, cōfugit. Nūc Ludouicus Montesiæ Magister, & Ioānes Deseritanus uiri præstabiles, ab Alphōso missi, recōciliare patri filiū student. Ioanna Alphonsi & soror & cōiunx, absente uiro multis annis Aragonum et Valētiæ regnis tot potētiæ ciuitatibus, tot nobilissimis principib. iura dixit, casta & sancta mulier, & digna quæ prolē peperisset Alphōso. In portugallia Petrus cognomine infās (sic enim filij regis antequā regnēt appellātur) magni nominis princeps, qui totā ferme Europā peragrauerat, suæ uirtutis documēta demōstrans, cum regnū tutorio nomine aliquādiu summa cū laude administrasset, nec minori fide Alphōso ex fratre nepoti simul et genere suo restituisset, tandē subortis utrinq; dissensionibus, cum odio crescēte ad prælium uentū esset, sagitta in incertū missa trāsfossus interijt, uir magnorū operū, & qui olim sub Cæsare Sigismūdo stipendia faciēs, non paruā sibi gloriā in Turcas pugnādo parauerat. Alphōsus exinde māsuetissimus princeps, alti cordis et prudentia (neq; enim in stultos unquā regius Portugalliæ sanguis deriuatus est) post regnum utrunq; tenuit, cui cū obijsset dilectissima cōiunx eadē soror, patruelis hortatu ut aliam

B superduceret nō suaderi potuit, sed omnis eius cura eō cōuersa est, ut aliquid agat quod sibi laudem & Christianæ religioni fructum pariat. Quapropter inuitatis regni proceribus, suscepto publice crucis signo, classem in Turcas & expeditionem promisit.

De Genuensibus, & eorum crebris in principatu reipublicæ mutationibus. Cap. XLVIII.

VLtimis Europæ finibus peragratis, & quantum propositi nostri fuit, septentrione decurso, in partem tandem reuersus, nouitates Italiæ, cum iam referendæ occurrant, ab ea nimirum urbe incipiendum esse arbitror, cuius creberrimas mutationes & oriens simul & occidens admiratur. Ea est Genua Ligurum domina ac regina, quæ ciuilibus agitata discordijs, memoria nostra imperium maris amisit. In ea cum excluso Philippo Mediolanensium duce, eiusq; prætore Opicino Olgate necato, autore Francisco Spinula VIII libertatis capitanei creati essent, eisq; paulòpost sublata libertate exactis, Isnardus Guarro ducatum accepisset, annos supra septuaginta natus, autore Thoma Fregoso, qui & ipse olim ante Philippi dominium ducali honore functus fuerat, cum homo grandæuus ad gubernationem inutilis uideretur, uix septem diebus regnare permissus est, Thoma eius honorem surripiente. quem cum quatuor gubernasset annis, Germanus eius Baptista ad sedecim circiter horas regno expulit. Nam Thomam resumptis uiribus confestim fratrem palatio deturbauit, tres annos postea & nonnullis mensibus urbem regens, donec autore Ioanne Antonio Flisco iterum ciuitas li-

C bertatem asseruit, delectis VIII capitaneis, priori ex more rem publicam administraturis, qui Thomam Fregosum in carcerem coniecerunt, cum iam ter patriæ suæ ducē gessisset, horum principes fuere Ioannes Antonius, quē prænominauimus, miles equestris ordinis, & Raphanus Raphaël Aduanus iuris interpres. Sed hæc quoque paucorum mensium libertas fuit, cum Raphaëli, non tam capitanei quàm ducis nomen placeret: Is enim gentibus suis ac Spinularum primoribus in suam sententiam tractis, collegas suas magistratu abdicauit, ducalesq; fasces assumpsit, quibus paulo supra duos annos est usus, à Barbana gētili & patruele suo è re publica deiectus. Barbanam uero nondū mēse toto principatu potitum, Ianus Fregosius Ioanne Antonio Flisco & Aurianis fauentibus regno pepulit. Qui paulòpost Antonio pro suscepto beneficio necem parauit. Interposito Ioanne Philippo eius gētili, qui cum permitteret, cui & castella defuncti cōdonauit. Iano uero cū rexisset annis paulo amplius duobus, in magistratu satis functo, frater eius Ludouicus successit, qui à Petro patruele suo è dignitatis culmine deiectus est. Is est Petrus Fregosius, qui modo regnat, multa ui animi & corporis, sed optimatibus ciuitatis & omni ferme nobilitati odio habitus, qui & gentilē & patruelē suum Nicolaum Fregosium honestis moribus præditum, & philosophiæ studijs insignem, ob suspitionem affectati dominij, uocatum à se in palatium paratis percussoribus inter-

Raphaël collegas magistratu abdicauit.

emit. Hinc, cum regnassent annis quatuor, tam suæ quàm aliarum nobiliũ familiarum principes, in urbe Ludouico patruele suo quem ipse ante deposuerat in eius locum suffecto, cum se parum gratum magnatibus esse intellexisset, eundem Petrum quem regno deturbauerat, in auxilium accersiuit, ille tertia post exilium die reuersus, & patruelem ducatu amouit, & omnes aduersarios urbe pepulit. Quorum principes ad florẽtes Alphonsi Aragonum & Siciliæ regis opes conuersi, magnam et formidabilem classem ab eo impetrauerunt, cum qua iam fermè duobus annis terra mariq; Genuam oppresserunt. Ventum est sæpe ad mœnia ciuitatis, & aliquando intra suburbia pugnatum. Hoc autem anno, cum signo dato & in ipso portu, & pro mœnibus urbis undique pugnaretur, ingressi sunt Aragonenses ducisq; milites, & magnam urbis partem fugauerunt, passim cædibus, passim rapinis ciuitatem fœdantes, sed adfuit præsto cum delecta iuuentute Petrus, qui fugientes suos sistere compulit, & in Aragonenses dilapsus, ingenti edita strage, urbem penè captam, recuperauit. Actum tamen de eo fuerat, si portam quàm ceperant hostes ita communissent, ne concludi superne potuisset, & aditum sequentibus naualibus socijs potẽtem retinuissent. Nunc ambæ partes quasi ex integro ad bellum se parant, quamuis fama est Petrum animo fractum, Gallorum implorare auxilia, eorum regi patriæ suæ principatũ, quem retinere non potest, pecunia uenditurum.

De Mediolanensibus, & uarijs apud eos rebus gestis, Philippo Maria, & Francisco Sfortia, ducibus, Cap. XLIX.

APud Insubres urbemq; toto famatam orbe Mediolanum, Philippus Maria dux gentis, qui Genuam ditioni suæ quondam subegerat, Amedeæ Sabaudiæ ducis filiam matrimonio sibi coniunxerat, Alphonsum potentissimum regem cum duobus fratribus, altero rege Nauarræ, altero militiæ Compostellano magistroq;, multisq; regulis nauali prælio uictum, captum, & ad se usque deductũ, insolita usus liberalitate, magnificentissime donatum, libertati dimiserat. Sigismundum Cæsarem Romam petentem, cum Mediolani ageret, uisitare contempserat. Bononiam, Foroliuium, Imolam è manibus tyrannorum armis ereptas, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ restituerat. Atrocem Suitensium gentem bello domuit. De Florentinis ac Venetis per suos duces sæpius triumphauerat, totamq; quondam Italiam tremore affecerat. Iam recedente fortuna, pdita Genua, Nicolao Piccinino in quo maxime fidebat defuncto, exercitu suo ad Casale maius iuxta flumen Padum duce Micheleto Carimiola ab hostibus prælio fuso, & castris exuto, magno numero equitum peditumq; capto, eò deductus erat, ut non modo Venetis, sed omnibus per circuitum populis ac principibus contemptui esset. Et Veneti quidem Abdua flumine transmisso, in agro Mediolanensi castrametati, tantum ei terrorem incussere, ut de relinquendo imperio cogitauerit, quæ sunt ultra & citra montes auxilia regni deposcens. Sed quæ fortunatum atque hostibus insultantem, omnes honore ac fauore dignum existimauere, idem in calamitate constitutus, ab omnibus tanquam odio dignus relictus est. Vnus tamen omnium Alphonsus accepti beneficij memor, ad opem ferendam sese accinxit, sed cum serius iter agit, interim Philippus primum ob aduersam ualetudinem oculis captus, deinde ex ipsa arce hostiũ armorum fragore audito uehementer cõmotus, uitæ tædio simul & languore mortem obijt, ipso Alphõso hærede instituto. Fuit autem Philippus ingenti corpore, in iuuentute macer, in senectute pinguissimus, deformi facie ac terribili, instabilibus ac prægrandibus oculis, ingenio peracri & callido, in largiendo profusus, in parcẽdo facilis, in audiendo difficilis, at ubi in colloquium uenisset mitis ac placidus, cultus corporis ac munditiarum, omnisq; lenocinij negligens, uenandi cupidus, equorum studiosus. Cæterum quietis impatiens, atque imperitandi auidus, in pace bellum, in bello pacem quæsiuit, simulandi atque dissimulandi egregius artifex, in milites quàm in ciues indulgentior, raro in publicũ prodijt, delatoribus facile credidit, in suspiciones adeo pronus, ut sæpe fidissimos à se amicos leuissimis de causis alienauerit. Pulchris indutus uestibus ægre ad se uenire permisit. Sermonem de morte audiuit inuitus. Tonitrua ac fulmina mirum in modum expauit. Tabifica lue percussos ex urbibus migrare in agros iussit, eorũq; domos incendio

Veneti Philippo terrorẽ incutiunt.

A incendio tolli, qua cura innumerabilem illum Mediolani populum multis annis intactum, quodammodo ab ea peste seruauit, huic cum uita decessisset, funus nec tāto principe dignum, nec suis maioribus ductum est, nec sepulchri decus additum. Populus cognita ducis morte in libertate sæpe proclamauit, duodecim uiris electis qui rem publicā administrarent. Castrum portæ Iouis instar excellentissimæ regiæ captum ac dirutū est, & testamentum Philippi dilaniatum. Ad dominium Mediolanense multi aspirauere, sed qui coloratis uterentur titulis quatuor tantū fuere. Fredericus imperator deuolutum ad se principatum, Philippo sine liberis legitimis uita subtracto contendebat. Alphonsus ex testamento hæreditatem petebat. Carolus dux Aurelianensis ex sanguine uicecomitum natus, ab intestato sibi deberi ducatum aiebat. Franciscus Sfortia Vicecomes coniugem suam, quæ Philippi filia fuerat, hæredem patri suscipiendam affirmabat. Auditæ sunt legationes omnium in senatu Mediolanensi. Quarum aliquæ sermone directo dominium petiere, aliquæ per simulationem oblati contra Venetos auxilij insinuare se populo, atq; inde paulatim uendicare dominium satagebant. Sed ciuitati, quæ iam libertate gauderet, & imperandi cupiditate demortui principis militiam conduxisset, nulla conditio placuit, quo iugum quouis pacto in capita ciuium uideretur inferre. Obtulit tamen imperatori censum quotannis, aureum poculum, si libera suis legibus di

B mitteretur. Dilaniabatur interea undiq; Philippi hæreditas. Veneti Placentiā, Cremā, Laudam occupauere, et multa præterea minora oppida. Dux Sabaudiæ Ludouicus Valentiam & Confluentiam inuasit. Astenses ad ducem Aurelianensem Carolum defecere, qui susceptis à rege Franciæ non paruis auxilijs, Alexandrinorum agros uexare cœperunt. Papienses intestinis agitati discordijs diu ancipites fuere, quibus se potissimum partibus iungerent. Nouarienses, Comenses, Alexandrini, ac Terdonenses Mediolanēsium imperium subiere, Parmenses in societate quodammodo recepti sunt. Franciscus Sfortia per idem tempus in Piceno agebat, quamuis maiorem eius prouinciæ partē iam amisisset, quē Philippus non multo antequā moreretur, sibi per communes amicos reconciliatum, ut ad se rediret in Venetos pugnaturus, accersiuerat, rogato Alphonso rege, sibi ut septuaginta millia auri nūmum suo nomine numeraret, quo facto iam paratis atq; instructis copijs, itineri se accinxerat, cum mors Philippi enunciata, eum qui lōgo tempore ad Mediolanenses inhiasset, magis ac magis properare compulit: quem ut Lombardiam primum ingressus est, Mediolanenses incerti quo mēs eius inclinaret, ne uel per seipsum uel coniunctus Venetis suis cœptis obuiam iret, missis oratoribus, & oblatis non paruis stipendijs conduxere, moxq; duce sui exercitus facto, ut Placentiam omnibus copijs obsideret imperauerunt. Ipse dicto parens, dum ad Placentiam omnibus obsidione sedet, Papienses quia iam Mediolanēse imperium tanquā fastidiosum &

C insolens detractarant sese sibi dedentes accepit: quæ res Mediolanensiū animos haud mediocriter conturbauit, qui per conuentiones inhibitum Frācisco dicebant, quāpiam ex urbibus, quam olim Philippus tenuisset, occupare. Franciscus uero nō se occupasse, sed dedentem, & ultro se offerentem ciuitatem recepisse aiebat. At Mediolanenses cum eius potentiam uererentur, dissimulandum potius statuere. Ille continuata apud Placentiam obsidione, tandem summa ui oppugnare adorsus urbem, quāuis magna & forti militum manu munitam, armis tamen oppugnauit ac diripuit. Mediolanense regimen per id tempus penes nobiles fuit, & apud eos qui Philippi quondam consilium direxere. Itaque res prosperæ sapientium ductu cedebant, iam non parua Gallorum manus. Nam circiter tria millia equitum delecti roboris, quæ Alpes trāsierant, apud Alexandriā profligata deletaq; fuerant, & Veneti apud Carauagium magno prælio superati, omnes penè copias amiserant, & Lauda ab eorum imperio erepta in potestatem Mediolanēsium redierat. Cum Franciscus Sfortia ad infestandum Brixiēses missus, siue quod principatum Mediolanensem, cuius opinionem sibi iam pridē finxerat, alio modo consequi non posse sperabat, siue quod Mediolanēses cū Venetis amicitiā societateq; clam sequētes, ne solus utriusq; populi præda relinqueretur, præueniēdos censuit, prior cū Venetis fœdus iniJt, in quo cum multa hinc atq; inde promissa essent, illud inter cætera conuenit,

ut ad urbem Mediolani, ditionemq; eius obtinendam, Francisco cum copijs, proficiscẽ ti senatus Venetus & pecunijs & armis auxilio esset, qua re firmata mox in Mediolanẽ sem duxit. Militabāt eo tempore apud Mediolanenses Bracciani, qui cũ Ludouicum de Verme, ac nõnullas alias Frãcisci copias apud Modoetiã fudissent, tandẽ relictis Mediolanensibus ad eum defecere. Franciscus filiam suam Iacobo Picinino uxorẽ despondit. Carolus uero Gonzaga haud ignotus copiarũ ductor, qui paulo ante à Mediolanensibus deficiens ad Franciscũ uenerat, postquã desertos eosdẽ Mediolanenses, & sine ullo duce relictos animaduertit, iterum ad Mediolanenses relicto Francisco transiuit. Erat hic uasto corpore, formaq; pene gigantea: uiribus uero, quæ magnitudini respõderent, dicendi copia clarus, literis grecis ac Latinis instructus, sed animo inconstanti, & ingenio ad omne facinus siue honestum siue necessarium parato, cui non parua spes fuit oppressa in Mediolano libertate dominium urbis arripere, sed fortuna iam Mediolanensibus nouercante, Placentini, Therdonenses, Nouarienses q; populi ab eis deficientes, Francisci præsidia receperunt. Alexandrini cum nullam in eis spem sitam esse cõtuerentur, Gulielmi Montisferrati principis fratris imperio se commiserunt. Respublica medio tempore ex nobilitate in plebem defluxerat, lectiq; uiri duodecim qui urbi de more præessent, ex fece populari ignobiles atque incogniti magistratum gerebant. Hi cum ignobilitatem, quàm multis modis offenderant, suspectam haberent, ne'ue cum Francisco sentirent, suadente Gonzaga, qui eam uiam ad principatum urbis arripiendũ commodissimam existimauit, septem primarios ciues, genere nobiles, & opibus abundantes, raptim interceptos per noctẽ obtruncauere, ac deinde in foro plebi spectaculũ obiecerunt, inter quos Iacobinus Bossius egregius adolescens, placidus moribus, & literis eruditus, & nobis amicitia iunctus, prorsus innocens, supinus truncusq; iacuit. Nec diu post Ioannem Caynum uenerabilem senem, et filium eius Franciscum egregia forma iuuenem, non alio crimine irretitos, nisi quod illustrissimæ Blancæ Mariæ Francisci coniugi sanguine iuncti erãt, crudelibus affectos cruciatibus necauere. Exin Georgius Lampugnanus iuris interpres, sub specie legationis tanquã ad imperatorẽ mitteretur in Modoetia, captus atq; interfectus est, magnus libertatis assertor, & q testamentũ olim Philippi (populari fauens regimini) laniasset. Nec Theodoro Bossio admodum in ciuitate gratioso pepercerunt, quẽ cũ diu in uinculis tenuissent, tandẽ interemerũt. Galeothus quoq; Thuscanus, et ipse natu nobilis atq; opulentus ciuis intercisus occubuit. Quibus ex rebus cũ iam nulla libertatis forma relicta esset, & duodecim uiri ausu tyrãnico urbẽ cædibus ac rapinis fœdarent, successorumq; comitia prohibentes, inuito populo sibijpsis imperiũ prorogarent. Cõmota deniq; atq; incensa ciuitas, correptis armis, nouo magistratu ex nobilitate creato, tyrannos è repub. deiectos in carcerẽ cõiecit. At cũ neq; hoc modo respirare populus posset (Nã perditis omnibus, excepta ciuitate Comensi ac Parmensi, quæ in officio ad ultimũ perstaret,) Franciscus dura obsidione ciuitatẽ premebat) iterum plebs incensa nobilitatem è palatio pepulit, tyrannos demptis uinculis, tãquam libertatis amatores, & optime de repub. meritos, in priorem locum restituit. Illi ad priores artes reuersi, cum satellites magno numero sibi assumpsissent, multaq; suadente Carolo spolia perpetrarent, nobilitatemq; prorsus opprimerent, non tamen ei uiam ad inuadẽdum principatum permisere, q̃d cum ipse animaduertisset, et iam sibi periculosam apud Mediolanenses moram intellexisset, per internuncios Francisco reconciliatus, ac magnis allectus præmijs, Laudam illi prodidit, tertioq; iam fidem fallens, non sine magno Mediolanensiũ damno, ac plebis consternatione, ad eum transiuit. Nõ tamẽ defuit tyrãnis animus, quin postulatis undiq; subsidijs Francisci iugum iam prope ceruicibus imminens, excutere conarentur. Sed cum alios frustra rogassent, Venetos tãdem ne se derelinquerẽt, pulcerunt: nam neq; illis ex usu uidebatur Franciscũ ætate Florentem rei bellicæ peritissimũ, cuius iã uires atq; arma non sine graui iactura sensissent, eo imperio potiri, quo suo par tandẽ uideretur. Percusserunt igitur fœdus Veneti cũ Mediolanẽsibus, legesq; quas tota citerior Gallia sequi deberet, pscripserunt, mandantes Sforciæ, ut certis cõtentus uirib. ac terminis, Mediolanẽses in pace dimitteret. Ille haud ignarus se breui

Septẽ uiri primarij noctu obtruncati.

Tyranni Mediolan. in carcerem cõiecti, subinde eiecti

Carolus Gõzaga Mediolanenses prodidit.

A breui periturum ubi Venetis paruisset, imperiū eorum cōtempsit, & quāuis desertus ab omnibus uideretur (nam soli Florentini, & hi quidem parce opem ferebant) in obsidione tamen perseuerare decreuit. Iam mortuo Frācisco Picinino, frater eius Iacobus cum Bracchianis ad Venetos trāsierat, iā Leonardus Venereus à senatu Veneto missus, Mediolanum ingressus, auxilia & cōmeatus magnam copiā, quibus ciuitas indigebat, propediem affore pollicebatur: erat & in exercitu & in ciuitate summa omniū rerum indigentia, ita ut dubium uideri posset an obsidens Frāciscus, an obsessus dici deberet. Vix ei bis mille equi supererant, qui ferre incessorē possent, & milites stipendio fraudati, pro cibis sese armis exuerant. Neque enim Francisco argentum erat, quo stipendiari militi posset. Sed inter spem metumq; dubius, obsidionē de die in diem uerba pro factis ostentans, producebat. In ciuitate uero, cum iam frumentum omne absumptum esset, nec aliud genus edulij restaret, & iam canes, equi, cæteraq; id genus animalia manducarentur, nec ferre amplius famem multitudo posset, collecti in unam apud portam Vercillinam, correptis armis, in forum prorumpunt, obuiumq; Leonardum Venetorum legatum gladijs confodiunt ac discerpunt: ex in palatium fusis tyrannorum satellitibus aggrediuntur, quo sine resistentia occupato, quos inuenerunt tyrannis uincula indidere. Exin missis ad Franciscum legatis, principatum ei ciuitatis obtulerunt, qui mox ingressus dominium urbis accepit: & deinde non multis interiectis diebus, cū liberis ac coniuge uersus, ducalibus insignibus exornatus, in triumphantis modum urbem intrauit: qui cum iam Comum Parmamq; in deditionem accepisset, Gulielmoq; Monteferratensi Alexandriam ademisset, non paruum deinde bellum Florentinis socijs cum Venetis & Alphonso rege diutius gessit: in quo cum acrius premeretur, (neque enim tantæ potentiæ par esse poterat) Rhenatum regem fortissimis equitum cohortibus cinctum, ex ulteriori Gallia magnis stipendijs ac promissis allectum in auxilium accersiuit: qui cum superatis montibus in Italiā descendisset, ac Gulielmum è Monteferrato arma ponere per amicitiam ac necess itudinem cōpulisset, & iam castra sua Francisci castris coniungens, in hostilem agrum descendisset, expugnatisq; raptim nonnullis castellis, more Gallico mortales omnes in eis comprehensos trucidasset, tantus mox terror Venetos inuasit, ut iam castra castris conferre amplius nullo pacto præsumerent, nec iam retinere posse, uel Brixiā uel Bergomū agris amissis cōfiderent. Cumq; Turcarum Bellū res eorū maritimas infestaret, repēte ꝑter omniū opinionē pax quæ diu in senatu apostolico frustra fuerat agitata, deniq; apud Laudam interuentu cuiusdam (sed probatæ & integræ uitæ monachi) inter Venetos & ipsum Franciscum clam rege facta est: quæ res ut regi molesta, ita Francisco utilis. Venetis necessaria fuit. Arcem deinde insanientis populi fauore dirutam, Franciscus breui restaurauit, mira fortunæ siue cuncta regentis dei prouidentia nobile ac magnificum opus ijdem manibus subito refectum est, quibus fuerat paulò ante reiectum. Frāciscus Philelphus nobilis Satyrarum scriptor, per idē tempus ad Heroicum carmen conuersus, res Sfortiæ scribere cœpit, Leodrisius Cribellus soluta oratione ac metro clarus haberi cœpit.

Leonardus Venetorū legatus Mediolani discerpitur.

Arx Mediolanensis prius destructa, reficitur.

B

C

De Venetis, & quod Franciscus Foscarius dux ab imperio depositus, animam indignatus statim emiserit. Cap. L.

APud Venetos terra mariq; potentissimos, qui nomen Italicum apud Barbaras nationes longe lateq; clarum fecere, filius Frācisci Foscari ducis ueluti quippiam in rempub. molitus esset, in exilium actus, deinde reuocatus, & iterum in suspitionem criminis adductus, & crudelissime tortus, cum nihil mali confiteretur, relegatus in Peloponnesum, miseram ibi uitam finiuit. Gener eiusdem ducis Andreæ Donatus, dum Cretam insulam pro Veneto imperio gubernat, dux insulæ appellatus, reuocatus domū, honore priuatur, & magna mulctatus pecunia, in exilium mittitur. Armilaus inter Venetos dignitate & autoritate potens, dum ex cōcilio ad multā noctē domū reuertitur, iaculo trāsfossus occiditur, ne qui tantū scelus patrauerit inuētus est, quā id filio ducis crimini dederint. Frāciscus Barbarus studijs humanitatis excellēs, editis nō paucis, neq; illaudatis opusculis senio cōfectus, nō sine celebri nomine uita decessit, Imperator Fredericꝰ

Armilaus iaculo noctu transfoditur.

cum Roma rediens, eo secum coniuge & rege Hungariæ Ladislao, totoq; comitatu recepisset, libenter & amice uisus incredibilibus honoribus cumulatus est. Franciscus dux gentis, qui annos XXXV summa cum laude ciuitatem rexerat, Philippo Mediolanensium duci Brixiam Bergomumq; ademerat, copias eius pluribus in locis fuderat, Franciscum Carminiolam clarum ducem copiarum de proditione suspectũ securi percusserat, Marsiliũ Carariũ cuius maiores diu Patauiũ per tyrannidẽ tenuissent, dũ paternã hæreditatem uēdicare conatur, interceptum necauerat, pacem cum Turcis non tam honestã quã necessariam fecerat, Imperiumq; Venetum terra mariq; longe ampliauerat, gubernationi tandem cedere cõpulsus est, tanquã præ senio reipub. uideretur inutilis. Ille uelu ti contumelia affectus, ingratæ patriæ aspectum non ferens, eamq; uitã recusans quæ careret imperio, è publico palatio in priuatam domum se recepit, ubi cum principatum suis ciuibus reddidisset, ægram quoq; confestim animã naturæ restituit. Cuius casum tanq̃ præuidisset Baptista Blasius Cremonẽsis Astronomus pluribus ante mensibus prædixerat. Erat autem Franciscus cum moreretur non longe ab anno suæ uitæ nonagesimo, uenerabilis senex, præcipua corporis maiestate decorus, memor omnium quæ post infantiam aut uidisset, aut audiuisset, facundia copiosus, & ingenio prompto ac dexterrimo, & qui moderari frena senatus optime nosset, eius pater in Aegypto negociatus cũ prophetam regionis illius quempiam de futuris interrogaret, responsum ab illo accepit, filium sibi esse qui aliquando suæ ciuitatis principatum assequeretur. Francisco suffectus Paschalis, uir singulari prudentia, & moribus humanissimis, cuius ducatum nulla putant bella suscepturum, nisi uel necessaria, uel admodum gloriosa.

De Mantuanis, *Cap.* *LI.*

LVdouicus Marchio Mantuanus inter principes nostri seculi famæ non mediocris, literis eruditus, & rebus militaribus exercitatus, in eo bello quod Veneti cum Frãcisco Sfortia post dominium Mediolani ab eo captum gessere, partes illius secutus, magnum monumentum rebus eius accessit. Carolus frater eius qui fidem Francisco fefellerat in uincula coniectus, sub eius fideiussione dimissus, cum neq; sic promissioni suæ satis faceret omnibus, quæ in Mantuano agro tenebat oppidis priuatus est. Sed cum stipendia Venetis faceret, non paruas eorum copias in Mantuanum duxit, ubi uastatis late atque incensis agris, cum fortuna principium eius belli secundum fecisset. Et cum iam Mantuani metu perculsi rebus suis diffidere uiderentur, Ludouicus accersitis ex Mediolano auxilijs, milites suos in aciem producens, fratri copiam pugnæ fecit, nec ille certamen detrectauit. Commissum est atrox prælium, in quo duo fratres ambo ætate florentes, ambo rei militaris periti, ambo corporis atq; animi uiribus præstãtes, de gloria, de imperio, de uita summis conatibus cõtendere. Deniq; uictor Ludouicus fuso fugatoq; Carolo, omnes eius copiarum duces ac primores equitum, cæsis plurimis intercepit. Ille deinde patria extorris atq; egenus morbo confectus interijt.

Bellum inter fratres.

De Ferrariensibus, & disputatione apud eos inter Græcos & Latinos facta, *Cap.* *LII.*

APud Ferrariam mortuo Nicolao Estensi principe, omnium nostri seculi fortunatissimo, nisi coniugis adulterium, & in ea, & filio dilectissimo uindicare olim coactus fuisset, Leonellus dominatum suscepit, princeps pacificus, literarum peritus, et Musicæ cultor, quo decedente, Borsius frater eius & ipse Nicolai filius ex cõcubina Ptolemæa Senensi ad principatũ uocatus est. Egregia forma iuuenis, & in armis cũ laude uersatus, dicendi & agendi peritus, qui cũ Cæsarem Fredericum Romam petentem, & inde reuersum magnificentissime accepit, super Mutinã & Regium ciuitates ducatus honorem accepit, primusq; omnium in Estensi familia dux appellatus est. Eugenius Pontifex dum Ferrariæ cum Græcis consilium ageret, Hugo Senensis qui per id tempus medicorum princeps habitus est, omnes qui ex Græcis studiosi philosophiæ eò cõuenisse crediti sunt, apud se inuitauit, quos cum opipare magnificeq; pauisset, finito prãdio epulis mensisq; remotis, eos in disputationem pedetentim placideq; pellexit. Cum iam Marchio Nicolaus adesset, et multi in synodo excellẽtes philosophi aduẽtassent, cunctos in mediũ Philosophiæ locos adduxit, de quibus inter se Plato & Aristoteles in suis operibus con-

Adulterij uindicta.

A bus contendere ac magnopere dissentire uidentur, dicens eā se partem defensurum quā Græci oppugnandam ducerent, siue Platonem illi, siue Aristotelem sequendum arbitrarentur: cum Græci certamen minime recusassent, protracta est ad multas horas disputatio. Postremo cum rex conuiuij Hugo Græcorum philosophos, alterum post alterū argumentis & dicendi copia uictos tacere compulisset, palam factum est Latinos homines, qui iam pridem bellicis artibus & armorum gloria Græcos superauerant, ætate nostra etiam literis & omnium doctrinarum genere anteire. Fuit autem domus Estensis uiris semper doctis amica, nostra ætate non solum Hugonem (de quo præfati sumus) magnis ad se præmijs traxit, sed multos in iure ciuili, plures in cæteris facultatibus honorauit. In studijs uero eloquētiæ Ioannem Aurispam Siculum Græcis ac Latinis literis edoctum, & qui uersu prosaq; claruit, inter familiares habitum, ditem beatumq; facit. Guarinus autem Veronēsis omniumq; fermè pater ac magister, qui nostra ætate Græcas literas didicere, admirabilis, & omni honore dignus senex, qui omnem ætatem suam legendo, docendo, scribendo percurrisset, unicum senectutis suæ refugium, & illud quidē honestum, dignumq; suis exercitijs ac uirtutibus inuenit.

De Bononiensibus, & factione inter Baptistam Connetulum & Hannibalem Bentiuolum, Cap. LIII.

B In agro Bononiensi pirum quādam aridam ex minoribus formicis pastus causa complures ascenderant, superuenere maiores non paruo numero, quæ illas partim occiderunt, partim deiecerunt. Post duas fermè horas tanta minorū formicarum uis exorta est, ut totus ager nigro tectus agmine uideretur, accessere stipatæ omnes, & arboris undiq; stipitem circundantes paulatim ascendere cœperunt. Maiores formicæ ubi hostes adesse animaduerterunt, cōglobatæ supernè pugnam expectauerunt. Postquā simul acies cōuenere, commisso prælio maiores morsu rabido, modo illas, modo istas e minoribus interemere, totoq; breui spacio confecerunt, ut cadentium morientiumq; cumulus ad piri radices nō paruus in terra succreuerit. Sed cum pertinacius instarent minores: semperq; acies aciem premeret, uigintiq; aut plures unam ex hostibus circumdarent, & a tergo & à fronte pugnantes, undequaque latera confoderent, uictæ tandem maiusculæ & ad unum omnes necatæ, illati prius temere prælij pœnas dedere. Hæc acta sunt, spectantibus Romanæ ecclesiæ copijs, cum Petri cathedram Eugenius quartus teneret, ea nobis qui se uidisse ait uir fide dignus & autoritate retulit Nicolaus Pistoriensis utroq; iure consultus, qui tum in castris apostolicis Nerij Senensis epidices agebat. Simile hoc illi est, quod in Gallia Belgica non longe ab urbe Leodio constanti fama gestum ferunt, nidum siue in arbore, siue in rupe Falco sibi parauerat, ouaq; fouens pullos auidus expectabat hunc Corui superuenientes loco deturbauere, ouis eius effractis ac uoratis. Spe-

Mira formicarum pugna.

Præliū inter Falcones & coruos.

C ctauerunt id è proximo bubulci, fugiētemq; trepidum Falconem annotauere. Postridie (mirabile dictu) Falcones Coruiq;, quasi ex toto orbe ad pugnam uocati, isti septentrionalem, illi meridionalem partem tenentes, ordinatis aciebus & tanquam rationis capaces essent, alijs qui cornua obseruarent, alijs qui media ducerent agmina dispositis, atrox ac ferocissimum prælium in aëre commiserūt. In quo cum modo Corui, modo Falcones cederent, & iterum resumptis uiribus, certamen instaurarent, totus undique subiectus ager & pennis & cadaueribus obtectus est. Ad extremum uictoria penes Falcones fuit, qui non solum rostris, sed etiam unguibus acerrime decertantes, coruos omnes ad internecionem deleuere. Exin paruo tempore interiecto, cum duo de Leodiensi ecclesia contendentes, alter à Gregorio tertiodecimo, alter à Benedicto duodecimo in episcopum electus, erant enim inter illos de Romano Pontifice disceptantes, ambo cum copijs in eundem locum pugnaturi uenerunt. Ioannes dux Burgundiæ alterum armis iuuit, alterum Leodiensis populus sequebatur. Pugnatum est collatis signis summa utrinque contentione, horrendum cruentumq; prælium factum. In quo tandem uictor Ioannes dux triginta millia hostium cæcidit, memorabile eius rei fanum conditum est, quod nos illac postea transeuntes cæsorum ossibus plenum uidimus. Sed de illo Falconū atq; Coruorum suam cuiq; opinionē relinquimus, ueri periculo penes

famam dimisso. Bononia quæ non tam studiorum mater, quàm seditionum altrix appellari potest, soror & ipsa ciuitatis Genuæ, ac solius inconstantiæ constans, cum factionem Lambecariam non sine cæde multosq; ciues domo pepulisset, Comum Cinetulorum consilio regi cepit. Principes factionum Baptista Conetulus & Hannibal Bentiuolus fuere, ambo sanguinarij, ambo patratis cædibus insignes, qui licet simul compatratus sacramento iuncti essent, nihil tamẽ inter se meliores fuere: nam Hanniba leuato de sacro fonte Baptistæ filio, uisurus puerperam, compatrem sequitur, eiq; manu prenso pro nouo nato congratulatur, ab irruentibus ex improuiso Baptistæ satellitibus obtruncatur, ut manifeste apparuerit Baptismi sacramentum non tam fœderis retinendi, quàm cædis patrandæ causa à Baptista quæsitum fuisse: sed non inulta mors Hannibalis fuit, nam qui partes eius sequebantur, sumptis paulo post armis fugatis aduersarijs, plateam obtinuere. Baptista iudicio tandem puerili in specu quodam subterraneo, cum plerisq; complicibus suis latitans, repertus, & fumo compulsus exire, mox pluribus uulneribus confossus est. Cadauer eius in forum tractum, & diu ludibrio habitum, cum plerique more ferarum cor eius dentibus laniassent, cruoremq; bibere non horruissent, tandem exustum est. Apud Florentiam per id tempus Xancthus latebat Herculis Bentiuoli, quẽ quondam Eugenius Pontifex Max. interfici siue iusserat siue permiserat, filius extra matrimonium natus, pauperem uitam in lanificij exercitio ducens, nec satis gnarus quo patre genitus esset: hunc Bononienses è uestigio uocant, recusantem, & quodammodo inuitum in patriam ducũt, equitem ex lanifice faciunt, tutorem Hannibalis filio reipub. principem tradunt. Cuius ea in rebus aduersis fortitudo, ea in secundis moderatio hactenus ostensa est, ut Herculis filium omnes norint, qui cum exules per proditionem nocte quadam urbem intrassent, ac exercitus rumore quasi uictores insultassent, haud quaquam destitutus animo, excitis amicis, correptis armis, in eos prosilijt, nec mora uictos, cæsis captisq; pluribus ex ciuitate deturbauit. Bessarion eo tempore Cardinalis Nicenus, natione Græcus, prudentia singulari, & nostra suaq; lingua peritissimus, Nicolai quinti Pontificis Max. in ea urbe uices gerebat, qui usq; ad ipsius pontificis obitum legatione functus, nobilitati plebiq; iuxta charus fuit, quamuis eò deducta ciuitas est, ut legati Papæ rogare magis quàm imperare queant, quod plane nunc experitur Ludouicus sanctorum quatuor coronatorum Cardinalis legatus, qui quamuis ingenio ualet, et ea præditus est autoritate, quæ summi sacerdotis nepoti deberetur, non plus tamen in urbe potest quàm senatui placet & Xancttho.

Horrenda in cadauer sæuities.

De Florentinis, & diuersis apud eos rebus gestis. *Cap. LIIII.*

FLorentiam urbem in Fesulanis ruinis ad ripas Arni fluuij conditam prisci homines Fluentiam uocauere, quæ cum auspicijs fundata felicibus, uicinas per circuitum ciuitates excellere, mirisq; modis imperium propugnare cœpisset, Florentia longe melius quàm Fluentia dicta est. In hac urbe Pontifex Max. Eugenius quartus, id concilium quod Ferrariæ cum Græcis cœperat, magnifice consummauit. Erant plures inter Græcos ac Latinos super arcanis orthodoxæ fidei contentiones, quarum maxima ac difficillima fuit de sancti spiritus processione, cum Græci paracletum ex patre duntaxat, nostri ex patre filioq; procedentem assererent. Post multas ac diuersas disputationes in quibus tanquã interpretes Nicolaus Sagũtinus utraq; lingua disertissimus ingenio facundiaq; iuxta promptus illustre nomen adeptus est, tandem cum Latina ecclesia in uno fidei symbolo consensere, ciuitas in imperatorem Græcorum, & Patriarcham Constantinopolitanum, & omnes eorum comites abunde lateq; patuit, patriarcha illic senio confectus decessit, & apud prædicatores in templo humatus est, cui Maffeus Vegius poëta Laudensis non ignobilis epitaphium uersibus imparibus edidit. Nicolaus Picininus illustris copiarum ductor, ab exulibus Florentinis inuitatus, Fesulanum ingressus agrũ, qui à Florentia decem millibus passuum abest, hostiliter cuncta diripuit, nec diu postea in agro Aretino cum Eugenio simul & Florentinis bellũ intulisset, apud Angleriã magno prælio uictus & profligatus est. Ludouicus Archiepiscopus Florentinus apostolicis tũc copijs pẽrat, quia ea uictoria nobilitatus, ad Cardinalatũ paulo postea prouectus est.

A est. Eugenius enim, & unione Græcorum facta, & Picinini metu deposito, mente atque animo auctus septendecim Cardinales necauit. uiros autem genere illustres, aut uirtute præstantes, aut uitæ sanctitate conspicuos. Inter quos & duo Græci assumpti sunt, Isidorus Archiepiscopus Ruthenorum, Bessarion Nicenorum pōtifex, quorum supra meminimus. Alphonsus rex Aragonum rogatus à Philippo Maria (ut antea dictum est) sibi aduersus Venetorum potentiam opem ferret, coacto non paruo exercitu, profecturus in Galliam iter ingressus est. Sed ante Philippus obijt, quam ipse Tyburi quo iam appulerat digrederetur, audita uero amici morte, & quod ab eo nuncupatus hæres esset, in Sabinos profectus magnificentissimo illi funere iusta persoluit. deinde transmisso Tyberi, recta uia in Florentinum duxit, eo ut aiebat animo, ut Florentinos reuocare suas copias ex Gallia cogeret, atque ita per Tusciam pacatam & sibi amicam ad opem Mediolanensibus ferendam, quos Veneti bello præmebant, proficisceretur. Noluerant Florentini ab Alphōso rogati Rege, Venetorum societatem deserere. Quapropter Alphonsus in agrum Volaterranum profectus, Pomaratium haud ignobile oppidum portas claudere ausum, eo ipso quo uenerat die copijs circumpositis ui cepit ac diripuit. deinde ad castrum nouum in agro mouit, cuius incolæ audita Pomaratij clade, confestim absque certamine in deditionem uenerunt. Idem fecere aliquot castella circumiecta. Exin Mon-
B tecastellum natura & opere munitum obsedit, quo tempore ea imbrium magnitudo, eaque uis uentorum exorta est, ut neque extra tentoria quiescere milites possent, multis eorum discerptis ac per inane raptatis, quib. ex rebus, et quod annonæ inopia laborabat, mouens inde Alphonsus Campiliam duxit. sed quoniam Florentini id oppidum præsidio & annona firmauerant frustra ibi contendit. Castella tamen aliquot finitima in Gerardisca (id ei regioni nomen est) recepit, atque illis restituit, quibus Florentini prius ademerant. Erat in comitatu regis Simonetus mille ducens equites, qui finito Florentinorum stipendio ad eum transiuerat. Sigismundus autem Malatesta, quem rex antequàm Tusciam ingrederetur, cum equitibus mille & octingentis, peditibus uero sexcentis conduxerat, cum ab eo indies expectaretur, ad Florentinos transiuit. Fredericus quoque Vrbinatium princeps notus & clarus in armis. Florentinorum stipendia faciebat, qui cum essent equitatu peditatuque haud inferiores rege, omnemque illi expugnandorum oppidorum facultatem præriperent, non fuit regi consilium in obsidione Campiliæ perseuerare, & præsertim quòd in mōtibus cōmeatus penuria premebatur. Diuertitur igitur ad loca maritima, & apud Populoniam olim fama celebrem, nunc dirutam urbem consedit, quo in loco facile sibi ex regno Neapolitano & frumenta & bellica tormenta nauibus afferri poterant. Abest inde tribus fermè millibus passuum Plumbinum nobile oppidum, in cuius obsidione (de qua postea dicemus) Laboranti regi, Ca-
C stilionum & ipsum non parui momenti oppidum, prodente Florentinorum præsidio traditum est, præter arcem, quam cum Simonetus obsedisset, paucis post diebus per deditionem accepit. Dum uero rex paulo ante apud Aquā uiuam Hybernia ageret, à legatis Mediolanensibus aditus est, qui opem eius implorantes in eo loco decerni bellum aduersus Venetum senatum obtinuere. Iam enim Franciscus Sfortia Mediolanensi populo indignatur, Venetorum auxilio fretus, eos subigere sibi summis conatibus nitebatur, quorum paulo ante fines & arma promouerat. Cum uero rex soluta Plumbini obsidione Neapolim redisset, & deinde in Pelignos secessisset, Florentini legatos ad eum misere, pacem petentes. Quibus accepta fide in castra profectis, postquam mandata exposuerunt, bellum'que excusarunt, Antonij Cardinalis Hilerdensis, nominati inter primos theologi opera, qui id negotij de Pontificis uoluntate susceperat, paucis post diebus ea lege pax Florentino populo reddita est, ut Calionum & insula Gilij, quæ ipsius belli tempore Florentinis erepta fuerant, in potestatem regis remanerent, Sed cum Franciscus Sfortia Mediolano potitus esset, omnesque pontes & arces apud Abduam tanquam Mediolanenses à Venetis repeteret. Alphonsus qui cum Francisco esset infensus, è re sua esse ratus, illum, ne radices in tanto imperio ageret, impedire, per Leonelium marchionem Estensem reconciliatus Venetis, & cum eis amicitia societateque

tateq; facta, Florentinis, Francisci fortunā secuti & armis & pecunia eum iuuabāt, secundo bellum indixit, Ferdinandū filium in expeditionem contra eos mittendū duxit. Erat is eo tempore admodū adolescens, ingenio eximio, et ad cunctas optimas artes docili ac parato, liberalibus disciplinis institutus, armorū tractandorum scientia edoctus, gloriæ cupidus, inediæ ac laboris patiens, cui pater sex millia equitū, duo millia peditū cōmisit. Fuerunt & in exercitu eius comes Euersus et Vrsinus Neapoleos haud cōtemnendi copiarū duces, Fredericus quoq; Vrbinas, qui superiori bello Florentinorū arma secutus erat, in eius exercitu militauit. Florentini uero postquam imminere sibi belli tempestatē senserunt, Estorem Fauentinum Symonetum (quem supra nominauimus) ac Sigismundum Malatestam, postremo Alexandrū Sfortiam cōduxere, qui simul iuncti supra decē millia equitum, peditū uero magnum numerū in castris habuerunt. Ferdinandus tamen per agrum Cortonensem in Aretinum copias duxit, ubi castellis aliquibus non magni nominis ui captis atq; direptis, Folianū non parui momēti oppidū cum oppugnare cœpisset, nec hostes auxilium ferrent, post dies octo per deditionē accepit, equitatū Estoris apud montē Politianū pluribus captis, nōnullis occisis, fudit ac fugauit. Reuciniū in agro Florentino ui expugnauit, Castellinā uero cum obsedisset, hyberno rigore inualescente recessit, & in maritima loca ad Aquam uiuā patris exēplo sese recepit: quo tempore & Antonius Olzina Vadā in littore maris sitam nauibus occupauit, et ampliori fossa à terra cōmuniuit, quo ex loco Pisanū & Volaterranū agrum infestū reddidit. Cūq; in terra Florentinorū duces ad Folianū castra mouissent, uelletq; Ferdinandus auxiliū obsessis ferre, iamq; itineri se cōmunisset, tanta in castra lues consecuta est, ut præ languentium numero, nō modo ad rem gerendā, sed uix ad mouēda castra satis esset. Ob quā rem Folianū interea summa ui expugnatū, nec minori uirtute defensum, tandem ab oppidanis clam præsidio traditum est, qui tamen paulo post & ipsi uictorū præda fuere, oppidū incensum ac solo æquatū. Per idem quoq; tempus Gerardus Gambacurta dum castella quatuor quæ pater à Florētinis acceperat, intra Apenninum sita, Ferdinando tradere uult, ab uno è suis proditus, castellis amissis diu regē mendicando secutus est. Exin pace apud Laudam (ut diximus) facta, reuocatus à patre, Ferdinādus in regnum cōcessit. Florentini quæ amiserāt, cuncta receperūt. Baldatius pedestriū copiarum haud ignobilis ductor, manu promptus & audax, cū diu Florentinorū stipendia meruisset, in palatiū tandem accersitus, dū magistratui cōtumaciter respōdet, captus ex altissimis fenestris in forum præcipitatur, q quamuis magno casu iam expirasset, sibi tamē ceruix abscissa est. Inter Florentinos omnes q nostra ætate floruerūt, Cosmus cognomine Medicus, & prudentia & autoritate eminuit: is princeps urbis habitus, senatū quo uoluit, impulit: ciuitati leges ex arbitrio dixit, inopes ciues complurimos ditauit. Matrimonia, cōstitutis ex argento suo dotibus, multa cōiunxit. Villas magnificentissime exædificauit. In sacras ædes ditissima dona cōtulit. Monasteriū sancti Marci & amplum et nitidū à fundamentis erexit. Parochiæ suæ templū, cum sibi parū placeret, prorsus diruit. Exin structurā admirandi operis ex lapide Fesulano suscitauit, ædes suas quāuis ornatissimas erexisset, amplius tamen meditatus opus, palatiū & altū & ingens ex quadratis lapidibus, insigni urbis loco adeo pulchrū, adeo amplum cōstruxit, ut alterum æquari tota ciuitate nō possit. Commendanda est multis in rebus Florentinorum prudentia, tum maxime quod in legēdis Cancellarijs nō iuris scientiam, ut pleræq; ciuitates, sed oratoriā spectant, & quæ uocant humanitatis studia. Norunt enim recte scribendi dicendiq; artē non Bartholū aut Innocentium, sed Tulliū, Quintilianumq; tradere. Nos tres in ea urbe cognouimus, Græcis & Latinis & conditorum operum fama illustres, qui Cancellarium alius post alium tenuere, Leonardum & Carolum Aretinos, & Pogium eiusdem reipublicæ ciuem, qui secretarius apostolicus tribus quondam Romanis pontificibus dictarat epistolas. Illos præcesserat Colucius, cuius ea dicendi uis fuit, ut Galeacius Mediolanensium princeps, qui patrum nostrorum memoria grauissimum Florentinis bellum intulit, crebro auditus est dicere, non tam sibi millle Florentinorum equites quàm Colucij scripta nocere. Disceptatum est diu inter Florentinos ob pecuniarum exactiones, qua tenuiores ciues magis

Lues in castris Ferdinandi.

Florētini cancellarium magis oratorem quam iurisperitū eligunt.

A magis quàm opulenti urgebantur. his diebus, consentiente Cosmo noua Catasti, id est, fortunarum cuiusque ciuis descriptio cœpta est, quā raro factam sine tumultu motuque populi ferunt. At nunc quiete tranquilleque transit. Tucenses qui nostra memoria bis Florentinorum obsidionem perpessi, bis Philippi Mediolanensiū ducis auxilio, suam libertatem defendere. Ad extremū cū uicinis uiribus pares esse non possent, nec facile inuenirent, qui quoties hostis premeret, toties ferret opem. Fœdus in quinquaginta annos cū eis pcussere, eas leges subeūtes, quas dixere potētiores. Inter Florentiā & Senā apud oppidū, quod Casiā appellāt, anno post Iubileū sexto uisæ sunt nubes, uiginti (ut ferunt) cubitis à terra sublimes, inter se mirabili uentorū impetu agitatæ depugnare, & alteræ alteras pellere, & mutatis sæpe uicib. pelli quæ pepulerāt. Interea summa incredibili spiritus uiolentia domorū tecta per inane iactari, muros deijci, & saxa ingentia loco moueri, uetustissimas oliuas & antiquissima quercuū robora radicitus cōuelli atque cōfringi, homines ac iumenta non paruis spacijs per cœlū ferri, ac raptari. Hæc nobis, qui se uidisse aiebant retulere. Sed magis nos ut crederemus, epistolæ à grauissimis uiris de his reb. Alphonso regi cum apud eū ageremus scriptæ, & in præsentia nostra lectæ, commouerūt.

De Senensibus & eorum aliquot bellis. Item de Hermaphrodito, Cap. LV.

VRbs Sena unde mihi origo est, secundū hodie locū in Hetruria obtinet, amœnissimo sita loco, & (si mihi fides habenda est) populo neque rudi neque inurbano. Huius B rectores q nobilitate post posita, quæ fuit in ea ciuitate tota Italia memorabilis, & parte populi quā duodecim appellant, prorsus conculcata multis annis in pace quieuerant. Inter se tandē duas factiones habere cœperunt, quæ prout suæ rei cōducere arbitratæ sunt, ita se uel populis uel Italiæ principibus coniunxerūt. Cū uero rex Alphonsus in Florentinos (ut antea relatū est) exercitum duceret, factiones ipsæ manifestius patefactæ, altera, cum regium bellum contra Florentinos iuuandum esse suadere nō auderet, dissimulandum esse censuit: uicerunt primo regis amici, & in eius castra commeatus misere: sed cū rex ad sextum lapidem urbi proximus castrametatus esset, disseminantibus in plebe qui Florentinis studebant, Alphonsum non tam Florentiæ quàm Senæ dominiū quærere, tota urbe trepidatum est, & armati ad portas dispositi, haud aliter Alphonsi milites quā liberi suæ insidiantes obseruauere. Comminuit aliquantisper eam populi suspicionem Franciscus Martorellus, præstanti uir ingenio, & quo rex libenter uteretur, legatus ad ad eos missus. Sed cum non tam regis amore aut odio quàm priuatis ciuium contentionibus reipub. concilia turbarentur, adeo tenuiter annona in castra regis deportari permissa est, ut & Florentinis simul & regi uideretur illusum. Idem factum cum Ferdinandus regis filius alio postea tempore in eosdem Florētinos duxisset, neque enim principio eius aduentus satis ei fauentes fuere, sed Veneti cum Senensibus ac regi fœdere iuncti C essent, usque adeo Senenses legationibus agitarunt, ut & ipsi societatem tandem regis inierint, bellumque Florentinis publice indixerint, quod breui sopitum est, Venetis apud Laudā inconsulto rege pacem recipientibus. Post hæc Senensibus aliud è uestigio bellū exortum est aduersus Hildebrandinum Pitiliani comitem, in quo ducibus usi sunt Sigismundo Malatesta, & Gisberto Corrigiensi, quorum potentia non hostibus tantum quantum ipsis Senensibus formidanda fuit. Suborta inter Sigismundum & Senenses discordia, cum sese ille suspectum esse animaduerteret, non sine suo & Senensium damno recessit, Gisbertus cum Senensibus perseuerauit. Interea comes Iacobus Picininus, qui iam pridem apud Venetos stipendia faciens, non sine laude rerum gestarum eorum copias duxerat, cum pace ubique parta stipendio careret, in Hetruriā properans, Senenses iure paternæ amicitiæ, ut sibi auri uiginti millia mutuo dent missis legatis expetit, quod cū frustra fuisset, acies in eos conuertit, & ingressus Senensem agrum, pleraque oppida partim ui, partim proditione recepta diripit. Calixtus tertius, qui recens pontificatum inierat, copias suas Senensi auxilio mittit. Idem Franciscus Sfortia, idem Florentini faciūt. Veneti quoque per fœdus requisiti auxiliū, quāuis tenue præbēt, cōmittitur ex improuiso præliū, ex quo sine magno partiū dāno discessum est. Iacob. cū exercitu coactus est Castilionū sese recipere, q regis oppidū esse diximus, Florētinis priori bello re-

Gisbert⁹ Corrigien. insensu Senēsi trucidatus est.

lo receptum, ubi quamuis acriter oppugnaretur, expugnari tamen non ualuit. Inter hæc Gisbertus in suspicionem actus tanquam cum Picinino sentiret, cum eius rei tamē parua extarent iudicia, uocatus ad urbem in senatu Senensi trucidatus est, & per fenestrā in forum proiectus. Picininus paulo post Vrbetellū natura loci munitissimū oppidū, per proditionē obtinuit. Vna enim tantūmodo uia, eaq; arctissima & arcis oppositione defensa potest adiri, reliquas partes stagnum claudit, paruis duntaxat leuibus cimbis nauigabile. ubi cū frumenti uiniq; copiam Picininus reperisset, tam diu se cōtinuit, donec pace apud regem Aragonum firmata, in regnū sese receperit: sed ea pax externo Senense soluit, interno magis ac magis implicuit. Nā regis amici tanquam bellorū causa fuissent, Pininiq; studia fouissent, partim securi percussi sunt, partim in exilium relegati. Multi cum sibi periculum in patria imminere cernerent, spōte in exilium abiere, adeoq; in eos qui suspecti habiti sunt, seueritas exercita est, ut etiam Florētinis uideatur esse sæuitum: nec dum malorū finis, quando in ciuitate parum pacata nouæ indies machinationes aut finguntur aut inueniuntur, & sanguis ciuilis forum dispergit. Hoc fortasse malum equulus ille prænunciauit, qui anno Iubileo ante portā eius urbis quæ Romā uergit, prægnās frequenti astante populo dum pareret expirauit, erat enim Hermaphroditus, quamuis fœminei sexus nullū in eo uestigium cerneretur. Inter alios quos urbe relegatos haud nocentes ciuitas existimauit, duo fuere ab ipsa prouincia socij, et studiorū communione cōiuncti, quamuis alter iuris ciuilis scientiā profiteretur, alter poëticam: Gregorius Lollius & Franciscus Patricius, cuius plura extant poëmata quæ doctissimi petunt, & quæ sibi uitam retinuisse creduntur. Marianus Sozinus per idem tempus scientia iuris non solum apud Senenses, sed tota Italia late clarus habitus est. E

De Plumbinensibus, Galeatio Baldasino uiro in armis dexterrimo, Cap. LVI.

PLumbinum nobile oppidū ex Populoniæ ruinis ædificatū existimatur, nōnulli Populinū appellandum putāt. Id est in littore Thusci mari situm, Iluæ insulæ oppositū, quæ ferri uenis inexhausta, magnum quotānis uectigal Plumbini domino præbet. Huic oppido præfuit Iacobus Appianus ex Paula nobilissima fœmina Martini quinti Romani pontificis sorore natus, pacificus quidē princeps, & à uicinis amatus: qui cum ex coniuge uirilem sobolem non susciperet, extra matrimoniū hæredem quærens, concubinā amare cœpit, cuius cum uenter intumuisset, & iam pariendi prope tempus adesset, incredibili gaudio gestiens, Florētinos ac Senenses legatos uti ad se mitterent, ac partū de sacro fonte leuarent, futuros compatres magnis præcibus inuitauit. Paritum est. Venere ad diem dictam legati. Mulier inter obstetricum manus diu laborans, æthiopem tandem peperit: quæ res, ut risum in populo cachinnumq; excitauit, ita & cōpaternitates & lætitiam principis interrupit. Tibicen tum forte Maurus in familia eius erat, ex quo natum puerum credidere, qui mox ubi detectum flagitium intellexit, saluti suæ fuga consuluit. Mortuo Iacobo Rainaldus Vrsinus peracri uir ingenio & rei militaris peritus in eius locum suffectus est, non suo iure, sed coniugis quæ Iacobi filia fuisset. Hunc Alphonsus, cum in Thuscia Florentinorum bello distineretur, fauentem hostibus reperit. Quapropter castris Plumbino admotis, eum intra mœnia clausum, terra mariq; summis uiribus oppugnauit. Sed non minori uirtute ipse ab interiore parte ciues suos defendit, quam regis miles ab exteriori muros inuasit: pugnatum est diu acri contentione, ita ut multi utrinq; cecidefint, cōplures uulnerati in hostiū manus peruenerint. In eo prælio multorū uirtus enituit. Inter quos duo Antonij, alter Fuxanus, alter Condola ad muros pariter uadentes, inter cæteros pugnare fortiter animaduersi sunt. Sed omnib. prælatus est Galeatius Baldasinus natione Siculus, qui ter muri fastigio apprehenso, qua pri⁹ tormenta disiecerant, conatus est oppidū irruere: cæterū feruētis aquæ niuæq; calcis, quæ inter arma ingesta, ubi ad corpus penetrauerat perurebat artus, ui deterritus, grauisq; saxi ictu, cum reuulsa aggeris parte deturbatus est. Fuit aūt Galeatius statura quæ mediocrem excederet, robustis ac teretibus membris, corporis magnitudini uires respōdebat, lucta, ictu, saltuq; nulli hominū cessit, membrorū robori par animus erat, equo ac pede iuxta bellator acerrimus: armatura graui armatus galeatusq;, humi stans, sinistra sellā,

Partus risu dignus.

A dextra hastam equestrem tenens, strenuo saltu, grãdi statura equum insiliebat. Singulari certamine quater præliatus, bis in Italia, bis in Gallia trãsalpina toties uictor euasit, à tribus hostium equitibus eo ipso Florentino bello petitus, unum ex his gladij capulo semi necem equo decussit, alium citato equo mediũ amplexus è sella extractum, humi strauit, tertium cubito grauiter percussum in fugam uertit. Tanta porro modestia, ut nunq̃ ipse de se, uel rogantibus amicis diceret: uitæ cultu morumq; elegantia omnibus prætera gratus dilectusq;. Perstitit autẽ pluribus diebus ad Plumbinum Alphonsus, sed cũ oppidi expugnatio difficilis uideretur, neq; iam commeatus in castris esset, & equi consumptis arborũ folijs, fame perirent dissoluta obsidione, recessit. Nec diu postea Rainaldus morbo interijt, uxor eius Catherina uerita, ne rex in se uiri delictũ puniret, missis ad eum oratorib. tributum ei quotannis dum uiueret, aureũ poculum quingẽtorum aureorum daturũ promisit. Ea mortua solicitis oppidanis, quem sibi potissime legerent, uicini uero potentatus cum uarijs artibus ad se trahere conarentur, renunciatũ est Manuelẽ Appianũ adhuc è principum suorum prosapia superesse, cui scientiæ cõmittere possent. Hic multos annos in militia uersatus, nec tamẽ aut opes congesserat, aut egregio aliquo facinore nomen quæsierat: ob quam rem dimissis iam armis, uxorem Troiæ inter Apulos ceperat, ibiq; tenuiter uitam agebat, nihil minus quàm dominandi solicitus, cum à

B Plumbicensibus publice uocatus est, quod ei primo nuncio uelut somnium uisum est. Exin fortunæ ludum libenter amplexus, tanquam uitæ reliquum dormiuisset in alterum uirum mutatus, quamuis senex principatum inijt, rexitq; postea plerisque annis ciuibus suis gratus, & uicinis amicus. Alphonso uero qui ei fautor fuisset, & stipendium fecit, & censum dedit: decessit autem duobus filijs extra legitimum coniugium sibi natis. minore (quod eum ciuitas seniori præferret) hærede instituto.

De Viterbio; Cap. LVII.

IN Viterbio uero non parui motus fuere, sedente nanq; Nicolao quinto, Princiuales Gattus eis urbis princeps dum Roma redit, apud lacum Vicensem ab inimicis inuasus obtruncatus est. Exin sedẽte Calixto tertio Gulielmus eius nepos noctu domi necatus, ob quam rem ciuitas in ultionem solicita, dum malefactores inquiruntur, dum isti fugiunt, illi plectuntur, magnas calamitates perpessa est.

De Roma, & apud eam Eugenio, Nicolao quinto, & Calixto tertio, summis pontificibus, alijsq; uiris multis percelebribus, Cap. LVIII.

VRbis Romæ iam tandem nobis sese res offerunt, quibus suã narrationem petentibus, seruato breuitatis instituto satisfacere pergimus. Hic Ioannes Vitellicus Alexandrinus patriarcha & Cardinalis & legatus, & patrimonij beati Petri gubernator, et ductor apostolici exercitus, qui Fulginates, qui Camerinos tyrãnos, qui præfectũ urbis,

C qui comitem Antonium Picininum, qui plures alios ecclesiæ insultantes bello uictos neci dederat, dum Pontem Tyberis, quem sancti Angeli uocant, transire nititur, in Hetruriam copias traducturus, ab his qui molẽ Adriani custodiebãt repente inuasus, uulneratus captusq; in arcẽ rapitur, ubi paucis post dieb. siue hausto ueneno, siue ex uulnere uitam finiuit. Prouinciã deinde suam sortitus est Ludouicus, & ipse Cardinalis Aquilegiẽsis patriarcha, iam rebus gestis et amicitia Pontificis late cognitus, qui pacatis in urbe rebus, Eugenio reditum præparauit. Cõprehenderant Romani Eugenium, ac libertatem asserentes, apud sanctam Mariã in Transtyberina regione custodiebant, eumq; cũ deceptis custodibus per Tyberim nauigio fugeret, iaculis ac sagittis peremerãt. Fremebat enim populus cum externus miles infestis armis Romanos uastaret agros, homines atq; armenta surripiens. Sed cum pluribus annis Eugenius abfuisset, intellexerant & opulenti ciues & inopes Romani sine Pontificis cura, non tam urbem quàm uastam ac desertam speluncam uideri, quibus ex rebus, missis ad eum legatis, ut in urbem suam rediret, magnis precibus rogauere. Redijt ille nono postquam effugerat anno. Nec tam ignominiose pulsus fuerat, quàm exceptus est gloriose, fuit cum Francisco Sfortia, & in Piceno, de quo postea dicemus, & in alijs locis periculosum bellum, quod per Ludouicum Cardinalem, & Nicolaũ Piceninũ iam sibi reconciliatũ confecit. Alphonso rege opẽ ferente

rente cogitauerat Frãcíscus Sfortia Tudertinam urbem sibi amicam, nam eius aliquando potitus clementia ciues imperio rexerat, deinde Romam cum exercitu petere. Erant enim inter Cardinales nonnulli qui Ludouici potentiam indignantes, Franciscum non quasi aduersus Eugenium, sed contra eius consilium inuitabant, inter quos Nicolaum Capuensem in urbe gratiosum ac potentem fuisse commemorant. Nã Eugenius per id tempus eum de ipsa re suspectum Roma amouendum curauit, sed cum auxilia ecclesiæ propere aduenissent, Franscíscus irrito proposito retrocessit. Eugenius uero, qui quondam Venetis ac Florentinis studiosissimus fuisset, cum illi hostem suum Franciscum ad ecclesiam armis pecunijsq; iuuarent, & ipse ad eorum hostes declinauit Alphonsum regem ac Mediolanensium principem. Et rex quidem eius suasu usq; Tyburem uenerat, Philippo, cuius opes iam pene collapsæ uidebantur, laturus opem, aut in Tusciam contra Florentinos, aut in Galliã contra Venetos profecturus. Sed Eugenius cum quatuor Cardinales creasset, ex quibus successorem suum assumendum esse prædixerat, in lectulo ægritudinis iacens, paucis post diebus migrauit ad patres, & in Basilica beati Petri apud Eugenium tertium sepultus est, prius tamen quàm obiret, Germani qui post quam duos de summo põtifice contendere animaduerterant, neutralitate quadam utẽtes, utrique recusauerant obedire. destinatis Romã legatis (inter quos & ego unus eram à Frederico imperatore missus) obedientiã ei iamiam morituro restituerunt. Ipse uero Theodericum Coloniensem & Iacobum Treuerensem archiepiscopos, quos pontificali dignitate priuauerat, mutata sententia ad pristinos reduxit honores. Magnus profecto & clarus pontifex fuit Eugenius, cõtempsit pecunias, uirtutem apprime dilexit. neq; secundis rebus intumuit, neq; succubuit aduersis, neq; spes ei gaudium, neq; metus tristitiam auxit, sedatus animus, eundem semper eius uultum ostendit, sermone breui, eoq; grauissimo usus est. durus et asper in hostes, promptior in fidẽ receptis. Ad hæc proceritas corporis, oris decor, & ueneranda in sene maiestas, quibus fidẽ adhibuit, plus aliquanto credidit, & maius imperium quã par fuerat, commisit. Huius pater cum in Aegypto negociaretur, cum patre Francisci Foscari (de quo licet iam mẽtio facta est) ab eremita, quem pariter sciscitandum adorsi sunt, non minus lætum uaticinium quàm ille accepit. Ille enim filium quem habebat futurum patriæ principem, hic suum inter sacerdotes ad summum euasurum didicerat. Eugenio uero Gabrieli nomen in baptismo inditum fuit, qui cum adoleuisset, conditis parentibus, Euãgelij non surdus auditor, patrimonium quod ab illis non tenue acceperat, inter Christi pauperes erogauit. Exin Antonio Corario comite eiusdem feruoris adolescente religionem intrauit, in qua summa cum laude uersat9, tamdiu cum illo uixit, donec Angelus Corario Gregorius tertiusdecimus appellatus, sedem Petri sortitus, cum alter ab altero separari nõ posset, ambos ad se uocans: Genuensi eum, Bononiensi Antonium præfecit ecclesiæ, nec diu moratus, utrũq; Cardinalatus honore dignatus est, in quo ambo claruerunt. Sed hic summum pontificatum adeptus, magis enituit, qui etsi oriente scismate in principio sui pontificatus, usq; ad obitum cum Basiliensibus contenderit, coronato tamen Sigismundo Cæsare, Græcorum & Armeniorum pacta cum ecclesia Latina unione, ciuitatibus ecclesiæ (quas amiserat) recuperatis, tyrannis, per circuitum deletis, contumacia Romanorum edomita, uictor inclytus, uetetem hominem exuit. Hic me, quamuis aliquãdo aduersus eum, existimans deo sacrificium facere, cum Basiliẽsibus sensissem (nam meo tempore tota mutabat ecclesia) uenientem ad se benigne recepit, inter secretarios collocauit, & apostolici subdiaconatus honore donauit. Ecclesiam quoq; Tergestinam paucis diebus antequàm moreretur, cum falso rumore uacantem audisset, multis illam petentibus, mihi uni ex omnibus destinauit, quod postea successor eius impleuit. ¶ Nicolaus quintus natione Tuscus ex oppido Sarzana, patre medico, theologica doctrina illustris, & omni ferme scientiarum genere insignis, post Eugenium in Petri cathedram suffectus est, qui paucis ante mensibus Cardinalatum ab eo cum Fodicem apud Germanos legationem obisset, nec diu prius episcopatum Bononiensem acceperat. Hic urbem Romam multis ac maximis ædificijs mirum in modum exornauit, cuius opera si compleri potuissent, nulli ueterum imperatorum

Vaticiniũ de Eugenio futuro Papa.

A rum magnificentiæ cessura uidebantur, sed iacent adhuc ædificia sicut ruinæ murorum ingentes. Scisma quod apud Sabaudienses adhuc in ecclesia uigebat, explosit. Amedeum Papatui renuntiantem, in gratiam recepit; Cardinalatus honorem & in paterno dominio legationem reliquit. Cardinalibus aliquot ab eo creatis, dignitatem dimisit. Romanos longa pace ditauit. Iubileum feliciter gessit, nisi quod in ponte sancti Angeli ex concursione populorum improuide facta, ducentos circiter homines aut conculcatos, aut in flumine eiectos perijsse constat. Bernardinũ Senensem ordinis minorũ professorem, q paulo ante obierat, in numerũ sanctorum retulit. Fredericum tertiũ imperatorẽ, & Leonorã Augustam matrimonio iunxit, ac de more iunctos coronauit, eorũ familias abunde & multa cũ laude pascẽs. Bis Cardinales creauit, & primo quidem unum tantũ Antoniũ natione Maioricensem, ad titulum sancti Chrisogoni, quẽ sibi philosophiæ studijs & arcanorũ sacræ theologiæ cognitione ex omnib. parẽ eligeret. Secundo sex creauit, aut doctrina percelebres, aut generis claritate insignes. Inter quos & germanũ suũ Philippum sanctæ Susannæ Cardinalẽ assumpsit, placidis moribus & incorruptæ fidei, iurium libros ex tota Græcia perquisitos, ad se iussit afferri, & in Latinã cõuerti linguam curauit, magna præmia tralatoribus præbẽs. Acceptissimi ei fuerũt in transferendis operibus Georgius Trapezõtius, Laurẽtius Valla, Petrus Candidus december, & Georgius Castellanus. Item Demetrius natione Græcus, qui soluta oratione utentes, cũ pontificis aures mirifice oblectarent, nihil ex eo quod peterent nõ abstulerũt. In Homeri uero poëmate quod Heroico carmine Latinũ fieri magnopere cupiebat, cũ plurimi morem ei gerere conarentur, unus tantũ inuentus est, qui acri eius iudicio satis faceret. Horatius Romanus, qui scribatum apostolicũ ea de re cõsecutus, magnisq; pollicitationibus illectus, Iliadem aggressus, nõnullos ex ea libros Latinos fecit dignos, quos nostra miraretur, prisca non implorasset ætas. Nicolaus quoq; Perottus, Polybio è Græcis cõmode atq; ornate ad nos traducto: Ioannes Tortellius Aretinus, libro de orthographia peritissime conscripto: Albertus Florentinus, conditis de architectura egregijs uoluminibus, alijq; pene innumerabiles noua cudentes opera, eius Pontificis gratiam meruere. Adeo enim ingenia excitauit fouitq; Nicolaus, ut uix æuum inueniri possit, quo magis humanitatis & eloquentiæ, cæterarumq; bonarum artium studia, quàm suo tempore floruerint. Illud certe nemo negauerit, Tot ei à doctissimis uiris inscripta esse uolumina, q̃t neq; suorum prædecessorum, neq; imperatorum cuiuspiam nomini dicata cõperimus. Vnum tamen è doctis ab eo neglectum miramur Blondum Flauium Foroliuiensem, qui res à declinatione Romani imperij, usq; ad ætatem nostram toto orbe patratas, mirabili ordine in tres digessit Decadas. Romam describẽdo instaurauit, Italiam illustrauit, deinde triumphantem urbem scribere adorsus, omnem nobis uetustatem aperuit. Sed

C ita fuerunt hominũ mores, nam perraro quenquã extollit pontifex, quẽ præcessor amauit. Cæterum Nicolaus & ueteribus & nouis codicibus ornatissimam bibliothecam instruxit, in qua circiter tria millia librorum uolumina condidit. Sacrarium apostolicum uasis aureis atq; argenteis, sacerdotalibus indumentis mirifice decorauit, altaris ornamẽta, aulea quoq; ex auro contexta mirandi operis coëmit, suppellectilem toto palatio necessariam magnificentissime comparatam duplicauit triplicauitq;. Legationibus quas publice audiuit ita respondit, ut dubium esset sapientiam eius aut eloquentiam magis admirere. Si quos esse in urbe peregrinos existimatione dignos accepit, cõfestim eos missis xenijs honorauit, nobiles domo sua extorres, qui ad se uenerant, benigne confouit, pauperibus Christi largas eleemosynas dedit. Religiosis mendicantibus nihil ad necessitatem deesse sustinuit, in ædes sacras urbis plurima dona contulit. In patrimonio beati Petri plurimas ac munitissimas arces opportunis locis erexit. Huius tamẽ tam admirabilis, tam expetendæ pontificis uitæ non defuerunt insidiatores: Stephanus enim Romanus familia Porcaria tenui censu eques, res nouas sæpe in urbe molitus, ac propterea Bononiæ relegatus, clam inde excedens magnis itineribus Romam redijt, conuocatisq; mox amicis, mentem suam exposuit, turpe esse dictitãs, eam urbem quæ totum sibi subiecerit orbem, nunc sacerdotum imperio subiacere, quos rectius fœminas quam uiros

Stephanus Porcarius põtifici insidiãs ad colligandum eum catenam aureã secum attulit.

quisq; appellauerit. Venisse se paratum patriæ iugum excutere, rem factu facilem si uiri fuerint. Nicolaum pontificem celebri epiphaniarum die in æde beati Pauli sacra facturũ, haud magno negotio comprehẽdi posse, populum libertatis amore, quã proclamari audierit, mox opem audientibus daturum. Ad colligandum aũt præsulem catenam aureã secum attulit, à se iam pridem paratam quã congregatis ostendit. Neq; enim mox occidendum præsulem ex usu esse dicebat, sed obseruãdum donec arcem sancti Angeli per eum recuperarent, atq; ut erat homo facundus facile in suam sententiam congregatos traxit, atq; eo facilius quod inopes ære alieno grauatos & ob patrata scelera iudiciũ formidantes, ad se uocauerat, quibus nihil erat in pace sperãdum. Sed præsensit insidias Nicolaus, missisq; militibus, comprehendi hominem iussit. Illi eum iam animo fractum, et apud sororem in arca latentem inuenerunt. Complices eius in domo qua cõuenerat expugnati captiq; sunt, è quibus unus Baptista Sciarra manu promptus, & animo intrepido, per medias pontificis cohortes uiam gladio sibi aperiens effugit. Stephanus in arce sancti Angeli, alij in Capitolio suspensi uitam finiere, atq; ita Pontifex Max. ingenti periculo liberatus, Romanæ sedis dignitatem imperiumq; seruauit: felix pontifex & omnium iudicio beatissimus, nisi eo sedente, Turcæ (ut ante diximus) Cõstãtinopolim expugnassent, Christianorum desidiæ atq; ignauiæ memorabile perpetuum. Accessit & aliud, quod non parum eius gloriam imminuit. Nam cum pacis Italiæ (quæ tum uehementer ferro uastabatur & igne) ipse repertor & arbiter concordi partium uoto delectus esset, dum diem ex die in deliberationẽ ducit, suspectus esse Francisco Sfortiæ iam Mediolanensium principi ac Venetis cœpit, tãquam eam sententiam promere nollet, quæ alijs pacem, ecclesiæ bellum allatura uideretur: ob quam rem, intercedente Simoneto monacho ordinis eremitarum sancti Augustini professore, obscuri antea nominis & prorsus ignoti, sed uitæ integritate probato, Veneti cum Francisco duce conuenientes, inter se concordiæ leges dixere, præstituta die intra quam bello socij pacem ratam haberent. Visum est id omnibus mõstri simile, humilem & incognitum monachum Italiam pacauisse. Sed recusante Alphonso pacem, quæ sibi inscio dicta erat, uanam esse Nicolaus, quæ de se habita fuerat suspicionem ostendit, misso ad Alphonsum legato dominico sanctæ Crucis Cardinali, prudentia singulari & uitæ integritate conspicuo, qui cum Caietã deinde Neapolim peruenisset, interuenientibus Venetorum & aliarum partium legatis, differentijsq; omnibus tanquam ex integro discussis, Alphõso regi non solum pacem suasit, sed fœdus in annos quinq; & uiginti inter omnes Italiæ potentatus percussit, cuius Rom. pontifex & conseruator & iudex dictus est. Sed cum doloribus artheticis per omnem ferm è pontificatum suum Nicolaus uehementer laborans, indies magis ac magis opprimeretur, nec iam amplius mortalem pollutumq; comitatum candidior anima dignaretur è uita decessit. Ab eo quæ mihi pontifex Eugenius munera crediderat, non solum confirmata sunt, sed amplius pontificalis dignitas adiecta, tergestinaq; primum ecclesia, deinde Senensis commissa. ¶ Calixtus tertius post eum beati Petri cathedram obtinuit, natione Hispanus, ex regno Valentiæ nobili genere natus, unus omnium qui suo tempore scientiam iuris profiterentur eminentissimus, & qui consilium regis Alphonsi in quo multis annis præsiderat, illiusq; artes ac cautiones præ se ferret. Is ut primum pontificatus apicem adeptus est, mox animum ad delendam Turcarum & legem & gentem conuertit, uotumq; uouit. Ad eam rem solennes misit in Galliam, in Hungariam, in orientem legatos, primarios sanctæ Romanæ ecclesiæ, Cardinales, è quibus nullus adhuc redijt. Alanum tamen Cardinalem sanctæ Braxedis, magno ingenio uirum, & animo securo & potenti propediem è Gallia reuersurũ putant. Naualia quod antea inauditum fuerat Romæ constituit triremes, quas plures ad ripam Tyberis in ciuitate Leonina parauit, armauit, & in Turcas misit. Comitem Iacobum Picininum Senensibus (ut dictum est) armis insultantem, misso militè suo repressit. Regi Alphonso quærenti ex eo quo pacto inuicem uicturi essent, regna sua respondit ipse regat, mihi summi apostolatus gubernationem relinquat. Veras eorum multis de rebus dissensiones, magna pars Italiæ simultates cõfictas esse credidit: q fidẽ dedere cõtentioni, alij Calixtum

Baptista Sciarra per medias pontificis cohortes uiã gladio sibi aperuit.

A xtum, alij Alphonsum, alij utrumque accusauere. Quorum alter regem sub quo natus esset, alter suum sacerdotem, cui tanquam uicario dei parendum est ferre non posset. Bis Cardinales à Calixto creati sunt, primo tres, ex quis duo nepotes eius fuere, quorum & si fuit ætas aliquanto minor quàm tanta dignitas uideretur exposcere, doctrina tamē et circūspectio & morum suauitas id honoris haud iniuria cōsecuta cēsetur. Tertius fuit Iacobus de Portugallia, regio sanguine natus, in quo ea modestia, ea grauitas, id acumē ingenij, id studiū literarū, is amor uirtutis emicuit, ut quamuis iuuenis adhuc, tardius tamen opinione omniū ad eam dignitatem ascenderit. Secundo loco sex assumpti sunt, haud profecto indignissimi (unū demas) tanto munere. Meo tamē iudicio nulli dignius id honoris obuenit, quā Ioanni episcopo Zamorensi, ciuilis sapientiæ cognitione sublimi, qui uno de quadraginta annis Romanā secutus curiam, per omnia ferme officia castus & innoxius transierat, cancellariā uero quæ à tempore Nicolai uacauerat, Calixtus nepoti suo sancti Nicolai in carcere Tulliano Cardinali ac Marchiæ legato commisit. Germanum eius Petrum Borgiā egregia specie atq; indole iuuenem ecclesiasticæ militiæ ducem præfecit, exin præfectura urbis ei commisit. Ludouico Cardinali sanctorum quatuor coronatorum, & ipsi quoq; nepoti legationē Bononiensem demandauit. Vincentiū natione Hispanū, & Osmundū Anglum miraculorū fama illustres inter

B sanctos redegit. Legatos in Scythiā et Persidē in Aethiopiam misit, qui Christianos per orientem in fide continerent, & aduersus religionis hostes armarent. Scanderbechio in Albania, multisq; alijs per Græciam Turcarum bello laborantibus, pecuniaria subsidia largitus est. Transfigurationis dominicæ festum instituit, & celebrari publice iussit. Assumptionem suam priusq̄ Pontifex Max. eligeretur pluribus annis prædixit: cladē quoque quā Turcæ apud Albam in Hungaria sustinuere, anteq̄ fieret uaticinatus est: nunc quoq; de futuris multa & magna promittit, quæ diuina pietas non abnuat uelim. Mortuo Ioanne comite Taliacogio, qui è prosapia Vrsinorum fuit, cum mascula ei soboles nulla esset, Vrsini hæreditatem eius propinquitatis iure ad se traxerunt. Id ægrè tulit comes Euersus, cuius filia nupta esset unica Ioannis filia, uentum est ad arma. Columnenses comiti Euerso auxiliū præbuere: deinde hortante pontifice, Prosper Cardinalis Martini quinti Romani quondam sapientissimi et felicissimi Papæ nepos, eius gentis hostis honoratissimus, & literarum studio late clarus, cognitionem suam bello subtraxit. Inter Vrsinos & Euersum usq; inpacatæ durant inimicitiæ. Latinus sanctorū Ioannis & Pauli Cardinalis illustris, Vrsinorum familiæ princeps, dexterrimo uir ingenio, iuris scientia & animo qui alta curet, parua despiciat, insignis, ex urbe profectus ad oppida sua concessit, tanquā Romæ nō se satis tutum existimaret, siue comitis insidias ueritus, siue Pōtificis indignatione cōmotus, nec reuocatus in hanc usq; diē reuerti uoluit. Calixto inter

C oēs Cardinales duo ad hoc usq; tēpus, imprimis auditi atq; accepti fuerunt. Gulielmus Rothomagensis, amœno ingenio, & affinitate sanguinis clarus, ac Petrus sancti Marci Eugenij quarti nepos, patritia apud Venetos gente natus, & industria potēs, siue quod eorū cōsilijs multū inesse crederet, siue quod alterū Franciæ regnū, alterū Venetorū rē publicam ducere arbitratus est. Simonem Romanæ philosophiæ studijs, & arte medica excelllentem adeo dilexit, ut fratrem eius Iacobum episcopum Ferretanum, quanquā uirtute præstātem, sua potissimum consideratione rubeo galero donauerit. In audiendis legationibus priuatorumq; hominum causis, antecessorum suorum facilitatem lōge superauit, epistolas & regibus & amicis per seipsum dictauit. In signandis supplicationibus libens et hilaris tempus absumpsit: de iure interrogatus, percupide respondit: leges et canones tam ei fuerunt in promptu, quàm si heri aut nudiustertius scholam iuris primum exiuisset: nihil enim memoria sua excidit, quod retinendum existimauit. Cæterum nulla facultas ei iuris cognitione potior uisa est, in qua ipse ita excelluit ut suorum prædecessorum, qui sibi possit æquari uix unus aut alter inueniatur. Hic postquam ordini Cardinalium me inscripsit, Varmiensem quoq; ecclesiam ad mare Baltheum inter Sarmatas sitam postulantibus canonicis commendauit. Cuius possessionem, frementibus ea in regione crudelibus & atrocissimis bellis, nondum assequi potui. *Autor de se hic loquitur.*

De Vmbria & Piceno & diuersis in eis bellis à uarijs ducibus confectis. Cap. LIX.

IN Vmbria, quæ hoc tempore sub ducatu Spoletano continetur, paucæ ciuitates intestinis seditionibus caruerunt. Nursia Quinti Sertorij quōdam patria, Guelforum partium insidijs sæpius agitata, uix tandem respirare potuit. Narnia quam sulphureo gurgite conditus amnis circuit, ancipiti uix adeunda iugo, Gibellinorum factione depressa Guelforum consilio & ductu quiescit: non Amerinis, non Reatinis, non Fulginatibus, non Ortanis, non ipsis denique Spoletanis suæ calamitates defuerunt. Sed Alisina ciuitas omnium miserior inuēta est, quæ dum modo Brachianam, modo Sfortianam factionem admittit, & nūc partem quæ superior, modo alteram quæ inferiorem amplectitur, se procellis fortunæ quatiendam prostituit. Picentium regionem, quam nostra ætas Marchiam uocat. Franciscus uice comes, Eugenio quarto Pontifici Maximo tum rebus Basiliensibus occupato, ac non solum Philippi Mariæ, sed Alphonsi quoque regis inimicitijs implicito, una quodammodo excursione ademit, nonnullisque post annis continuata possessione retinuit. Interim captus amore puellæ, quæ inter uirgines coniugi suæ seruiebat, & sibi multarum molestiarum, & illi necis causa fuit. Perpetua ea uocata est, apud Nouarienses honestis parentibus orta, forma egregia, & ingenuis moribus, nisi potentis domini decepta blanditijs, uirginitatem cum adulterio permutasset. Hæc cum iam paulatim intumesceret uterus, ad tegendum facinus quæsito qui eam duceret uiro despondetur: constituta nuptiarum die, uocatis amicis, apparato grandi conuiuio, sponsus in oppido (quod à Francisci curia non longe inhabitabat) lætus aduentum nouæ nuptæ protestabatur: ducitur illa multis comitata nobilibus. Sed ingressa oppidū, cum descendere in domo sponsi crederetur, iussa ulterius pergere in arcem rapta est, nec ulterius infelici uiro uidendæ sponsæ, copia fuit. Quod cum Blanca Francisci coniunx cordatissima mulier cognouisset, nunquam deinde quieuit, donec dimissis percussoribus puellam quamuis diligenter custoditam interfecit. Franciscus quamuis ea re ualde commotus, uxoris tamen iusto dolori censuit ignoscendum. Exin Pōtifex Eugenius iā Philippo regique conciliatus, Nicolaū Picininum cum exercitu aduersus Franciscū misit, regemque ut item in Marchiā duceret adhortatus est: annuit Alphonsus, delectuque militum habito, cum florentissimis equitū peditumque copijs in Picenum peruenit. Iunctisque apud Bisium cum Picinino castris, eoque totius exercitus duce constituto, cōterrito oppidanos in deditionem ecclesiæ compulit: quorum exemplū & sancti Seuerini incolæ secuti, claues portarum misere. Quæ cum Franciscus accepisset, copijs suis per munitiora prouinciæ oppida distributis, protrahere bellum è re sua arbitratus est. Exin cum Petrus Brunorus è copiarum suarum ductoribus, cū octingentis equitibus ad regem trāsisset, Maceratenses uero ac Colentinates deditionem ecclesiæ fecissent, consentientibus Venetis ac Florentinis, redire se in gratiā Philippi ducis Mediolani, ut regis impetum euaderet, amicis interpositis simulauit: credidit Philippus, literisque ac nuncijs uti copias in regnū reduceret, Alphonsum frustra rogauit. Turpe enim regi uidebatur inuito Eugenio rem infectam relinqui: perseuerauit igitur atque acrius instans, Cingulum oppidum in deditionem ecclesiæ recepit, castrum planum ui captum militi diripiendum dedit, nec territus est, quamuis Philippus ea re commotus, pacem cum Venetis ac Florētinis fecisset. Sed Aesim cum exercitu petens, Troilum copiarum ducem, cui Franciscus maxime fidebat, nam & multos annos in equitatu suo primos ordines duxerat, et sororem eius in uxorem receperat, tradita ciuitate sese dedētem in comitatum suum recepit: deinde Roccham Cōtratam cum defendente Ruberto Francisci nepote pluribus diebus frustra oppugnasset, ad Metaurum amnem supra Fortunæ fanum, quo se Franciscus cum reliquo equitatu receperat continuato itinere duxit. Ibi ad Alphonsum tubicen quidam à Francisco in castra uenit, impetrataque à rege pro sui ordinis more liberius loquendi uenia, multa nefaria in Nicolaum præsentem Francisci nomine probra congessit, proditorem ac perfidum appellans, regemque admonens, ne illi se credat, cui fallere potissimū sit. Postremo Nicolaum Francisci uerbis, ad duellum prouocauit. In quo duces ipsi, eorumque quædam copiæ de gloria, de dignitate certarent, appariturā quidem uno prælio ducū simul

Tubicen ad Alphonsum uenit et in Nicolaum probra congerit.

A simul atq; equitum uirtutem, simul à rege petijt, ut æquus spectator pugnæ adesset. Nicolaus iam inde ab initio ea audiens, cõmotus, haud leuioribus cõuitijs in Franciscũ absentem coniectis, fidẽ suam multis exemplis cõprobans, ægre sibi esse respondit, corpus suum uulnere in ceruice recepto debilitatum fuisse, ostensum se singulari certamine, ut eorum proditionis infamia censendus esset, nisi hãc fortuna sibi facultatẽ abstulisset, oblatam tamen pugnandi cum exercitibus conditionem, læto se animo cum bona regis uenia accipere, postero die cum copijs suis sub ipsam urbem sanum parenti campo futurum: quod cũ à se postulare Nicolaũ decoris tuendi causa rex animaduerteret, utriusq; partis securitati sese cõsulturum recepit, sed cum dicta die Nicolaus in campũ cum suis processisset, atq; insultans urbis mœnibus usq; ad portas cucurrisset, rex uero procul inde ad mille passus cum exercitu cõsedisset, liberũ utriq; parti præstaturus cãpum. Franciscus siue regi parum fidẽs, siue gloriã suam de qua per id tẽpus haud dubie iactabatur, in discrimen adducere ueritus, intra urbem suos continuit. Magna inter Franciscum & Nicolaũ non æmulatio modo uiguit ob rei militaris gloriam, cuius primas parteis sibi uterq; arrogabat, uerum & simultas ingens ob ueteres inimicitias, quæ olim inter Brachium & Sfortiam fuerant, quorũ alter Francisco pater, alter Nicolao Magister ac dux fuerat: atq; idcirco, non tantum hostes, sed ut inimici inter se bellũ gerebãt, nec sub uno B eodemq; principe ut militarent adduci poterant. Nicolaus ex corporis breuitate Picinini nomen accepit, sed quanto mediocritate statura eius inferior, tanto animi magnitudo superior. Pauca ei uerba fuerunt, atq; parum compta, sed quæ multarum ac magnarum rerum sententiam comprehenderent. In milites suos indulgẽs, in amicos liberalis, in hosteis durus et asper, dimicãdi cupidus, quietis impatiẽs, gloriæ auidus, & in periculis obeundis promptus ac securus, prælium ex occasione protinus sumpsit: hostem celeritate præuenit, excursione fatigauit, leuis armaturæ, equite magis quã pedite utebatur, fortes atq; asperos milites amauit, hostium numero deterreri nõ potuit, diligens & expeditus in exercitu ductando semper uisus fuit. Quibus rebus cum plurimos & in Gallia Cisalpina, et in reliqua Italia triumphos ex hoste duxisset, haud dubie rerum gestarum magnitudine, et gloriæ magistro suo Brachio maior euasit. Franciscus autem honesto corpore fuit, & quod mediocritatem non parum excederet, amplo pectore, robustis membris & apte dispositis, facie grata, iocundis oculis, caluitie uenerabilis, facundia copiosus, ingenio peracri, animo rerum magnarum cupido. Solers in administrandis rebus, in laboribus perferendis infatigabilis, in occasionibus prospiciẽdis acutus & sagax, in hostibus fallendis uersutus & fauer, in p̃sagiendis euitãdisq; dolis, ad hostiũ consilium præuertendum cautus atq; prouidus. Deniq; ipse in omnibus rebus gerendis adeo aptus, dexter & absolutus extitit, ut eius uerã integritatẽ sufficienter dicere posse, homini etiam dicen C di peritissimo, facile uideatur minime. Raro, nisi ex destinato cõflixit, hostem sæpius obsidendo quã decertando cõfregit. Peditatum magno in precio habuit. Argento atq; auro cultos esse milites uoluit. In exequendis consilijs celer ac perseuerans, ita ut in rebus quas aggrediebatur, sæpius se uirũ prudentissimũ ostẽderit. In omni renouãda præsentia animi, laborum tolerantia, usu, exercitatione, cõsilio mirifice instructus, quibus artibus breui adeo magnus effectus est, ut unus ex omnibus copiarum ducibus inuictus sit, qui cum Nicolao de rei militaris principatu concertare possit. Nam cum scientia rei militaris atq; autoritate pares uiderentur, diu dubium fuit, uter alteri anteponendus esset. Sed hanc litem, fugatus paulòpost Nicolai exercitus, & ingens uictoriarum Francisci cursus, & Mediolanensium fortuna in eum pleno cornu tralata, prorsus diremit. Cæterũ Fani expugnationem cum rex difficilimam intelligeret, non Francisci solum magni & peritissimi ducis præsentia defensi, uerũ quod etiam urbs mari adiacens claudi, ne commeatus intrarẽt, haud quaquã potuit. Inde abiens in Ermanum duxit, quo in loco cum Alexander Francisci frater eruptione facta, postremũ agmen eius inuaderet, conuersis in eum signis hostẽ intra urbẽ repulit, atroci pugna pro muris facta, et antemurali quod pro uallo stabat ui capto. Deinde ad turrim palmarum composito agmine peruenienti, Francisci epistola reddita est nuncio intercepta, quæ Troilo ac Petro Brunero in-

ſcripta, inter cætera ea uerba continebat, ne amplius differentes iam tādem cogitata mutarent, quapropter ambos de proditione ſuſpectos, armis equisq; & omni quantumuis magna ſuppellectili priuatos in uincula cōiectos, in Arragoniā miſit, & in arce Satabia Valētini agri cuſtodiri mandauit. Nec diu poſtea, cum Temaritani deditionē feciſſent, in regnū ſuū diuertit, duobus millibus equitū ad Picininum, qui ad montē aureum cum exercitu extiterat, tranſmiſsis. Sed poſtquā illi aduentaſſent, Picininus repētino Franciſci aduētu inuaſus, prælio fuſus pulſusq; fuerat. Cliuus, in quo Caſtra poſita erant, & oppidum proximum diſsipatos fuga, ſeruauit. Franciſcus ea uictoria ſimul & profectione regis elatus, Picenū undiq; ueluti uictor percurrere & infeſtare cœpit. Rogatus ab Eugenio Alphonſus eò reuerti, cū iam ſe itineri accinxiſſet, nouis regni motibus domi retentus, Lupū, Virreū, Vrſinū, Carſiamq; cū non paruis copijs aduerſus Sfortiam miſit. Interea Nicolaus Picininus à Philippo in Galliam reuocatus, Franciſcū filiū cum parte copiarum in Piceno dimiſerat, quē Sfortia ad montē Vlmū prius pugna ſuperatū intercepit, quā regis auxilia ei aduenissent. Poſt hæc Ludouicus Aquileieñſis Patriarcha eā prouinciam ab Eugenio ſortitus, Ioannē Vintimiliū inter belli duces fama præſtantem, cum magna equitū peditumq; manu à rege miſſum omnib. copijs ſuis præfecit. Cuius induſtria Aufidā oppidū obſidione clauſum, in deditionē accepit. Erant eo tempore nō paruæ Philippi copiæ apud Cingulum oppidū, cōtra Frāciſcum miſſæ. Nam Philippus cum Franciſci reconciliationem iam tandē ſimulatā intellexiſſet, Italianū Forlanū in rebus bellicis latæ cognitū, q̄ Pōtificis partes adiuuaret, eò tranſmiſerat. Cui cum Patriarcha & Vintimilius per rectā uiam coniungi nō poſſent, nam media loca Franciſcus obtinebat, magnis itineribus per mōtana ad eū peruenere: quo cognito Franciſcus è Piceno deſcendens, in Vrbinatē agrū ſeſe recepit. Patriarcha montē Melonem obſedit atq; obtinuit. Deinde oppidum ſancti Angeli ui expugnans, diripiendum militi dedit. Vintimilius paulò poſt ab eo in regnū ad Hyberna recedens, per agrū Firmianū nō procul à Monte ſancto cōſtitit. Cuius aduentu conterriti oppidani, emiſsis oratoribus deditionem fecere: ſimiliter circuniecta caſtella, deinde ad montē altū profectus, dies aliquot ibi manſit. Interim Firmiani cōiuratione facta, ſpe propinqui auxilij à Franciſco defecerūt. Alexandro fratre cum magna equitatus parte in arcē cōpulſo, quibus & Vintimilius & Pontificis copiæ mox exilium præbuere. Sed cum arx eiuſcemodi eſſet, ut ſola fame uinci poſſet, præmunitis urbis partibus, ne deſcenſus ex arce fieret, Vintimilius uti conſtituerat, in Hyberna conceſsit. Sequenti anno Alphonſus Renūdum Buillum, & cum eo mille equites, & totidē pedites ad Patriarchā in Picenū miſit. Qui ubi cum Iacobo Caynano in eccleſiæ caſtra peruenit, mox Talianus Forlanus mandante Philippo Maria comprehenſus eſt, at poſtriduo iuſſu Patriarchæ apud Rocchā Cōtratam ſecuri percuſſus. Montem fabrum deinde cepere, & aliquot Caſtella Frederico Vrbinatium principi eripuerunt. Sed cum iam duo millia equitū à Florētinis ac Venetis miſſa, Franciſci exercitum auxiſſent, Philippus uero exercitu ſuo ad Caſale maius, iuxta flumē Padum à Venetis pugna fuſo ac caſtris exuto, copias ſuas è Piceno reuocaſſet, & amplius Eugenij ac regis auxilia poſtulaſſet, ad quem duo millia & quingenti equites ex caſtris eccleſiæ iubente Pontifice tranſierunt, Franciſcus iam bello ſuperior, Montem aureum, & alterum ei proximum caſtellum Sigiſmundi Malateſtæ, qui iam ab eo defecerat, eccleſiæ fortunam ſecutus expugnauit, & eiuſdem oppidum Gradariam obſedit. Interim rex alia Patriarchæ auxilia miſit, cum quibus in Picenum reuerſus Iacobum, Caynanū proditionis ſuſpectum apud Rocchā Cōtratam, ubi Italianum Forlanum interfici iuſſerat, capitali ſupplicio affecerat. Exin nihil memoria dignum ab eo geſtum, donec Franciſcus Philippo reconciliatus, illius ſtipendia facturus, & iam dux contra Venetos deſignatus, ex Piceno receſsit. Nam poſtea non ſolū arx Firmiana, ſed omnis fermè prouincia in eius poteſtatem facta eſt.

De Ioſia duce Aſculano, Cap. LX.

IN Aſculo Ioſias nobilibus ortus parentib. admodum adoleſcēs, Ioānē Frāciſci Sfortiæ fratrē magno animo iuuenē, & q̄ eā urbē p̱ omne belli tēpus egregie defendiſſet, conſpira-

A conspiratione cum paucis inita incautum obtruncauit. Sed cum & ipse tyrannum in patria gereret, in exilium actus est. Ciuitas deinde sub ecclesia quieuit, quamuis anno ab hinc superiore idē Iosias arcem quādam naturali situ munitam & urbi propinquā, cum plerisq; latronibus occupans, non paruas curas illi populo ingesserat: quæ res ei parum prospere processit. Nam Rhodericus sancti Nicolai Cardinalis, eius prouinciæ legatus, obsidionem loco admouens, postquam arce potitus est, captum ipsum uinctumq; Romam misit.

Quod apud Vrbinates dux Oddo, & prothonotarius Carpensis propter suam in fœminas libidinem fuerunt interfecti, Cap. LXI.

IN Vrbino dux gentis Oddo matre Colūnensi nobilissima natus, cum per libidinem in matronas nobiles debaccharetur, nec modum licentiæ faceret, populari tumultu interfectus est. Incensor nequitiæ & adolescentiæ suæ corruptor, Prothonotarius Carpensis, nobili genere ortus, sed ingenio pessimo, qui nuptis ac uirginibus quāplurimis uim intulerat, qui per omnia scelera ad summam uitiorum peruenerat, eadem nocte cum discipulo suo necatus, inexhaustæ libidinis pœnas dedit. Cadauer eius in forum delatum, desecta uirilia in ore mordicus tenuit. Guido pater Oddonis priusquā cōiugem ex Colūnensi familia duceret, cū proles ei nulla uirilis esset, anxius quonam pacto in gēte sua
B imperium propagaret, cōcubinā ex se prægnantē assimulauit. Exin Bernardini Cardēsi agnati sui, præclari copiarū ducis filium, tum forte natum supponi pro suo nutririq; iussit, Frederici nomine indito. Sed coniugio deinde cōtracto, cū filiū legitimū sustulisset, conuersa in eum cura Fredericū adhuc puerū militiæ tradidit, in qua ille ad ætatem usq; uirilem perseuerauit. Deinde Oddone mortuo, uocatus à populo, Vrbinatiū factus est princeps. Clarus uir & Castrēsibus disciplinis apprime institutus, cui nec administrādis rebus bellicis consiliū, nec in capescēdis periculis animus unquā defuit, nec uero factis quā fide clarior, quæ quidē uel maxime patuit, cum bello Picenti Franciscum Sfortiam qui ad eum se receperat, fortunæ afflatu iam pene desertum, cōstantissime iuuit ac fouit. Indignus profecto, qui militari ludo dextrum perdiderit oculum.

De Sigismundo Malatesta duce Ariminensi, Cap. LXII.

APud Ariminum Aemiliæ urbem, Sigismundus Malatesta sceleribus insignis, imperium tenuit, qui cum Sfortiæ filiam matrimonio sibi adiunxit, partes eius in Piceni bello aliquandiu secutus est, deinde sub ecclesia stipendia fecit. Militauit in Gallia contra Venetos, & in Tuscia contra regem Arragonū, quæ res postea magno sibi detrimento fuit. Nam cum de pace Italiæ apud Neapolim ageretur, rex huius iniuriæ memor, eum qui sibi fidem non seruasset, extra communem pacem esse uoluit. Deinde comitem Iacobū Picininum, & Fredericū Vrbinatiū principem, cum copijs in eum misit,
C qui aliquot ei nō parui nominis oppida abstulerunt, eiusq; agrū ferro & igne uastarunt. ipse cum auxilia frustra implorasset, ad extremum (quod unum salutis erat remediū) Alphonso misso, ad eum reconciliari constituit, cuius nondum preces exauditæ sunt, quāuis spem concordiæ regis clementia non paruam affecit.

De Fauentia, & Fabrienensibus, Cap. LXIII.

IN Fauentia mortuo Guidone Antonio, principatum frater eius Nestor arripuit, qui Florentinis contra Regē militans, haud alia ratione quā Sigismundus ab Alphonso declaratus hostis, extra cōmunem pacē factus est. Fabrienenses qui dudum tyrānide oppressi, necatis tandem quindecim ex familia quæ principatum inuaserat, fugientibus reliquis ad ecclesiæ imperium redierant, multisq; post annis in pace quieuerant, hoc anno de rebellione tētatos, seu cōsentiētes seu suspectos ciues aliquos in uincula adiecere. Exin tormētis ac q̄stionibus prodito & expresso crimine, ultimo supplicio affecerunt.

De Aquila Marsorum urbe, ubi de diuo Bernardino Senensi. Cap. LXIIII.

IN Aquila Marsorum urbe, apud quā memoria nostra Brachius Perusinus dux belli formidatissimus, dum per anni temporis obsidionē tenuissent, Martini quinti Pontificis Maximi ac felicissimi armis uictus interijt. Diuus Bernardinus Senēsis, postquā Italiam omnē Christi nomē p̄dicādo peragrasset, uitæ cursum peregit, eo in loco sepult9

clarere

clarere miraculis affirmatur. Fuit autem Bernardino clara inter Seneses origo, nec uera est assertio eorũ qui patriã illi Massam fuisse tradunt, quãuis pueritiæ nõnulla rudimenta peregerit. Cæterũ pater ac maiores sui lõga serie inter nobiles Senẽses habiti sunt, ubi & ipse natus, & maiori ex parte educatus, cum adoleuisset iuri pontificio ediscendo operam dedit. Sed cum sepultis parentibus fallaces huius mũdi blandicias, & inania eius esse promissa animaduertisset, distributa inter Christi pauperes substãtia, diui Francisci religionem ingressus, traditam sibi regulam exactissime obseruauit: declinansq; maiores conuentus, eorum ductor ac magister effectus est, qui fratres obseruantes appellantur. Maximum autem ei studium in edocendis populis fuit. Qui cum esset facundia copiosus, & doctrina insignis, incredibili omniũ attentione audiebatur, & quasi alter Paulus esset uas electionis in admiratione ac reuerentia habitus. Tres eum populi sibi pontificem elegerunt, Vrbinates, Ferrarienses, Senenses. Sed non fuit ei consilium linguam quæ toti posset Italiæ consulere, unam urbem concludere.

De Neapolitano regno, & multis prælijs per Alphonsum Arragoniæ regem, & alios duces non paucos, in ipso regno Neapolitano, & alijs locis factis, Cap. LXV.

REgnũ iam Neapolitanum ingressi, ad felices Alphõsi mirabilesq; rerũ cursus stilũ cõuertimus. Post bellũ nauale q̃d ipse cũ Genuẽsibus infeliciter gessit, tanquã cognorit fortuna suũ errorẽ, quæ tanto principi molesta fuisset, nouercale odium in maternum nutriuit affectũ, & quæ illi aduersissima fuerit, secundissima facta est. Nam Philippus Mediolanensiũ princeps, ubi captiuũ regẽ ad se ductũ, & se uictorẽ lõge minorem uicto animaduertit, mox ex hoste factus amicus, liberũ esse iussit, societateq; secũ equis conditionibus facta, magnis muneribus donatum ad se dimisit. Isabella interea cõiunx Rhenati Lothoringiæ ducis, qui cum Alphonso de regno cõtendebat, & per id tempus in captiuitate Philippi Burgundiæ ducis destinabatur, cũ duobus paruis filijs Caietam uenerat, eaq; præsidio firmata, Neapolim se contulerat. Sed Petrus Arrago frater Alphonso qui ex bello nauali cũ paucis triremibus euaserat, reparata in Sicilia classe, præter spem inuitatus, ab altera factione Caietanorũ, nocte profectus, ea Caietam obtinuit: & expulso hostium præsidio, suum imposuit, missis ad Alphonsum nauibus, quæ illum ex portu Venetij adueherent: appulit paulò post Caietam in eisdem nauibus Alphonsus, deinde Capuam petijt, quæ licet medio tempore ab Isabella & Iacobutio Candola acriter oppugnata fuisset, uirtute tamen Ioannis Vintimilij eius loci præfecti, in fide persliterat. Ibi Renundus Nolanus regulus Alphonso reconciliatus est, & mox Scaphatũ in insula Sarnisitum Castrumq; maris in deditionem acceptum. Isabella ubi se uiribus Alphonsi imparem esse cognouit, ab Eugenio Romano Pontifice auxiliũ petijt, qui Ioannem Vitelliscum Patriarcham Alexandrinum cum tribus millibus equitum ac pari numero peditum ad eam misit: profectus in Campanum Patriarcha, aliquot castella uicepit, obsedissetq; Capuam, nisi Ioannes Vintimilius octingentos equites quos regina ad eum transmiserat, ex improuiso inuadens fudisset, cepissetq;. Aggressus est tamẽ idẽ Patriarcha Ioannẽ Antoniũ principẽ Tarentinũ ad montẽ Fusculũ, ac eum expugnatis ui castris captiuũ abduxit, eaq; demũ lege dimisit, ut frater eius quingentis equitibus stipẽdia Põtifici faceret. Gerebãt Patriarcha & Iacobutius Candola cõmuni consilio, & amicis animis pro regina bellũ, sed interuenientibus simultatibus copias separarunt. Interea duorum mensium induciæ inter Patriarcham & Alphonsum factæ, quibus durantibus, Patriarcha Iacobutio reconciliatus, cum eo iuribus prius opprimere Alphõsum statuit, cuius reconciliationis cum ad eum notitia perueniret. Erat Alphõsus apud uicũ Iulianum, tribus miliaribus ab Auersa securus in castris, cum sibi nunciatũ est hostes rupto induciarum fœdere aduentare, sibiq; minime tutum expectare impetum, ob quã rem sublatis signis, mox Capuã se recepit, nõ tamẽ absq; damno suorũ, qui postremum agmen duxere. Exin cũ Patriarcha Auersam sibi ad inhabitandũ tradi ab Isabella peteret, Iacobuti9 impediret, rurs9 inimicitiæ inter eos subortæ sunt. Sed cũ Tramẽses excepta arce Alphõsum dominũ appellasset, & atrox oppugnari cœpisset, Patriarcha cũ exercitu eò ꝓfectus obsidionẽ firmauit, cui & Iacobutius Cãdola ab Isabella rogat9, & Ioannes An-

A annes Antonius Vrsinus & multi alij se cōiunxerūt. Firmata obsidione, cū Ioānes Antonius haud ex animo bellum gerere crederetur, & naues regis aduētare Tranensibus auxilio narraretur, ueritus Patriarcha intercluderetur, cum paruo nauigio ingressus mare, tanquā pecunias ab Eugenio petiturus, in Picenum adnauigauit, deinde Romam se contulit. Milites eius sine duce relicti ad Candolam se cōtulerunt. Arx deinde Alphonso dedita est, & Ioānes Antonius ad eum rediit. Inter hæc Rhenatus è captiuitate dimissus, cum decem triremibus Neapolim uenit, & uocato ad se Iacobutio Candola, & eius cōsilio Scaphatū petēs, in deditionem accepit: deinde in Sulmonensem profectus, cum frustra urbem obsedisset, agrum uastauit incendio. Nec Alphonsus interea quiescebat, sed Albano ac Celano agro subacto ad Castrū uetus peruenerat, in ualle Subletia sitū, cui Rhenatus oblata pro militari more Chirotheca prælium indixit: accepit Alphōsus, sed quæsiuit singulari ne certamine, an collatis signis cum toto exercitu dimicandum esset, se ad utrunque paratum esse, cumque Rhenatus respondisset, uniuersi certaminis cum toto exercitu fortunam se uelle subire, Alphonsus renunciauit placere id quidem. Sed quoniam ueteri more eius fuerit qui prouocetur, diem & locū prælij dicere, se cū exercitu inter Acerras ac Nolam proficisci, qui cāpus lata planitie utrisque idoneus esset, ibique eum ad diem octauā præstolaturum. Hinc orta dissensione, cum Rhenatus locū in quo B Alphonsus esset constituendū diceret, præliū impeditū est. Alphōsus in Nolanum perrexit. Rhenatus in eū locū ubi Alphōsi fuerāt castra, duxit exercitū, atque ita suo satis honori iterū factū putauit. Exin Rhenatus in Pelignos ducens, Castrū uetus subegit. Alphōsus in uallem Cardinā profectus, Arpariū oppidū ui cepit, & Marinū Boffam uallis dominū captiuauit, Casertinū regulū in fidē recepit. In Lucaniam ducens, oppidū Anglū obsidione fatigatū obtinuit. Nuceriā dedentibus oppidanis accepit. Iam XV millia equitum in castris eius erant, quibus fretus absente Rhenato Neapolim petens, cū Petro fratre binis castris urbem obsedit, decem triremibus in portu collocatis, oppugnatur urbs magnis uiribus, nec ciues seipsos negligunt. Sed dum Petrus paululū à castris speculandi gratia in littore uagatur, è Carmelitano templo caput tormento ictus, repente occubuit. Vir apud omnes ordines gratiosus, ad rē militarē natus, animi magnitudine & corporis robore excellēs, ad subeūda pericula impauidus, acer & manu prōptus, cuius interitu consternato exercitu eius diei dimissa est oppugnatio. Alphonsus ubi germani iacere truncū cadauer inspexit: Ad hæc (inquit) ego te frater stipendia duxi, ut esses, qui mihi tuo sanguine, tuaque nece regnum parares, recōdique loculo corpus iussit, & in arcē maritimam deportari, cui post tēpora nactus, idonea dignum suo genere funus duceret. Sequentibus uero diebus cū oppugnatio repararetur, tāta uis imbriū cecidit, ut necessario ab obsidione discessum, & res in religionē sit uersa. Exin Caynanū oppidū, tradēte quo C dam milite, multis oppidanis occisis, ab Alphōso receptū est, & arx fame coacta in deditionem uenit. Rhenatus interea ex Pelignis reuersus Neapolim, ubi quæ acta fuerant, didicit, turrim sancti Vincentij opportune in mari sitā, ad tutelam regiæ arcis ui expugnauit: deinde arcē ipsam pluribus dieb. oppugnans, dedente præfecto, cui annona prorsus deerat, in potestatem suā accepit. Alphonsus uero cum frustra obsessis auxilium ferre conatus esset, in Lucanos traijciens, Salernitanos, totamque fermè prouinciā & Brutiorum multos in deditionē accepit. Iacobutius aūt Cādola præstanti ingenio, & à literarū studijs non abhorrēs, atque in primis rei militaris peritus, qui sub Bracchio stipēdia fecerat, dū castellum quoddā Iacobi Lagunissæ oppugnare nititur, catarri profluuio correptus occidit, clarus profecto regulus, & ingenti laude dignus, si quāta industria & rei bellicæ cognitio, tanta illi fides & in promisso cōstantia fuisset. Ioānes Vintimilius & ipse per idē tempus Acerras prodentibus oppidanis, & arcē fame laborantem in potestatem recepit. Auersani quoque à Rhenato deficientes, Alphōsum intromisere, qui arcē apprime munitā, & forti præsidio defensam, cū expugnare facile non posset, fossatis ingentibus exclusit, & oppugnari quotidie iussit. Rhenatus ad Antonium Candolæ filium in Apuliam profectus, cum nihil propterea ab oppugnatione arcis Auersiæ cessari animaduerteret, per Candimā uallem, & deinde ab Alphonso qui occurrerat impeditus, per transuersos montes, sequen-

tes, sequente Antonio, in Nolanum descendit: nec tamē obsessis apud Auersam opem ferre præsumpsit cū Alphōsus in castris illic potētior uideretur. Sed reuersus Neapolim, Antoniū Candolā de proditione suspectū cōprehendi & in carcerē trudi iussit: quæ res magno ei detrimēto fuit. Nam cū castra illius sub urbē posita tumultuarēt, ducem suum reposcerent, Antonius dimissus est, qui contumeliam sibi arrogatam iniquo ferens animo, mox ad Alphonsum trāsiuit, & arcem Auersianam septimo iam mense obsessam ei tradi curauit. Persuaso per epistolā Xantho, q cum patre suo militauerat, præfectusq; ibi præsidij erat. Desciuit tamē paulò post Antonius ab Alphōso. Deinde apud Beneuentum ei recōciliatus est, cū arce per ꝓditionē tradita, ciues quoq; consternati in Alphōsi potestatem uenissent: quo tēpore & Calathini adactis machinis ab Alphōso expugnati sunt, & castellū Padula & ante Vrsariā castra posita. Franciscus Sfortia Rhenato amicꝰ Arrianū, Troiā, Mamfredoniā, Nuceriā, & alia pleraq; oppida per idem tempus in Apulia obtinebat: quorū custodiā Cæsari Martinēgo, cum non paruo equitatu cōmiserat ipse in Piceno agens. Cæsar cum esset Alphōso infestus, bis extra mœnia Troiæ pugnare ausus, bis ab Alphonso ex acie fusus, turpi fuga in urbem sese recepit: nec multo post Vicarū oppidū resistētibus oppidanis ui captū, ꝑda militi permissa, fœminarū decus regio more seruatū. Alexander aūt Francisci Sfortiæ frater, sub urbem Thetini Renundū Candolam, ac Riccium & Iosiam cum copijs ad Alphonsum euntē repente aggressus, leui certamine fudit: Ricciū ac Iosiā præceps fuga saluauit. Renūdus interceptus est, qui cum esset Antonij Candolæ patruus, illum secundo ab Alfonso alienauit. Venit & Ioannes cardinalis Tarentinus, in Rhenum aduersus Franciscum Aquinianū Eugenij copias ducens. Sed occurrens Alphonsus, retro eum repulit. Exin rupem Gulielmi in alto monte, sitam castellis circa occupatis fame coactum obtinuit, & paulò post Capreas oppidum in insula eiusdem nominis sitū, Tyberij quondam Cæsaris siue delicias, siue latebras dicere malis, tradentibus oppidanorū quibusdā recepit: nec moratus castra ad Neapolim posuit, simulq; Puteolos obsedit: qui aliquādiu fortiter resistētes, tandē rei frumētariæ inopia & defectione regi portas aperuerūt. Turris quoq; (quā uocant Ottattā) recepta est. Vrgebantur interea rei frumentariæ inopia Neapolitani, nec spem aliam habebant, quā uel Genuenses mari, uel Franciscū Sfortiā cum Antonio Candola auxilium terrestri itinere allaturos esse. Anellus interea faber quidā cōmentarius, quē fames Neapolim exire cōpulerat, ad Alphonsum profectus, si præmium adsit, urbem paruo militū periculo capi posse demonstrat. Deliguntur uiri fortes ducēti, qui cū Anello eiusq; fratre, per ostensum aquæductum, nocte urbē ingressi, mœnia occupent. Rex cū exercitu paratus, signū certaminis audaciter expectat. Illi ad domū quandā perueniunt, in qua unica erat anus, & adulta cū ea uirgo: mater cum exclamare cœpisset, celeriter oppressa, uocē emittere inhibita, filia sua sponte cōticuit: & iam sol exortus erat, nec amplius, quā uiri quadraginta ex omni numero puteum inuaserant, qui nunciare ingressum regi debuerant, siue negligentia, siue aliā ob causam nihil regi significarunt. Existimabat Alphonsus, aut cæsos esse qui missi fuerant, aut metu exilire non auos: profectusq; propius, urbē ab ea parte quæ occupanda erat inuadit. Rhenatus cū ea manu, quā ad subitos inopinatosq; casus parauerat, citato equo ad muros contendit, hostesq; procul amouit. Ingens uero pauor & cōsternatio eos cepit, qui è puteo euaserant: nec egredi in puteū, ne armorū strepitu proderētur, nec erūpere propter paucitatē audebāt. Alphonsus ut uidit nihil à suis intus misceri, desperatis rebus in castra redijt. Rhenatus tanquā periculū depulsisset, relictis custodibus, & ipse in regiā concessit. Nec mora nuncius ad Alphonsum currens, multos è puteo prodijsse, atq; in domo tacitos ob metū latere nunciat. Iterum igitur ad mœnia succeditur, instauraturq; præliū, ut erūpendi animus latētibus acuatur. Interea filius eius, quē nominauimus aniculæ, à statione sua domū ueniens, pulsatis foribus aperiri sibi expedit. Mater, & qui intus erāt exanimati, quid agant nesciūt. Vincit tandē ea sententia, ut reseratis paululū foribus, manus ei inijciant, eūq; cōprehensum tacere iubeant. Sed ille repente ut armatos uidit, trepidus refugit, hostesq; intra urbē esse uociferatur. Ad Rhenatū uero subito peruolat, et quæ uiderit refert. At qui intus erāt

A uno agmine raptim è domo prosiliunt, primoq; impetu mœnia propinqua uno tantum uigile ibi reperto, turrimq; occupāt. Rhenatus eo nuncio ac tumultu excitatus, ad mœnia celerrime reuersus, impetum in hostes facit. Alphonsus quo suis animos addat, scalas admoueri imperat. Sed oppidani eam muri partem facile tuebātur, & qui per scalas in captam turrim euaderent, grauium saxorum deiectu obsistebāt. Dum pugnatur acriter, obequitans mœnia Alphonsus, locum quendam urbis neglectum esse animaduertit, eoq; celeriter scalas admoueri iubens, murum obtinuit. Iam uero qui turrim occuparant, partim grauiter sauciati, pugnam remiserant, partim præcipites è muro se dederant. Eratq; Rhenatus eam turrim recepturus, nisi à tergo subito cum ingēti clamore hostes inuecti terrorem intulissent. Auxit & trepidationem oppidanorum unus ex Alphonsi militibus qui per mœnia urbē ingressus, cōscenso equo quē uacuū forte inuenit, in hostem acerrime inuectus, opinionem præbuit proxime portæ captæ atq; infractæ. Nō tū Rhenato defuit animus, sed cohortatus, qui aderāt in hostes fortiter irruens, eorū impetum paululū coërcuit atq; repressit. Mox uero, ut crescente hostiū numero, suos exterritos animaduertit, sensim referre pedem cœpit: atq; ingressis per diui Ianuarij portā hostium compluribus, in arcem regiam cum paucis se recepit. tum & à fori Boarij porta, et ab alijs diuersis muri partibus irruptio facta, atq; ad prædas discursum est, à cædibus tamen tēperatū. Mox uero ingressus Rex, & prædæ quoq; finis factus. Insignis huius anni memoria expugnationem tantæ urbis, quæ eo modo capta est, quo annis antea mille per Belisariū è Gothorum manibus erepta fuerat, quadragesimo & quadringentesimo supra milesimū ab ortu saluatoris Christi, is annus erat ab initio cœpti belli unus et uigesimus. Postridie duæ ingentes onerariæ naues à Genuensibus missæ cum frumento applicuerunt, quæ cognita urbis captura sub arcē cōcesserunt, Rhenatūq; omnium spe recuperādæ urbis abiecta inde auexerunt. Tres adhuc arces in fide Rhenati perseuerabāt Capuana, Montana, Regia. Sed Capuana, pactis paucorū dierū inducijs, ante Rhenati abitum se dedidit. Regia aliquanto postea & Montana tardius receptæ sunt, Rhenatus ad Eugenium Florentiæ morantē sese cōtulit. Exin in Galliā ulteriorē abijt. Alphonsus munita Neapoli, aduersus Antonium Candolā ducēs, ad Carpenonū castra posuit, ubi cum facta pugnādi ab Antonio copia, in eundē certamen reguli dicerent, nisi princeps adesset: ergo (inquit Alphōsus) qui militi animū addere cōsueui, iam pœnitētia mea terrorem adhibeo, absit à nostro sanguine ea uecordia, moxq; galeam induit, signumq; pugnæ dedit. Certatū est aliquādiu nutante uictoria. Postremo fuso hostili exercitu, Antonius ipse captus est, cui erroris ueniam postulāti, nō modo ignouit Alphōsus, uerūetiam oppida quæ à patre accepta hæreditario iure possidebat, reliquit: cæteris captiuis perhumaniter habitis, nec quicquā ex Antonij suppellectilis, quæ ingēs erat, præter cristallinū calicē cepit. Post hæc Pelignos Marsosq; subegit. Mãfredoniā et subinde arcē in potestate recepit, omnesq; belli reliquias in Apulia extinxit: ac pacato ubiq; regno, Neapolim rediens in triūphantis morē, exultante populo, magnificentissimis apparatibus ingressus est urbē, Post hæc de pace inter Alphōsum & Eugenium actū. Ludouicus Cardinalis Aquilegiēsis & sua uirtute et pōtificis autoritate potēs, idcirco ad regem missus, eam cōfecit. Leges pacis in hūc modū dictæ. Eugenius Pōtifex Alphonsum regē Neapolitanum decernat, appelletq;. Ferdinādo regis filio cui rex post mortē regnū destinauerat, potestatē succedēdi faciat, Terracinãq; regno adijciat. Alphonsus cōtra Eugenij autoritati se subijciat, atq; opituletur ad agrū Picenū, quē Sfortia occupauerat uendicandū: si quando Pontifex aduersus Turcas aut Afros bellū suscipiat, rex cū classe adiuuet: Sacerdotes regnorū suorū sub cōcilij ꝑtextu Basileā profectos reuocet. Nec patiatur tres ex suis q cardinales sub Amedeo Sabaudiensi creati fuerant, reuertētes pro cardinalib. suscipi haberi'ue Matricem ciuitatē ducalē, atq; Acumulū in Marsis oppida Romanæ ecclesiæ tradat. Traiecit deinde in Picenū Alphonsus, & quæ supra relata sunt, felici cursu perrexit. Exin domum rediens, cum Genuēsibus duce Raphaële Adurno ea lege pacem fecit, ut bello ablata nemini petendi ius esset. Nec regis hostes Genuēsis populus, nec rex Genuensiū reciperet, illos'ue cōmeatu adiuuaret. Genuēses regi quotannis dū

(B and C margin letters appear beside "men tēperatū" and "calicē cepit" respectively.)

uiueret honoris gratia pateră aureā dono daret, ac Neapolim mitterent. Post hæc Antonius paterna stirpe gentilis, per matrē Vintimillus, qui multa in Apulis egregia facinora Alphonsi gratia fecisset, ad Fontem populi non procul à Theano, quo iussi erant regni principes cōuenire, cū equitibus trecentis profectus, tanquā unus ex purpuratis autoritate maioribus interficere cōstituisset. Apud regē accusatus, clā fugiens Cantāzanū ditionis suæ oppidū repetijt, extinctasq; regni lites excitare conatus, non solū uicinos proceres, sed Venetos & alios Italiæ potētatus, ut in regē arma susciperent, & literis & nuncijs inuitauit. Sed frustra illi cuncta successere. Nam rex cum copijs aduersus eum profectus, & Cretonē urbē & omnē ei reliquū agrum ademit, ipsumq; in Catanciano reclusum, ad deditionē nulla conditione interueniente cōpulit. Ioannē uero Nucēū, qui contumaciæ Antonij suasor fuerat, oppidis omnibus exutum, regno excedere iussit. Secuta est paulopost profectio regis in Tusciā, de qua suo loco relatum est. Vnde reuersus, non multo tēpore interiecto, Fredericū imperatorē, & Leonorā imperatricē ex sorore sua neptem ad se uenientes tāto honore excepit, quantū referre uix Oratori maximo facundia suppetat, donatosq; magnifice ambos à se remisit. Exin quāuis pacē ut prædictū est, Florētinis petentib. dedisset, cū tamen capta Mediolanēsi urbe à Francisco Sfortia, Leonelli marchionis Estens. interuentu, cū Venetis positis inimicitijs fœdus inijsset, alterum tamen in Tuscia bellū gessit, misso in eā expeditionē Ferdināndo filio, de quo satis inter res Hetruscas cōmemoratū est. Soluta est & pax cū Genuensibus capta naue, quæ de Chio insula Genuā petebat, ut postea referemus. Ob quā rem cōmota rep. Genuēsi, Ioānes Philippus Flisca gēte prognatus, cū quatuordecim altissimis nauib. in portum usq; Neapolitanū adnauigauit, ibi ut regis triremes onerariasq; naues incenderet. sed repulsus tormentis æneis, inglorius abijt. Nec multis post diebus classis regia ad montem Cyrceum sex Genuensiū naues insecuta, cū homines effugissent demersit, diuiti præda in eis recepta. Quibus ex rebus, quanquā de pace tota ferme Italia cōuenisset, inter Genuenses tamē & regē cōcordia fieri nō potuit: sed cū Genuēses exules ad regis opes cōfugissent, classis ei cōcessa est, quæ Ligusticū uexās littus, etiā urbē ipsam, ut relatū est oppugnare nō dubitauit, et nunc maioribus uirib. idē bellum repetitur. Fuit aūt Alphōsus cum Fredericus imperator ad eū uenit, annos circiter octo & quinquaginta natus, corpore gracili, uultu pallido, sed aspectu læto, naso aquilo, & illustrib. oculis, crine nigro, & iā albicāti, ad aures usq; protēso, statura mediocri, cibi potusq; tēperās, nec uino usus, nisi aqua multa pdomito. Literis per omnē ætatē operā dedit, grāmaticæ apprime peritus quamuis latine perraro loqueretur. Historias omnes coluit, nec poëtas aut oratores ignorauit, dialecticos nodos facile soluit, nihil ei abditū in Philosophia, arcana theologiæ perscrutatus omnia, de pœnitētia dei, de libero hominis arbitrio, de incarnatione uerbi, de sacramento altaris, de trinitate, de difficilimis quæstionib. percūctatur, & præsto & sapienter occurrit, in respōsionibus dandis quāuis breuis & circūfusus, nunquā tamē diminutus, sermone blandus tersusq;. Sūma ei cura, ne quispiā ab se abiret ingratus, petitiones differre maluit quàm negare, fauit religioni, rem diuinam diligēter curauit. Sacerdotalia indumenta, & altaris ornamenta cōparauit, quibus cōparari alia nulla queāt. Sacrā ac domesticā supellectilē, aureā & argenteā admirabilē & incredibilē cōposuit, Margaritas, uniones, admantes, cæterosq; lapides preciosos toto orbe quæsitos coēmit: sacelli in quo sacris interfuit, et aularum quas incoluit, parietes, diuitibus atq; aureis pānis ornauit. Vestiuit seipsum nitide magis quā preciose. Serico raro usus, aut ostreo paludamento. Venationi magnā uitæ suæ partē consumpsit, in bello seuerus & asper, in pace clemens ac mansuetus, pepercit facile his qui contra se arma tulerant humanum sanguinem inuitus fudit. Scelera tamen odit, nec impune subditos delinquere passus est. Regnum, quod multis ante seculis spelunca latronum fuerat, adeo pacatum securūq; reddidit, ut quacūq; iter habeas nullus prædonum meatus adsit. Legatis omnibus ad se uenientibus sumptus opipare præbuit. Apostolicis qui Cardinales essent obuiam extra urbem profectus, quasi patres honorauit, naues insolitæ magnitudinis fecit, & quasi q procul inspiciat, sublimes esse arces per mare uadētes arbitretur, ædificauit pluribus in locis.

Sed Nea-

A Sed Neapoli supra quã dici posit, splendide ac magnifice arcem regiã, cui Nouo castro fuit nomen, à fundamentis eiectam iterũ erexit, tum opere mirabilem inexpugnabileq́; tum sumptu magnificentißimam, turribus orbiculari forma ex lapide quadrato, mirifica structura atq; artificio, muriq; craßitudine inaudita, & ingenti arcu triũphali ex marmore candidißimo reformauit. Arcẽ sancti Saluatoris in mari ex Ouo nuncupatam, cuius expugnabilis situs ad usum magnificẽtißimæ regiæ redactus est. Ampliauit & urbis portum, obiecta in profundũ maris altißima mole craßißimo muro, turribus munita, salubritatem urbi exiccatis paludibus dedit. Magnus profecto princeps, & in utraq; fortunæ partem probatus, qui inter cætera sibi aduersantia, etiã terræmotũ anno ab hinc secundo passus est, toto fermè regno, qualem nec nostra nec patrũ nostrorum memoria uisum auditum'ue ferunt. Nam & multa regni oppida funditus corruere, inter quæ Arrianum ita absorptum est, tanquã caumate perisset. Raro ciuitas absq; insigni ruina superfuit, circiter triginta millia hominum inter cadentia tecta perisse feruntur. Neapolitanorum nobiliores ædes disiectæq; sunt. Nec templũ in ea urbe læsionem non sensit. Sed hodie iam ciuitas fermè refecta est, ciuium diligentia & regis liberalitate. ¶ Cæterum clarißimi regis, qui sæculum nostrũ, ueluti sidus quoddam præfulgidũ illustrauit, haud ab re fuit quã breuißime uelut in epilogo præclara facinora percurrere, quamuis tempo-
B ris à nobis recepti pleraq; modum excedant, ex quibus illustriora huiuscemodi sunt: Adolescens mortuo Ferdinando patre, Arragoniam, quæ ab illo in Hispania regna suscepit, cum aliquandiu sapienter administrasset, adoptatus in filium à Ioanna Neapolitanorum regina, dissuadentibus amicis, expeditionẽ in Italiã suscepit. Regina opem tulit, Ludouicum ducem Andegauẽsem, qui regnum sibi hæreditario iure debitum affirmabat, pluribus prælijs afflictũ expulit. Reginã quæ malo usa cõsilio ab se defecerat, non tã puniuit quã coërcuit. Rhenatũ alterum regni æmulum armis uictum cedere cõpulit. Ioannem Vitelliscum Alexandriæ Patriarcham, magnis copijs insultantem, regno fugauit. Caietam bis cepit, semel acri pugna deuictam, & iterũ ciuitatis parte uocante, cum defecisset, Neapolim quãuis Rhenatus & magnus inesset populus, expugnauit: Ioannem fratrem Nauarræ regem in Hispania laborantem armis adiuuit: Masiliam insignẽ prouinciæ ciuitatem noctu adorsus obtinuit ac diripuit. Ad insulam Gerbini, quam ueteres Lotophagiten appellauerũt, à continenti Africæ quatuor millia passuum distantem, obsidione admouit. Bossorium prouinciæ regẽ, cum copijs aduẽtantem in proximo littore uictum, ex minoribus castris ad maiora fugere compulit. Nec diu post ab eisdem tributa suscepit. ab Eugenio Pontifice Maximo, qui sibi de regno contrarius esset, quas tandem uoluit leges pacis accepit. Franciscum Sfortiam ex agro Piceno armis deturbauit, & in Albania & in oriente per suos duces Turcis infestus, non parua eis damna intu-
C lit. Bis Florentinos ob res Gallicas armis afflixit. Bis eis pacem petẽtibus dedit. Sed maius omnibus est & admiratione stuporeq; dignius, quod prælio nauali à Genuensibus (ut ante diximus) superatus, & in Philippi Mediolanensium ducis captiuitatem adductus, mox liberatus potentißimo regno potitus est, & à uictoribus uictor tributum accepit, & adeo erga Philippum gratus inuentus est, ut ab illo superum uoluntate hæres sit nuncupatus. Vera Gothorum soboles, ex quibus deriuatum esse regium Hispaniæ sanguinem, unde Alphonsi origo est, haud quaquã ambigunt. Illis & prælio uincere & regna sibi subijcere proprium fuit. Quorum uestigia Ferdinandus imitatus, haud dissimilem filium genuit, quando & ipse Arragoniam, Cathaloniam, Valentiam, Siciliam: Alphonsus uero eam Italiæ partem, quæ olim Magna Græcia dicta est, pugnando, instando, uincendo sibi subiecit: & magister Italiæ pacis factus, Hispanicarũ quoq; rerum moderator & arbiter esse uidetur.

FINIS.

AENEAE SYLVII EPIscopi Senensis in libros Antonij Panormitæ Poetæ, de dictis & factis Alphonsi regis memorabilibus, Commentarius.

Eneas Episcopus Senensis Antonio Panormitæ Poetæ clarissimo. S.P.D. Syluester Chimensis antistes, cuius consilio in suam me curiam Fredericus imperator accersiuit, dictatas à me literas cum aliquando examinandas accepisset, remitteretq; plerūq; maculatas magis quàm emendatas, interrogatus cur aptissimo uerbo remoto reddidisset ineptum. Atqui non uidisse me, inquit, scripta tua suspectare poteras, si nihil immutatum repperisses. Idem mihi ni Alphōso tuo faciundū fuit, Antoni Oratorum & Poëtarū limatissime. Nam quæ de rege maximo & optimo olim scripseras, ut legerem corrigeremq; iussisti. Legere potui, quod feci, corrigere uero non potui. Nam quid est quod manu tua emissum correctione indigeat? Vulgò dicitur, nihil dictum esse quod nequeat dici melius. At hoc in rebus tuis falsum Virgilianum carmē, quàm dicteria tua corrigi promptius fuerit. Legimus aliquando Socraticum Xenophontē, nescimus qua eloquentia homo Græcus eluceat. Ignoramus enim damno nostro Græcas literas. De Latinis si quod est iudicium nostrum, neq; ille translatus se Antonio, neq; Socratem Alphonso parē facit. Nam & tu Xenophontem hūc eloquentia superas & Alphonsus sapientia Socratem antecedit. Quid plura? Apophthegmata Plutarchi Philelphus in Latinū uertit. Dicta illic factaq; memoratu digna breuiter comprehensa sunt illustrium uirorū, quos non oriens modo, sed Græcia simul & Roma protulit. Maiora tamen & illustriora de uno Alphonso tuus liber explicat. Felix tu igitur cui tantus princeps scribēdus occurrit, felix Alphōsus qui te ad cōsecrāda eius gesta idoneū offendit. Nam neq; tibi materiā uberiorē inuenire, neq; illi scriptorem elegantiorem obtingere facile fuerat. Verum ego ut eò redeam, unde digressus sum, Syluestri tenebo morem, annotabo pleraq;, non tanquam mutanda sint, uel quòd meum iudicium anteponam tuo, sed ut me librum uidisse ac legisse intelligas, quod tunc uerum maxime iudicabis, cum per singula capita tui operis, aliquid me uideris esse commentum.

In prooemium primi libri.

Lphonsus tanto est Socrate maior, quanto grauior Romanus homo quàm Græcus putatur. Et quāto difficilius est reges, quàm priuatos homines philosophari.

Caput 1. Hunc nouum Herculem sibi auxilio esse & Senenses orant, quib. tanto iustius fuerit opē ferre, quanto indignius opprimuntur. Quòd si rex solitus est laborantibus etiā cum periculo subuenire, Senenses certe non deseret, quos uel solo uerbo reddere tutos & quietos potest.

2 In Anglia quæ quondam Britannia dicta est, qui extra matrimonium mulieribus cōmiscentur deprehensi, sacerdotis imperio die festo in processu cleri ac populi adesse iubentur, & retentis fœmoralibus, nudi ecclesiam circuire ardentē cæreum manu gestantes. Si quem pœnæ pudet, is auro noxam redimit. Mannus quidam Florētinus qui sæpe data pecunia effugisset pœnam, rursus deprehensus subire quàm dare argentum statuit. Die dicta, ad ecclesiam longo pallio cōtectus uenit, quo in media turba uirorum fœminarumq; deposito, omni ex parte nudus remansit. Ac indignante sacerdote, & fœmoralia ut resumeret iubente. Minimè, inquit, gentium. Nam pudenda hæc, quæ peccaue-

A peccauerunt, ea potissimum dare pœnas decet.

Balthasar Cossa, qui Pontificatum adeptus maximum, Ioannes tertius & uicesimus 3
dictus est, sæpenumero supra modum laudatus inquit, quamuis eminẽtia esse scio, quæ
de me præclare dicuntur, ijs tamen uocibus me oblecto.

Sapiunt mea quidem sententia, qui accepto aliquo beneficio uel mediocri, curiæ uale 4
dicunt. Ostendũt enim animũ suum expletum esse, & periculose se subtrahunt, quod in
curiales frequenter accidit, qui ueluti sues ubi saginati sunt, in cœnã domini mactantur.
Cæterum qui opes adepti magnas, apud reges perseuerant, non quidem id agũt ut gra
tias referant, sed uel tutò abire nequeunt, uel eis nihil satis esse præ se ferunt.

Si Gothis ac Longobardis tales reges fuissent, neq; mutilatum Liuium, neq; alio 5
rum detrimenta autorum deploraremus.

Cũ Alphõsum ego ex Baijs Puteolos usq; sequerer, essetq; illi ad me sermo de literis, 6
Ait se legisse librum Augustini de ciuitate Dei, ex Latino sermone in Galliam linguam
translatum, in cuius proœmio scriptum esset, Regem illiteratum nihil aliud nisi asinũ
coronatum esse. Atq; ita sibi uideri affirmauit.

Pari, ut mihi uidetur, prudentia erga Iacobum Picinini filium Alphonsus utitur. Cui 7
ut amico subuenit, ab eo tamen, ut hoste, cauet.

B Harpyias arbitror fuisse q̃ plurimas. Nã curiã ego adhuc nullã hisce auibus uacuã uidi. 8

Cœptis quæ quidem iusta sunt, decet regem inuictum adhibere animum. Ac fortunã 9
ferendo uincere. At ubi conatus iniquus est, præstat uinci quã uincere.

Hieronymum hæreticum, de quo senior Aurispa cum rege disputat, intelligo Bohe- 10
mum fuisse qui Constantiæ crematus est, cum impiè de religione sentiret. Adde igitur si
placet Hieronymi patriam, ut quod nos scimus, posteros haud lateat.

Venceslaus rex Bohemiæ, Sigismundi frater, Caroli quarti Romanorum imperato- 11
ris filius & hæres, ministri offensus uerbo, è mensa consurgens, arrepto pugione amicũ
interfecit. Alexander Macedo, correpto telo in Clytum per mortẽ charissimi hominis,
iræ suæ satisfecit, sibi se non satisfecisse pœnitentia facti docuit. Melior itaq; Alphõsus
utroq; qui primo iracundiæ motui, ut homo succubuit, sed in secũdum ut rationalis ho-
mo peruicit, ac paruulos suos, ut ait ille, illisit ad petram.

Sigismundus imperator cõuicianti Baiorario creditori colaphum incussit, mox pœni 12
tentia ductus, debitum omne persoluit. Modestior rex quã imperator, sed fortasse non
tam huic equiti regis modestia, quàm Baiorario Cæsaris ira salutaris fuit.

Si sine literis esset Alphonsus, liceret cœnanti sibi, ut asino coronato, quietem expe- 13
tere. At docti regis nullam uitæ partẽ quietã esse phas est, nisi quã sibi somnus uẽdicat.

Quid faciat in suos ciues Alphonsus, cum etiam in hostes pius sit. 14

C Misericordem regem unum uel hoc factum, Deo optimo & maximo proximum fa 15
cit. Verum cum uictoriam rex abhorreat, fœditate & crudelitate partam existiman-
dum est. Neq; ijs eum auxilio esse, qui bella per omne nephas gerunt.

Cum Neapolim in arce noua de pace Tusciæ, deq; mittendo in Albaniam Picinino 16
per hos dies ageremus, studiosum T. Liuij regem animaduertimus, quem sæpe testem
citauit, dum cauendum esse diceret, ne primam belli fortunam aduersam experiremur.
Nam præsagium finis ex initio concipi solitum autore Liuio attestabatur.

Sigismundi Cæsaris prouerbium fuit, Ignarũ esse regnandi, qui simulare nesciret. Ve 17
ra ratio, nec uultum nec animum mendacio obtegentem regem probat.

Simili liberalitate usum regem accepimus in pauperes presbiteros, qui diuinam rem 18
primum faciunt.

Frederico Celeiæ comiti, qui ob amorem concubinæ uxorem interfecit. Atque de 19
inde inter scorta uitam turpissimam agens, ab hinc anno proximo uita decessit, ait ex
amicissimis annũ iã supra nonagesimũ agis, nec minus uoluptati seruis, quã si sis adole
scens. Age iam demum moriturum te scito, atque de sepulchro cogita. Cui Fredericus
istuc, inquit, ago. Nam sepulchrali marmori hoc epigramma insculpendum statui. Hæc
mihi porta est ad inferos. Quid illic reperiam nescio. Scio quæ reliqui, abundaui bonis

omnibus, ex quibus nihil fero mecum, nec quod bibi atque edi, quodque inexhausta uoluptas exhausit. Tum amicus Sardanapali epitaphium, inquit, memoras, quod Aristotele teste, non hominis, sed bouis sepulchro inscribendum fuit. D

20 Ex ducibus Transalpinis unũ nouimus qui singulis diebus uenientibus facile præberent aditum, non quidem iuris dicendi, aut administrandæ iustitiæ cupiditate, sed ut munuscula ipse tolleret, quæ ad curiales ferebantur. Nec tres duos'ue nummos, quos uocat Bohemicales, è manu pauperis auferre uerebatur.

21 Hetruria nec Agrorum amœnitate nec uirtute uirorum Picentiæ agro cedit. Ea nũc uastatur, non gemitu regis egemus, sed uoluntate quam dicis eum in Surrentinos habuisse, cum pacis & belli potens sit.

22 Aut noscere per sese regem omnia optauerim, qualis Alphonsus est. Aut adeò demẽtem esse, ut catena constrictus consiliariorum arbitrio regatur.

23 Fredericus imperator Viennæ & in Noua ciuitate Austriæ arces magnificà instaurauit. At Sigismundus olim Budæ. Cæterũ Alphonsus & noua quæcunque uiderim opera et uetusta supergressus est, neque Darij regiã Neapolitanæ arci cõparandã fuisse putarim.

24 Franci quibus rex esset sola purpura & diademate conspicuus, illi crines totonderũt, & retruso in monasterium nebulone, autoritate Zachariæ Romani Pontificis Pipinũ substituerunt, quem non uestis aurea, sed spectata inter bonos moderatio, & autoritas regio culmine dignum fecerat. E

25 Adiutor asinario rex factus, nonnullos Campaniæ populos sibi conciliauit. At si Senensibus opem tulerit pacemque laboranti Tusciæ dederit, & illius prouinciæ & uniuersarum Italiæ ciuitatum tutor & pater appellabitur.

26 Quos sæuitia & crudelitate territos subegeris, ut metuas semp necesse est, quos tua tibi pietas misericordiaque conciliauerit, perpetuo fidos inuenias.

27 Hugoni Senensi, quem nostra ætas medicorum principem appellauit, uxor fuit nomine Ladia ex familia Sozinorũ. In qua frequens uirtus, forma rara. Hanc Hugo quòd deformis esset Ladiam bonam uocitare solebat, atque omni patrimonio priuari quã coniuge maluisset. Itaque potest amari deformis, mala non potest. Crispini fortasse nec morum suauitas, neque forma fuit.

28 Armatus rex iusti belli causa dum contra Florentinos Venetosque exercitum ducit, occurrentibus in agro Pelignensi hostium legatis, & se uictos profitentibus pacem dedit. At Senenses antè se superatos fatentur quàm rex armetur, & obuoluti pedibus eius ueniam petunt. Quippe tanto gloriosius his, quàm illis rex ignouerit, quanto potentiores sunt Veneti & Florentini quàm Senenses. Nam illis uideri potest idcirco pax reddita, quòd cœpti regem pœniteret, tanquam magnas & opulentas ciuitates uincere desperaret. Concessam Senensi populo, nemo ex clemẽtia regia nõ profectã addubitabit. F

29 Picinino quoque permolestum fortasse fuerit, Senensibus pacem reddi, qui mitissimi populi damno, sibi & opes & gloriam quærit. Sed nec uirtuti eius si modestior fuerit, & regis imperio sese commiserit, aut locus aut honor deerit.

30 Regum primogenitis, qui reges futuri sunt, non ab re huius regimen ducatus committitur. Nam cum Calabrorum ineptias experti fuerint, easque tolerare didicerint, aliorum populorum facile mores ferent.

31 Alphonsi quæstio recte soluta est. At poterit ne ille amplius quærere, si Deum ipsum uelut naturalem sedem appetit animus. Cur tam inuitus eò tendit, quò ire appetit, præsertim cum hoc bono in terris frui nequeamus.

32 Apud Iulianum sancti Angeli Cardinalem doctissimum atque integerrimum patrem, Flauianis supra Danubiũ, cui ciuitati nunc Vienna est nomen, cum cœnarem, fuissetque de Basiliensi concilio multus sermo, & inter cœnandum terram moueri intueremur, discumberetque simul Ioannes cognomẽto amicus Agrippinẽsium legatus, qui diceret surgendum è mensa, & in patentes campos abeundum. Bono animo, inquit, Iulianus ò amici estote, de synodo Basiliensi locuti sumus, quæ omnem ecclesiam tremefecit, non tamen illisit. Ita nec nos terræ motus iste consternauerit.

Caspar

A Caspar Schlick, qui trium Cæsarũ Cancellarius fuit, optare se dicebat, omnesq; reges aliquando priuatos pauperesq; fuisse: neq; enim satis miseretur, qui nunquam fuit miser. 33

Gloria certe longe maior est seruati quàm cæsi hostis, tantoq; triumphus illustrior, quanto plures relicti sunt, de quibus triumphetur. 34

Magnificentissimos eos fuisse ludos ex Friderico imperatore accepimus, qui eo præsente per sacram hebdomadam editi sunt, annum post iubileum altero. Nos autem ludos, quos Gallici personagia uocant, mirificos & nusquam similes Lausannæ uidimus, quæ ciuitas Lemano adiacet lacui. 35

Pharmacum securus Alexander accepit, paratum à Philippo medico, quem corruptum auro Persico scripserat Antipater, uterque medicus, ille arte, hic familia, suspitionis periculum incidit. 36

In Fridericum Cæsarem tertium cum nonnulli dicta probrosa iactassent, referentibus aulicis. An nescitis, inquit Fridericus, principes quasi signum ad sagittam expositos esse. Turres quidem fulgura præaltas feriunt, humilia tecta prætereunt. At nobiscũ bene agitur, si uerbis tantum impetimur. 37

Hypocritarum uitã Friderico Cæsari coràm accusabat Caspar Schlickius, abiturũq; sese aliquando in loca dicebat, quæ hisce hominum monstris uacua essent. Cui Fridericus, ultra Sauromatas ergo, inquit, & glacialem oceanum tibi eundum est. Sed cum eò B ueneris non omnino carebit hypocrisi locus, si modo & tu homo, non Deus es. Inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus fucatusq; sit. 38

Sermonem habuit coram Alphonso in cœna Domini Antonius quidam Siculus, ordinem diui Dominici professus, siue facto gloriabundus sese regi obtulit, & quasi parũ ex pulpito ganniuisset, nouas de sacramento altaris quæstiunculas introduxit. Cui rex obsecro, inquit, Rabbi, uas aureum aperuit quispiam, in quo ante mensem eucharistiam condiderat, nihil ibi præter uermiculum reperit. Ex auro quod mundissimum purissimumq; fuit, & undiq; clausum, non potuit uermis nasci, neq; ex accidentibus, quæ illic absq; subiecto aderant: Ergo ex Christi corpore productus uermis, at ex substantia Dei quid aliud quàm Deus prodeat. Vermis igitur Deus, quid tu ad hæc? Obticuit monachus. Nos qui eramus in corona, Theologicas ab rege scholas haud frustra uisitatas fuisse cognouimus. 39

Nouitate gaudens Italia nihil habet stabile, nullum in ea uetus regnum, facile hic ex seruis reges uideas. Picininũ lanionis, filium, quasi regem nostra ætas uenerata est. Des illi rei militaris peritiam. At inter homines, qui uel fugere uel capi, quàm mori malunt, Ioannem de Hunniad apud Hungaros, apud Albanos Scanderbechium, apud Bohemos Pogebratium, apud Theutones Albertum Marchionẽ Brandenburgensem, meo C iudicio belli duces egregios existimes, qui cum sæpe hostes uicerint, nunquam tamen incruentam uictoriam reportarunt. 40

At milites Italici mercatores uidentur, ut equos & arma dederint ut liberi euadant, nimirum mercatorum stipendia merentur. Regis tamen uera sententia est:

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidæ similis Vulcanaq; arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

At sæpius Herculem ex macellario, quàm ex Hercule prognatũ Picininum reperies.

Henricus Goriciæ comes militibus & optimatibus fuit. Is duos ex uxore Hungaria nobili & prudenti fœmina filios, quos antequàm pueritiam exuerent in thalamo suo apud se habuit, eosq; inter dormiendum media nocte sæpius uocitare, et an sitirent interrogare solitus erat, quibus tacentibus (nam altus somnus eos oppresserat) surgens ipse uinum ingerebat, illisq; recusantibus ac euomentibus uinum, conuersus ad uxorem. Ex alio concepisti meretrix, neque enim filij mei sunt, qui noctem integram nil sitientes, dormiunt. Leonardus Felsechius nobilis eques, cum in Lipsensem ciuitatem peruenisset, in qua Saxones liberales artes ediscunt, percunctareturq; Sobrinus suus, qui tum forte illic studij causa degebat, quidnã et quantum profecisset. Homo qui nosset eũ 41

& coauditor eius esset, optime, inquit, se habet amicus tuus. Nam inter mille & quingẽtos qui adsumus scolares, hic unus bibendi palmam obtinet. Neque ingrata sese homo nunciasse putauit. Est enim mos apud Saxones dum conueniunt, hos primo loco ponere qui plus adbiberint, eumq; ludum ad æquales haustus compotationem uocãt. Huldricus de Noua domo inter Bohemos proceres, operibus & autoritate facile princeps liberos suos, quam primum ablactatos nouit, ad usum uini exercuit. Neq; Australia, neque Bauarica quæ leuiora sunt, sed Cretensia, Tergestinaq; & quæ uocant Traminica his ministrari iussit. Interrogatus à Friderico Cæsare qua ratione id ageret, assuefacti respondit illi, liberi mei cum adoleuerint, amareq; uina cœperint, securi adbiberint, quantum uoluerint neq; uino capientur. Sapis, inquit Fridericus, hoc ipsum Mitridates factitauit. At mihi si filius aliquãdo fuerit, nisi uinum oderit, eum ipsum oderim. Cæterum si regum cibus gloria est, ut Alphonsus ait. Ea se gloria priuari non sinet, quam consecutus est Italia pacata, bellumq;, si quod exoriri timor est, in Turcas uertet, illisq; formidabilem sese ostenderit. D

42 Viriatus non male Hispanorum Romulus appellatus est. Alphonsum uero eiusdem gentis Iuliũ, etsi pacem Tusciæ redderet, Italorum Augustum non ab re uocauerimus.

43 Haud mirum si lecto Curtio rex ægra ualetudine leuatus est. Nam dum legit apud illum Alexandri facinora, maiorem sese orbis domitorem cognoscit, qui neq; iracundia, neq; uino uincitur, quibus Alexander ipse succubuit. E

44 Detectum esse Vitruuium, qui quo pacto contegamur edocet, indignum regi uisum est. At nec Senenses intectos à rege relinqui decet, qui detectos sibi hostes ostendere.

45 Dicentem sæpenumero Fridericum audiuimus, malle se febri teneri, quàm saltationi operam dare. At Galli ut quàm leuissimè saltent, uestium, quibus nec nates, turpe dictu uisuq;, obtegunt, usum inuenere. Sequitur Hispania Gallicas ineptias. Italia uero dãnat, detestatur, abhorret. Nam quid turpius, quàm ita uestitum esse hominem, ut quasi nudus pudenda quæq; in propatulo habeat.

46 Dantem ferunt ad spectacula ductũ, apud uenditorem librorũ, quod ex eius taberna in forũ prospectus esset, cõsedisse, librumq;, cuius fuisset cupidus inuenisse, quẽ tam auide attenteq; legerit, ut domũ rediens iuramẽto firmauerit, nihil se uidisse, aut audisse ex ijs quæ in foro dicta facta'ue essent. Verũ de musca, quoniã mentio incidit, referendum est Gallici principis exemplum. Conuiuium illi cum optimatib. suis fuit apparatũ in horto æstate media, sub opaca ulmo, circũ quam prouolitantium muscarũ agmina in dapes ac uina prouoluebantur. Cõuiuæ, quibus animantis fœditas stomachum moueret, mox ut musca in poculũ cecidit, uinũ simul atq; animal effudere. Aegrè id cernere princeps, iacturamq; uini tacitus indignari. Nam queri palàm inter magnos, qui aderãt proceres, nõ est ausus. Sed quos arguere uerbo ueritus est, exemplo admonuit. Puerum qui se coram flabello muscas abigebat, uentulumq; faciebat cessare, paululum iubet. Interea et in craterem suum musca incidit, tum lætus princeps duobus digitis dextram alitis alam apprehendit, & aliquandiu craterem suprà excutiens, ne quid uini secum deferret, in terram proiecit, exemplum conuiuæ omnes secuti, noxium & importunum animal dijs atque hominibus infestum, non mirum si Domitianus ille Cæsar tantopere insecutus est. F

47 Neq; M. Tullij, neq; Vitruuij inhonoratum esse tumulum decuit, cum alter à morte homines tuendo, alter à pluuia scribendo protexit. Si modo is Vitruuius apud Formias sepultus est, qui de Architectura librum reliquit.

48 Pium regem memoras, qui uel saxis Ciceronis pepercerit, qua ille reuerentia tanti uiri ossa cõsectatus esset, utinam eius marmora quæ triumphalis arcus habet, parem apud posteros pietatem inueniant. At ego illis timeo in arcis aditu collocatis, oppugnabitur aliquando locus, neq; memoriæ magni regis, neq; artificio nobili uenia dabitur, quando affectum quemuis excludit dominandi cupido, mallem sapientia regis illic suam memoriam consecrasset, ubi solius uetustatis, aut inuidiæ metum subijsset.

49 Hecatonis præceptum, quod Seneca magnopere laudat: Si uis amari ama, recte rex attestatus erga Deũ nõ procedere, quẽ non omnes amãt, qui amantur ab eo, Vtinã nec

Senenses

A Senẽſes hoc dicto decipiantur, qui regẽ Alphõſum uehementer amant, atq; obſeruant.

Amici regi non minus Senenſes ſunt, quàm Buxutus eques fuerit, ſaluam ipſius do- 50
mum Alphonſus uoluit, potius quàm triumphalem ſibi arcum apparari. Salutem igitur
Senenſium anteponat Picinini triumpho.

Agere quàm fari ſapientis eſt. Nunquam niſi cum neceſſe eſt ſapiens loquitur, neque 51
uana niſi ponderata menſurataue profert. Stulto nullum eſt tempus ſermoni clauſum,
facileq; uerba iactitat, qui ſine conſideratione profatur.

Sena uetus erit ea uetula confido quàm regis gemma curabit, ſed non amittet gem- 52
mam, id eſt, benefacti gratiam. Nam regi & filio, & natis natorum & qui naſcetur ab il-
lis, dum ſtabunt mœnia, fidelis & obſequens erit.

Et in Græcia & in Italia nati educatiq; barbarizãt. Nã quid magis barbarũ q̃ rapto ui 53
uere, & omnẽ æquitatẽ omnemq; religionẽ proculcare, quẽ Italicũ morẽ eſſe uidemus.

Ennius, ſi pleroſq; noſtri ſeculi regis contemplatus eſſet, credo non reges ſed regones 54
appellaſſet: Eccleſiæ quoq; prælatos, prælatones uocitaſſet, qui præter coronas et inſulas
dignitati quod reſpondeat, nihil oſtendunt.

Iuſti eſt principis nõ ſolũ afficere neminẽ iniuria, ſed eos, qui dãna quibuſuis hominib. 55
ſine iuſta cauſa inferunt, ſi poſsint prohibere. Nã teſte Tullio, q aut nõ obſiſtit, ſi poteſt,
B iniuriæ, tam eſt in uitio, quã ſi patriam aut parentes deſerat. Eam ob cauſam cum poſsit
Alphonſus prohibere Picininum ne Senenſibus oneri ſit, ne bello impio pium popu-
lum afficiat, niſi id agat iuſticiam neglexiſſe caducariuſq; non immerito uideatur.

Coloniæ Agrippinæ pictor quidam inſignis, ſed prodigus & piger & amator uini, 56
quàmplures Chriſti imagines cauponibus pignori dedit, eaſq; hoc pacto perdere quã
uendere maluit. Interrogatus cur non potius uenderet. Ergo, inquit, me Iudæum eſſe
quàm Chriſtianum uultis.

Ioãnes Gerſius Vueſtualus qui Sigiſmũdi Cæſaris prothonotarius fuit, Alberto Ro 57
manorum rege fatis functo, principes Electores apud Francfurdiã adijt, ac ne Fridericũ
eligerent ſuadere ſummopere conatus eſt, conficta in eum uitia multa diſſeminans, neq;
contentus his: cum Romam Fridericus peteret imperiales inſulas ſuſcepturus, Nicolao
quinto Pontifici Max. epiſtolas direxit, quibus ne Fridericus coronaretur annixus eſt,
nihil tamen horum imperatorem latuit, hominemq; cum poſſet corrigere atq; interime
re, paſſus eſt Viennæ uiuere patriſq; frui bonis, quæ illi non mediocria fuere.

Apud reges nihilo magis iuramentum quàm ſimplex uerbũ ualet. Animo enim prin 58
ceps obſtringi, non alia quauis arte poteſt. Sed pudet me plus hodie fidei trans montes
quàm citra reperiri. Pleroſq; ex noſtris principibus, quos Italia genuit, adeò parabola-
nos, ut ita loquar, inuenias, ut certiora ſint meretricum, quàm eorum promiſſa.

C Alexander, qui ex ducibus Maroniæ erat egregius bibulus, cũ mortem obijſſet apud 59
Viennam, diemq; illi triceſimum in templo diui Stephani, cui præfuerãt Canonici, mul-
tiq; uiri nobiles celebrarent: ſacerdos qui ſitibundus cellam uinariam præpoſitæ intraue
rat, uidiſſe ſe inter dolia deambulantem aſſeruit, & ad eccleſiam reuerſus, cùm orantes
adhuc compreſbiteros inueniſſet, Quid hic Alexandro inferias, inquit, agitis? Ille in ſuo
templo lætus agit bibitq;, uos hic ſiti areſcitis.

Pœnituiſſe quàm plures adepti regni compertum eſt. At qui literas didiciſſent, nemi 60
nem. Eſt enim doctrina ſapientiæ ſimilis, quam omnis anima concupiſcit, nulli oneroſa,
regni moleſtiæ multos oppreſſere, quamuis Bononienſium inſania cuncta regna poſt-
habens, cupiat, cum capitis periculo uel diem regnare.

Apud Bohemos hoc uectigal exigi nequit, apud quos lupanaria & quæuis pacta pu 61
blica Huſsitarum lege prohibentur. Noſtri minora mala tolerant, ut maiora quæq; deui
tent. At bene cum Neapolitanis actum eſt, quibus hunc regem diuina pietas dedit, quo
regnante, & ditantur & extolluntur. Memoriam ſi grati fuerint Alphonſo æternam re-
tribuent, qui regnorum omnium ſuorum huc opes contulit.

FINIS LIBRI PRIMI.

Liber Commentariorum

Aeneæ Syluij Secundus.

In Prooemium.

QVi norit Alphonſum nemo te Antoni dixerit adulatũ. Si adulari eos tantummodo dicis, qui mortalium facta, dictaq; ſupra uerum extollunt. Libellus tuus quãuis elegantiſsime ſcriptus eſt, diminute tamen magis quàm ampliter regis laudes attingit. Nec miror, quis enim eius regis egregia facinora abunde retulerit, qui annos quadraginta omnium iudicio ſapientiſsimè regnauerit. Ego quidem ut de tuo rege iudicium meum prodeam, omnes qui modo regnant, quiq; regnaturi poſthac fuerint, Alphonſum tanquam ſpeculum quoddam uirtutum cõtueri oportere arbitror. Si ſibi gloriam, prouincialibus ſuis quietem parare uoluerint.

Caput 1 Inter fratres qui beatæ Mariæ Teutonicorum appellantur, ac Poloniæ reges de regni finibus magna ſæpe contentione certatum eſt. Cæterum arbitror Sigiſmundo Cæſare litem extinctam, pacem factam, iuratum ſignatumq; foedus. Anno abhinc tertio conſpirant inter ſe quinque & quinquaginta Prutenorum ciuitates, impiaq; contra dominos arma ſuſcipiunt, & contra fratres uniuerſæ rebellant. Tũ Caſimirus Poloniæ rex portionem ſui regni Pruſsiam eſſe aſſerens, occaſione oblata bene gerendæ rei bellum fratribus indicit. Tanto diui Alphonſi, quàm Barbari regis modeſtia maior. Sed non minori perfidia Picininus cõtra Senenſes uſus, quos bello quandoq; male afflictos, quamuis ſibi patriq; ſuo fuiſſent amiciſsimi, non eſt ueritus armis laceſſere. B

2 Ad hæc ſponſalia contrahenda nos huc ex Auſtria legati Cæſaris uenimus, remq; abſoluimus, quamuis collegæ noſtri Georgius de Populoſa, & Michaël de Plena uilla ad uerſi eſſent, qui dotis nomine minus promitti, quàm par eſſet arbitrabantur. At Leonora Auguſta, ſic enim eam uocitamus, regia neptis hoc anno filium peperit, Chriſtophorum nomine, ſcitum puellum & oris lineamentis Alphonſo perſimilem, utinã moribus.

3 Aphricanum ſuperiorem, qui unius uirginis pudicitiæ conſuluiſſet, non ſatis à Liuio laudatum arbitramur, quamuis in eo facto extollendo nihil obmiſiſſe uideatur. Alphonſus Marſilienſes omnes uirgines ac matronas conſeruauit intactas. In agro quoq; Vulturnano cum oppidũ ui expugnaſſet, cui Ripa Malerantiæ nomen eſt, pari moderatione in foeminas uſus eſt. Quas igitur huic regi laudes attribuemus? immortales certe. Si Picininum reliquerit, apud quem uirgines ac nuptæ bello captæ contumelia afficiũtur.

4 Ratiſpona ſuper Danubij ripa apud Baioarios magna & inſignis urbs eſt, hic ſancti Emmerani foe[illegible]us monaſterium cum uiſeremus, Abbas qui loco præerat, recõditum nobis oſtendit corpus, quod diui Dionyſij Ariopagitæ eſſe aſſeuerauit. Cum nos Dionyſium apud Pariſios obſeruari diceremus, Leonis Papæ literas in medium attulit, quæ teſtarentur imperatorem, ſi recte meminimus, ex Henricis unum, cum regem Franciæ inuiſiſſet ac Pariſijs ageret, hæc oſſa furatum huc detuliſſe, appellatq; ſanctus pontifex pium Imperatoris furtum, nos regis pium ſpolium dicere poſſumus, quo ſanctiſsimus Aloiſius ex Maſsilia in Valentiam translatus eſt. F

5 Heri aliquot legati regem conuenimus, incidit ſermo de Philippo duce Burgundiæ quòd uotum uouiſſet contra Turcas arma ſumere, laudauimus nobiliſsimi principis animum. Quid nam ipſe rex facturus eſſet ad religionem tuendam percunctati ſumus. Tum ille, ſi uixero, inquit, in annum proximum, claſſe Turcas in Græcia atq; Aſia laceſſam. Alphonſus ex ſorore nepos rex Portugalliæ in comitatu meo erit, quadringentis & eo amplius uelis mare ſulcabimus, in hoſtium terram quinquaginta millia pugnatorum exponemus. Iam tela iam arma in promptu ſunt. Tritici modios quinq; et ſeptuaginta milia conſcripſimus. Naues onerarias triginta expediuimus, quarum unam in portu uidiſtis, qua maiorem æuo noſtro non tulit pelagus, animus bonus eſt, ad ſit modo cũ uita bona ualetudo. Si propoſitum rex tenuerit, treis orbis partes armatus inuiſerit, ac trium-

A triumphando percurrerit, Europam, Africam, & Asiam. Idem Cæsar factitauit. At ille contra patriam, hic pro patria pugnaturus est, & pro catholica ecclesia in qua regenerati omnes sumus.

Nougardia ciuitas est inter Rutenos amplissima, & auro atq; argento abundans. Rutenos non illos dico dequib. Lucan. ait. Soluũtur flaui lõga statione Ruteni. Nã eos inter Galliam habitasse constat. Hi Germanos ultra & Sarmatas & Lituanos non longe ab ortu Tanais sedes habẽt, ad quos Romanorũ ducum nemo unquã penetrauit. In medio urbis foro lapis quadratus est, in quo rex & quidẽ stans, ius populo dicit: sed raro regia potestas in annũ apud unũ mansit, sæpe in unam diem duo tres'ue regnauere. Surgit enim ex populo, qui cliẽtelis se satis armatum existimat, Regemq; deturbans lapide, locum eius inuadit, atq; e uestigio rex salutatur, haud absimilẽ & ipse casum subijt, si quis se fortior aduentarit regni cupidus. Mira diuersitas regionum, Septentrio suos inhonestat reges, Meridies non alienos tantum, sed etiam hostes honorat. 6

Fridericus imperator extra cœnam nunquam utitur uino. In cœna lectissimum bibit, & id aqua perdomitum. Leonoræ Augustæ quæ paterna in domo nũquam uinum gustasset, suadebant medici in Germania regione frigida, si mater fieri uellet, uinum biberet. Quod cũ accepisset Fridericus, me uocato, abi, inquit, atq; Imperatrici dicito sterilem me coniugem quàm uinosam malle. Proinde me si amat, uinum oderit, ad id nuntium Leonora, & si uiri iussioni tam libenter parco quàm uiuo, si tamen uini usum mandauerit Imperator, mori optauerim, quàm parere. 7

B

Teutoniæ regibus, qui ad imperiũ eliguntur apud Belgas in Aquẽsi ciuitate mos est coronari atq; inũgi. Huc dum Fridericus iam electus properat, Albertus frater eius iunctis cũ Comitibus Celiæ uiribus Carnos inuadit. Labacum insigne ac munitissimũ oppidum obsidione cingit, Cramburgenses infestat, Tergestinis, se nisi dedant exitium minatur, apud Carenthanos, apud Stirienses nouas turbas excitat. Seniores qui apud Ernestum patrem in primis accepti, ac fideles fuerãt, Friderico suadent patrimonij quàm imperij curã maiorẽ gerat. Imperiũ rem cõmunem, alio tempore curari posse, patrimonium rem propriam, & ad hæredes transituram, nisi nunc tueatur, frustra in posterũ optari quæriq;. Contrà Fridericus imperij communia negocia per sese hæreditaria & priuata, per procuratores curãda statuit. Cœptumq; iter prosequens belli duces elegit, qui se absente patriæ consulant: coronatus dum reuertitur, fratrẽ cum comitib. profligatũ repperit ad se uocatum, temerati fraterni hospicij & amoris arguens, rursus in gratiam recipit, & quasi nihil peccasset, in partem regni restituit. 8

Mulierem, quæ in dies quadraginta totidẽq; noctes nihil omnino ederet se uidisse Pa- 9
tauij Magnus Albert. scriptũ reliqt. Neq; id cõtra naturã esse in fœmina ægrotãte et fri-
C gida. Verũ sub Nicolao quinto pontifice maximo ex ultimis Galliarũ finibus presbiter Romã uenit, qui se in quadriennio nullo usum cibo assereret, nisi cum aliquãdo ab episcopis inuitatus paululũ quid degustasset, inediæq; suæ in multos dies, si quis optasset periculum faciebat. Hic dum Senis esset Leonardo nostro Imolensi Romanam se curiam petiturũ ait, scandalumq; ibi passurum nõ periturum: Cum uenit Romam dies illic multos fuit, admirationẽ sui turbis fecit, quasi sanctus & Deo charus. Postremò captus uirgisq; cæsus, in exilium est actus. Suspectum est enim quicquid prodigiosum.

Comites de Vuirtenbergo apud Germanos in Sueuia late dominãtur, quãuis principatus honore & appellatione careãt, potẽtia tamẽ multos principes antecedũt. Ac insolentes & improbi habentur, qui neq; Romanam sedem uerentur, neq; obsequuntur imperio. Nobilis quispiam qui hos diu sectatus fuisset, ab eis tandem recedens ad curiam Cæsaris profugit. Henricus tum septimus imperabat, auus Caroli quarti, qui Sigismundi pater fuit, nobilis conspectu Cæsaris quotidie accusare comites, nũc rebelles, nũc raptores appellare, hostes imperij, contẽptores ecclesiæ. Cui Hẽricus, tace, inquit, ueterator neq; laudãti tibi, q̃s scimus pessimos, neq; uituperãti, q̃s tu olim seq̃baris, fidẽ habemus. 10

Ludouici Pontani & Nicolai Siculi bella legatio & digna tanto principe, nisi discordes animæ & inuidia laborãtes, neq; Regi neq; Cõcilio utiles extitissent: fuimus et nos 11

Basileæ notumq́; nobis est, non minus occupatam fuisse Synodum ad reconciliandos inter sese regis legatos, quàm ut Bohemos ad ecclesiæ catholicæ consensum reduceret. D

12 Antonius S. Marci Cardinalis Eugenij quarti summi præsulis nepos, incredibile est quàm multa numismata ueterum conquisierit imperatorum ac principum, amator & hic uetustatis est. Nobis Alphonsus cum essemus apud se Puteolis, ait inuentum à se Neronis aureum nummum, quo pessimus imperator eam sibi laudẽ usurpauit, qua diuus Augustus in cœlũ tollitur. Clausi templum quod ueteres Iano dicauerunt, damnabatq́; sapientissimus rex stultum principem, qui sibi falsam gloriam uendicaret. Non est igitur Antoni cur uel tu, uel ego, tanti regis gratiam consequi mentientes speremus.

13 Bartholomæum Facium, qui gesta regis scribit, non miror imitatum esse in genere dicendi C. Cæsarem, quando eius commentaria regi tantopere placent. Verum Lituaniæ ducem Suitrigalum nunquam à domo pedem mouisse aiunt, quin dispensatorem percontaretur, an librum quem sibi de arte Popinaria accuratissimè componi curauerat, secum afferret, quasi Apitius exquisitarum cultor epularum. Cœna apud eum nõ minus sex horarum fuit, nec fercula minus quàm triginta & centum allata sunt dum ligurit. Itaque occidentales reges Septentrionales edunt.

14 Quod iubet alternatim Plato, Alphonsus copulatim implet, qui & literatus est & homines amat literatos. At rara in terris auis. Nam seculo nostro omnes fermè reges Nursini uidentur, qui lectorutos (sic enim literatos uocant) è consilio procul arcent. E

15 Vuenceslaum Bohemiæ regem inter purpuratos suos crebro sermone usurpare solitum ferunt, Ego si me diripiendis urbibus Italiæ fors præsentem dederit, cæterarum rerũ prædam militibus impartiar, uini tantum apud me spolia reseruabo. Si quis autem in cellam uinariam iniussu meo fuerit ingressus, gladio ferietur. Hunc principes Electores uelut inertem atq́; secordem imperio deiecerũt, Ruperto Baioario in locum eius suffecto, ad quem Ciuitates Teutoniæ omnes defecere demptis Norinbergensibus, qui Vuenceslao iurassent. Hi cum hinc iurisiurandi religionem uererentur, inde uim Baioarij timerent, legatos ad Vuenceslaum mittunt, qui se iuramento solui petunt, ac si necesse sit auri uiginti milia nummum in eam rem offerunt. Rex auditis legatis liberos Norinbergenses dicit, si currus quatuor tradant onustos uino, quod Baccharacense uocant, hoc est inter Rhenensia uina, ut putant, optimum.

16 Ab eo principe, qui muscam è cratere, ut ante relatum est, proripuit, petijt quispiam filiæ quam haberet unicã, aureos uiginti quibus eam nuptui traderet. Sibi enim non esse unde corradere dotem posset. Id ubi negatum est, ad uicinum regem commendatitias literas impetrauit, quas uir bonus & nobis amicus dictauit, signandasq́; principi tradidit. Cui princeps, unde papyrum sumpsisti? Ex tuo inquit armario. Tũ princeps, siccine me, ait, expilatis omnibus. Si sic bona nostra prodigemus, ad mendicitatem breui redigemur. Male hanc diem expendimus. F

17 Pudeat Italiæ sacerdotes, quos ne semel quidem nouam legem constat legisse, apud Thaboritas uix mulierculã inuenias, quæ de nouo testamẽto et ueteri respõdere nesciat.

18 Si unius triremis liberandæ causa in qua ducenti, uel paulo plures perire homines poterant, ingenti periculo sese rex subiecit, quid faciat pro beati Petri nauigio? cum quo nisi procellam Turcorum euaserit, Christianam perire societatem oportet.

19 Vitoldus dux Lithuaniæ læsæ maiestatis reos ursorũ pelle consutos, ursis quos domi nutrierat laniandos obijciebat. Cuius seueritatẽ ne dicam crudelitatẽ, adeò prouinciales extimuerunt, ut cum dixisset aliquando duobus pluribus ue, Ite otius ac laqueo uos appendite, nemo imperium recusauerit, auditusq́; nonnunquam, sit qui currens hortatus alios, eamus quàm properanter, dixerit, ne bilem domini commoueamus.

20 Fridericus Imp. *III* uictis bello & ui captis Gunziensibus *LXXX* homines qui rerũ nouarum ac rebellionis autores fuerant, in patibulum sustulit, reliquæ multitudini uitam libertatemq́; ac fortunas concessit.

21 Sequebamur Alphonsum ex hospitali beatæ Mariæ in arcem regiam, tũ forte uir grandæuus uultu habituq́; uenerabilis, regem salutat. Rex autem ad nos conuersus, Sic, inquit,

A Sic,inquit, cum obsiderem hāc urbem ad me uenit in castra,utq; bono animo essem iussit.Nam circa Calendas Iunias quæ tunc instarent, oppido potiturus essem, at non diu post futurum esse anceps prælium ait,in quo dux exercitus caperetur,meq; commouit, ne illi pugnæ interessem.Prima uaticinij sermonis pars impleta est,quarto nonas Iunias Neapolim in potestatem redegi.Copiæ nostræ atq; Antonij Caudolæ in agrum Capuanum conuenerunt,dubitatum est inter nostros,an prælium committi oporteret,quod uitæ nostræ timerent,quod cum ad me relatum est. Ergo ea res uobis timorem, inquam, incutit,quæ præstare animum atque audaciam debet.Induiq; me mox galeam,& signo pugnæ dato in hostem me conuerti,fregi acies,uici,profligaui,Antonium captiuum abduxi.Nec me uaticinium,nec trepidum consilium amicorum terruit.

Nandi solum peritia C. Cæsar Alphonso superior fuit,qui apud Alexandriam nauicula penè submersa,nando ad classem euasit.Batauos hanc artem adeò calluisse constat,ut Rhenum qui apud eos latissimus est fluuius armati tranarent,illorum hodie locum Traiectenses tenent,uiri bellaces & nandi peritiores quàm cæteri Rheni accolæ. 22

Seruatæ apud Vicarum mulieres,regis animum ab his alienū ostendunt,quæ Picinini patrauit exercitus,uiolatis apud Orbatellum nuptis ac uirginibus. 23

Prælijs,quæ inter Christianos acta sunt,corpus obijcere non negauit Alphonsus,Nō 24
B est igitur cur dubitemus contra Turcas eum arma sumpturum, & in tam gloriosam expeditionem iturum.

Albertus Marchio Brandenburgensis(quem Teutonicum Achillem non ab re uocitant)cum accepisset Nurenbergenses octingētos equites, ac sex millia peditum in agrū eius prædatum misisse,apud fluuium quem illi transmissuri erant, equitibus atq; peditibus uno duntaxat loco uadabilem sagittarios inter arbusta ducentos collocat, qui equitatu prætermisso pedites uado arceant.Ipse cū sexcentis equitib.mox proximo in nemore latitat, missisq; hostium equitibus, mox sese ostendit.Steterunt utrinq; acies medio trecentorum fermè passuum interuallo non sine trepidatione. Tum Marchio cum duobus comitibus apprehensa lancea in hostem aduolat. Occurrunt totidem sibi ex hostibus uiri fortes.Marchio equitem eum, qui sibi obuius fit medium transfodit, sternitq;, at comitibus suis, ab ijs, cum quibus congressi fuerant prostratis,ipse in hostium turmā solus erumpit,modo illum conficit, stragemq; non paruā efficit, donec ad signa peruadat.Illic centum in eum gladij nudantur,& cum punctim eum ferire circumuentum nequeant,ignari quis nam tanta auderet,cæsim rem agunt.Ille amplexatus utroq; brachio uexillum,nusquam honestius quàm hic moriar,inquit. Dum solus hæc agitat,reliquus exercitus suppetias occurrit,et uersis in fugam hostib.semianimē ducem apud uexillum comperit confractum quassatumq;,hostes aut cæsi aut capti fuga admodum paucos eripuit.Pedites apud fluuium impediti, nulli interim usui fuerunt. Hæc nobis & Albertus ipse cū simul è Noua ciuitate Austriæ Viennā pergeremus, & alij quamplures uiri graues retulerunt,dignus Albertus,qui prope Alphonsum nomen habeat. 25
C

Presbyterum aiunt,montis Calui,qui Viennæ imminet cū ad meridiem usq; bibisset, dormire usq; ad occasum solis consuesse,experrectum uero ad ecclesiam ire,ornare altaria,sacerdotalia uestimenta sumere, campanaq; plebem citare, ut qui Missam celebrare instituisset.Interrogatus cur tam sero rem diuinam ageret,uersum ad occidentem, quē putabat orientem esse, percontantibus respondisse fertur, Imò uero subdubito,an tam mane celebrare liceat ante exortum solem.Nam quamuis aurora rutilat, non tamen diem dicere possumus,nisi solis orbis super nostrum horizontem eluceat. 26

Ludouicus Baioariæ dux,quem Basileæ Nurenbergæq; uidimus,struma ingenti gibboq; deformem, ac facundum & audacem, aduersus Ludouicum patrem impia arma mouit.Nec ueritus est uenerandum & grandæuum senem dura & miserabili obsidione uexare. Sed correptus uehementissima febre,ante diem suum obijt, quàm patrem possit in uincula conijcere.Neque enim aduersus paterna iura impune cædit,neque longæui sunt super terram, qui parentes inhonorant.Infamis ætas nostra,qui nō Ludouicum hunc tantum, sed alterum Ludouicum Franciæ Delphinum & Alphonsum Castellæ 27

primogenitum in patres armatos uidit. D

28 Vdalricus Ciliæ comes hoc anno cum Ioannem Huniadem regni Hungariæ Gubernatorem alloqui cuperet, neq; ille recusaret, si apud se in castra conuenirent. Non ego, inquit, princeps ex principe, altaq; familia natus ad te ueniam nouum hominem, & nostra demum ætate nobilitatum. Cui Ioannes: Non, inquit, tuis maioribus, sed tibi me cõparo, quanquam neq; illis cedam, qui pugnando pro Christiana religione nobilitatus, maius lumen posteritati meæ comparaui, quàm illi, qui ad te detulerunt. Atq; ut in te Ciliensis comitatus turpiter extinguitur, ita in me gloriose Bistricensis exoriuntur.

29 Fridericus Marchio Brandenburgensis, qui contra Bohemos sub Iuliano Legato apostolico fortem & numerosum duxit exercitum, condicturus testamentum quatuor ad se filios euocauit, Ioannem, Fridericum, Albertum & alterum Fridericum, Ioannemq; quod is natu maior esset, in hunc fermè modum allocutum fertur. Primus ego, ut nosti, dignitatem Electoratus imperij in nostram familiã adduxi, cum essem Sigismundo Cæsari admodum familiaris. Nunc uocat me suprema necessitas, curæ mihi est, ne tãtum decus in domo nostra uilescat, tibi, ut uideo, quietis & tranquillitatis est unicum studium. In Electoratu præter curam & assiduum laborem nihil inuenias, eam ob causam, si tua uoluntate id possum, Marchionatum Brandenburgensem cui ius eligendi Cæsarem est, concessum Friderico, qui tibi ætate succedit, quiq; & uigilantior, & ad labores durior, quàm tu uidetur, testamento relinquam. Tibi Voitlandiam, Alberto quicquid Franconici iuris possideo, & alteri Friderico partẽ Misniæ. Cui Ioannes, existimaui pater ante hunc diem chariorem tibi multo quàm me Fridericũ esse, cum illi sæpius blandirere, neq; id ferre non ægrè potui. Nunc sentẽtiam muto, & te pater amo coloq;, qui mihi ocium, illi negotium suprema uoluntate dimittis. Ex Ioanne hoc nata est Ludouici Mantuani Marchionis uxor, inter matronas nostri seculi forma & moribus præclara. E

30 Ioãnes Rudolphi regis Bohemiæ filius, Alberto Romanorum imperatori patruo suo subiratus, qui petenti sibi partem Austriæ non statim annueret, cum non reperiret, qui prece uel pretio tantum principem occisurum se promitteret, ad patruum sese contulit, & amicitiam uultu præferens, transeuntem apud Heluetios Rhenum consecutus, ibiq; eum pugione transfodit incautum. Mox pœnitentia ductus ad Clementem *V*. Rom. Pont. qui se absolueret, Auennionem perrexit. Ille tanti sceleris autorem ad Henricum *VII*. Romanorum imperatorem remisit. Imperator reum apud Pisas in monasterio Augustinensium agere pœnitentiam iussit. Ibiq; Ioannes mortuus ac sepultus est. Nos cũ Leonoræ Augustæ à Friderico Cæsare obuiam missi essemus, tumultũ eius inspeximus.

31 Bernardinum Senensem quem Cœlicolarum numero Nicolaus quintus Pontifex Max. adscripsit, inter concionandum fabulam huiuscemodi referentem audiuimus. Accepit ex uillico matrona quædam nobili, recentia cerasa, quæ in thalamum reclusa maiori ex parte cum ossibus ore auido atq; hianti manipulatim uorauit, coram uiro deinde allatis quæ residua fuerant cerasis, prius quàm unum comederet terq; quaterq; momordit. Quærens ex uillico, quo modo cerasa ruri ederentur. Cui uillicus, qui per rimulam uorantem fœminam contemplatus esset. Quo tu, inquit, mulier paulo antea sola in thalamo. Erubuit mulier, Bernardinus eos bene uiuere aiebat, qui quæcunq; agerent aperta dijs atq; hominibus esse putarent. F

32 Puellam balnearũ custodem perdite amauit Albertus Baioariæ dux, atq; ut uoti compos fieret, matrimonium promisit. Cumq; de laudibus mulierum se coram aliquando esset sermo, illamq; nemo nominaret, aut inuidos purpuratos suos, aut formarum ignaros existimatores appellauit, qui uxorem suam præterissent. Verum illam Ernestus Alberti pater apud Strubingum in Danubium præcipitauit. Indignum profecto facinus ob noxam filij, puellam quæ nihil peccasset, neci datam. Verax igitur Strabo, qui potentiorum commoditatem, ius esse diffiniuit.

33 Cœnantib. apud Angliã prælatis ac Baronib. ministri flexis genibus officiũ suũ faciũt. Apud Germanos nec imperatori nec regi tantũ adulationis impendũt, prãdentq; prandente domino famuli, duobus tribusue, qui uel uina cibos apponant expectantibus.

Audiui

A Audiui Fridericum Imperatorem sæpenumero dicentem ex ijs quos extulisset, quàm paucissimos gratos fuisse, Idq; muneribus suis datũ esse, ut ex fidelibus infideles fierent. 34

Aduersus Albertum Marchionem Brandenburgensem, omnes superioris Germaniæ ciuitates adiuuandos Nurenburgenses statuerunt, quibus ille bellum indixerat. Cumq; numerosus exercitus instrueretur, interrogauit quispiam ut quid tantum populum aduersus unum principem, et eum quidem non ditissimum armarent. Cui unus ex primoribus ciuitatum, desipis inquit, homo. In Alberti namq; astutia & fortitudine omnium Germaniæ principum, uires opesq; continentur. Neque uana uox fuit. Septem et decem principes in partem suam traxit Albertus, ciuitatesq; multis incommodis attritas petere pacem coëgit. 35

Henricus Goriciæ comes, absente qui cellæ uinariæ claues haberet sitibundus ostium calcibus inuasit, arguenteq; eum Phœbo de Turri, qui secum nutritus erat, utq; se sineret frangere repagulum orante. Tace, inquit, me sitis, non te cruciat. 36

A Turcis modo captos redimere Christianos non liberale modo, sed pium opus sanctumq; fuerit, quod tunc futurum sperauerim, si classem ut promittit aduersus Mahumetem Alphonsus duxerit, simulq; terrestres copiæ in Turcas ierint. 37

Homini agresti, qui ad Nundinas Nouæ ciuitatis Austriæ uænale triticum aduexerat, 38
B dum parũper ad Caupones diuertisset, equorũ alter ex biga subtractus est, furti querela ad Fridericum imperatorem defertur. Iubetur actor reũ nominare. Is sibi de furto constare ait, in ciuitate regia facto, furem ignorare, hærentibus in coniectura consiliarijs, si forte in suspicionem quisquam ueniret. Mirum, inquit Fridericus, cur etiam alterum equum homo non perdidit, tot sunt hodie in hac urbe equites, qui equis indigent. Tum rusticus equa est altera O Cæsar, quæ belligerantibus nulli est usui. At qui ergo, ait Cæsar, eam insidito, atq; in omnes urbis uiculos discurrito, subtractus equus in aliquo stabulo latitat, qui cum iugalem equam senserit, mox hinnitum dabit. Paruit homo, eoq; pacto furtum compertum, agrestis, quod suum erat recuperauit, fur pœnas dedit. Omnes igitur qui iuri dicendo præsunt, non tantum iustos, sed etiam prudentes & peracutos esse. Zischa Bohemus qui cœtus Thaboritarum ductauit exercitum, uillam quandam in Austria cum diripuisset, neq; inuenisset armenta. Nam illa in insulam Danubio cinctam transuecta fuerant, conquisitis à proximis uillis duobus uitulis totidemq; suibus, eos è regione insulæ tam diu uerberari iussit, donec mugitum, grunnitum, uaccæ suesq; exaudientes ad ripam suam tranarunt, quibus interceptis prædam non modicam abduxit, atq; ita docuit ingenio non minus quàm uiribus res militares geri.

Iacobus Archiepiscopus Treuerensis princeps elector, uir industrius ac magni consi- 39
lij, sed multum cupidus, & ad extollendam ecclesiæ suæ potentiam nimis attentus, an-
C no ab hinc secundo Fridericum Cæsarem apud Nouam ciuitatem cum adijsset, & alia atque alia petens impetrasset, pluraq; petendo instaret, Si non facis, inquit imperator, petendi finem, ego negandi principium inueniam.

Theodoricus Coloniensis ecclesiæ pontifex, prudẽtia & autoritate inter electores imperij facile princeps, Quærenti Sigismundo Cæsari, quo nam pacto felicitatem consequi posset, Inter mortales ait, frustra requiris: petenti rursum ad cœlestem illam quo itinere pergeret. Rectà, inquit, instãti tertio, quid agens recta uaderet, Si uitam tuam ita institueris duxerisq; respondit, ut facturum te promisisti, dum calculus, aut podagra, siue alia ualetudo acrius te oppresit. 40

Vellem audisse quid nam dixerit Andreas, ubi Panormum redijt uiso rege. Ego cum hinc abiero, si quis me roget, quæ apud Neapolim, scilicet digna memoratu uiderim, quatuor inprimis respondebo. Neapolim, scilicet, splendidam urbem, salubritate aëris, portu, templis, ædibus, agris, equis armisq; apud Italos nulli secundam. Arcem regiam, quam Nouam uocant, amplitudine formaq; cunctas superantem, multas'q; cunctas superantem, multas'q; raræ magnitudinis naues, quæ'q; maria sulcasse aliquando memorentur. Et cui talia quadrent, Alphonsum Regem adijciam. Et quinto loco, si quis audire petierit, sacrum illum diui Ianuarij cruorem, quem modo concretum, modo liquatũ 41

ostendunt, quamuis ante annos mille ducentos pro Christi nomine sit eflusus. Postremo Baiarum Cumarumq; & Puteolorum rudera subnectam, quæ Romanam uidentur æquare ruinam. D

42 Alberto Austriæ duci, qui mortuo Sigismundo Cæsare, cuius erat gener, regnū Hungariæ ac Bohemiæ cum Romano imperio suscepit, cum princeps amore ciuium tutos esse oportere, idq; solam innocentiam præstare diceret, & fida custodia, respondit socer, infortunium excludit.

43 Alberto Ladislai patre uita functo, & Bohemi & Hungari Fridericum Cæsarem sibi regem petiuerunt. Quibus ille, absit à me, inquit, scelus hoc, ut patrueli meo paternam hæreditatem auferam. Fridericus quoq; Marchio Brandenburgensis princeps elector à Polonis in regem uocatus, Casimirum, inquit, habetis mortui regis fratrem, hunc requirite quem successio regem fecit. Quem si fortasse tedet regnare, ad me redite. Recusauit & Albertus Baioariæ dux oblatum Bohemiæ regnum, ne Ladislaum excluderet. Hanc nos temporibus nostris apud Germanos principes moderationem, & uidimus & memoria dignam censuimus.

44 Quærenti Leonardo Beneuolenti collega nostro, quo iure Picininus agrum Senensem inuasisset. Militari, inquit Buccardus comes. Nam bello lacessere omnes licet, quibus obligati nō sumus. At hoc ius summa iniustitia est. Decet itaq; regem, qui nihil præter rationem & iustitiam prouinciarum præsides etiam se iubente uult facere, Picininū prorsus deserere, bonarum legum, & totius æquitatis euersorem. E

45 Milites, qui otij gratia curiam sequerentur, semper in negocio futuros aiebat Syluester Chiemensis episcopus, nisi sese tandem uel cum periculo capitis inde amouerent.

46 Laudanti eum supra modum, & dijs persimilem esse prædicanti, cuipiam alapas Sigismundus non paucas incussit, dicentiq; illi, cur me cædis? Cur me mordes? ait.

IN IDEM CAPVT.

Friderico Romanorum imperatori Amadeus dux Sabaudiæ, quem clerus apud Basilæam congregatus, Eugenio quarto à summo pontificatu deposito, in illius locum suffecerat, Felicemq; papam quintū uocauerat, filiam quam domi habebat uiduam iuuenē & forma præstantem, in matrimonium obtulit. Simulq; dotis nomine auri numum ducenta milia, si Eugenio relicto, Petri successorem appellaret. Horruit Cæsar minimeq; sacramento suo, ecclesiæ sacramenta fœdare uoluit. Atq; ad suos conuersus, uendere, inquit, alij pontificalia solent, hic libenter emat, si reperiat uenditorem.

47 Cum accusassent purpurati apud Sigismundum maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de suo principe passim obloqueretur. Subridēs imperator. An uobis, inquit, graue uidetur illos male loqui, cum nos male agamus. Cumq; quidam se ciuem Budensem diceret, sibiq; tanquam membro parcendum arbitraretur. Et putrida, inquit Sigismundus, si sit mea manus, abscindatur. At à Deo, inquit Fridericus imperator, cum oro, misericordiam peto, non iustitiam. Cur igitur me subditis clementem atque misericordem non exhibeam. F

48 Qui duri atq; immites essent principes, his aiebat Fridericus Cæsar mortem nimis extimescendam esse. Nam quales se dum uixerunt alijs præstitere, tales, cum moriantur in se iudices inuenturi essent.

49 Quas non didicerunt artes recusant omnes exercere: imperare, quæ est ars artium omniumq; difficillima, nemo recusat. Interrogatus Rudolphus Cæsar qui primus in familiam Austriæ traduxit imperium, cur ita fieret. Non mirum, inquit, stultos putant, qui regnare nesciant, stultum autem sese nemo iudicat.

50 Michaël Pfullendorfius Secretarius Friderici Cæsaris, q in ecclesia mea Senēsi sepultus est Inter cætera quæ miraretur, id potissimum esse dicebat. Quod animalia rationis expertia, nullum se supra regem ferret, nisi cæteris uirtute præstaret. Homines uero qui se rationales dicāt, ijs sæpe principib. obedire, qui brutis quadrupedib. stultiores essent.

51 Duos pueros miserat Alphonsus Parisios ut literas discerent Eramus in arce noua apud eum, cum Ioannes Solerius illorum epistolas, regi redderet. Vidimus eum miro modo ge-

A do gestientem, postquam scriptis puerorum lectis proficere eos cognouit.

Bartholomæus Capranus Mediolanensis ecclesiæ antistes, iccirco se ministros forma præstantes quæsiuisse dicebat, quoniam turpes animi turpia corpora incolerent. Improbitatem autem in egregia forma perraro compertam esse. 52

Interrogatus Sigismundus imperator cur apud liberas ciuitates peculatus crimẽ adeò frequens inueniretur, Idcirco respondit, quòd nudos honores ciuibus commendant, populus autem ad lucrum inhiat. 53

Neq; stultis, inquit Fridericus Cæsar, delectari possum, neq; superbis esse amicus. 54

Leonoram Augustam è Pisis iubente Friderico Cæsare Senas deducebamus, ante diem cinerum, cum solent insanire populi, offendimus apud Sanctum Miniatum Teutonicum, in agro Florentino choream agrestium puellarum, quæ sæpe saltantes nudarent genua, cruraq; ostentarent. Quod cum animaduertisset imperatrix, eamus inquit, meretricum hic ludus est, non uirginum. 55

Victis in Hungaria Gunziensibus, magnum, inquit Fridericus imperator, actum est opus, nunc maius restat, ut scilicet, uincamus nosmetipsos, atq; auaritiæ, & ulciscendi cupiditati frenos imponamus. 56

Seuerum, inquit Cæsar Rudolphus, et immitem, fuisse me aliquando pœnituit, lenem ac placabilem nunquam. 57

B Beatos esse in terris reges aiebat Sigismundus imperator, si exclusis superbis, mansuetudinis, humanitatisq; cultores in curiam asciscerent. 58

Bernardus monachorum pater, abstinentiæ præcipuus magister, cum aliquando, uenientibus hospitibus, extra ordinem cœnasset, idq; discipuli crimini darent, Non ego, inquit, sed charitas bibit editq;. 59

Viros & armis & literis claros non solum uocauit ad se Alphonsus, quorum consilio in administrandis rebus uteretur, iisq; abunde prouidit, uerum ex curia sua tanquam ex officina uirorum præstantium, & copiarum duces egregios, & uenerabiles ecclesiarum antistites emisit. Nam et Calixtum tertium qui modo summi pontificatus cathedram regit, ex Alphonsi schola ad Cardinalatus honorẽ maximus Põtifex Eugenius accersiuit. 60

FINIS LIBRI SECVNDI.

Liber Commentariorum

Aeneæ Syluij Tertius.

Procemium.

C NEgat Ioannes Esernitanus Philosophũ esse Alphonsum quia rex est. Ego iccirco Philosophum esse affirmo, quia regno potitur. Nam Philosophi mea sententia, non qui facienda dicunt, sed qui dicenda faciunt, habendi sunt. Qui quum peccare possint, non peccant, & quemadmodum de Alphonso refers in omnium rerum licẽtia, sibi ipsis frenum iniiciunt. Abstinentiam in uita priuata ipsa necessitas parit.

Iuliano Cardinali sancti Angeli, qui Basiliensi consilio præfuit, libros ueterum lectitanti, cum diceret Oddo de uariis. Quid tu hic inter mortuos latitas, ad nos tandem qui uiuimus exi. Imò, inquit, in fama uiuunt, tu neq; nomine, neq; re uiuis. 1

Cum uocarent in curiam senatores, Fridericus imperator utinam, inquit, duas res cõsiliarii mei in palatii uestibulo deponerent. Sic enim & ipsi rectè consulerent, & mihi inter consilia diiudicare facillimum esset. Interrogatus quæ nam res illæ essent. Simulatio & dissimulatio respondit. 2

Exigenti promissa ueterano militi cum diceret Sigismundus imperator. At immoderata fuit petitio tua: Respondit miles, poteras negare cum peterem. Nunc sine turpitudine quod promissum est, rescindere non poteris. Tum Sigismundus, si ex duobus alterũ me ferre oportet, leuius rerum quàm famæ iacturam subibo. 3

4 Ladislaus rex Hungariæ ac Bohemiæ quamuis adhuc puer cum esset Romæ, non uideri sibi ait homines, qui literas ignorarent. D

5 Barbaræ quæ Sigismundi Cæsaris uxor fuit, ac fatis functo uidua superstitit, cum sibi diceret aliquis imitandum turturis exemplum, quæ mortuo marito perpetuam castitatem seruaret, Si me ratione carentes imitari uolucres iubes. Cur non columbas potius passeresq; proponis?

6 Gregorius Hanniburgensis scientia iuris ac facundia inter omnes Germanos facile princeps, Cum domum ex curia Cæsaris in qua diu fuerat uersatus reuertisset, atq; non longe ab oppido Nurenbergensi amicum offendisset, qui uxorem suam uiuere & bene ualere diceret. Si uiuit uxor, inquit, ego obij.

7 Ottocarus rex Bohemiæ cum de pudicitia coniugis sinistra ad se rumores delati essent. Lex, inquit, naturæ est. Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent.

8 Ioannes Vatadiensis episcopus regniq; Hungariæ Cancellarius, tam morum elegantia quàm literarum scientia regnicolarum nulli secundus, Cum præfecturas urbium & prouinciarum ad nouos & incognitos deferri homines animaduerteret. Post annum, inquit, uidebimus, bona'ne fuerit regis electio, quod si mihi fides fuerit, probatos adhæc munera, quàm probandos potius assumam.

9 Vlrico de Rosis inter Bohemos proceres, opibus & autoritate pollēti, cum Sigismundo absenti mortem fratris, & rebellionem Pragensium significasset, fratrem suū respondit Sigismundus naturæ tributum soluisse. Pragenses uero sibi tanto gloriosius soluturos, quanto fortius uincerentur. E

10 Parasitus Alberti Marchionis Cilianus nomine dicenti sibi cuipiam, Cur te stultum assimulas cum recte sapias. Heu quàm iniquè fortuna, inquit, mecum agit, quanto magis studeo me fatuum ostendere, tanto prudentior existimor. Contrà filium meum, qui uideri sapiens nititur, stultissimum omnes iudicant.

11 Legerat Philelphus, ut opinor, cum Satyras Alphonso mitteret, quod scribunt ueteres de Antonino Pio, qui Oppianum poëtam de natura piscium canentem, per singulos uersus aureo nummo donauit. Vnde sunt illius postmodum aurea carmina nuncupata.

12 Interea Austriam cum remearet ex Italia Fredericus imperator, renunciatum est Austriales in armis esse, & assumptis secum aliquot Bohemorum militibus, Nouam ciuitatem obsidere instituisse. Proinde caueret ne montes Syriæ transmitteret, similiterq; amici omnes uno ore consuluere. Nam fuga cū in Austriam uenisset, nulla ei facultas daretur. Ad ea Fredericus nec mihi uerisimile fit Austriales, ait, eò perfidiæ prolabi, ut me dominum suum exercitu petant, neq; ego is sum, qui fugiam ante ora eorum, quin capi uel occidi malim. Exin quid illi perāt, nisi Ladislaum pignus hoc, quo reddito liberi sumus, tenerum adhuc puellum inuiti ex tutela nostra remittemus. At si pergunt petere in medium Australium, Bohemorum et Hungarorum id pomum dabimus, de quo treis deas inter se contendisse fabulæ Iunonem, Venerem, & Mineruam tradunt. F

13 Pipponem Florentinum ex domo Strozziorum, qui cum plurima bella feliciter fideliterq; confecisset, adeo Sigismundus imperator apud Hungaros magnificauit, ut secundum illius regni caput omnes faterentur, pleriq; primum putarent. Dixisse quoq; Sigismundum aliquando ferunt, facile Pippo, si uelit, scipione in manum meam dato, regni fines egredi me solum ac nudum uidebit.

14 Romam cum peteret Fridericus imperator ex præfectis quos Flauianis reliquit certior factus est, Vlricum Eitzingerum, inter proceres Austriæ opibus & industria nulli secundum, trans Danubium profectū esse, ibiq; clandestina colloquia cum Morauis habere, timendum esse, ne res nouaret absente principe. E re igitur fore, Vlrico cum rediret uincula inijcere, quibus imperator respondit clarum ac potentem hominem periculosum esse in carcerem rapere, quando neq; nocentem plectere eum, neq; innocentem dimittere audeas. Vlricum deinde quia consiliarius suus esset, iurisiurandi immemorem haud quaquam se credere, prius quàm experiatur.

15 Ladislaum Hungariæ ac Bohemiæ regem cum educaret Fridericus imperator, non defuerunt

A defuerunt peruersæ mentis homines, qui perdendum suaderent puerũ, cuius uita ingen
tes molestias Cæsari, mors, regna et opes maximas allatura essent. Ad quos ille, ergo
me, inquit, opulentum magis regem, quàm pium, quàm iustum cupitis. At ego bonum
nomen cunctis diuitijs antepono.

Ioannes S. Angeli Cardinalis natione Hispanus cum in Austriam sedis Apostolicæ
legatus uenisset, cognouissetq; Frederici Cæsaris, qui reditus & qui sumptus essent. Ru 16
mor erat, inquit, Fredericum ad rem nimis attẽtum esse. At meo iudicio perliberalis est,
qui facultatibus sumptus metitur. Cæterum Sigismundus et Albertus qui ante eum im
perauit, Bohemiæ & Hungariæ ditissimis regnis præfuerũt, propemodum prodigi prin
cipes, largitatem eius obfuscant.

Cum diceret aliquãdo Sigismundus imperator, assentatores se ueluti pestem odisse: 17
imò, inquit Brunorius Veronensis, nullum genus hominum magis amas. Nam quid
apud te possent Marcus Banus, Laurẽtius Palatinus, Vrsacius Michaël, Caspar Schli
ckius, nisi assentando tuam gratiam meruissent. Tum Sigismũdus Brunori ait: Sic nam
comparatum est cum uitandos esse adulatores dicimus, tum maxime illis aures damus.
Nec tu mecum tamdiu fuisses, nisi mihi blandiri assueuisses.

Animaduertit religiosus quidam prædicator ex ordine minorũ Albertum Cæsarem 18
B Ladislai patrem, qui sermonem suum Viẽnæ audiret somno grauatum esse, atque altio
ri uoce, quæro, inquit, ex uobis, qui astatis, saluari ne principes possint? Cũq; rem dubi
am & admodum difficilẽ reddidisset, apagete ait, namq; si baptizati principes, ac in cu
nabulis moriantur, non est desperanda eorum salus.

Grauida bellis Hetruria laborat, partu diuæ Ferinæ cingulum ex rege petit. Neq; e 19
nim alius est, qui salutem illi elargiri facilius possit.

Fredericus dux Austriæ Alberti Cæsaris filius, commissurus prælium aduersus Ludo 20
uicum Baioarium, qui cum de imperio contendebat, quamuis accepisset Marchiones
Brandenburgenses cum hostibus consentire, his tamen promissam ante pecuniam nu
merat, alienam fidem accusare, quàm suam requiri præoptans.

Mariam Hungariæ reginam cum accepisset uxorem Sigismundus, de quo sæpe facta 21
est mentio, principum regni Cõcilium apud Budam actum est. In eo regina perfidiam
regulorum accusauit, qui se regno spoliare conati essent. Tum Sigismũdus unà cum iu
dicibus causa cognita, duos & triginta regulos securi percusit, quæ res multorũ deinde
laborum & discriminum causa fuit.

Inter Ioannem Caroli quarti patrem & Henricum Carinthiæ ducem, de regno Bohe 22
miæ longa & difficilis contentio fuit, quo tempore clanculum ad Ioannem uenit, qui se
ueneno hostem occisurum promitteret, si præmium speraret. Cui Ioannes, si me nescio
C Henricum interemisses, atq; ad me uenisses, crux tibi præmium futurum erat, qui regio
sanguine manus commaculasses, & tu me modo autorem tanti sceleris petis.

Zischa homo Bohemus humili loco natus multa ui animi & corporis, sed ingenio 23
prauo, Cum Hussitarũ labes Bohemiã infecisset, ducatũ hæreticorum suscepit, præliaq;
cõplura aduersus fideles, qui superfuerãt, feliciter gesit. Amiserat hic oculum unum in
pueritia, dum inter æquales luderet. Altero in obsidione cuiusdã castri priuatus est. Sed
neq; oculo utroq; cassus imperio se abdicauit. Sequebantur eum ingẽtes copiæ, ab eoq;
non Bohemi tantum, uerũ etiam Teutones magnis cladibus affecti sunt. Is moriturus
cum rogaretur de suo corpore, quid fieri mandaret. Pellem inquit, mortuo demite, reli
ctoq; feris cadauere, ex ea tympanum facite, quo in prælijs utamini. Nam ut hostes ui
uentis aspectum non ferebant, ita mortui sonitum non ferent.

Docet Nestor Fauentinus quanta cum Picinino, tum cæteris copiarum ducibus, 24
quos alit Italia, fides habenda sit.

Quamuis omnia libenter audio, quæ uel fecisse uel dixisse Alphonsum tradis, nihil ta 25
men in animum tam cupide recipio, quàm responsum illud Ludouico Podio diuinitus
datum. Regem, scilicet, pacem dare, non uendere solitum. Nam et nos hunc pacem ora
turi non empturi uenimus.

26 Multa Philippo Alphonsus debuit. Ac plura Christo debet. Pro Philippo bellũ suscipere contra Venetos instituit. Cur pro Christo contra Turcas arma non capiat? Maiores Turcæ quàm Veneti. At maior multo Christus quàm Mahumetes. A

27 Interrogatus aliquando Marianus Sozinus Senensis utroq; iure cõsultissimus, Cur minus solito literis operam daret. Vxorem, inquit, duxi. Rursus interpellatus, cur Socrates postquam duxit uxorem, non itidem Philosophiæ studia neglexisset, Xantippe ait, morosa fuit, & ut existimo, deformis, mea uero proba est, & formæ non postremæ.

28 Ennius Senensis qui ecclesiæ Grossitanæ præfuit, antequã pontificatum accepisset, in Petrum de monte Licino non incelebrem Astronomum, qui cum podagraretur incidit, atque ab eo, dum alteram post alteram fabulam recitat, diu retentus, dum transeuntem notum quempiam uidisset, Age, inquit, ô amice ausculta hunc podagricum. Nam meæ audiendo aures ambæ obtusæ sunt.

29 In obsidione Pragensi principes ciuitatis, qui Sigismundũ odissent, populares ut obscœna & petulantissima in eum uerba iactarent, astu atq; arte prouocabant, sic enim futurum arbitrabantur, ut irritatus hostis crucem & quæuis duriora supplicia comminaretur obsessis. Illi uero pœnam metuẽtes, obsidionis incõmoda cõstantius tolerarẽt, quod cũ intelligeret imperator impunitatẽ omniũ, quæ in se dicerentur per præconẽ promisit.

30 Ad Rodolphũ imperatorem uenit quispiam, qui Ottoccarum Bohemiæ regem in uenatione sese occisurum promitteret, si facto præmium esset. Cui Rodolphus etsi noster hostis est Ottoccarus, eumq; odimus, non tamen id efficiet, ut iustitiæ & moderationis fines transeamus. B

31 Inter Philosophos, inquit Hugo Senensis, multas inuenio hæreses, quas facile tollas, si de nominis finitione consentias.

32 Albertus Austriæ dux antequàm Romanũ suscepisset imperium, in Iudæos desæuiens, eos omnes in sua ditione occidi iussit, qui nollẽt ad Christũ uerũ & singularẽ Deũ conuerti. Multi metu baptisma suscepere. Ex quibus unum Fredericus antequàm imperaret in cubiculum suum accepit. Eumq; cum esset sibi coætaneus, quasi fratrem dilexit, is post aliquot annos pecunia ductus, ad Iudaicam fidem sese reuerti statuisse dicit. Fredericus contrà suadet ne uiam uitæ deserat. Cumq; uerba sua nil proficerent Theologos ex Viennẽsi schola accersit, qui iuuenem instruãt, addit præces, addit lachrymas, promittit, minatur. Postremo uero frustra sese niti cognouit, fraternam quodammodo charitatem religiosæ & ueræ pietati postposuit, inuitusq; & admodum dolens, iuuenem in iudicium requisitum tradidit. Ille ad supplicium ductus nullis constrictus uinculis (sic enim petierat) ut pyram ardentem uidit, Hebraicum carmen incipiens, in medias flammas intrepidus se coniecit, atq; ibi cantans exustus est.

33 Ex præda uillarum quas diripuisset Zischa Bohemus, nihil ad se deferri iussit, nisi telas aranearum, sic enim pernas salitasq; carnes è rusticano tecto pendentes appellabat. F

34 Fœnus ita demum sine peccato exerceri posse diuus Bernhardinus Senensis affirmauit, Si pecunia his crederetur, qui nec capitalem summam reddere possent.

35 Anno ab hinc sexto & quadragesimo inter fratres Mariæ Teutonicorum & Vladislaum Poloniæ regem, de regni finibus orta quæstione utraq; pars ingẽtes copias in bellum eduxit, At primi Pruteni siue numero militum, siue animum ferocia exultantes, duos gladios per fœcialem regi misere, ut ex his, quẽ mallet unũ acciperet. Is cum Vitoldo fratre suo Deo hostias libabat, qui audito fœciale, non minus, inquit, prælij signum recipio. Consecrato gladio, quem elegerat, eò se accinxit, & facta pugnãdi copia Lituanos, qui auxilio uenerant primos opponit, quorum strage fatigata Prutenorum manus, & ipsa Polonis superuenientibus sternitur cruentissimo prælio, & die confecto uictoria regis fuit, uiri equestres ex ordinis religione quadringenti cum ipso magno magistro periere, cæsa ex plebe multa milia, qui superfuerunt capti. Prussia præter oppidum beatæ Mariæ, omnis ad Polonos defecit.

36 Cum diceret Laurentius Palatinus Hungariæ imprudenter agere Sigismundũ imperatorẽ, q uictis hostib. nõ solũ uitã et opes relinqueret, sed etiã eos inter amicos reciperet,

A extolleretq́. Tibi, inquit Sigismundus, uidetur utile inimicum occidere, neq; enim mortuus bellum excitat. At ego inimicū occido dum parco, & amicum facio dum extollo.

In bello, quod cōtra Bohemos Albertus Austriæ dux, prius quàm Romanis imperaret diutissime gessit, Interrogatus quem copijs præficere statuisset, Si alium inquit, quā me ductorem exercitus petitis, frustra me Austriæ ducem appellatis. 37

Ludouicus Baioariæ dux apud Henricum eiusdem familiæ principem in carcere cum obseruaretur, nunquam illi ad se uenienti assurrexit, neq; capite annuit, neq; quod ab eo peteretur, suaderetur ue quicquam fecit. Eum uultum, eam seueritatem retinuit captus, quibus cum liber esset, usus est. 38

Conspirauerant Hungari aduersus Sigismundum armatiq́; regiam intrauerant, aut capturi regē, aut si id nō succederet occisuri, quos ut ad se irrūpentes cognouit, accepto pugione in mediū progressus, Ecquis, inquit, uestrū manus in me iniciet, aut quid nam feci, quòd me regem uestrū occidere uultis, prodeat è uobis si quis audet, & cū me solo solus cōgrediatur. Ea uoce et audacia obstupuere cōiurati, et sibi quisq; timēs abiere. 39

In eo bello, quod aduersus Nurenbergenses anno abhinc sexto Albertus Marchio Brandenburgensis eximie gessit, Grauenburgum ab eo multa ui oppugnatum est. Id oppidum in ualle iacet xx milibus passuum à Nurenberga muro ac fossa munitum. In B quo præter oppidanos quingenti milites præsidio inerant. Oppugnatio quatuor diuersis locis cœpta est. Albertus sibi eam oppidi partem elegit, qua murus altior & fossa profundior fuit. Insultu facto ab ea parte, qua oppidum captum est, secundus ex omnibus ipse murum ascendit, in oppidum uero primus descendit. Circumuentus ab oppidanis tamdiu pugnam sustinuit, quamuis in se unum multi concurrissent, donec alij pugnantes, decretis sibi murorū partibus superatis, suppetias tulerunt, oppidū captū direptūq́; est, fœminis nulla uis illata. Nā id apud Teutones pro inexpiabili scelere habetur. 40

Iodocus Marchio Morauiæ cū patruum suū Vuenceslaum Bohemiæ Romanorūq́; regem uisitatum uenisset, uocauit eū patruus in penitiore ædiū partem, atq; in hunc modum allocutus est. Et si satis scio, non esse è dignitate mea, quod electores imperij me regno Romano abdicauerūt, solatio tamen est quòd familia nostra hoc decus nō excidit. Ego te libens uolensq́; successorem mihi datum accipio. Cumq́; Iodocus his uerbis territus ad Regis genua procubuisset, ac sibi nihil imputandum diceret, qui earum rerum omnium ignarus esset. Pone metum, inquit, nepos. Nā neq; imperium inuitus depono, neq; si retinere illud cupiā iura sanguinis uiolare ausim. Bono itaq; animo esto, imperiumq́; tibi demādatum suscipe, mihi mea satis est Bohemia, uiris, armis, opibus regni mei tanquam tuis ut libet utere, lætumq́; & donatum nepotem à se dimisit. At ille sex tantū menses superuixit, locumq́; postea Ruperto Baioario, qui imperaret, fecit. 41

C Ecclesia catholica cum scissa esset, Nam tres de Romano pōtificatu contendebāt, Petrus de Luna, Balthasar Cossa, & Angelus Carrarius, Conciliū Generale apud Cōstantiam Sueuorū, ut nunc dicimus, urbem Sigismundus imperator agi curauit, ac magnis itineribus Italiam, Galliam & Hispaniam petijt, ut nationes omnes ad unius pontificis consensum redigeret, eoq́; annitente pax ecclesiæ reddita. Martinus Papa quintus electus, prouidus pater, & amator pacis, è tribus cōpetitoribus duos sancta Synodus tanquam schismaticos reiecit, tertius suopte ingenio pontificatui renunciauit. 42

Vnius militis saluti consulturus Alphonsus in rapidū amnem sese cōiecit, suoq́; cum periculo auertit alienum. Cur igitur Senensis populi curam non suscipiat, et amicissimæ ciuitatis libertatem, fortunasq́; tueatur. 43

Captum ab Hungaris Sigismundum duo adolescentes cognomento Garij, quorum pater ab eo neci traditus fuisset, custodiendum accepere, donec omni conspiratorum iudicio in eum animaduerteretur, quos cum ille, ut se dimiterent, frustra pertentasset, uidua eorum matre ad se uocata, Scio, inquit, mulier uiri tui mortē tibi acerbissimam fuisse, teq́; mihi tanquā autori eius infensam. Verū ego per superos iuro, inuitus tāti uiri exitio assensus sum. Regina eū atque alios accusauit, Condescenderūt regni proceres, atq; in reos mortis sententiā tulere. Ignarus ego factionū uestrarum, nouus ad regnū uenerā. 44

quod

quod regulorum maior pars decreuisset, id mihi exequi necessarium erat. Ero tamen ui rum tuum sciens uolensq; neci dederim cruciādum. Tu'ne propterea natorum tuorum aut aliorū iracundiæ, me obijcies? Et quis obsecro uel te uel illos fructus sequetur. Non desunt mihi fratres & amici qui meum sanguinem ulciscantur, neq; Hungaria rege diu tius carebit. Exēpla regis timent, nemo apud eos acceptus est, qui manus suas regio san guine cruentauerit. Quod si me missum feceris ex filiabus Hermanni comitis Ciliæ ne cessarij tui uxorē ducam, fratris ac soceri adiutus opib. regiā demū potestatē uendicabo, filios tuos in primis charos habebo, efficiāq; ut omnis posteritas tua hoc factū sibi fructuosum sentiat. Hoc ego cum liberis tuis egi, sed nō capit ætas, quantū necesse est. Te, quæ plus sapis & illis & tibi consulere oportet. Persuasa mulier regē dimisit. Is Barbara Ciliēsi in matrimoniū suscepta, breui pōst tēpore debellatis rebellibus uictor regnū obtinuit, ꝓmissoq; satisfaciēs Garios iuuenes sup regulos extulit. Ex his ort9 est Ladisla9 de Gara (quē Banū appellāt) inter primo res Hungariæ ꝓceres, opib. et autoritate ꝑpollēs. D

45 Austria nobilis prouincia, diues agro uirisq;, ex duarū prouinciarū detractione recepta est. Nam quicquid est à Leyta fluuio usq; ad Anasum amnē Pānonici iuris fuit, ab Anaso in Oenum Norici: Benus ingens flumen ex alpibus Italiæ profluens, apud Pataiuium urbem Danubio miscetur. Leyta paruus fluuius ex mōtibus Stiriæ dimissus, inter Viennam & Posonium ciuitates, in Danubium labitur. Huic prouinciæ ad septentrionem Moraui Bohemiq; adiacent, Ad meridiem Stiriæ montes, orientem eius Hūgari, occidentem Baioarij tenent. Danubius, quàm lōga est, mediam perlabitur. Hæc primo à Marchionibus, deinde à Ducibus regnata est. Stirps ducum in fœmina defecit. At illam Ottocarus Bohemiæ rex uxorem duxit, non tam eius matrimonij, quàm regni cupidus. Quippe, qui ea uiuente, aliam ex Polonia coniugem superduxit, Verum cū Rodolphus Romanorum imperator, Austriam deficiētibus ex genere ducum uirilis sexus, hæredibus ad imperium deuolutā assereret, nec Bohemum alio pacto coercere posset, qui conuenta quæq; fregisset ad extremū ferro dirimere litem statuit. Prælium trans Danubium cōmissum est, Ottocarū Bohemi, Misnenses, Poloni, Hūgari adiuuabant: Rodolphus Sueuis, Franconibus, Australibus & Stiriensibus societate iunctis rē gessit, hostium copiæ numero longe antecedebant, Rodolphi miles uirtute superior fuit. In ea pugna ingens strages cōmissa, Ottocarus occisus, quem Rodolphus honorifice sepeliri iussit. Ac dein Austriæ ducatum filio suo Alberto natu maiori concessit, unde originē habent, qui Austriam hodie possident. Fredericus, Ladislaus, Albertus, Sigismundus. In hoc prælio cum siti laboraret exercitus, ferūt agresti, qui messoribus potum ferret ablatam hydriam sicera plenam, atq; imperatori oblatam, quā cum ille uidisset, reddite, inquit, homini uasculū suum, nam ego exercitui non mihi sitiebam. E

46 Ludouicum seniorē Baioariæ ducem cum captiuū haberet Albertus Marchio Brandenburgensis, non pauca ab eo petijt, quæ cum ille negasset, tradere eum in manus duri, & inimicissimi sibi principis minabatur: Tum Ludouicus, quæ poteris ex me libero impetrare, eodem modo ex captiuo petito. Si quid amplius uoles, corpus meum in tua potestate, animum mihi tibi obnoxium inuenies. F

47 In Calesio cum essem Angliam petiturus, Id oppidum in Morinis, ex quo breuissimum dicunt, in insulam transitum, nunciatum est autore Nicolao Cardinale sanctæ crucis uiro sanctissimo Philippum Burgundiæ ducem, qui partium Anglicanarum antea fuisset, ad regē Franciæ defecisse. Quod cum præfectus loci accepisset, mox me qui Cardinalis essem secretarius, asseruari iussit, quæ res magno me damno affecisset, nisi Cardinalis Vintoniensis, cui notus essem, illico me dimitti iussisset.

48 Fredericus senior dux Austriæ imperatoris Frederici patruus sæpe mutata ueste solus inter agrestes conuersatus est. Cum quibus accepta pecunia, & arans, & alia quæuis munia faciens ruris, & de seipso & de purpuratis fuit confabulari consueuit. Interrogatus cur id ageret. Neq; enim de me, inquit, alio modo uerum audire possum.

49 Hoc unum est inter egregia regis facinora maximum et præclarissimum. Sed neminē deserit Deus in se sperantē. Hēricus rex Angliæ regis huius, qui nūc regnat, pater, circū

uentus

A uentus ab exercitu Gallorum regis quæcunq; obtinuisset in Gallia dimittere uoluit, si
cum suis incolumis abire permitteretur. Negantibus Gallicis nocte subsecuta uocatis
centurionibus & decanis militum, neq; fugere, inquit, commilitones, neque ex hosti-
bus incolumitatem consequi possumus, quamuis cedere regno Galliæ uoluerimus, sola
nos arma tueri possunt, Non est cur numerosum exercitum formidetis. Iustam causam
iustus Deus adiuuabit. Ite & alterum alteri peccata uestra confitemini, pauxillulumq;
terræ ob memoriam sacramenti Eucharistiæ saluatoris, alter alteri porrigite. Crastina
die liberabit nos Dominus ex manibus inimicorum. Sic dimissa concione peractis
quæ iusserat, curare milites corpora præcipit. Sequenti die ut primum lux orta est com
misso prelio, incredibile dictu, octo millia suorum, sexaginta millia hostium fudere, cæ-
sa ingens turba, nobilitas Galliæ prope omnis capta, paucos fuga seruauit. Eaq; potissi-
mum dies Gallorum opes fregit.

Ferdinandus cum esset in Hetruria, ferunt diligẽter obseruasse patris mãdata, quem 51
socij miro modo coluerunt. Hostes quoque cum timerent, non potuerunt non amare.
Sed quæ mutatio dexteræ huius excelsi? Senenses, Veneti, quos sibi amicissimos cha
rissimosq; rex dixit, ex beneuolentia excidere. Florentini contra quos missus est exer-
citus, in amicitiam recepti. Memini hoc loco eorum uerborum, quæ scribit ad Ruffinũ
B Hieronymus: Amicitia, inquit ille, quæ desinere potest, uera nunquam fuit. Deceptus
Hieronymus est, qui Ruffinum erga se semper eundem putauit fore, non mirum si Al-
phonsi quoq; opinio falsa fuit.

Tota Philosophia, inquit Plato, nihil est aliud, quàm quædam commentatio mor- 52
tis, neque aberrat mea quidem sententia. Cur enim præcepta bene uiuendi discimus,
nisi ut bene mori sciamus? Comœdia quidẽ est nostra uita, cuius ultimus actus de mor-
te agitur. Bonus poëta nemo habetur, nisi ad finem usq; actus omnes prudẽter explicet.
Nobiscum melius Deus egit. Namq; licet omnis uita superior turpis extiterit, satis ta-
men fuerit ad emerendum cœlum, beatamq; uitam consequendam, si læto ac forti ani-
mo mortem obeamus, & ultimum spiritum Deo reconciliemus. Neque contra nos est
diuus Augustinus, dum ait, impossibile est quenquam male uiuere, & bene mori. At
rursus bene uiuentis, malam mortem esse. Seiungit enim ille uitam & mortem. Et uerũ
est, quia mortui nihil mereri possumus. Nos uero eum bene mori dicimus, qui in ipso
uitæ exitu ueram peccatorum dolentiam contritionemq; suscipit, quod quàm sit fallax
non me latet. Constat tamen & uiros, qui diu sanctissime uixerint male obiisse, in fine
ipso de Dei bonitate desperantes, & qui sceleratissimi fuerint bene laudateq; mortuos,
ac Dei optimi maximi in supremo anhelitu misericordiam impetrassent. Sed quæ obse-
cro commentatio mortis adeò uerax, adeò efficax apud Philosophos reperitur, quæ
C consolationi illi æquari posit, quam refers Alphonsum tuum, ad Gabrielem Surrenti-
num habuisse. Legimus, quæ uenenum bibiturus apud Plutarchum de
bono mortis Socrates philosophatur, sed nihil ad Alphon-
sum. Philosophum quamuis Eserni-
tanus, inficietur Al-
phonsus.

FINIS LIBRI TERTII.

Liber

 D

Liber Commentariorum

Aeneæ Syluij quartus.

Procœmium.

Iſpania terrarum optimis comparanda, non imperatores tãtum ac reges Romæ atq; Italiæ daræ ſolita eſt, ſed & Cardinales ac Pontifices Maximos, quorum uita emẽdatiſsima, doctrina admirabilis fuit: nam Pontificem Damaſum uirtute probatum & omnium bonarum artium ſtudio celeberrimum Hiſpania ad nos miſit. Nunc ex eadẽ prouincia Calixtum tertium, quem pro ui nominis optimũ exiſtimamus, ſortiti ſumus. In ſacro Cardinalium collegio multos fuiſſe Hiſpanos commendatione dignos, non eſt obſcurum. Alphonſum ſancti Euſtachij, & Ioãnem ſancti Petri ad uincula, Cardinales ipſi Baſileæ in Concilio uidimus, quorum ea morum grauitas, ea rerũ agendarum circunſpectio fuit, ut omnem ad ſe ſynodum traherent. Ioanni nos in ſecretariatu operam exhibuimus. Hodie quoq; tres Hiſpania Cardinales habet, Ioannem ſancti Sixti, Antonium Ilerdenſem & alterum Ioannem ſancti Angeli, qui modo legatus apud Hungaros de traducendis contra Turcas copijs opus agat. Prioribus quaſi duobus Theologicæ ſapientiæ ſyderibus, orbis Romanus illuſtratur. Tertium ſcientia iuris nulli ſecundum putat. Verum rex Alphonſus, ut ais, non ab Hiſpania laudem ducit, ſed Hiſpaniam ipſe illuſtrat. Is quanquam ita religioſus eſt, & diuini cultus obſeruator, ut ſcribis, non immemor tamen Euangelicæ doctrinæ poſt ieiunia & orationes cæteraq; pietatis opera in quibus nonnunquam exercetur, ſeruum ſe inutilem ait. Nouiſsimis enim diebus cum conueniſſet eum Ioãnes Orator Apoſtolicus, ac de pace Tuſciæ ſecum ageret, inter alia ſapienter dicta, ſcio me, inquit, poſtquam regnare cœpi, quàm plurimos homines è modica fortuna ad magnas opes ac potentiam euexiſſe, qui poſtea benefacti immemores extiterunt. Ea uero res mihi minime admirationi eſt, cum & ipſe eodem ingratitudinis uitio laborem. Nam quis plura ex optimo maximoq; Deo, quàm ego beneficia accepit, quia natus ex regibus, ampliſsima regna hæreditario iure ſum cõſecutus. Nec minora mihi ipſe armis comparaui. Pauci me reges inter Chriſtianos antecedunt. Ingenium mihi natura non obtuſum dedit, memoriam nõ infirmam, corpus ſalubre, uitam longiorem ac morbis ferè inoffenſam, opes mihi, deliciæ, uoluptates abunde ſuppetunt: literarum quoque nonnullam cognitionẽ adeptus ſum. At ubi mea gratitudo? Quid ego aut facio aut feci pro tot tantiſq; diuinæ clementiæ in me muneribus. Intelligo me certe ingratum eſſe, eoq; accuſatione ac pœna, quas cæteros promeruiſſe exiſtimo, qui erga me ingrati ſunt, tanto maiori, quanto grauius eſt Deũ quàm hominẽ fallere. Verum ſi mihi uita contigerit, eſt animus, quod hactenus neglectum eſt abundè præſtare. Iniurias enim quas crudeliſsima gens Turcarum Ieſu Chriſto uerißimo & maximo Deo noſtro nunc in Græcia, nunc in Aſia quotidie infert, ultum ire decreuimus, atq; ad id iam naues, iam uiros & arma comparauimus. Itaq; nihil eſt cur nos quæ nũc tractantur Tuſciæ pacẽ, quouis pacto turbaturos exiſtimes. Hæc rex, qui ſi promiſſo ſatisfecerit ſaluatorẽ Chriſtianæ religioni ab Hiſpania miſſum, omnis Europa cõfitebitur.

Caput. 1. Interfuimus hoc anno dum hæc fierent. Cæcus in capite menſæ aſſedit grãdæuus, qui ante ſedecim annos lumen ſe amiſiſſe aiebat. Miniſtrabat huic rex, ac nobis audientibus interrogabat, an cæcitatem moleſte ferret: Cui cæcus, neſciens regem eſſe qui ſecum loqueretur, niſi diuina gratia eſſet adiumento, nemo, inquit cæcus, uiuere optaret, tãta eſt miſeria cæcitatis, ijs præſertim qui aliquãdo lumen uiderunt. Tum rex uelles'ne, inquit, ex hac uita migrare. Minime, inquit ille. Tum rex, at ſi miſer es, cur è miſeria eripi nolis. Neſcio, inquit cæcus, an mortẽs ad maiorem miſeriam hinc demigrem, nec quo uadam mihi certum eſt. Tunc unus ex purpuratis, an neſcis, inquit, quòd piè uiuenti loca tibi piorum patebũt. Scio, inquit cæcus tria eſſe loca, ad quæ dimiſsis corporibus animæ hominum deferuntur. Piorum animas in cœlum euolare, malorum inferna petere, ijs uero qui cum

A qui cum antè fuissent mali, tamen ante obitum sese recognouere, & dolentes pro malefactis prius obierunt, quàm pœnitentiam agerent, purgatoriũ locum ad eundem esse. Tum purpuratus. si hæc credis & peccato abstines, cur mori nolis. Credo, inquit cæcus, bene morienti mihi bene euenturum. Sed quis est hic, qui bene sese moriturum sciat. Tum rex sapit, inquit, cæcus ex media Theologia sententiam profert. Audiuit cæcus regem nominari, & quisnam rex esset, regem ipsum interrogauit. Tum rex, ego inquit, qui loquor tecum.

Allata erant Sigismundo Cæsari ex Hungaria aureorum quadraginta milia. Cum 2
iam aduesperasceret, eaq; in thalamo regio recondita fuere cum cubitũ isset. Cæsar dum cogitat in quemnã usum eam pecuniam conuertat, somnus eum destituit. Tum ille excitatis cubicularijs. Ite, inquit, ocius cõsiliarios, ducesq; militum huc accersite. Vocati proceres media nocte, trepidi (timebant enim ne quid aduersi accidisset) Imperatorem celeriter adeunt, & quæ causa sit tam repentinæ uocationis inquirunt. Imperator confestim aperta archa, inter eos qui aduenerant pecunia distributa. Ite, inquit, secure tranquilleq; nobis dormire liceat. Nam quod mihi somnum ademerat, uobiscum exit.

Quæsitum est inter nonnullos me audiente cum in omne hominum genus Alphon- 3
sus liberalem ac munificum sese ostenderit, cur solos Astrologos præteriret. Neq; enim
B huius sciẽtiæ præceptores, sicut aliarum disciplinarum, magistros in eius curia obuersari uidemus. Tunc unus qui magis scire uidebatur. Sydera, inquit, stultos regunt impelluntq;. Sapientes astris imperant. Stultos ergo principes honorare Astrologos consequens est, non sapientes, inter quos nomen suum Alphonsus obtinet. Tum alius Petrus de monte Ilicino, inquit, non incelebratus Astrologus congregato apud Constantiam generali Christianorum Concilio, iudiciũ de rebus futuris edidit. In quo & Sigismundum eo animo coronandum Romæ, & Ioãnem Papam tertium & uicesimum, qui ad Concilium uocatus ierat, cum gloria rediturum asseruit. At cum magna Synodus Ioannem summo pontificatu abdicasset, Sigismundus autem ingressu Italiæ multis pòst annis abstinuisset, arguentibus plerisq; Petrum, qui adeò manifeste mentitus esset. At mihi de duobus stultis, inquit ille, iudicandum fuit, de quibus ne uera quidẽ profari Ptolemæus potuisset.

At hoc ad gloriam non mediocrem Alphõso cessit, quòd Fredericus imperator Ro- 4
mæ coronatus, ad eum uisendum uenerit. Nam ille cum in Germaniam redisset, interrogantibus amicis apud Italos, quæ memoratu digna uidisset, Alphonsum, inquit, omnium qui modo uiuant regum, & prudentissimum, & magnificentissimum, Cumq; aliqui non probarent, quòd maior dignitas ad minorem uenisset. Imò, ait, ille ad maiorem profectus sum. Nam etsi minor est regis autoritas quàm imperatoris. Alphonsus
C tamen Frederico maior est.

Parum fuerit Italiæ pacem dedisse, nisi & datam conseruarit. 5

Schaduienna oppidũ est cum arce munitissima, per quod Australibus in Syriam iter 6
est. Huic præfuit unus ex ueteribus amicis Ernesti, qui Frederici Cæsaris pater fuit. Adierunt Fredericum aliquot successiuè adolescentes, sibiq; præfecturam loci committi petierunt, quòd qui illam teneret ætate ac uiribus confectus esset. Ad quos Fredericus paternum amicum oppido, non amico oppidum commendamus. Testamẽtum cum conderet dux quidam Slesiæ egregiam domum ædificari mandauit. In qua canes, qui utiles uenationi fuissent, ob senectam & corporis debilitatem à suis relicti dominis, usq; ad mortem alerentur, designatis in eam rem nonnullis agris, ex quorum prouentu sumptus suppeditaretur, nec uoluntas eius irrita fuit.

Iacobus Marchio Badensis ubi latrocinium in ditione sua commissum didicit, uo- 7
catis ijs qui damno affecti fuissent, tantum eos ex fisco suo accipere iussit, quanti esse, quæ amisissent, iureiurando affirmassent. Exinde latrones insecutus, apprehensos in Rotam sustulit. Id est supplicij genus apud Teutonicos formidabile. Atque ita breui pacatissimam prouinciam reddidit. Patris uestigia Carolus nobilissimus adolescens sequitur, cui nupta est Catharina soror Frederici Cæsaris.

8 Dux quidam Oppauiæ uxori, quàm ex Lituania acceperat, obuiam cum exiſſet, in comitatu illius adoleſcentem offendit forma egregium, robuſto corpore, in plumis iacẽtem penſili curru aduectum. Interrogauit quiſnam eſſet. Coniugis ſuæ fratrem, aut propinquum exiſtimans. Reſponſum eſt ab ijs, qui propius aderant. Apud Lituanos more patrio nuptas, quæ nobiles quidem eſſent, unum plures'ue concubinos pro uiri facultatibus domi alere conſueuiſſe, qui negligente marito onera matrimonij ſubeat. Illumq; ſibi adductum fuiſſe, qui uices ſuas ſuppleat, ſi quando, ut fit, uel morbo, uel alia quauis cauſa coniugi debitum perſoluere nequiret. Voluit dux laniandum canibus hominem obijcere. Sed prohibitus ab amicis in Lituaniam quàm celerrime redire eum iuſsit, qua in prouincia, ut aiunt, perpaucæ nuptæ à uiris digrediuntur. D

9 Satis uicit, inquit Sigiſmundus imperator, qui hoſtes fugauit.

10 Cum rogaretur Sigiſmundus imperator quem uirum regno dignum aptumq; exiſtimaret. Eum, inquit, quem neq; ſecundæ res extollerẽt, neq; aduerſæ deprimerent.

11 Cum gloriabundus quidã eques corã Sigiſmũdo, urbanos magiſtratus paruifaceret, tribunoſq; militũ laudibus in cœlũ tolleret, Tace, inqt, Thraſo, nulla nobis militia opus eſſet, ſi ſuas quiq; ciuitates, prætores, cæteriq; magiſtratus moderatè iuſteq; gubernarẽt.

Senenſes fortaſſe ramuſculũ ignari in regis oculũ demiſere. Vtinã nil aliud rex doleat

12 quàm Senenſis populi dolorem, ac metũ. Verum Ioannes Lyritanus cum dietim nouis contumelijs ciuitatem noſtram afficiat, accuſare tamen eam apud regem non ceſſat. E

Verum eſt quod Satyricus ille ait,
Libertas pauperis hæc eſt,
Pulſatus rogat, & pugnis conſcius adorat.
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

13 Literæ Caſparis Schlickij ex Nurẽberga miſſæ, cũ in manus Frederici Cæſaris ueniſſent, quæ nonnullis Hungaris inſcribebantur, fuerunt, qui eas aperiendas dicerẽt, quòd in ijs aliquid proditionis ſcriptum eſſe putarent, quod ſciri oporteret. Quibus Fredericus, Caſparem ego & probum uirum, & mei amantem exiſtimo, ſi fallor, malo per ſeſe error pateat, quàm mea diligentia inueſtigetur.

14 Non mirum, ſi non putauit Alphonſus in regnis ſuis ſuo tempore, ſeptem ſapientes inueniri poſſe, quum ex omni Græcia & Aſia, totoq; penè orbe terrarum omnibus ætatibus uix totidem annotati ſint.

15 In ſcholam Pragenſem ingreſſus aliqãdo Carolus quartus Romanorum imperator, cum diſputantes liberalium artium magiſtros in horas quatuor audiuiſſet, idq; purpurati moleſte ferrent, ac cœnæ tempus adeſſe dicerẽt. Mihi, inquit, tempus eſt minime. Nam cœna mea hæc eſt.

16 Cum beatos quiſpiam Fœneratores coram Sigiſmundo diceret, qui dormiẽtes rem augerent. Et tu ergo miſer, inquit Sigiſmundus, qui rem uigilando comminuis. F

17 Si deſint Thraſones, in uanum Gnathones clamitant.

18 Legerat illud Alphonſus, ut arbitror, quod non ignotus Poëta cecinit.

Dij maiorum
Vmbris tenuem & ſine pondere terram,
Spiranteſq; crocos, & in urna perpetuum uer,
Qui præceptorem ſancti uoluere parentis eſſe loco.

Atq; idcirco ſuo magiſtro uel poma, uel confectiones zaccareas miniſtrauit.

19 Georgius Fiſtellus cum eſſet doctor, à Sigiſmũdo Cæſare equeſtris militiæ inſignia ſuſcepit. Exin cum Baſilienſem Synodum adiſſet, conſultante de rebus arduis Sigiſmũdo, dubius an doctoribus legum coniunctis in unum locum, aut ſe equitibus ab illis in alium ſeparatis coniungat. Cumq; tandem ad equites inclinaret. Stulte agis, inquit Sigiſmundus, qui literis militiam præfers. Nam ego milites mille una die fecerim, doctorem mille annis non fecerim.

20 Vitoldus Lituaniæ dux plebem legi, legẽ principi ſubiectam eſſe oportere, dicebat, Adeoq; differentem moribus & habitu à ſuis popularibus ſeſe præbuit, ut illos tonderi edicto

A edicto iusserit, sibi tanquã maiestatis insigne barbam intonsam retinens. At cum id nõ
succederet, nam Lituani uitam potius quàm barbam parati erant amittere. Caput ipse
genasq; rasit, capitalem pœnam in eos comminatus, qui suo exemplo barbam aut co-
mam deponerent.

Essent plerunque principes, quàm priuati homines, uti Socrates, meliores, si reges de- 21
ctio, non successio faceret.

Cum quæreret aliquis ex Thoma Sarzanensi, qui postea maximum pontificatũ ade- 22
ptus, Nicolaus quintus appellatus est, qualis esset Eugenius Papa quartus. At, inquit,
hoc facile cognitu est, qualis familia est, talem & principem inuenias.

Austriales quo[illegible] qui accersitis Bohemis in Noua ciuitate Fredericum Cæsarem ex 23
Italia redeuntem obsederunt, eò demum redacti sunt, ut uictores ex uicto pacem pete-
rent, atq; in eam rem auri sex milia nummum quotannis penderent.

Sub imperio fœminæ cum esset Austria, defecerat enim uirilis proles, hinc Hũgarus, 24
inde Baioarius prouinciam prædabatur, fœminæ quæ cõtemneretur, suadebant amici,
alterum ex hostibus uirum acciperet, qui alterius contumeliam propulsaret. Quibus il
la, minime inimico nubam, Ottoccarum ex Bohemia potius accersam, qui meo coniu
gio ditatus, & Baioario & Hungaro uicem reddat. Neq; enim natura fert, ut qui nobis
B nocent, ijs benefaciamus.

Sigismundus imperator cum esset in Italia, audissetq; patres Basileæ coactos Eugeni 25
um Papam summo Pontificatu deponere statuisse, quamuis podagra laboraret itineri
se commisit, tantaq; celeritate aduectus est, ut ante in Concilio sit uisus, quàm eò uentu
rus audiretur. Neque enim bono principi tolerabile uidebatur ecclesiam, quam se au
tore ad consensionem & pacem Constantiensis synodus reduxisset, Basiliensis de-
nuo rescinderet.

Consolatoriæ super morte fratris ad te missæ literæ, magnum in te regis amorẽ testan 26
tur, sed quẽ ille amet, si te non amet, qui eum, uel post facta uicturum facis.

Interrogatus aliquando Fredericus imperator quid homini optimum possit contin- 27
gere, respondit, Bonus in hac uita exitus. Qui locos moderatè ferrent, sapiẽtes dicere Si-
gismundus solitus erat, qui promptissime iocarentur ingeniosos.

Anno superiore Græcus ad Albertum Austriæ ducem uenit, qui se Constantini Cæ- 28
saris à Turcis occisi Germanum diceret, quem cum exploratorẽ ille comperisset, quæ-
cunq; in Germania pararentur, ad Turcas perferentem gladio percuti iussit. Carolus
quartus Romanorum imperator hominem, qui sibi necem parasset, ad se uocauit, eiq;
aureos mille dono dedit, quibus nubilem filiã nuptui collocaret. Illius se misereri dicẽs,
cui filia natu grandior domi clausa esset. Homo gratias egit regi, & ad conspiratores e-
C gressus. Nesciebam, inquit, Carolus qualis esset, nunc liberalem & clementem princi-
pem ferire nullo pacto possum.

Venatio, inquit Albertus imperator Ladislai pater, exercitatio uirilis, saltatio mulie- 29
bris: Seq; uoluptate quauis alia carere posse, uenatione non posse.

Siquẽ sua sorte cõtentũ esse decet, nõ est cur Alphõsus de fortunæ distributione que- 30
ratur, qui triũ Deorũ imperia obtinet, Plutonis, Hispaniæ regna, Neptuni Siciliã & ali-
as insulas, Iouis, Italiam, quamuis sua uirtus totius orbis imperium meruit.

Studiosum esse Alphonsum librisq; deditum, nemo dubitat, qui cum uersetur, neque 31
enim sermo ullus eius est, qui non doctrinam redoleat. Nuper rogabamus eum ne Tu-
sciam bello perire sineret, qui se pacis regem inscriberet. Tum ille Cassandram, inquit,
diuinandi arte & cognitione futuri donauerat Apollo. Id factum, in Concilio deorum
damnatum, qui futura prouidere mortalibus inhibitum asserent. At cum reuocare di-
uinum donum nephas ducerent, statutum est, ne quis Cassandræ prophetanti fidem ha-
beret. Eodem modo quamuis pacificum me regem appellem, mihi credit nemo.

Inter eos, qui mendacissimi sunt, adde si placet, & qui militassent multũ. Ioãnes Han 32
nelburgensis non incelebratus medicus, iubẽte aliquãdo Sigismũdo imperatore secede
re paululũ omneis, qui Comanũ nescirẽt. Nam cũ Comanis ei res erat, qui sunt Hun-

garix populi,non paruit imperio. Interrogantiq; Cæsari cur non exijsset, quia solos,inquit,abire iussisti,qui Comanum ignorent,quæ iussio haud quaquam me comprehendit. Nam mentiri ac furari,quod est Comanorum proprium,nemo æquæ ignorat atq; ego calleo. D

33 Denaq; diuinæ legis mandata sub magna nobis mercede commendata sunt. At si unum fregeris,cuncta fregeris.

34 Quatorupus qui apud Morauos ultimus regnauit,cum se absente regiam conflagrasse didicisset,interrogauit nuncium an cella uinaria salua esset, eoq; respondente absumptis cæteris illam intactam igni superfuisse,& nos,inquit,igitur salui ac læti sumus.

35 Quemadmodum superi amari & timeri uolunt,ita & reges,ait Sigismundus: neque enim bene ames,nisi timeas.

36 Vellem Alphonsi arte atq; diligentia non solum ciues,sed milites quoq; ingenio malo prauoq; bonos & emendatos reddi. Sed militia,ut mihi uidetur,sentina uitiorum est, quæ nulla uirtutis indicamenta suscipiat. Alphōsum uero cum omnibus ingenio, doctrina,uirtute,arte,sapientia non solum contendisse,sed eos etiam uicisse dixerim, natus, ut mihi uidetur,ad omnia quæcunq; aggredi statuat.

37 In terra Austria cū obijsset unus ex primoribus annos natus tres & nonaginta, qui uitam inter uoluptates illecebrasq; nulla unquā ualetudine offensam duxisset, ignotaq; illi omnis calamitas,omnis mœstitia fuisset,idq; Frederico Cæsari narraretur. Et hinc,inquit,ille immortales animas censere licet. Nāq; si Deus est qui hunc mundū gubernat, ut Philosophi & Theologi docent,eumq; iustū esse nemo negat,profecto alia loca sunt ad quæ post mortem animæ migrant,ibiq; pro factis aut mercedem aut pœnā accipiūt. Nam hic bonis sua præmia,neq; malis sua supplicia reddi uidemus. E

38 Gallus medicus litem,cui patrocinetur,iniquam facit. Bellum,cui se immiscet Hildebrandus,iniustum,quod Picininus suscipit iniustum atq; impium.

39 Ioannes de monte Damarū natione Sueuus,sit mihi,inquit,actus aliquis,in quo perpetuo degā:opulentū quempiam mercatorē,ut apud Florentinos esse aliquos aiunt, fugientem,admota tergo lancea quasi iamiam capiā,insequi uelim. Sic enim sequitur sua quēq; uoluptas, ut ait Poëtarū Latinorū maximus. At dulce ociū & priuatæ uitæ quies interdicta principibus,neq; Diocletiano ad hortos redacto aspirauit fortuna.

40 Interrogatus Fredericus imperator,quinam sibi charissimi essent,qui me,inquit,nō magis quàm Deum timent.

41 Iurasse Fredericū nunq̄ cōperi,nisi cum in ciuitate Aquensi apud Belgas, & cū Romæ coronatus esset,idq; iuramentū constātissime tenuit. Cū enim iureiurando promisisset,quæ bona possideret imperiū nullatenus alienaturū, & modo hoc modo illud ex eo peteretur,maluit auarus negando,quā cōcedendo periurus uideri. Eamq; ob causam petenti Borsio Marchioni Estensi ducatū Mutinæ & Regij,tamdiu restitit,donec mōstratum est eundem ducatum,qui sub annuo tributo cōcederetur,lucri magis quàm alienationis speciē habere,præsertim cum Mutina ac Regiū in potestate sua non essent, quam rem nos ei potissime suasimus. F

42 Auri nummum centum millia ciuis quidam Pragensis recepto chirographo, Carolo quarto imperatori mutuo dedit,eumq; postridie ad prandium inuitauit, conuocatis aliquot regulis,conuiuium more Bohemiæ splendidissimum apparauit. Cum uero potioni & caseo,ut illi consueuerunt,locus esset,neq; enim sacchareis cōfectionibus utuntur, Chirographum in catino aureo iussit adferri admirantibus conuiuis, & quid hoc sibi uellet quærētibus. Cætera,inquit,fercula Cæsar communia tibi cum hisce optimatibus fuere,hoc tui solius erit. Nam aurū quod mutuaui nudius tertius tibi dono,omneq; debitum remitto.

43 Ignis,quem sacrum uocant,digitum pedis Sigismundi Cæsaris exurebat. Et ne altius serperet timebatur. Medici abscindendum digitum suasere, paruit imperator & quasi alius inscideretur,ita immotus,chirurgici ferrum inspectauit,& pertulit.

44 Bohemi apud quos multa plana raras fossas inuenias,equitatū peditatūq; omnē intra

currus claudunt, in curribus uero quasi mœnibus armatos collocant, qui missilibus hostem arceant. Cum prælium committitur ex curribus quasi duo cornua efficiunt, eaq; pro multitudine pugnatorum & loci necessitate explicant, retroq; & à lateribus tecti in fronte pugnant, interea paulatim aurigæ procedunt, hostiumq; acies circumuenire atq; includere conantur. Quo facto haud dubie uictoriam parant, cum hostes undiq; feriantur. Est quoq; plaustrorũ cõpages ea arte composita, ut ad imperatoris iussum, qua uelit, & quãdo uelit, aperiatur, siue ad fugã, siue ad insequẽdos hostes ratio postulauerit.

Quamuis amici culpa solutum se fœdere Alphonsus dicere posset, memor tamen suæ constantiæ & accepti beneficij, ratas esse pactiones uoluit, quæ exciderant. Idem & nũc erga se facturum regem Senenses sperant. Etsi enim ea non Senensium est, quæ Philippo fuit, erga regem beneficentia, est tamen regis erga Senenses illa, quæ fuit in Philippum constantia. Propterea si fœdus quoquomodo à Senensibus uiolatum reperiatur, quod minime credimus, haud quaquam malitia ulla, sed ignorantia fortassis eius rei causa fuerit. 45

Qualis fuerit Alphonsus iuuenis, ipsa nunc ætas maior ostendit, quem sæpe ueloci insidentẽ equo persequi feras, ac nunc apros, nunc ceruos iaculari uidimus, suaq; manu sternere. Quæ opera in tanto rege strenuitatis magis quàm prudentiæ censemus. Nam uitam in qua tot populorum uita consistit, sine magna causa periculis obiectari nolim. 46

In orationem pro suscipiendo in Turcas bello.

ORatio magnanimo rege atque ipso Alphõso digna, digitus Dei hic est. Neque enim hæc uerba, hos sensus, hanc denique mentem, nisi sanctus spiritus ministrauit. Exijt hæc oratio, exijt & ad nos, usq; in Germaniam delata est. Non potest dictũ indictũ esse. Belli rex tria in se magni beneficia Dei commemorat, qui non belua, sed homo rationis capax ab eo sit creatus. Nec qualiscunq; homo, sed Christianus homo. Nec qualiscunq; Christianus, sed Christianus rex, reddere illud modestia uetuit, quòd nõ qualiscũq; rex à Deo creatus est, sed regũ quos habet Europa est potentissimus & sapiẽtissimus, quod nostro seculo inauditũ est, rex atq; Philosophus. Verũ quoniã honestũ & laudabile est hoc promisisse si perficiatur: ita & turpe & uituperabile fuerit, si negligantur. Ad tantã uero rem exequendã, necessaria est Heturiæ pax, quæ cum perturbata sit, totam Italiam suspensam tenet. Huius pacandæ potestas atq; arbitrium penes Alphõsum esse, nemo dubitat. Suade igitur Antoni, suadete omnes, quibus aperte sunt regis aures, ut relicto Picinino pacem Tusciæ restituat. Sic enim assumptis in Turcas armis, Christianum nomen ut est ab eo uulgatum, & tueri & amplificare poterit.

In triumphum Alphonsi.



CVm redierit Alphonsus subactis Turcis, liberata Græcia & spolia illa cruenta, nephandiq; Mahumeti caput retulerit. O qualem ei currum apparabit Italia, quales gratias aget ecclesia, quæ festa omnis Christiana societas agitabit. Conuenient Romam Septentrionis & Occidentis reges, redeuntemq; magnum imperatorem Christianæ Reipublicæ salutabunt. Cardinales cunctiq; præsules ecclesiarum, & magistratus urbis, longo extra mœnia interuallo sacra ferentes obuiam ibunt. Niuei stabunt ad frena Quirites, sternetur purpura & ostro, quæcunq; ab eo terra calcanda fuerit. Matronæ nobiles, uirginesq; rosas & lilia è tectis in eum spargent, & uariarum serta florum sacro capiti annectent. Ipse curru sublimis, aureos in plebem nummos iaciet, quocunq; in foro, quocunq; in triuio substiterit, nouas ludorum facies

 offendet,

offendet, acclamabitq; omnis populus, uictori uitam & gloriam. Atq; ita triumphans non in Capitolium falsiq; Iouis ædem, sed in Apostolorum principis beati Petri Basilicam deducetur. Ibiq; maximum sacerdotem Calixtum tertiũ uerum Christi uicarium, & regni æterni claues tenentem inueniens, largam ab eo benedictionem accipiens, amplexus atq; deosculatus grandæuum patrem, secum in penitiorem palacij partem secedet, ubi & de recenti uictoria, & de rebus Hispanicis longos inter sese sermones habebunt. Tunc tua Antoni musa quasi ab inferis resurget, & tu quidem poëmata compones. Bartholomæus Factius historias scribet, mortalemq; regem immortalitati donabitis. Nos quoque, si quid strepere inter cygnos coruis licet, aliquid seorsim inueniemus, quod de tanto rege posteris referamus. Hæc habuimus Antoni quæ per otium Neapolitanum ad dicteria tua adijceremus. Tu uale & boni consule. Ex Neapoli decimo D

Calend. Maias. Anno ab incarnatione saluatoris Christi

M. CCCC. LVI.

Ad Alphonsum Arragoniæ regem, Aeneæ Senensis episcopi Oratio.



Odestius fortasse fuerit Rex maxime ac pijssime, audito Ioãne Solerio Apostolico legato patre optimo & doctissimo, diuina re diutius protracta, fugiẽte iam die, nos tacere quàm loqui. Sed cogimur accepti beneficij magnitudine, ne omnino silentes huius diei solẽnitatem prætereamus. In qua pacẽ sapienti ac diuino consilio tuo perfectum uulgari iussisti. Quare non urbi nostræ solum uerum Hetruriæ ac toti Italiæ, imò uero uniuersæ reipublicæ Christianæ salutem hodie partam uidemus. Etenim quamuis hoc bello, quod modo extinctum est, solus ager Senensis uastari uideretur, eius tamen ueneni labes longe lateq; totam Italiam inficiebat. Neq; Laudensi pace, neque altera coram te habita, in hac urbe Christiano populo satis consultum erat. Cum sedato uno tumultu mox alter oriretur, atque in morem serpentis Hydræ noua indies belli capita succrescerent. At concordia quæ nunc dictante te cõposita est, omnem contentionis nostræ radicem prorsus extirpat. Nullam Italiæ prouinciolam, aut inquietam aut insecuram relinquit. Nulli ius suum aufert, nullũ lædit, nullum excludit. Hæc igitur uera pax est, & quæ prioribus illis de pace tractatibus solidum signum, siue ut aiunt, sigillum apponit. Hæc concordia Christianis quidem uera quies, Turcis autem, ut mihi persuadeo, extremum exitium erit. Nam quantum discordia nostra extulit illos, tamen consensus noster deprimeret atq; deijciet. Quippe, ut audient Hungari, Rasciani, Valachi, Albani, Græciq; omneis pacatam atq; cõcordem Italiam esse, inuictis animis Turcarũ arma sustinebunt: exin Fredericus imperator Augustus inuictissimus, qui etiam te ad hanc concordiã adhortatus est cum suis Teutonibus Martialiq; gente. Galli quoq; feroces, & alij trans Alpes fideles populi, iamiam tempus adesse fatebuntur, quo se bello contra Turcas accingant. Nam quamuis anno superiore sancta sedes Apostolica legatos mitteret, decimas exigeret, indulgentias elargiretur, naues construeret, tua quoq; maiestas cruce signata multa et magna in hostes fidei minaretur. Nemo tamen credidit expeditioni locũ fore, cum uicina Romanæ curiæ atq; in ipsis penè urbis foribus belli tempestas grassaretur. At nunc extirpatis funditus dissensionibus Italiæ è radicibus, quid aliud expectemus, quàm te classe maxima ac potẽtissima, ut dicere soles, quingentis uelis instructa. Orientem petere, ignominiam Deo & saluatori nostro illatam uindicare. Rem uideor fortasse difficili atq; impossibili similem polliceri. Verum qui te hisce comparant, quiq; tuas uires, & quæ tibi duo magnanimi reges, alter Castellæ, alter Portugalliæ ministrare promittunt auxilia, metiuntur, nihil me supra modum sperare fatentur. Age igitur rex inclyte tibi, Calixtoq; summo Pontifici hæc laus seruata est, qua religionem Christianam undiq; conculcatam, ac fermè deletam in

pristinam

A pristinam gloriam restituatis. Nam uetus ille oriens, qui nobis olim ueræ fidei lumen infudit, nunc ab Occidente lucem ac salutem expectat.

Legimus Christianos imperatores & pontifices maximos ab Hispania missos, sæpe Catholicæ fidei magnificè ac salubriter consuluisse. Theodosius, Damasus, atque alios, ætas nostra sub Calixto tertio diuinitus dato pontifice, ac sub Alphonso rege sapientissimo atq; incomparabili utroq; Hispano, Orientalia regna rursus ad Christum uerum, et singularem Deum reditura esse confidit. Cui rex pulcherrimum hodie tua sublimitas initium dedit, quæ cunctas Italiæ lites unico pacis arbitramento sedauit. Cuius facti gratia non est oratio nostra, quæ beatissimi patris tui Calixti susceptam consolationem ac lætitiam explicare posit, aut in medium proferre, quibus te honoribus sua pietas, & omnis ecclesia cumulare decreuit. Senenses uero à te saluberrima pace donati, ac magnifice conseruati, nullo unquam tempore huius diei memoriam obliterabunt. Gratissima est enim nostra respub. quæ quamuis aliquando pro sua tenuitate, ijs qui sibi benefaciunt uicem reddere nequit, animũ tamen semper obnoxium ac retribuendi cupidam retinet. Videntur adhuc in templo nostro maiori equestres eorum statuæ, qui ante aliquot secula ciuitati nostræ benè consuluerunt. Manfredi qui ex hoc regno laboranti populo nostro, opẽ tulit æterna memoria apud nos est. Bonifacius nonus huius urbis alumnus,
B qui urbi nostræ non defuit, magna in necessitate quasi numen aliquod apud nos habetur. Galeatij ac Philippi Mariarum Longobardorũ ducum, qui maiores nostros in maximis sæpe discriminibus adiuuerunt, nomina in ciuitate nostra immortalia perseuerant. Ob memoriam sanctissimi Calixti nostri, qui ut nobis periculũ demeret, periculum ipsi subirent, nõ recusauit. Aedem construere magistratus nostri decreuerunt. In qua sibi quotannis sacrificetur. Et tibi ergo Alphonse æui nostri gloria, & nato tuo inclyto Calabriæ duci Ferdinando & liberis eius, & omni tuæ posteritati Senenses uniuersi, dum stabunt urbis mœnia, hanc hodiernam pacem, id est salutem et libertatem suam gratissimis animis imputabunt, tuumq; erit apud eos indelebile nomen. Mercedem uero tam pij, tam necessarij, tam fructuosi operis, reddat tibi diuina miseratio.

COMMENTARIORVM AENEAE SYLVII EPISCOPI SENENSIS FINIS.

AENEAE SYLVII PII Pontificis Epistolarum Liber.

D

Congratulatur amico de prospe- ritate successus, Epist. I.

Iulianus Cardinalis Sācti Angeli Apostolicæ sedis Legatus, doctissimo uiro D. Aeneæ Syluio de Senis, amico charissimo, Regis Romanorum Secretario, S. D.

Mantissime Aenea gaudeo te esse apud serenissimum dominum Regem in loco honorabili & te digno. Licet (ut animi mei affectum fatear) mallem te esse in Italia, in loco etiam tua uirtute digno. Congratulor Cācellariæ imperiali quæ talem uirum sortita est: cuius ingenio nō parum florebit. Iam locus ille Latinam redolebit facundiā. Ego te propediem uidebo & amplexabor, simulq; redarguam quod iussisti me sub conditione salutari. Si scires quantum te semper dilexi & diligo, quantumq; tuis afficior uirtutibus, profecto misisses conditionem illam. Et cum per officium, cui præes ad me comode uenire nō poteras, scripsisses saltem more tuo literas suauissimas. Sed ignosco modestiæ tuæ, & quicquid facis ipse mecum in meliorem accipio partem. Sed deinceps uelim te mecum confidentius agere, & non obliuisci eius, quæ inter nos semper fuit beneuolentiæ atq; amicitiæ. Familiarem hūc meum ut celeriter expediatur adiuua. Cupio permaxime mox esse apud Cæsarem, ut aliquid pro quiete huius regni possim efficere, quo melius faciliusq; expeditio militaris cōtra Turcas, fidei catholicæ seuissimos hostes instituta parari possit. Ad hæc enim duo sanctissima opera iuxta legationis apostolicæ mihi iniunctæ officium, totus anhelo ac ferueo quemadmodum in rebus Bohemicis olim me feruere conspexisti, Vale.

E

Ciliæ comes imperatori reconciliatus est, Epist. II.

F

Aeneas Syluius. S. P. D. Reuerendissimo in Christo patri, domino Iu- *liano Cardinali sancti Angeli apostolicæ sedis Legato.*

NOn cogit me necessitas, sed amor scribere. Literis iamq; uestris quas ex Buda ad me designastis per magnificum Cācellarium satis factum est. Nihil enim ex me ille petebat, nisi ut creationem cuiusdam Palatini comitis promouerē. In hoc quid factum sit, & quid non, ex Cācellario cognoscetis. Ego illud adijcio fecisse mihi uerba super hac re Nicolaum Castellanum cum hac transiret, meq; id respondisse quod nūc secutum est. Sic principes sunt fere omnes, cum opinionem aliquam induerunt, magna opus est arte ut sententiam mutent. Persuasum est regi inutilem esse hanc comitum creationem. Nec omnino errat. Quis enim non uituperaret usq; ad mercatores sordidasq; artes, hoc decus egregium descendisse. Rex tamen dum prohibere uult, quod fieri non debet, id etiam uetat quod fuerat faciendum. Seruandus est in omnibus rebus modus, & quam Philosophi ponunt mediocritas quædam tenenda. Sed hoc magnis autoribus persuaderi debet. Mihi non plus fidei est, quàm pecuniæ. Idq; tolero pacienter, quando & me maiores eodem haberi modo tractariq; uideo. Sed de his finem facio, ne dum loqui propono, uidear oblocutus. Nouitates quoq; uix ullæ sunt quæ per me scribi debe-

ant: si

A ant:si quid erat Cācellarius præoccupauit. Vnum tamen quod ille præterijt ex me notū habebitis. Comes enim Ciliæ qui diu & Viennæ & hic fuit, petita erratorum uenia, gratiam regis meruit, omninoq; in concordiam redijt: Nec aliquid regia maiestas ex eo uoluit, quod nō ex integro reportauerit. Senior comes nunc in Græciam uenire debet, Regiq; se prosternere, & omnia filij facta comprobare. Debebat Rex citius illuc proficisci, sed plures eum occupationes detinuere. Nunc scio (si uera sunt quæ ipsius ab ore cadūt) iturum ipsum ante septendium, quia reuerti eum, Viennā ad res Bohemicas infra mensem oportet. De Cathelanis mutatis, Gallicisq; uariatis nihil scribam, quia ex alijs confluere ad uos noua non ambigo. Deus nobis unionem cōcedat, qualiscūq; ea fuerit tandem, quoniam si à deo erit, mala esse non poterit. Ex Italia miror nullam insignem, per hos dies nouitatem missam. Frisingensis episcopis qui uester amicus non uulgaris fuit, præter opinatum omnium uita excessit. Rex successorem optat germanum esse domini Cancellarij. Res & in capitulo & apud Eugenium, & apud Cōcilium per diuersos uentilatur: nec certum adhuc, nec uerisimile habeo quis debeat uoto potiri. Ego desiderijs meis omnibus germano Cancellarij maxime faueo. Det deus illi ut secunda sint uniuersa. Valete optime, diuq; commendatum habete.

B *Imperator prælatos suos reuocauit ex Cōcilio Basiliensi, propter fœdus Eugenij papæ cū Rege Arragonum & duce Mediolanensi, Epist. 111.*

Aeneas Syluius poëta. S. P. D. Reuerendissimo in Christo patri *domino Iuliano Cardinali sancti Angeli.*

NOn opus est, Reuerēdissime pater & domine mi colēdissime, multis impræsentiarum agere: quia quod alijs litteris eutrusco sermone, & mihi iam obliterato optaueram, diligenti opera per uestram Reuerendam Paternitatem curatum est, sicut & maiestati Regiæ & domino Cancellario, tum per uos, tum per serenissimum dominum Regem Poloniæ scriptum uidi. Solum aliqua scitu digna uestræ Reuerendissimæ Paternitati modo referam. Scio namq; quod apud Hungaros non quemadmodum apud uos Italicæ nouitates sciuntur, & tamen naturale est de patria uelle percrebro sentire. Nec enim aut Alpes Iuliæ, aut Danubius sicut arbitror, amorem patriæ ex uestro pectore ademerunt. Sed puto idem contingere uestræ Reuerendissime paternitati quod mihi, quia quanto longius à paternis recedo laribus, quantoque diutius suauissimo Ausoniæ cœlo priuor, tanto magis desidero naturale solum uidere, ibiq; uiuere & mori. Scribā igitur pauca de patria nostra & magna & uera, si uera sunt quæ magni uiri ad Cæsaris nostri deducunt noticiam. Primum est Bononiam more suo, quæ super Mercurio fundata est, motum fecisse: Franciscūq; Pícininum in uinculis coniecisse. Antea
C quoque soror illius Ianua & sub eodem astro constructa, Thomam Vulgosium ducem suum de tribunali in carcerem traxerat, eiq; Raphaëlem ad urnum suffecerat. Sed hæc paululum antiquiora sunt. Credo recentiora cupitis nosse, nec ista desunt: uberem semper materiam nouitatis habet Italia. Eugenium Senis esse non ignoratis. Is cum Rege Arragonū & duce Mediolani, ac Nicolao Picinino, et cum tota factione illa fœdus percussit. Cuius rei uigore reuocaturus est Rex suos ex Basiliensi Concilio prælatos. Ea lege ut in Eugeniana curia suis dignitatibus potiantur: quāuis antea Gallici minati fuerunt, ulterius se non præstituros obedientiam Eugenio, nisi is aperto bello Regem illum impeteret. Veneti quoq; Florentini, Ienuenses & Bononiēses nouam inter se confœderationē fecerunt. Iāq; Florentinorū & Venetorū copiæ Bononiā ingressæ sunt. Nec spes est illam posse per Picininum recuperari, tametsi adhuc eius nomine arx defendatur. Marchio Ferrariensis, quoniam filiam regis Arragonum desponsatā habet, armigeros Venetorū per suum territoriū transire prohibuit, quæ res eum suspectū ualde reddit. Illi aūt nauigio Rauennam applicuerūt, atq; illinc in Aemiliam profecti sunt Bononiāq; ingressi. Circa quā soli Aloysi de uerme, et dominus Fauētiæ castrametabatur. Sed Fauentinus iā ad sua tutāda reuersus est, ne se absente per Florētinos qui agros

Fauentinos

fauentinos populabantur, expugnari urbs posset. Nicolaus Picininus circa Castenellā & comes Franciscus circa sanctū Seuerinum castra tenent, quasi sortiti prouincias deuastandas, eaq; lex ut iste unam, ille aliam exhauriat prouinciam. Et sic misera funditus Italia laceratur, quæ unica solum causa facit, ut exilium quod mihi ad tempus delegerā, breue diutius protraham, quoniam minus grauia sunt aliquantulum quæ audiuntur quàm quæ uidentur mala. Hæc scripsi ne scriberem nihil uestris humanissimis literis prouocatus. Non ut exinde mentem uestram perturbem, quæ in uiro sapiente quietissima est, sed ut mihi potius leuamen aucupari narrando possem. Valeat optime uestra Reuerenda Paternitas, meq; ut facit seruorum suorum in numero semper habeat. D

Literas studere suadet, quia maxime decorant. *Epist. IIII.*

Aneas Syluius poëta, Nepoti suo Anthonio salutem.

RETulit mihi Nānes pater tuus te dum puer adhuc fores, miro literarum amore fuisse incensum, postquam uero ex ephebis excessisti, neminem esse qui tibi amplius ut studeas quæat persuadere: quæ res non mira tantum mihi, sed stupenda fuit. Cæteri enim puericiam simul & stultitiam deponunt, uirilem togam & prudentiam induentes. Tu contra sapiens puer, stultus uir cupis uideri. Et barbam quasi umbraculum uirtutis recipis. Doleo certe tui causa, nec quid de te facturum sit scio. Iubet Cicero ut quilibet in adolescentia uiam eligat & genus uitæ honestum, quo uti debeat. Idem Hercules factitauit. Nam cum per quietem duæ sibi mulieres supra humanam formam uenustæ apparerent, & altera sibi uoluptatem, laborem altera promitteret, hanc secutus est sciens quod post laborem præmiū certaminis datur. Nec coronatur (ut inquit Apostolus) nisi qui legitime certauerit. Tu uero, ut audio, uagari uis semper, nec aliquod genus uitæ saltem honestum amplecti studes, Literas quas puer amasti, iam uir odio habes, pudet me tui causa. Nescio enim quid esse posis absq; literis, nisi asinꝰ bipes? Quid enim homo est absq; doctrina quantum uis diues, quantumuis potens? Quid inter hominem illiteratum & marmoream statuam inter est? Non dux, non Rex, nō Imperator alicuius precij est literarum ignarus. Videmus nostri seculi principes, quoniam rudes sunt, & nedum latinum, sed maternum quodammodo ignorantes sermonem, quanto despectui sunt, quomodo negliguntur, quomodo uituperantur, quod si quis eorū obedientiam in subditis habet, non amor sed metus id facit. Qui (ut Cicero ait) Nō est diuturnus magister officij. At ubi metus abest mox deseruntur: Interdum etiam neci dantur. Quid ergo tu miser studia despicis literarum, qui pauper es, qui nisi per magnam uirtutem euadere in uirum clarum non potes. Quid facis obsecro, quid speras? Reris ne semper iuuentutis florem tibi durare? an nescis, quia tanquam flos agri iuuentus est, qui mane nitet, uespere uero arescit. Nihil est uelocius tempore, nihil quod magis fugiat, uolat semper irremeabile tempus. Tu tibi pulcher uideris, dum ætas robusta, dum iuuentus florida uiret. Nō cogitas instare senectutem, non uides quia dies quælibet aliquid detrahit formæ tuæ. Aliqua forsitan formosa puella tuo capta nitore, te cœpit, teq; quasi cathenis ligatum retinet. Tu eius delicias sequeris, beatumq; te putas dum in amplexus uenis illius: sed longe deceptus es. Nam dum formam istius miraris, formosiorem deseris adolescentem. Non enim lucifer aut hesperus tam pulcher est, quàm sapiētia quæ studijs acquiritur literarum, unde & dicere Plato solebat: quod si uideri eius forma posset, mirabiles sui amores excitaret. Tu tamen hæc omnia deseruisti, ut tuus genitor dixit, uicit te (ut opinor) impetus iuuentutis. Sed cogita mi Anthoni, quia non semper iuuenes sumus. Redi obsecro in uiam & teipsum uindica. Linque ineptias iuuentutis, & uirum te esse memento. Omnia hæc prætereunt quibus modo lætaris, ætas, ualitudo, forma, deliciæ, uoluptates. Sola nos, si semel recepta fuerit, usq; ad mortem sapientia comitatur, & post mortem uitam aliam beatissimam præbet. Hanc igitur rogo mi Anthoni, ut omnibus rebus alijs post tergum positis, adipisci studeas quod tunc demum facies, si Philosophiæ dederis operam, & quod asidua lectione didiceris, in opus deduxeris. Ad quam rem

E F

A rem iam tempus est ut te accingas, nec cum hodie possis bene uiuere, cras dicas incipiam. Vale.

Agricultura laudatur. *Epist. V.*

Aeneas Syluius, S. P. D. Ioanni Ptolemaeo patruo suo.

ELegisti ut audio senectuti tuae conuenientissimam uitam. Hortulis quidem rigandis & rei rusticae studes. Res est te digna & senio tuo dulce hoc ocium est, honestũ negocium, modesta uoluptas. Iam non armis aptus es, grauis galea esset, molesta lorica, intolerabileq; scutum. Rursus quoque in rerum ciuilium uersari fluctibus, carere somno, cibum nõ sumere in tempore, mortifera res est senibus. At rusticatio uitam quietam, liberam, honestam & frugalitati cõuenientem praebet. Nec tu primus ex sapientib. uiris, in hoc uiuẽdi genus ex rebuspublicis cõuolasti. Nulla uoluptas maior fuit Horatio quàm rure sese recipere, quo cum uenisset, uix illinc poterat Octauiani Caesaris, & totius mundi domini iussibus euocari. Cum uero in urbe foret, miro desiderio ruris assidue tenebatur: hinc ad Moecenatem scribens. Orus, inquit, quando ego te aspiciã? Perlege epistolas Senecae quid illic magis quàm agrorum cultus collaudatur. Plantauit ille platanos sua manu, piscinas fodit, aquas deduxit, nullibi libentius quàm in agris erat. Quid
B in Catone maiore Cicero scribit? quas utilitates ex agricultura percipi ostendit? quàm uberrimos quaestus: quantam illic uoluptatem consistere, quantam mentis quietem, quantam curarum remissionem, quantam naualem oblectationem? Hoc genus uitae solum naturae hominum usuiq; praecipue est accommodatum, quod omnia ad uictum cultumq; nostrum spectantia nobis suppeditat. Sapis equidem qui hanc uitam delegeris, à tempestatibus ciuilis insaniae remotissimam. Hinc potes tanquam ex altissimo speculo nos curialibus negocijs implicitos, quasi naufragantes despicere: haec potes tibi soli uacare, te colere, te frui. Diocletianus cui orbis parebat, depositis imperij fastibus, in uilla Salone agriculturae studijs sese tradidit. Fecisset idem Augustus ut quidam scribit, nisi timuisset insidias. Cyrus Persarum Rex gloriari plurimum solebat, cum uenientibus ad se hortum ostenderet suis manibus consertum, & arbores in ordinem positas. Sed ne mortalium tantum exempla sequamur, Deus ipse cum hominem primo creasset, ubi nã illum posuit, nisi in hortum deliciarum. Et illum cum illinc expulit, quo nam obsecro nisi in agros misit. Facis ergo mi Ioannes quod te decet, quod & ego si potero aliquando faciam: Nam degentem rure hominem commendo. Curam laudo rerũ rusticarum conserendi plantandiq; solertiam probo: Moneo tamen ut labor leuis sit, qui corpus non atterat, sed exercitio quodam corroboret. Ibi modestè uiues, integritatem uitae seruabis. Non ibi curiositas superuacua & anxia te tenebit solicitudo, ut quicquid ubique geratur pernoscas: non tibi somnum adimere poterunt curae, inuidiae, pestilentia, & edaci
C carebis liuore. Nulli fraudi locus erit. Nulli scelerum officinae patebit accessus. Sed dulcis securitas, quies tranquilla, ocium frugi, uita officio plena, urbanis honoribus atque diuitijs omnibus anteferenda te habebit. Sequere enim ut cepisti, & agrum simul & teipsum ita excultũ redde, ut cum egredi è uita oporteat, ad hortos illos peruenias, quibus nec pluuia nocet nec aestus. Vale.

Conuersationem suam notificat. *Epist. VI.*

Caspar Nouariensis, S. P. D. Aeneae Syluio *Poëtae praeceptori suo.*

NIhil literis meis praeter quàm singularem quãdam dilectionem quam in te habeo, significare studeo. Intellexisti tamen profecto ut opinor iamdudum me tibi illam habere, tametsi nullo effectu indicarim. Sed quod res mea atque conditio usque hanc in diem effici passa fuit, ut effectu ipso uoluntatem meam patefacerem, solum hoc mihi de te permissum fuit, ut ad te nunquam irem quin doctior abirem. Idcirco te accedere saepius summopere conabar, & id mihi operepraecium fuit, tuoq; frui consilio usq;

oblectatus

oblectatus sum, & me (ut ita dixerim) te magistro uersificare puto. Nec quidem recessum tuum uidere facile fuit, qui tam et cõsilio & re ipsa proderas, nempe ut præsens mentis meæ suauium eras, absens tristicia ipsius factus es: atq; ut Comici nostri uerbis fruar, haud uerum est quod uulgo dici solet, diem adimere ægritudinem hominum. Nam mihi quotidie non de filio ut ipse ait, sed de te magistro & patre integrescit dolor. Vnum tamen est quod mentem meam lenit, tui uidelicet status augmentum, quod incommodo meo interdum equiparo, & ipse meæ mentis arcano tibi stationem facio, mecumq; taliter manducas & bibis. Et quoniam de tuis uersibus quos indies suauiores facis, nullus ad me uenit, expedit me quãdoq; quos feceris fingere, & inde tanquam tu ipse eos feceris illis gaudere. Nouissime autem unam (& ego illam eclogam uoco) feci, in qua Martinum Gallium Felicianum consecretarium tum tecum altercantem, merito quidem introduxi. Illum quippe post te in magistrum meum decreuerã me habiturum, illoq; paucülos dies potitus sum, sed confestim cum Felice nostro ab hac urbe decessit. Stephanũ deinde auunculum meum altercationis nostræ iudicem statui. Et id duas ob causas factũ est. Primum equidẽ, ut nec ipse arbitraretur memoriam eius apud me prorsus periisse, siue uilem effectam esse. Altera uero ut illos uersiculos, non tanquam à uobis sed à discipulo uestro editos ipse corrigeret, priusquã in alienas partes diuulgatur. Habes nũc omnem usq; à principio causam, quare hæc cõdita sit ecloga in hunc modum. Vale ut opto & me ama ut soles, atq; age ut non diu responsum expectem. Si quid tibi quod rei meæ conuenire iudices eueneri, mei memineris quæso itidẽ & Cæsaris medico coitalico nostro, quẽ uerbo meo saluere iubeas, uelim supplico. Cupio quidem tecũ esse. Iterũ Vale.

Repræsalia dissuadet, *Epist. VII.*

Aeneas Syluius poëta, S. P. D. Ioanni Horlando uiro magnifico.

REddidit mihi familiaris tuus, tum ex te, tum ex Petro Iuliani literas in eum finem tendentes, ut apud magnificũ Cancellarium rem tuã curarem, feci id libenter. Sed minime opus erat currenti equo calcar admouere: sua etenim sponte tantũ ipse Cãcellarius inclinatus erat, ut omnes apud eum preces superfluæ uiderentur & essent. Diligit enim te summo corde, libenterq; se in his exercet quæ tuum respiciunt commodũ. Itaq; adhibita est in tuo negocio summa diligẽtia. Factus est cum Rege & cum Cancellarijs de eo sermo prolixus. Quid autem inde haberi potuerit, ex literis Cancellarij percipies: puto bonum consilium esse quod de plumbino datur, & tu alias aperuisti. Nam ex illo recuperares debitum tuum, & Maiestatis Regiæ gratiam ad maiora nansciscereris. quanquã putem Regum & Principum gratias tibi iam esse fastidio, qui post Martinũ nullum es nisi onerosum expertus dominum. Intelligo ex literis tuis te ad ius repræsaliarum uelle recurrere, id est incertum & periculosum remedium, multumq; iniusticiæ secũ defert, cum hi sæpissime luant penam, qui sunt expertes peccati. Tum uero id incitamentum est bellorum, quoniam qui læduntur rursus se ulcisci uolunt, totq; undiq; repræsaliæ fiunt, donec apertum exardescit bellum. Tu tamen quid tibi conueniat magis scis. Ego dicam sicut ad Curionem scribit Cicero. Aut te in meam sententiam ducam, aut certe testatum apud animũ tuum relinquã quid senserim, ut si quãdo displicem tibi tuũ consilium ceperit, possis meum, imo uerius Cancellarij recordari. Atq; de his satis. Respondissem Petro Iuliani, nisi nũcius tuus iterum illum ad regem Arragonum ex parte ducis Mediolanensis significasset. Vbicunq; tamen sit, gratias sibi refero pro suis humanissimis literis, eiusq; filium tibi efficio commendatum. Vale optime mei memor.

Amicitiam & dilectionem notificat, & se excusat quod raro scripsit, *Epist. VIII.*

Aeneas Syluius poëta, S. P. D. Nicolao Amidano iurisconsulto.

SI numerum epistolarum ultro citroq; missarum pensamus nihil est quod tibi debeã. Quippe cũ literis unis duntaxat usitati fuerimus inuicem. Rursus uero si uerba computemus teneor tibi multa rescribere, sicut multa significasti. Accedit huc quod amicitia

citia nō est computatrix beneficiorū, ut quæ non ad numerum uel qualitatem, sed ad effectum retribuit. Scribā igitur siue obligatus sim siue solutus. Respondeboq; tuis literis quā potero breuiter & succincte, ne uel tibi lecturo, uel mihi scribēti sim molestus. Congaudeo primum quod domum grauissimi & omnium doctissimi iurisconsulti reuerendissimi domini Cardinalis Panormitanensis intraueris, ibiq; magistratū susceperis. Nā id tibi admodum proderit, qui ex illius uberantissimo scientiarū fonte dietim potās doctior euades, & mihi utilis eris, gratiam quā in sua. R. P. reperi. cōfirmans continuansq;. Taceoq; quod sub eius umbra ad magnas tibi dignitates patebit accessus. Reliquū est ut horter ad perseuerantiam quā demum adipisceris, si multæ patientiæ te tradideris: qđ unicum est remedium contra inuidiā ualentissimum. Vterer maiori cohortatione, si tua uirtus mihi perspecta non esset. Sed noui quàm sis aduersus quoslibet fortunæ impetus tuis dotib. & philosophiæ institutis armatus. Quod uero ad archipræsbyteratū electus fueris, id ita demum laudo si absq; desertione nostrarum partium potes eo peruenire, qđ nisi possis, melius est officio quā fide carere. Arbitror te sentire de autoritate ecclesiæ nō quod multi, sed quod boni doctiq; sentiūt. Ita mihi dum Basileæ fui de te cōcepta opinio est, & tum propter multas uirtutes, tum propter consortiū fidei maxime te dilexi, ita qđ non puto episcopatum, ne dicam præsbyteratum posse te nobis auferre. Placet tamen quod scripsisti te uiam inuenisse, per quā et fidem possis et dignitatem tenere. De tuo in me amore, nihil est quod te scribere oporteat. Illum enim non solum uidi oculis, sed palpaui & manibus, atq; hinc factum est ut te germani diligam loco, quod mihi quā tibi est longe facilius. Ego enim fratribus careo, tu fulcitus es. Sed spero tuos meos fore. Nihil plus de amicitia dicam, ea enim nō uerba sed facta cupit. Aliud est in tuis literis quod ad me scriptum de Glycerio magnæ uoluptati fuit, dum amoris perseuerantiā exprimis miramq; fidem. Ea enim huiusmodi sunt ut etiā si uera non sint, titilationem tamē quandā præseferant, & pathos excitant. Es tu quidem meo iudicio sapiēs qui tibi talia facile persuades, libentiusq; in bonā quā in malā interpretaris partem: nam quid prodest seipsum affligere: Mea semper opinio fuit, his in rebus quæ multum fellis parumq; mellis habet, sapientissimi hominis esse, quod dulce est excerpere, quod malū foret lippis oculis præterire. Atq; idcirco nunquā quesitū ire placuit ꝙ inuentū molestiā afferret. Teq; exhortatū uolo ut serues hāc consuetudinē, placita dūtaxat queras, acerba uero prætermittas. Quibus obuiare nequirē & tristari possem. De Glycerio ista ꝙ tibi tuæq; fidei quasi animalā & corculū meū commendatū scio. Si quando Stephani aut Francisci iurisc̄osultorū scenas ingressa fuerit, finge te id nescire et totū mihi claude: Nā etsi scio nihil ab inguine illorū esse tutū, decipi tamen meipsum uolo, & ignorātia potius delectabili ꝙ scientia molesta frui. Vltimū est ꝙ de nouitatib. tetigisti. Illæ etsi auditu gratæ fuerint, nō tamē faciēt ut tibi gratias agā, quod est inter amicos absonū. Nihil enim amic⁹ amico facere potest ꝙ nō sit debitū, atq; idcirco expers gratiæ. Rogo tamē ut sæpe sic facias. Tu nūc audi ex nobis qđ noui sit. Ladislaus Rex Poloniæ quāuis adolescēs Vngariā habet, magnūq; conatū belli aduersus Turcas Christiani nominis ꝑpetuos hostes fieri procurat, inde fauorē suarū partiū quærens. Nā cū sciat se regnū iniuste possidere, fauores hominū sub colore bonorū operū quærit. Sortitusq; est hāc ad rē optimū ministrum Cardinalem sancti Angeli, uirū & fama & eloquētia potentem, qui sub colore passagij partes suas tueri studet Sed nō c̄osueuit hic fortunatus esse in bellis, sicut Bohemia ostendit. Deus tamen opus non finē spectet, & Christianitati potius ꝙ cupiditati hominū. Reliqua ex Pigallo nostro quære. Reuerēdissimo domino comiti me dedi, et amicorū qcqđ habeo meo nomine saluū dicito. Tu uale & amicitiæ nostræ tāto tenatior esto quāto sum⁹ remotiores.

Excusatoria cur non uisitauerit amicum, Epist. IX.

Aeneas Syluius poëta, Reuerendissimo in Christo patri domino *Leonardo Patauiensi Episcopo, S. P. D.*

QVod me tuo conspectui nō sæpius offero, quodq; tuas edes nō uisito, nec superbiæ nec negligentiæ mihi debes ascribere: quarum alteram abominor, alterā sem

per fugi. Rursus quoque nec occupationibus impedior meis, cui multum est ocij. Quid igitur est quod me retrahit? dicam si scire uis. Nimium magni domini locum tenes, non conuenit mihi cum tanta dignitate. Veniunt principes, comites, barones, milites. Illis patet ianua tua. Nil mea toga inter tot aureas uestes momenti habet. Pudet me illis admissis ante ostium stare et expectare. Et fateor iustũ esse illos præferri. Quid ergo superest? nihil ne tecum communicabo? Nõ sic agam, sed quod uoce dicturus eram scriptis exprimam. Audio abfuturam esse idque breuiter Paternitatem tuam Reuerendam. Vnũ duntaxat ex illa expeto, ut si quid sit in absentia tua, eius quod mea cura possit absolui, nec mihi nec meis laboribus ignoscas, sed ut mancipio tuo me utaris. Hoc dicturus eram cum hodie ad te uenirem, cumque intrantibus alijs retrocederem. Sed non minus est scriptum quàm dictum: cum illud fugiat, hoc maneat: illud negari, hoc perpetuo possit probari. Suscipe igitur chirographum hoc quasi meæ erga te fidei uadem. Et sicuti scribo, ita de mea mente meoque animo cõfide, quia & sum & esse uolo perpetuo tuus. Vale. D

Quales magistratus esse debeant, Epist. X.

Aeneas Syluius, S. P. D. domino Lupo de Portugal, *legum doctori fratri optimo.*

EXimie doctor & amice charissime, literis tuis quas Basileæ suscepi, iam annus est non potui tunc respondere, quia mox Cæsarem sum secutus, ab eo in secretarium receptus. Postea per quem scriberem nullus affuit tabellarius. Sed reuertitur nunc ad dominum suum Blasius Alfansi in decretis baccalaurius, qui apud Regiam Maiestatem infantis Petri ducis Cornubiæ fuit orator. Is si ualet hanc meam epistolam tibi reddet, sibi enim commissa est. Non tamen nũc tangenda sunt quæ dudum scripsisti. Illa enim omnia immutata sunt. Tamen uolo scias, me solide tua gaudia gaudere, magnamque mihi lætitiam attulisse nuncium, quo te præsidem Olisbonen. significasti. Libuit enim id mihi uehemẽter, tum quod amico bene cupio, tum quod in te uiro ex omni parte probato, quælibet dignitas optime sedet. Scio nanque nõ te propter dignitatem, sed illam abs te illustrari. Laudoque ex hoc regij gubernatoris circumspectionem, qui beneficia sua bene locare scit, & ad rempublicam gubernandam uiros aduocat sapientiæ studiosos. Vtinam omnibus principibus idem animus esset, quia non sic omnes ignorantiæ plenæ forent prouinciæ: nec summi magistratus propter iustitiam officialium deturbarentur. Sed de hoc satis. Consilij Basiliensis quis status sit, iam te arbitror audisse. Rex Arragonum qui more principum non regnum fidei, sed fidem regno seruare uult, prælatos suos ex Basilea iussit abire. In omnibus rebus præclarus princeps, in hac mirabilis. Rursus Gallici, Veneti et Florentini, qui pontificem suum Eugenium quasi deum uenerantur, exclu so ex Apulia Renato Rege, fidem aliam induerunt. Mira rerum mutatio, qui ante fauebant Concilio iam impugnant. Et qui impugnabant, modo fauent. Lusus iam Ecclesia est, qualem de pila fieri uidemus, dum huc atque illuc impellitur lusorum ictibus percussa. Sed aspicit illa ex alto Deus, & quamuis raro in terris expendere homines digna supplicia coget, nullum tamen in supremo eius iudicio malum impunitum relinquit. Liberũ arbitrium nobis dedit, uiuere nos ut libet sinit, laxas dimisit mortalibus habenas, rationem tamen rerum omnium dum iudicabit orbem exacturus est, tumque uidebunt principes, an propter eos regna fuerũt instituta, an ipsi propter regna, qui suis omnia seruire libidinibus uolunt. Spero tamen in hoc ecclesiæ negotio per Cæsarem nostrum & electores imperij bonos terminos inueniri, qui ad unionem & pacem ecclesiastici ordinis totis uiribus operas nauant. Et puto in proximo Nurenbergensi cõuentu, qui ad festum sancti Martini indictus est, nouum Concilium conuocari nominarique locum. Deus faxit ut euentus habeat res ecclesiæ salutares. Tu scis ubi terrarum sum, et quantum potestatis in me habeas non ignoras, nisi me usus pro arbitrio fueris, non mandatorij sed mandantis culpæ ascribendum erit. Vale tam mei magis memor quàm à me remotior. Ego pro ueteri familiaritate te colo obseruoque.

De su-

De superbia Gallicorum, Epist. XI.

A Aeneas Syluius poëta, S. P. D. Caspari Nouariensi adolescẽti primario.

REcipio libenter semper tuas literas, & quia te amo, gaudeo quod indies limatior fias & doctior. Expurgationem quam de Gallo fecisti, pro nostro animo admitto, & ut scribis ita esse confido. Et quamuis illum tibi esse humaniorem uellẽ tuæ utilitatis causa, lætor tamen opinionem de illo meam apud te reprobatam fore. Cuius superbiam non idcirco admiror, quia paternum uitium est. Mihi enim ut credas uelim, nullã esse gentem quæ Gallorum superet ambitionem: nostri præterea inimici sunt, nec unquam nostri sanguinis hominem diligunt. Nam cum sint ipsi pleni fastu, uideriq; optimi uelint potius quàm esse, Italos oderunt, maxime quo se præcellunt. Et quia eos uirtute nequeunt imitari, inuidia prosequuntur. Et quibus ipsi potissimum abundant uitijs, ea generi nostro ascribunt. Sed de his satis quæ non scribo ut publices. Nam hæc scribere (quamuis uera sunt) plenum discriminis est nobis qui Papam habemus Gallicum, alias loqueremur liberius. Nunc ista apud te sepulta sint, sufficiatq; tibi soli scripsisse, aut Stephano uiro & optimo & doctissimo tantum, cui ut me commendes peto. Te autem cõfidas mihi esse charissimum, eamq; meam fore intentionem, ut eo animo inter nos simus B absentes quo præsentes fuimus: quod de te semper sperare, de me præstare possum, ut Ciceronis utar uerbis. Carmina habeo nulla nunc edenda, quia orationi solutæ operam his diebus præstiti. Vale & me Reuerẽdissimo domino Cardinali nostro effice cõmendatũ.

De Sicilia an sit duplex, Epist. XII.

Aeneas Syluius poëta, S. P. D. Alberto Malectæ Papiensi
Comiti atque doctori.

MAgnifice comes ac doctor eximie, Serenissimi Regis Arragonum cuius præclaras uirtutes non solum homines sed ipsa facta loquuntur, epistolam quandã Cæsari nostro N. Marchionis tabellarius reddidit, sicut & tu mihi futurum significasti. In ea titulus erat qui utriusq; Siciliæ mentionem efficiebat, quam rem satis sum demiratus. Legi namq; satis multas historias. Cosmographiam quoq; perscrutatus sum, nec unquam Siciliam repperi nisi unam, quæ tum Sicania tum Trinacria dicta est, quã nonnulli ex ueteribus coniunctam olim Italiæ tradunt fuisse, sed impulsu continuo superi atque inferi maris disiectam esse terram, quæ regiũ plerorumq; coniungebat, moxq; Scyllæ atq; Charibdis inter abrupta montium & immania antra locũ monstris fabulose datum. Quod uero ea Italiæ portio quæ quondam magna Græcia dicebatur, Siciliæ nomẽ C habuerit, nec legi unquam, nec audiui nisi nunc: quod mihi absurdum uidetur: nec satis mihi causæ præbet, quod reges Siciliæ qui Neapolim tennerunt, duo regna fecerunt. alterum ultra farum, alterum citra. Nam hoc regnum Apuliæ illud Siciliæ dicebatur, non utrũq; Siciliæ. Hoc quo ad literas regis. Nunc ad tuas uenio. Scribis te uelle mihi respondere duabus epistolis meis quas diuersis temporibus suscepisti. Perlegi omnia quæ scribis nihil inuenio quod meis petitis respondeas. De rebus nãq; ecclesiæ quas tibi cõmendaui nullum facis uerbũ, sed omnis sermo tu9 in Marchionis causa uersatur. Plus amas, ut uideo, tuum principem quàm putarem. Cum enim sua ingrederis negocia, nihil est quod amplius recorderis: utinam ille sciret tuam fidelitatem. Nam cum sit in omnes bonus, in te optimus esset. Suades mihi ut rem suam cordi habeã: non loqueris muto, sum tui similis: non minus quàm tu cupio Marchioni consultum esse. Tum propter multas eius uirtutes quibus nostrum ornat seculũ, tum quia eum fauere ingenijs & scio & gaudeo. Curam meam, studium & solicitudinem uniuersam apud Cancellarium Regẽ adhibui: si causam egissem meã, nec tam ardens fuissem nec tam facundus. Cancellarius non indiguit stimulo: ipse sibi calcar erat. Quod noui habitũ est, hoc est ut mille aurei qui uenire quotannis in censum petebantur in pãnos aureos, ut argentea uasa cõuertantur: ne sordida uideatur pecuniarum præstatio. Nihil plus est quod precibus sit cõcessum: uos

nunc cõsulite quod in rem uestram sit. Ego non tantifacerẽ quod mutari potest. Quod mea deuotio. N. domino Marchioni sit nota percharum est, si modo & sua erga me charitas extendatur. Cupit enim omnis dilectio redamari quod tunc in me fieri sciam, cum mihi scripseris. Gaudens silui, quia ex munificentia mei principis pingue nactus es beneficium. Vale & iocis ut iocis utere, seria uti sunt recipe. Dominum Danielem si quando ad te uenit, aut si quando ei scribis meis uerbis saluum facito. D

De Ladislao Rege, Epist. XIII.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Reuerendißimo in Christo patri Dionysio, *Archiepiscop Strigoonienſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbytero Cardinali.*

RES noua, pater colẽdißime & fortasse mira uidebitur, quod ego tuæ paternitati scribam, qui nihil habeam tecum negocij: quiꝗ nec nomine nec corpore apud te sum notus. Sed post facio ista, dum me complaciturum tuæ Reuerendißimæ paternitati non ambigo. Nãꝗ cum partes sereniſsimi domini Regis Ladislai inter primarios teneas defendasꝗ, quis dubitat gratum tibi fore illius audire sospitatem, quem toto conatu defendis. Ego quidem certus sum P. T. R. nihil in terris magis desiderare, quã puerum illum bene optimeꝗ ualere. De qua re cum dubia mens tua ex Vienna recesserit, non est ab re meis literis scribi, quod oculis uidi meis, ut confundantur qui paßioni consultantes suæ, non rei uerba sed uerbis rem aptare nituntur. Scribam igitur tuæ dignationi, quæ nuper in Stiria respexi. Quod nisi uerum fuerit, subijcio me cuiusuis iudicio etiã inimici, meꝗ ascribo pœnæ quã falsi testes merẽtur. Iamꝗ rem prosequor. Stiriæ fluuius est qui ex alpibus præcipitatus Dranũ influit amnem: ac exinde per Hystrũ fertur in pontum: quẽ Muram incolæ uocitant. Prope hanc ripã oppidum iacet gentile nomine Cretum dictũ. Hic ex medio camporũ equore ingens cumulus surgit, præruptis undiꝗ scopulis liber. Cuius cacumen arx tenet, & natura loci et opis humanæ præsidio munita, ad regiam quoꝗ fastigiata magnificentiã. Hic spes Austriæ Hungariæ desiderium, et Bohemorum cura nutritus Rex Ladislaus puer, quem idibus Septembris in aula regia coram Friderico Cæsare patruele suo magna baronum stipante caterua sum cõtemplatus. Adhibe obsecro aures, tibiꝗ & puerũ & mores describam, nec sine uoluptate (ut opinor) q̃ referam audies. Annos natus tres erat puellus iamꝗ attigerat quartũ, sed ætatem maturiorem tũ proceritas pueri, tũ intellectus mentiebatur. Tu eum aliquãdo in ulnis habuisti quando coronã regio imponens capiti. Nũc dimittis domine seruum tuũ dixisti, quia uiderunt oculi mei salutare tuũ. Sed alia nunc pueri facies est. Aspectus eius omnes qui aderant, incredibili uoluptate repleuit. Incedebat nãꝗ per aulam tanquã sciret se regem esse, debericꝗ sibi ab omnibus reuerentiã: oculosꝗ nunc huc nunc illuc non sine maiestate quadã deflectens. Candidulã manum porrigebat astãtibus, tantaꝗ lucebat in eo puero grauitas, ut sæpe minorem grandæui reges præseferant. Antequã patruelis adesset, nutricem percontatus est sæpe ubi nam esset: At ut uenientem didicit, in honorantis modũ suapte caput suum, inflexit & tan quã sciret ducalis dignitas quantum ab imperiali distaret. Aliter Sigismundo duci: aliter Cæsari se obuiam dedit. Dũ hinc atꝗ hinc in circulo interpelleretur Aethiopem forte uidit, moxꝗ in Cæsaris fugiens sinum: heu quã inquit, deformis. Demiratus est Cæsar confugientis ad se pueri confidentiam, qui priori tempore nunquã in eum dirigere lumina uoluisset: lætusꝗ nouitatem circumstantibus exponebat. Tũ magnificus Cancellarius Caspar, Ne mirere inquit imperator, Numẽ in puero est: nec regius sanguis diuini spiritus tutela caret: Matrem habuit cum te antea spreuit. Nunc illa defuncta, præter te habet neminẽ. Ideoꝗ tibi tanquam patri alludit. Tu illi pater, tu mater, tu auus es. In te illi spes, in te subsidiũ, in te salus est. Scit hoc puellꝰ. Et quia pupillus est orphanusꝗ, auxiliũ tuum implorat. Te sibi patronum petit, tutorem, aduocatum, protectorem. Ego desertus sum, ait: hinc Poloni Vngariam occupant, hinc Bohemi nouas res moliri student, ætas mea contemnitur. Et quia annos non habeo nec ius credor habere. At si tu me Cæsar iuueris, maxima hæc duo regna mihi obediunt Nec præter te maiorẽ Regẽ quã ego ero Europa uidebit. Sin deseris, ex Rege coronato par-

E

F

uulus

A uulus fiam dux. Ex quibus rebus altera domũ nostram tollet in altum, altera in profundum merget. Sed obsecro ut curã mei habeas Cæsar, ut familiæ nostræ honori consulas & tuam serues dignitatẽ: ne ius meum alieni usurpent meaq; abutantur ætate. Hoc uult puer o Cæsar, cum ad te uenit, hoc illæ blanditiæ postulant. Hoc est quod ad te cõfugit, nõ sine aliqua diuinitatis instigatione. Tu pueri, tu pupilli et orphani & sanguinis tui miserere. Mouerũt Cæsarem, tũ pupilli blandimenta, tum Casparis uerba. At post morulã. Non deseram inquit, Caspar sanguinem meum, nec si Romanum imperium, aut Austria quicquid poterit periclitari, iusticiam pueri sustinebo. Sicq; locutus patruelem brachijs eleuans media fronte suauiatus est. Erat puer ultra quã dici posit formosus, nasum aui materni & frontem susceperat: oculus ex patre mutuatus fuerat, pectus & humeros ex utroque, cætera matris erant, ore paruo malis ad gratiam tumescẽtibus succi plenus, & plus lactis habens quã sanguinis. Capillis crispis & in auri fulgorem nitentibus. Risu cum uerecundia mixto. Nihil in puero emenda dignum. Si nudum solumq; in nemore quis reperisset, regium genus in puero cognouisset. Nec aut illi canis aut lupa defuisset nutrix, sicut de Cyro referũt atq; Romulo. O si puerum hunc uiderent Hungari tui, qui tecum in fide manserunt. O si eum tangere aut audire possent: quos animos sumerent? quas acies ducerent? quæ bella gererent? quas ederent hostium strages? Stupebã

B olim ego cum legerem Macedonas cum Illyriensibus præliãtes, quoniam prima pugna succubuissent, sequenti die certamen instaurasse, infantemq;, ob cuius regnum certabãt, ad bellum iacentem in cunis detulisse, quo uiso tantus ardor inuaserit milites, quod hinc leones hinc pecudes crediti fuerint præliantes. Accendit namq; uirtutem commiseratio pueri, quoniam indigne priuari regno cernebãt. Versi ergo in fugam Illyrij uictoriã hostibus reddiderunt. Recognoscentes priori certamine non uires illis aut animos, sed regis auspicia defuisse. Quæ cũ mihi prius fabulosa uiderẽtur, Ladislaus puer auitis regnis spoliatus credibilia præbuit. Nam si ego alienigena sub imperio natus Romano, commoueri uiscera & omnes mutari affectus ex aspectu pueri sensi, quid in quã facturi sunt illi quibus hunc natura dominum tradidit, quos pater eius & mater & auus rexere: qui eum inter se nasci uiderunt, qui caput eius adhuc infans diademate cinxerunt: qui iureiurando promiserunt obedientiam. Nempe si uerum mea sententia fert, non solum fideles præsentia pueri commoueret, sed ipsos etiam qui fidem cum fortuna mutarunt ad commiserationem traheret, imo & ipsos hostium truces animos frangeret, nec telum esset tã asperum cuius acies in puerum posset adeo generosum, nec ullius oratio tantũ momenti haberet in populos, quantum seipsum puer in medio multitudinis erigens: siue is esset quem admirabantur Athenæ, siue quem uniuersi sequebantur Quirites. Habet enim latentem quandam energiam regis facies. Nec ullus est tam durus, tam asper, tam ferus,

C aut inanis, qui regibus indigna ferentibus non compatiatur. Sed nunc præcipue misericordia crescit, cum his qui patitur, suam calamitatem effari per ætatem nescit, at ubi flendum esset, risu diffunditur, ubi ridendum, planctu, qualem cernimus Ladislaum, qui etsi maximam habeat plorãdi materiam, sepulto patre orbatus & matre, ac regnis nudatus, alacritatem tamen ostendit, equum ascendit ligneum, totamq; lætabundus obequitat aulam. O generosum puerũ, quis est qui te spernit Regem, quis est qui tibi nolit subesse? Quæ illi nobilitas satis erit? cui tua minor uidetur. Nemo est orbe toto, qui te generis claritate præcellat: nemo par est, multumq; distet necesse est, qui tibi secundus ponatur. Fabulãtur Gallici Troianam prosapiam: sed illa iam diu defecit, terq; post Francorum in Galliam transitum regiam stirpem Gallici uariarunt. Aiunt Anglici Brutum quendam euerso ilico ad se uenisse, unde reges eorum trahunt originem: quod nullus historicorũ tradit præter Anglicum quendam parum eruditum, qui uolens Romano generi insularem equare sanguinem, quod Liuius atq; Salustius graues autores de Aenea narrant, finxit de Bruto: quanquã & postea Saxones Britanniã magna ui inuadentes pulsis prioribus incolis, nouos cultores induxerunt, ac reges & linguam mutarint. At tecum Ladislae nihil oportet fingere, utinam ueritati satis faceret calamus, nostraq; posset oratio fieri uero conformis. Sed superat omnem sermonem tua nobilitas. Namq; ut præterea

nobilissimæ Australis domus originem ad altum usque Iulij sanguinem repetendam, genitorem tuum Romani, Hungari atque Bohemi Regem suum uenerabantur. Cuius opera totũ in orbem uulgata sunt pro tutela fidei et augmento nominis Christiani gesta. Auus tuus ijsdem præfuit regnis. Turcas plurimos, plurimis prælijs lacessiuit. Sirthas plurimos domuit, omnibus infidelibus terrori fuit. Scissam ecclesiam tresq; colentem pontifices in Constantiensi Concilio traxit ad unionem. Gallos Anglicosq; infensissimos hostes composuit. Hispaniam pacauit. Italiam ter intrauit coronamq; Cæsaream suscepit. Cuius fratres reges fuerunt. Pater illi Carolus quartus fuit. Et illi auus Henricus septimus Cæsarum qui post Theodosium regnauere, tum sapientissimus, tum gloriosissimus. Sub quo Germania & Italia quasi columbæ sub aquila tremebundæ tulerunt imperium. Cuius maiores longa serie Romanam rempublicam gubernarunt, quam nunc & tuus patruelis Fredericus administrat. O splendidum genus pueri. O gloriam & laudem: ubi nam sanguis illustrior? ubi nam series tantæ nobilitatis? Obscuritatem quærunt qui post tãtam generositatem alium petunt Regem. Mira res si tantũ splendorem Hungari fugiunt: quem nec Macedones ne Babyloni nec Romani cõtemnerent, sed ultro sibi regem deposcerent. Cuius egregia indoles præsagium facit paternam in eo fortitudinem, auitam prudentiam & utriusq; liberalitatem renatam. Nec tãtam de se spem ut Ascanius Aeneæ, aut Hector Priamo, aut Alexander Philippo præbuit, quantum in hac ætate Ladislaus se uisentibus exhibet. Hunc Cæsar propediem in Austriam secum adducet, Vngariæq; uicinum præbebit, ut uideri ab his possit qui amant, & timeri ab his qui odiunt. Faxit Deus uita eius ut illi longior sit, ut & Nestoris æquet annos, & Augusti fœlicitatem superet. Hæc habui quæ de Ladislao nunc scriberem, qui cum scirem tibi iocũda, silere nolui. Tu si uisum fuerit & amicis & inimicis hæc cõmunicare poteris: illis ad gaudium, istis ad pœnam: quorum tandem oculos diuina pietas adaperiat, ut ad cor reuersi, dominum suum agnoscant, eiusq; potius ueniam quàm ultionem expectent. Tu uale feliciter: bonoq; animo puelli regis, ætatem tolera, quo uirilem togam sumentem, & tu & tui omnes plus inuenietis lætitiæ quàm sperare fas fuerit. Ex Creta. D E

Reprehenditur de mendatio, fingens se scripsisse. Epist. XIIII.

Aeneas Syluius Poëta imperialisq; Secretarius, S. P. D. Francisco *de Roma aduocato consistoriali.*

QVereris mi Francisce quod mihi pluries dederis literas et à me nullas susceperis. Sed solet esse ista negligentium cautela, quod quotiens nihil scribunt, totiens se iactant multum scripsisse. Ego tuas literas recepi nullas, uide an me uel te decipias. Non credo tuis literis magis quã alijs clausum esse iter. Cæterorum enim literæ ad me omnes deferuntur, sed mitte obsecro hanc querelam apud me, qui calleo has uersutias. Cũ alijs hisce utere, & me si uis scribere, scribe, & nunquã impune me uisitabis. De re quam nunc postulas hoc habe: me uelle & commodo & honori tuo semper consulere. Sed causa nunc occurrit nulla pinguis: hæc pro qua nũc agitur, nihil habet præter onus. Ideo te qui aliquid lucri quæris, nolui facere grauatum, quando materia se offert nõ ero immemor tui, quia te amo & tibi cupio bene esse. Vale. F

De filio suo. Epist. XV.

Aeneas Syluius Poëta, genitori suo Syluio salutem.

LAeteris an doleas quod mihi sobolẽ dominus dederit, incertũ te scribis pater. At ego lætitiæ causam uideo, doloris nõ uideo. Quid enim dulcius in humanis est quã gignere sibi similem tanquã extendere sanguinẽ, & habere quẽ post te relinquas. Quid in terris beatius quã natos uidere natorũ? Mihi equidem ingẽs uoluptas est quod semẽ meũ fœtificauerit, quodq; antequã moriar aliquid de me supersit, gratiasq; domino refero, qui partum fœminæ figurauit in marem, ut apud te patrẽ meamq; matrem aliquis

paruus

A paruus ludat Aeneas, & solatia præstet auis, quæ debebat pater impendere. Quod si tibi genitor, gaudio fuit meus ortus: cur filius meus mihi non sit leticiæ? An ne te quoq; lætificabit infantuli uultus, cũ meã uidebis in illo effigiẽ. Nũquid tibi iocundum erit, cum paruulus pendebit ex collo Aeneas: puerilesq; blãdicias agitabit? Sed ais fortasse dolere meum crimen, quod ex peccato genuerim filium. Nescio quã de me finxeris tibi opinionem. Certe nec lapideum, nec ferreum genuisti filium, cum esses tu carneus. Scis qualis tu gallus fueris. At nec ego castratus sum, neque ex frigidorum numero. Nec sum hypocrita ut uideri bonus quàm esse uelim. Fateor ingenue meum erratum, quia nec sanctior sum Dauid rege, nec Salamone sapientior. Antiquum & uetus est hoc delictum, nec scio, quis hoc careat. Late patet hæc pestis (si pestis est naturalibus uti) quanquàm non uideo, cur tantopere damnari coitus debeat, cũ natura, quæ nihil perperam operatur, omnibus ingenuerit animantibus hunc appetitũ, ut genus contineretur humanũ. Sed dicis ut arbitror, certos esse limites, intra quos hoc liceat, nec extra legitimos matrimonij faces progredi debet hic appetitus. Ita est sane, & sæpe inter ipsa nuptiarum claustra scelus admittitur. Et bibendi quoq; comedendi & loquendi certi sunt termini, sed quis seruat illos? quis tam iustus ut septies in die non cadat? loquatur hypocrita, seq; nullius culpæ scium dicat, ego nullũ meritum in me scio, solaq; mihi diuina pietas B spẽ facit misericordiæ, quæ nos labiles scit, & ad lasciuiã procliues. Nec nobis, qui patet omnibus, fontem ueniæ claudet. Sed de hoc satis. Nunc quia coniecturas petis, ne alienum pro meo nutrias, quomodo res se habuerit, paucis exponam. Nondum anni duo effluxerunt ex eo tempore, quo Argẽtinæ gerebam Oratoris munus. Quinquagesima tunc currebat quæ ante proximã præteritã fluxit. Ibi cum ociosus diebus essem pluribꝰ, mulier ex Britãnia ueniens, diuersoriũ meum petẽs in unis ædibus mecũ fuit, nõ inuenusta, nec ætate confecta. Hæc quia sermonem Italicum egregiè norat, me uerbis salutabat Hetruscis, quod illa in regione tanto magis placuit quanto rarius erat, oblectatus sum facetijs fœminæ, cuius in ore maximus lepor erat. Moxq; in mentem uenit Cleopatræ facundia, quæ non solum Anthonium, sed Iulium quoq; Cæsarem eloquẽtia inescauit. Mecũq; qs repræhẽdet in quã, si ego homuncio faciam quod maximi uiri nõ sunt aspernati. Interdum Moysen, interdũ Aristotelem, nõnunquã Christianos in exẽplum sumebam. Quid plura? uicit cupido, incalui, mulierem arsi, mulrisq; blandimẽtis adorsus sum. Sed ut asperis cantibus unda repellitur freti, sic uerba mea hæc cõtempsit, triduoq; suspendit. Erat illi filiola annorum quinq;, quam Milinthus pater hospiti nostro cõmendauerat, uerebaturq; mulier, ne qd hospes persentiret, filiãq; post hac quasi moris materni abdicaret. Instabat nox, sequentiq; die mulier recessura erat, timeo ne abeat præda. Rogo in noctem ne ostio cameræ pessulum obdet, dico me intempesta nocte uenturũ, C negat nec spem ullam facit. Insto, semper idem respõsum est. Itur dormitum. Mecum ego quid? sciam an illa ut iussi fecerit. Recordor Zimæ Florentini forsitan illius amicam hæc imitabitur. Temptandum est inquam. Postquàm silentium undiq; sentio, thalamum mulieris accedo. Clausum ostium est, sed non obfirmatum: aperio, ingredior, muliere potior, hinc natus est filius. Mulier Elisabeth uocatur. Ex idibus Februarij usq; ad alias idus Nouembris, menses currunt qui partui dantur. Hæc mihi dixerat mulier dum Basileæ postea erat. Ego quamuis ipsam non pecunia ulla, sed maximis emissem precibus (ut est ars fœminarum) credebam hæc auri corrodendi causa dici, nec uerbis præbui fidem. Nunc quia eam hoc asserere, quando nihil sperare à me potest, quando nomen conuenit tempusq;, puerum meum puto: teq; mi pater rogo, ut nepotem suscipias, alesq; donec grandiusculus factus ad me ualeat proficisci, meisq; imbui disciplinis: nec puta fœminam diuitem mentiri uelle in filio. Nunc alia prosequar. Scribis te senio cum matre confectum, hoc mi pater tibi sibiq́ue iocundum esse debet, quod eos annos attigisti, quos optabas iuuenis: iamq́ue libere & expedite potes Deo seruire, omnibus spoliatus passionibus quæ mentes iuuenum à Deo alienant. Nec mihi dixeris: omnia fert ætas animumq́ue, ut ex hoc animum perire putes, qui diuinus est, atque immortalis: sed uoluit Poeta significare ætatis

cursu, uigorem illum animi tepescere, qui est in iuuenibus ardens, sed ille magis ad uitia, quàm ad uirtutes inclinat. In senibus purgatus est animus, nihil præter honestum cupiens qualem tibi & matri meæ spero esse, quamuis illa nunquam mundanis desiderijs inhæserit, sed heroica quadam uirtute solum Deo seruire beatum duxerit, hoc fit ut senio uestro minus trister. Si enim iuuenes essetis, timerē de uobis magis. Quod de filijs sororis Landomiæ scribis, certum est apud me gratumq;: tuum est curare ut literas discant, quæ solæ homines extollunt super alios. Ego cum statum meum firmiorem uidero, alterum mihi asciscam. Iacobus Ptholemæus frater si ad me scripserit responso non carebit, prouocari literis non expectet, totiens enim necessario scribo, ut nihil ad libitum uacet. Lectura eius ordinaria solarioq; lætatus sum, famamq; suam indies crescere cum lætitia percipio. Bartholomeo cum præsentib. literas do, nec eius obliuiscor unq̃ pro suis erga te matremq; meritis, & quia Catharinam matris meæ sororem coniugem suam unice amat, matremq; tibi commendo tuæq; fidei: Deumq; rogo ut patriam petens superstites omnes inueniam. Conuentum nãq; cum lætitia celebrabimus. Et quoniam id quod restat uiuamus spacium, ex tuo transigemus arbitrio: nec mihi in te ulla erit controuersia. Ioannem & Landoniam uxorem iube ex me saluas esse. Filiolum suscipe & quicquid egeris mihi rescribe, Vale.

Pœna patienter ferenda est pro culpa. *Epist.* XVI.

Aeneas Syluius Poëta, Caspari de Fara adulescentulo *primario, S. P. D.*

OBlectant me semper literæ tuæ, quas & familiariter & ornate scribis. Hæ uero nouissimæ cum ornatu facetias quoque attulerunt, atque idcirco magis placuere. Vnum tamen in illis sum demiratus quod triduanum ieiunium, idq; interpellatum tantopere exhorrueris: nec profecto aliam causam interpretari possum nisi Cardinalis nimiam facilitatem, qui tibi Iacoboq; nimis indulget: uosq; ue muscipularum ex more quanto magis demulcimini tanto altius caudam eleuatis: loquor tecum libere, quia tute uis, dum me magistrum uocitas, quo nomine oneratum me sentio. Sed loquamur obsecro libere, recipiamus stateram delictumq; cum pœna trutinantes. An Cardinalis magis, an tu erraueris uideamus. Ducitur mulier clanculum in ædes ut amatori coniaceat Iacobo. Nequit exire ut introiuit: occulte panditur tibi scelus. Tu causam amici suscipiens, emittendi mulierculam studio uacas, remq; perficis, Cardinalem celas. Scio te illius esse prudentiæ, ne te consulente adduci potuerit mulier. Idq; enim graue delictum erat, & proditio quædam in dominum, cuius honori multum poterat detrahi, post scelus commissum, amico consulere non fuit erroris, nisi plus domino quàm amico debuisses. Amicitia enim nullius iuri derogat, nec aliquid admittit turpe: sed dic te omnino decuisse amici delictum tegere. Sit ita, nempe ut tibi honor amici, sic Cardinali proprius, curæ esse debet. Tu Cardinali Iacobum prætulisti, cur non te Cardinalis sibi postponat? seq; præponat tibi? Tu eius seruitor es, eius panem comedis, uinumq; bibis: Cur si peccas in eum, non puniaris? Sed ais pœnam duriorem & iudicem asperum esse. Vide quàm inique agis, quanque sinistre Cardinalem incusas. Sciuit peccatum euestigio Cardinalis, nõ tamen statim cognoscere causamq; punire uoluit. Cur hoc? nempe nedum ira ferueret, rationis tramitē indicando præteriret. Quid hoc? nunquid sororium est illi Platonis facto, qui aduersus deditum uentri seruum ira percitus, uocato sororis filio Speusippo, abi, inquit, hunc uerberato, nam ego nimia exagitor ira. Architas Tarentinus summus Philosophus ex bello rediens cum agrum incultum squalentemq; offendisset, accito illius uillico, nisi iratus forē, lugeres ait, timebat quippe uir sapiens, ne ira animum à cognitione uera reuocaret, ultionemq; differendam in tempus duxit. Idem Cardinalis factitauit, qui comperto scelere noluit prius ad punitionem procedere, quã ira triduo sedaretur, uirum certe quem prisca ætas, inter Philosophos numerasset, uidimus modumq; procedendi ad iudiciũ. Sententiã nũc uideamus quid du-

A quid durum, quid asperum, quid acerbum hic mandauit? Alius familiares suos huiusmodi perpetrantes, aut domo expulisset, aut uirgis cedi mādasset. Cardinalis sancti Eustachij sæpe ob minores reatus compedes dedit. At hic uir mansuetus, qui iuuentutis uitia nouit, & quàm difficile sit aculeos carnis comprimere non ignorat, nihil horum. At tibi Caspar triduanum ieiunium indixit. Tu hoc graue & insupportabile iugum reris. Nempe si ita pergis Caspar, suadeo ne curias sequeris. Nam si hoc tam mite impiū ferre nō potes, nullū poteris ferre. Nō sunt (mihi crede) duriora castra quàm curiæ principum, ubi inuidiæ, simultates, detractiones, odia, inimicitiæ, contumeliæ, iniuriæ, pœnæ infinitæ: quæ res nullo modo quàm per patientiam uinci possunt. Hæc res in curijs principum, ecclesiasticorum Prælatorum tanto minores sunt, quanto qui in illis uersantur sunt doctiores: ingeniaq; sua non in bonum, sed in malum plerunq; uertunt. Quod si tu ieiunare non potes, nec illa sufferre potes. Ego te scio tamen uirum robustum esse, qui & inediam, & sitim tolerare queas. Sed nihil apud te difficilius est, quàm animū domare. Nam cum sis iuuenis facis ut iuuenis, cuius proprium est semper uelle uincere: At iuuenes non possunt peruenire quo uolunt, nisi iuuenes esse desinant, seq; aliquando uinci patiantur. Ideo & ego tibi suadeo mi Caspar, ut animum flectas tuum, tibiq; tuipse domineris, et alios aliquando dominari sinas: maxime uiros præstantes, qualis est

B Cardinalis & auunculus tuus: nec uelis omnia ex tuo capite facere, sed ex aliorum sensu aliquando uiuas. Nos enim maxime, quando iuuenes sumus, parum nobis uidemus, nihilq; est tutius quàm ex iudicio amantis uiuere, nec tu mihi famem tuum allegas, qui si hoc perseueraberis agere, te dicam uirum nō esse, qui ex uino paneq; nequeas triduo uiuere. Ego ea qua tu nunc ætate es, diebus duodecim ex pane aquaq; uixi, & diutius uixissem, nisi uoti fuisset finis. Nec Deus ille opifex rerum nostriq; sator & alitor, aliud ab initio nobis alimenti præbuit, quàm glandes & aquam: quod si nostra postmodum luxuria alia inuenit cibaria, non tamen naturæ bonitas præterijt, quin adhuc illis possimus uiuere cibis, qui nostros aluerunt parentes. Tibi illud plus oblatum est, quod ante uineam Noë non erat: Ideo rogo, ut querelam ponas, teq; Cardinalis subijcias sententiæ: quā tanto iustiorem fatearis, quanto durior tibi est uisa. De alijs quæ scribis alias agemus. Tabellarius fugiens scribere plura non sinit. Cardinali me recommenda, & Iacobum saluum dicito. Vale.

Hortatur amicum ut pro se possessionem beneficij accipiat. *Epist.* XVII.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Ioanni Anach Canonico Tridentino *& confratri suo.*

C QVod tibi non scribo sæpius, causa est tua in rebus meis diligentia. Ita enim res meas curas, ut nihil sit opus scribere, nisi uelim gratias tibi agere, quæ pro factis non est digna recompensatio. Nec nunc aliquid scriberem, nisi nouus casus submersisset, qui tuo indiget auxilio. Credo te scire plebem Sarantanæ uallis per dominum decanum nostrum meo nomine acceptatam esse. In eius potiunda possessione uis fit: nec absque timore sum, quod alius illic se intruserit. Tu procuratoris mei officium geris, patronus meus es, aduocatus, protector, sicut in præbenda fecisti, ita in ecclesia facias rogo. Pater meus dominus Franciscus te admonebit, si qua in re opus sit adminiculo tuo: illi obsecro ausculta, & in omni meo negotio ipsum quasi me audi, qui non solum in rebus meis, sed in corpore & anima ius habet. Ego quia nihil pro te possum, nihil facio, animus adesset si facultas præberetur. Tu si scis emolimento aliquo honori, uoluptati, beneplacito tibi me esse posse, iniuriam feceris amico ui commoueris. Vale.

Exhortatoria

Aeneas Syluius Poëta, S.P.D. domino Adæ de Muli Anglico Apostolicæ sedis prothonotario, patri & amico optimo. D

QVo in statu sit respublica Christianorum uides: lacerata ecclesia est, nec in populo, nec in clero pax est: dolet super his inuictissimus Imperator noster: & ut ad uocatum decet ecclesiæ, operam nauare cepit, ut subortum schisma possit eradicari. Ad hoc nullus aptior uidetur modus quàm generale cogi Concilium: hunc ipse amplexus est, & super eo cæteris regibus ac principibus scribit. Inter alios uero præcipuam spem, habet in serenissimo principe domino tuo, meoque Rege Angliæ & Frāciæ, eumque rogat, ut secum ad uniendam ecclesiam uelit concurrere, sicut ex literis ad eum missis perspicies: quod ideo ad te scribo, ut cum sis uir bonus & prælatus optimus, adiuuare domini nostri Imperatoris propositum uelis, & pacem ecclesiæ promouere: ad quā rem hortarer te pluribus uerbis, nisi zoelus tuus ad cōmune bonum esset mihi perspectus. Scio nanque uolūtatem optimam tibi nequaquā deesse. Sed nec potestas abest. Intelligo enim ex omnibus qui ad nos ueniunt ex Anglia teque noscunt, primū te uirum esse, aut primo proximum ex his, qui Regiæ Serenitati sunt chari, quod tum propter priuatā qua tibi afficior amicitiam, tū propter cōmunem utilitatem tàm mihi placet quàm tuis necessarijs debet placere. Minime nanque dubito, quin eo loco sublimatus sanctæ matri ecclesiæ multum prosis, & nūc præsertim, cū uia aperta est ad Concilium pro pace Christiani populi celebrādum. Quod si apud Maiestatem Regiam, sicut spero, promoueris, summā laudē consequeris, nec plura. In hoc tantum hortor, ut ea pares mediteris. Cogites quæ esse in eo prælato debent, qui scit afflictam ecclesiam, & oppressam miserijs temporibus nostris, ac perditis hominum moribus: & cupit ut in pristinam dignitatē & libertatem uendicari possit. Ego apud Cæsarem nostrum secretarij locum teneo, quod tibi ideo significatū facio, ut si quid sit quod me uelis, Aenea tuo confidenter utere, quo cū etiam plus contenderim quā possim, minus tamen faciam quàm debeam. Quia te singulari numero compellauerim, scio tibi non esse molestum, qui & Italorum morem & omniū ueterum non ignoras consuetudinem. Vale, & nullatenus id omitte, ut per latorē præsentium, de Regia intentione mihi non rescribas. E

Accusat locorum mutationem, & amicitiæ officium aperit. *Epist.* XIX.

Aeneas Syluius Poëta imperialisque Secretarius, S. P. D. uiro optimo, & fratri suo amantissimo Richardo de Valentia scriptori apostolico.

EX plurimis literis quas ad te mitto unæ saltem ita felices erunt ut te conueniant. Nā quid est mi Richarde ut cum Mediolani te quæro, Basileæ sis. Cum rursus te Basileæ peto, Mediolanum abisti. Credo more hominum te agere, qui ea quæ assunt, nihili curant: quæ absunt, maxime: & nullibi minus esse uolunt, quàm ubi sunt: Italiam habens, Germaniam cupis. In Germania uero Italiam optas. Et sic fit ut tu nunquā quiescas, & ego te meis literis reperiri nullibi possim. Sed faciet forsitan Deus tui nunc copiam, quando aliena negotia tuæ curæ commissa, Mediolani te tenent. Id sperans, hanc epistolam domino Laurentio de Rocella, utriusque nostram amantissimo tibi obsignatam commisi, duas ob causas, alteram ut scias, non esse me tui oblitum, cuius memoria mihi semper est iocundissima. Alteram ut in re mea præpositurae patronum te facerem. Res est tibi nota, ideo illam non repeto. Scribit pro me Regia Maiestas, neruoseque rogat ut mihi ecclesiā restituat, nescio quantum proderunt Regiæ preces: illud autem scio, nisi adiutæ fuerint, nihil agerent. Literæ semel tantum loquuntur, aliquādo etiam nunquā, maxime in ducali curia, ubi epistolæ undecunque ueniant per Secretarios aperiuntur, etsi libet illis, duci ostenduntur: sin uero minus, aut cloacas incidunt, aut tabernas aromatum, piper aut crocum contenturæ. Ideo mihi opus est auxilio tuo, ut literas iuues, quorum copiam tibi ostendet dominus Laurentius. Noti sunt tibi uniuersi & amici, & inimici mei. Illis utere, his resiste. Et fac ut tui laboris sentiam fructum. F

Nisi scirem

A Nisi scirem quantũ me ames, efficatius scriberem. Sed nolo uideri amicitiæ nostræ diffidere, quam tanti facio, ut te mihi Orestem, & me tibi Piladen arbitrer esse, nec Scipionis, aut Lelij, aut Siculorum amicorum, quos alij Pythagoricos uocant, nostræ beneuolentiæ præferam amicitias. Satis est tibi nosse quod uelim. In calce epistolæ illud subiungendum est, ut alterum te Philippum meum, meis uerbis saluum dicas. Et Nouariensi. antistiti, communi domino me commendes, & causam meam, studium meum in tuis obsequijs offerre, ius nostræ amicitiæ non fert, quia nec oblationes, nec preces amicitiæ Cancellas ingrediuntur, quibus in rebus utilitati possim tibi esse. Si scis, & me non uteris, tua est culpa, et meum esset detestabile uitium, nisi morem tuæ uoluntati gererem mihi notæ. Vale.

Quæ sit homini patria, & petit promotionis auxilium, *Epist.* XX.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. domino Hieronymo conciui suo & amico perchare.

ANtiquæ sunt apud me Hieronyme amantissime literæ tuæ, quibus hactenus non respondi. Nam iturum te in Apuliam sensi. Nunc quia potes iam redisse, hæc pauca ex me habe. Nihil dubito mi Hieronyme, te fortunam omnem meam & honores,
B si quos habeo, semper oblectare. Scio enim quia me amas, & amantis est amati prosperitatem dicere suam. Itidem ego erga te facio, quicquid boni de te audio (sæpe autem audio) mirum in modum me lætificat. Quod hortaris studio literarum, ut sedulius incumbam, facio quoad possum, dum ocium permittit. Sed distrahunt me, tum occupationes multæ, tum curæ diuersæ, quod superest totum literis dedo, ne Poëtæ titulum inaniter uidear suscepisse. De patria quod ais memoriæ teneo: sed mihi crede, omnem solũ forti patria est. Ego quidem malo extra patriã bene uiuere, quã in patria male: nec nos in terra, sed in cœlo patriam oportet inquirere. Socrates cum aliquando interrogatus fuisset, quid & unde esset, Mundanum se dixit. Nos si melius respõdere uelimus, cœlestes nos dicemus esse, quia illinc originẽ ducimus, et illuc, si bene uixerimus, reuertemur. Sed nimium uerba extendo. Vnum restat quod ex te uolo. Causa meæ præposituræ tibi notissima est, in illa scribit pro me Regia Maiestas. Solicitator erit Laurentius de Rotella, quem optime nosti. Ei præcor ut assis, etsi forte idem præpeditus fuerit, rem totam in te suscipias, & ad calcem deducas. Pauca amico sufficiunt, sat est te nosse desiderium meum. Vale.

Regem Arragonum laudat, *Epist.* XXI.

C Aeneas Syluius Poëta imperialisq; Secretarius, domino Iohanni Campisio Philosopho præstanti, S. P. D.

REddiderunt me certum literæ tuæ, iam te Senas tutum & sospitem aduenisse: quod uoluptati mihi fuit timẽti, ne uiarum discrimina incidisses. Cupiunt literæ tuæ, de rebus quas Andreæ de Merano commendasti, scire: quid factum sit percontatus sum ex Matthæo Pisano sicut iussisti. Is refert illas iamdudum ligatas prout reliqueras, itineri commissas, iamq; se reri Venetias peruenisse, & se tibi commendat. Quæ apud Insubres gessisti, omnia facta esse cum consilio non ambigo: quamuis illa parte attigeris Politicorum libros ex Arentini traductione, conuersa inuenisse te gaudeo, coemereq; institui. Et si minori precio quàm scripseris haberi nequeunt, iubet id auri conferre. Rogaui Matthæum apud Sigherium Galleranum uel Ioannem hanc pecuniam persolui, ut faceret, qui mox literas scripsit, cauitq; ut quàmprimum illuc librum miseris, pecunia detur, etiam cum solutione uecturæ. Tuum est ergo mi Ioannes, mercatorem aliquem in curia reperire, qui onus mittendi Mediolanum, hos libros suscipiat, ibiq; aurum recipiat. Scio te amicorum tantum habere ut facile hoc sit tibi. Quòd si Ioannes Tolner, uir præstans & summus amicus magnifici Cancellarij onus mittendi librum suscipere uellet, per Venetias mitterem sibi pecuniam cum omni onere uecturarum, per

primum

primum de quo ipse consideret, mihiq; scriberet. Ideo si eum nosti, eius animum tenta idq; agito, ut opera tua politicum assequar Aristot. quoniam id magnopere suasisti, & ne timor pecuniæ te afficiat, potes si uis antequàm librum mittas, expectare literas unius illorum Mediolanensium, qui te certiorem reddat se tuo nomine aurum possidere. Scis nunc desiderium meum, & quomodo tuæ indemnitati possis consulere. Cura te ut amicum qui es, ostendas. De Petro nostro Noxetano nil te scripsisse monstri simile est, cum scias me auidum eius nosse fortunam. Rogo me instruas quid illi obtigerit, quo animo heri mortē ferat, quo cū uiuat, quid officij gerat, qua spe sit, & quo in me animo, quando nihil ad me scripsit, etiam meis literis prouocatus. Regem Arragonum tantum extendisse alas suas, nescio an Italiæ conducat: quanquam illa tam fessa est ut respirare sub quocunque desideret. Videant tamen nostri ne serpentem in gremio nutriant. Alta est dominandi cupido, nec terminis clauditur ullis. Hannibali non satis Affrica fuit, quæ pars orbis tertia creditur. Alexandro in modum carceris angusti fines mundi uidebantur. Nemo existimet generosum animum unius regni terminis conquiescere. Ego tamen illi faueo qui fortunæ impetus, perseuerantiæ clipeo domuit, continuandoq; id fecit ut aduersam expertus, secutissimam, iam sit adeptus fortunam. Faxit deus uita, ut illi cornicis sit, & qualem Theophrastus moriens exoptauit. Tu uale: & rescribe, nec amplius legem taciturnitatis inter nos serua. D E

Commendat salutem animæ, *Epist.* XXII.

Aeneas Syluius Poëta, Reuerendo in Christo Patri Bartholomeo *Episcopo Nouariensi & comiti, S. P. D.*

MAgna & innumerabilia sunt beneficia quæ à te recepi, nec ego illis cōdignā possem uicem rependere, etiam si mille annorum mihi uita donaretur: quod tamē possum, id facere non obmittam. Nihil est anima præstantius, hanc colere, hanc curare præ cæteris debemus, alia caduca sunt, fluxa, mortalia: hæc in æternū manet, cui, si bene studuerimus, æterna gaudia, si malà uacauerimus, æternos cruciatus per illam sentiemus. Qua consideratione ductus, statui tibi copiam literarum destinare, quæ nunc ad curiam regiam ex Orientalibus partibus missæ sunt, quorum tenorem uelit animaduertere, & monitiones audire, ut ea faciens, quæ in illis suadentur, æternæ uitæ beatitudinem assequaris. Vale.

Quales scribæ Cancellariæ, *Epist.* XXIII.

Aeneas Syluius Poëta, Bertholdo Lunenburgensi, uiro liberali & semi *prodigo, scribe imperialis Cancellariæ, S. P. D.* F

ACcepimus epistolam tuam, qua nos cœnatū uocas, acceptamus onus, uentresq; nostros paremus: tu uideris ne uacuos eos remittas. Hospitem abesse nihil curæ est, si eius uicem perdices, caponesq; implerint. Hospitam uidebimus libenter, amplexamurq;, si quid plus licuerit, non erimus inertes, qui semper malum habemus, et quasi muli & equi ferimur in libidinem. Tu si quid iuris illic habes, caue ne communices. Quicquid enim in medium uenerit, proprium esse desinet. Scis Michaëlis manus quā sunt aduncæ. Vuolfgangi linguam nosti, quàm persuadere sciat. Vuenceslai cauda nihil furiosus est: Iacobus fingit se puerum, tu tamen lardum ne commiseris muscipulæ, etiam si quadragesima fuerit. Ludouicus nihil dicet, sed muris in modum omnia foramina pertētabit, si ergo uis nos habere, aut omnia communicatu fac, aut nihil. Vnum tamen remedium est, si uini tantum prebueris, ut somni magis quàm ueneris cupido sit, nos tamen ueniemus etiam si deficientibus reliquis te deuorare debeamus. Vale.

Hortatur

A *Hortatur ut sententiam Imperatoris æquo animo ferat,* *Epist.* XXIIII.

Aeneas Syluius Poeta, S P. D. Ioanni Frund indytæ ciuitatis *Coloniensis Secretario.*

TAbellarius tuæ insignis celebrisq; ciuitatis, nō sicut optabas, sed ut curiæ uisum est, expeditus ad te redit, medio tamen præsidio non caruit, quia libenter gero tibi in omnibus morem. Vir quoq; doctus dominus Hartungus, auxilio fuit, sed nō licet in re publica, plus homines contēdere, quàm probare posʃint rationibus. Tuum est quod superest, ita regere, ne qua indignatione rubigo, aut hinc aut illinc oriatur, quia non facile extinguitur, ut accēditur ignis. Cæsarea potestas nulli in temporalibus subest: quicquid ab ea manat, decet cum reuerentia deuotioneq; suscipi, etiam si durum uideatur, quoniā calix in manu eius plenus mixto, potestq; illi dare, illi negare, nec omnibus fas est in pastorem erigere cornua. Tute ista scis, ideo pedem retraho. Fac ut defensurum causam in curia te quàmprimum uisam, quia & Michaël tuus, & ego tua suaui conuersatione inuiti caremus, nec te uultus ullius teneat: nam & Austria potest, quod placeat dare. Vale & ueni.

Dissoluit argumenta pro parte Eugenij facta, *Epist.* XXV.

B Aeneas Syluius Poëta, imperialisq; secretarius, S. P. D. Reuerendo Patri *domino Ioanni Caruaia Oratori apostolico atq; iurisconsulto.*

ERat animus meus postquā ex Basilea recessi super rebus ecclesiæ perpetuo uti silentio, cum eas non diuini spiritus ductu regi, sed hominum gubernari passionibus uiderem. Tu nunc me cogis aliqua dicere, qui armatum Aeneam imitari me suades, uellem tacere potius quàm loqui, quoniā nulli partium sermo meus placiturus est, sicut & nulla pars mihi placet. Tu uis ut dicā, parebo, sed uide ne audias quod non uis. Tu partis unius tueris ius, quid ego tibi placitū dicam, nullam partem laudans: obsequar tamen silentiumq; rumpam, quoniam id optare uideris. Longū mihi misisti chirographum, ut Cancellario legerem, facturus sum, quādo illi per ocium licebit. Mihi tamen iam perspexi totum, rogas quæ à te scripta sunt, laudem tuearq;. Faciam id si modo uerum te dicere agnouero, ubi aliter uidero, non faciam. Parmeno sum plenusq; rimarum, non potero tacere, si quid non uerum audiam. Tu mihi amicus es, fatebor hoc, sed ueritas præferenda est, tu uera omnia putas quæ scribis, hoc ego de tua probitate credo, non tamen ita est ut reris, quod tibi paucis ostendam: Dicis Basileæ cepto Concilio legationem Papæ exposuisse, non esse sperandum de illius synodi progressu, propter uicina bella, & alias causas, hoc nunquā synodus Papæ narrari iussit. Dicis plus Papam Germaniæ principibus concessisse, & se humiliasse, quàm unquam sit de Romanis Pōtificibus auditum. Rusticis hæc & historiarum ignaris narrāda sunt. Adrianus Papa &
C Leo Romanis imperatoribus ius ordinandi Apostolicam sedem, & Episcopos per imperium nominandi concesserunt. Leo ille sanctus, quem tu & doctores Euangelij tubam appellatis, cum uellet in Italia Concilium habere, in quo plures possent de occidentalibus partibus conuenire, Marciano Cæsari Concilium in orienti postulanti, annuit. Tuncq; synodus Calcidonensis habita est. Refers dominum sanctæ crucis missum esse, ut Papam purgaret, conciliumq; Germanis offerret. Non dicis potestatem habuisse Cardinalem illum subeundi sententiam, postquàm probata fuissent crimina. Ais Romanos Pontifices solitos esse dicere. Si quid aliqui uolunt, ad Apostolicam sedem ueniant. Petrus primus Pontifex increpatus, quod ad gentes introissent, ultro se purgauit. Leo quartus scribit Ludouico Augusto. Nos si aliquid incompetenter egimus, & in subditis iustæ legis tramitem non seruamus, uestro ac missorum uestrorum cuncta uolumus emendare iudicio. Hispanorum legationem hortatu Papæ Basileam uenisse contendis: uerius poteras dicere, plures ne illuc iret, Apostolicis literis fuisse requisitos. Vniuersos reges per consiliarium statim prohibuisse Basiliensibus, ne Papam deponerent, dum asseris, uide ne te decipias. Refers tres causas esse, quib. pars minor potest inuita maiori parte uniuersitatis aliquid agere, sed facta capitulorum & uniuersitatum,

quæ superiorem habet, nō sunt æquāda gestis Conciliorū, ubi solū Deus est superior, & D
à quibus non appellatur. Dicis in Constantiensi Concilio, plenam potestatem datam esse Romanis Pontificibus locum eligendi, in quo aliud Concilium celebrari debet. In casu nostro specialiter reseruata fuit electio loci Concilio, sicut cōuentiones cū Græcis habitæ manifestant. Prætendis sancitum esse Basileæ, ne propter locum oriri differentia posit. Inane argumentum est. Narrat decretum, non placere Græcis Basileam, uel lecꝫ alium locum, dicit synodus nolle propter locum, id est, propter Basileam tantū bonum omittere, qui aliter sentit, à decreto recedit, tu uis me his consentire, non possum. Dicis me ex proposito errare: mihi aduersus te magis opitulabitur allegatio, nihil ad me quis obtineat. Imperatori seruio, qui unionem procurat, illam cupio, illam promoueo, pro hac magnis laboribus me exponerem. Tu quoque & pars tua unionem uelles, sed modo tuo: maneat Papa tuus Pontifex, & unio sit. Idē etiam & pars altera cupit, nemo pacem, nemo unionem aspernatur. Nemo tamen pacē amplectitur, quæ sibi detrahit: omnes uolūt uincere: nemo se flectit duræ ceruicis homines. Est ne subiecta ecclesia, ut propter hunc uel illum hominem tam uarie uexari debeat: si non potes pascere, sine alium esse pastorem. Sed non est de pastu ouium quæstio, sed de lana: non tantum litis erat, dum pauper ecclesia erat. Scio te mihi iam irasci, quoniam dicta tua expello, quasi uidear aliam tueri partem. Ne rere hoc. dixi tibi utrinque mihi odium esse: E
non placet mihi Animonen. electio: abhorreo Gallorū leuitatem: minimis his consentio, dum sedem apostolicam uolunt auferre Romanis, non probo cum decreta quæ faciunt, ipsi non seruant. Cardinalis sancti Petri uiri sancti & grauissimi sententia mihi placet, qui neque hos, necꝫ illos laudare solebat. Vos Concilium Romæ uultis, sed illa iam in angulo est Christiani orbis. Hi Basileæ manere uolunt, at hæc urbs multis odiosa est. Tu tamen deliberari illic putas, an numerosius debeat Concilium congregari, speransꝙ id obtineri complacereꝙ Cæsari. Alij aliud sentiunt: uiderisꝙ putare non esse absꝙ consensu regum aliorum Concilium concedendum, quasi Cæsarem parem facias cæteris, quid parem, imò & minorem ostenditis, quando Regi Franciæ offertis Concilium, Cæsari non uultis concedere. Nolite hæc secreta putare, omnes hæc sciunt, sic & alterius partis Cōcilia nota sunt, ego omnes commendarem, si uiderem pacem his atque illis placere, etiam cum incommodo suo, quia nō nobis, sed reipublicæ nati sumus, nec plus uelle debemus, quā sensus cōmunis nobis permittat. Non qui tenere dignitatē, sed qui ponere uult magis laudatur. Prisci uiri sanctiꝙ homines difficilius ad Pontificatū uocabantur, quā nunc ex aliquo amouentur. Bonus animus ingeniumꝙ benignū, non quomodo dimitteret, sed quā cito dimitteret, studium haberet. Hæc uolui tibi dixisse cum uenia tua. Quia aut non loquor, aut uerum loquor. Hic est armatus Aeneas, hunc gerā: ille mihi Anchises erit, quem uniuersalis ecclesiæ consensus dederit, dum Germania, quæ orbis Christiani maior pars est, hæret, dubius sum, parato tamen animo sum communi sententiæ auscultare, nec mihi in rebus fidei soli credam. Vale. F

De Noua ciuitate & aliquid de amicitia, *Epist.* XXVI.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. magnifico domino suo Caspari *Schlick Imperiali Cancellario.*

NIhil noui post tuum recessum emersit, quod in epistolam cadere dignum sit, nisi quod hodie uenturus est Pancratius tuus, quem aiūt equites secum quinquaginta ducturum. Rex tamen minime illum expectare uoluit, sed hoc mane antequā dies elucesceret, ad hortos Hesperidū deliciarumꝙ Paradisum iter arripuit, ignotis fortassis uerbis utor: hortos nanꝙ Hesperidū Poëtæ ultra Atlantē in Africa sitos finxere, sed hos nostra ætas habet in ciuitate noua Stiriæ urbe, ubi ꝑpetuū ꝑhiatū autumnus est, & omne genus pomi suapte gignitur. Ideo Rex hunc unum amat locum. Recte sane, ubi tot aquarum scaturigines, tot uiridantia prata, quæ uerni tempore florum splendore ridere uidentur, huc se nūc rex contulit, quādo illinc abiturus sit, tam certū est quā Antichristi aduētus, qui per hos dies omnes populo suo rumore deterruit. Opera tamē tua, qui pro

A qui proceribus curiæ, ipsiq; Regi rem fictã aut saltem dubiã pro certa exposuisti. Dum hæc scribo allatum est nunciũ Regem balnea petijsse, ubi ad dies octo mansurus sit, nec nos ibi diuersorium habere possumus: in nouam itaq; urbem recta uia migrabimus: si tamen Pancratium ire ad ad balnea sensero, me quoque illuc conferam ut de re tua possim curare, nec obmittam ex mandatis tuis unum, dum uires erunt. Aiunt regem Carniolam petiturum aut saltem Carinthiam. Prius uero Athesim, exinde spes sit Nurenbergam peti debere, quod tamen ex magistro Thoma plenius intelliges. Consiliarij Regij adhuc sunt hic, ipsos consulam quid facere nos oporteat. De Frisingensi ecclesia nihil est quod non fuerit prius tibi notum, nemo ex curia uenit. Magistrum Thomã commonui ut de pecunijs Nurenbergæ recipiendis instructionem haberet, qui me præsente magistrum curiæ percontatus est, responsumq; habet. Scripturas sibi consignam omnes quas mihi dimisisti. Capitula ueterũ reperi extraxiq;. Dominus Auditor ad nos iter facit, plenus querimoniarum, quod in recessu tuo te non reperit. Para aures tuas ut quæ hic auditurus fuisti, illic audias. Homo tuus est, & amicus utilis, qui solet plus honesto placere, hæc enim amicitia hodie uiget, cui utilitas est annexa. Stoicorum illa, sola uirtute gaudens, iamdudum explosa est. Non puto has literas cito ad te uenturas, quia nec tu ad eas festinabis, ipsi Nurenbergam usque proficiscentur: sed tu eò non ueniens,
B uti opinor, nisi uxoris prius aut licentia, aut facietas intercesserit. Physicus regius: Ego, inquit, si meam semel uxorem attigero, quando illinc abdicet nescio, unde ne itidem tibi contingat. Regis negotia curare habes. Non bene conueniuut, nec in una sede morantur rerumpublicarum cura & amor uxorius. Tu tamen illam ducere potes eo loci ubi propinquæ sint curiæ, sæpeq; possit in amplexus uenire tuos. Ego ex his sum, qui melius scio prædicare quàm facere. si loco tuo essem aliter sentirem. Vale optime, & disputationes domini Auditoris ad magistrũ Thomam remitte, ut æquum sit, utrũq; certamen.

Regratiatoria & aliquid de studio humanitatis. *Epist. XXVII.*

Aeneas Syluius Poeta, S P. D. magnifico & generoso *comiti Galeatio de Archo.*

AGgressus est me nudiustertius, uir suauis & tui amantissimus Iacobus de Ladrono miles, tuasq; & magnifici germani tui comitis Frãcisci literas aperuit, quæ mihi magno testimonio fuerunt amoris erga me uestri. Cum in utrisq; multa salute iussus esset me Iacobus impertiri, quod & si persuasum antea mihi foret, quia nosco animi uestri constantiam, iuuit me tamen cernere quod meditabar. Sed ne pluribus immorer, scire uos uolo non truncum à uobis coli, qui non sentit, neque asinum qui non intelligit, sed hominem quamuis pusillum, beneficiorum tamen memorem & qui nunquam
C animo est ingrato. Non est quod scribam nunc amplius, ne pelagus ingrediar, quod nõ facile egrediar. Nam cum affeceris me dudum desiderio tuo nimis multa essem scripturus, si uellem animo satisfacere, quæ omnia melius coràm exponã. Spero enim Cæsarẽ ad uos prope diem migraturum quem sequar, ut soleo. Et si Deus dabit, te conueniam. Rem tuam bene absolutã esse, tum ex literis Iacobi, tum ipso facto intelliges. Plus enim gratiæ in oculis regis habes quã reris. Comiti Frãcisco postquàm me dederis, dicito eius musam quãuis suauem, scrinia Regis incolere, ibiq; delitescere, quia non sapit hæc seges, nec scit toga barbara uersus. Sepultũ est quicquid huiusmodi huc porrigitur: studia namque humanitatis suum habent extra Italiam domiciliũ, scis quid appellem studia humanitatis: Hoc enim nomine uolũt nostri Oratorias & Poëticas literas designari, quæ Latinum late patent, apud alios plerunq; ignotæ. Sed uale iam tandem, quãuis manus nũc cesset & calamus papyro hæreat, ut quem tecum loqui delectat, at mihi nõ suppetit ocium. Et Regi magis quàm meo seruiendũ est animo, quia non sum liber dum alienum comedo panem. Iterum uale, & tu cessa manus ut linguæ supersit quid dicat, dum Tridenti erimus.

Hortatur ad rescribendum, *Epist.* XXVIII. D

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Nicolao Amidano canonico *Mantuano & Amando fratri.*

PArum tecum negocij habui Nicolae amantissimæ, dum Basileæ fui, sed nec plus habuisse uoluerim. Nãq; si modicæ cõsuetudinis causa, tantum molestiæ fero te priuatus, quid tandem facerē, si salis ut aiunt modium tecū consumpsissem. Mirū inmodum, grauis est mihi absentia tua, atque ideo longe grauior, quia inter exteros sum meos modos meumq; uiuendi morem penitus abhorrētes. Sed statim omnia ferre, dū sperem mihi bene esse. Vt tamen facilius tolerare possim, obsecro ne tibi calamus plumbeus sit, neq; papyrus aurea quam dissipare formides. Multa sunt quæ mihi diætim posses scribere, ualetudinem tuam peregaliq; nouitates passim illuc defluentes. Et quid in Concilio, quid'ue in curia fiat. Etsi desint cætera, glycerium saltem materiam potest dare, de qua nunquā tantum scribis quantum audiam libenter. Effice igitur quod cupio, ne autem affectanter scripturum tibi extimes, quod intelligere potes ex eo quia prior do literas. Nec plura modo, nos Vlmam pergimus, deinde Isbruck, post Carinthiā petituri. Incertum est an Nurenbergam uenturi simus. Iam uela uentis solui, & in intimū mare deuoluor diætim, à te cæterisq; meis charis remotior. Vale.

Redit in beneuolentiam, *Epist.* XXIX. E

Reuerendissimo in Christo patri domino Francisco de Picleo passis Archi*præsuli Mediolanensi, Aeneas Syluius Poëta, S. P. D.*

SI cui unquā libēter scripsi, amplitudini quidē tuæ libentissime, dū essem Basileæ, nam te domini & patris habebā loco, memineramq; plurimū tuorū in me meritorū, quæ sane mēte mea nunquā excidet. At cū uiderim te literis meis nō respōdere, arbitratus sum id quod erat, te scilicet offensam Basiliensibus rebus, nauseamq; inde capere, destiti igitur diu'q; silui, tum ne tibi imprudens displicerem, tum q̄d graue erat tot literas respōso indignas mittere. Sed quāuis scribere obmiserim, amare tamē nō obmisi, cupiēs semper in eum gradū res restitui, ex quo uicissitudines literas cōcurrere possent. Id'q; nunc arbitror euenisse, quādo me neq; quærentē, neq; somniantē quidē Cæsar noster Fredericus Augustus in suum secretariū accersiuit, cui iam seruio in statu gradu'q; minime inhonerato: quo ex loco scribēti mihi nō arbitror te respōsionē negaturū, nanq; si recte intelligo, idē est Cæsaris quod tuū desideriū, nulli ex cōtendētibus magis fauēs quā alteri, cupit enim unire & redintegrare lacerata ecclesiam, atq; ad id operā dat: & spero confore ut uoti cōpos existat. Et licet his diebus Basileæ fuerit, et quæ tuā dignitatē arbitror audiuisse fecerit, nihil tamē in hāc magis quā illam pendet partē, & id ipsum Florentiæ fecisset, si tam illic fuisset propinquus. Secutus'q; est Sigismūdi exemplū, & sequetur in hac re unionis usq; ad calcē. Tu ergo pater optime, scribe mihi aliquādo, cum unus ex in differentibus factus sim, nec quid animi habeam quærito, dum uerba & opera mea à uolūtate principis mei non discordēt. Ad cuius intentionē captiuare uolo ingenium meum. Repetemus igitur ueterem consuetudinē, emancipatum'q; filium iam readopta, & ut solebas utere pro tuo. Ego iterū ad patrem & dominū redeo, quasi ex postliminio. Deinde si uides me Poëtā subscriptū, non mirere: quoniā me talē Cæsar esse uoluit. Et si archipræsbiter Papiens. & Isidorus de Rosate, totaq; illa nebulonum turba iurisconsulti nomen sibi arrogant, auro'q; cinguntur, cur ego Poëte titulum uerebor assumere, libet & mihi inter alios insanire, quanquā & hæc dignitas maioris ad studiū uigilātiæ causa erit. Nicolaus tuus frater meus, libellum quendam meum non limatum, neq; ut oportebat reuisum, secum ad tuū examen detulit, neq; remisit unquā, opto illius custos sis fidus'q;, neq; edatur rem imperfectam. Nouum enim opus uti scis, iubet Horatius in nonū primiannum, uir maturus & sensu & ætate Mathæus de Vngrano, si quando ad te uenit, meo nomine saluus esto, id quoq; de Candido dixerim eloquentiæ fluuio, Ganiforti ducali secretario apprime merito. Cui super re meæ præpositure scribo: rogo ut me aliquādo conscium facias, quā prouinciam Nicolao delegaueris spero libenter faciat. Vale optime, mei memor. F

Commendat

A *Commendat causam suam, Epist. XXX.*

Aeneas Syluius Poeta, S P. D. domino Guiniforto utriusq; iuris doctori, *ducaliq; secretario amico præcipuo.*

EA sublimatio status tui, uir amplissime, quā nuper Mediolanēsis principē fecisse intellexi, tanto mihi iocundior fuit, quanto illā uideo tuis uirtutibus tuisq; studijs magis conuenientē. Nāq; sicut mihi uidetur, neq; ducalis cancellaria aptiorem rectorem habere poterat, nec tibi palestra conuenientior dari, quanquā non dubitē plus illā ex te habituram ornamēti, quā te ex illa suscepturū honoris. Verum in hac tua exaltatione rogo, ne idem facias, quod ex humano ingenio plerīq; omnes potius se dispicientes, cū ipsi sublimati sunt. Serua mihi oro aliquē locū in amicitia tua, ubi me ponas. Non postulo in primis aut secundis, sed saltē in ultimis. Nāq; si cætera desunt quæ amicitiam inter nos conflare debeāt, illud sufficere debet officiorū, scilicet, professio eadem, quia & ego Cæsaris nostri Frederici secretarius sum, quāuis lōge indignus. hæc tamen res facit ut beneuolentiam tuā obtinere nō desperē, sed quasi iam illā nactus sim, statui amicorū more absq; præfationibus, quod mihi necessariū sit tibi aperire, tuūq; consiliū & auxiliū exposcere. Vacauit alias in Basiliensi Concilio præpositura Sancti Laurentij Mediolanensis, eam'q; mihi sancta synodus, quā tunc omnes recognoscebāt, illico cōtulit. Princeps B Mediolanens. aliū ex domo Landrianorū elegi fecit, & dari ei possessionem. Eugenius cuidā Leonardo Vertellens. de illa prouidit. Veni ergo mox Mediolanū fauoreq; amicorū, et ex gratia principis, excluso qui iam erat intrusus, possessionem obtinui, solutus tamen ita ut fiebat Todeschino quinquaginta aureis: moxq; iussu ducali Basileam repetij. Ab hinc trienniū pestis magna Conciliū inuasit, dux suos reuocauit. Ego quia bonū officiū ibi habebā, recedere non potui: morbū incidi, subitoq; orta fama est me mortem obijsse. Scitum est id Mediolani: Leonardus cui Eugenius prouiderat, sublatum me de medio gaudēs, possessionē præpositurae postulat obtinet'q;. Ego postmodum conualescens, & audiens me spoliatū scribo literas ad amicos: facio fidem me uiuū esse, peto restitui. Sed quia Basileæ eram, nunquā obtinere potui: Credo'q; nunq̄ principi fuisse rem expositā, quare cum tu eo in loco sis quo te cupio & gaudeo, rogo obsecro'q; ut aperire ista principi uelis supplicare'q;, ut ecclesiam meam mihi restitui faciat, et si aduersarius dicat se ius habere, non fugio iudicem Mediolanen. archiepiscopum uirum sanctissimū, aut Nouariensis Pontificē integerrimū patrē, dūmodo quod iuris est, ante omnia restituat in statum pristinū. Iam aūt non potest dici quia de obedientia alia sum, quia regi seruio, qui est omnino indifferens, plura scriberē si mihi cū homine minus perito res esset: tibi aūt hoc parū sufficit, me iam habes. Fecissem regē scribere, nisi rem paruā putarem: si C tamen ita consulis, neq; aliter fieri potest, non unas sed centū habeo literas. Tu obsecro mihi quid speres, & quid facto sit opus, rescribe, & iuua ut potes. Sciēs quia neq; ingratum promouebis amicum. Vale, & me sic fruere, ut strenuo milite, & doctore eximio domino Iacobo de castro Romano uteris, tanto tamen minus quāto & scio, & possum minus: & tanto plus, quanto plura mihi quā illi licent. Iterum Vale.

Gratulatur beneuolentiam magni uiri se nactum esse, Epist. XXXI.

Reuerendissimo in Christo patri domino N. Cardinali Cracouien. Aeneas *Syluius Poeta. S. P. D.*

EPistolam meam Reuerēdissime pater & domine colendissime, quam ex Franckfordia paternitati uestræ transmisi, libenter audio in uestris oculis gratiā inuenisse, si tamē ita est ut spectatus miles Iacobus apostolicus nūcius mihi retulit, qui nō solum placuisse literas meas, sed & me iam inter familiares uiros admodū charos esse confirmauit annumeratum, quod magni muneris recepi loco, multum'q; illinc lætatus sum. Mea nanq; sententia est, ut nihil inter mortales fœlicius sit, quā præclarorū hominū familiaritate potiri, ab hisq; diligi & obseruari, quod cū mihi intelligā apud V. P. R. cōtigisse gaudeo mecū persæpe, & quasi thesaurum magnum receperim uoluptate fruor in

genti. Nec ab re hac utor cōparatione, nam qui thesaurum inuenit, nisi potens sit, illū custodire sæpe defraudat, & aut principis rapaces manus, aut acutos furis ungues semper timet. Itidē mihi accidit, quo nāq; pacto uestrā seruare beneuolentiā possim, nō plane uideo. Conciliatrix nāq; beneuolentiæ uirtus est & custos, neq; absq; hac potest ullū amicitiæ uinculum perpetuū esse. At hæc in me, aut nulla est, aut minima, quid igitur faciam, ut uestra erga me uoluntas maneat? qua uia in hac gratia perseuerabo? quo modo hæc charitas alligabitur? peritura est breui ut uideo hæc mea uoluptas, si ad me tantum respicio. At si uestram R. p. intuear, spes est mansurū diu, & solidū ac firmū esse huiusmodi gaudium. Benignitas enim uestra quæ amare (ut audio) occepit mansura est quādiu uixeritis. Faxit aūt Deus, ut longissimo ac Nestoris euo fruamini, ego uero curabo eundem me semper exhibere qualis eram, dum hæc orta beneuolētia est, & si quid potero amplius præstare, non subterfugiam. Asseruit autem idem Iacobus auidam esse V. R. P. ut quas nossem nouitates sibi rescriberē: parebo libens, & quæcunq; emerserit nouiter his in partibus scriptu digna, epistolari claudā breuitate, ne uel legenti tediū uel scribēti laborem nimiū pareat. Narrationis caput reditus Regis dabit, qui ex Rheni partib9 Februario mense in Austriam remeauit: eius aduentum omnes accolæ admirati sunt, nec ei arbitrabantur fieri posse, ut regium diadema tam facile consequeretur. Sed admiratio hæc reuerentiam peperit, more enim humano accidit, ut illos magis ueneremur, quorū opera demiramur, haud aliter nūc actum est. Albertus dux Austriæ quāquā diu infensus fratri suo Regi fuisset, bellūq; secū à parte gessisset, ut eū audiuit adesse, ad sextū (ut Romani dicebant) lapidē obuiā processit, unaq; secū Viennā ingressus est urbē, paucis diebus iterum Regem adiēs, cum in noua ciuitate foret, refectis omnibus controuersijs, in fraternam receptus est societatem. Hæc sunt quæ mihi scribenda de noua occurrunt, omissis nugis, & alijs leuibus rebus, de quibus in uulgò semper est rumor. Affert dominus Iacobus epistolam quandā ex meis, quas his diebus edidi, eam rogo ut uideatis iudicetisq;, quoniā cū timore de rebus fidei scribo. Librarius qui trāscripsit, non erat ualde peritus, itaq; plura uitia possunt in ea esse, quā ego posuerim. Ideo uelit V. R. P. reprehensiones mihi præstandas cum eodē diuidere, meq; semper habere charum & in memoria.

Vocat cum desiderio amicum, *Epist.* XXXII.

Aeneas Syluius Poëta, Ioanni Campisio, S. P. D.

Ex literis pluribus Reuerendissimi domini cardinalis sancti Angeli ad Regiā Maiestatem directis, percepi te fore apud ipsius Reuerēdissimam paternitatē. Nam & tua manu scriptæ erant, & tuā dicēdi suauitatē redolebāt. Id quoq; & postmodum uir suauis & tui amantissimus Nicolaus de ciuitate Castellis confirmauit, quæ res mihi maximæ uoluptati fuit, sperāti te propediē uidere, deosculari atq; amplecti, quodq; dulcissimum inter nos esse solebat, officiū instaurare ac de medicina nonnihil cōferre, cuius te arbitror plures diætim lectiones audire, cum ubiq; medicorū sit copia. Expecto itaq; te mi Campisi magna cum animi alacritate, & gaudio, & quamuis te pluribus annis priuatus fuerim, et absq; te uiuere didicerim, nūc tamen nescio quid factū sit, ut post quā te uenturum sensi, miseram mihi existimē uitam, dū tuus differtur aduētus, quapropter si me amas ut soles, cura ut uenias, ego te ueteri ex amore obseruo coloq;, nec propter silentium quod inter nos diutinū fuit, amori meo detractum est aliquid. Seruaui nanq; legē inter nos dictā, ut amicitiā nostrā, quā animorū cōformitas, & morū similitudo conflauerat, literarū omissio nō aboleret, quod ita à me factū est ut putē auctā potius quā diminutā esse beneuolentiā meā, nec aliter opinor de tua charitate, q amicitiā nō more puerulorū uariandā existimare solebas, sed Philosophorū legib. mutabilē. Quod aūt in his partibus esse me audis, nolo ut admireris, uocat9 enim per Regiā Maiestatē fui, in secretariūq; receptus, & q̄d mihi grauissimo est oneri, Laureati Poëtæ titulis adornatus, quod nomen licet mihi sit lōge impar, non tamen à Rege datum debuit refutari. Apud hunc igitur principem me reperies, ad quem cum in hac potestate ecclesiæ accerserer, tanquā in tutissimum portum libenter me cōtuli, ut procul ab huiusmodi prælatorum dissensionibus agam uitam, & meipso fruar. Vale.

Dolet

A *Dolet de amici & patris absentia,* *Epist.* XXXIII.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Georgio Andrentio, Senensi amico probo & constanti.

LIteris tuis quas plurimum accepi, utor iocundissime, quas lectitasse millies ne quicquam sat est: scis enim cum præsentes essemus nullam potuisse diem præterire sine colloquio nostro: namq; aut ego te uel tu meipsum quæritabas, quo magis tecum me uiuere fiebat quàm cum alijs omnibus In præsentia uero literæ tuæ illo offenso funguntur quo tu olim utebare: cum eis uitam duco: hæ mihi Georium, hæ mihi te primum inter omnes afferunt: his fruor: has amplector deosculorq;: ex illis solacium si quod habeo ad me prouenit. Cum legi (deum testor) non ualui lachrymas continere: fleui fateor: iterum atque iterum fleui. En inquam, ubi amicus ille meus dulcissimus, dimisisse ipsum certo scio, si quando reuisam, nescio. Vrgebat namq; ad lachrymandum præcipue quod de genitore meo Syluio narrabas: tunc ei uisum est ignaro, quid aculei corculum meum tetigissent, memineram paterni amoris, participabamq; cum patre amaritudinē. Sed de his omittamus, nam cum incido in hanc rem, uideor prorsus emori. Te autem patri meo adoptatum gratissime tuli, unde intelligo ut illius furorem diminutum & te
B germanum acquisiuisse, quibus rebus nō potui respondere plurimum, alijs namq; ilico receptis literis. Nunc Mediolani me scias commorari, præstoq; Germaniam postulabo, itaque si quas literas ad me uis dare, iubebis exponi Basileæ. Cætera non habeo quæ scribam. Andrētio Petrucio nostro literas dedo amplissimas. Genuam, eiusq; cunctos mores pro ingenio comprehendo, quas tibi ostendi meo nomine exorabis. Vale atque iterum uale, omnesq; amicos nostros iubeto saluere, & si quando genitorem meum offendam, uerbis tuis solabere quo ad potes.

Magnificat beneuolentiam, *Epist.* XXXIIII.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Ioanni Aurispæ Siculo.

NEscio quid causæ sit Ioannes mi dulcissimæ, quo nequeam etiam paruo tempore imò breuissimo momento immemor esse tui, esq; in memoria semper mea. Et ipsa recordatio gratissima est, qua te absente nihil habeo dulcius. Hoc dum sæpius considero unde procedat, multa cum enumerare possim, humanitatem tamen tuam potissime ratus sum dedisse causam. Nam cum de Patauo redirem Senas, subsistremq; Ferrariæ non nullis diebus, tantum in te urbanitatis esse cognoui, tantum charitatis ac beneuolentiæ in omnes etiam in infimos, ut opiner te nullum fore benigniorem
C faciliioremq;, nam & me uoluisti inter amicos tuos connumerare Hac de re tanto amore tibi afficior, ut si quos ad te profecturos comperiam, sine literis meis uacuos non possum dimittere. In præsentia uero cum reperissem. Nicolaum illustris Marchionis nuntium, de te diligenter interrogaui, & cum iocunda omnia retulisset, longe gauisus sum. lætorq; uehementer, si quid est tibi cordi ac iocunditati, nihil est enim quod magis affectem quàm te sanum hilaremq; esse, & me tibi charum fore ut ex cōiectura capio, imò expresse intelligo. Vnum itaq; oratum uolo, ut ostendas scilicet tuam erga me beneuolentiam extinctam non esse, quàm rem scribendo sæpius efficies. Vale & magistro Hugoni & natis suis me commendatum facito.

Nymphiplexim libellum se effecisse significat, *Epist.* XXXV.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Sozimo medico præstanti & amico optimo.

QVattuor iam mensibus ad te literas dedi, quas nū habueris, certi nihil habeo. Sententia tamē earū fuit ut opusculum esse perfectū scires, quo me de Baptista sæpius rogaueras editurū, quod ideo feci, non ut idoneū me fore existimarē cōdendis operibus

autorem, ſed ut intelligeres amoris erga te mei, tantam eſſe uim, ne quid tibi negare ualeam. Abſolui ergo libellum hunc tuo nomini dedicatum uerſuū ultra duo milia, quem appellaui Nymphiplexim de laudibus Baptiſtæ tuæ, profuſe loquentem. Eum uidit Nicolaus noſtrarum literarum lator, cui uidendum tribui, quo teſtis eſſet idoneus qui de uiſu referre poſsit ut noſtræ leges imperitant. Libri autem memet latorem ſpero, quoniam iſtuc breui proficiſcar, habeo enim multa de Baptiſta tua tibi recenſere, quæ non erāt literis inſerenda. Vale & genitori tuo & Ioanni me commendato, uerbiſq; meis germanum tuum iubeto ſaluere. Iterum uale.

Excuſat ironice non ſcribentem. *Epiſt.* XXXVI.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Petro de Noxeto *amico primario.*

MIrabar dudum quid rei eſſet quod ad me nihil ſcriberes, ſed hærentem me iactaris atque ancipitem uir ſuauis & utriuſq; noſtrum amantiſsimus Nicolaus & cætera, ex dubio mouit, qui te diuitem factum retulit, quo audito, atat inquam, ſubito. hinc illa intermiſsio literarum, hinc illa mei obliuio longiſsima. More enim hominum euenit ut ditiores effecti pauperiores negligant, ſed non eſt mihi moleſta hæc taciturnitas tua, quando ex cauſa tua utili prouenit, longe namq; dulcius mihi eſt te locupletem eſſe tacendo quàm ſcribendo inopem. Oro tamen ſi facultates tuæ otium aliquod præſtent, mei ut memor ſis. Nam etſi diuitiæ occupationes dant maximas, tempuſq; auferant, pauperi tamen copiam ſubminiſtrant. Cuius ſi quolibet menſe paginam unam ad me tinxeris, magnam gratiam facies amico tuo, & duplum recipies. Scriberem tibi harum partium nouitates, niſi Nicolaus inſtructus ueniret omnium, quem libentius audias quàm meas literas leges. Accepi te uel patrem factum uel breui facturum eſſe, quod mihi uoluptati eſt. Miror q; noluiſſe te huius gaudij me fore participem, qui nihil ſignificaueris tuo Aeneæ. Ego tamen cum filiolum in Scotia ſuſcepi, mox te reddidi certiorem, ſed ille iam è uita deceſsit, deum oro ut tuum uiuere ſinat, patris ſimilem. Verum ne omnino exiſtimes te meis carpi ſermonibus, illud etiam te ſcire uolo, quia tuarum literarum unas ſuſcepi per oratores regios, qui Florentiæ fuerunt, quas pro magno munere habui tametſi plurium annorum parum ſit una epiſtola compenſare ſilentium. Vale & me Reuerendiſsimo domino communi & uiro ſingularis doctrinæ magiſtro Thomæ, & cæteris amicis effice commendatum.

Præceptum bene uiuendi. *Epiſt.* XXXVII.

Aeneas Syluius Poëta, Ioanni Perigallo ſcriptori *Apoſtolico, S. P. D.*

REm longe maiorem quàm poſsim præſtare, quottidiano conitio ex me petis, breuem ut tibi beneuiuendi præceptionem conſcribam. Tentatio illa, non conſultatio eſt, quid enim fieri poteſt ut meis monitis tu indigeas, qui ſtudioſus philoſophiæ ſemper fuiſti. Cui ſi aliquid deeſt, præſto aſſunt diuini atque humani iuris doctores, qui Baſileam quaſi Athenas ornatā reddunt: illos conſulere & facilius erat & utilius. In Auſtria autem dementis eſt quærere Romam, aut Platonem apud Hungariam inueſtigare. Non tamen propterea tibi non reſpondebo. Tanta eſt enim tuorum erga me magnitudo meritorum, ut non ſolum petitionibus tuis quas ſerio, ſed etiā quas ioco facis tentationibus parere obnoxiū me exiſtimē. Satis faciam igitur breuiter petitiunculæ tuæ, nec Philoſophorum more præcepta dabo, ſed ut paterfamilias cum filijs ſolet, agam tecum. Norma eſt ſuccincta q̄ ſi ſeruaueris recta in cœlū uia tranſibis. Neſcio ſi unquā ingreſſus es mare: illic ſi unquā fuiſti, ſcio te cum procellis inflari pelagus & nauigiū impeti contrarijs uentis cernebas, multa Deo uouiſſe. Si ergo uis fieri ſaluus, recteq; uiuere, quæ promiſiſti dum tempeſtas in mari fuit, ea ſeruato. Quod ſi fretum nunquam aſcendiſti, carceremq; aliquando pertuliſti, cura ut egreſſus talis ſis, qualem te futurū, ſi exires ſpondebas in carcere. At ſi neq; hoc neq; illud expertus es, remediū tertiū ſupereſt. Nō dubito

A dubito quin aliquando ægrotus fueris. Quis enim est, qui tricesimum annum absq; gra ui aliqua ualetudine attigerit, multæ pestes humano imminent corpori, minimaq; res est quæ nos uel tollit è uita, uel morbis deterrimis afficit. Memento igitur mi Ioannes cum lectulo resupinus iaceres, cum renes arderent, cum ilia rũperentur, cum fauces arescerent, dum te sitis incenderet, dolor pulsaret, facietas cibi offenderet, quid tecum ipse diceres, quid Deo promitteres, si tibi sanitas restitueretur. Certus sum quia de modo uiuendi sæpius cogitasti, & uitia dimittere, uirtutes uero amplecti spopondisti. Nunc igitur quia diuino munere sospes es, stude ut impleas quæ promisisti ægrotus. Hæc regula est bene uiuendi breuis & certa, hãc seruato. Sed accipe etiam aliam breuiorem. Si uis recte agere uitam, nihil facias quod deum uidere non putes, nihil secreto exoptes quod præsente populo optare nõ audeas. Iuuenalisq; nostri memineris qui ait. Optandum est ut sit mens sana in corpore sano. Cætera ex alijs quere. Ego quid dicere possem breuius non habui. Vale & me quando id reciprocum est, ama.

Significatio huius dictionis turpis per antiphrasim. *Epist.* XXXVIII.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Ioanni Campisio Philosopho *præstanti & ornatissimo.*

B DEmiratus es Ioannes mi amãtissime, uersus meos cum legeres, mulierem turpem pro deformi positam esse. Cum usurpatissimum apud omnes autores perequæ sit ut animæ uitium potius quàm corporis turpitudinem demonstret, sic est illud Iuuenalis: Filiolam turpi uetulæ producere turpem, & alibi. Breue sit quod turpiter audes, & iterum, Nec fœdum alij nec turpe putarent, & horum exemplorũ mille. Cicero quoque in Officiorum libris de turpi sic loquitur, ut de re quæ honesto opponitur. Honestatem autem non in corpore sed in anima locauit, unde & eius contrariũ quod est turpitudo, animũ intuetur. At ego nec ratione nec autoritate careo. Licere mihi uidetur ut quẽadmodum pro pulchro honestum ponitur, ita & turpe pro deformi nonnunquam recipiatur. Virgilius enim, & corpore honesto inquit, quod Seruius, id est, pulchro exponit. Rursus apud Ciceronem in ijsdem Officiorum libris, quid significet decorum scis. Iuuenalis tamen id ad corpus retulit, tanti est quærenda cura decoris. Quod si decorum ad corpus animumq; producimus, cur non est eadem de turpi sententia? Sed ne te multis morer, autoritatem subijcio inter eximios poëtas. Ouidius non inferiori est loco, quẽ Lactãtius ingeniosum uocat, is in eo qui de fastis libro inscribitur, hos uersꝰ ponit. Vtq; ferè uidetur turpes in pellice uultus. Huius in amplexꝰ Iupiter inquit eat, loquitur autẽ de Calistone quæ in ursam conuersa est cuius uultus turpes dicens, nihil aliud significare uoluit quã deformes. Nec Vergilij nobis autoritas abest, qui de apibus loquens, in

C Georgicis, & puluere turpes dixit, nec tunc animam sed corpusculum denotauit. Hos ego secutus sum, quod si Aristot. inimicus culparet, imitari potius uellem Nasonis atq; Maronis doctam negligentiam, quàm illius obscuram diligentiam. Vale.

Damnat uerbosa uolumina. *Epist.* XXXIX.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Mariano Sozino Senensi.

AT tulit mihi uir canus & perbenignus Ludouicus tuas literas, & quæ sibi commisisti seriose retulit. Vidi libenter ipsum tui causa, & tuas literas quæ unice post meum ex te recessum apud me sunt, auide legi. Quod mihi mandasti non potui absoluere, ut forsitan cito uoluisses, propter recessum Regis festinũ, qui raro uno in loco moratur, indies tamẽ ero tui memor, & quid facere oporteat alijs literis tibi significabo. Res enim huiusmodi longum habẽt tractum, sed postquam cœptæ sunt, non facile dimittuntur, nec tantã habent uariationem ut nostræ. Tu tibi persuadere debes me tuum semper esse, cupereq; morem tibi in omnibus gerere, & utinã in loco esses, quo te & tui doctrina uti sæpius possem. Gaudeo te patremfamilias factum, & rogo diuinam Maiestatem ut, soboles ex tuis lumbis orta, similis sit tibi. Commentarios tuos super decretalibus, & si facundos arbitror miramq; scientiam præseferentes, uidere tamen non cupio, quia

terruit me laborum numerus, cum eos in quatuor & uiginti uolumina distinctos scripseris, mos est Legistarum ut lõgi sint, hinc Ouidius, uerbosas dicit leges. Et Iuuenalis de causidicis scribens libellos, inquit, eos infaste sequi. Tu tamen & oratoris & poëtæ & iurisconsulti locum imples, deberes ista metiri & modum paginæ facere, ne scriberes in immensum, quia & scribenti labor est, & legenti fastidium. Tuas sortes si quando ad me miseris auide uidebo, quia illorum codices, non dixisti admodum esse numerosos. De Rege Arragonum quæ scripsisti ex alijs quoque audiui. Deus illi iter faciat ad suum desiderium, quia uir est uictoria dignus, nec qui dominetur par est in orbe sibi. Ego illi afficior propter suas uirtutes, nunquam tamẽ uidi eum. Si posset Italia suo pacari sub dominio, magis probarem quàm sub cõmunitatibus, quia cor nobile regium uirtutes præmiat. Tu uale & Andream iuris interpretem Hugonis filium, quem apud te esse audio, meo nomine saluum dicito. D

Promouet conducendum in officium, *Epist. XL.*

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. domino Ioanni Mayers Cancellario *Austriæ benefactori suo honorando.*

ALloquetur te uir bonus & honorandus Lodouicus lator præsentium, in te quadam domini Mariani Sozini Senensis, utriusque iuris doctoris excellentissimi: qui libenter in hac temporis tribulatione ad Germaniæ partes se transferret, & ius Viennæ legeret. Quare si uides ad eam rem esse modum, supplico ut me instructum facias & ego Regi referam. Mihi enim res uidetur utilis & uniuersitati & patriæ & Regi. Nam cum ille sit ex primis Italiæ doctoribus, multi remanebunt Viennæ, qui nunc Baduam studij causa uel Papiam pergunt. Et omnis Bauaria, Sueuia, Franconia & Bohemia ac etiam Hungaria iuris ediscendi causa Viennam petent. Rex uero in his quæ iuris sunt consulere ipsum poterit, & si quando opus fuerit ducet eum quocunque uoluerit. Ideo si uides uiam ad hoc patere, fac me certiorem, & confide quia hominem perliberalem promouebis: non doctum in iure solum sed omnis doctrinæ peritũ. Eius uirtutes ex Lodouico præfato planius pernosces: me plura dicere communis patria uetat & amicitia qua illi sum iunctus, ne has res præferre ueritati uidear. Sed confido multos esse in Germania qui uirum noscunt, qui eius discipuli fuerunt, qui me succumbere non sinent. Tu communis boni amator & regalis honoris promotor es, quod in hac re potes ostende. Vale. E

Dat fidem scriptis, *Epist. XLI.*

Aeneas Syluius Poëta, Strẽnuo militi domino Procopio *Bohemo, S. P. D.*

SVnt mihi certa quæ scribis, ne unquã aliter ratus sum. Nosco enim mores militum inter quos magni fit fides, quæ ex ea est dicta, ut Cicero uult, quoniam fiat ut dicitur. Tu uero ultra militiam etiam literas es sortitus, quarum magna pars fidem cõmendat, decipere autem inter uitia ponit. Scio igitur de retento esse cum sperares proficisci, nec ego aliud ratus sum. Sed commẽdo te qui rescripsisti causam remissionis & felicem te puto, qui neq; montes neque lutum neque glaciem aut niues experiri uoluisti, quanquam hæc omnia tolerabilia existimarem, si Bacchus apud has gentes tractabilis esset, si rudis est, asper, indomitus, amarus, nihil habens in se suauitatis. Vetustas Bacchum qui dulcis esset & hominem affabilem redderet, in numero deorum collocauit. Hic uero inter Eumenides cum Cerbero & Hydra locandus esset. Quid tibi de mulieribus dicam, comprimo me ne fiam odiosus, ne aliqui ex nostris socijs qui rutilam credunt Lucretiam, me molestum arguant quasi eorum amori derogauerim. Sed amor cæcus est, ideo Papi Florentinus lucernam quandam adamauit, ut pendentem ex cingulo quocunque iret ferret secum, & obuiantibus quibuscunque ostentans, nunquid pulchra lucerna esset percũctabatur. Sic iuuentus uestra ethiopem quasi niue F

A nive sit cãdidior colit. Facit hoc inopia: nam & monoculus Rex est inter cæcos. Satis di xi, tu Viennæ degis ubi ueneris chorus late patebit. Sed caue ne uincaris uerbo aut blanditijs alicuius, quia postquàm inescatus est homo, derelinquitur, estq; derisui, nullam ames priusquã probaueris. De pecuniola mea, mea laudo, illã apud Cancellarij fratrẽ deponas. Regi ero tuus fidelis nuncius, & hodie ut puto, nec mihi hoc erit pro te facere arduum. Vtinã seruire tibi amplius possem, nam meritus es ut te omnes promoueant. Vale & intra Bohemiam noli tam diu esse ut obliuiscaris nostri. Quod responsum Rex dederit, per alias literas efficiam tibi notum. Iterum uale.

De incerto curialium statu, Epist. XLII.

Aeneas Syluius, domino Caspari Schlick Cancellario *imperiali, S. P. D.*

IN literis alijs quas cum præsentibus mitto, significaui tibi maiestatem Regiam diem sancti Georgij delegisse, in quo uellet petere Nurenbergam, & sic in consilio conclusum est. Sed non est Sybillæ folium, aut immutabile fatum, quod in consilio decernitur. Viuimus nos indies quod heri placuit hodie displicet: ita gestum nunc est. Terminus enim qui erat ad sanctum Georgium receptus, nunc in Ascensionis diem commu B tatus est. Mihi hæc mutatio suspecta est, uereorq; ne derisui sit principibus, qui diætas Almanorum infinitas aiunt. Puto autem Regem idcirco terminum hunc amplexum, quia mox instet alius cum Bohemis receptus ad natiuitatem beati Ioannis, quasi per hunc modum intendat Rex unum mensem Nurenbergæ morari, imperij & ecclesiæ facta terminare, atq; exinde Pragam ire. Nescio tamen an bene metiti sint terminum, qui hunc excogitarunt. Ego reor neque Regem ad diem uenturum, neque mensem ad tot negocia sufficere posse, uereorq; ne dum uno itinere duo negocia uolumus absoluere, negligamus utrumque. Sed faciat me deus falsum uatem potius quàm uerum cum tanto damno. Ex his uideo diætæ continuationem non habituram locum, sicut apud uos erat statutum, quia nimis durum esset tamdiu expectare, exinde intelligo Chimenen. episcopum huc uocari & te etiam accersiri, & quia episcopus huc quàmcito uenturus est, suadeo ut & tu nihil tardes. Scis quid expediat propter ecclesiam Frisingensem, tu potuisti sentire quid sit animus Abimensis, in hac re puto utile fore ut non sit tardior tuus quàm suus accessus, credo me sane comprehendis. Comes Goriciæ iam triduo hic est, eiusq; consors, dispar coniugium unà ingressi sunt, unas ædes incolunt, unà per oppidum pergunt. Si sic se amant ut foris significant, beata societas est, mirandumq; spectaculum. Nuper uirum uxor captiuum habuit in uinculaq; coniecit, ac horrendi criminis reum di C xit. Nunc unus lectus utrumque recipit & una pascit mensa, mira res si tantum odium tam cito poni potest. Inter alios si hoc accidisset, nec uir uxori fidem reconciliantæ daret, nec uxor uiro iniuriarum ultionem uerita. Sed hic fortasse non ut uolumus, sed ut quimus agendum est. Exitus qui sit utriusque mens patefaciet. Albertus Regis frater tardius sperato uenit, is enim nescio quam ob causam Petrum Cottram suum Cancellarium apprehendit, & coniectum in uinculis compedibus ferreis alligauit, sic uir infelix multorum laborum fert præmiũ: nemo est qui speret ipsum liberandum. Principes nãq; huiusmodi ferè omnes sunt, ut quos capiũt, nunquam dimittant. Aut enim reus est, qui captus est & luere penam debet, aut innocẽs, sed ut uideatur nocẽs tenetur ne principis crimen pateat, ne uel ille dimissus iniurias quæstum eat & ulcisci studeat. Beati qui procul à curiarum tumultibus degunt, & contenti sunt quæ adest fortuna, nos animorum impulsu cæcaq; cupidine ducti, Regum atria petimus, principum in oculis uersari uolumus, quibus si milies cum periculo capitis seruieris, modicum uero aberraueris mox peristi, nihil enĩ uiolentius est aure tyrãni, suspiciosi omnes sunt, tũ curiales inuidi prompti q;, nedum si adsit, sed si absit quoque criminari delictum. Perierunt omnia seruitia si semel non recte spueris. Et sunt nonnulli, qui tunc citius seruum perdunt: cum maiora sunt obsequia, nam cum uideant se multa illi debere, potius delictum cupiunt quàm obse-

obsequium premiare. Sunt tamen plures qui ducis Alberti factũ probant, & mihi quoque ita persuasum est. nam princeps ille, tum sapiens est, tum mitis, nec absq; magna causa in tantum uirum iniecisset manus. Sed Cottræ utilius fuisset plebem suam curasse. Nunc quæritur quo pacto sibi illa auferatur, & aiunt quidam irregularẽ esse hominem, priuandumq; ecclesia in qua uellet nũc (ut existimo) Petrus Deo seruire, sed quia dum facultas fuit, uoluntas defuit, nunc uoluntatem facultas deserit. Nemo contentus uiuit sorte, quo plus habemus, plus uolumus. Ille beatus est qui cupiditati terminum ponit: qui uero nimios optat honores & nimias poscit opes, is sibi excelsæ turris tabulatum erigit, unde altius cadat, maioremq; det ruinam quã opinionem. Faxit deus ut sicut nunc non habeo, sic perpetuo fugiam. Tu uale et quamuis hi reditum tuum uideantur dissuadere, quàmprimum redi, quia Rex noster nihil Tyranni habet. Et tu non cum eo sed cũ alio creuisti, nec nunc augere sed conseruare statum quæris. D

Rex Arragonum se cingit in auxilium Rhodis contra Turcam. *Epist.* XLIII.

Aeneas Syluius, domino Caspari Schlick cancellario imperiali, S. P. D.

ADuenerunt denique literæ apostolicæ, per Guidonem allatæ, sicut ex curia scriptum erat has apud me habeo, nouem numero. Sunt in forma plena & sufficienti. E Nunc opus est ut quamtotius reuertamini, quia ut spero possessionem assequimini concupitam. Nuncius qui attulit literas refert Thaddeum Marchionem Hestẽ. per Nicolaum Picininũ cum mille equitibus interceptum, missumq; Regi Arragonũ. Qui Rex Venetis scripserit pacem, aut belli poscens inducias, nam duas & quadraginta galeas armauit, intendens Saracenorum, qui cõtra Rhodum uenerant insultantibus obuiare, nihil adhuc de responso scitum est. Athesini legatos habent, Venetijs auxilium postulantes: quod ne fiat timor est. Libenter namq; Veneti aliquid illis in montibus piscarentur, ne uenari Cæsar in mari eorum posset. Habebitis & uos literas de Venetijs per quas cognoscetis, somnium esse de pecunijs, nisi alia incedatis uia. Comes Goriciæ hinc abscessit, abnegatis sibi feudis. Dicunt enim Austriæ duces id priuilegij habere, ne quis in territorijs suis princeps degat uexillo inuestiendus, uxor eius adhuc est hic. Manent uetera pacta quæ comes Ciliæ percussit, omnia uir tenet, uxor unum castrum habet & ibi libras centum: & rursus trecentas annuas ex uiri camera susceptura est, sed cõiacere illi non tenetur, hoc uirum male habet, uxorem parua prouisio grauat. Comes Ciliæ, & dux Albertus ambo in consilium Regis sunt recepti, & his diebus iurarunt, itaque non omnino hic nihil est actum. Reliqua ex literis domini Henrici sentietis. Ego maximopere cupio Titum Liuium uestri itineris esse comitem, ut meus sit in curia aliquando socius. Valete & me uestro ex amore commissum habeatis. F

Nouitates de Turcis. *Epist.* XLIIII.

Aeneas Syluius poeta, S. P. D. summo Philosopho Ioanni Ampisio.

ALiorum literas quæ ad me scribuntur semel duntaxat lego, idq; cursim. Tuas cũ recipio nunquam satis legisse uideor. Redeo iterũ atq; iterum, nunc istam nunc illam particulam attingo. Aegre illas è meis manibus abire sino, facit hoc ornatus scribendi & charitas, tum quod cum illis tanquam cum teipso loquor, quo nemo mihi suauior est. Nũc cum Guido tabellarius tuas mihi literas redderet, quantum uoluptatis acceperim non possum coniunctim exprimere, sed partes epistolæ tuæ singulas referentẽ me magis intelligas, & quantum attuleris gaudij intueberis melius, prætereo res insubres, nec enim, mihi suasum est, te quicquam absque consilio facere, tametsi iocans magis quàm arguẽs de parcitate fecerim uerbum. Quod de Politicis scribis, admodum placet, nec te mirari oportet, si tibi librum empturo prospicere uolui, non enim diffidere est amicitiæ sed consulere, quando uiam ostendimus seruandi argentum. Quod uero ad nummos me paulo post nimis affectum dicis quàm oporteat, facis amicè, qui me admo

nes

A nes ne quid auaritiæ in me sit: te quoque in hoc Philosophum præbes, cuius est animum uitijs purgare. Sed scis omnes nos cum senescimus (ut Terentij sententia est) ad rem fieri attentiores, quamuis ab re sit, quo minus restat itineris, eo plus (sicut Cicero ait) quæri tur uiatici parare. Credo id accidere, quia multas perpessi calamitates in iuuentute, illarum meminerimus timemusque ut reuertamur in eas. Animus iuuenis sanguine feruens, ebullit, furit, insanit, nil pensi habet, non pecuniam pendit, quoniam se facile lucraturum sperat: nunc bella metitur, nunc mercaturam cogitat, nunc regales curias meditatur, credit amari, credit sibi ab omnibus subueniri si opus fuerit. Vetulus spiritus scit, quàm raræ sunt amicitiæ, quàm fallaces amores, quàm difficilia lucra. Scit temporalia bona (sine quibus negat Aristot. plenam fœlicitatem) in manu esse fortunæ, quæ si amiserit, illa inuita recuperare non potest. Ego mi Ioannes satis multa probaui, pecunias quasi fimum contempsi, nunc cum illas uellem, nusquam apparent. Video uerum esse quod Iuuenalis inquit: Haud facile emergunt quorum uirtutibus obstat Res angusta domi. Si mihi puer ut Vergilio & tolerabile fuisset hospitium, potuissem & ego cantare sub Antropierio, quod nunc potest sane paupertas facere. Mihi curandum est ut uiuam atque auro non caream, quo nocte dieque corpus eget. Da igitur ueniam si emptor quàm minimum dare cupiam. Nam & qui uendit quam maximi optat uẽdere, age tamen ut uis fiat, nullibi

B ero tibi aduersus, tametsi disputare interdum placeat. Tuum est curare ut Aristot. ueniat, quouis precio emptus, nec doleat hic Philosophus uendi, nam & Platonem uenundatum legimus, quanquam uenditio hæc quam peto, etiam Ciceroni & Vergilio sit accepta, nam qui scribunt nil aliud uolunt nisi ut post obitum quàm sæpissime uendantur. Tu tamen alijs literis inuenisse te aiebas, uenalem Philosophum, nunc te inuenturum dicis, sed ille forsitan Senis mansit, ideo alium quæris. Quod mihi scribis te uerba ex summo pontifice audisse, quibus spem concipis fortunæ melioris, magna lætitia intellexi, scio enim honore atque bono quouis te dignum. Tu tamen scis diuitias plerumque indignos comitari, easque (ut Philosophi uolunt) qui minus sunt digni possident, ideo tibi minus spero. Sed præter summus Pontifex fatum uincere, & præsertim si, ut scribis, adiutor tibi sit Reuerendissimus dominus tuus meusque: dico meus quia uetus mihi apud illum notitia est, & putaui me aliquando ab eo diligi, idque nunc puto, nisi uel suus mutatus sit animus, uel quæ intercesserunt negotia, me sibi alienarint. Credo te meum sermonem capere, ego tamen quicquid sit, illi afficior, uirtutemque suam & miror & colo, nec ex eo aliud peto, nisi ut tuum bonum quærat, qui uno uerbo statum tuum potest mutare. Ipse Philosophus est, nisi Philosophum amat desinit esse quod est, nec ego tãti eum faciam, oportet nonnunquam fortunam uincere eique resistere pro uiris claris. De Noxetano satis fecisti desiderio meo: non solum enim quid officiorum gereret mihi ex-

C posuisti, sed ipsum quoque ad me scribere compulisti. Ago tibi propterea gratias ingentes. Video tamen non concordare quæ scribis, his quæ ab ipso accepi. Is se inopem scribit, cum eum diuitem dicis, sed credo te ad ueritatem loqui, ipsum ad opinionem. Nemo enim diues est cuius cupiditati non est satis, tu quod sufficere homini reris, id diuitias ais. Is quia non habet auri montes, pauperem se putat. Ego plus tuis literis de eo, quã suis sum gauisus. Nam si te non audiuissem prius, moleste tulissem eius scripta. Diligo namque ipsum & omnis acerbitatis suæ sum particeps. Sed tu leuas me magnis angustijs, quando bene esse illi dicis. Non dicam plura in hoc quia sibi scribo, & puto eum apud te risurum, quando expuentes miseriam deambulatum itis meique memores estis, siue Colisseum pietatis, siue pontem Aemilum uel cum thermas uisitatis Diocletianas, aut illa sanctorum templa. Iacobum Caluum resaluto & bene illi esse cupio. Nam mei aliquando amicus fuit, & nunc est nisi amicitia possit frangi. Multa mihi de Comite nostro Senensi uenerabili cubiculario apostolico scripsisti, quæ omnia iamdudum mihi Viennæ retuleras, & ego uera esse scribam, qui uirum illum nobilem conterraneum meum à teneris annis noui. Puto tamẽ te illa præsente ipso scripsisse, qui tam efficax fuisti. Sed quid dixi puto, certa res est. Nam tu ipse in duobus corporibus unam esse animam dixisti: quod igitur scribis nedum illo præsente scribis, sed ipse scribit. Nõ dicam ergo tibi ut

aliud significes. Nam quod de te dico, de ipso dico: si tu me habes, & ipse habet Aristophanes tuus, Regium mihi salutes dicere uoluptati est, nam & illius memor sum, sed optassem quæ fortuna sit eius sicut de Petro scire, timeo namque sibi, nam omnes Poëtæ iacent, surguntque theologi, quorum iustitia summa putatur scientia. Poëta uero exurit intactam paridi ni uendat aganem. Arbitror tamen quia pius est uir, deum illum respicere & aliquid iam tribuisse quo sit sibi tuta senectus à tegete & baculo. Nihil modo plus esset scribendum, nisi quod te scire uolo Reuerendissimum dominum Cardinalem sancti Angeli cum Rege Poloniæ, atque Dispoto iam intrasse Hungariam, quo in loco Bassa Turcarum cum uiginti milibus equitum obuiam uenit. Præmissisque leuis armaturæ militibus Christianorum exercitum infestabant. tum Ioannes Transyluanorum dux, qui Vngarica lingua dicitur Vainoda, receptis decem millibus equitum, Morauam flumen traiecit, relictisque impedimentis Bassam petebat prælium initurus. Timuit Bassa recessitque. Ioannes uero urbem Nisam profectus est, eamque militibus cinxit, nec magno negotio expugnauit. Exinde relatum est Bassam cum exercitu reuersum bellum poscere, quo accepto, obuiam Ioannes perrexit, atque ut in propinquo fuit, structis aciebus, certamen iniit. Mira res: ex Turcis duo milia cæsa dicuntur: capta quatuor milia. Ex Christianis solum decem cecidere, quibus pro Christi nomine certantibus bene putandum est obuenisse. Signa militaria nouem intercepta sunt, multa præda asportata & spolia ditissima, reliqui, quot fuga morti eripuerat, incolarum insultu periisse dicuntur. Hæc acta sunt ad diem tertium Nouembris sicut Regi nostro per ipsum Cardinalem & regiis literis scriptum est. Aiunt hoc magnum esse initium, & spem hinc suscepi, qua Turci ex Europa pellantur, quod faxit Deus, tum propter Christiani religionis augmentum, tum propter nomen & gloriam Cardinalis ipsius, quem dignum honore quouis deputo, cum fidem catholicam defensurum tantis se discriminibus obiecta. Vale & amicorum quicquid habeo saluum dicito.

Quomodo uxor ducenda & principibus seruiendum sit. Epist. XLV.

Aeneas Syluius Poëta, uiro præstanti fratrique colendo
Petro Noxetano, S. P. D.

MAgnas habeo gratias Campisio nostro, qui te mihi scribere compulit: sed maiores tu illi habere debes, qui eius opera ad te reuersus es. Nanque cum soleres omnium esse humanissimus, diu extra te fueras nihil mihi scribens. Qua re nescio quæ potuerit immanior esse. Sed uiuat fœlix Campisius, qui te humanitati reddens me uita donauit. Eram enim iam exanguis mortique proximus, nihil tuarum suscipiens literarum, sed iam rediuiuus sum factus scriptis tuis, tametsi nonnulla scribas rancida, nam quicquid tibi molestum est, id mihi quoque acerbum esse debet sed credo plus aliis quam tibi de te. Facis enim ut uirum prudentem decet, qui de se parce loquitur & omnia sua imminuit, non ut miles Traso auget, tu te pauperem dicis, Campisius te diuitem asserit, nec Castellanus negat. In hoc tamen duplex ratio esse potest, aut enim nimis appetis, aut iactantiam uitas, ne te diuitem scribens uenari gloriam uidearis. Ego siue pauper siue diues sis tantundem te facio, non enim unquam fortunas tuas sed te amaui, & illam quam in te sitam uirtutem cognoui. Si diues es, Petrus es, & uirtus tua est eadem, nec ista immutata sunt si pauper es, quia nulla ex uirtute spolia casus ducit. Quod uero patrem tibi esse atque sobolem dicis, credo ut scribis, & pietatis est his subuenire, qui hoc non facit eis, iam nec pius est nec bonus nec homo, sed immanis belua. Quid enim immanius dici potest quàm illi opem negare, à quo susceperis uitam. O mi Petre nimis est arctum patri quo sumus obnoxii uinculum. Quamuis aliquorum uesania eò procedat, ut non solum negare parentibus uictum audeant, sed eos etiam uinciant, cedant atque trucident, sed hæc prætereo. Illud autem mihi risum excussit, quod de Philorcio scripsisti, siue hanc uolumus Antiphilam dicere. Visus sum cum Terentio loqui, dum tuas perlegi literas, nunc mihi Pamphilus, nunc Eschinus, nunc Clinia uidebaris. Sed accidit tibi

credo

A credo non sinistre, quoniam bene moratam uirginem sortitus es, quæ tuis conuenit moribus, quæ non ad suam sed ad tuam sit uictura consuetudinem. Nec tu mihi de paupertate dixeris: uxorem namque ducturus, non aurum sed fœminam sibi maritat, uxorem castam, formosam et fœcũdam uolo, hæc si assint nihil plus exigo. Sunt (crede mihi) mi Petre, multa cum diuitijs uitia, aliæ temulentæ sunt, aliæ superbæ, cõtumaces, adulteræ, maliloqui, nunquam uiris pacem dãt, aliæ deformes, ægrotæ, steriles, hæc tua non habet mala. Quid minimum quæris ubi sunt maxima, tute illam probas, & solum accusas inopiã. Superis sit laus quod tibi satis est, quodque officijs lucrosis præes. Marchio Saluciarum ut nobilium & potentum fastidia fugeret, porcariam puellam, quam in nemoribus uenationi dans operam reperit, matrimonio sibi coniunxit: cuius uita omnes illustres fœminas inferiores se fore monstrauit. Quid tu dicas, aut agas, quoniam principes non uerentur pauperis domus amplecti connubia. Ego tibi mi Petre, si sic est ut dicis, si tibi morigera est puella, & tuo gustui conueniens, non suadeo ut nuptias protrahas, tibi melius quàm alijs euenit, qui periculũ fecisti antequàm nuberes. Alij sæpe decepti sunt, uxores ducunt antequàm probent, & esto uiderint, & faciem laudent. Multi sunt occulti defectus qui post primos himeneos in lucem uenientes, perpetuis cruciatibus uiros affligũt, ego de me facio coniecturam, plures uidi amauique fœminas, quarũ exinde potitus tædi-
B um magnum suscepi, nec si maritandus fierem uxori me iungam cuius consuetudinem nesciam. Loquor tecum aperte, scio quoque animi tui partem, qui sæpe mihi dixisti, eam te uelle cõiugem ducere, quæ se tibi debere plurima fatetur, ecce iam habes totum quod mente petisti, uide ut tibi sis cõformis. Ego si quando dulces reuisam lares, & amœnam Italiam repetam, quod mihi dubio est, nihil me fecisse putabo, nisi & te conueniam & uxorem & liberos & pueros & domum & equos tuamque omnem suppellectilem uideam, panisque tui aliquid edam. Nec te terreat meus honorificus aduentus, non enim is sum qui pompam ducere possim, non arridet tantum mihi hera fortuna, ut cum fastu & gloria sperem me patriam posse remeare, satis mihi fuerit nisi mendicus redeam. Sat erit si mea pecunia uiaticũ coëmero. Quod mihi sperem nihil est, et in hoc habeo superis gratiam. Suasisti exinde ut parti tuæ faueam, si non alia ex causa saltem propter te, hæc est adiuratio quædam, quæ non suadet tantum, sed etiã cogit. Tu tamen nosti me principi seruire, qui nullarum est partium, quique medium tenens unioni studet. Nec fas est seruos aliud uelle quã domini cupiãt. Mihi sanctũ uidetur Regis propositum, cui ut faueat Deus supplex oro. Nec si mens regia locum habuerit, sors tua deterior erit, sed quemadmodum puto longe melior, quia tunc diues est curia & officiales opulenti, quando est unio, quàm si Deus daret, posses & me & te uocatum facere. Sed nescio quando hoc erit, interim me Regi insinuabo, Regi parebo, regẽ sequar, quod is uolet & ego uolam,
C nulla in re aduersus ero, nec attingam aliquid quod statum meum non respiciat, quia periculosum est de aliena repub. curam gerere. Ego peregrinus sum, consultum mihi est Gnatonis offensum suscipere, aiunt, aio. negant nego, ipsi si fuerint sapientes laudem ferent, si stulti eorum quoque dedecus erit, nullius inuideo gloriam & nullius dolere infamia uolo: quod mandatum fuerit scribam, non addam quicq̃, nec uideri uolo prudens neque stultus, tacebo & parebo libens: si secus agerem, non esset mihi ex usu, nec te uelle scio, aliquid me agere quod possit obesse statui meo, ne qui est paruus fiat nullus. Non dicam plura nisi quod te rogo de magistro Thoma aliquid mihi scribas, & quid de nuptijs sequatur. Vale.

De monte Veneris. Epist. XLVI.

Aeneas Syluius Poeta, S. P. D. Georgio Iurisconsulto fratri suo.

VEnit ad me hac hora lator præsentium, ex me quæsitum. an Veneris mõtem apud Italiam scirem: nam ibi magicas artes tradi dicebat, cuius auidus esset herus suus qui Saxo est summus astronomus. Dixi me scire portum Veneris qui est prope Lunam inter Ligusticos montes, quo in loco tres noctes egi dum Basileam peterem. Inueni etiã apud Siculos montem fore, qui Herix appellatur Veneri sacer, sed in his locis

nihil accepi magicum tradi. Inter conferendum autem uenit in mentem lacum esse, in umbra quæ prouincia ducatus dicitur, non longe ab urbe Nursia ubi præruptus mons ingentem speluncam facit, per quam aquæ fluunt. Illic memini audisse me striges esse et demones, ac nocturnas umbras, ubi qui audaces animo sunt, spiritus uident, alloquunturque & artes ediscunt magicas: hæc non uidi nec uidisse curaui, nam quod peccato discitur melius est ignorasse. Sed Sauinus iuris ciuilis peritus qui apud Camillam inter publica diuersoria domum habuit, hæc mihi uera esse asseuerauit, locum nominauit & locum descripsit, sed ista ex memoria fugerunt, quæ labilior est anguillis: ideo te rogo, si Sauinus uiuat, hunc uirum ut ad se ducas sibique eum commendes. Nam & mihi ipse & tu in hoc rem gratissimam facietis, is enim qui nuntium hunc mittit medicus est ducis Saxoniæ, homo tum diues tum potens. Post hæc opus esset me non nihil scribere patri cæterisque consanguineis, sed tēpus non patitur & occupationes impediunt. Tu tamē mea eris litera, dicesque omnibus mihi bene esse, & sospitem me ducere uitam. Rogabis etiam patrem meum ut filiolum mihi Florentiæ natum, de quo mihi scripsit, tollat alatque, nam multa concurrunt ex quibus meum puto, sicut patri scripsi. Nescio an literas meas susceperit, ideo hæc tibi scripsisse uolui ut meum animum sentiat ille per te. Nouitates, quas mihi scripsisti, intellexi ad summum. Quod dicis Papam fuisse Senis dum scriptum est Cæsari in rebus ecclesiæ, scio quid significet, sed id non satis facit, quia nihil gerendum est quod postea sit excusandum. Me puto plane habes. Genitrici tuæ & patri scis quid uelim meo nomine dici, tibi arbitrium do, idque de omnibus maternus amor & sororia dilectio quid petant, uti ego nosti. Finge te esse me, & quid tunc uelles id facito. Vale. D E

Refert grates quia commendatum habetur negocium suum. *Epist. XLVII.*

Aeneas Syluius Poeta, S. P. D. Nicolao de Arzimboldis doctori præstanti ac Ducali Consiliario.

SVscepi (non sunt multi dies) literas tuas quibus mihi spem facis uelle te curam suscipere, ut præpositura mea mihi restituatur, qua conficta morte spoliatus sum, id mihi charissimum fuit: nec aliter de tua erga me charitate putabam, memor notitiæ nostræ Florentiæ & alterius consuetudinis quam habui Mediolani tecum. Proinde cum sis magnifico Cancellario fratris loco, & ego illi non nihil acceptus sim, credidi hoc quoque mihi prodesse. Accedit illustrissimi principis ducis Mediolani honor, cui non potest ad laudem cedere me seruulum suum, qui sibi non uulgariter in multis rebus officiosus fuit, tam impie spoliari: & tunc præsertim quando tanto principi seruio quantus est imperator, apud quem possum nonnunquam eidem duci utilis esse, si passeris est aliquod officium apud aquilas. Hoc credidi & te animaduertere, nec decepturus sum quantum uideo & quantum mihi scribis, qui uelle curare rem meam dicis. Ego magnā spem habeo in te, ut quod facto est opus, pro tua summa prudentia prosequaris, utque omnino studeas ut præpositura mea ad me redeat, quod nisi opera tua fiat nullius alterius auxilium spero. Scribit Maiestas Regia in fauorem meum iuxta copiam quam his inclusam mitto, cum hac poteris audatius meum negotium aggredi. Scriberet tibi mei causa ipse Cancellarius si adesset: sed iam mensibus tribus abest missus ad dietam Nurenbergensem, meque hic suo loco dimisit. Is autem infra mensem reuertetur, nam dieta illa prorogata est ad diem ascensionis. At rursus conuocati sunt principes, promittitque Rex omni remota exceptione in eam diem personalem accessum. Noua autem quæ libenter cupis audire non habeo multa, nisi quod Reuerendissimus dominus Cardinalis sancti Angeli qui apud Vngaros militat, literas per hos dies Maiestati Regiæ misit, quarum tibi copiam facio ut eas illustri principi communices, meque sibi commendes. Si quid ulterius emerserit nō negligam tibi significare, et maxime ubi sciuerim uel ipsi principi uel tibi me complaciturū. Vale. F

De rebus

A *De rebus Tridentinis.* *Epist.* XLVIII.

Aeneas Syluius D. Francisco Bosio doctori eximio, S. P. D.

ACcepi te Mediolanum petisse, quoniam Triderti non erat tutum esse. Probo cōsilium tuum, licet mihi damno sit, sed maius fuisset commodum meum si quid illic tibi detrimenti contigisset. Fugiendi rumores sunt, & maxime ciuitatis illius quæ tot habet uoluntates quot homines. Nihil iam illic erat quod per te geri posset, quia non exaudiuntur leges inter arma, nec uox aduocati inter tubarum concentus resonat. Iam ibi clasicum intonuit. Venerunt Athesini ad tria milia hominum, & agros uastare Tridentinos ceperunt, non tamen absque cruore iniuriati sunt. Ceciderunt ex Athesinis quàm plures captiq; & uulnerati nonnulli dicuntur. Rex auxilium Tridentinis mittit, spesq; habetur nepharios æmulorum conatus non transituros absque pœna, quia nulla temeritas tuta est, & nulla iniuria stabilis. Sed de his satis. Ego uellem instrui literis tuis quomodo res meas dimiseris, tum de plebe tum de præbenda: & quomodo huius anni redditus sint expositi, ut sciam, uxor domini Iacobi an debitum habuerit. Vellem quoque certiorari quid per me ulterius sit gerendum dum habes. Exinde scribit Rex illustri principi duci Mediolani in fauorem meum, petitq; præpositu-
B ram mihi restitui, peto uelis promotor rei esse. Scribo domino Nicolao de. N. qui sua gratia me adiuturum se spopondit, hunc adire uelis, & in meam causam hortari, sic & dominū Conifertum secretarium, cui aliàs scripsi, ut uel una uel alia uia finis detur. Ego tamen tibi committo, quicquid feceris ratum apud me erit. Laurentius de Rotella multa promisit, sed nūquam rescripsit. Credo eum plus uerborum habere quàm factorum. Tua est alia consuetudo, plus facis & minus dicis, ideo mihi satis est significasse quid uelim, persuadere non est opus persuaso. Reuerendum patrem dominū Nouariensem spero mihi auxilio futurum. Ipsi ut me commendes in spe habeo. Vale.

Leges dicit esse uariabiles. *Epist.* XLIX.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Ioanni Campisio Philosopho.

MEas literas ad te iam arbitror uenisse, quas per Venetias (mensis est) ad te misi. In illis te rogatum feci Politicum Aristot. ut mihi coëmeres sicut Viennæ interlocuti fueramus, credo id tibi mente esse, ideo breuior sum tantum exspecto cupide ut uolumen ueniat. Vidi bullas ecclesiæ Frisingensis Cancellario missas, quæ illo absente mihi redditæ sunt: ea res multum proderit parti uestræ. Nam liberalitas inter cæteras uirtutes maxime homines allicit. non erit immemor Cancellarius huius rei. Ita di-
C cito Reuerendissimo domino Cardinali Tarentino, cui etiam me commissum facito. Habebit Pontifex Maximas, & ipse Cardinalis in reditu Cancellarij literas regratiatorias. Quanquam magis sint facta quàm uerba spectanda sed nec facta deerunt. Obligatus est Cancellarius manibus pedibusq; recognoscere hoc beneficium, & nisi fallor id faciet. Ita uelis tu suadere Cardinalibus & Papæ, Exinde meis uerbis poëtam Vegium saluum dicito, & Petrum Noxetum cui do literas, ac amicorum quicquid me habere scis, tum præsertim conterraneum meum Contem. Et caue ne amplius legem taciturnitatis obserues, quia ipsi leges seruiunt & iuxta opportunitatem mutantur. Ego nolo legem meam maioris esse roboris quàm synodales sunt sanctiones, quæ dietim infringuntur. Nulla ciuitas municipalia iura inperpetuum seruat. Et Spartani et Athenienses & Romani indies contrarias ediderunt leges. Quod inter omnes uariatur inter nos non decet immutabile ut sit. Vale & quantum tacendo prætermissum est sermonis, tātum scribendo restitue.

Relegat continentiam ad Philosophos. Epist. L.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Petro de Noxeto scriptori apostolico & fratri amantissimo.

SAtis ad te superioribus diebus scripsi, tum de mea erga te uoluntate, tum uxore quã eras ducturus. Nunc addẽdum nihil est, nisi quod te rogo ut rescribas successum rerum, & an adhuc uir sies. Nam si sic est, dabo tibi onus ut me quoq; uirum aliquando facias, si quid inueneris meæ opinioni conueniens. Ego non intendo uitam omnem extra Italiam degere. Et adhuc caui ne me sacer ordo inuolueret. Timeo enim continentiam quæ licet laudanda sit, uerbis tamen quàm factis probabilior est, & Philosophis magis quàm poëtis conueniens. Quicquid sit rescribe petitionibus meis, & me tui status scium facito. Et considera me non tantum mei quàm tui boni cupidum esse, & gaudere omni tua fortuna. Postremo inuestiga omnes uias si quæ inueniri possint, ut aliquando Theutonicus Aeneas fiat Italicus. Vale.

Laudat constantiam amicorum & Aretinum defunctum. Epist. LI.

Aeneas Syluius Poëta, Ioanni Campisio insigni Philosopho & amico singulari, S. P. D.

VEllem tibi per singulos dies aliquid scribere, nec mihi uel stilus grauis uel præciosa uidetur papyrus. Iam enim pœnitet me legem taciturnitatis promulgasse, ut fit, quia nihil mundanum perpetuo placet, sed cogit me uti silentio raritas nunciorum. Perpauci sunt qui ex his oris ad te ueniant: aut si ueniunt ignoti sunt mihi. Vix quater in anno qui ad te proficiscantur inuenio: hac re factum est, ut literis tuis inuitus distulerim respondere. Nunc iam quia tabellarius certus Romam petet, habebis ex me responsum, Aeneamq; tuum loqui tecum accipies. Scribis te meis literis recreatum, quas apud Basilicam sancti Petri Noxetanus noster tibi restituit. Placet te consolationem recepisse, sed indiguisse consolationis non placet. Nollem enim aliquid tibi accidere quod molestum foret, egeretq; medico. Quod amicitiam meam commendas solidamq; dicis non audio inuitus. Nam & si me nolim aliter laudari, quia non sum laude dignus, hoc certe sine rubore dicere possum, me postquàm amare occepi pertinaciter continuare. Non sum in capiendis amicitijs facilis, nec quemcunque dignor accipere in amicum. Superbus sum fastidiosiq; stomachi, nisi melior me sit nemo me habebit amicum. Sed ut tarde in amicitiam uenio, sic recedo sero, tenax sum amicorum. Neminem adhuc amaui quem nunc habeam odio. Sentio itaque tecum dum me stabilem dicis amicum: teq; certum facio nunquam me tuam beneuolentiam exiturum uel Noxetani, quos mihi Piladis & Orestis loco delegi. Scio tamen tecum uenturum esse Contem qui pars est altera tui. Sed neque hunc uito, quia & conterraneus meus est & uirtute plenus & alter tu. Quod mea scripta probas extollasq;, facis amice. Ego qui omnia dico & scribo quæ uel in animum uel in buccam ueniunt, non arrogo mihi tantum, & quippe si alteri scriberem non essem adeo uerbosus. Tibi cum scribo nihil uereor, quia tu lima es & quod erratum est, aut emendas aut tegis. Amicis omnia nuda sunt. Cum de prophetia legerem quæ scribis cœpi dolere & irasci fortunæ, quæ semper cæcis ambulat oculis, & eos potissime facit locupletes, qui minus sunt digni, dicebamq; in ea. En perfida, cur non aliquando aperis oculos, uirosq; bonos prouehis. Campisius iam annis quatuordecim curias sequitur, uir præstans tum literarum peritia, tum uirtutis operibus, quid tu hunc præteris negligisq;? An tibi dignus uidetur quem semper paupertate præmas? & ubi oro melius quã in hoc uiro collocabis diuitias? Non hic aurum claudet, sed utetur in ususq; tum necessarios tum utilesq; exponet. Ad hæc audiui uocem mihi respondentem. Ne mirere

Syllui: non

A Sylui: non fortuna est, quæ uiros bonos pecunijs priuat, sed habēt ipsi nūmi nescio quid sensus. Sunt enim ambitiosi & honoris cupidi, nō teneri, sed tenere uolunt. Hic tuus Cāpisius non uellet auro subesse, neq; argentum ueneraretur, sed essent apud eum pecuniæ quasi ancillæ, nunc huic rei, nunc illi seruientes. At ipse quietem amant, libenterq; apud auaros sunt, qui eos scrinio claudentes, singulis horis uisitant & honorant, nec alibi cor habent quàm cum eis. Displicuit mihi uox quamuis uera caneret. Sed ubi epistolam tuam interius legi, meliorem spem reperi, quā impleri non minus quā tu cupio. Timor tamen nunquā aberit nisi postquā mihi scripseris. Gaude mi Aenea, quia iam sum ex numero beatorum. Aristotelē ut habeam quā celerrimè cura. Cognoui te librariū cōduxisse, iamq; illū ad mediū scriptum esse, qui ut in calcē finitus erit ex iudicio Ioannis Tolner uiri boni & amicissimi nostri ad me mittetur. Non laudabo diligentiam tuam, quæ & si maxima est, non tamen maior est quā postulat amicitia, librum auide maneo. Si mitti Viennam potest, id erit mihi acceptius, ut ex Nurēberga reuersus hic reperiam, quod diu quæsitum est. Quantus sit Noxetanus, & nūc cognosco & alias audiui: Vellē tuam manere priorē sentētiā, quia nullo bono indignus est. Ipse me rogauit uestræ ut fauerem parti, si non alia ex causa sua saltem, qui ex officijs curiæ uiuit. Sed miror illum iam meæ oblitum esse fortunæ. Nam quod uobiscum non sum uestri causa facio ut secundior sit

B uobis fortuna. Dum partem sequor aduersam nihil aduersi tulistis. Si ad uos deficiam mox fortunæ impetum sentietis, quia non uult esse ubi ego sum. Suade igitur Petro ne petat quod sibi nociuum sit. Ego præcijs meis essem rogandus inimicitias tenere. Nouit hoc Petrus, dum Basileæ simul essemus. Vegium inuenisse Pōtificis summi gratiam gaudeo, ne cogatur Aganem Paridi uendere, quāuis sua Clio sicut & mea Caliope desertis Aganippæ fontibus iam migrarit in atria. Sed respiciat illū oro mitiori lumine, si non fortuna, is qui fortunæ imperat Deus. Si quis Gallus datarius esset, neq; percussam læuam gereret, nec auro gēmisq; careret. Quæ de Cardinali sancti Angeli scripsisti, & Andrinopoli capta, cognoui non fuisse apud uos certa: sic enim dicebas, sed illa apud nos somnia reputantur, nam et si magna fuerit nostrorum uictoria nunquā tamen Andrinopolim peruentū est: nec tàm insignis tunc triumphus fuit quā nunc est metus ingens. Aiunt enim Turcas magna ui reuerti, nec modo expectare, sed inferre bellum decreuisse. Quare factum est, ut Vngari qui prius superbissimi erant, nunc paululum humilitati inducias Viennales cum Cæsare fecerūt, quæ & illis utiles sunt, ne dum Turcis resistunt à tergo, timeant: & nobis accommodæ, ne dum petimus Nurenbergam tumultibus patriæ reuocemur. In Nurenberga quid futurum sit neq; dicere, neq; coniectari possum, quia quot homines tot sententiæ, Rex infra decennium iturus putatur. Albertus & Sigismundus Austriæ duces Comes Ciliacus, & dominus de Valle præter

C familiam solitam Regem sequentur. Omnis Germania illuc conueniet: uelint superi ut bonum sit, quod tanto conatu quæritur. Soror regia hodie huc uenit mansura apud Viennenses, dum Rex abest. Res Athesis ex placito partium Nurenbergæ componi debet, idem & Suitenses. Leonardum Aretinū ex te primum sensi obijsse: dent eius umbræ tenuem, & sine pudore terram superi: spirantesq; crocos, & in urna perpetuum uer: qui Latinum ornauit literis, quo nemo post Lactantium Ciceroni proximior fuit. Gaudeo Pogium eius locum apud Florentinos tenere. Sed maluissem potius locum non uacasse, ne tanto splendore caruisset Hetruria. Multos adhuc Græcos nobis dare Latinos potuisset. Sed instat omnibus suus dies, nec doctum, nec indoctum mors prætérit. Felix qui sic uiuit, ut nihil timeat mori: uentus est hæc uita mi Iohannes. Iam me tedet mundi huius, nec aliud opto, nisi ut me mihi uindicem tecumq; sim, ut Philosophemur inuicem, quamuis te neges Philosophum. Credo si simul fuerimus, aliquādo stoicos præcæteris imitari studeremus, qui sunt Euangelio propinquiores. Sed timeo ne pro quiete laborantes semper labori subijciamur. Reuerendissimum herum tuum Cardinalem Tarentinum me amare, mihiq; bene cupere maximi facio, illiq; ut me dedas peto, sibiq; dicito me tunc ab illo diligi cogniturum, cum te suis fauoribus, uel ditatum uel extra miserias positum sensero, quia quod tibi præstiterit, & mihi datum putabo.

Conti & Iacobo Caluo etiã, si tacuero, salutes ut dicas uolo, quia in medio cordis mei sedent. Tu uale & Aristotelem cum tempus fuerit mittito, nulla pecuniarum anxietate perturbatus. D

Bello Turcarum & Vngarorum Rex Poloniæ, & Cardinalis S. Angeli ceciderunt. *Epist. LII.*

Illustrissimo principi ac excellẽtissimo Domino, D. Philippo Mariæ Anglo duci Mediolanẽsi Papiæ Anglariæq; comiti ac Ianue Domino, D. suo præcipuo, Aeneas Syluius Poëta imperialisq; Secretarius humilime se cõmendatũ facit.

ETsi fauoris mihi non multum hactenus tua Celsitudo impenderit, quæ post traditam mihi ecclesiæ sancti Laurẽtij maioris Mediolanens. possessionẽ, spoliatorẽ meum præter ius, & contra literas regias in meum fauorem sæpius scriptas tuetur: in tãtum tamẽ illustri Celsitudini tuæ sum deditus, ut prætermittere nullatenus possim, quin nouitates ad nos delatas eidem significem. Quæ tametsi non huiusmodi sint, ut audiri libenter debeant, expedit tamen & secunda & aduersa cognoscere. Accipe igitur ex seruulo tuo, non tamen apud tuam illustrem dominationẽ pro seruulo reputato, quæ apud nos noua referuntur. Quindecim aut eo plures sunt dies, quibus huc fama delata est. Fama malum inquam, quo non aliud uelocius ullum, Mobilitate uiget, & quæ uires (ut Vergilius ait) acquirit eundo. Hæc igitur Ladislaum Poloniæ Regem, qui regnum Vngariæ occupauerat, ac serenissimum principem Ladislaum Vngariæ ac Bohemiæ Regem, paterno ac auito regno spoliauerat, in bello cum toto exercitu prostratum uulgauit. Quia cum mille uenerant literæ nullusq; certus autor habebatur, ficta res credita est. Nec multo post epistolæ ex Vngaria missæ sunt, Regem Poloniæ superatis conflictisq; Turcis uictorem reuerti. Eratq; non parua trepidatio, ne sicut est uictoria sui, nam insolens & superba, Rex idem cum Vngaris aduersus Austriam & Stiriam castra moueret. Iamq; uir magni nominis Dionysius Archiepiscopus Strigoniensis, & alij qui Ladislai regis partibus fauent, auxilia Romanorum regis efflagitabant. Studuerant enim qui Regem Poloniæ apud Vngaros manutenebant, conflictum eius tegere. Siue quod redimiti ex bello Regi quamuis fugato consulere uolebant: siue quod statum suum eo melius interim putabant posse dirigere. Sed nihil est mendatio instabilius, nihilq; ueritate constantius. Aduenerunt enim hodie (mirabile dictu est) ex diuersissimis remotissimisq; regionibus, una in hora diuersi nuncij, non tamen diuersa, sed eadem noua portantes. Scripsit illustris Ciliæ comes. Scripserunt ex partibus Transyluanis alij, & rursus alij ex Vngaria, Barones nouitates istas Regiæ Maiestati, quæ licet Christiano populo lugubres sint, & admodum nociuæ, nõ tamen taceri debent. Sed tanto diligentius inter Christicolas diuulgari, quanto catholicæ fidei maius imminet periculum: nisi religiosissimi principes in unum conuenientes, de medio resistendi sanctæ crucis inimicis & hostibus Christi cogitauerint. Noua igitur ista sunt. Aiunt omnes nuncij uno ore Regem Poloniæ cũ Cardinale sancti Angeli multisq; Vngaris & pluribus Malachis & Bulgaris atq; Ruthenis in Rumaniam usque profectos, tot bellando successus habuisse, ut nõ longe ab Andrinopoli castra posuerit. Quod prius quàm Turcarum imperator accepit, collecto in Asia exercitu quadraginta milia pugnatorum mare traiecit. Classis nanq; in Hellespontum ad prohibendum ex Asia in Europam transitum, hac æstate præterita missa, ut isti referũt, iam retrocesserat: patronis eius pecunia & Asiatica gaza corruptis, quod mihi non est uerisimile, nec persuaderi mihi potuerit, tanta perfidia usus illos fuisse, ut Christianum sanguinem Mahumetis auro uendiderint. Illud autem credibilius est deficiente commeatu, classem ulterius non potuisse procedere, sicut iam suis literis timere se Iulianus Cardinalis significauerat, utcũq; sit, liberũ mare Turcis patuit, qui transeuntes in Græciam iunctiq; suis cis mare manentibus cum magno exercitu Christianos aggressi sunt. Nec nostri detractauere certamẽ, sed in ipsa sancti Martini festiuitate bellum commissum est, quod tam atrox & asperum fuit, ut raro inter mortales tale fuisse putetur: diu prælium anceps extitit, diuq; uiribus utrinq; paribus est pugnatum. Atque dum nostri pro Christo, & illi pro Mahumeto contẽdunt, tanti

(margin letters: E beside "uires (ut Vergilius ait)..."; F beside "lum: nisi religiosissimi...")

A tanti acies utriusq; partis animi fuerũt,ut cæsis inter utrunq; exercitum circiter XV millibus hominũ, cum pugna par esset adhuc cessare noluerũt,sed quo plus sanguinis fundebatur,eo ferotiores utriq; acies turmæq; præliabãtur,defecerunt tamen utrisq; uires, fessisq; brachijs nec uersari gladios amplius nec arcus tendere ualebant. Quæ res quiescere ambas partes ad magnam horam coëgit,donec resumptis uiribus, ac spiritibus redeuntibus instauratum est prælium.In quo uicit ad extremum Turcarum exercitus, siue uirtus fuerit,siue fatum,siue quod numero plures erant. Affirmantq;, qui ex bello fugerunt, patrum nostrorum memoria, nullum tota in Europa tam cruentum bellum esse commissum.Nec pauciores ex Turcis quàm ex Christianis cecidisse. Et rumor est LXXX. milia uirorum in hac pugna esse cæsa.De Rege Poloniæ incerta uox est. Quidam occubuisse eum ferunt, quidam captum putant.Illud tamen inter omnes constat Regem Poloniæ ad Vngaros non esse reuersum. Nec desunt qui eum in facie uulnus suscepisse inter præliandum asserant,quo fit ut adolescenti tam nobili tantiq; animi admodum condolendum sit,qui non suo iudicio,(non enim propter ætatem aliena regna cupiebat) sed suorum suasu,ex pacifico regno in alienum,non ad pacem,sed ad bellum, non ad opes posidẽdas,sed ad mortem uel captiuitatem est tractus. Murmur etiam in hoc prælio uirum nostri temporis,tum eloquentissimum,tum prudentissimum Iulianũ
B Cardinalem sancti Angeli cecidisse,ac illum suum nobilissimũ spiritum ad omnia quæcunq; ageret diuinitus aptum exhalasse.Quidam astruunt eum cum Ioanne Vainoda Transyluano,& nisi timiditate uictus aufugerit,animosissimo cũ paucis euasisse,quod magis optauerim,sed mors sua mihi probabilior est,quia nõ fuit in bello fortunatus. Nã & aduersus Bohemos cum exercitu profectus,fugatus est:nisi forsitan & idem sibi nũc accessisse arbitrari uelimus.Sed assueuit fortuna quos uno ex bello fugatos fecit,in alio interemptos reddere. Quæcunq; sors eius fuerit,non puto male actum cum eo, qui pro Christi fide pugnauit qua si mortuus est(ut isti ferunt)nulli dubiũ esse debet,quin ad eũ transierit,cuius causam tutabatur.Occisi cum eo sunt Agriens. & Maridiens.Episcopi. Stephanus de Vader,Ioannes de Lasimet,Nicolaus de Perin,Henricus de Thamasij. Multiq; alij Barones,quorum nondum nomina sunt transscripta. Plures in hoc prælio illustres animæ uel in cœlum,uel ad inferos transierunt.Insignis est hic annus multis cladibus. nam & Suitenses apud Basileam cæsi sunt. Et Delphinus quàmplures Alamaniæ ciuitates occupauit.Et Rex Franciæ Tullum Verdunumq; cœpit.Nicolaus Picininus uita functus est.Et alij quàmplures magni uiri mortui sunt,qui uestræ illustri dominationi,quàm mihi sunt notiores. Vngari iam incipiunt Ladislaum Regem repetere, res noua est & recens: nec magis explicanda quàm tradita sit.Noua certiora indies mittẽtur,quæ non omittam scribere,si sciuero meas literas in cõspectu Celsitudinis tuæ ac-
C ceptas esse.Et non magis aduersariũ meũ,quã me in ecclesia sancti Laurentij, quæ mea est cõfouere.Ex noua ciuitate die tredecima Decẽbris.Anno domini M.CCCCXLIIII.

Lamentatur Eecclesiam suam alteri collatam propter sui mortem, Epist. LIII.

Illustrissimo principi & Domino,Domino Philippo Mariæ Anglo duci Mediolanensi Papiæ,&c. *Domino suo præcipuo, Aeneas Sylvius Poeta imperialisq; Secretarius humilime sese commendatum facit.*

SI essem mortuus,sicut de me aduersarij mei tuã Celsitudinem instruxerunt, minime has literas modo scribere,nisi et mortui etiã scribãt.Ego tamen ex diuino munere adhuc aura fruor,sumq; serenissimi domini nostri regis Roman. Secretarius, quo in loco si non commodo,honori certe magno esse possim tuæ Claritati,meq; tota fere Christianitas in Basiliensi Concilio laudes tuas commemorantem audiuit. Nunc mortuus fingor,qui etiam mortuus magis uiuerem quã ille uiuens, & honori essem tuæ sublimitati. Quo fit ut siue iustitiam, siue expedientiam sequamini, melior esse debeat conditio mea, quia & ius habeo lucidum,& prodesse magis possum. Quare supplico ut tua Clementia uelit considerare, mihiq̃ue ecclesiam meam sancti Laurentij mandare restitui, ut obnoxius sim manibus & pedibus pro tuo honore,& statu sicut cor

meum

meum desiderat laborare. Quod faciens non solum me emptũ habebis, sed Regi etiam nostro qui pro me scribit complacebis. Ego siue præposituram habeam meam siue nõ, semper tuus ero:sed tanto magis si habeam quanto Celsitudinem tuam & iustiorem,& mihi uidero benigniorem. Datum &c. D

Pacem Ecclesiæ Concilium & nouitates exponit. Epist. LIIII.

Aeneas Syluius Poëta, S.P.D. magnifico Domino *Caspari Schlick Cancellario imperiali.*

SEx & decem dies apud nos est Caspar, quem tu & collegæ tui super rebus Ecclesiæ ad regium culmen destinastis. Is Regem in oppido Creta conuenit: & quia illic ab solui negocium suum nequiuerat, usq; huc secutus est curiã,neque adhuc finem habet ullum. Grauia nanq; negocia magnũ habent tractum & in ultimis reseruãtur. Ego per ipsum Casparem epistolas tuas recepi,quibus nũc responsurus breuis esse non possum.Nam & referenda sunt gesta plura,& tu de multis instrui cupis, quæ paucis uerbis complecti non queo. Nec enim ego ille sum cuius hodie festum colimus, qui Apocalipsim scribens tot uerba posuit quot sententias. Sed accidit mihi (quot Horatio)qui dum breuis esse laboro obscurus fio: atq; idcirco prolixitatem in me reprehendi potius quàm obscuritatem cupio. Scribo enim ut intelligar,nec mihi solum scribo, sed his qui legũt.Et quia plures sunt Daui quàm Oedippi sermonem apertũ habeo quamuis longum. Sed iam ueniendum est quo uolumus. Binas literas in re Frisingen. ecclesiæ scripsisti Regiæ Maiestati, easq; ambas sibi reddidi responsum exigens. In primis quid accesserit rescripsi. Secundas præsente Magistro Vlrico in regias manus dedi,quæ mox legendæ Vlrico deditæ fuerunt, et uidi Regem in earum dictione satis attentum, qui et hæc uerba subiunxit: Consiliarij mei dicunt periculosum esse in hoc negocio quicquã agere, sed oportet nonnunquã etiam cum periculo res aggredi: quod dictũ spem mihi fecit possessionis habendæ.Vlricus quoq; admodum lætatus est,sperans opera sua rem hanc concludi.Vltimo dixit Rex uelle se ad conciliũ hoc deducere:Sed quia in crastinũ abiturus erat,nihil illic factum est.Scis per hos montes non esse diuersoria,ut in urbibus insignibus,nec escarum haberi copiam, Cãcellariæq; nostræ malum iter patere inter milites: Hoc fecit ut nostri per diem post Regem proficisci uellent.Ego uero timens ne interdum res Frisingensis tractaretur,putansq; bonum esse præsentiam meam,ut ambirẽ consiliarios & amicitiæ tuæ memoriã facerem,accersito Iacobo & uno familiari, Regia castra secutus sum.Sed nihil in uia gestum est,quoniam nusquã rex quieuit.At cum essemus in Burgo Iudeorum,uidẽs quia cõsilium tenebatur,commonui Regem tui ut memor esset,qui postquam inquit,quieti erimus me commonefacito.Hoc autem infra triduum erit,& sic usq; huc producti sumus re infecta.Ego interim auisamenta nonnulla confeci, quæ Michaël ex Latino uertit in Teutonicum, heriq; Regi obtuli petens, ut in consilio legi iuberet,remq; Frisingens. expeditioni daret.Conueneram antea consiliarios,quosq; singulatim, & uerbis quæ mihi idonea uidebantur,sum allocutus. Sed uerum est quod dici solet:bonos consulares malum collegium.Omnes uno se ore,& tuos esse & causas tuas cordi habere dixerũt.Cõsiliarij uero p̃sentes hi sunt: Magister cameræ,Ioãnes de Eberstorff,Vualterus Zebinger,Leupoldus Aspach.Cæteri absunt.Inter hos res gesta est,legitq; magister Vlricus instructiones quas feci,& quarũ copiã cũ præsentibus Magnificentiæ tuæ transmitto.Relatus fuit etiam literarum tuarum tenor, sed omnia in uanũ transierũt.Hoc enim mihi demum responsum est. Regem impræsentiarum certis ex causis uelle supersedere,rogareq; tuam Magnificẽtiam, ne ægreferat, quia boni respectus esset: mandatumq; est Vlrico ut literis Regijs te ad curiam aduocet. Hac in causa Frisingensi persuadeo mihi tuam absentiam his in rebus admodum nocuisse,quia præsenti datur,absenti detrahitur.Et uerum est tritum sermone prouerbiũ.Facies hominis,facies leonis. Omnes hodie simulati sumus amici, amare fingimus, non amamus.Atq; idcirco ubi ades,subseruio tibi,obsequor,quicquid iubes facio ut uidear te diligere,ubi absis nihil te pendo, quia uel non redibis, uel si remeaueris, dicam me fecisse

A cisse omnem diligentiam & alios in culpa fuisse, quod rex ex tua non sit expedita sententia. Ita est certe, adulatores sumus, non amatores, nec fictus amor inter absentes aliquid habet uigoris. Credo me plane intelligas. Sed fingendum est postquàm omnes fingunt. Nam & Iesus finxit se longius ire: ut homines sunt ita utamur. Extrahẽdum est ex petra mel, et oleum ex saxo durissimo. Existimo in tuo reditu cũcta resarciri. Cum enim regius animus bonus sit, necesse est, ut reliqui subsequantur, quia quod illum uelle sciunt, non audent dissuadere. Quæ autem causa sit propter quam Rex dicat se nunc supersedere non scio, nisi propter mutationem Athesis. Forsitan intendit Bauaros duces aduersus plebem illam in sui fauorem trahere, & ob eam rem non uult nunc ipsis displicere, si tibi possessionem præbuerit &c. De bullis apostolicis, quas putabas iam esse in Austria nihil subodoro, quod si uerum esset iam Henricus me commonuisset. Sed uidetur mihi rursus instandum apud dominum Ioannem Caruaial, ut literæ ueniãt. Ego feci ut rursus Rex scripsit Concilio, ut circa confirmationem partis aduersæ supersederet. Idq; ad propositum uenit. Obijt enim per hos dies Gregorius Brixinensis Episcopus, et qui mane sospes erat, in sero sepultus est. Genus mortis fœlicissimũ, si bene illi cum Deo fuerit, sin minus, miserrimus transitus. Sed quis tam iustus est, ut confessione non egeat: quis mundus à peccato est. Nihil mihi conscius sum, Apostolus inquit, B non tamen in hoc iustificatus sum. Quid nos dicamus, absit à nobis mortis subitaneæ casus, deturq; spatium pœnitentiæ tango magis quanto plus delinquimus. Ob hanc necem scriptum est. & Concilio & Papæ Metropolitanoq;, ne circa prouisionem Brixinẽsis huius Ecclesiæ quicquam agant, priusquàm cognouerint in quem Prælatum regius animus inclinetur. Ne'ue electum aut postulatum confirment aliquem. Ego puto Ecclesiam illam duos habituram sponsos, nec tertius forsitan abierit. Illi enim Canonici eligent, nec Papa carere suo iure uolet. Et in eius inuidiam Concilium dabit tertium. Felix uxor tot maritos habitura. Si modo id potest fieri, ut non sint adulteri. Hoc malum facit ecclesiastica diuisio, ad quam tollendam nimis sumus torpentes. Vidi quid Reges scribunt ex copijs literarum, nec despero rem posse bene conduci si aggredi uelimus negotium. Omnibus enim, ut uides displicet schisma, omnes abhorrent. Viam autem sopiendi, hoc malum Carolus Rex Franciæ nisi fallor, & tutam & breuẽ ostendit, ut fiat conuentus principum, uel eorum Oratorum in cõmuni aliquo loco ibiq; unà recipiatur cõclusio per omnes. Ad hoc aũt peragendũ opus esset, rursus scribere cũctis Regibus principibusq;, ut Oratores suos Argentinam uel Constantiam mitterent pleno mandato suffultos, ad pacem Ecclesiæ pertractandam. Fienda esset rursus expensa, quæ anno præterito facta est uix trecẽtorum aureorum. Paulo plus Constantinus in cõgregatione Niceni Concilij exposuit. Hæc uia non posset impediri, nec Papa uel Con- C cilium reniti possent, tanquã hoc absq; ipsis fieri nequiret. Licet enim principibus secularibus conuenire inuito clero, & tamen illic unio fieri posset. Nam ille Papa indubitatus esset, cui omnes principes obedirẽt. Non uideo clericos qui uelint pro ista uel illa parte martyrium ferre. Omnes hanc fidem habemus quã nostri principes, qui si colerẽt idola, & nos etiam coleremus. Et non solum Papã, sed Christum etiam negaremus seculari potestate urgente. Quia refriguit charitas, & omnis interijt fides, utcunq; sit, pacem desideraremus quæ siue per aliud Cõcilium uel per conuentũ principum detur, nihilipendo. Non enim de nomine sed de re contendendum est, uoca panem si placet lapidem, et da mihi dum famesco. Non uocetur Concilium, uocetur conuentus, uocetur conciliabulum, congregatio, synagoga, nihil interest, dum schisma depellat. Ideo mihi admodum placet, quod Rex Franciæ scribit, eiusq'ue sententiæ inhærerem. Nam uidetur Regi nostro permittere huius congregationis uocationem: Nobilis ille qui secum fuit, cui & instructiones dedisti, reuersus est, sed nullas attulit literas. Nunc ad res Athesis reuertor, quæ turbulentissimæ sunt, & nescio an regem moueant. Nam semper unius est uultus, licet res sua geratur incerte, cuius minimum interest, imò nihil, nisi regis causa maxime conturbant. Oratores ex Athesi Cretium uenerunt. Eorum petitio fuit, ut Sigismundus & thesaurus remitterentur, quia iam præterijsset inscriptionis tempus,

tempus. postquàm in Athesim uenisset Sigismundus cōsiliarios dare sibi patria uellet, D
& iureiurando astringere. Tumq; si cum eorum consilio Sigismundus uellet patriam suam Regi committere, uel duci Alberto, pariturí essent: hæc legatio eorum fuit. His responsum est: Regem non teneri ad hæc, secum'q; Sigismundum unanimem fore: missos esse Oratores in Athesim, hac de causa quorum responsum expectaretur. Cupere tamē regem, ut Athesim mitteret aliquos cum potestate tractandi cōcordiam, ne res in tali disturbio perseuerantes, magni alicuius mali forent origo. Cum'q; his remissi sunt Oratores: præuenerat eos Constan. Episcopus, qui se mediatorē interponere cupiebat. Huic licet, non magna fides sit præbita propter fratrem qui nouādis rebus causam dedit, multa tamen sunt commissa, ei'q; mandata est concordiæ practica. Iam'q; in Athesim se recepit, quid egerit non potest sciri. Oratores regij non sunt admissi, sed expectant in Rubeoburgo ubi clausura est. Gulielmus illic numerat pisces qui per flumē transeūt, multum enim ocij habet. Idipsum & collegæ faciunt, quanquā & aliquando luditur alea per noctem. Rustica illic plebs in armis est, & aditū quasi sepulchrum domini custoditur: non tamen dormit, ut pilati satellites, sed die noctuq; bibit. Receperunt enim Athesim ducales redditus, & cum his plebem in armis alunt, nullus'q; aditus caret custode. Sententia omnibus una est, aut Sigismundum recuperare, aut in libertatem se uēdicare: qui si non satis sua sponte insaniunt, Suitenses instigatores habent, qui se adiutores nefandi propositi repromittunt. Tridentini adhuc in fide manēt, quāuis per alios diætim stimulētur: dicunt se id acturos quod Episcopus eorū iusserit. Ex cuius iussu adhuc Regi usque ad mēses quatuor sunt obnoxij. Rex tamen ad eos nō habet aditū nisi per dominia Venetorum, & per uiam hanc mittentur nūc Oratores illuc. Dicunt aliqui comitem Galeazeum cum peditibus quadringentis Tridenti fore, & partes Regis tueri, quod tamē mihi non est lucidum. Sunt qui putent obitum Brixinēsis Episcopi accommodum esse, quoniam is occulte mala hæc fuerit exorsus. Me alia sententia tenet. Arbitror enim e uestigio principes factionis accurrisse Brixinam, ibi'q; operam dedisse, ut eorum sententia fiat Episcopus, interea uero iam arces custodiri per eos. Sed licet cuilibet opinari, uaticinari paucis, quoniam futurorum euentum solus Deus nouit, humanæ mētes in tenebris degunt, nec uidere, sed argumentari possunt ex præteritis & instātibus, quid sit futurum in eoq'ue sæpe falluntur, ut qui per uitrum ultra inspiciunt, aut in aquis iactant uisum. Hæc scripsi ad 5. kalendas Ianuarij, putās me statim missurum literas. Nunc quia superest spacium adijciam reliqua. Iunior Comes Ciliæ, huc heri aduenit, dux Albertus horatim expectatur. Similiter et Comes Goriciæ cum eius uxore. Accepi Goriciæ comitem feuda suscepturum, quod si sic erit, nonnihil ad Cancellariam ueniet: cum his ut cōiecto ut'q; percepi, tractabitur de modo intrandi Athesim. Aiūt enim quidam per terras Goriciæ accessum patere Athesinos'q; timere Comitem Ciliæ. Agetur quoq; ut subodoro F
quod hic Ciliēsis in curia perseueret. Sed his in rebus nemo utilior esset tua Magnificentia. Nemo hic est qui sciat quales sint habiti tractatus cum comite ipso, & ad registrum recurritur. Comitis Goriciæ uxor, quare huc adueniat nescio, nisi questura iniurias uiri, quem aiunt ultra, quàm dici possit iniuriū. Quia si eo nimis licet, quia uir ætate confectus, & forma ineptus consortem pene diuinam sortitus fuerat. Qua si bene usus fuisset, nemo esset beatior eo. Inter humanas nanq; fœlicitates hæc uel maxima est, ut coniugē quis pulchram sortiatur & bonam, tum, quod est tritum, fœcūdam, sicut hanc esse referunt. Quidam rentur eam omnino diuortium petituram, quia uitæ suæ timeat, quāuis cōiunx mirum in modū sibi blandiatur. Dum ambo hic erunt altius rem inuestigabo. Hæc satis ad res Carinthianas. Nunc in Vngariam pergo. Scripsi dudum tibi diætam certam indictam fuisse per Vngaros, ut ambæ partes Budæ conuenirēt, ac de regni commodo transigerent: quod mihi admodum displicebat, propter locum quo nil agi posse cernebam, nisi ex arbitrio regis Poloniæ, timebamq; nostrū infantulum iure priuari suo. Sed respicit illum Deus, & quia humana destitutus est ope, ex alto reperit auxilium. Nondū perdita spes est, nec tam felix est aduersarius, quàm fama prædixit. Cum essemus nuper in uia huc uenientes, obuios Oratores Hungaros apud Pruggam habuimus, qui usq;

in Luben

in Luben regiã secuti sunt Maiestatem. Hi attulerũt literas ex parte cõmunitatum quas
A optime nosti. Ac ex parte Strigoniẽsis Archiepiscopi Gistæ & Ladislai Bani. Hi fuerũt etiam hoc anno apud Viẽnam, unus est quem Gischa tunc misit. Alter missus fuit per communitates Caschoniæ quem nomine Philippum dicunt. Hi retulerunt partem regni quæ obedit Ladislao nullatenus consentire uoluisse in diæta Budensi. Sed contenti sunt omnes, ut duo cõuentus fiant. Pars quidem Polonorum Budæ conueniat, et pars Ladislai apud Strigonium idq; in Purificationis festo proximo. Petunt quoq; Ladislaite ut Rex ad Strigonium Oratores in præfixa die transmittat, nec uelit res tantas negligere. Postularunt etiam Regem suum ad cõtermina regni deduci sicut eis promissum esset. Orator Gistæ retulit dominum suum quãuis uxorem alterius haberet, stabili mente Ladislai partem tueri, nec timere aliquẽ, nec debere illum sic esse uxorium ut propter fœminam Regem deserat. Sed uiam sibi per hoc patere qua sibi attrahat alienos. Mulieremq; uiro subesse non uirum mulieri. Et hoc coniugium non parum conducere Ladislao. Hoc responsum est Regis. Ladislaum nondum missum, quia ægrotus fuisset, sed mittendum esse quamprimum Rex in Austriam reuerteretur. Oratores futuros in diæta ut petitũ esset, & super hoc rectoribus Austriæ scriptum est ut Oratores ipsi mittant, Gratiæ actæ sunt quod in Budensi diæta non sit consensus præstitus. Scriptumq; est Castellano Grezẽsi, ut purum his Oratoribus ostendat, & hoc modo dimissi sunt Hungari in Vienna. Conuentus habetur patriæ, eoq; Ioannes Niperg missus est, qui nondum
B redijt, nec quid sit gestum scitur. Nunc tempus esset res Italas ingredi: sed nihil habeo illinc scriptura dignum. Fama est comitem Frãciscum mille quingẽtos equites amisisse, quos Picenninus bello susceperit. Id tamẽ dubium est. Eugenius Romæ manet. Partes illæ sic se habent ut nosti. Nihil innouatum audio. Nemo huc Oratores mittit, & nos illuc neminem destinamus. Montes niuosi & nimis alti intersecant aditus, nec tu me pendis, nec ego te magnifacio ut uolunt principes sic existimantur. Vigilare, laborare curare plurima oportet, si quis uelit haberi magnus, quidam modico sunt contenti & recte sane, si ad naturam uiuentes Deum respiciant, & quieti sunt animi. Ille non est laudandus, qui multa cupit, & aggreditur pauca. Oportet nanque & animum & opera conuenire si quis commẽdari debeat. Miror Venetos hic propinquos nullum misisse. Aut nos contemnunt, aut maioribus sunt occupati negocijs. Ego nostri causa optassem maxime illorum aduentum. Sed transeo hæc ut ad res ecclesiæ reuertar quæ hucusq; dilate finem hodie susceperunt. Res in Concilio hæc gesta est: literæ in primis tuæ perlectæ sunt, tum Oratorũ, tum Regum. Post alia scripta ordinem habitum apud uos referentia, nihil aliud disceptatum est, nisi an ueniendum esset Nurenbergam. Sed postquam discrimen imminere ostensum est, nisi ueniretur, placuit aduentum polliceri, totaq; di-
C sputatio de tempore mansit. Alijs Purificationis diem, alij medium quadragesimæ, alijs festum Martini, alijs sancti Georgij placebat eligere, obtinuitq; tandem ultima sententia. Scribitq; rex tibi & principibus, quibus alias scriptum est, uelle se omnino in die sancti Georgij apud Nurenbergam uideri, sicut ex eis literis cognosces. Roganturq; principes ut interim maneant indeclarati, de cõtinuatione diætæ usque in tempus illud nihil est dictum. Sed apparet ex taciturnitate totũ remitti ad uos, qui diætam tenetis. Multa uisa sunt placere tum Regi tum consiliarijs. Via quam rex Franciæ aperuit, & Chimensis Episcopus illam in quadam suam schedula plurimum commendauit. Mihi etiam ut supra dixi, si quid uideo, perlibens est: ex quo principes Germaniæ non sunt unius uoti. Tibi autem seorsum scribitur, ut omnino reuertaris, quod mihi his rationibus persuasum est. Primum propter Ecclesiam Frisingensem ut interim prouideas possessionem habere, quia sequatur postea quicquid uelit, res tua in uado erit, quanquam non uideo, quod hæc Ecclesia manus possit effugere tuas si uelis instare, Nam ut literæ Regum canunt, omnes Eugenio parent, illumq; uenerantur & colunt. Et impossibile est declarationem aduersus eum fieri nisi maius schisma suboriatur. Idcirco perseuerare in sententia debes, & hanc ecclesiam prosequi quæ tua est, uel Rex ut puto aduersus erit dictis suis. Solet enim quod promittit ratum esse, nec uerbum regium facit irritum. Et ob

hanc rem uenire omnino debes, ne propter absentiam tuam aliquid innouetur per aliquos qui huc dietim ueniunt ex Bauaria. Rex præterea multum tui est nunc indigens. Et tunc bonum est seruire principibus, cum res præter sententiam eunt. Te res Athesis, Ciliæ, Vngariæ, Bohemiæque deposcunt. Non dico Italas, quia illarum non est cura. Sunt tamen & Sueuica negocia siue Alsaciæ, unde legatio huc uenit auxiliū aduersus Suitenses postulans, alioquin tacite interminantur ducem Burgūdiæ fore accersiēdum. Vides quia necessarius est tuus aduentus, utere occasione data, quia rebus tuis admodum conducit. Exinde cum sicut scribis necessarium sit Regem ascendere Nurēbergāque petere, pernecessarium est te penes Regem esse, ut instes, commoneas, pericula demonstres & persuadeas. Nanque si tu ades, poterit Rex illuc trahi, aliter uero timeo, ne quod nunc scribitur euanescat, & sic error nouissimus fiat peior priori. Scio nonnullos esse qui libenter uiderent te semper abesse, sed tuum est desiderium potius Regium intueri, & tuum commodum quàm illorum uoluntatem. Non scripsi adhuc tibi quàm exaltatus sit magister Vlricus qui assecutus est plebem illam quæ pertinebat ad uniuersitatem Viennensem, quæ quingentos aureos annuatim præbet, sed dignus est hoc bono, utinam nulli minus inconuenienter beneficia committerentur. Ego quamuis indignus sum bono, auidus sum tamē boni ita ut sit. Nam qui pauciora meretur plura cupit, quia nemo se ut est extimat. Hoc facit ut scribā quid mihi obtigerit in plebe Saratanæ uallis, quam tuo beneficio Rex mihi concessit, ut si possibile sit & cōsilium efferas & opem. Vicarius Tridentinus receptis literis quas a Rege obtinuimus mei causa (nam me mutuo diligit) in uallem Saratanæ se contulit, possessionem petijt: tantum apud parochianos egit ut possessio sibi meo nomine tradita sit. Sed oportuit eum promittere consensum Ducis Sigismundi subsecuturum fore, alioquin possessio uim amitteret. Ita scribit mihi Vicarius præfatus per ternas literas, suadetque ut habeā literas principis domini ducis, per quas appareat eum fore cōtentum de his quæ Rex fecit. Interim uero possessionem habet. Mihi res uisa est impetratu grauis in hac rerum turbine. Sed expectabam reditum tuum. Interea Magister Vlricus qui suam Saratanā nimis tuetur, meque sui causa spernit, uerbū ex parte Regis hoc ad me habuit. Inquit enim Regem cupere me Saratanæ fratrem siue is nepos est, quietum dimittere, mihique promittere Ecclesiam primā quæ uel in Austria uel in Sueuia, uel in Athesi uacaret. Stiriam, Carinthiam & Carniolam excepit. Mihi res uisa est admodum suspecta, tum propter hanc exceptionem, tum quòd ego possessor sum habens ius reseruationis, ius ordinarij, & ius patronatus. Alter nullum ius nisi primariarum precum præsefert. Durum itaque putabam dimittere, & non parere Regi durius. Tandem considerans quòd per medium tuum ius patronatus habueram indignum putaui aliquid agere, nisi te prius consulerem. Respondi ergo me uelle reditum tuum manere, qui me promouisses, & quicquid tu consuleres id agerem. Sic res se habet. Nunc precor ut uelis Regi suadere ne me destituat, ne uelit alteri plus quàm mihi affici, ne iustitiam meam illius iniustitiæ præferat. Nam & sua interest ut ius patronatus in illa Ecclesia maneat, nec decet beneficium principis mutari. Ego uero etsi parui redditus illa Ecclesia sit, tamen contentus sum, canonicatumque illic habeo, & uellem aliquando me sequestrare ab huius mundi turbinibus, Deoque seruire & mihi uiuere: haberem illic ducatos ducentos cum canonicatu annuatim, possemque honeste uiuere. Ego iam sum uesperum prætergressus, & non semper potero huc atque illuc discurrere, si faciam hoc per sex annos satis est, postea quiescere me oportet. et utinam locum habeam ubi quiescam honestum. Sum animi tui, plus mihi placet hodiernū ouum quàm gallina crastina. Nescio quid uesper uehat, quod habemus tenendum est. Ideo tibi supplico in hac re ut me iuues uel scriptis uel uerbis, si redieris, quod omnino curare debes Non mei causa hoc dico: ego enim parui momenti sum, sed propter rationes prædictas, & ut tristes sint, qui te abesse sunt læti. Non potui adhuc scire per quam uiam tibi redeundum sit, sed sciens mox scribam. Nam si rex rediret in Austriam, aliud iter est, aliud si se superius transferret. De literis Arelatensis, aliàs tibi scripsi. Cum illarum uidebis copiam, credo me non magnopere dices errasse, aut si error est ueniam meretur.

A retur. Tu uale optime cum liberis & coniuge quibus relictis, ad nos reuerti cura.

Remedium ad resarciendam Ecclesiæ pacem, Epist. LV.

Reuerendo in Christo patri Domino Syluestro Episcopo Chimensi, Domino suo præcipuo Aeneas Sylvius Poëta, S. P. D.

NOn miror quod ad me nihil scribis, quia nihil me indiges. Illud mirandum esset si ego ad te nō scriberem, quia & gratia tua semper egeo, & beneficia plura ex te accepi. Vna res tamen me reddit excusatum, quia inaniter scribere hominis est abutentis ocio & literis: hac de causa tacui hactenus. Nunc uero res se obtulit, quæ mihi scribendi materiam præbuit. Vidi nuper literarum copias, quas Reges imperatori nostro scribūt in rebus Ecclesiæ, perpēdiq́ omnes ægreferre schisma, quo Christianus populus imprǽsentiarum conturbatur, multumq́ demiratus sum Regis Franciæ iudicium, quod cum tuo concurrere cognoui. Memini enim cum aliàs simul essemus, deq́ hac ipsa re fereremus sermonē, quo nam pacto pacari Ecclesia quiret dixisse te: Ego si Cæsaris essem loco, uellem cunctos rogare principes, unum ut in locum mitterent Oratores, qui plenam potestatem haberent res Ecclesiæ componendi. Nam quod principes facerent, & populus sequeretur & clerus. Ecce quia rex Franciæ uiam huiusmodi recipit, quis dubitet reliquos omnes assensuros, si natio Germanica consentiat. Iā permittit Rex Franciæ Cæsari nostro congregationis huiusmodi uocationem. Vos qui habetis rem in manibus, amplecti hoc debetis, Regiq́ nostro et electoribus suadere, ne oblatam negligāt uiam, quia salus hinc pendet maxima. Nec hic oportet uel Papam requirere uel Concilium, nolint uelintq́ illi conuenire principes possunt, seq́ in hanc uel in illam partem declinare. At non erit hoc Concilium, non sit, quid ad nos, non de nomine, sed de re quæstio est. Satis est si schisma de medio auferatur, uocetur quocunque nomine qui aufert schisma. Stultus quidem Senis debitorem in iudicium traxit, tanquā is negaret debitū, qui solidum se suscepisse fatebatur. Cum stultus duodecim denarios peteret apud Senens. tum idem est solidus, quod & denarij duodecim. Sic in re nostra stultus erit, qui tolli schisma per conuentum principum negauerit, quia Concilium non uocitetur illa congregatio, uocetur Synagoga uel conuenticulum non curo, dum pacis exinde sequatur effectus. Sed tu & collegæ tui in campo estis, ubi hoc geritur bellum, & in hac area, ubi hæc palea teritur, uidete ut fabam bene cudatis, nedum schisma Ecclesiæ tollere curatis, diuisionem in imperio inducatis. Hoc non dico uestri causa, quia rectum scio propositum uestrum, sed ut elaboretis, quod Germania unius animi sit, unumq́ Papam colat, & in unius fidei sinceritate gradiatur. Hæc uolui scripsisse, quia gauisus sum Regis Franciæ sententiam conuenire cum tua: tu tamen stude, ut illi sit locus, nisi quid melius interim cogitasti. Vale optime, & me extra memoriæ sinum noli abijcere, quia tuus sum quantuluscunq́ sum.

Prohibet ne de Episcopatu Frisingensi sine consensu imperatoris cuiquam prouideatur, Epist. LVI.

Aeneas Sylvius Poëta, Ioanni Tolner in Romana curia procuratori uiroq́ bono, S. P. D.

VEnit ad curiam uestrā lator præsentiū quē Regia Maiestas in factis Ecclesiæ Brixinensi destinat. Rogo te, sicut soles regio desiderio, ut faueas, ne quis ad illam Ecclesiam promoueatur antequā Rex nominauerit quē uoluerit: nec graueris quomodo res transeat me instruere. Scribo tibi confidenter sciens amicitiā quæ inter dominum Cancellarium & te uiget. Et cum ego illius seruitor existam, non puto meas preces apud te incassum ire. Post hæc scire te uolo eundē Cancellarium abesse, quia per Regem destinatus est Nurenbergam, sed mox reuertetur, quia iam sibi, ut redeat scriptum est. Is si nunc adesset, scriberet tibi quid opus sit in facto Frisingens. ecclesiæ: sed quoniā ipse abest, opus est me omnia significare. Nam ille me in suo loco dimisit, & harū rerum cōmisit curam. Res ergo sic se habet. Aduersarius qui fuit per capitulum electus, iam adeptus est possessionem omnium eorum quæ apud Bauaros sunt, & dietim instat, ut castra quæ Rex tenet, sibi dentur, & omnes Bauariæ duces eius causam tuentur Regiq́

molestissimi sunt. Rex autem dedisset iam castra domino Henrico si bullæ uenissent apostolicæ, sed quia non ueniunt supersedet. Et timendum est ne Bauarorum precibus in alterius partis fauorem mutetur. Ideo admodum miror, has literas non esse ex curia missas, quia non minus interest Papæ & curiæ uestræ dominum Henricum hanc sortiri ecclesiam, quàm domini Cancellarij. Ipse enim reperit honorificam cōcordiam, & promittit sibi alius episcopatus pro fratre. Sed omnia refutat intuitu Papæ, qui sibi tā benignus fuit. Ego tamen timeo, ne cogatur necessario, ex quo bullæ non mittuntur: quia tantum impetum sustinere non potest. Rex uero sibi promiserat possessionē castrorum, quæ habet uisis bullis. Nunc omnia propter bullas depereunt. Ideo uelis supplicare Cardinalibus (nam ipsi sunt impedimento sicut accepi) ne propter unam annatam centum perdant, & illam non habeant. Ego rogo dicas Tarentino qui Cancellarium diligit, quod prudentis est aliquando scire perdere, nec dicatur, spem precio non esse emendā, quia inescandi sunt nonnunquam homines sicut pisces & aues & ferarum genus: nec tātum quod ante pedes est respicere debemus, sed futura etiam intueri. Te etiā hæc causa tangit, qui propter hanc promotionem insignem ecclesiam Pruckensem consequeris, ideo labora, ut bullæ mittantur quas potes per hunc nūcium mittere, qui est Capellanus Regis & fidus. Non dico plura, tu me plane habes: hic rem amici, rem tuam, & rem geres communem. Rescribe mihi quid in re sit, quæ spes habeatur, ut Cācellarium & fratrem qui tui sunt cunctorum certiores efficiam, ac uale optime.

Laudat Legatum, quod pecuniam rennuit, *Epist. LVII.*

Aeneas Syluius Poeta, domino Thomæ, Haselbach sacræ Theologiæ magistro, S. P. D.

LIteras quas ad me nuper misisti, Regiæ maiestati ostensas feci, ut quæ foret erga te mens illius persentirem. Placuit Regi diligentia tua, dixitq; te melius fecisse quàm hi qui dationem pecuniæ suspenderunt. Is ut nosti pauca loquitur, sed ex his paucis plura colligi queunt. Naturam eius nosti & mores cogites, quid hæc uerba importent. Tu tamen nullatenus hæsitare debes, quin bene agendo gratus principi sis. Fecisti enim ut uirum decet bonum, & communis cōmodi zelatorem, qui rem publicā suæ præfert, Potuisset scandalum grande contingere, si remansisses pecuniam expectando, cum omnia munimenta apud te forent quibus in conuentu agendum erat. Nunc res bene directa est, & iam pecuniæ tibi missæ sunt, & ampliores mittentur. Quomodo autem in reliquum sit procedendum ex apicibus regijs cognosces. Vale & me tui amoris participem facito, quanquam non putem me fore illius expertem.

Laudat amicum quia diligenter rem commissam curauit, *Epist. LVIII.*

Aeneas Syluius Poëta Francisco Bosio Iurisconsulto, S. P. D.

ACcepi tres literarum tuarum unius sententiæ. Exponebāt enim omnes rem gestā apud Saratanos. Deinde suadebant ut consensum illustris principis domini Sigismundi circa ius patronatus impetrarem, quia sic res mea in uado foret. Ego tuum erga me animum, qualis esset iamdudum habebam perspectum: sed tu dietim superas opinionem meam, & nedum querelæ, mihi locum eripis, sed facultatem quoq; referendi gratias aufers. Gaudeo tamen ego me talem amicum esse sortitum cuius plura sunt erga me beneficia quā nedum præmiare possum, sed etiam numerare. Tu autem conscientia tua lætari debes quādo sic amici negocium geris ut tuum putetur. Rata sunt apud me omnia per te gesta, nec ullus grauat me sumptus. Mirorq; te non plura exposuisse. Volui quod suadebas à Sigismundo impetrare, sed terruit me nouitas apud Athesinos orta, timuiq; ne Rex ægreferret, tanquā quod esset à se gestum rueret, putauiq; differendum, donec Cancellarius reuerteretur. Interim ex parte Regis rogatus sum hanc plebem, ut aduersario dimitterē, quia de meliori uellet sua Maiestas mihi prouidere. Hoc Rex ad preces aliquorū fecit. Respōdi me uelle Cancellariū expectare qui me promouerat, & facturum quod ille iuberet. Sic nunc se res habet. Sed hoc sepultum esse oportet, ne quid Parochiani persentiāt, quod stude in deuotione seruare. Ego adueniente Cācellario quid successerit tibi scribam, Miseram literas ad te et ad Parochianos ac alios ut suasisti,

A suasisti, sed audio nuncios regios, qui illos deferebant non esse admissos. Arbitrorque literis meis transitum non patere. Ideo has confeci ut scires me tuas suscepisse, et quo in statu apud nos esset negocium. Quid uero ulterius expediat nihil dicam, quia suis non est Mineruam docere: unum tibi notum uolo, ut scias res capitulares, melius dirigere, dietā scilicet Nurenbergensem ad festum Ascēsionis prorogatum esse, quo tempore iturum se personaliter Rex per suas literas significat. Vltra non dicam plus, nec hoc dicerem nisi iam hic publicatum esset. Vale & me concanonicis commissum effice. Cum Deus uolet erimus simul, & uitam ducemus beatā extra curiæ clamores atque miserias.

Diuitibus non expedit condicere bellum. Epist. LIX.

Aeneas Syluius Poëta, Nicolao Veneto Canonico Tridentino, S. P. D.

SCribo domino Francisco Bossio literas quas cum his mitto. Sed accepi uirum terrore perculsum Tridento abijsse Patauumque petisse, quia non placet sibi urbem incolere plenam tumultibus, sicut nūc tua ciuitas est, quæ obsidionem expectat. Laudo ego consilium suum. Nam qui potest in pace uiuere, is damnādus est, si se ingerat bellis. Nemini bellum est utile, nisi cui status præsens est grauis. Franciscus uir diues est, & sua fortuna contentus: sapit certe rumores fugiens, & lites fugit, ex quibus nihil lucrari potest. Scit aliud esse hoc iudiciū quā illud ex quo ditatus est Rotæ. Nam hic manibus causa defenditur, ibidem lingua. Tu scis ubi est, ideo rogo meas literas sibi, ut destines, & in
B eius absentia me tuearis, ne quid innouetur in Canonicatu, quem illic habeo, & sic te in re mea habe, sicut de tua probitate & amicitia spero. Non puto has tribulationes diu mā suras qa tendit Rex nobis auxilio esse atque fauori. Vale & me tuū puta ubicunque sim.

Commendat pugnantem pro sanguine claro & pro iustitia. Epist. LX.

Aeneas Syluius Poëta, magnifico Galiazio comiti de Archo. S. P. D.

ACcipio te uenisse Tridentum, militarique manu Regis partes tueri. Id quoque Rex accepit, ac propterea te amat, colitque maxime. Res huiusmodi tibi & domui tuæ honori erit, & utilitati quātum sentio. Perge igitur, et dum occasio adest uirū qui es te demonstra. Multorum uirtus iacet, quia campus deest ubi se ostentent. Tibi facultas est qua tum animum, tum ingenium patefacias tuum. Res quam tueris iusta est, & pro sanguine claro aduersus plebem & incertum uulgus pugnam habes, uide ut periculum facias non tui, monstresque sanguis illustris, quantum obscuro præstet, si es qui crediderís. Rex de te bene sperat, opinionem suam imple, et omniū qui apud se sunt. Sic cum sis magnus poteris fieri maximus. Hæc scripsi, quia te amo, & uidens bonum tibi nomen esse. Cupio ut illud maneat augeaturque. Fratri tuo me dede & mihi, ut soles, amorē tuum communicatum fac. Vale.

Secretarius appellatur, ideo multa scribenda obticet. Epist. LXI.

C Aeneas Syluius Poëta, Ioanni Peregallo scriptori apostolico fratrique amantissimo, S. P. D.

VEteres sunt apud me literæ tuæ, quibus nō respōdi, quoniā nūc in Stiria, nūc in Carinthia, nunc in Carniola inter medios barbaros sæuasque nationes cōstitutus. Nūc apud Istriam & super oras superi maris cum Tergescinis uersatus, nullum habui cui committere literas possem ad te perferendas. Nunc quia nuncius datur, Basileam petiturus, statui nonnihil ad te scribere, ut & me uiuum scias, & sospitem ac tui memorem. Nec enim possem obliuisci tui, semperque tua dulcis imago mēti hæret meæ. Habet igitur has ex me literas, & illum timorem quem de aduentu familiaris tui indueras abijce. Nihil est enim quod amplius illinc uereare, uidique eum & sanum esse cognoui, apud quem tui causa uisus amice sum. Vult eius socius quantū intelligo uos reuisere, ipse manere decreuit. Ego utrique abitum persuasi, ac ubi nō profeci, liberum dimisi arbitrium. Quia nihil iuuat calcibus murū tundere, aut eos uentis dare. fiat quod eis placet, nihil est quod in damnū uergat. Tuus ille frater cautus est, sibique magis quā uoluptati uiuit nec breue gaudium lōge præponit utilitati. Tu te mirabere, si hominem cerneres. Si quando combibit nihil periculi est. Nemus magnum est Viennæ multæque inter diuersas quercus ad fontem sunt uiæ, obloqui potest aliquis, eloqui non potest. Hæc tuis dictis amicitiæ &

monitorum plenis dicta esse uolo, quantum famulo conueniunt. De me autē tibi ut bene persuadeas cupio. Nec enim aut gratia minor, aut spes deterior est solito. Quod mihi scripsisti de absolutione cuiusdā homicidij sicut Philippus noster optabat, non potest nunc impleri. Veniat homo Nurenbergam, illic perfici res poterit. Nec iam hic dubium sit, quin rex uadat. Quo in loco spero res uniuersalis Ecclesiæ sic dirigi, ut et tu, et omnes qui bonum commune cupitis, ex sententia uos iudicetis exauditos. Idq; mei nomine dici cupio Reuerendissimo domino meo Cardinali sancti Calixti, uiro bono et ueri amantissimo: cui ut me commendes peto, & unà uiris Theologiæ plenis Frācisco & Andreæ minoris ordinis professoribus. Quibus si non latius scribo, ut ueniam dent ora, quia officio meo parere me conuenit. Nec enim alia de causa secretarius uocor, nisi ut quæ audio quæq; uideo digna, silentio in abditis mei pectoris claudam. Satis eis est quod bonam spem facio. Scriptoriæ officiū quod illic habeo, si emptorem reperit, præcium mihi rescribe, ut si fieri potest utiliter illo me leuem, quia non sum eius animi ut ad uos redeam. De Tridēto arbitror te audisse. Nonnihil hic fama est Athesinos obtinuisse Tridētum. Veritas adhuc nubilosa est. Franciscus noster Decanus illinc abijt, quoniā postquam uidit sapienti suæ sententiæ locum non esse, recedere potius irrisus uoluit, quā manere damnificatus. Ego nō spero illam rem mihi utilem esse, nec usquā in rebus ecclesiasticis sum fortunatus. Laurentius de Rotella nihil mei causa Mediolani obtinuit, nō sua culpa, meam enim causam exacte promouit. Sed nosti patriæ mores, nolo in illum dicere qui potest præscribere: longæ sunt manus principum atq; timēdæ. Sed etiam principes priuatorum hominum sunt indigni. Ego nullum faciam pluris quàm me putem teneri. Tu uale & mihi sæpe scribe, meq; sæpe uisita, quia nihil est quod tuis scriptis in oculis meis extet acceptius. Andream de Pauigallis, et Iacobum de Ceruetijs, ac omne bonum nostrū tam affectuose meo nomine iube saluere, quàm me scis illos amare. Casparem Nauariens. arbitror cum auunculo repatriasse, si tum istic sit, ne meæ salutationis expers maneat facito. Iterum uale.

Suadet moribus coaptare, non iuris subtilitate utendum esse. Epist. LXII.

Aeneas Syluius Poëta, domino Stephano Caciæ Nauariensi iurisconsulto, S. P. D.

REuersus ex Vindelicis inueni munera, quæ in Viennam Barbatus ex te detulerat, tam præciosa ut mittente magis quā recipiēte sint digna. Mos hic Alexandri fuit, qui dona semper ex se metiebatur. Ago itaq; tibi gratias, quanquā ferre tale ornamentum, ubi mos non est, minime deceat. Scis quia non regiones nobis aptandæ sunt, sed nosipsos regionibus cōformare debemus. Ego tibi ad hoc uersus Mediolanum scripseram, qui te reliquisse Cōcilium rumor erat. Nunc uero admonitus Peregalli literis, Basileæ te fore percepi, quod mihi eo gratius est, quo te possum meis scriptis sæpius uisitare, quoniā id tibi & honorabilius & utilius puto, quia frugifer illic campus est, & pauci messores. Et quanquā plures essent, tibi tamen priores semper debentur partes. Obtuli me alias curaturū ut Regis aduocatus fieres, si res Frisingensis apud uestram dimocratiam bene transiret, quā conditionem scis non esse completam, te quoq; fuisse patronum partis aduersæ. Quo fit ut solutus promisso siem, si iuris apice uelim frui. Sed scio quia summum ius summa est iniuria. Ego præterea tibi non uerbis, sed animis sum ligatus. Scioq; me nunquam tantum conari tui causa posse, quin ultra sim debitor. Quapropter etsi durum sit obtinere quod spopondi, spero tamen me uoti compotem fieri, ut tibi geratur mos. Sed est moderator & arbiter omnium tempus. Rogo itaq; te, ut parum per expectes mihiq; fidē habeas, quia aut Aeneas esse desinam, aut tuæ cupiditati parebo: Nec me Gallico more loqui censeas, qui paruam moram quatuor & decem annos computant. Credo Prophetas imitari cupiunt, qui cito uenturum dicebant, qui annis post quingentis uenit. Ego non annum sed paucos menses petam, ut rem tibi confectam donem. Vale & amicis salutes dicito, dominis uero me commenda.

Nouitates

Nouitates Vngariæ & de conuentu Nurenbergensi. Epist. LXIII.

A Aeneas Syluius Poëta, domino Ioanni Frund Agrippinæ *ciuitatis secretario, S. P. D.*

NOn habeo quid tibi scribam & cupio scribere, ut inter meas epistolas tuum quoque nomen inueniatur. Mendicabo ergo materiam, & nouitates quæ apud nos sunt tibi significabo, quas tamen, uti reor, non inuitus audies. Conducunt enim ad res Nurenbergæ tractandas. Scis te sæpe ueritum esse ne pestem aliquã Vngaria pareret, quæ Regem in his partibus detineret. Hic iam timor abest. Inducias nanque biennales habemꝰ quas, quomodo simus uenati, paucis aduerte docebo. Miserat Rex Poloniæ literas quasdam Cæsari nostro, formamque dederat iuxta quam pacem deposceret. Non libuit Cæsari quod petebatur, formamque aliam dictauit per quam non solum Austria, Stiria, atque Carinthia, cum Carniola, sed omnis etiam obedientia Regis Ladislai cõpræhẽdebatur: Oratoresque cũ eadem misit, quibus Regem Poloniæ petentibus post expositionem legationis certi deputati sunt uiri cum quibus conferrent. Inter quos Iulianus Cardinalis, Nicolaus decanus Cracouiensis & Laurentius Palatinus Vngariæ fuere. Inter hos cum lecta esset forma per Cæsarem data, magnus rumor exortus est: quoniam Ladislaus Rex Vngariæ uocitabatur. Ex hoc, inquit decanus, iam se Cæsar partialem facit, qui regnum Vngariæ attribuit Ladislao. Nos ergo nihil amplius tractabimus B secum, quid Cæsar in Vngariæ regno manum extendit. Ad hæc Oratores, uos, inquiũt, nodum in scirpo quæritis. Quid uestra interest si Cæsar suum patruelem regalibus ornat titulis? Dominus uester se Vngariæ Regem scribit, nec Cæsar suas respuit literas, quoniã nec uestra scripta ius auferũt Ladislao, nec apices regij, si quid habetis, uobis ius adimunt. Ad hoc retulit Palatinus. At Ladislaus uerus est Vngarorum Rex, non par ratio est. Tum oratores, haud hic locus est de iure disputandi. Postquàm unita fuerit Ecclesia, ius poterit in hac causa discuti. At ego, Palatinus inquit, & coram summo Pontifice & coram Cardinalibus nihil negocij haberem hanc tueri causam, quia plana & perspicua res est. Nec tam inops sensus est quispiam qui regnicolis auferat eligendi Regis potestatem. Non disputaturi uenimus, inquiũt Oratores, sed de pace acturi. Si pacem uultis pacem damus, si bellum plus placet non detrectemus certamen. Vestrum est eligere quid horum malitis. Hinc decanus non sic exhausti sumus inquit, neque tam uecordes ut tam ignominiosam pacem uelimus amplecti. Vires adhuc sunt nobis & animi, nec quemquam timemus. Tum oratores nec nos aiunt, aut inopes sumus aut exangues. Si aliena inuadere non possumus, at tueri nostra commode ualemus: Idque bonis uiris sat est: Nobis à tergo tuta sunt omnia: In fronte nos habemus quibus potentes sumus resistere si malignari uolueritis. Vos inter nos & Turcas estis medij, uidete ne retro & ante feriamini. C Tum Palatinus. Scimus Cæsarem uestrum opulentum esse, sed regnum etiam hoc plenum est. Nobis nemo terrori est, pacem uestram nobiscum referte. Referimus, inquiunt oratores, abinuicemque discedere uolũt. Exinde Iulianus Cardinalis, per Deum oro uiri magnifici, complectimini pacem, si progredi aduersus Turcas uolumus pax necessaria est. Sinite ut hoc pauper regnum respiret. Nolite campos Christiani sanguinis unda commaculari. Sed frustra uociferatio eius fuit, abitum est re infecta. In crastinum tamen nuntiatum est oratoribus ne discederent, quia non Regis nomine responsum eis fuisset. Expectatum est iterumque disputatum. Postea res in camera Regis trutinata est. Tandem uenit in publicum uox, & in hunc modum Vngarica lingua locutus est. Reuertimini Oratores ad Cæsarem, salutemque sibi meo nomine dicite. Post referte. Nos pacem per eum missam quamuis non indigeamus illa, sui causa ut sibi complaceamus libenter acceptasse. Et in omnibus eius articulis sicuti iacent, esse complexos. Super qua re literas nostras infra octendium Possonij recipietis, ubi & Cæsarios apices esse curabitis uobis esse tradendos: sic ergo concluса res est. Et agunt Vngari iam inter se quo pacto formidabiliores in Turcas proficiscantur. Venetijs quinque & uiginti triremes armantur, quæ per mensem Iunij in Hellespontum trajci debent. Cæsari nulla est alia cura nisi ut quàm festinanter & quàm honorifice Nurenbergam

bergam petat. Puto abhinc dies quindecimus eius erit recessus. Albertus & Sigismundus duces sequentur: & uti submurmurari sentio, Comes Ciliæ iunior et dominus Vualse, utcunq; sic bene actum putabo si eius tantum persona illuc uenerit, quod iam mihi non est magni dubij nisi quia futuri nulla est certitudo. In causa tua multum uerborum perdidi, nil uideo quod fieri queat, nisi postquàm Nurenbergæ fuerimus ubi artibus erit utendum & nouis & maioribus. Aduersarius tuus ante diem obijt, filioq; nullam hæreditatem præter lites reliquit. Deus illi misertus sit siue iusta fuit eius causa siue iniusta. Philorcium quam hic amasti tumidum uentrem gerit, siue is uentus est siue cibus nimius. Ioannes secretarius Nurenbergen. utrem putauit illius uentrem uino plenum, Ascenditq;, supercalcauit, pressit, omnemq; nixus est ut uinum deprimeret, sed nihil præter uentum exiuit. O si lachrymas cerneres & planctus audires quibus misera post tuum abitum se macerauit. Certe nisi Ioannes opem tulisset animam exhalasset misella, quia nesciunt mulierculæ, ut uiri, flammas amoris ferre. Sed abijt nunc quoque Ioannes nescio quid actura sit infelix: mihi si esset theutonicus sermo, adirem fœminam, solarer & blandis uerbis recrearem. Sed nihil mihi cum uiris Almanis præter tactum est. Ipse insipidus est nisi & uerba sint. Subdelegabo igitur Michaëlem nostrum qui & uerbis Vlysses est & factis Achilles. Tu uale & mei memoriam gesta. D

Laudat eloquentiam: eamq; ad Britannos usq; profectam, *Epist. LXIIII.* E

Aeneas Syluius Poëta, Reuerendo Patri domino Adam de *Molin Anglico & apostolicæ sedis Prothonotario, S. P. D.*

REgius tabellarius ex Anglia dudum reuersus tuam mihi epistolam reddidit, cuius tot sententiæ fuerunt quot uerba. Legi cupide quæ scripsisti miratusq; sum Romanam facundiam in Britãniam usq; profectam esse. Sed fuerunt & alij apud Anglos Tullianæ cultores eloquentiæ. Inter quos uenerabilem Bedam nemo non ponit. Petrus Blesensis longe inferior fuit, cuius epistolis hanc tuã perbreuem antepono. Congratulor tibi & Angliæ: quia iam uerum dicendi ornatum suscepisti. Sed magnæ ob hanc causam referendæ sunt grates clarissimo illi & doctissimo principi Clocestriæ duci, qui studia humanitatis summo studio in regnũ uestrum recepit. Qui sicuti mihi relatum est & poëtas mirifice colit, & Oratores magnopere ueneratur. Hoc nimirum fit ut plures Anglorum eloquentes euadant. Quia quales sunt principes tales & ciues esse consueuerunt, & mutantur serui studio dominorum. Perge igitur mi Adam mi Here. Eloquentiam quam habes tene atque amplifica, tibiq; honorificentissimum puta in ea re præstare hominibus, in qua cæteros animantes homines ipsi præcellunt. Magna res est facundia, & si uerum fateri uelimus, nihil est quod tam regat orbem quàm eloquentia. Quoniam quicquid agimus in republica persuasi uerbis agimus, & illius in populi sententia manet qui melius nouit persuadere. Tute ista scis ideo missa facio. In rebus Ecclesiæ qualis sit animus tuus, & tabellarius idem, ut uoluisti, mihi retulit, & ego Franckfurdiæ prius senseram. Laudo te qui pacem præponis bello & pacatam uidere, cupis Ecclesiam. Audio te Nurenbergam petiturum, ibi latius inuicem colloquamur. Cæsar iam itineri se accingit. Infra futurum mensem illic, ut spes est, inueniemur. Dux Albertus frater & Sigismundus patruelis eò quoque se conferent. Vtinam pax, ut optamus, fiat, finisq; tandem neutralitati detur, ut sciamus ubi agnum comedere debeamus. Munus tuum quàm mihi gratissimum fuerit, nec scribere nec dicere possem, quia nec os nec calamus satis animi potest explicare conceptum. Faxit Deus ut bene sit illi uirgini nepti tuæ prænobili quæ talis est operis opifex, cui nec Penolpes nec Araguæ fuerit comparandũ. Eueniat illi uir dignus tanta uirtute, & sobolẽ illa progeneret matris imitatricem. Oblationibus tuis uterer quotiens res exposceret, nec minus in opere quàm in uerbis apud te inuenire putarem. Idem tibi ut de me persuadeas cupio. Vale dignitate parens, ætate frater, dilectioneq; socie, & me ut facis ama, sed non ut facis utere. F

Taciturnitatem

Taciturnitatem excuſat & neutralitatem difficulter tollendam dicit. *Epiſt. LXV.*

A Iuliano Cardinali ſancti Angeli patri Reuerendiſsimo Aeneas Syluius Poëta, S. P. D.

NVnquam ueniret ad te nuntius meis literis non onuſtus, niſi magnificus Cancellarius me præueniret: qui tam ſerioſe & accurate tibi omnia refert ut nihil mihi relinquat ſcribendum. Quo fit ut tacere potius quàm ſcribere malim. Nam res notas iterum ſignificare obtundentis eſt. Inania uero attingere & nihil niſi uerba dare dementis. Hoc oro ut & tua R. P. animaduertat mihiq; ueniam det tacenti potius quàm inutiliter ſcribenti. Satis eſt ſi me tuum eſſe ſcis mancipium, ſi me habes ad omnia mandata uoluntarium & promptum. Scribe mihi quando res expoſcit & iube parato parere. Noui nil eſt quod ſcriptu arbitrer dignum. Noſtra Italia parumper reſpirat, ſed neſcio quid paritura ſit illa contentio Senis habita quæ nondum diſſoluta: utinam Martini aliquando ne dicam Saturni redirent ſecula, uellem & ego reuiſere patriam & oſſa parenti reddere. Nihil plus timeo quàm in peregrina terra iacere, quamuis undique tantundem eſt & ad inferos & ad ſuperos uiæ. Sed habet minus, neſcio quomodo, doloris inter ulnas fratrum, ſororum, filiorum, atque nepotum mori: & licet ibiq; amici comparari poſsint, nullæ tamen familiaritates tam dulces aut ſtabiles ſunt quàm in patria. Si pacem haberet Eccleſia de pace Italiæ magis ſperarem. Neſcio quid allatura ſit Nurenbergenſis dieta, quia diuiſi animi ſunt. Neutralitas difficulter aboleri poterit, quia pluribus utilis eſt. Pauci ſunt qui uerum ſequantur, omnes fere quod ſuum eſt quærunt. Placet hoc nouum neutralitatis aucupium, quia ſeu iuſte ſeu iniuſte quis teneat, repelli non poteſt. Et ordinarij pro ſuo arbitrio conferunt beneficia. Non eſt facile (crede mihi) ex ore lupi prædam eripere. Sed quantum ſentio tota Chriſtianitas Eugenij ſequitur partes. Germania tantum diuiſa eſt, quàm ego ſe unitam uidere uellem, neque illi conformare, quia multum tribuo nationi huic, quæ non metu ſed ſuo libito ſuoq; iudicio ducitur. Quocunque Rex cum electoribus ſe inflexerit, eo & animalia mea ſequetur, nec mihi plus quàm alijs credam. Hæc uolui ſcripſiſſe ne omnino nihil ſcriberem, & ut in futurũ excuſatior ſim taciturus. Vale fœliciter & me pro tuo placito utere.

Suadet ſeruari aurum & priuata negotia commendat, *Epiſt. LXVI.*

Aeneas Syluius Poëta, Ioanni Peregallo fratri amantiſsimo, S. P. D.

REcepi duplices tuas epiſtolas quas Martinus regiæ Cancellariæ notarius attulit, cognouitq; te bene ualere, quamuis inani marſupio: ſed illud quoque aliquando implebitur ſi ſperata unio detur. Cupis ſcire Anthonius Luſcus in meas ne manus uenerit, uenit, & apud me eſt mihi chariſsimus. Tu rogo gratias meo nomine præſtanti & facundiſsimo theologo Franciſco de Fuſte dicas meq; ſibi offeras, quia non ero deſes in omnibus quibus poſsim morem ſibi gerere: magniq; muneris loco recipiam ſi quid me poſſe conari ſciam eius deſiderio gratum. Munus quoque Stephani mihi redditum eſt, ſicut eidem reſcribo. Aureos illos quatuor quos uelle per Barbatum mittere ſcribis, ſuadeo ut apud te habeas, quoniam multa poſſunt occurrere propter quæ illis in mea cauſa opus ſit. Scis quia Tridentina præbenda impetitur, tuq; defenſor es cauſæ: nihil eſt quod abſque argento Romana curia dedat. Nam & ipſæ manus impoſitiones & ſpiritusſancti dona uenduntur. Nec peccatorum uenia niſi nummatis impenditur. Serua igitur aurum ut cum opus ſit præſto reperias. De officio ſcriptoriæ cognoui tuum conſilium. Mitto procuratorium tibi ut illud quanti pluris potes uendas. Tu tamen id cautelæ habeas ut exitum Nurenbergenſis dietæ maneas. Si parti noſtræ bene ſuccedit ut ſpero, noli alienare officium quod uel mihi uel meis poſsit aliquando frugiferum eſſe. Si aliter euenit & placitum ſuperis ſit partem aduerſam obtinere, uende ut tibi uidetur. Circa præpoſituram Mediolanenſis, quid ſuadeas plane percepi, laudoq; ſententiam tuam. Sed neſcio an fieri poſsit, quia non habeo promotores. Si obedientia reſtitueretur Concilio,

lio, uellem te causam inchoare, quia tua res erit si poterit obtineri. Quod reseruationẽ expedieris super beneficijs Ecclesiæ Tridentinen. admodum probo. Cupio enim ut illic sis ut cum quiescere uelimus unà illic senium peragamus cum Francisco nostro: quamquam illius propositum mutatum uerear, qui bellum timens illinc abijt nec postea reuersus est. Et forsitan cum uxore potius quàm cum Ecclesia uiuere cupit. Quod si sic sit, uellem suum persentires animum: ut de suo decanatu aliquid inuicem consultaremus, si quid tibi & mihi posset conducere. Laurentius de Rotella noster præposituram pinguem in administrationem recepit in patriarchatu Aquilegiensi. Intenditque illic religionem profiteri si possessionem nancisci posit. Ego quia sibi fauore sum persuasi sibi ut ante canonicatum Tridentum tibi resignet. Mihi uero ipse suapte uult Ecclesiã parochialem resignare. Si res Athesis in Nurenberga, sicuti credimus, componantur, aliquid boni poterit nobis euenire: Ego non desinam sic te promouere ut meipsum, quia meritus es. Reuerendissimus dominus Aquilegien. in extremis laborat, praua uitæ suæ spes est, minor sanitatis, exanguis est, spiritus iam, non corpus uidetur. Cogitare patres debent quem sibi in patriarchatu sufficiant, & in omnibus regium desiderium exequi, ne Frisingensis iniuriam innouent. In Ecclesia Brixinen. quid optet Rex scitis omnes. Rogo, consulo, supplico ne plus Athesinis quàm Maiestati Regiæ auscultetur, quia in Nurenberga nulla uox est Athesinorum. Regis autem nutu omnia fient. Hæc ut Reuerendissimis dominis Arelaten. & sancti Calixti dicas posco, meque his facias commendatum. Nollem aliquid fieri quod mentem regiam perturbaret. Nos in breui ascendemus, quia iam inducias biennales cum Rege Poloniæ, & Vngaris sibi obedientibus nacti sumus, nec aliud in præsentiarum agimus quàm nos uiæ accingere. Mihi Ioannes amantissime bene est, bene habeo, bene spero, quod mihi non tam mei causa iocundum est, quia paucis essem contentus, quàm ut tibi & amicis ac necessarijs cæteris possim aliquando prodesse. Andream de Panigalijs et cæteros amicos meo nomine salutos dicito. Vale optime.

Dolet de amici captura & morte Cardinalis Aquilegiensis. *Epist. LXVII.*

Aeneas Syluius Poëta Ioanni Peregallo, S. P. D.

OBsignaueram tibi has literas nuncioque in crastinum committere animus erat. Sed accidit inopinatus & acerbus casus, qui & epistolam retinuit & mentem affecit dolore. Laurentius namque noster quem uelle religionem ingredi scripseram, non claustrũ sed carcerem ingressus est. Poloni enim ut Cardinalem moriturum uiderũt, manus in Laurentium iniecerunt, nulla penitus autoritate freti. Tu, inquiunt, argentum heri impignorasti, non exibis nisi luatur septuaginta & ducentarum marcarum: argentum est quod Alberti habent Basileæ: hoc uolunt ut Laurentius redimat, obligatum est pro septingentis aureis quos Cardinalis accepit: indigna res est, ut seruus, æs alienum exoluat. Sic lex Barbara iubet. Ego nitor hominem iuuare quia compatior uiro in aliena terra capto & amico. Sed quid tu facias ubi nulla uox auditur nisi auri, cum tu sis inops. Ille adhuc deprehensus est, nescio quid futurum sit, nulla excommunicatio prodest, nulla fideiussio, dum res sic stat. Anima illa quæ in Cardinalis Aquilegiensis corpore diu alligata filo uel cæra detinebatur abruptis retinaculis, carcerem euasit. Obijt ille quarto nonas Iunij hora post meridiem quarta. Nullas extorsiones passus est, nullus cruciatus, sed tanquam dormiturus animam exhalauit. Viderat medicus mortem instare, suasitque testamentum fieri: sic & amici astantes. Ille, uos me deficere, censetis inquit, at ego robustus sum nec in me quicquã sentio deficere, nec post hæc uerba mediam uixit horam. Eius corpus per alteram diem seruatum est ostensumque omnibus. Tertia uero luce apud sanctũ Stephanum & ad dexterã altaris dextri sepultũ est, funus iuxta morẽ Germaniæ magnũ & honorificũ fuit. Apud Italos nõ fuissent tãto uiro exequiæ dignæ. Pileus rubeus ob neutralitatẽ nõ est permissus mortuo q uiuo nõ negabatur. Sermo ante funus habitus est, nescio q uir fuit, uerba hominis laudo. Est hoc anno his in regionib. maxima siccitas, nescio an iterũ Phaëtõ curr? phæbi ducere cœpit.

Frumenta

A Frumenta omnia sunt exusta, magna caritas timetur: nullæ pluuiæ sunt, calores præter solitũ admirandi: dicebant plebei, nõ pluit quia excõmunicatus est Cardinalis. Orator igitur qui ante funus uerbum fecit, Vos, inquit, Iudæis similes estis, qui cum Christum honorificentissime recepissent, aduenientem postea persecuti sunt, & crucem subire coëgerũt. Vos hunc legatum cupide recepistis et mirifice honorastis ingredientem, nunc quia peccatis uestris iratus Deus non pluit, causam in ipsum uertebatis. Ecce iam triduum mortuus est Cardinalis: cur nobis pluuia non præbetur: sceleribus uestris denegatur humor, non illi: & in hunc modum plura locutus est. Ego Cardinali epitaphium feci quod tibi cum præsentibus destino. Iterum atq; iterum uale.

De morte Cardinalis Aquilegiensis & de rebus Concilij, Epist. LXVIII.

Reuerendissimo in Christo patri domino Ioanni Cardinali sancti *Sixti, Aeneas Syluius. S. P. D.*

PAuci dies sunt quibus literæ tuæ mihi fuerunt redditæ, quæ annum in uia consumpserunt uel minus paulo. Illis ergo nihil respondebo, quia nil est iam in eo statu quo tunc fuit. Solum attingam nouitates aliquas, ex quibus posses ad res consiliares uigilantius & utilius intendere. Regia Maiestas sedulo operam dat ut quàm celeriter Nurenbergam petat, nec puto his in partibus diu manebit. Res Ecclesiæ aliquem finẽ nunc
B suscipient. Deus illum det, nec sinat amplius tenebrarum principem dominari. Cardinalis Aquilegien. die secunda Iunij migrauit ex hac uita: Nullum testamentum condidit. Verum est quod dici solet, Sicut uiuis ita morieris: Qualis uita talis mors: Funus eius nõ tam dignitate quàm uita dignum fuit. Non enim puto magno detrimento esse Concilio mortem eius, quia non multum utilis uita fuit. Sui namq; legatione abutebatur. Nec Papa id agit quod hic faciebat, omnia enim plana erant. Itaque murmur erat aduersus Concilium quale uix queam dicere. Tu scis quàm mundas manus habere oporteat, qui aduersarios habet. Si aliquid deerat superuenit Marcus boni filij prouidus dispensator, quem famosa Legatio apud Poloniã gesta recommendat. Is nunc literas ante obitum Cardinalis obtinuerat cum omni potestate quam Cardinalis habebat. Itaq; legatus legatum creabat. Ego uidi & legi has literas reprehendiq; quia non potest de latere facultates suas spirituales, super quibus industriæ persona electa est, alteri delegare. Sed frustra clamaui quia nullum est apud fatuos consilium. Nescio quid nunc facturus sit Marcus. Aiunt enim adhuc uelle Poloniam petere, forsitan facultatibus uti uult etiam post mortem mandantis. Is Laurentium prodidit capturæq; suæ structor fuit. Me nunc pro liberatione studere oportet. Nihil formidabilius est quàm homo bilinguis, nihil terribilius quàm hostis familiaris. At hæc beneficia ex Laurentio plura susceperat, neque huc uenisset nisi expensas ille fecisset. Digne patitur Laurentius, quia benefacere
C malis malefacere est. Vestrum est cogitare ne apud Polonos Marci loquacitas atque cupiditas fauorem Concilij obnubilet. Venerabili & doctissimo uiro theologo Francisco de Fuste refero gratias, qui Anthonium Luscum ad me misit. Andream contheologum & confratrem eius saluum dicito. Neuter eorum meretur, si non uoco dominos, quia nemo dominus absq; dominio. Mendicantibus autem nedum dominium sed omnis proprietas est interdicta. Valeant igitur ipsi & me compauperem ament. Tu quoq; me ut soles dilige & inter famulos habe fidos. Ex Vienna.

Promotoriales literæ, Epist. LXIX.

Aeneas Syluius Poëta, magnifico domino Caspari *Schlick Cancellario, S. P. D.*

CVm recederes heri ex Vienna putaui me hodie tuum iter secuturum, quia in balneis me uelle operiri dixeras. Hoc mihi uoluptati erat, tamen quod in balneis recreor, tum quod tecum libentius quàm usquã gentium sum. Sed aduenit heri circa meridiem Hartungus noster qui ait te hodie nouã ciuitatẽ petiturũ, sicut Chiemensis Episcopus sibi dixerat. Nã Regia Maiestas omnino te uisere cupiebat, deq; nõnullis cõferre tecũ. Quod ut audiui ratus sum nõ expedire me balnea petere, quia sine te inutiles

sumptus facerem. Reddidit enim me certum idem Hartungus me non inuenturum tuā ibi magnificentiam. Deliberaui igitur hic manere donec aliud mihi significares. Interim uenit ulcus nescio quod, in sinistram tibiam quo maxime crucior & ab heri usq; hodie mirum inmodum creuit. Crus ipsum sinistrum à genu in femur rubeum est & sanie plenum. Oportet me uti emplastris, nescio an infrà triduum possim fieri robustus equitandiq; potēs: nunc nullatenus possum nisi supra dextrum pedem consistere. Mira res, quā celeriter ægritudo uenit, quamq; tarde recedit. Qui nunc sanus erat, in hora ægrotabit. Nihil sub cœlo stabile, nihil securum. Spero tamen me nō esse nunc ex his qui diu iacēt. Et quippe si meum ad te iter tam necessarium quam uoluntarium putauissem, mox equum ascendissem, etiam si una priuatus tibia ueniendum fuisset, quia libentius tecum cum uno pede forem quàm cum duobus sine te. Si ergo mea præsentia ulla in te opus est rescribe, quia omni dubitatione posthabita curabo ad te proficisci. Iterum sicut tibi dixi de Simone presbytero Misnen. uicario apud sanctum Michaëlem, supplico, ut causam eius recommissam habeas, uerbumq; Regi facias ut is possit illic perseuerare, quod esset illi ecclesiæ admodū utile. Nam ædes ruinā minantur, uineæ incultæ sunt, quia cū rector nō arbitratur se mansurum rapit quod potest, et cætera negligit. Hic uult domum reparare, iamq; ex amicorum subsidio in hoc opus pecuniam comparauit. Vult etiam uineas colere & agros reformare sicuti iam ceperat. Itaq; multum expediret illi ecclesiæ huius hominis confirmatio. Præpositus sancti Stephani habet annuatim ex sancto Michaële libras octo, & quadraginta dantur alijs quibusdam pro uicario. Supersunt libræ sexaginta uel circa, ex quibus tenetur quatuor capellanos, unum choralem, unum clericum, unum procuratorē, & se nutrire. Itaq; maiores sunt expensæ, quàm redditus. Sed hic homo si continuetur, intendit uineas sic meliorare ut fructus maiores sint Nec hoc bonum est quod aliquis illic non perpetuetur. Nam Rex Albertus antecessorem illius uicarij perpetuum esse uoluerat. Rogo igitur & supplico ut tam pro bono illius ecclesiæ quàm meo intuitu, quia uirum illum diligo, uelis efficaciter Regem orare ut hunc perpetuet. Quod si hoc nequeat obtineri, saltem triennium aut biennium sibi impetres, ne homo expensas quas pro uinearum reparatione fecit, omnino perdat: in hoc mihi gratiam quàm maximam facis. Vale.

Fama non est contemnenda, Epist. LXX.

Aeneas Syluius Poëta, Ioanni Tuskon secretario ciuitatis *Pragensis amico primario, S. P. D.*

EPistolam tuam dum legi atque relegi, modestiam cum doctrina pugnantem uidi. Namq; cum ornatissime scribas, uereri te tamen ais ad me literas dare minus comptas. Sed obsecro te ne deinceps tali utaris principio, quia nihil ad me potes non elegāter scribere, etiam si ornatus qui tuus in scriptis elucet maximus, nullus foret. Amicitia namq; non eloquentiam sed rem expetit. Tu uero & mihi amicus es & ego te in paucis amo. Itaq; supplet amor quicquid facundia negat. Quæ excusatio non minus mihi quàm tibi conuenit. Tu namq; dum imperitus uideri uis, doctissimū te ostendis. Ego dum aliquid sapere me iactito, imperitiam prodo meam. Quo fit ut meis in literis arrogantia cum iustitia certet, non tam honeste quàm in tuis certare dixi cum doctrina modestiam. Sed prætereo iam hæc, tuisq; optatis respondebo. Ais te cupere si quid noui æderim tibi ut communicem. Gererem tuo desiderio morem si tam libenter rescriberem quàm scribo, mihi tamen id uitium est ut plus quàm semel nihil scribam. Plura post tuum abitum compilaui. Sigismundo duci patrueliq; Regis nostri, non paruam epistolam destinaui, plurima illic bene uiuendi præcepta tradendo. De passione domini hymnum confeci, Regiq; dono dedi: literas nunc ad istum nunc ad illum misi. Copias omnium Vuenceslaus noster habet, is te potest participem facere. Sibi plumeus mihi plumbeus est calamus: Manus illi uelox mihi tardior: quod ex me cupis ex illo pete. Nihil noui ex mea manat officina, quod ipse non antea exemplatim retineat. Si ergo ignorantias meas tātopere cupis, satis habeto ex me doceri quomodo uoti compos fias. Notum in Bohemia Aeneam non inuitus audio, quia melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ.

A Sed utinam stabilis sit quàm de me famam prædicas, quod ita demum erit, si fundamentum bene iactum est sub petra ueritatis. Ego mihi conscius sum non me talem esse qualis prædicor, utcunq; est, laudari potius indigne quàm uituperari digne cupio. Est enim laus uirtutis excitamentum. Quis enim tam malus est qui uirtutem illam non assequi studeat, de qua se percipit laudari. Mihi sane magnos stimulos ad eloquētiam capescendam adhibet is, quem de me dicis inter Bohemos esse rumor. Et utinam aliquando possim talis euadere qualis credor. Tu tamen uide ne uanus laudator inueniaris. Siquis me casus Pragam detulerit, ubi mea præsentia nomen obumbret in armorum tuorum descriptione, præbebo quam optas operam. Vuenceslaoq; prouinciam demandabo, cui nihil est tui causa durum facere. Franciscus Regiæ Cancellariæ uetus mancipium multa mihi de te cum laude retulit quæ non abs uoluntate cognoui. Faxit deus ut secundiora sint quàmdiu uixeris, tua tuorumq; fata, tibiq; nunquam medo & Francisco nunquam deficiat merum. Vuenceslaus & ego Colmum bibemus ubertim. Vale.

Promotoriales literæ, Epist. LXXI.

Aeneas Sylvius Poëta & Michaël de Pfullendorff, S. P. D.

& sese dedunt, Reuerendo in Christo patri & illustri principi domino Heinrico episcopo Constantiensi.

B VIros bonos & literarum amatores tuæ dilectioni dilectos esse nequaquam ambigimus: quia similis est amare similem, & omnis probus afficitur probis. Nec uirtus potest non placere uirtuti. Hoc facit ut Ioannem Cilium qui tuo indiget auxilio, non multis tibi uerbis recommendemus. Nam cum sit ille probitate plenus & omni ex parte laudandus, satis in se præsidij habet ad tuum fauorem nanciscendum, nec recommendatione nostra magnopere indiget. Ne tamen in suis necessitatibus uerba tibi nostra defuisse arbitretur, scire te uolumus magni beneficij loco nos suscepturos quicquid in eum te boni contulisse percepimus, amamus enim hunc, & in amicitia nostra tertium habemus: nec sibi quisquàm prodesse potest quin & is nobis gratificetur. Non tam Pilades Orestem, aut Perithoum Theseus dilexit, quàm nos in alterutrum seruamus amorem. Hinc regia munificentia primariarum precum ius præbuit, Capitulumq; Zouingen. tuæ dioecesis pro eo rogatum fecit, iamq; in canonicum est receptus. Præbendam autem assequi non potest, quoniam alius sibi impedimento est. Habet igitur honorem absq; commodo. Alius forsitan libentius cōmodum absq; honore suscepisset, quia uulgus utilitatem præfert honori. Vera tamen Philosophia nil utile censet quod non honorificum. Vtcunq; sit, noster Ioannes optat honori suo misceri commodum, quia caduca res est mundialis honor nisi pecunia fultentetur. Tu ergo qui illic Episcopus es, in cuius
C manu calix est musto plenus, quiq; potes ex hoc in hoc miscere, iuua hunc amicum nostrum, & fac ut nostras preces illi sentiamus fuisse proficuas. Quod si feceris, ut de tua humanitate confidimus, non solum illum & nos tibi obligabis, sed imperialis etiam fastigij erga te gratiam efficies promereri. Vale.

De diætis germanicis, Epist. LXXII.

Aeneas Sylvius Poëta, S. P. D. Reuerendo patri domino Ioanni

Caruaial iurisconsulto, & apostolici palacij causarum auditori.

ACcepi cupide te Germaniam repetisse, quia & te reuisere spero cum quo loquor & conuiuo libenter, quamuis inter nos sæpe de rebus Ecclesiæ concertatio sit, illa tamen non pertinax aut rancida est, sed qualis inter Philosophos esse consueuit, qui nō ut appareant sed ut inueniant uerum disputant. Nec rursus ego is sum qui me uelim huiusce diuisionis participem facere: theologorum est hæc disputatio: mihi satis sentire fuerit quod plures senserint. Petis ex me de cursu dietæ ut quid sperem tibi renunciem. Satis facit desiderio tuo quantum potest Cācellarius. Me nec scire neq; significare plus eo fas est. Si me tamen diuinare uis, quia poëtarum est præsagia scribere, pauca subiungam. Ego ut tibi uerum fatear, non puto diætam hanc alijs esse steriliorem, scis quid hoc uerbo sentiam. Foecundæ sunt omnes diætæ, quælibet in uetre alteram habet. Apud Ara

bes auis est phœnix, carminibus poëtarum illustris. Hæc dum fatum sibi instare sentit, quingētis enim & x L annis uiuit, rogos suos instruit cinamis, ex cuius cineribus mox altera surgit & semper unica phœnix est. Tu hoc ut uis accipe. annis iam pluribus diætas habemus nec statim finis: res turbulentæ sunt, diuisi animi, quosdam delectat neutralitatem uigere, quia nouum est aucupium, possessores unionis sunt hostes, quia nulli ius reddi uellent. Serpentem qui tibi suspectus erat uidi audiuiq́, nec alius fuit quàm rebar: tu si morsus eius persenties, peristi, nisi antidotū habeas. Vix Mithridates aduersus hoc aconitum tutus iret. Habes quid sperem, quodq́ possum præter iniuriam mei officij dicere. Tu uale & si quem tibi non in omnibus consonantem amas, me etiam ama. D

Promotoriales literæ, *Epist.* LXXIII.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. magnifico domino Caspari *Schlick Cancellario imperiali.*

AT tulit tibi sicut opinor Hartungus literas meas, quibus magnopere postulabam ut amicum meum Simonem Misnen. Regiæ Maiestati recommendares, peciuniculam suam super uicariatu sancti Michaëlis promouendo. Nihil exinde mihi respondisti puto quia non suppeditabat tempus. Verum cum amici causa non sit deserenda nisi ad finem usque perducatur, iterum atque iterum precor ut mei desiderij memoriam habeas, & hanc unam mihi gratiam impetres, quia pro magno munere suscipiam. E Ego nunc orationem unam ædidi quæ nouam papyri implet, quàm cū uideris dices me tum tibi tum tuo germano officiosum esse. Itaque rogo ut pro mercede illius mihi Simonem promotum reddas: quia digna est oratio sic præmiari, meq́ iudice multo magis. Ideo uelis hanc postulationem mihi impetratam reddere, meq́ super hoc certiorare. De me uero quicquid fieri iusseris id fiet. Intelllexi tunc apud te omnia esse precij grauioris, ideo hic manebo quamdiu non uocabor, quia semper mea sententia fuit nouæ ciuitati Viennam esse præponendam, quanquam apud uos Iudæorum & monachorum plus sit, nec me nouus Benedictinorum habitus siue Bernardini sit oblectaret: quamuis fama est crucem auream fore adiunctam, quæ de collo cuiusque monachi pendet. Vale optime & nisi Nurenbergenses, cura diætæ nimium Regem teq́ grauat non nihil mihi rescribe.

Aduocatum nouum denuntiat, *Epist.* LXXIIII.

Aeneas Syluius Poëta, imperialisq́ secretarius, S. P. D. Stephano de *Cazijs Nouariensi, iuris utriusque doctori amico primario.*

LAurentius de Rotella uir probus & tibi notus, ut fert hera Fortuna per familiam patriarchæ Aquilegiensis, dū ille in ultimis ageret apprehensus incarceratusq́ fuit. Ego tum propter amicitiam tum propter patriam, tum quod iniuste detineri eum uidi, pro sua liberatione laboraui obtinuiq́, Cancellario tamen & me pro ipso fideiubente. Hac de causa oportuit me ire ad regem qui in noua ciuitate abhinc per diætam semotus. Postquam illic fui, acta re Laurentij, tuam aggressus sum. Iamq́ impetraui te regium aduocatum fieri. Nec aliud restat nisi literas confici, quod faciam ut primum curia insimul erit. Nunc nequeo, quia sigillo caremus. Tu te tamen scias aduocatum esse, & per Regem libenti animo receptum. Namque ut is de tuis uirtutibus certior factus est, Stephanus, inquit, me rogat, quod eum rogari à me par fuerat. Cognosce ergo regis animum, & quia iam suus es, causas eius suscipe & commendatas. Nunc de Aquilegiensi & Tridentinensi agetur ecclesijs: uide ne quid fiat quod præter Regis sit mentem. Reuerendissimus dominus Arelatensis cui rex scribit, tibi aperiet quid sit opus. Ego tuas literas curabo quàmtotius expeditas ad te mittere. Vale. F

Promotoriales literæ, Epist. LXXV.

A Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Magnifico Caspari Schlick *imperiali Cancellario.*

INsignem literarũ militem Procopiũ de Rabenstein, quanti faciã quãq; amem multis signis potuisti intelligere. His nunc ecclesiã Budonicensem germano suo cõferri petit. Episcopus alius Bohemus dicit eam sibi promissam. Mihi cõstat hunc Episcopum non uacantem, sed uacaturum impetrasse. Et quia tunc non uacauit, uana fuit eius impetratio. Potestq; Regia Maiestas ut uult disponere. Mihi consultius uidetur Procopij fratrem quàm illum episcopum promoueri. Multa sentio quæ scriptis nolo committere. Tu amas Procopium & ab eo amaris, ideo non expedit me multa dicere: si quid tamen preces meæ ualere pro eo possunt, scito me omni conatu & integro corde ipsius commodum cupere. Hospes noster uellet ad te proficisci, tuoq; auxilio præsentiam Regis habere, si saltem triduo in noua ciuitate Rex sit mansurus. Quod si huc uenturus sit expectabitur eius aduentus. Tu uelis me quid fieri debeat, instructum facere. Dum Tergesti præterita hyeme forem exposui potestati regiæ inanes fuisse, quas per medium tuum pro meis familiaribus regias preces impetraueram, quia non erant ueræ collationes. petijq; alias preces si locus uacãs reperiretur. Annuit Rex præsenti Vuilhelmo atq; pro B thonorario. Nunc dicit mihi Iacobus locum esse uacuum quem in schedula tibi significo, peto ut permittas pro Ioanni familiari meo ad collationem istam preces expediri, quia ex hoc magnum me beneficium recepisse putabo: quamuis tot sunt tua erga me merita ut silere potius quã amplius petere debeam. Sed facio sicut rustici, qui postquã uident se non posse obligationibus satisfacere, curant ut obligationes ipsæ quàm maxima sint. Domini quoque id solent quærere ut seruos suos quàm obligatissimos habeant. Vale & me tuum tutissimum facito.

Literæ promotoriales, Epist. LXXVI.

Aneas Syluius Poëta, S. P. D. magnifico domino Caspari Schlick *Cancellario imperiali.*

GVido tabellarius apostolicus ad me hodie uenit, literasq; mihi ex Roma reddidit Ioãnis Cãpisij & Petri Noxetani, qui mihi ex tota humani generis societate sunt amicissimi. Hi uenerabilem & ornatissimum uirum Bartholomeum Castarellis secretarium & cubicularium apostolicum magnopere commendant, utq; res suas inueni non suadent tantum sed cogunt: quale negotium sit non scio. Sed id magnificentiæ scribitur, tum per eundem Bartholomæum tum per alios. Audio illum tui Germani causam toto conatu promouisse, dum res ecclesiæ Frisingensis Romæ tractabatur. Aiunt præterea hunc esse apud summum Pontificem magno loco, uirumq; fore & literis et C uirtutibus ornatum: quibus ex rebus si quid apud te roboris meis inest precibus, peto supplex oro ut rem huius uiri expeditã reddas, si modo est qui possit impetrari. Nam et gratiam homini reddes bene merito & amicis meis: quo tui sunt serui plus complacebis quàm si montes auri tradideris. Sic eos in hanc rem affectos uideo: tuũ est morem serua re uetustum quo felicitatem tuam soles in acquirẽdis amicitijs collocare. Recessum Regis suumq; transitum sicut iussisti, & Haustumij & cæteris socijs significaui. Sebaldus in balneis est. Hospes dubius est, uẽturus ne à te sit. Ego dissuasi, quia & tu uenire intendis. Vale optime.

Probat ueram scientiam discere mori, Epist. LXXVII.

Aeneas Syluius Poëta, imperialis secretarius uiro & amico con*stanti Friderico Tergestinorum Cancellario, S. P. D.*

QVestus es me tibi non scribere quamuis mihi scripseris aliquando, dicisq; id esse signi nec constantis nec ueri amici me fungi officio. Si enim referunt qui ex te huc proficiscuntur. Facis sicut mancipia solent, quæ ubi peccarunt, prius clamare & uociferari incipiunt, quàm domini crimenq; aliquod excogitant quod heris ascribentes, obliuionem peccatorum suorum inducant. Sed erras, non patiar tuam negligentiam inultam, nec propterea excusatus eris quia prius conqueraris. Scio ego has artes,

nouí has uerſucias, calleo has technas. Nihil agis mi Friderice dū me accuſas qui nunquā ad me ſcripſiſti poſtquam abs te receſsi, niſi paucula uerba quibus amici tui cauſam commendabas. Ego uero ad te ſæpius ſcripſi & antequàm irem Romam & poſtquam reuerſus ſum Si ergo me uincere uis, non quærendo ſed ſcribendo id facies melius. Nūc tamen miſſa hæc facio ueniāq; do. ſi modo in futurum aliter agas. Ego nunc quod ad te ſcribam nō habeo aliud niſi me tuum dixerim, tibiq; uelle complacere, te colere, te amare & obſeruare unice, tuumq; bonum ſtatum, ualetudinem optimam, & tuorum felicē ſucceſſum optare. Sed iſta uetera ſunt & tibi notiſsima & inter amicos minime repetenda, quæ magis factis quàm uerbis cognoſcuntur. Cauſa tuorum ciuium nōdum eſt terminata. Ego libenter uiderem harum litium finem qui urbi Tergeſtinæ ac ciuibus omnibus ſum affectus. Nec placet mihi uidere bonos illos uiros ac ſui reipublicæ amatores totiens huc trahi. Nec rurſus libenter audio poſtponi negociariq; noſtro principi quæ debentur. Quod ſi eſſent mediatores qui ſtudio pacis intenti eſſent quæ ſunt pacis cōſulerent, non tam diu res iſta penderet. Melius eſt (crede mihi) de ſuo iure aliquid tradere cum pace, quàm totum litigando conſequi. At iſta uiderint qui plus ſapiunt. Ego mihi uiuere uolo non ſemper alijs. Iam Regia Maieſtas beneficia mihi largita eſt quibus poſſum honeſte uiuere: ſequeſtrabo me tandem ab his curiarum miſerijs. Et quia ſenectus adeſt urgetq; mors, cogitabo quomodo bene moriar. Id enim eſt deniq; recte Philoſophari, id eſt ſcire, id eſt eſſe ſapientem. Nam qui iura nouit & aſtrorum curſus, & pluuiarum uentorumq; cauſas, & argumentandi rationes, & menſuram terræ, & carminis & orationis uires, & omnem harmoniam, is tamen nihil ſcit, niſi mori ſciat. Vltimus humanorum actuum mors eſt. Qui omnia recte fecit & in fine deficit, is fruſtra operatus eſt. Inſulſus poëta eſt qui actum quintum negligit: ſic qui mortem neſcit bene concludere, demēs eſt. Curandum eſt ergo mihi ut finem bonum faciam, ſatis luſi, ſatis puer & iuuenis fui, ſatis mundo ſeruiui, imò nimis. Iam hora me admonet, redeundum eſt in uiam, faciam niſi fallor. Idem & tibi cenſes faciendum, quamuis in eam rem iamdudum accinctus fueris ſed perſeuera. Coniugem tuam probam mulierem & honeſtiſsimas filias tuas atq; filium tuum adhuc adoleſcentem & quæ iuuentus imperitat facientem, iubeo ſaluere et incolumes eſſe cupio. Idem Iacobus facit, qui eſt iam plebanus inſignis eccleſiæ. N. ſeq; tibi commendat. Vale & Bononium ueſtrum Appium ueſtri ſenatus principē meis uerbis ſalutato.

Hortatur legatos regni Vngariæ ut Ladislaum abſque conditione Regem recipiant, Epiſt. LXXVIII.

Dionyſio ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinali archiepiſcopo Strigonienſi, *patri & domino colendiſsimo, Aeneas Syluius Poëta, S. P. D.*

SI quis me roget præſtantiſsime pater cur ego natus in Hetruria, de ſtatu regni Vngariæ loqui præſumam. Reſpondebo me hominem eſſe & ut Terentianus ille Chremes dicebat, Humani nihil à me alienum putare. Dicam me Italum ſcire plures mei generis homines in regno ueſtro & opibus & honoribus auctos, ad magnam gloriam euaſiſſe. Dicam me legiſſe hiſtorias ueſtras, inueniſſeq; Vngaros multis uictorijs claros nomen ad aſtra tuliſſe, atq; idcirco, ſicut natura iubet, eorum me uirtutibus affici. Quid plura, Chriſtianum me dicam, ſolicitudinemq; habere ut Chriſtiana religio in tuto collocetur, quod ſane fieri non poteſt, niſi & murus eius qui eſt Vngaria ſit incolumis. Sum igitur anxius nec aliud hoc tempore opto, quàm ueſtræ largitioni bonū finem imponi. Verum dum hæc mecum ſæpius animo reuoluo, multum hoc ex tua & collegarum tuorum uoluntate diſpoſitioneq; pendere reperio. Nam cum ubiq; id eueniat ut tunc res bene concludātur, cum nuntij qui eas tractant, uoluntarij, proniq; ſunt: quanto hoc magis nunc ſperandum eſt, ſi uos inclinati & affecti ſitis, qui non ſolum legati eſtis regni, ſed ipſum quodam modo regnum in poteſtate habetis, quia quod per uos fieri contigerit, nemo dubitat apud alios, quorū nomine ueniſtis habere ratum. Sunt igitur hæ cauſæ quæ me tuæ R. P. nonnulla ſcribere compulerunt, quæ & in bonam partem recipi precor, & alijs collegis tuis communicari: quia & ſi ueſtrum acre iudicium quæ regno ueſtro

A uestro conducant optime uideat, non tamen quod exteri sentiunt, negligendum est. Loquor autem cum tua dignatione tanquã cæteri ex collegis audiant. In principioq; meorum uerborum illud fundamenti loco recipiam. Quicquid homines ex suo arbitrio faciant, id sibi utile iudicare. Nam quod sibi damno sit, nemo sciens uolẽsq; facit. Vos igitur Vngari uiri clarissimi, qui huc uenistis, in conuentu Pestiensi prius fuistis, ac cum cæteris regni Baronibus & accolis, Ladislaum Regem expetere decreuistis, nũc legationẽ explentes, dari uobis Regem cum sancta corona deposcitis. Coronari denique Regem uultis homagia sibi præberi, et ipsum exinde in aliquo regni loco sub tutela Friderici Cæsaris sui patruelis constitui. Hæc est, si recte teneo, summa uestræ petitionis, quod minime conclusissetis, nisi & regno & uobis singulis id putaueritis expedire. Quid ad hæc responsurus sit Cæsar non scio. Illud autem scio quia & suam quoq; utilitatem & patruelis commodum Cæsarea Maiestas intuebitur. Nec scienter aliquid promittet, quod suo ac patruelis statui possit obesse. Siquis ergo uult inter Cæsarem & uos plenam fieri concordiam, is ea media offerat quæ sint utriq; parti accommoda. Nemo enim sermonis ornatu ac uerborum lenocinio plus suadet quàm utilitas. Cum ergo his in rebus quæ nũc aguntur, & uos Vngari uestrum commodum sequamini & Australes suum. Libet mihi pauca de statu conditioneq; uestri regni in medium referre: sic enim quæ sint uobis utilia melius intuebimur. Nam & apud Australes in eandem sentẽtiam sæpe ratiocinatus

B sum. Vos quod ex pura mente synceroq; corde promitur, benigna fronte et letis animis audite, & quæ uobis sint usui (quamuis longe melius, quàm ego, prospicitis) me referente notare non pigeat. Status regni Vngariæ (prohdolor) non sine graui damno totius Christianitatis confractus, quassatus, & omni splẽdore nitoreq; pristino denudatus est, tantaq; mutatio in regno uestro à paucis annis citra facta est, ut siquis procerum antiquorum iam ab inferis resurgeret, Vngariamq; intraret, nullatenus suam patriam recognosceret. Apud Historicos ueteres reperi uestrum regnum florentissimum quondam fuisse, & hominibus & opibus beatũ. Cuius tanta latitudo longitudoq; fuit, ut & à Constantinopoli mariq; Pontico usq; ad Austriam & à Polonia usq; ad sinum Adriaticum protenderetur. In cuius uentre septem amplissima regna claudebantur, quæ à corona Vngariæ tanquam feuda dependebant, ut merito quidam non tantum Regem sed Archiregem Vngariam habere dixerint. Nec sat fuit tot gentibus Vngaros imperare, sed ex se quoq; populos emiserunt, qui omnem illam Italiæ partem quæ olim Gallia transalpina uocata est, hodie uero ab ipsis Vngaris longas barbas ferentibus Lombardia dicitur occuparent. Ex uobis insuper duces exierunt qui & Almaniã & Galliam & Hispaniam inuaserunt. Nec gens fuit in orbe toto, quæ uestrũ tunc regnum lacessere auderet, tam uenerabile & clarum erat ubiq; terrarum Vngarorum nomen. At nunc quã lacerum sit uestrum regnũ ipsi scitis, circumspicite totum. Veneti qui quondam pro fundo

C ciuitatis suæ tributa pendebãt, iam Dalmatiam magna ex parte tenent. Turci qui trans Hellespõtum formidare uestros arcus solebant, in ipsis Vngariæ uisceribus grassantur. Poloni quodammodo regni uestri censebantur, Moldaniam sui iuris fecerunt, nec Turci sine portione uestrorum dominiorũ sunt, nec Bohemi nec Theutonici. Quid scismaticos & hæreticos referam per Vngariam debacchãtes? quid tristia bella, per uos cũ Turcis gesta? quid animas pene infinitas ex regno uestro quotannis exportari. Quid abigi pecora & omnia in prædam duci? quid monasteria magnique dei templa ubiq; apud uos ruere? O regnum olim opulentissimum: o auream prouinciam: o terrarum decus: quomodo sic ex te nitor omnis abscessit? quomodo sic abijt color optimus. Vbi uigor ille tuorum hominum? ubi reuerentia, quam tibi omnes gentes impendebant? ubi maiestas Regis? ubi gloria? Quid tibi tot uictoriæ profuerũt si tam cito in triumphum duci debebas. Quid Romanorum ducum restitisse potentiæ iuuit, si nunc illorum uicinorum ineptus ferre potes? Heu fortuna, heu rerum uicissitudo, quàm cito imperia uariantur? quã cito mutantur regna? quã repente dilabuntur potestates? Regnum Vngariæ, cui uix simile uidit sol, sic dissipatum est ut uix inter se partes illæ cohæreant. Quæ autem sit tantæ mutationis ac ruinæ causa, non est intueri facile, quia occulta sunt iudicia Dei, non mi-

nus hodie quàm olim fertiles agri sunt:nō minus fœcunda pecora:assunt uinearum pro uentus:reddunt usurā effossæ auri et argenti mineræ. Sensati homines sunt industrij,ma gnanimes,multarum rerum experti,literæ tam uigent q̃ unquam. Non possum ego de cæteris loqui quos non uidi, de uobis qui hic estis, illud possum dicere quod de quouis hominum genere dici potest. Video enim uos forma proceros,copore decoros, uiribus robustos,sermone gratos & in omni opere acceptos.Quid igitur est quod regnum ue strum tantopere depresit, cum nec uires uestris hominibus desint,nec ingenia, sicut ex omnibus audio qui uestram regionem peragrarunt:sunt fortasse nōnulla peccata quæ Deus punire uult,quemadmodum in ueteri testamento factū nonnunquā legimus.Ob quam rem considerandum est diligenter,ut si quid erratum est emendetur,ut per opera pietatis diuina Maiestas mitigetur,quam propter iniquitatem aliquam constat iratam esse. Nec miremur si dixerim inter uos aliquid iniquitatis esse. Nam nulla est omnino prouincia iniquitatis expers. Cæterum cum his piè ac misericorditer Deus agit quorū delicta in hoc mūdo punit.Deus enim homines pro filijs habet,& quos diligit arguit ac castigat ut per multas aduersitates ad opera uirtutis inducat,quos autem nihili facit,deli cate & deliciose patitur uiuere, quia nō illos emēdatione censet dignos. Cū aūt regnum uestrū Deus multis plagis afflixerit,signū est quia uos amat et saluos esse desiderat.Nūc uestrum est ut emendetis in quibus cogitare potestis offensam esse Maiestatem diuinā. Inter alia uero quæ Deus ægrè tulit,forsitan illud est,quod est Regi Ladislao infanti or phano sine crimine non,uti par fuerat,fauorabiles extitistis. Nā quamuis pleriq; uestrū ex magna causa ipsum reliquerunt, quoniā sibi quisq; consulere debet, regnum tamen totum excusari nō potest:quod si unitum pro iustitia pueri fuisset,nūquam Polonus ex aduerso intrasset. Vtcunq; sit, uidendum est ut Deus placetur ubi offensus est, ut inde medela prodeat unde uulnus fuit illatum. Nempe quantum ego imaginari possum, ex Deo datum est ut regnū Vngariæ quod sub adulterino Rege periclitatū, est iam ad su um uerum & legitimum Regem Ladislaum reuertatur, sub cuius auspicijs reintegrari possit & ad pristinum reduci nitorem. Bona est equidem uestra deliberatio, probanda, recta,salutifera. Verum quia & ante desertum Ladislaum imò & diu ante Sigismundi potestatem regnum uestrum declinare cepit, nullā ergo causam uestræ ruinæ maiorem fuisse arbitror quā discordias uestras.Namq; sicut res uestræ per cōcordiā creuerunt,sic per discordiā sunt diminutæ,quoniā nulla durare potestas ualet ubi dissentio regnat.Ro mani tamdiu magni & rerum domini fuerunt,quàmdiu in charitate uixerunt,ubi uero ciuilia & intestina bella suborta sunt,mox & Maiestas Romana defecit.Sic & Athenas & Spartam & Carthaginem domestica deleuerunt odia. Ciuiles autē dissensiones inui dia & ambitio alunt, quæ pestes in regno uestro grassantes, omnium dissensionum ue strarum & omnium malorum causa fuere. Et utinam etiam non hodie inter uos hi es sent morbi:namq; si depositis simultatibus intestinisq; odijs concordes essetis,& unani mi uoto ad commune regni bonum intenderis,nihil est quod uestri uicini cōtra uos au derent:nec enim prouincia ulla est,quæ si uiros habet & hi sunt uniti, suū nō tueri posit statum. Difficile monumentum est amor ciuium: inexpugnabilis est ciuitas quam uni tas populi tuetur. Quod si parua regna,sterilia, paupercula, per concordiā sese tuentur, nec uicinorum impetus timent,quanto magis gloriosum regnum uestrum amplissimū, ditissimū,& omniū rerum copia abundans,insultantibus resisteret hostibus,si omnes in unū Barones regnicolæq; cōcurrerēt. Sed sunt cōnexæ inuicē nescio quomodo iustitia atq; cōcordia,nec usquā altera sine altera reperitur, nisi forsan ad modicum tēpus etiā in malo quidā cōspirauerint.Sed hi nō possunt esse diuturni, quia nullius criminis est lōge ua societas.qui diu cōcordiā appetūt,hos necesse est in uirtute iacere fundamentū.Dicā plane quod sentio,nec uos,ægrè laturos puto, quod in bonum finem eloquor. Liqui dum est apud me,idcirco uestrum regnum in magna parte uastatum esse, quia concor dia caruistis. Concordia uero propterea uos deseruit, quia iustitiam non amastis. Vosipsi potestis reminisci multis in locis apud maiores uestros iustitiam fuisse negle ctam.Nostris uero temporibus magnum illud fuit, quod Ladislaum deseruistis infantē

A & nullum habentē qui suū ius tueretur nisi Deum, quāuis nōnulli uestrū necessitate magis quā uoluntate ab eo defecerint, quibus nihil est imputandum si metu graui perculsi, uitæ suæ cōsulere uoluerūt. Nec enim hi hodie sumus, qui pro iustitia capita nostra ponamus. Diximus iā causarū aliquas, regno quæ uestro obfuerunt, quantum nos opinari ualemus. Apud Deum fortasse motorē omniū in cuius manu sunt omnia regna mundi, aliæ sunt quas ignoramus. Nunc de remedijs transigendū est, ut eam inueniamus, quā quærim9 utilitatem, nempe uiri præstantissimi si regnū uestrū uultis instaurare (uultis enim non ambiguo) contrarijs artibus euitandum est, quærēda iustitia est, habenda concordia, iungendus amor Ladislao, qui uerus Rex est repetēdus, iuuandus, fouendus, ut uiolata in eo iustitia resarciatur. Dicitis forsitan frustra sic loqueris, cum iam ob eam causam hic simus, sed hoc haud satis est: Nam & legatio uestra conditiones quasdā habet, quas possibile est Cæsarem non admittere. Quid tunc facietis, quid si nō detur puer ad Albam regalē, quia nō uidetur Cæsari faciundū. Quid si negetur coronatio noua, an infecto negotio recedetis Hic hic deliberandum est, hic consulendum, hic uidēdum est, ne iustitia deseratur, & ne quod expedit regno uestro negligatur. Scitis, quia iusgentiū est, neq; electionē, neq; coronationē regnum dare, sed successionē. Quod si quibusdam in regnis electio Regem facit, id certe apud uos non est. Nam & apostolicæ sedis sententia

B est successionē in regno uestro locū habere, sicut & Bonifacius diffiniuit, & uetus obseruatio docet. Est igitur uobis ad iustitiā cōseruandā Ladislaus in Regē habendus, qui Sigismundi nepos, Alberti & Elizabeth filius, auito paterno & materno iure regnum uendicat. Ninus patri uiuo successit apud Assyrios, apud Macedones Philippi successor, Alexander extitit. Apud Hebræos Salomon patris Dauid soliū tenuit. Apud Romanos cū prole careret, Iulius adoptiuū filium Augustū successorē habuit. Apud Troianos Laomedontam patrem secutus est Priamus. Apud Frācos Pipini sedem post obitum Carolus Magnus accepit. Apud Gothos autem, qui & ipsi uestri generis fuere Almal, patri suo Gapt successit. Sic & Alberto Regi uestro par est Ladislaum successorē filium succedere, nisi & pietatem, & humanitatem omnium populorū, gentium, nationumq; iura uelimus peruertere. Verū ne propositi nostri metas egrediamur, cum iustū sit Ladislaum apud uos regnare, uideamus an etiam utile existat. Stoicorū sentētia est nihil utile fore, quod non sit idem honestum: nec, ut mihi uidetur, falsè arbitrantur Stoici, quia nihil est utile quod turpe sit, uideri potest utile, esse autem non potest. Nam turpia & uitiosa caduca sunt, mutabilia, fluxa, curas semper atq; molestias afferētia. Quæ iusta sunt & honesta ea manent, nec unquam mentem turbant. Sed differamus hæc alio modo. Sunt, ut accepi, nonnulli, qui nec uocandum Ladislaum rētur, nec cum Cæsare quicquam practicandū. Quidam uero honestum aiunt (ut iam factum est) uocari Ladislaū,

C quod si nō detur, per alium modum regno cōsulendum censent. Apud hosce homines minima est de iustitia mentio, utilitatem solūmodo sectantur, sed nesciunt quod nulla est sine uirtute utilitatis possessio. Discutiamus ergo istorū opiniones, respondeamusq; contrariantibus. Ego quidem tūc utile putarem regno uestro negligi Ladislaum, si sine ipso & concordes esse possetis, & ab hostibus regnum tueri. Quod si hæc absint, quid uobis utile esse quærat. Examinemus ista. Si pacem in regno & concordiam uultis habere, aut populare regimen, aut regale habendum est. Dimitto nunc illam Aristotelis quam in Politicis de modo regendi considerationem habuit. Nam ad hæc duo possunt omnia referri. Quid uos obsecro inter hæc eligetis? quis uestrum est qui populare regimen audeat suadere. Omnes uos qui hic estis nobiles estis: at in regimine populari omnis nobilitas suspecta. Surgunt plebei & æquato iure rem publicam administrant, quicquid excellit amputant. Respicite ciuitates quæ in communi gubernantur: nullus in atrio nobilis est: mercatorum sunt omnia. Ego non puto quenquam uestrum sub artificibus potius esse quàm sub regibus. Ad hoc est quod uestrum regimē usq; in hoc æuum semper sub auspicio regum gubernatum est. Nec reor nouitatem uos uelle nunc agere, quæ mater erroris esse consueuit. Exinde cum regnum uestrum undique bellis flagret, necessarium est Regem habere ad quem omnia referuntur. Vbi pax est multitudo

regnare potest, ubi sunt bella nisi unus sit qui dirigat, omnia corruūt. Cum Cimbri cum trecentis militibus armatorū Italiam peterent, urbes Italiæ quæ tunc erant liberæ, sponte sua Romanum sibi populum præfecerūt. Romani aūt Marium ducem omnium con stituere. Nec enim sine principe tremētibus armis possunt prouinciæ defendi. Vos ergo qui cū Turcis assiduæ bella geritis, necessarium est Regē habere. Sed hic quoq; de Rege deliberandū est. Aiunt nōnulli multos esse in regno ex sanguine claros & uirtutibus præditos, quos Reges esse nequaquā deceat. Quod ego nō negauerim. Nam & ex uobis qui hic estis non irem inficias, corona dignum aliquē fore, siue claritas generis, siue formæ decus, siue animi magnitudo, & probitas requiratur. Verū cum nō sit nisi unus Rex fieri, inter uos autem plures sint diademate digni, sitq; magna æqualitas inter uos, quis non uideat magnā inuidiā nasci, si quis uestrū in Regem sublimetur: inter pares nūquam inuidia deest, nec æquo animo sui similem sibi præferri sinit. Sunt inter uos diuersæ uoluntates: Et ut Comicus ait, quot capita tot sententiæ. Quis unquam sibi suadeat tot prælatos, tot proceres, tot ciuitates, tot incolas in unum consentire, qui ex Vngaria præficiatur in Regē: Addite quod inimici uestri circunstantes Turci, uires mox uestras contemnerent, audientes ex uobis esse creatum Regem. Cum propterea scirent uos ab omnibus Christicolis destitutos, & à Germanis præsertim, quorum sanguinem iniuria reliquissetis, quid ultra: an putandum est Regem Bosinæ Dispotumq; Rasciæ, & alios Vngariæ magnates, qui uix Sigismundum Ludouicumq; regem supra se ferebant, iam unum ex uobis æquo animo sibi dominātem pati. Taceo domum Austriæ, & comitem Ciliæ, qui nunquam ab obediētia pueri recederent. Quo circa non uideo, quomodo ex uobis eligi Rex possit, qui & hostes repellat, & regnicolis pacem præbeat. Venio extra regnum, nec quo pacto ex alijs gentibus Regem habere possitis uideo, nec enim adeo deductos uos arbitror, ut ex infidelibus Reges accipiatis, qui multis non dicam annis, sed seculis fidem Christi proprio sanguine cōtra fidelium impetus defendistis. Polonia quæ uobis Regem dare uoluit, in eo iam statu est, ut uix sibi Regē inueniat. In Almania quicunq; sunt principes regio digni fastigio Ladislao Regi arctissima iuncti sunt consanguinitate, nec quisquā est tam regendi cupidus, ut proprium sanguinem lædat. Bohemia Ladislaum respicit. Cæteræ nationes remotissimæ sunt, ex quibus si Regem uelletis uocare, & si personam haberetis: auxilium tamen per tot regiones, tot gentes, tot terrarum marisq; spatia non possetis habere. Sed concedamus esse aliquem, uel in Germania, uel alibi qui uestro uocatu, regnum accipiat, ut sit uerum quod usurpare Cæsar solebat ex Euripide, si uiolandum ius est, regnandi causa uiolandum est, in cæteris rebus pietatem colas. An propterea pacē habeatis: an Turcis resistere poteritis: an utilitatē quā uultis consequimini: Nunc hinc Australes, inde Turci regnū uestrū infestabūt. Nū partes in regno erūt, quæ nihil ociosæ fieri permittēt. Sane uiri prudentissimi & alto sanguine nati, si pacē in regno uultis habere inimicosq; Turcos procul arcere, nec populare habēdum est regimē, nec ex uobis Rex assumendus, nec in alia gente quærēdus. Quoniā in Austria hic est de quo locutus sum, & quē uos accersitis Ladislaus Alberti filius, in q̄ si nobilitatē quæritis, nemo est eo in orbe toto nobilior. Cuius paternū genus ab ipsa Iulij Cæsaris stirpe deriuatur. Sic enim domus Austriæ initium habet, in qua plurimi Romanorū Reges fuere, quæ & Bohemiæ et Poloniæ, et alijs regnis persæpe Reges dedit. Maternū gen9 ex regib. uestris ꝓdit, mater illa regina uestra Elizabeth fuit, auus Sigismundus imperator: proauus Carolus quartus. Exinde Ioānes Rex Bohemiæ, ac Henricus septimus Cæsar, qui post translationē imperij apud Germanos excellentissimi fuere. Vbi nā tanta nobilitas, tantaq; sanguinis claritudo: Certe hic potissime ex omni Christianitate dignus est, q uobis generis claritate pollētibus esse Rex debeat. Hic inter uos natus est, & in ipsa infantia coronā uestrā adeptus: nemo in regno uestro ius habet, nisi puerulus iste. Hic uobis Theutonicos omnes amicos reddere potest, atq; Bohemos cōiūgere: hic pacem uobis intrinsecam reddet, hic Dispotum & comitem Ciliæ in unum uobiscum coniunget: hic uobis Fredericū Cæsarē patruelem suum affectissimū faciet: Hic omnia dominia Austriæ, hic ducē Burgundiæ consanguineū suū et Frāciæ dominū sibi con

A sibi coniunctum in uestrum auxilium cum opus fuerit aduocabit. In hoc puero Regia Maiestas relucet, iam in puerili ætate liberalitatem ostendit ac prudentiam præ se fert singularem. Forma illi egregia & plus quàm dici possit decora, iam paternam magnanimitatem & auitam sagacitatem indicat, breui tempore grandiusculus erit ac per seipsum loqui, equitare et gubernare poterit. Cũ hoc extirpare schismaticos de regno poteritis, cum hoc Turcos repellere, Dalmatiam uendicare, & quicquid alienatum est ad coronã reducere, paceq; sancta & optima frui. Quo circa cum tãta & tam euidens utilitas appareat, si perseuerare cum Ladislao Rege uolueritis, quamuis non ut puto, uos ullo pacto absq; desiderata conclusione recessuros, ut tamen oratiunculæ meæ destinatum finem imponam, circũspectiones uestras oro, precor, obsecro, & obtestor, ut hæc tot tãtaq; regni commoda considerantes, cum Cæsare nostro omnino conueniatis, nec in eo uim faciatis. Si qd est quod uestris petitionib. diminuatur, dũmodo Rex in regni uestri aliquo loco sit, Maiestati Cæsariæ accepto. Nã nec Cæsar ipse quod iustum fuerit denegabit, qa etiam de sua utilitate agitur, cum regnũ uestrum amicũ habet. Nec moueant uos instructiones in Peste factæ. Nam & uos ipsi potissimi autores earum fuistis. Nemo moleste accipiet, si quid per uos pro regni pace fuerit imitatum. Palatinus autem & qui cum eo sentiunt allegare Pestienses ordinationes nullo modo possunt, qui ab eisdem multis iam B modis recesserunt. Sumite igitur animũ uiri præstantes, cõcludite cum Rege quocunq; potestis, dicite demũ, nullius uos Regis, nisi Ladislai dominatũ passuros. Amplectimini iustitiam pueri, recipite quæ uobis utilia esse ostendimus. Efficite ut & Vngaria tota per uestram operam se quietam & pacificam intelligat redditam, & puer ipse Ladislaus uester Vngarus, suũ regnũ per manus uestras, uestraq; studia recuperasse cognoscat, et cum uirilem togam acceperit, te Cardinalẽ qui eum baptizasti, te Vesprinensem Episcopum, qui patri suo seruiuisti, te Nicolaum Vaiuodam qui militem eum fecisti, te Ladislaum Bannum qui sanguine sibi coniungeris, te Griskona qui eius partes indefesso animo semper defendisti, te Emericũ qui auo suo charissimus fuisti, & uos omnes legatos præsentes tãquam suos tutores, suos defensores, suos parentes ueneretur, ac honoribus, dignitatibus, opibus, & omnibus officijs & beneficijs super cæteros regni proceres singulari quadam affectione & animi iocunditate prosequatur.

Congratulatur promoto in Episcopum & qualiter uiuat admonet. *Epist.* LXXIX.

Reuerendo patri & claro principi domino Ioanni de Aich, electo Eystetensi domino suo præcipuo Aeneas Syluius imperialis Cancellarius, S. P. D. seq; ipsum totum exhibet.

Fecisti benigne pater optime, qđ in literis tuis quas huc ad amicos misisti de tuo successu, mei quoq; memoriã habuisti. Nec enim Aeneã tuũ quæ tibi obuenerãt bona C ignorare noluisti, quẽ sciebas tua gaudia solide gauisurũ. Ego igitur uir præstantissime gratias in primis optimo & maximo deo refero, q te dignis honoribus extulit. Post hoc laudo magnopere capitulũ tuũ singulosq; Canonicos qui suæ ꝓuisuri Ecclesiæ, nõ ut pleriq; faciunt indoctos, imperitos, inexpertos, inertesq; sibi assumunt, sed te uirũ scientia iuris, & omniũ literarũ peritia clarum, in rebus agendis diu uersatũ apud principes & singulari solertia præditũ elegerunt. Vtinam horũ exemplũ & alij sequerentur. Nempe non sic laicorũ impressionibus ecclesiæ tererentur, si eorum gubernacula apud eos essent, quos studere sapiẽtiæ cõtigisset. Postremo tibi admodũ regratior, qui factus maior non despicis me minorem ut plerunq; fieri solet. Mos enim hominum est, ut qui infra se sunt semper contemnant. Hinc uulgo prouerbium est: Societatem hominum dirimi, quotiens alius alium dignitate uel opibus excedere cœpit. Sed ista inter plebeos cõtingunt, qui non in uirtute, sed in utilitate omnem uitæ rationem ponunt, uiri autem boni & uirtutis amatores, ut magis eleuantur eo magis amicorum meminerunt. Nec enim Affricanus iunior Lelij unquam oblitus est, aut eum paruifecit, quamuis & ipse duos consulatus cum summo populi desiderio suscepisset. Ille uero candidatus ex petitione deiectus fuerit. Nec Peritheus Architam neglexit, quamuis ipse fortunatus, ille uero captiuus esset, sed libertatẽ amico impetrauit. Amicitia nanq; quæ inter uirtuosos est, nec

uarietate

uarietate fortunæ,nec tēpore diminuitur.Ita et interesse uideo bonitate tua,qui licet iā inter antistites ecclesiarū & seculi principes sublimatus sis,qui modo priuatus fuisti, non tamen memoriam ponis,sed inter uarias occupationes quæ in principijs dignitatū adeptarum euenire solent,inter magnas curas,interq́ diuersos strepitus de me scribere non neglexisti.Iudiciū est hoc mihi maximū,firmā esse,stabilē,ꝑpetuā & immortalē beneuolentiā tuā.Verū præsul amātissime,quāuis ego mihi cōgaudeo quod amicū honorib. auctum,& in sublimi positū uideo,tibi tamē an cōgaudere debeā hæreo.Nam tuā dignitatem tuasq́ diuitias multæ curæ,multæ anxietates,multi metus sequētur.Nec enim augeri opes possunt,quin & labores crescāt,omnis potentia subiecta est inuidiæ.Qui Episcopus est in speculo sedet,omniumq́ oculos in se conuersos habet.Si bene facit,fecisse debitū dicitur:si male,linguis omniū carpitur. Adde q̄d nemo tā sanctè uiuere potest quin aliqui se offensos reputēt.Nihil est,mihi crede,in hac uita mortali durius quā Pontificatum gerere,in quo si Deo places,hominibus displices:seruare mediū arduū est. Vtcūq́ sit nauigandū est hoc pelagus,ꝓ salute cōmuni seruiendū est reipublicæ.Nec enim nobis nati sumꝰ,ut Plato dicebat,sed ortus nostri partē amici partē patria uēdicat. Ego aūt addo partē quoq́ deberi Ecclesiæ,& si nos totos obligatos sibi dixerim,q̄ nos Christo regenerauit,nō errauerim.Exinde cū te intus,& in cute norim,moderationemq́ tui animi sciā,nullū mihi dubiū est,qn tuus honor ꝑpetuus sit,cū tua sit uirtus æterna. Et quia magistratus uirū ostēdit,ut Bias ait,in hoc beneficio tuo p̄stantes animi dotes, quæ latebant,manifestabis.Sed omnia hæc cū labore multo diuersisq́ anxietatibus facies. In omnibus his tamen moneo te,p̄cor,obtestorq́,ne magis populo quā tibi uiuere studeas, metire tēpus tuū,& aliud reipublicæ tribue, aliud tibi retine.Relaxa nōnunquā curas animūq́ oblecta.Scipio Leliusq́ de quib. supra memini,quāuis magni essent uiri,& rempublicā suis ingenijs ac studijs sustinerent,nonnunq̄ tamen in Laurentē agrū exeuntes, sic se otio qetiq́ dabāt,ut cōchas umbilicosq́ legentes ad magnā diei partē iactu lapillorum oblecterentur.Oportet sic agere(mihi crede) præsul insignis. Nā qui semper seria tractat quāuis nō est mortuꝰ,tamē uiuēs moritur.Tu ergo qui iam maximā dignitatem adeptus es,effice ne te magis dignitas,quā tu illam in potestate habeas.Multi sunt modi quibus animus relaxatur:Interdū uenatibus ac piscationibus: multi sunt mētis secessus Cura ut fideles comites habeas,cū quibus non aliter quā tecū loquaris. Inter omnia hominū oblectamēta nulla maior uoluptas est,nulla iocundior,nulla securior quā cum fideles amici inuicem coëunt.Deniq́ ita est nullius boni(ut Seneca dicit)sine socio iocunda possessio.Quāto quisq́ maior est,quanto ditior,quāto potētior : tanto fideli amico magis indiget. Tibi hæc plurib. uerbis dico quā opus sit. Tu hoc partim legēdo partim inter homines uiuēdo didicisti.Fac ergo uti facto opus scis.Ego mihipsi cōgratulor q̄d te sic sublimatum audio.Scripseram tibi nuper de miserijs curialium longam epistolam, sed tu iam eo in statu ut his scriptis nō indigeas Curabo tamē ut epistolam uideas.Nam quanto maiores sunt illorum anxietates, qui principibus seruientes tædia subeant curiarum,tanto magis lætaberis cum te is liberatū uidebis. Apud Italos Anthonius Massetanus ex ordine minorū magnus uerbi Dei prædicator fuit,cui sermo tam populo acceptus erat,ut ad magnam diei partē absq́ cibo audiretur.Callebatq́ homo,& in Græcis & in Latinis literis.Hunc sua uirtus generalem ordinis magistrum fecit,post Episcopum Massetanum,non tamen tot dignitatibus auctus,sermones deseruit. Me præsente Senis prædicare de paupertate cœpit,multaq́ incōmoda pauperū,multasq́ miserias in mediū adduxit.Exinde quid dicā, inquit,tot sunt paupertatis tædia,ut nihil supra. Ego quidā gratias Deo refero qui per episcopatū his liberatus sum.Sic ergo & tu dicere potes.Nam episcopatus ex miserijs curialium te extraxit,quòd tam mihi iocundū est quā tibi utile.Tu uide,ut diues factus non sis pauper.Iam tibi facultas est,quia potes quàm multos ditare.Cura ut homines dignos promoueas.Non tamē sic te hac lege astrinxeris,quin etiam pro tuo libito aliquibus benefacias. Is cui scripsisti de tua promotione multum in te sperat: uir bonus est,& tui amantissimus. Fac ut eius notitia non sit apud te infructuosa.Inter alios autem quos dignos,& uirtute præstantes ad beneficia ecclesiastica

siastica

A siastica promoueris, si unum uel alterum indignum, aliquando aliquo beneficio subleuaueris, non erit reprahendendum, quia non uituperatur qui semel erat, sed qui magis errat quã benefacit. Concedendum est aliquid amicitiæ atq; consuetudini, non tamẽ cum præiudicio ueritatis, quãuis Aristoteles Platoni ueritatem prætulerit, meo iudicio magis famæ, quàm ueritatis amore. Vale & mihi aliquando scribe.

Petijt insigne Regis Angliæ pro amico, Epist. LXXX.

Aeneas Syluius Poeta, Reuerẽdo patri Adam de Mulin apostolicæ sedis pro *tonotario & serenissimi Regis Angliæ Secretario, S. P. D.*

TAntum est inter nos terrarũ, maris, montiũ, fluminumq;, ut raro inueniã, qui uel ad te, uel abs te ueniant. Sic fit, ut nec tu meas literas, ut uellẽ, crebras accipias, nec ego tuas uidere possum, est mihi hoc graue. Nam summopere quid rerum agas, quid'ue fortunarum habeas scire cupio. Nunc cum lator præsentium uir probus ad te uenturũ se diceret, statui hanc breuem epistolam ad te destinare. Ex qua si non multa intelligeres, tuũ saltem Aeneam bene ualere cognosceres. Verũ quia nulla petitio amici causa refutanda est. Cum uir literatus magnaq; uirtute præditus. N. Secretarius imperialis mihi amãtissimus diuisiam serenissimi principis Regis tui deferre cupiat, sitq; hoc munere dignissimus, te præcor, hortor, obtestorq;, ut hoc sibi apud Regiã Maiestatem impetratum red
B das, literasq; mihi transmittes regias per quas ei talem diuisiam ferre liceat. Quod si feceris, mihi singularem complacentiam gratiamq; conferes, & hominem dignissimum promouebis, qui diuisiæ regiæ non minus honori præstabit, quàm ipsa sibi diuisia decus præbeat, scis enim tales res illis committi deberi, qui tueri earum honorificentiam possint, sicut is est pro quo tibi scribo. Tu fac ut præces meæ sicuti consueuerunt apud te bene receptæ efficacesq; sint. Vale mihiq; omnino rescribe. In rebus Ecclesiæ breui percipies, quæ Maiestatis imperatoriæ mens existat.

Vngari spreto Ladislao regni hærede uero, Regis Poloniæ filium intruserunt, Epist. LXXXI.

Reuerendissimo in Christo patri & illustri principi domino Leonardo Episcopo, Pa *tauiensi, domino suo colẽdissimo, Aeneas Syluius Secretarius imperialis seipsum recõmendat, &c. S.P.D.*

QVamuis res Vngaricas post obitum diui Sigismũdi partim uideris, partim audiueris usq; in hanc diẽ, quo pacto sint gestæ, scripturus tamẽ ego nunc aliqua de Vngaris, cui magis quã tuæ dignationi talia dirigã non scio. Nam & si uera scripsero autoritatẽ epistolæ dabis, & si falsum aliquid intercaderit, lima tua eradetur. Referam ergo breuissime quod menti sedet, ut sciãt posteri, & à quibus impugnatũ Ladislai Regis Vngariæ ius fuerit, & à quibus defensum, ac ipse postea cum grandiusculus fuerit nostra legens scripta, si quãdo illa in manus suas deuenerit, qui de se bene, & qui male sint meriti sciat, ut illis præmia, & istis si se humiliauerint ueniam tribuat, pertinaces au
C tem in pœnã rapiat. Est enim principis officiũ parcere subiectis, & debellare superbos. Sed ne modum propositæ breuitatis excedam, narrationis hic principium erit. In Vngaria, mortuo Sigismundo, gener eius Albertus dux Austriæ regnum suscepit, qui dum uariis bellorum strepitibus fatigatur, dumq; caloribus insuetis se miscet, contracto morbo relicta Elizabeth uxore pregnante, breui tempore extinctus est. Vngari more hominum, qui nouitatibus oblectantur, reginam adeunt, regnum amplissimum multisq; hostibus circundatum, Rege carere non posse dicunt. Viduam quoque nubere admonent. Extorquent deniq; Vladislaum Poloniæ Regem adhuc ephebum uocari. Illa & si partum expectare cuperet, ubi tum precibus locum furor negat, Oratores mitti annuit, qui Vladislaum accersant. Eamq; legem adijcit, ut si marem interea pareat, nulla legationi uis insit. Dum legati uiã faciunt, priusquã Vladislaum conueniant, periente regina Ladislaus Alberti filius nascitur. Scitulus infans, & in orbe toto nobilissima progenies. Scribitur legatis, ne quid ulterius attingant. Ladislaus apud Albam regalem ex Dionysij Strigoniens. Archiepiscopi manibus coronam, quam beati Stephani fuisse sacramq; putant, inunctus recepit. Nicolaus autem Vaiuoda Transyluanus militiam illi contulit, eumq; gladio cinxit. Legati in Poloniam missi, spretis Reginæ iussibus siue corrupti auro (quis enim non munere uincitur) siue theutonici nominis odio) nam rara

nam rara inter uicinos concordia est) tanquã nihil de puero scirent Vladislaũ accedũt, D promissoq́ regno secum in Vngariam ducunt, sibiq́ Budam in aduentu tradunt. Scinditur eue stigio regnũ: & hinc Regina puerũ defendente, inde Polonis impugnantibus, infinitæ rapinæ cedesq́ fiunt. Nicolaus Vaiuoda Transyluanus, siue nouarũ cupidus rerum, siue Reginæ lacessitus iniurijs, quã enim non fidem contemptus frangit, ad Polonum deficit. Et quia ubi fortuna fauet, illic & fauor hominum se inclinat, intra paucos dies maior procerum pars Vladislaum sequitur. Erat Vladislaus adolescens, quamuis facie & corpore deformis, liberalitate tamen & animi magnitudine dignus laude. Alloquebatur populum absq́ interprete, quos uirtute præstantes uiros nouit, muneribus sibi conciliauit. Plura donauit quàm sibi retinuit. Itaq́ diues in modum regis, uideri tamen pauper poterat. Nulli rei difficili atq́ periculosæ seipsum negauit, quibus artibus & uulgi, & nobilium animos conciliauit. Fit ergo conuentus regnicolarum apud Budam: uocantur utriusq́ partis prælati atq́ Barones, tanquàm de communi totius regni utilitate sit transigendum. Et ne quis uenire formidet, literæ salui conductus, quibus libet accedentibus exhibentur, sub quarum fiducia, & Dionysius Archiepiscopus, & Ladislaus Banus de Gara Budam proficiscuntur. Sed nulla est regni societas (ut Ennius inquit) nulla pietas fidesq́ locum habet ubi dominium quæritur. Capiuntur igitur Archiepiscopus Banusq́, licet centum & amplius sigillis sese tutos arbitrarentur. Et nisi E mortem subire uelint, alter coronare nouum Regem, alter iurare & fidelitatem Polono promittere cogitur. Quod si neq́ Cato fecisset, neq́ Regulus qui uitam submittebant honori, non tamen improperandum, hoc est nostro tempore, si propter uitam facimus, quæ non uidentur facienda. Nec enim hi hodie sumus, qui pro iusticia capita nostra ponamus, quamuis et stultũ est propter iustitiã mori, si nullum iustitiæ cõmodum nullumq́ iuuamẽ mors ipsa cõtulerit. In Reginæ partib. Albertus dux Austriæ, Vlricus Ciliæ Comes cõsilio maturus, Giskra Bohemus incõcussæ uir fidei cum nonnullis ciuitatibus, & aliquibus Baronibus permanserunt. Sed Regina cum se debiliorem uidit imparẽq́ Polono, filium paruulum cum corona ad Fridericum Cæsarem trãsmittit, sibiq́ patruelem cõmendat. Archiepiscopus autem Banusq́, ut primũ libertati redditi sunt, ad Reginam redeunt, quia nõ potest esse diuturnũ, quod uiolentũ est, nec stabile fieri potest quod animis promittitur inuitis. Interiecto deinde tempore cum Regina ad colloquium cũ Polono uenisse, nonnullaq́ pacis fœdera percussisset, ex matricis dolore, qui sibi familiaris erat, uitam & regnũ amisit. Quidam eam ueneno extinctam putauere, ut sunt homines in malas suspitiones prompti, & ad criminandum magis quã laudandum nati. Post hæc cum iam Fredericus ex Rheni partibus (accepto diademate) remeasset, Iulianus sancti Angeli Cardinalis uir & ingenij & animi dotibus singularis, qui tunc apostolicæ sedis legatus, pacem in regno componere, ac exercitum contra Turcas excitare iussus erat, F Maiestatem Cæsaream apud Viennam conuenit, quem secuti sunt Vuariensis Episcopus, et Decanus Cracouiẽsis, Regis Poloniæ Oratores, alter humilitate præcipua, alter fastu maximo memorabilis: hortatiq́ Cæsarem sunt, ut & contra Turcas auxilia mitteret, & ut de pace cum Rege Poloniæ conueniret, quem Regem Vngariæ appellabant. Sed quia nec leges pacis offerebantur, quæ Ladislao regi conducerent, nec tutum erat id bellum iuuare, in quo Rex Poloniæ principatum teneret, qui post triumphum, sicut insolentes homines uictoria facit, aduersus Austriam signa uerteret, infectis rebus Iulianus atque collegæ remissi sunt. Factæ fuerunt tamen paulò post ad biennium induciæ, quibus cautum est nec partibus Ladislai Regis per Vladislaum suosq́ dari nocumentum, nec rursus turbari debere, qui Polonum sequerentur. Si quis uiolator fœderis esset, hunc ambæ partes compescerent. Rex autem Poloniæ Iuliani suasu, & instigatione regnicolarum, cum exercitu in Turcas traijcit, Cumq́ ad flumen uenisset, quod Morauam incolæ uocitant, auditum est in propinquo exercitus hostium delitescere. Item est igitur in prælium ac cum Basso conflictatum. Quo uicto duo milia hominum cesa sunt: quatuor milia capta: inter quos ductores tredecim fuere, signa militaria nouem. Sic enim Iulianus suis literis Cæsari, qui tunc in Carinthia fuit significauit. Quamuis Vladislaus

A dislaus more Polonorum, qui de magnis maiora loquuntur triginta milia hominum cecidisse suis epistolis annotauerit. Tum quoque & Sophia urbs Bulgarorũ nonnulla oppida & castella hostiũ in deditionem recepta sunt. Exinde cum fame laboraret exercitus, nec angustias Romaniæ transire liceret, (nam Turco milite custodiebantur) dimissis copijs Budam reuentum est, quàm Vladislaus cum magna totius populi letitia, quasi triumphator intrauit. Sed huius uictoriæ præter auspiciũ nihil ad eum pertinuit. Nam solus Ioannes Vaiuoda Transyluanus rei militaris expertissimus, dum decem millibus ex peditorum militum hoc bellum confecit. Fracti hac pugna Turci (nam et in Asia cõfligere cogebantur) inducias petunt, quas traditis quibusdam artibus iureiurãdo firmatas obtinuerunt. Sed audito paulopost classis aduentu, quã Pontifex Maximus Eugenius, ac Philippus Burgundorum dux in Hellespontum transmiserat, tanquã ex Asia in Europam transire Turcos prohibitura foret. Elati prioris uictoriæ successibus Vngari, suadenteq; Iuliano qui Treugas nullius momẽti fore dicebat in iussu sedis Apostolicæ, cũ hostibus Christiani nominis factas, pacem ruperunt. Collectoq; grandi exercitu terras hostium ingrediuntur, uastanteſq; ferro & igne quæcunq; obuiam fiunt, non longe ab Andrinopoli castra locant, quibus cognitis, & ipse magnus Turcus ingentes copias congregat. At si uera est fama centum milia uirorum exercitum cõflauit, traiectoq; mari, ut quidam uolunt circa Bosphorum Thraciæ (non sine magna Ianuensium infamia)
B in Europam uenit. nam & quædam Ianuensium naues præbuisse transitum illis referebantur. Cuius tamen ueri periculum ad me non recipio, nec mihi persuasum est tanta queriquã auaritia fore ut Christianum sanguinem pecunia uendat, nisi quem diabolus in modum Iudæ sibi subiecerit. Aduentus Turcorum tam subitus fuit, ut prius uenisse uisi sint hostes, quàm auditi uenire. Vbi ergo in conspectu fuere, uisaq; multitudo est pugnatorum, longe maior quàm putaretur, ingens terror Christianos inuasit (ut fit, quando ex inopinato pugnandum est) non tamen detrectauere certamen Vngari, nec regio sanguini defuit animus, sed structis ordinibus aciem educunt, committiturq; durum & atrox præliũ. At dum nostri pro fide, & illi pro perfidia pugnãt, tantũ sanguinis utrinq; effunditur, ut in modum lacus campi stagnarent. Diu certatum est æquis uiribus, dum Christiani suas acies uirtute sustentant, Turci uero numero supplent. Cum per plures horas nunc illi, nunc isti cederent, ad extremum inclinata Christianorum acie uictores euadunt Turci. Iuramentaq; non solum domesticis fidei, sed etiam hostibus seruanda demonstrant. In hoc prælio clarus adolescẽs, aut captus est, aut occisus Rex Poloniæ, nec enim adhuc æquata est noticia ueritati. Pœnas tamẽ certum est eum dedisse usurpati alieni regni, qui dum spoliare paterno regno Ladislaum quærit, suum amittit. Cæca est nimirum cupiditas hominum qui non cõtenti ciuitatibus dominari, prouincias quærunt
C post regnum, nec sic expleti, etiam regnis regna cumulare nitũtur, nescientes quia parua res est quæ uitam eripit homini, et omnibus pompis ac dominijs nudũ in momento reddit. Corpuscula nostra ubi spiritus euolauit modico sarcophago contentantur. Et tam læta sunt inter aurum gemmasq; recondita, quã inter feces hominum ferarũq; collocata. Quod si Vladislaus animaduertisset, quietus in regno suo (nam satis diuitiarũ possidebat) nunquã Vngariã attigisset. Sed secuti sunt eum Varadiensis & Agriensis episcopi, qui regnum in diuisionem adduxerant, pluresq; alij proceres dominiq; potentes, qui dũ incõsultius quã audaciter præliantur, hostium gladijs occubuerũt. Cæsa ex ambabus partibus circiter quadraginta milia referũtur. Nam & cruẽta lugubrisq; uictoria hostibus fuit, qui ut erant numero plures, sic etiã ex suis plures ceciderũt. Iulianus Cardinalis in bello uulneratus est, ac dum fugit amisso sanguine deficiens apud paludẽ quandam impijs Vngarorum manibus non ex uoluntate nobilitatis, sed ex furore plebis occisus est. Clarumq; illum spiritum emisit, qui quondam suaui oratione Generale Cõcilium, cunctosq; patres Basileæ cõgregatos ex arbitrio suo gubernauit. Paucissimi ex tanto exercitu superfuerunt, eosq; non tantũ fuga liberauit quantũ hostium timor, qui dũ se uictos arbitrãtur persequi fugiẽtes negligunt. Diu post mors Vladislai & Iuliani incredita fuerat, quidam nanque ut inuictæ uirtutis illos sciebant, sic & immortales esse

rebantur, quæ res per plures menses absq; nouitate regnum suspendit. Laurentius præterea Palatinus Vngariæ, acri uir ingenio, nouas indies literas confingebat, quibus populi mentes pasceret. Nunc Vladislaum in Polonia sospitẽ esse, nunc intra dies paucos uenturum asserens. At ubi demum comperta mendacia autori abrogarunt fidem (sic enim plectitur mendax, ut dum credi sibi falsa uult etiam in ueris repellatur) conuentum regni habere placuit. Et quia Palatinus Budã clauserat in Peste, qui locus pars Budæ trans Danubium censetur cõgregatio facta est. quod ut accepi loci nomine sum exterritus. Sicut & Pompeium cum in Cyprum uenisset Cato Basilea deterruit, quod mala regina interpretatur. Mihi quidem in Peste quod in malum sonat nihil boni uidebatur posse concludi, nec adhuc meliorem spem habeo. Illic prælati baronesq; regni cõuenientes unanimi uoto Ladislaum Alberti filium in regẽ eligunt, uicarios regni ordinãt, decreta pro communi pace faciunt, & Oratores nominant, qui ad Cæsarem petituri puerum destinẽtur. Placet tamen in Poloniã mitti inuestigariq; Regem, ac certo tempore noticiã expectari. Nuncius in Poloniam missus matrem Regis allocutus nihil certi reperit. Labitur expectationis terminus. Tum oratores iter arripiunt, sed interim Gimzeses Vngari qui plura latrocinia in dominijs Austriæ cõmiserãt, crudeliores sese dietim ostendentes, mansuetudinẽ Cæsaris ad iracundiam prouocarũt, qui præparato exercitu intra paucos dies eos in muris clausit, obsidione cinxit, & ad deditionẽ cõpulit. Quo cognito, maturatur Oratorum aduentus. Interuenientibusq; tractatibus Cæsar qui Budam usq; cum exercitu profecturus fuerat, audituros Vngaros dimissa militia Viennam redijt. Iam Giscra Bohemus rerum omniũ gnarus, antequã Cæsar in Campo foret, Nouam ciuitatem intrauerat, & quæ facturi essent Vngari prædixerãt. Is præsentiã Regis Ladislai desiderauit, ad quẽ cũ uenisset puerulũq; cõspexisset cõlachrymatus est. Et, heu quãtos, inquit, pro te labores subij, & qt adiui pericula, quantũ sanguinis perdidi. Sed tu hæc per ætatẽ nõ intelligis, utinã tantũ mihi uitæ detur quod tu sensate loqui possis, & q tibi cum fide seruiuerunt cognoscere. Nonnullaq; munera puero cõtulit. Tum Ioannes magister cameræ imperialis, q tũc forte aderat, hic inquit, Serenissime princeps, diu tuas partes in Vngaria tutatus est, hic tuus dux, tuus tutor, tuus defensor, tuusq; rector est. Cur nõ sibi stipendiũ præbes. Ad hæc puell9 diuino quodã spiritu ductus, apertis loculis qui iuxta philacterias Ioãnis pendebant, sex nũmos recepit, Giscræq; tradidit, quos ille filo aureo ad collum suspendit, & usq; in hanc diẽ ob memoriã puerilis liberalitatis secum defert. Sed remeante ab obsidione Cæsare, ex his q regni legati fuerant deputati, Dionysius Cardinalis archiepiscopus Strigoniẽsis uenit, magnæ prudentiæ & integritatis pater, cum eo & Ladislaus Bãnus profect9 est magni generis uir. Nicolaus aũt Vaiuoda Palatini uerbo retentus quatuor ex amicis suis transmisit. Cum istis & Giscra tanquã regnicolam se cõiunxit. Interea comes Georius, comes Croacẽsis, Osuuald9 de Rosgen ad Cæsarem profecti sunt, sciturи res Vngariæ, quẽ exitum sortirentur. Petitio legatorum fuit, qa regnum in Peste conueniens Ladislaum Alberti filium in Regem delegit. Oramus te Cæsar hunc ad albam regalem cum sancta corona nobis assignes. Nam & ibi coronare eum uolumus & sibi, ut par est, homagia præstare, post hac satis erit si eum in regno coronamq; habuerimus, uerba alia fuerunt sentẽtia tamẽ ista. Respõsum est, qui coronatus sit, eũ nõ amplius coronandũ esse, Ladislao & paterno, & auito, & materno iure regnũ deberi Vngariæ. Bene tamen fecisse Vngaros, qui uerũ suũ hæredẽ non alium elegerũt. Quod in regno puer teneatur non esse inuitum Cæsari, quãuis & alia regna eum respiciant & alia dominia. Pluraq; alia dicta sunt, ut est in curijs principum mos, ad ostentationem magis, quã ad ueritatem. Cum pluribus utrinq; tractatibus habitis, nulla concordia inueniri posset, Nicolaum Vaiuodã accersiri placuit. Ad quem Ladislaus Bannus, & nonnulli alij missi sunt. Sed is nescio qua diffidentia motus uenire noluit, nisi & aliqui ex consilio Cæsaris ad eum mitterentur, ob quã causam Vlricus comes de Schauenburg adolescens supra ætatem prudens, cuius pater ob singularem sapientiam Alberto Regi acceptissimus fuit, & modo apud Fredericũ Cæsarem percarus est. In quouis magno negotio cõsultus habetur. Tum & Caspar Schlick Cancellarius ingenio celeri, cõsilio graui,

A lio graui,& in Vngaria notissimus cum plerisq; alijs destinati sunt. Hi apud Sopronium conuenientes, Nicolaum in quadam uilla commorantem accesserunt,multis uerbis ac promissionibus,ut Viennam peteret induxerunt. Nullius tamen uerba magis eum moueret quã Casparis, quem ipse cum Sigismūdo et Alberto Cæsaribus potestate uiderat, & in primis acceptū. Is ergo in celebritate diui Hieronymi Viennam ingressus est. Comites illi erant Matthias episcopus Vesprunens. antiquus regni Cancellarius,uir corpore breuis, sed honesta facie atq; canitie uenerabilis. Aderat & Emericus de Marcellis, curiæ quondam regiæ magister,antiquisq; regibus charus,plures etiam alij uenerant domi nobiles equitatus circiter quingentarum personarum. Fuerunt loricati ducenti, quadrigæ quatuor atq; uiginti. Cæsar illi cum omni militia Sigismundoq; duci uiuaci & animoso iuueni extra portas obuiam iuit. In præmissis quæ Vaiuodam mouerent,ne in cōspectu suo equum descenderet,nescitur. Sic enim hodie imperij dignitas attenuata est, ut uix illi comites caput inclinent,cui maximi reges sese solebant ad terram prosternere. Sed est omnium potestatum finis. Nec Romanum imperium,ut Vergilius credidit, sine fine datum est,quod sic iam uidetur ægrotum,ut de sepultura magis quã de medico sit cogitandum. Pomposus ergo Nicolai aduentus fuit. Cui et Cæsar obuiam processit, & omnis ciuitas quasi ad spectaculum effusa est. Vngarorum quoq; intuitu Ladislaus

B puer,qui tūc in arce Schaduuiens. ubi Stiriam Austria terminat,tanquã in munitissimo loco tenebatur usq; in Lachsenburg deductus est. Postq; finitis solennitatibus ad tractatus reuentū est. Nicolaus eadē postulauit quæ Cardinalis atq; collegæ prius petierant. Dum uariæ locutiones habentur, Vngari qui consilium Regis intrabant cum alijs Vngaris usq; ad probrum contēderūt. Giscra quoq; Nicolaum iurgio aggressus est,quod is noua quadã coronatione,se,qui fidē mutauerat,iustum ostendere uellet & alios qui fidem incōcussam tenuerãt,reprobare. Dolebat ei Giscra quod amplius in consilio Vngarorum non reciperetur,sed clam eo singula fierent. Itaq; postea in Cæsario cōsilio receptus est. Et quãuis industria Casparis Cãcellarij & aliorum amicorū recōciliatus Nicolao fuerit, Vngarorū tamen consilijs noluit interesse. Post hæc cū iam Vngari in conuiuio cum Cæsare fuissent, pluraq; tractata in uanum uiderētur,ultimū respōsum postulatum est,quod in hanc fere sententiã Cæsar dedit: Coronationē nouã quãuis necessaria non esset,unctione omissa pro pace & unione regni permissurum se fore. Velle tamen publicis regni literis caueri,primam proprerea nullatenus uiolari coronationem,securitatemq; dari,& puerum & coronam post hæc sibi restitui,quos in Posonio qui est regni locus insignis nutrire uellet,si nomine pueri,cuius est arx sibi contrasignaretur. Obligationem quã Vngari petebant,absq; uoluntate uicariorum regni puerū non abduci fieri non decere. Quia Cæsari solum tanquã proximo consanguineo,& per matrē & alios cō-

C mendatus ille fuisset. Promittebat tamē literisq; firmaturum Cæsar dicebat deficiēte puero,nec coronam,nec castrū Posonij alienari à regno,uiderīq; sibi bonum dicebat, prælatos ac Barones regni apud Posonium cōuenire,ubi de modo celebrandæ coronationis cum securitate,deq; regno gubernando cōcluderent. Super quibus rebus si potestatem Vngari haberent regni nomine statim se cū eis determinationē facturū aiebat. Sin autē hortatus est talia cōmunitatē regni deduci,respōsumq; mitti. Nouitates autem fieri magnopere dissuasit,prædicens eis uerū Vngariæ Regem esse Ladislaum,nec sine ipso pacem inuenire posse,cuius fundamentum est iustitia. Quo responso conturbati Vngari mox se recessuros aiebant. Sed quamprimum ad diuersoria redierunt,uocato Vlrico Ciliæ comite uiro cordato atq; sagaci,qui propter huiusmodi tractatus aduenerat. Casparum quoq; Cancellarium appellauere(nam & sibi magnam fidem habebat) tum quia industrium uirum cognoscebant, tum quod eum Cæsari acceptum putabant. Ex respōsionibus quæ ferri omnes ex ipsius ore pronunciabantur. His autem Vngari respōsum Cæsaris iniustū esse,futurumq; regno ingratū. Contra Caspar atq; Vlricus omnia æqua dicunt quæ Cæsar responderit mirariq; se Vngaros Tamaridos sterilesq; uenisse,ut neque unam regni arcem assignari Ladislao possent,in qua post coronationem iuxta decus regium habitaret. Quid multa? Nolumus,inquiunt Vngari,sic nudi recedere. Sunt

etiam alia si uultis,in quibus conueniri potest. Arx Posonij in potestate nostra non est. Sed Albā regalē Cæsari trademus, qui eam dū coronatio celebratur,suo arbitrio muniat,nec plures introire permittat quā uelit. Nos q sumus hic ex Vngaria,& tu comes Ciliæ cum Giscra fidē Cæsari demus,puerum,celebrata coronatione,ad Hamburgā quod est Austriæ oppidū restituere. Coronā in manib. uicariorū regni seruari uolumus. Aut si hoc nō placet sub tua custodia ponetur Vlrice. Tum quoq; & Alba regalis Nicolao Vaiuoda reddenda erit. Referuntur hæc Cæsari. Quidam laudant, quidam improbrāt. Comites Croaciæ,& hi quorum longe diuersa sententia fuit,aiunt Vngaros humiles factos nonnulla iusta promittere,multa tamen plura promissuros si propositū teneatur. Exinde quod semel responsum est minime placet mutari. Nam quod reges dicant, fixū & solidum esse debere contenditur inconstantiam,cum in priuatis hominibus uitanda sit,in regibus detestabilem esse, quorum uerba pro legibus recipiuntur. Rursus Vngari quæ supra retulimus,offerunt adijciuntq;: Coronam quoque in manus Cæsaris se reddituros. Caueri tamen uolunt,ne uel pueri,uel Cæsaris morte à regno possit alienari. Cæsar in Cōsilio,postquàm hoc audiuit, Graue est, inquit,uiri consulares, si Vngaris non cōfidimus,regnum puero perdere, sed grauius est cōfidendo regno puerum amittere. Consulite in medium mihi iurati fidelesq; estis. Nam defuerunt qui dicerēt regnum manifeste perdendum esse,nisi fides habeatur,de puero dubium esse,nec uideri causam cur puerum regnicolæ perdituri crederentur. Nihil tamen in consilio plus reperiri potuit quàm prius. Sic re infecta Vngari recesserunt, quos Cæsar extra urbem comitatus est. Cum rogaretur Nicolaus regem suum uisere, qui suo proximus erat itineri. Nescio adhuc,inquit, quem Regem sim habiturus. Nec puerum hunc uenerabor,nisi prius sciuero meum esse dominum. Quidam ex Vngaris aiebant Ladislaum se Regem habere, nec sibi quicquā imputādum, qui per ætatem loqui nō posset. Ac propterea complures eorum suum adiuerūt,muneraq; puero tradiderūt,& quasi diuinum aliquod numē intuerentur,genibus flexis multas lachrymas ante ipsum effuderūt. Vesprunēsis antistes, O,inquit, generosissime puer, dabit ne unquam Deus ut prius te in regno uideā quàm hæc senectus deficiat. Cresce puer cresce, nemo te uiuo regnum Vngariæ tibi surripiet. Dionysius autem Cardinalis magnam auri copiam in manus regis dedit, osculatusq; puerum,heu quot,inquit,labores pro te subiui: quot damna sustinui: quot me periculis subieci: sed omnia mihi dulcia forent,si te semel in regno uiderem. Mansitq; triduo post apud Cæsarem. Sic res cum Vngaris acta est. Accepi exinde conuentum regni apud Albam regalem breui habendum esse, ubi responsum Cæsaris ad notitiam regnicularum deducatur. Faxit Deus ut quod Pestis reliquit infectum, alba ipsa perficiat,& pro regni salute,& pro iure pueri,de qua re non despero,cum Dispotus Restiæ,Comes Ciliæ, Giscra,archiepiscopus Strigoniensis,Comes Georgius Rosgonensis,tam firmiter pueri partes teneat, ut nulla regnicolarum possint suasione nullaq; uiolentia mutari. Nec uideo quem possint Vngari Regem habere nisi Ladislaum puerum, qui & auito & paterno atque materno iure Vngaris imperare debet. Ex Vngaria post hæc nouitates allatæ sunt, Ioannem Vaiuodam Transyluanum aduersus Turcos conflictasse, & quamuis fœlici bello quædam castella prius obtinuisset,ad extremū tamen mutata fortuna,quæ nulli perpetuo bona est,ingentē gloriam quā priorib. annis adeptus pugnando fuerat,uictum occisumq; maculasse. Veritas tamen rei adhuc in obscuro est. Classis Eugeniana quam in Ponto fuisse diximus,per Histrum contra fluminis impetum nauigando Christianis,dum hæc fiebāt,opitulabatur. Nunc quid rerum agat, incertum est. In Bohemia per eos qui parum fidei habent, nouæ res parantur, quæ nisi præpediātur in earum ortu,postquā creuerint difficile poterint emendari: Malum cum nascitur,cumq; recens est,absq; negotio raditur,cum adultum est difficile extinguitur. In Italia contra Franciscum comitem Eugenius armis Regis Arragonum pugnat,estq; superior: sed omnis euentus belli dubius est,sæpe qui uictus uidetur,uictor exurgit. Nemo uerè uicit nisi qui domum reuersus,sibi suisq; subditis pacem fecit. Bononienses post occisionem Hannibalis,Beutinolij,& Baptistæ per ducē multi obsidione cincti sunt: Veneti & Florentini

A rentini eos iuuant. Si Cæsar cum aliquo exercitu Italiam peteret, omnium harum rerum moderator existeret: sed non sapiunt hæc nobis, nec nos alijs sapimus, ut homines imperare sciunt, sic subditos habent obedientes. Nisi uos Germani ad quos imperium translatum est, maiorem reipublicæ curam habuerit, timeo ne diues illa & insignis Italorum tellus, quæ quondam imperij caput fuit, & adhuc sub imperio se fore fatetur, in alias deducta manus, & nomen mutet & iugum. Hæc fuerunt quæ nunc tuæ. R.P. scribenda putabam. Cætera quæ apud nos aguntur ex consiliarijs regis, qui nunc in Sueuiam mittuntur, audire poteris. Nam et per Pataniam, ut arbitror, uiam facient. Ego me tuæ R.P. commissum do, cui sum assidue parere pronus.

Fortunæ qualitas cur non omnibus sit æqualis. *Epist.* LXXXII.

Aeneas Syluius Poeta, Ioani Campisio præstanti Philosopho, S. P. D.

Attulit mihi tandem literas tuas Guido tabellarius, sed illas prius secum Coloniam detulit, totamque Belgitam regionem illis ostendit. Itaque si uiarum longitudinem penses, miraberis tam cito mihi restitutas fuisse: si pericula itineris, cogites monstri simile est, eas me potuisse conuenire. In altero igitur Guidonis diligentia, in altero celeritas commendanda est, in utroque fides. Sed credo eloquentiā quoque hominis adiumento fuisse, qui mollire latronum feroces animos potuerit, multum quoque suæ uestes iuuerint inopiā præ se ferentes. Cantat enim uacuus corā latrone uiator. Vt cunque B sit gratias illi habeo, qui tua mihi scripta reddidit, quique omnia quæ in Italia gerebātur retulit. Idem faciet ad te reuersus quicquid Renēses agāt, quicquid Bauari, quicquid Australes, Bohemi, Saxones, Poloni, ex eo scies, imo & Prutenorū, & Lituanorum actus tibi exponet. Quia si Daciam, Norbegiam, & ipsam Barbararum gentiū matrem, Scantiam insulam, ex qua Gothi digressi, uniuersam terrā inuasere, uolueris noscere, & quid illic agatur scire, Guidonem percontare. Non maior illi respondendi, quàm tibi quærendi labor erit. Quis enim facundus & sciens dicendo laborat? Magna huius est eloquentia, scientia maior. Nihil interrogabis ex eo frustra, sic est imbutus peritusque omniū. Sunt præterea multæ in eo rimæ: Itaque fluunt ex eo nouitates passim, & non quærentibus quoque ultro se ingerunt: Hæc de Guidone satis, quē cum audies, uel amplius ex meis literis desiderabis. Video ex tuis literis meas epistolas, in quibus de summo pœnitētiariatus officio reuerendissimo communi hero nostro collato congaudebā, ad te minime peruenisse. Nam plura in illis tetigi, ad quæ non respondes: similiter & tuas aliquas mihi scriptas arbitror, quæ manus meas nō attigerūt, qa nō sunt omnes tabellarij Guidoni similes. Agnoui te Senas iturū uisurumque Philosophandi domū, utinā potuissem illic esse tecum, dulcemque patriam uisere, & amicos ueteres. O quales amplexus, & quæ uerba inter nos fuissent, dum ueteris amicitiæ mentio incidisset, sed nō sunt hæc fata nostra, ut C simul possimus uiuere. Tu Rānisiam arguis, quod tibi nō multa largitur, tibique non arridet, uti plerisque indoctis ignauisque uiris, sed uide an bene facias. Mihique sæpius huius Deæ quā fortunā dicimus, acta cōsideranti, altior quædā cogitatio nata est, ut illam nō cæcā, sicut Poetæ finxerūt, esse censeam, sed admodū oculatā. Nam quod aiunt eam iniquam rerum huius seculi dispensatricem, non uideo uerū esse: dicūt ei industrios homines paupertate grauari, ignaros aūt fortunæ beneficio maximas opes possidere. Sed mihi nō sic uidetur, ponamque in te exemplum. Ego te ditiorem puto, nō dicam Cosmo medico, sed pluribus regibus. Diuitiæ nanque maximæ sunt lege naturæ composita paupertas. Ego scio mi Ioānes, multo tibi plus uideri XXX aureos quā alijs quibusdam XXX milia. Fortuna igitur non ignara conditionis humanæ, quos uidet aptos modico uiuere, non curat in eos multa congerere, quia non indigent. At ignaui nisi pecunijs abundent, despectui sunt, abiecti, miseri, quibus cur uituperetur fortuna subsidia præbens, haud scio. Sed cui hæc ipse dico? Nempe qui ea melius multo me norit, qui non permutaret cum opibus Cresi scientiam suam. Vnam hoc addam tuumque iudicium expetam. Communis Philosophorum, nisi fallor, opinio est, animi bona extra fortunæ potestatē existere. Quæro ego an hoc elidi quapiā ratione queat? si tuum acumē admoueris, scio, dices non absque fortunæ benignitate quosdā magna intellectus luce uigere. Nā nisi talia sibi orga-

na fortuna ministraffet,& nisi bene alitus fuisset illis, quãuis postea sæpe iuuerit, nũquã talis euasisset. Sint ergo contenti homines docti, si absq; magnis opibus, magnam scientiam sunt adepti. Namq; si ex duobus alterum duntaxat habendum sit, nemo sapiẽs doctrinæ diuitias anteponet. Locus est hic altior quàm epistolaris breuitas quæat amplecti, atque idcirco taceo quamuis tecum pol paucissimis opus sit. Nemo contentus est mi Ioannes, nisi qui Deo se dedit, & in illo iactauit cogitatus suos. Qui mundo seruiunt, quanti suis diuitijs honoribus potentijsq; fruantur, semper tamen pauperes sunt, anxij, timidi, miserijsq; infinitis expositi. Delatorem illum si fugitas, probo laudoq;. Nã quid detur tibi aut quid opponatur tibi ad linguam dolosam? uenenum aspidum sub labijs eorũ quo possunt omniũ beneficiorũ merita uno momento extinguere. Inueniet ille tamen aliquando qui uicem reddat, nec scio an Mithridatis antidoto poterit uti, qui non solum priuata negocia, sed etiã publica labefactat. De Politicis Aristotelis iamdiu tibi scripseram, sed quia non habuisti literas, sic res se habet: Volumẽ est usq; ad octauũ librum completum. Itaq; magnum mihi munus erit, si finem mihi transmiseris. Petrũ Noxetanum laudo, qui Romanos calores & uxoris ignes fugiens, Florentiã perrexit: quãuis & uxor secuta fuerit. Res enim lætifera est in Augusto, si Romæ sis, uxori operã dare. At ꝑpterea bene fecerũt ueteres q sacerdotũ curiã, illic collocarũt, uxoribus enim carent. Curiã Cæsaris quã uxorati sequuntur, in septentrionẽ transferri par fuit. Caluũ tam cõmendo quã Iuuenalis Vrsidium, si mechorũ notissimus olim stulta maritali iam porrigit ora capistro. Sapientius Reuerẽdus pater Contes noster, qui se religioni dedit, ubi & sibi, & Deo seruiat (nã cætera uana sunt, fluxa, caduca) huic me cõmendes uolo, simulq; Richardo nostro, cuius ni fallor, manu tua epistola scripta fuit. De nouitatibus harũ partium nihil est quod scribã, nisi dux Ludouicus Bauariæ senior, quẽ filius in carcerem coniecit, mortuo crudeli nato, sperauit se liberũ esse: sed incidit manus Marchionis Alberti, qui eũ durius tenet. Nũc de sua liberatione tractatur: docent nos hæc, & armant ad patientiã, quãdo tam insignes principes ruere uidemus, & nũc exiliũ, nũc carceres exilio peiores pati. Nullus hominũ status firmus est, nemo sibi crastinum repromittere potest. Quid nos mortẽ accusamus, quæ nos mille pericula subdituros liberat? Longa dies longas miserias parit. Ago ingẽtes grates Reuerẽdissimo domino meo Hadriensi qui, ut ais, ob mei memoriã te cõuiuio excepit, nam quãuis sibi ex teipso charissimus sis, facile tamẽ tibi do fidẽ meã ob causam quoq; plusculũ te amari. Sic enim de sua erga me humanitate percepi dum Romæ forẽ. Ex eo præcor sciscite, an suas literas percepit, & an gratæ fuerint. Nam si aliquid mutandum est, id propere fiet, neque difficultas erit, nec mora in me: Sed in Cæsari minor, qui libenter tanto patri morem gerit. Cõmenda me sibi, & dede quantulus sum, Reuerendissimis dominis meis Tarentino & Cumano. Credo etiam si taceam, me commendabis, & quæ noua scribo, cõmunicabis, quamuis parui momenti sint apud uos, qui more hominum solum, quæ propè sunt, et quæ uel prodesse possunt, magnifacitis. Vegio salutes dicito, quas nosti oportere, nam uetus amicitia extincta non est, nec potest extingui dum uiuimus. Nouariensem antistitem puto repatriasse, & eam ob rem non sibi literas Orestem quem misit, non accepi, nec latorem monachum usquam uidi, quamuis in curia semper fuerim. Medicũ illum nostrum credo dietim fieri mediciorem, donec uena incidatur. Mira est hæc uinea, quæ tot flores facit, & nunquam uuas. Iulianum ne prætereas, quem in calce epistolæ pono, ut magis memoriæ insideat. Vale & scribe ut soles.

Consulatur amicum super fuga amasiæ, *Epist. LXXXIII.*

Aeneas Syluius Poëta, domino Ioanni Frund Secretario
insignis ciuitatis Coloniæ, S. P. D.

PLura tibi per hos dies scripsi, si literas meas suscepisti, lætus sum, quod si secus accidit, ægrefero. Multa enim ferunt quæ alienas manus incidere noluissem. Vtcunque sit, pauca modo, ut me recipias, uelim, amicorum more qui tristia dolent, & læta gaudent, quæ amicis accidunt. Ioãnes Secretarius Nurenbergensis, uir bonus doctusq; & tui amantissimus ad nos iam reuersus est, atq; te mœstum reliquisse. Nam & Capito-

A sina clades te quædam affecerat. Nescio quid ex capitolio fugerit quod animum conturbarit tuum. His retulit suo in recessu te adeo dolentem fuisse, ut ne uerbum effari posses. Non enim intellexi ego uirum. Dicebat enim in capitolio fuit: Illuc ibat, Ioannes sæpe, delitias ibi habuit: Aufugerunt, doluit, non inueniuntur. Nimis perplexe locutus est. Non potui, quid rerum esset, agnoscere: solum te mœstum percepi, nec consolationem recipere uelle. Mi Ioannes, ego te uirum esse noui, ubi iam mutatus es, quid est quod te queat sic alienare? Viri est sic suas rationes constituere, ut nihil noui possit accidere. Animaduertenda sunt omnia futura, & præparandus est animus ad ea ferenda, si accidãt mala. Nam quæ præuisa sunt minus ferunt iacula. Si amicus mortuus est, moriturum scire debebas. Si perditæ opes sunt, sciendum erat hæc fortunæ bona ad nutum fortunæ ponenda fore. Si amica recessit, consideranda fuit instabilitas mulierum, quarũ uoluntas in horas mutatur. Nihil incertius animo fœmineo. Nullus amor fœminæ diu durat. Fallax est animal mulier, uarium, crudele, absq; fide, plenũ dolis. Verum cũ omnibus infideles sunt fœminæ, senibus quidem infidelissimæ sunt. Tu mi Ioannes in uesperum mecum pergis, nihil est quod uel tibi uel mihi cum fœminis conueniat: derisui sumus & fabulæ, nulla nos sequitur nisi quæstus causa: absit hoc maledictum à nobis genus, quod & bursam exhaurit, & animam occidit. Nempe mi Ioannes si abijt fœmina, non te læsit, sed alium læsura recessit. Gaude quia fugit. Ego hæc dico quia mihi sic uidetur dictum Ioan-
B nis Nurenbergensis iudicare, uescio an uerum sit: si sit aliud, teipsum cura. Nihil est tam acerbum quod tempus non minuat. Consule tibi mi Ioannes & merorem pone. Nam qui tristatur ob rem perditam, seipsum cruciat, & tamen quod perdidit non recuperat: & ut rustici dicunt, Centum libræ mœstitiæ, unciam debiti non exoluunt. Vale.

Etsi se indignum laudis dicat, profitetur tamen ex laude iocundari. *Epist. LXXXIIII.*

Aeneas Syluius Poëta, domino Ioanni Scindel singulari astronomo, uiroq; probatissimo, *S. P. D.*

REuersus nunc ad Cæsarẽ insignis miles Procopius de Rabenstein tui meiq; amantissimus retulit, quod mihi summæ uoluptati fuit, me tibi dilectum esse measq; literas quas sæpe ad amicos scribo, tuo iudicio admodum commendari: utrunque apud me mirum est. Quid enim in me est quod à te uiro laudatissimo diligi debeat? Quid rursum epistolæ meæ in se habent quod laude dignum uideatur? Nihil ego unquam erga te boni operatus sum. Mores mei communes sunt, uiuo ut uulgus hominum facit, nulla singularitas in me est, nulla præstantia, nulla uirtus quæ non alijs communis sit. Epistolæ meæ planæ sunt, apertum stilum habent, currenti calamo picti sunt: nihil his commissum est, quod in sermone uulgari non cadat. Non est in illis ornatus, non lepos, non grauitas. Nudæ sunt & solum animi mei indices. Cur ergo uel me colas
C uel illas magnifacias non scio, nisi quod homines sunt quidam tanta bonitate præditi, ut omnia commendent. E contra quoque malitia tanta quorundam est, ut omnia quæ uident quæq; audiunt, uituperent. Tu inter primos numerari uis, & sapis certe, qui laudando potius quàm uituperando uis excedere. Verum tua laus, quàm mihi adscribis, & si meritum excedit meum, mihi tamen iocunda est. Quis enim non potius indignam laudem quàm indignum uituperium ferat? At quia laus ea demum dulcis est quæ à laudato uiro procedit, magno me munere donatum arbitror, dum tuis me uerbis extolli audio. Sumus enim omnes cupidi laudis, & ut Cicero dicit, optimus quisque cupiditate gloriæ tangitur. Leuiculus ille Demosthenes, etiam susurro mulierculæ aquam ferentis oblectari se dicebat, dum audiret se transeunte, hic est ille Demosthenes qui & senatum & theatrum suæ orationis ui moderatur. Oblector ergo & ego dum me tuis uerbis commendari percipio, quamuis non sum is quem tu iudicas. Plerique hoc uituperãt, uellentq; potius contemni quàm laudari. Verũ ego has laudes tuas non ad iactantiam, quia mihi sum cõscius, sed ad incitamenta uirtutum recipio, daturus operam ut talis sim qualem me prædicas, ne fama, quàm de me uulgo præbes, omnino sit irrita. Plura in hanc sententiã dicere possem, sed absit hoc loco disputatio, facessant argumẽta. Agamus inuicẽ ut amicorũ est. Nunquã ego te uidi, neq; tu me, uti arbitror, ut

disti, sed tua fama facit ut te unicè obseruē. Nam seculi nostri præcipuū decus censeris, q & syderum cursus, & futuras tempestates, & pestes, & steriles & fertiles annos unicus uerè prædicere noris. Hinc te amo, colo, obseruo, sumq; tu9. Nā uirtus huiusmodi est ut & quos nunquā uidimus, amare nos faciat. Hinc ueteres illos Fabios Scipiones, Fabricios, Corum Canos cæterosq; uirtute præstātes, qui multis ante nos seculis uitam exuerunt, etiam mortuos diligimus. Sicut fundatores nostræ fidei, uel apostolos uel martyres singulari deuotione & affectu ueneramur. Virtus namq; sui natura amabilis est, uitium uero odibile. Tu ergo uir præstantissime, iure à me ameris, qui tua singulari ac præstanti uirtute nostrum ornas seculum. Me cur tu diligas non scio, ut tamen diligere non cesses oro & obsecro. Magnifacio namq; tuum amorem et ornari me tua dilectione nō ambigo. Perseuera igitur, nam etsi non sum quem reris, is tamen sum qui diligentes me reciprocè diligo, totisq; uiribus amo. Vale.

Refert grates de Biblia comparata, Epist. LXXXV.

Aneas Syluius Poëta, imperialisq; secretarius domino Ioanni *Thuskoni uiro præstanti, S. P. D.*

PRocopius eques Bohemus cui de Rabenstain cognomen est, uir singularis modestiæ Bibliam quam ex te concupiui, ad me detulit. Ago tibi gratias ingentes: uolumen namq; id est quod circumferri commode posit. Precium uero minus fuit quā tanta scripta mererentur. Fecisti ut amicum decet. Rem meam quasi tuam curasti. Pecuniam ego statim Procopio numeraui qui eam tibi restituet. Nihil plus quod in hac re dicere sit necessarium: Inter amicos namq; prohibita est uerbositas. Tu scis qui sim. Si quid est quod me uelis iubere, potes: nunquam tuis optatibus me repugnantem inuenies. Vidi quam scripsisti cancellario schedulam in rebuspublicis. Is nunc abest, in Sueuiam missus. Summam scriptorum tuorum quatenus opus fuit, Regiæ Maiestati exposui. Sed nihil ad rem quod mihi placeat, responsum est. Ego suadeo ut sibi quisq; consulat. Neminem tamen persecutio quamuis maxima ex recto fidei tramite depellat. Venceslaum nostrum si quando uides, meis uerbis saluum iubet, dicitoq; nullum sacerdotium tanti esse ut calamum sumere dedignetur. Vale & me ut soles ama.

Suadet pacem particularem ubi uniuersalis haberi non potest, & prohibet mendacijs uti, Epist. LXXXVI.

Aeneas Syluius Poëta, magnifico & generoso uiro Caspari *Schlick imperiali Cancellario, S. P. D.*

LEonardo equiti nobili qui in Saxoniam missus est, uerbosas literas commendaui, ex itinere ut tuæ magnificentiæ transmitteret, tuncq; singula scripta digna recensui, siue rempublicam siue priuatam tuam concernerent. Spero illas in manus tuas delatum iri, nisi iam delatæ fuerint. Non igitur quæ tunc scripsi, hoc loco repetam, ne sim uerbosior, ne dicam tædiosior. Post hæc dum essem in aula regia casu, comperi Franciscum Strasoldium insignem equitem tuiq; obseruantissimum. Percontatus sum ex eo quid cum Pancratio gestum esset. Is ait uenturum se ad me, relaturumq; omnia ex ordine sicut actum est. Conuenit me homo in Cancellaria, legationemq; suam & Pancratij responsionem exposuit, nec contentus his, ut est uir diligens & amicus amici, suscepto calamo literarum omnium rerum indices ad te deferendas dictauit, mihiq; tradidit, quas cum potestatibus transmitto. Nec plura in hoc dico, quia ex Francisco plenissimam instructionem recipies. Solum consulo, ut quæ pacis sunt, amplectaris & consideres nequitiam temporis. Non enim ut uolumus, sed ut possumus uiuendum est. Coaptanda est tempori uita nostra. Mihi ex integro non uidetur Vngaria nostris temporibus pacē habitura. Quod si qua uia est ut priuatim sit pax in bonis tuis id probo, commendo, suadeo. Tabellarius qui ex Vngaria uenit, ait, In festo diui Nicolai cōuētum regni apud Albam regalem esse habēdum uenturumq; illuc Poloniæ Regem, ut est hominū audacia, cōfirmauit. Mira res si tanto tēpore uel mors uel uita unius hominis ignorari potest. Quibusdā mentiri utile est, dum se sic exaltant. Florentinorū prouerbium est, dū bel

la uigent, utendum esse mendacijs. Quod Palatinus noster non negligit. Sed sunt omnes pusillanimes, uiciosi, perfidi, scelesti, qui mendatio se potius quam ueritate defendũt. Socrates in iudicio reus mori potius uoluit quàm falsitatis plena Eschinis oratione liberari. Abiectæ conditionis est homo qui ne quid dignitatis uel fortunarum amittat, ad mendacia confugit. Vir fortis & bonus nunquam timet dicere faterique uerum. Sed mitto ista. Viuiana nostra in iudicio est contra Bartholomeum Veronensem, cuius causa plurimum uacillat. Et si refutato imperiali iudicio Austriæ tribunal nacta sit, quod forsitan sibi in damnum uerget. Confessa iam est bona se plurima quæ fuerunt domini. B. obtinuisse: quamuis illa ex mariti successione, ad se uenisse cõtenderit. Ego sibi compatior, quam uideo undique spoliari. Sed magis Bartholomeo faueo, quem suam amittere pecuniam iniquum esset, cuique nihil omnino est, & sororem habet annis nubilem, & forma pulchram. Iudicium crastina die habendum est. Ego multum hortatus sum ad cõcordiam, ut fœmina inclinaretur: sed durior est adamante. Credo spem uictoriæ sibi datum esse: sed faciat coacta quod uoluntarie recusauit. Alia nunc scribenda non occurrunt. Recommendo me tuæ magnificentiæ tuisque collegis. Iussibus tuis obedire paratus. Ex Vienna.

Delphin Regis Franciæ filius Alsatiam obsedit. Suitenses apud Basileam miserabili clade prostrauit. Epist. LXXXVII.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. domino Ioanni Gers Regio prothonotario uiro præstanti & amici amico.

SCio te optare literas meas, ut quid rerũ agamus noscas. Est enim humanus animus semper nouitatum cupidus. Ego autem scripsissem tibi iam diu si certos habuissem nuncios. Sed cum aliqui à te ueniunt, quasi de industria me fugiunt, ne fasciculis literarum onerentur mearum, ut sunt hodie homines ad complacẽdum tardiusculi. Sed decreui has literas fortunæ committere, ut si possint te adeant, teque nouarum, quæ nũc maxime sunt, efficiat certiorem. Credo te uolucri fama percepisse Gallicorum aduentum. Sed accipe nunc ex me certitudinem, & quod tibi scribo tanquam Euãgelium potes referre, si modo id affirmatũ in mea inuenies epistola. Venit per hos dies Ludouicus Delphinus Viennen. ac primogenitus Regis Franciæ cum magno exercitu infra limites imperij: Oppidumque obsidione cinxit, cui nomen est mons Belligardi, quod ab imperio comites de Vuirtenbergh habent in feudum. Ibi cum aliquandiu Delphinus maneret, cum castellanis tãdem conuenit, ut sibi ad certum tempus oppidum traderetur, quo lapso id libere restitueret. Nam aliter ui decreuerat expugnare ut locum haberet in quo morari posset, quia non decebat Regis filium in campis degere absque tecto. Postquam Delphinus Belligardi potitus est, famã undique sui aduentus publicauit, sed non uno modo apud omnes. Apud aliquos nãque se in auxilium nobilitatis uenisse prædicabat, tanquã in Germania per comitatus esset oppressa. Apud alios uero uocatum se dicebat per Romanorum Regem contra Suitenses. Nonnullis autem se uelle uendicare iura domus Franciæ asseuerabat, quæ usque ad Rhenum protẽdi dicebat. Ex hac causa urbem Argentinã obsessurum se affirmabat. Dicebat enim etiam & propter ducem Sigismundũ se uenisse. Et has rumores ubique publicari studebat, non quod ita esset, sed quod fauorẽ ob eam causam sese putabat habiturũ. Dum hæc fama sic percurrit, Nobiles Alsatiæ quibus grauior uidetur Suitensiũ dominatus, Oratores ad Delphinum mittunt, eumque rogant ut præsidia contra Suiten. præbeat. De Delphini exercitu uaria dicta sunt, qui maiora sequuntur. *LX*. milia hominum in eius comitatu fantur haberi. Qui minora probant. *V*. & *XX*. millia. Medij uel *XXX*. uel. *VI*. & *XXX*. milia cẽsent esse. Concordatum inter Delphinũ & Alsatienses. *V*. & *XX*. milia hominum ex suo exercitu per hãc hyemem in oppidis Alsatiæ recipi debere. Ipseque Delphinus & Thuricen. & alijs obsessis ferre opẽ promittunt. Veniebant iam Delphini gentes quæ uulgo uocantur Armeniaci in subsidium cuiusdam castelli, quod Suitenses prope Basileam obsidebant. Suitenses ut hoc senserunt, non expectatis hostibus ad uiam pergunt, primasque Armeniacorum turmas inuadunt, stragem dant, plurimosque neci præbent. Armeniaci retro pedetentim fugientes, ad

maiorem

maiorem exercitum se recipiunt. Illi sanguinis cupidi, & auidi uictoriæ, dum gloriam quærunt propriam salutem amittunt. Ventum erat ad hospitale sancti Iacobi quod uix quatuor stadijs à Basilea distat. Ibi uniuersa multitudo Armeniacorum in Suitenses irruit, nonnullis ante portas Basilienses positis, qui existentes obseruarent, cederentq;. Committitur atrox & miserabile prælium: ceduntur q; ex utraq; parte quàm plurimi. Horrendum auditu est. Euellebant sanguinolentas ex corporibus suis sagittas Suitenses, ac truncatis manibus in hostes irruerunt, nec prius animam exhalabant, quàm occisorem ipsi occidissent. Quidam hastis confossi & onusti telis, inter Armeniacos currentes necem suam uindicabant. Erant quatuor Armeniaci qui Suitensem, unum insequebātur. Iamq; illi telum confossum strauerant, & supra corpus grassabantur tum eius comes arrepta bipenni in quatuor illos fertur: ex quibus duos obtruncauit, alios uero in fugam dedit, ac deinde semianimum corpus super humeris recepit & inuitis hostibus portauit ad suos. Erat retro Suitēses, murus quidā horti sancti Iacobi, quo illi se tutos ab una parte rebantur, solumq; in fronte pugnabāt. Sed Theutonici qui cum Armeniacis erant intrantes hortum, murum perfodiunt, Suitenses q; à tergo ferūt, quæ res magna causa ruinæ Suitensium fuit. Pugnatur tum ante tum retro. Iam uiro uir imminet, nec iam eminus sed cominus ferrum stringitur. Suitenses quasi leones per omnem exercitum inuictores uagantur, cedunt, sternuntq; omnia, ut qui iam non in spem uictoriæ, sed in mortis ultionem se pugnare sciunt, prælium à principio diei usq; in finem tractum est. Ad extremum non uicti Suitenses, sed uincendo fatigati, inter ingentes hostium cateruas ceciderunt. Victoria lugubris atq; cruentissima Armeniacorū fuit, campusq; liber eis mansit, non uirtute sed multitudine superantibus. Ex Suitensibus qui plures occidisse iurant, quatuor milia: qui minus mille & quingentos uiros cecidisse aiunt. Ex Armeniacis dicunt aliqui plures desideratos esse quàm ex Suitensibus: magna cedes equorum fuit. Plures Theutones dum ulcisci Suitenses uolunt, uitam amiserunt. Suitenses autem nulla res magis extinxit, quàm magnanimitas siue illa temeritas fuit. Nam dum hostes paruipendunt, eò deducti sunt, unde exire nō potuere. Qui sapit nec nimis timet hostes, nec contemnit nimis. Dum hæc aguntur, Rex Romanorum Oratores ad Delphinum mittit Episcopum Augustensem, & Ioannem de Aich doctorem: nonnullosq; milites perscrutatum, quid causæ sit quod imperium cum exercitu sit ingressus. Redeunt Oratores & cum his Delphinus suos ad regem destinat quinque uiros præstantes. Interim ex parte Concilij Basiliensis Cardinales duo Arelatensis & sancti Calixti, pluresq; alij doctores Delphinum adeunt, & cum his ciues Basilienses, deprecanturq; ne uel Concilio uel ciuitati noceat. Is rursus suos Basileam cum his nuntios mittit, qui adhuc ibi sunt, habentq; diuersos concordiæ tractatus. Nam & Oratores Papæ Felicis ac ducis Sabaudiæ, totiusq; Suitensium factionis illic conuenerunt. Rumor est potissimè urbem Basiliensem, tanquam regni Franciæ sibi restitui, quod si fiat, magna priuilegia illi ciuitati pollicetur. Oratores autem Delphini qui hic sunt, aiunt Delphinum uocatu Regis contra Suitenses uenisse, dicuntq; se iam strauisse magnam inimicorum manum suaq; opera remotam ex Thurego obsidionem. Petuntq; firmari pacta cum nobilibus Alsatiæ percussa, stationesq; in hanc hyemem exigunt. Quæ sibi si negent, non posse, se dicunt. abstinere quin noceant. Habent, iam Lauffenburg, Seckingen & alia quædam oppida: sed illa non sufficere prædicant. Brisacum & Friburgum uolunt adiungi. Exinde Sigismundum Austriæ ducem ad consumandum matrimonium cum filia Regis Franciæ Delphiniq; sorore transmitti quærunt. Nihil adhuc responsi est datum. Ciuitates & principes non consultandi sunt. Faxit Deus ut finis sit bonus. Nam murem in pera nutrire quàm tutum sit, prouerbium docet. Anguis torpentem frigore Hermacium domi suscepit, qui calefactus extensis pennis anguem domo pepulit. Videat nostri principes ut consulti faciant, ne post factum dicere habeant, non putauimus. Habes ex me, uir probatissime, quid in rebus Armeniacorū geratur. In factis Ecclesiæ nulla adhuc est recepta cōclusio. Sunt hic quatuor electores, Moguntin9, Treuerēsis, dux Saxoniæ & Marchio Brandēburgē. Palatin9 ꝓpter Armeniacos indultū habet, ne ueniat, tueaturq; patriam.

A patriam. Coloniensis archiepiscopus in obsidione Ausatensium occupatus, uenire huc usque non potuit: sed nūc per Oratores Regis factis industrijs, uenturus dicitur. Sunt hic ambarum partium Oratores, & quisq; suam rem tuetur. Episcopus Virdunen. ex parte ducis Burgundiæ huc uenit, magnopereq; suadere nititur, ut maiestas Regia cum tota natione pro Papa Eugenio se declaret qui, hodie coram toto cetu magnam orationem habuit. Hæc sunt quæ nunc scribere possum. Tu uale cum consorte tua magis bona quàm fortasse prudente, quia inter fœminas non solet regnare prudentia. Iterum uale & me ama. Ex Nurenberga Anno. M. CCCC. XLIIII.

Mori & si omnibus formidabile sit, omnibus tamen necesse est. *Epist. LXXXVIII.*

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. domino Ioanni Gers *Regio prothonotario.*

DEdi ad te literas ex Nurenberga, scripsiq; tibi Armeniacorum aduentum, credens tibi complacuisse. Nam & sic mihi abs te dum descendisti, præceperas. Nunc autem rursus hoc inueni, nescio quare moleste tulisti, quod in epistolæ calce scriptū erat, conthoralem tuam ut iuberes saluere, adiunctis uerbis quibus eam probiorem quā sapientem uidebar sensisse. Hoc, ut accepi, tu ægre tulisti, nescio an credam ijs qui mihi hæc insinuarunt. Nam hoc non Viennæ sed inter Viennam & Nouā ciuitatem ac inter B equitandum mihi relatum est, quod si Viennæ id contigisset, uerbis potius quàm literis apud te purgassem. Vtcunq; est, mihi non fit uerisimile te uirum ætate maturum & moribus comprobatum, uerba quæ nunc attigi, non bono animo tulisse. Nam quid ego dixi? laudaui probitatem, diminui sapientiam. Scio quia non ignoras ecclesiastici uerba. Virum de mille unum reperi: mulierem ex omnibus non inueni. Sed quid ego de mulieribus, cum & in uiris laus sit probiorem esse quàm sapientem: Namq; sicut ad Corinthios inquit Paulus: Stultam facit Deus sapientiam huius mundi. Ac ideo in euangelio dominus. Nisi conuersi fueritis, inquit, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis regnum cœlorum. Non enim sapientiam huius mundi, sed cor simplex et mentem puram diligit dominus. Et his dotibus pollere coniugem tuam scripsi: Nō enim eam Corneliam Grachorum matrem oratricem dixi, aut Calphurniam in causis patrocinantem, sed talē prædicaui quam Deus ipse non aspernaretur, qui stulta huius mundi delegit & sapientiam perdidit sapientum. Sed dixerit aliquis fortasse, de uxoribus, qualescunq; fuerint, tacendum esse: Hoc si apud uos moris est, fateor me uestræ consuetudinis inscium peccasse, dandamq; erranti ueniam esse. Nam & Paulus ueniā meruit Ecclesiam Dei persequēs qui se benefacere credidit. Prisci aūt, quos legi plures, solent ad amicos scribentes multa de coniugibus scribere: lege Hieronymū, Ciceronem, Senecam, Ouidium de tristibus. Multa ibi de alienis uxoribus etiā cum gratia maritorum scripta reperies. Adducerem C plura in hunc effectū, sed nequeo arbitrari te uirū, tum doctum tum prudentem animū induxisse ut ista pensites, similisq; pestis quæ apud nos acerbe grassatur facit, ut magis de modo moriendi cogitem quàm ut epistolas dictare curem. Namq; cum audio nunc illum nunc istum efferri tradiq; sacerdotibus, Heus tu, inquam, Aenea, nec tu scis quando certator assit qui te ad tribunal uocet, ubi nec aduocato nec procuratore tueri te possis, sed tua te opera iudicabunt. Terribilis est equidem mi Ioannes huiusce rei recordatio. Debemus tamen gratias agere creatori, qui nos, uocatis pluribus alijs, præmonet, nec erga nos facit ut ad Thessalonicen. scribit Paulus, qui uēturum dominum sicut fur in nocte affirmat. Sed utitur nobiscum illa dementia de qua in Apocalypsi meminit Ioannes. Ecce ego sto ante ostium & pulso, si quis audierit uocem meam & aperuerit ianuas, introibo ad illum & cœnabo cum eo & ille mecum: utinam Deus adaperiat oculos nostros, & det nobis huius seculi blandimenta, illecebrasq; contemnere, & ad Philosophiam peruenire, per quam dicamus cum Paulo: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Mira res, ut homines peius in hac uita habent, eò difficilius egrediuntur. Durus forsitan hic sermo uidebitur, sed audi & cognosce me uera dixisse. Quis est obsecro qui misere uiuit, nisi qui peccatis est deditus? Hæc sentētia est Theologorū et Philosophorum. Nā Cicero in Paradoxis hoc ait, omnem malū seruū: et Apostolus quoq; peccati

seruis

seruis peccatorum ac serui peccati. Hi sunt qui ægerrime moriuntur. Nam semper in peccatis uellent prouolui. Et hi non peccata dimittunt, sed à peccatis dimittuntur quando mors adest. Nos igitur si saperemus, reconciliaremus nos creatori nostro qui nobis uitam dedit, illamq; sibi quandocunq; reposceret, libenti animo redderemus: sed tenet nos cæcitas peccatorum, quæ obuelauit oculos mentis nostræ. Deus nostri misereatur & extendat erga nos pietatem suam, detq; nobis animum ut quandocunq; nos uocet, prompti simus & hilares. Namq; siue spōte siue inuite, moriendum est tamen. Nec nos mors præteribit, quæ priscos reges atq; Cæsares non præterijt, quæ nec ipsi creatori omnium deo, postquàm humanitatem induit, parcere uoluit. Omnia nata occidunt, & orta senescunt, stat sua cuiq; dies breue & irrecuperabile tempus. Nemo natus est cui non sit moriendum. Nos igitur ad hanc accingamus mortem, ut cum uenerit tanto minus acerba sit, quantomagis præcogitata. Mors quidem non mala est, sed finis potius teterrimi carceris, his qui bene moriūtur: hinc cœlestis uox audita Ioanni: Beati mortui qui in domino moriuntur. Vtinam Deus qui quos uult eligit & quos uult reprobat, his nos iungat cum fati dies affuerit, utinam cor meum ad hæc quæ scribo sese disponat: utinam nō alia inueniatur mentis cogitatio, quàm signat harundo. Fateor me multa scribere in bonum, quæ non operor, sed in omnibus misereatur mihi dominus qui mundum potest de immundo facere. Tu Vale mei memor & amator ut solebas. E

Spondet promouere causam quoad se uires suæ extendunt, *Epist.* LXXXIX.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Ioanni Frund secretario *ciuitatis Coloniensis.*

FVit apud me tuus familiaris qui Holandrinorum negotiū multis mihi uerbis commendauit. Ego ut sum tuus cupioq; tibi rebus in omnibus morem gerere cœpi, curas admouere nitiq; ut ad metam, quod optabas, duceretur. Sed inueni primo in limine magnas difficultates, quas cū uellem amouere, pluriores offendi. Nō possum scribere quid impedimenti fuerit, si unquam te uidero, planius omnia dicam. Satis est tibi quod in mediatoris locum uel tractatoris non sum uisus idoneus. Nuncius ipse tibi plura dicet. Ego nihil magis cupio quàm tuis optatibus satisfacere. Sed tua humanitas non exigat plusquàm præstare queam. Rem minimā de commissione causæ tuorum amicorum impetraui facile, sum enim homo ad pauca natus et in minimis reb9 benignos principes inuenio: si quid ponderis habere uidetur, in alias manus transfertur. De rebus Vngariæ puto te iam audiuisse Ladislaum Regem cum uoto totius regni postulari. Credo te etiam audiuisse me Romam profectum, mirariq; idcirco. Sed scis parendum esse principibus aut cedendum curiæ. Nemo ut uult apud principes uiuit. Mancipia sumus & fortasse iumenta, qui alienum panem mordemus. Viuunt omnes inieliciter qui orbem incolunt, nullius tamen uita miserior est, quàm eorum qui ad alienum comedunt appetitum, ad alienam sitim bibunt, & ad alienum somnum dormiunt. Hac de re scripsi nuper epistolam admodum longam, ideo nunc hoc prætereo. Meus itus ad urbem, honestam ob causam fuit, propter unionem. N. & propter illa quæ Nurenbergæ conclusa fuerūt. Quid autem reportauerim Franckfurdiæ uidebitur: quamuis & ipsa taciturnitas indicat quid allatum sit. Nunc in Franckfurdia res transsigentur. Ego nihil magis uereor quàm nationis diuisionem. Valde namq; turpe est ne dicam inutile Germanos qui diuisam ecclesiam iam quinq; annis unire satagebant, in se tandem reddi diuisos. Mea opinio fert tanti ponderis tantiq; nominis esse Germaniam, ut in quamcunq; partem reliquam Christianitatis portionem ad se trahat, dummodo integra sit. Non dicam plura tu me commendatum fac Reuerēdissimo domino meo archipræsuli Colonien. eiusq; germano domino Traiectensi antistiti. Et quia te audiūt unum ex me dicito, mihi adhuc nihil uideri utilius ad pacem Ecclesiæ resartiendam & autoritatem Ecclesiæ conseruandam, quam uiam illam tueri quæ Nurenbergæ fuit aperta, si modo iterum possit haberi firmarem hoc multis rationibus si coram essem, sed absentem me non decet nec expedit omnia committere calamo. Vale.

Refert

Refert grates de muneribus oblatis, *Epist.* XC.

A Aeneas Syluius Poëta, domino Ioanni Thuskoni ciui
Pragensi, & amico probato, S.P.D.

MVnera tua quæ nuper ad me transmisisti, suscepi libenter, tum propter rem quæ mihi iocunda fuit, tum propter mittentem, cuius memoria semper hæret menti meæ, non sine lætitia singulari. Tum denique quod illorum portator honestus adolescens maior corpore quàm ætate perliberalis mihi uisus est et dignus qui regi seruiret, quemadmodum postea factum est. Nam & ad regiam Cancellariam susceptus est. In quo loco si perseuerauerit, uti spero, clarum in uirum surget. Ego illi, quia uirtute præditus est, & tu eum mihi commendasti, nunquam deero uita comite, sed in me si quid est artis, si quid eloquij, si quid industriæ totum sibi communicabo, quia non sum auarus huiusmodi rerum. Nec ut pecuniæ sic & scientiæ conseruatrix est auaritia, sed qui literas suas magis abscondit, is eas magis adnihilat: quo uitio studui semper carere. Nec plus in secreto tenui quã in publico. Idque faciam quo ad spiritus hos reget artus. Atque de hoc satis. Franciscus uir mitis nullique noxius, sed omnibus quoad potest, frugi, Bohemiã repetit. Credo in patria contentari modico, quã multo inter gentes exteras uult: & fortasse plus sibi Pragensis ceruisia placet, quã uinum Viennense. Habet enim magnã uim ad
B retinẽdos homines natale solũ. Verum cum montiũ accolæ lacte tantũ nutriti & aqua, nesciant alibi uiuere quã inter oues & boues cum quibus sunt nati. Franciscũ mirari nõ debemus, si natus in patria nobili Bohemorum solo feraci, & omnium bonorum copiã suppeditãti ad suos reuerti uult, et illi terræ q̃ dedit corpus reddere. Quis enim nõ mollius atque suauius iacere hominũ corpora post mortẽ arbitretur in humo natiua q̃ in aliena? Laudo ego Franciscũ & mihi si par cõditio foret, esset nõ impar uoluntas. Is ad te uenit, bonitatem uiri tibi commendo: humanum est hominem homini auxilio esse. De Biblia emenda hoc est desiderium meum. Si papyria est octo florenos dabo: Si est in pergameno, duplum, uideto tamen ut correcta sit & digna precio. De libris alijs alio tempore tibi scribam. Vuenceslaum nostrum si unquã uideas meis uerbis saluum dicito, cui facilius erat in ocio quatuor mihi uerba scripsisse, quàm me in negotio uerbosas epistolas destinare. Sed do ueniam homini si scripturam iam odit in qua uitam consumpsit. Vellem ipsum mei causa repetere curiam, ut esset mihi cum quo nonnunquã miserias spuerem: sibi tamen non audeo persuadere, sed puto eum uiam optimã delegisse, quæ non possit ab eo in æternum auferri. Vale meque, uti consueuisti, dilige quod mutuũ est. Ex Vienna.

Commendat uitam agrestem & commoda ruris, *Epist.* XCI.

Aeneas Syluius Poëta, S.P.D. Ioanni Luterbach sacerdoti & *uiro probissimo amicoque optimo.*

C CRedo te quid agam & ubi sim ex multis percontari, cũ me apud Regem non esse cognoscis. Sed nemo tibi hoc melius exponet quã meus calamus qui libenter desiderio tuo morem geret, sciens quia me amas. Audi ergo quid acciderit nobis in noua ciuitate per prius: deinde quid faciam & ubi sim breuiter edoceberis. Eramus nuper in curia Cæsaris apud uiduam quandam sermonis gnaram Italici: Nam & in domo illorum de Scala seruiuerat dum uirguncula fuit. Hic primum mango qui ministrabat equis, ægrotare cœpit, ac septima die decessit e uita. Moxque alius ex familia uir robustus epidimiam professus est se perpeti, cuius morbi tanta uis fuit ut eum triduo interfecerit Exinde mox hospita dolere caput, & ancilla febricitare ceperunt. Germanus quoque magnifici domini Casparis Cãcellarij uertiginẽ patiebatur, pauere atque de fuga omnes cogitare cepimus. Accessit Cancellarius Regem, licentiamque fugiendi mortiferam luem suscepit. Atque sicut, hodie sunt octo dies, huc peruenimus, sumus hic in plebe Reuerẽdi patris domini electi Frisingẽsis, oppidum notum tibi arbitror Prug nomine, inter duas aquas Muram atque Murzam, quæ hic ante oppidum copulantur, & unum facientes flumen, in Sauum feruntur. Hic nundinæ sunt quæ per octauam diui Martini solent perdurare. Ego remissis omnibus curis, nũc merces quæ undique huc afferuntur, contemplor: nunc in agros egredior montesque apricos & syluarum latibula ac lucidas fluminis lim-

phas, non absq; singulari mentis oblectatione intueor. Habes nunc & ubi locorum degam & quid rerum agam. Nunc illud te uolo scire, beatum mihi uideri qui uitam ab negocijs procul publicis sibi delegit, sicut prisca gens mortalium consueuit. Quis enim nō felicem illum dicat, qui nullo fenore, aut ære alieno obligatus, paterna rura suis bobus exercet? Audi quàm beatus sit. Nempe non truci excitatur clasico, quo bellum petere ac pugnam iubeatur inire. Non horret iratum mare, forum uitat, & litigantium iurgia. Non uisitat superbia diuitum atria. Non fastidiosis curialibus est supplex. Sed aut altas populos adultis uitium propaginibus maritat, aut in secreta reductaq; ualle errantes boues & armenta pascentia prospectat. Interdum ramos inutiles falce resecat, ac fœlitiores inserit: Interdum mella quæ præsit, puris recondit amphoris: aut oues tondet lanasq; recipit. At cum autumnus decorum caput mitibus pomis per agros extulit, magno afficitur gaudio, pira ex arboribus decerpens quas sua manu inseruit. Interdum & purpureas uuas colligit, & aut suspendit in usum hyemis, aut mustum exprimit. Libet illi iacere modo sub antiqua ilice, modo in tenace gramine: Labuntur aquæ ex altis rupibus. Quæruntur aues in syluis. Obstrepunt fontes manantibus limphis, somnosq; leues inuitant. Ut uero hybernus aduenit annus, & imbres niuesq; dominantur, Aut apros multo cane in obstantes detrudit plagas: Aut rara rhetia leni amitte seu furca contra edaces turdos suspendit: aut pauidum leporem & aduenam gruem laqueo captat. Quod si pudica mulier illi fuerit, quales olim fuerunt Sabinæ, seu de quibus sacra scriptura meminit, Sara Rebecca, uel Rachel quæ solibus perusta domū seruet, & dulces nutriat liberos, multo beatior fiat, cum illa in aduentum lassi uiri uetustis lignis sacrum extruat focum, claudensque textis cratibus letum pecus distenta siccabit ubera, & dulcia uina dolio promens dapes ineptas apparebit. Quis hanc non laudet ac desideret uitam? Non me amplius lucrina conchilia, aut rambi, uel stari ex quouis mari uel flumine qua siti pisces inuenerint quàm læta de pinguissimis ramis arborum oliua decerpta, aut agna quam pascalibus festis rustici mactant, uel hœdus ab ore præruptus lupi. Nam quantum iuuat inter rusticales epulas mitia poma & castaneas molles, ac pernas & caseum, pastas oues uidere cum domum properant, intueriq; fessos boues, inuersum uomerem collo trahentes languido. Multa sunt ruris gaudia quæ nunc singula prosequi non est epistolaris angustiæ. Ideo uale & hæc multa ex paucis notans, amorem ruris aliquando indue. Iterum uale mei, ut soles, memor.

Increpat eum qui non bono proposito amicam nuptui dedit, & suadet castitatem. Epist. XCII.

Aeneas Syluius Poëta imperialisq; secretarius, S. P. D. domino Ioanni Freund, *insignis ciuitatis Agrippinæ Prothonotario & amico suo percaro.*

PAuci dies sunt quibus tuas recepi literas, ornatas quidē & multa continentes. Quibus responsurus nescio quid primum attingam: sed tuum seruabo morem. De puella tua primo dicam, quam uiro tradidisti: laudo in ea re factum tuum. Quid enim melius est quàm nuptias coniungere ex quibus soboles fiūt, & replentur liberis ciuitates? Quod autem post factum doleas, contra naturam est. Nec enim solet alicuius operatio uirtutis pœnitentiam habere, qui uirtuosè, agit lætus est, dolet qui crimen commisit. Quomodo ergo fit ut tu doleas qui actum fecisti uirtutis? Nempe arbitror quia bonum fecisti, sed non bene fecisti. Aduerbia sunt mi Ioannes, quæ nos beant, non uerba, nomina, uel participia. Non quid homo faciat, sed quomodo faciat quærendum est, et in omnibus rebus finis expectatur. Si ideo puellam manifestasti, ut probro leuaueris, bene fecisti. Si etiam ad rem illam timor accessit Dei, at si solum quid homines loquerentur, considerasti, nō satis est. Non enim hominibus tantum sed Deo placere debemus. Quæris remedia, nec poëticum uis antidotum. Recipe Euāgelium. Quid est fornicatio aliud quàm mors. Tu beatus es si te cognoscis, qui materiam delinquendi à te abiecisti. Quiesce obsecro neq; ultra memineris tuæ iuuentutis delicta. Scio dices, ecce quàm seuerus est Aeneas? nunc mihi castitatem prædicat: in Vienna & in noua ciuitate aliter mecum loque-

A loquebatur. Non nego Ioannes mi amantissime, sed labitur tempus dietim: seniores sumus, appropinquat mortis dies, cogitandum est iam non quomodo uiuamus, sed quomodo moriamur. Miser homo est & gratiæ Dei expers, qui non aliquando ad cor reuertitur, qui non se recognoscit, qui uitam non emendet suam, qui non cogitat post hoc seculum quid in alio sit. Ego, mi Ioannes, satis erraui & nimium satis. Iam me recognosco & utinam non sit tarde. Nunc quadragesimale adest tempus, nūc dies salutis, nunc tempus misericordiæ. Pone extra mentem tuam puellam: finge mortuam esse, nunquid uelles uiuere? Quid est quod cum ea possis habere solatij, quàm breuis est uoluptas quæ cū mulieribus hauritur? quàm momentaneum gaudium? An non satis stultus est qui propter temporalia & momentanea perdit æterna? Hæc dico secūdū Theologos, quia nō uis quæ poetæ dicunt audire. Hoc est remedium quod hic in apothecis inuenitur Viennæ. Tu obsecro uendica te tibi, nec una te puella uincat, quem uix imperator superaret. Turpe est in paruis succumbere, qui in magnis uictor fuit. Nec tu mihi de successore nouo uerbum facias, quod fuit Ouidij remedium. Nam quid est, una muliere relicta, amare aliam, nisi ex igne in ignem saltare? Fuge obsecro omne fœmineū genus, relinque huiusmodi pestem: cum fœminam uides, diabolum esse credito. Sed quid ego tecum hæc serio? scio frustra me fari, uerbis meis abesse fidem. Nam tu me pleno stomacho reris ie-

B iunium cōmendare. Fateor, amantissime frater, plenus sum, stomachatus sum, nausea mihi Venus fecit. Tum quoq; & illud uerum est, languescere uires meas, canis aspersus sum, aridi nerui sunt, ossa cariosa, rugis corpus aratum est. Nec ulli ego fœminæ possum esse uoluptati, nec uoluptatem mihi afferre fœmina potest. Baccho magis quā Veneri parebo: uinum me alit, me iuuat, me oblectat, me beat. hic liquor suauis mihi erit usq; ad mortem. Sed hic quoq; peccatum est, si ad iocunditatem magis quàm ad necessitatem biberim. Tu mi Ioannes si fortis es, si sanguine succoq; plenus, si neruis uales, non miror te amare: quamuis plurium te uerborum esse credam quàm operum, si uel ætates uel occupationes uires demunt. Sed esto, ut ais, robustus, calidus, promptus, intrepidus, tunc bonum est crimen abijcere cum tu illud relinquis, modo teipsum fugit. Mihi hercule parum meriti est in castitate. Namq; ut uerum fatear, magis me Venus fugitat quā ego illam horreo. Sed ago Deo gratias, quia non est maior adpetitus quàm potestas. Dicis tamen de te, non esse ante prælium deserendum quàm hosti uictoria cedat. Quod uerum non est in eis bellis in quo uincitur uictor. Veneris prælia qui plura confecit, is sese pluribus affecit cladibus. Sed quid ego tam seuerus sum. Omnes quidem cum ualemus recta consilia, ægrotis damus. Sic mihi replicare potes, et illud Terentianum obijcere. Tu si hic sis aliter sentias. Sensi aliquādo quod nunc sentis. Sed & tu aliquādo senties quod ego sentio, quando huc æui uenies. Quod si nunc faceres tanto laudabilior esses, quanto

C difficilius niteteris: Ciceronisq; tibi uerbum illud conueniret: Quo difficilius eo clarius. Possem plura in hanc sententiam dicere, sed neque tu ista uis audire, nec Ioannes noster Nurenbergen. permittat scribere seria, qui uulturis in modum cadaueribus nutritus in capitolino campo uenari uellet: nec iam piper emere formidaret, dū feras haberet quas posset condire. Is te amat unice, tuiq; sæpe non sine laude mentionem habet, cupitq; ut huc uenias. Quod Michaël & ego maxime desideramus, ut loquamur aliquādo simul, rideamus, bibemus, canamus, et quod literæ non præstat, solamen inuicem recipiamus. Nimis remotæ à nobis uitam ducis. Raro exinde nuntij ueniunt quibus literas demus. Neq; omnia committi possunt. De conuentibus qui super rebus Ecclesiæ fiunt, tuā sententiam probo. Nec enim dieta fit, quæ dietam nō pariat. Credo quia fœmineum est nomen libenter imprægnari dietas ac parturire. Sed ne hæc cōsuetudo periret, Concilium Nurenbergen. quod erat inditum neutri generis, quod non poterat concipere, quia fortasse finem dedisset in rebus Ecclesiæ, sublatum est, & ad dietas reuentum prolificantes, ut in æternum fiant conuentiones, maneatq; neutralitas: dulce ac nonnullorum aucupium. Mirū est tam paruæ curæ teneri Ecclesiam. Forsitan sic Deo placitum est, cuius cōsilia humano nequeunt ingenio deprehendi. Ille hinc aliquam uenatur utilitatem nobis incognitam. Res grandes & totius reipublicæ statum concernentes, desursum ordinatur.

tur. Nec quisquam est qui futura sciat. Cogitant homines Deus autem disponit. Vnū scimus, beati Petri nauiculam quā Ecclesiam nuncupamus, & si fluctibus agitetur, quatiatur uentis innumeris, uexetur procellis, submergi tamen non posse, quia futuram secum eam saluator noster Iesus Christus usque ad consummationem seculi repromisit. Quod de Regis coronatione apud te prædicari dicis, minime uerum est, neque adhuc uerbum fieri audiui in loco Autentico de tali coronatione, quod tamen me non fugeret, quamuis & hic etiā multi multa loquātur ex opinione magis quàm ex sententia. Noua hic alia non sunt, nisi quod Vlricus Ciliæ comes post diutinam obsidionem castri Attiliæ quod est in Vngaria, ac per Franconem germanum Marchionis Bani tenebatur, tandem uictoria potitus est, unoq; illius occiso filio, alium cum uxore & omni gaza secum in captiuitatem abduxit. Giskra in campo est cum magno exercitu contra Pancratium. Itaq; tota Vngaria trepidat. Conuentumq; habet apud Albā regalem, spesq; optima est Vngaros omnes ad obedientiam Ladislai reuersuros. Cum Michaële conueni de modo quo res, de qua scribis, expedire potest. Is ad te latius scribit. Meam curam & diligētiam nulla in re unquā tua denegabo. Tu me utere ut tuo. uale optime, & si quando facultas datur, Reuerendissimo, & L. principi domino meo, domino Coloniensi eiusq; Germani domino Traiectensi commendatū me facito, mihiq; scribe sæpius: nam tuis literis iocundissime fruor. Iterum uale.

De rebus Vngariæ, & Ecclesiæ auisamentum, Epist. XCIII.

Aeneas Syluius domino Ioanni Campisio perspicaci *Philosopho, S. P. D.*

VRgent me res Vngariæ tibi ut sæpius scribam. Nam et tu illas nosse desideras, qui Ladislao Regi bene cupis & ego libenter illa conscribo, quæ scio esse ut sciantur utilia. In meis autem scriptis plurimum interest cum uel affirmo aliquid factum uel refero quod audiui. In altero namq; ueri periculum ad me recipio, in altero fidem requiri apud autores uolo. Hoc autem ideo dixi, quia rumorem hic fuisse tibi significaui regem Bosinæ per quosdam uocatum esse ut Vngariæ potiretur regno. Quæ res minime secuta est, nec famam ueritas adæquauit. Sed nunc quo pacto inter Vngaros cōuentum sit ex me audi. Nam certum est quod nunc scribo. Tu hæc Reuerendissimo domino nostro Cardinali Tarentino communicata facito, ut per eum non solum sacri collegij aures, sed ipsius quoque sanctissimi summiq; sacerdotis adire pœnitentiam quæat. Nam & sacerrimi illius senatus interest, quid in regno geratur Vngariæ pernoscere, cum murus sit illa regio Christianæ religionis & nostræ, fidei solidus paries. Credo igitur te accepisse proceres illos Vngariæ, qui æstate decursa cum Cardinali Strigoniensis hic fuerunt, rebus infectis recessisse. Nam neque Regi eorum oblationes satisfecerunt, nec eis rursus Regis responsum placuit. Significaui tunc omnia tibi. Post hæc cum in Vngariam redisset Nicolaus Vaiuoda transyluanus, plurima pertentauit. Sed regnicolis nulla uia persuaderi potuit quæ Ladislaum excluderet. Conuenit igitur alterum Vaiuodam Ioannem, Ladislaiq; ius tueri insulis pepegerunt, missisq; clanculum ad Cæsarem nostrum nuntijs confirmationemq; suorum officiorum obtinuerunt, ac rursus facultatem quandam cuius uigore cæteros regnicolas ad obedientiam Ladislai reducentes, officia dignitatesq; possent illis confirmare. Cōuentumq; regni apud Albam regalem in hoc tempus induxerunt. Iamq; plures illic sunt, reliquos expectantes. Sed Laurentius Palatinus nō immemor suarum artium, ubi iam sibi figmentum Polonicum minime amplius prodesse perpendit, (nam mors Vladislai Poloniæ Regis omnibus persuasa est, quia non potest diu latere) nouum deceptionis genus excogitauit. Rumorem namq; in populos diuulgat se iam cum duce Burgundiæ cōuenisse ut eius filium in Vngariam nauigio transmittat, eiusq; rei mediatorem quendam Hispanum fuisse asserit, qui classi Ponticæ nomine Philippi ducis præerat, et nuper hac transiuit Romam petiturus: Sed nemo est qui Palatino fidem habeat. Nec enim post tot mendacia dignus cui credatur est. Sciunt insuper omnes ducem Burgundorum unicum duntaxat habere filium quem minime ire perditum uellet, cum sit diues ac potētissimus & Regi Ladislao sangui-

A sanguine iunctus. Cui non est putandum nobilem principem iniuriari, & maxime cum ei dominia ab Vngaria remotissima sint, nulloque possint usui esse Vngaris, quae res Palatinum nedum mendacem sed delirum reddunt. Hinc ipse cum suos conatus incassum ire perpenderet, conuentumque apud Albam teneri, Iamque Vaiuodam Ioannem illic pergere & ad uicesimum lapidem esse in uicinia, missis literis ac nuncijs Ioanni indicat insidias sibi apud Albam structas esse, Nicolaumque uelle in eum manus inijcere. Quod si uelit captiuitatem euadere, aut mortem, Albam ne petat, instruit. Ioannes territus hoc nuntio, minime ulterius pergit. Accipit hoc Nicolaus, uocatisque proceribus, nimis multis, inquit, fraudib. utitur Palatinus, sua est haec techna, quod ad nos Ioannes uenire timet. Sed adibo ego eum nec timebo eum qui me timet. Expurgabo quod mihi ingeritur crimen, nec de alijs cogitabo quod ipse in alios non cogito, neque saluum cōductum nec fidem peto ullam. Satis tuta innocentia est. Si quid tamen praeter spem euenerit uiros uos esse commoneo, meam ut uindicetis iniuriam, atque sic Nicolaus cum paucis Ioānem accessit. Interea Giskra uir magnificus nostrique seculi non paruum decus, qui partes Ladislai apud Vngaros aut solus, aut certe cū paucis usque in hanc diem tutatus est, cū Pācratius stantibus inducijs quoddam sibi castellum per insidias eripuisset, ulturus iniurias exercitum coëgit, atque cum octo milibus pugnatorum ingressi Pancratij territorium quod-
B damque munitissimum eius oppidum obsidione cinxit, Accersito comite Georio ut sibi auxilio foret, nam his quoque Pancratij uicinus atque inimicus fuit, Georius uero mox Viennam uenit, auxiliumque regis Romanorum petijt, multisque uerbis rogauit ut ante Calexium quod est oppidū magnifici Casparis Cancellarij, oppidum ad nouum castrū pertinens sed à Pancratio occupatur, obsidionem ponerent Australes. Quae dum sic aguntur Pancratius, qui antea dudum cum literis securitatis accersitus conuentum Vngarorum accedere recusauerat, nec centum sigillis credere uoluerat timore postposito Vngarorum. Nam maior Giskrae instabat metus cum *VII.* comitibus Albam perrexit in manus procerum se tradens. Queritur se Giskrae conatibus opprimi petitque auxilium. Nam se Regi Ladislao fidem dare promittit, nec se alium uelle habere testatur quā Ladislaum postquā mortuus est rex Poloniae cui sese astrinxerat. Similiter & Oratores ad Regem Romanorum destinat se pacem cum Austria perpetuā habiturum, nullique alteri quā Ladislao in Vngaria tanquā Regi pariturum asserit. Rogatque scribi Giscrae ne se infestet. Barones Vngariae audito Pancratio, sub tutela sua eū recipiunt, praesertim Nicolaus Vaiuoda & Dionysius Cardinalis Strigonien. scribuntque Caesari ne deinceps Giscram insultare permittat Pancratiumque uexare, quem uigore mandati sui cum omnib. eius bonis ad gratiam & obedientiam Ladislai suscepissent. Hic apud Caesarem responsum est comiti Georio Australes non posse ante diem sancti Georij castrametari, tū pro
C pter impedimenta pluuiarum, tum quod in campis nullae sunt herbae. Sed adueniēte Vere nisi interim quod debitū est Pancratius fecerit, paratos esse Austriae proceres in campum exire temeritatemque Pancratij compescere. Interim uero tricentos equites sibi ex Austria in solatium uenturos. Exinde rogati sunt Oratores Pancratij: Nunquid in mandatis haberent cum Cancellario Giscraque rem componere, quorum bona Pancratius inuasisset. Cumque negassent, dictum est eis ad herum suum ut redirent, cui si opus esset Maiestas Regia per suos nuntios responderet. Proceribus autem Vngariae responsum est, placere Caesari quod ad Ladislai obedientiam Pancratius uenisset, quodque sibi uenia sit data. Non tamen sic ei ignosci debet ut aliena cum iniuria teneat oppida bona quā plurima, nec eam esse unquam facultatem concessam, missurum tamen Caesarem Oratores suos ad eorum cōuentum, ac tam super hoc quā super alijs regni negocijs responsurū. Sic res Vngariae usque in hunc diem actae sunt, quas precor ut singulari domino meo episcopo Adriensi, quem iam in Rauenna assumptū esse audio, & gaudeo, cōmunicatas facias, sibique me commēdes qui sum perpetuo suus. In rebus Ecclesiae hic sunt Chiemen. Episcopus in Rhenum iuit, electoresque conuenit. Iamque hac die cum eis habiturus est in Franckfordia conuentum, bonamque fidem facit ad unionem & pacem Ecclesiae. Nescio quid sequatur. Hic magna est admiratio de tarditate Legati uestri. Nā secundū con

uenta iam pluribus diebus in hac cura se debebat ostendere, de quo nihil hic sentire mon stratū est. Ingeriturq́ magna suspitio quæ possit aliquid mali parere, ut scire possunt qui cōuentiones norūt hic habitas. Ex Basilea fuerūt apud nos Oratores, quorū petitio fuit quod Cæsar autoritatē Ecclesiæ iuxta declarationē Constantiæ factam, & Basileæ renouatam tueretur, & manu teneret utq́ dictam Nurenbergen. mandaret teneri, ad quā suos Oratores Basilien. Concilio cum plena potestate mitteret super omnibusq́ ad pacē Ecclesiæ pertinerent. Petiuerūt & saluū conductū cuius uigore dietā illam mittēdi Oratores tute possent accedere, sibi etiā redeundi securitatem postularunt. Ad primam petitionem data responsio est, Cæsari semper curam fuisse & adhuc esse, ut autoritas Ecclesiæ cū pace populi Christiani sicut declarata reperitur in sacris literis, per sanctos doctores & Cōcilia generalia unà cū potestate sanctæ sedis apostolicæ in suo uigore permaneat. Ad secundū dictū est urgentib. causis, dietā Nurēbergen. esse postpositā, sicut principibus electorib. Chemen. Episcopus intimaturus erat, ac sic de saluo cōductu illuc eundi nō esset opus uerba facere, sed eis cū quo recederēt nullatenus esse negandū. Sic in effectu respōsum est, quāuis & ornatius & uerbosius. Tantū est ꝙ ex his partib. tibi possū scribere. Vnū addo ꝙ mirabere. Iā ego subdiaconus sum, ꝙ olim ualde horrebā. Sed recessit à me illa animi leuitas qua inter laicos crescere cupiebat. Iāq́ nihil magis amo quā sacerdotium, fiamq́ deo dante infra octendium diaconus, & suo tempore sacerdotalem recipiam dignitatem. Hoc si Noxetano nostro & Iacobo Caluo dixeris, scio tecum mirabuntur. Sed eligendū est aliquando uiuēdi genus quod inter Christicolas duplex est, laicorū et clericorū: & illa rursus ut nosti distinguuntur. Mihi in ordine beati Petri manere decretū est. In quo gratiā mihi deus elargiatur utq́ sibi placēt solū cupiā faciāq́. Vale.

Suitenses superbi non se iustitiæ coaptāt, sed ipsam iustitiā sibi famulari uolunt. Epist. XCIIII.

Aeneas Syluius Poëta, Domino Ioanni de Caruaial iuris interpreti & Oratori Apostolico uiro præstanti, S. P. D.

SCripsisti mihi bis ex uia, sed quod scripsisti & tacuisse melius fuisset, nam nihil mihi significasti nisi te uento similem Germaniā fugere. Vltimæ literæ tuæ ex Teruisio missæ fuerunt. De te postea nihil accepi: utinā quæ tibi incumbebant plene absolueris. Iā enim tempus est uiā retro metere: Nam te omnes expectamus. Verū quia hirūdo recessisti, reuerterisq́ bene tardior, scribā tibi aliqua quæ post tuū recessum cōtigere, nec tam parcus uerborū ero tecū, quā tu ipse mecum. Audi ergo quæ secuta sunt. Chiemen. antistes iter suū absq́ mora continuauit: Iāq́ nūtios habemus qui eū ex Magūtia recedentē ire Coloniā uiderunt. Itaq́ puto eū iam esse in reditu, Cācellarius scribit mihi ex Cōstantia nullā spem esse concordiæ cū Suitensib. Nā superbi natura homines, nō se iustitiæ coaptant, sed ipsam sibi iustitiā famulari uolūt. Iustūq́ id putant quod eorū phantasticis est conforme capitibus. Beneq́, inquit Comicus homine imperito nihil quicq̄ iniustius est, qui nihil rectū putat nisi quod ipse facit. Vngari inter se dietā habuerūt, nihil tamē cōtra Ladislaū cōcludere potuerūt. Discordāt inter se admodum, atq́ ut magis diuisi sunt sic & pauperiores et miseriores in diem reddūtur, quāuis ex Iudæorum more Messiam expectent. De Basilea literas uidi quarum hic effectus est. Sperant patres illi tribus in reb. Nam per & spiritum sanctū qui præsidet in Ecclesia non relinqui eam, cum se futurū dominus dixit cum ea usq́ ad consummationē seculi. Cum rex Romanorū qui protector & aduocatus est Ecclesiæ, recordatus tandē officij sui, accipiet arma & scutū et ueniet in auxiliū matri suæ quæ est Ecclesia, Post hæc in conuentione Nurenbergensi erunt et uiri sancti & literati, qui iustitiā & autoritatē Ecclesiæ tanquā meridiē elucidabunt, nec amplius sinent caliginibus esse locū. Tu uide si quid habes aduersum. Nam te uocat iste labor. Hæc habui quæ tibi nūc scriberē quæ ut Reuerendissimis dominis meis Camerario & Moriensi communices, peto, si eos oblectat quod meū fuit legere: quāuis nihil sit qd' Gallicis atq́ Italicis ex me Theutonico posset placere. Si possem ita ut serenas epistolas ad uos mittere, forsitan res Almanicas nō dedignaremini. Sed quod mitti nō potest iocundè tamen retinetur. Vale & hunc uirum egregium doctorem qui has defert literas recipe inter tuos, iuuaq́. Quod scis me cupere, nō neglexeris: qd actū sit in eo scribe:

Vngari

A *Vngari Ladislaum quanto renuunt, tanto inter se discordant, ut eligant alium.* *Epist.* XCV.

Aeneas Syluius Poeta, S. P. D. præstanti Philosopho domino *Campisio amicoq; optimo.*

ACcepi ex tuis literis Cardinalem uirum excellentissimum Cumanum, qui & tibi & ni fallor mihi erat affectus, grauibus febribus exhaustum esse, pluribusq; timorem mortis iniecisse, sed conualuisse tandem singulos amicos esse solatum. Mihi postea ex Basilea scriptũ est, iam cum obijsse mortem, simulq; Cardinales alios tres, quod mihi summæ essent molestiæ. Nam Cumanũ quasi patrẽ dominumq; dilexi. Ideo precor te, ut quantotius ueritatem rescribas, quamuis puto magnam ualetudinem rumorem mortis fecisse, sicut de me: quondam Basileæ factum est, quando communicatus atq; inunctus præter spem omnium conualui. Iamq; in annos octo uitam duco, utinam saluti meæ conducat, ut spatium uitæ ad meliorem degẽdam uitam susceperim. De tuo beneficio & heri nostri communis ampliori dignitate satis gratulatus sum: Alijs literis de Politicis scripsi tibi defectum, notauiq; locum: si non habuisti literas iterum scribam. In Rhetorica Aristotelis per Trapesuntium translata, inuenio in exemplis Ciceronem nominari. Nescio cur id egerit Trapeson. Nam cum ad uerbum fieri translationes soleant, ut si sententiæ transferant, danda est opera, ut ad uerbum factæ uideantur. Nescio B cur Cicero nominetur in Aristotelis operibus, qui nõdum natus erat, dum uolumẽ ædi tum est, nisi Cicerones etiam ante Aristotelem fuerũt. Quid rei hic sit ex te scire cupio. Noua apud nos nõ sunt, Vngari sicut nõ cõcordarunt cum Cæsare nostro, ita inter se concordes non sunt: nec aliquid possunt concludere, quod Ladislao præiudicet. Sic enim infantulus ab hominibus desertus à Deo iuuamen habet. Polonus adhuc spẽ sui reditus facit, quamuis est mortuus. Forsitã aliquis Polonorum in modũ Orphei immites poterit flectere cantibus umbrarum dominos, & preces supplici, ut Vladislaũ reddant. Sed uideant nedum reducendum cernere properant, illum inperpetuum perdãt. Nuncius ad inferos missus est, qui Herculẽ reuocet. Audiemus an noctis æternæ chaos aperiatur, receptasq; semel umbras remittat. Cum Suitẽsibus Albertus dux Austriæ bella gerit, magnisq; eos uiribus premit, non tamen eorum pertinacia uinci potest, ut iustitiæ uiã amplectantur. Cum Athesinis magna spes est concordiæ. Dux Sabaudiæ in aperto bello est contra domum Austriæ. Iuuatq; Suitenses, quod patri non proderint. Qui has literas defert, alia noua tibi quæ subticeo, referet. Ipsum uelis domino nostro comiti, & me commendare. Richardum ualere iubeo, domino comiti me dede. Iulianum saluũ cupio. Petro de Noxetano, & Iacobo Caluo salutes ex me dicito. Dicerem ut R. P. domino Adriensi me commendares, nisi timerem mulctare illum cœna, cu- C ius non possum particeps esse. Sed uale cum eo, ac domino Francisco suo & Francia librariorum principe. Ex Vienna.

Persuadet legationis fungi officio. *Epist.* XCVI.

Reuerendissimo in Christo patri, ac domino, domino Ioanni sancti Angeli *Cardinali, domino suo colendissimo, Aeneas Syluius Poeta Imperialisq; Secretarius, S. P. D.*

GRauis mihi calamus est, grauior charorum absentia dominorum, grauissimum est nihil scribere præcipuis patribus, cum est ocium. Cũ ergo uenissem in Africam, quam uos seuam potestis interpretari, remoratus sum plusculos dies. Nec enim sanctis diebus homini præsertim Romæ sanctificato, uidebatur facundum iter. Remansi ergo Procopio Florentiam misso dum hic sum. Quid inquam? nihil hero tuo, Cardinali tuo, legato tuo scribes? uictus sum scribere. Sed quid scribam nisi iocer: nihil est scriptu dignum: & iocari, uel grauitas cui scribitur eius, uel tempus uetat. Quid igitur faciam? data est inter equitandum mihi scribendi materia. Obuius fuit nobis apud sanctum N. ex familia Gruneuualdi quidam. En ecce materiam. Cum nomino Gruneuualdum, magnum aliquid suspicamini, magnum est hercle. Is obuoluto capite facieq; more gentis contecta, interrogatus est per Ioannem meum, cuias esset & unde ueni-

ret. Frisingensis sum, inqt, & ab episcopo meo Frisingensi uenio. Paulò post à me repertus itidemq; interrogatus, ubi me nouit ex Venetijs, inquit, uenio, & si ulterius quæris, ex Nurenberga, nec quicquã ulterius respondens, uexato calcaribus equo, festino eua sit. Ingessit homo suspitionem cum aliud mihi, aliud Ioanni retulisset, nec libẽter mihi responderet. Audiuerã in uia fratrem Cancellarij mortẽ obijsse, atq; hinc coniectatus sum uenire hominem sui heri causam promoturum. Dicet hic aliquis, quid tua inter est illo mortuo super Ecclesia Frisingensi? Mea nihil, sed Regis interest. Ob quã causam rogo, precor, obsecro, ne quid innouari permittatis sine literis Regijs, nolite principẽ offendere, nolite etiã huiusmodi inimico uestro plus credere, quã expediat. Veteres amici semper nouis sunt præponendi. Vana est amicitia quã metus facit, non amor. Nescio si uera est mors Frisingensis, quæ dicitur cõfingi potest. Si uera est, in oculis Regem habere oportet. Sin conficta, & Regem & Cancellariũ. Hos ego V. P. R. quoad possum facio recõmissos. Si adest Cardinalis Bononiensis, sibi quoq; rem hanc cõmendarem, qui Regem uenerabatur, Cancellarium amabat, & me quoq; charum habebat, sed nescio quo modo in assumptione Papæ illum amisimus: multi superbi & insolẽtes eramus, cum duos in curia Cardinales qui nos diligebant, haberemus. Nec enim quicquam erat, quod impetrare tantis promotoribus non possemus. Nam quod uestra prudentia obmittebat, supplebat Bononiensis diligentia. Nunc sola est V. R. P. ubi non proficitis uos, nihil est quod amplius sperare possumus. Ob quam rem uexabimus amplius nos nec quiescere unquam sinemus. Si uultis apud nos, apud Gerse nostram Viennam bene recipi, curate ne quid Romæ contra nos fiat, & omnia quæ petimus fiant, ac deficiẽtis Bononiensis uices supplete. Sed intelligo uos, cauebimus dicitis, nec Almaniam reuidebimus. Nam quod legati fuerimus in Germaniam designati, non eo tendit ut ueniamus illuc, sed ut pascamus uos uerbis, utq; uos hinc expelleremus, qui ante pronunciationem legati nolebatis abire. Quis uelit in Almaniã uenire, dietas innumeras adire: prædones timere? semper pacẽ inter homines tractare, qui saxo duriores sunt? et ab alijs iura ecclesiæ Romanæ petere: quos saciare impossibile est, apud quos nulla honestatis, sed dehonestatis maxima ratio est. Bene atque optime Reuerendissimus ille pater Morinẽsis de liberauit, qui prouinciam renuit, nec agrum ille sterilem colere uult, neque illuc ire, unde rarus est cum honore reditus. Sed ille pronunciare uoluit cautus & sapientissimus pater. Nos etiam nominati sumus, non ibimus tamen. Primus sapientiæ gradus fuerat, nolle nominari illum, quia non tenuimus, à secundo non excedimus, qui est non ire. Sic arbitror dicere P. V. reuerendissimam. Sed nihil facitis, nam hoc est quod uolunt Almani. Non enim daturus, sed recepturus est Legati aduentus. Ideoq; & si nunquam fiat, non dolebunt. Ipsis prouisum est, tuti sunt, in securo sunt. Vos si uendicare iura uultis Apostolicæ sedis, ut ueniatis oportet. Quia si labores fugitis, nihil est quod iuuet non uenire. Nam literis & petitionibus nostris plus Romæ Paternitatẽ uestram obtundemus, quàm in Germania. Nulla die, nulla hora, nullo momento sinemus quiescere Paternitatem uestram. Semper causæ Teutonicæ uos occupabũt. His accedent Hispani, quibus ut morem geratis oportebit, atq; hi non precibus, sed minis urgebunt. Nec Veneti, nec Florentini, nec genus ullum Italorum impulsatam relinquent P. uestram. Ibitis Papam rogatum, & nihil obtinebitis. Hoc tormentum est, quo nullum Siciliæ tyranni durius inuenerunt. In tenebrosis aulis cubiculisq; uitam inertem felicem ducetis. Quia si Germaniam cito petieritis, nosco naturam uestram, ipsi uos agri saltusq; ferarum inter eundum flumina, lacus, montes oblectarent, & saluberrimus aër. Sed nolo plura dicere, ne cupiditatem nimiam ueniendi obiectem, qui pro meo commodo nescio ubi magis R. P. uestram esse cupiam Romæ, an in Germania. Valete & me ut sum recognoscite uestrum.

Ex Sena.

Amicitiæ dissolutæ causam exponit, *Epist.* XCVII.

A

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Michaëli de Pfullendorff

Regiæ Cancellariæ Prothonotario.

Sequebar magnificum uirum dominum Casparem Cancellarium ex Nurenberga recedentem, cum inter equitandum rogasti me, ut tibi patriam tuam reuisuro aliquid scriberem. Nam sic potissime reconciliatum me tibi censeres. Ego tunc non respondi me scripturum, nisi tuæ ad me literæ prius deuenissent. Nunc cum diu expectarim scripta tua, iamque mihi satis persuadeam, inuanum me manere ut scribas, deliberaui tuo desiderio morem gerere, prioresque meas literas ad te dare: quod, si uerum audire uis, (debes autem uelle) non tantum tui causa faciam quantum mea. Veniunt ad me plures, quæruntque diligenter ex me, cum inter te meque turba fuerit. Nota enim omnibus erat amicitia nostra, & quasi Pythagoreos amicos nos omnes arbitrabantur, cum & liberi, & bona omnia inter nos communia uiderent. At cum postea seorsum inceperimus uiuere, sciscitantur omnes, cur hoc dissidium intercesserit, & aliqui te, aliqui me incusant, nonnulli utrunque. Ac ego cum mihi de re hac uerbum fit, expurgo me ipsum & causam meam sine aduocato defendo: sicut & te facere non ambigo. Nam & Procopius Bohemus uir præstans nostrique amantissimus, ita tuis uerbis persuasus erat, ut

B Oratione magna opus fuerit, antequàm eius opinionem mutare potuerim, quia tu eum imbueras. Existimabat enim homo me potius quàm te peccauisse. Sed auditis tandem rationibus meis sententiam uariauit. Iamque ut est nō me amicitiæ ius uiolasse, sed te, sicut est, putat. Sed est mihi permolestum unicuique poscenti reddere rationē. Namque ut diuturnior nostra beneuolentia fuit, eo notior omnibus fuit Sed uenit in mentē, quod Papius Florētinas fecit: Is cum pallium olei pauxillo maculasset, quia se per urbem euntē singuli percontabantur, quidnam esset quod pallium deturbasset. Cum grauiter omnibus responderet, schedulā pergameni pallio consuit, in qua scriptū erat oleum. Nec post hac uoce cuiusquā uexatus est. Occurrebat enim interrogationi cuiuslibet schedula. Ita & mihi faciendum est. Scribam ad te causas, cur ex tua me subtraxerim amicitia. Si quis deinde scrutatus me fuerit, ad epistolam hanc remittam, ex qua poterit quisque & causas dissolutionis amicitiæ nosse, & non me culpandum, sed te potius fuisse. Et satisfaciam tibi, qui meas literas te cupere significasti. Fateor enim me priorem fuisse in amicitia dirimenda, cum uiderem non elegisse me uirum, qui posset in amicitia mea esse diuturnus. Nec propterea mirari quisquam debet, quod beneuolentia nostra biennalis fuerit. Nec enim anni duo ueram amicitiam ostendunt, sed uix ætas hominis satis cōprobat amicitiā. Plures sunt qui nobis ab initio placidi & humiles uidentur, sed hi successu temporis quales sint appareant. Possunt enim aliqui naturæ uitia ad tempus tegere, imper-

C petuum tegere non possunt. Necesse est enim, ut sese aliquando quales sint demonstrēt: quod cum fit, soluitur amicitia. quia perditum est quod amabatur. Iam te arbitror quo pergam intelligere. Non insimulo te alicuius uitij, sed aio te alium esse quàm rebar. Putaram te meorum esse conformem morum, ideoque te amaui. Et certe finxisti te naturæ meæ admodum similem. Nunc quia non continuas, nec ille es qui antea fuisti, nec amor meus erga te ille est, ego ut dixi ab initio tecum sic perseueraui semper. Itaque si nunc non sum amandus, nec in principio diligendus fui. Nec ista dico, quod me bonum, te malum arguam, aut mores meos sinceros dicam, & tuos impuros. Potest esse ut tu bonus sis, ego malus, utcunque est, non potest amicitia perdurare, ubi mores dissimiles sunt. Sed ne rem illam faciamus longiusculam, dicam tibi quid est quod me non sinit esse amicum tuum, & quibus in rebus iniuriatus sis mihi exponam. Morum diuersitas est in hoc quod tu multorum es ego paucorum, tu pecunijs studes, ego eas parui facio. tu literis aliquando ad lucrum uacas, ego ad quietā animi sequor eas: Tu rigidꝰ & atrox, ego lenis & facilis: tu cibis plusquā Venere oblectaris, ego plus Venerem amo quàm cibos: Tu nocte adueniente nūquam dormire, & nūquam mane surgere uis, ego post cœnam paululum postquàm quieui, dormire uellem, & ante lucis aduentum surgere: Tu clarus, ego humilis. Sunt hæ inter te meque differentiæ,

Quod

Quod si fateri nolis, eorum iuditio stabo, qui te mecq; usu cognoscunt. At certe cum primum inter nos sunt iacta amicitiæ fundamenta, quæ certe malè iacta fuerunt, tu haud talem te monstrabas, sed eras mihi admodum morigerus, ita ut quicquid mihi placeret, idem & tibi uideretur cordi, talicq; arte me inuasisti. Sed mutasti postea modum uiuendi & ad priorem naturam tuam redisti. Quod si tu uitam mutas, decet & me amorem mutare. Dicis quid est, quod tibi obfuerit? Multa sunt Michaël, ne uereare: lacessisti me lingua, dixisti pluries inter cõmensales me leuem, multisq; uitijs me insimulasti. Quæ si fortasse uera fuerint (scio enim me miserijs inuolutum) decebat te non inter alios, sed inter te mecq; corripere, & si me non emendassem, sicut Euangelij lex iubet, adhibere unum poteras, uel duos ac postmodum Ecclesiæ dicere. At tu me coram semper laudasti, blandiusq; mihi magnopere fuisti, post tergum uero monstrasti me digito atq; subsannasti. Sunt noti tui meiq;, ex quibus sæpe audiui hæc. Nec tu negare potes, quin comediam meam carpseris, quã de Criside feci Nurẽbergæ. Nõ est mihi cura, quod mea scripta tuo iudicio reprobentur, quamuis magnum est. Nec ego laudari musam meam ex te uolui, quia non est digna laus quæ ab homine rei imperito uenit, sed noto animum tuum. Præterea si quid uitij inerat, decebat de me admonere ut limassem. At tu nedum carmẽ, sed autorem quocq; irridebas, me leuem accusabas, qui comediam scripsissem, tanquã non laudi Terentius & Plautus habiti sint, qui comedias scripserunt. Sed mitto hæc. Alia sunt quæ famæ meæ plus obfuerũt. Quinq; et uiginti aureos mutuo mihi dedisti: magnũ officium & amico dignum. Nam cuius tu fidem in pecunia cognoueris tuto illi omnia credas: argentum est alter sanguis. Subuenisti mihi fateor in re necessaria, nec ego unq̃ inficias ibo, me tibi propterea obligatum fore. Repetisti ex me mutuum, non commutaui uerbum, sed cum ipse pecunia uacuus essem, ex alio mutuatus sum, quod tibi restituerẽ. Bene huc usq; actum est. Post dies exinde aliquos, cum ex me nonnihil peteres, quod præstare nõ poteram, dixti me tibi succensere, ac propterea succẽsere, quod tuum æs repetisses. Magna profecto hæc iniuria fuit. Nam quis posthac mihi numos credat, si repetenti irascar? magno me crimine insimulasti, tantocq; meum animum offendisti magis, quanto ab ea intẽtione eocq; uitio magis abfueram, uerius dicere poteras: ideo erga me alius est Aeneas, quia nonnihil sibi detraxi: Aut quia non affui sibi in persecutione bibalium: aut quia sibi detrahentes non redargui. Hoc me Michaël mirum in modum turbauit. Quia si dicis antea quocq; me tibi fuisse solito grauiorẽ, non negabo. Sciebam nancq; me tuis morsibus lacessitum. Sed erant illa uulnera, quæ non ægrè curari poterant, si alia non superuenissent. Et quippe quod tu dicebas me propter repetitionem pecuniæ commotum, facile potest refutari. Nam & antequàm pecuniam repeteres, cognitis quæ de me dixeras clanculo, non eram tibi ex consuetudine prisca coniunctus, paulatimq; studebam me disiungere, memorq; Ciceronis sententiæ non rumpere beneuolentiæ uinculum, sed soluere nitebar. Quia autem postea truncaui amoris funem, tua culpa fuit, cum me coram alijs propter pecuniam tibi molestum asseres. Feci ergo tũc ut nautæ faciunt, qui adueniente periculo, non soluunt nauem, sed retinacula incidunt. Hæc credo satis fuisse ad amicitiam dirimendam. Nam quod cistam mihi commodatam uendideris Iacobo nostro, quodq; tuos libros repetieris, & meos retinueris, nõ uitio do, sed indignationi iam subortæ tribuo. Si quid me hic mentitum putas, redarguere potes, mihiq; rescribere. Ego alienum potius quã meum iudicium sequar. Et hanc Epistolam honoris mei tutricem omnibus dabo, qui de nostra separatione quæsiuerint. Inter me autem & te primus amor, parq; charitas reuiuere non poterit, nec amicitia esse quæ fuit, nisi & mores & conuictus redeant qui ante fuerunt: Famamq; meam uideam restitutam. Vale, & si durius scribo, quàm ferre queas memento, & te de me locutum fuisse acerbius, quàm inter amicos deceat. Ego te potius solum solusq; arguere uolo, quã inter alios de te aliquid dicere, quod tuo possit honori uel utilitati detrahere. Nam & si soluta est amicitia, non tamen quæ inter homines esse debet cum honestate societas, est extincta. Iterum uale. Ex Vienna.

Grates

Grates refert de plurimis beneficijs susceptis, Epist. XCVIII.

A Reuerendissimo patri domino Leonardo episcopo Patauiensi,

Aeneas Syluius, S. P. D.

REuerendissime pater post humilem recõmendationem & obsequiorum meorum per promptã exhibitionem, speraui meo in reditu P. V. R. apud Viennã comperisse, quod mihi iocundissimum fuisset, ut de rebus Ecclesiæ nõnullisq; alijs contulissem: Ac propterea familiari meo Ioãni, quem ad Ecclesiã destinaui meam nihil literarum cõmisi V. R. P. consignandarum. At nunc cum Oratores regij Pataviam sint petituri, dignationemq; uestrã allocuturi, statui pauca scribere, quibus memoriam uestri ex me non posse deleri sciatis. Nec enim is sum qui beneficiorum acceptorum ullo tempore ualeam obliuisci. Scio nanq; non esse uiros, nec etiã homines, sed atroces immanesq; feras, qui non his semper afficiuntur, à quibus beneficia receperunt. Stulti quidã fugiunt eos qui de se benemeriti sunt, eorumq; conspectũ horrent, quibus repẽdere uices nequeunt. Quidam uero plus humanitatis habentes benefactores suos assiduè comitantur, & gratitudinẽ quã in factis præstare nequeunt, uerbis ostendunt, nec absurde. Nemo est enim tam pauper, ut benefactori suo gratus esse non possit, quia nec auro, nec argento cæterisq; rebus pretiosis gratitudo præstatur, sed animo. Animus autem tam mendico, B quã opulento bonus esse potest: hunc ut ex me suscipiat V. R. P. supplex oro. Scio me plus debere quàm possim persoluere. Sed hoc me scire, spes est quædam solutionis meæ. Facultates, corpus meũ, uita, ac postremo animus in uestra potestate sunt. Nihil in his amplius iuris habeo, sic me uestris beneficijs deuinctũ tenetis. Sed de his alias. Nũc pauca dicenda sunt de statu Romanæ curiæ. Caput illius Eugenius fuit, dũ ad eum ueni, satis sospes, si possunt senes esse sospites. In meo recessu podagra, chiragraq; debilior factus est, petitioni regiæ non annuit. Concilium namq; in Almaniam, nec dedit, nec daturus est. Si quid aliud Regia maiestas cupiuisset, optata retulisset: sed nihil postulatum est, nisi quod pacem Ecclesiæ concernebat, quamuis ille non pacem, sed maior quæri seditionem diceret. Rex Aragonum simultates primo, post apertum odium cum Eugenio habuit, & ne quid ex regno in urbem ueheretur, prohibuit. At hæc ante meum ex curia recessum composita sunt, & in gratiam utrinq; rursus uentum est. Panormitanus apud ecclesiam suam cum tædio uitam expuit. Cardinales in curia plures sunt, sed non ut solebant, diuites. Nam & omnia officia diminuta sunt, & aduocatorum præsertim. Ac propterea ex his quædam alijs se rebus exercent. Genesius de la porta, iam in legationibus quæstum facit. Nec enim nunc Romæ fuit, qui Tridentum missus erat. Forsitan, non sic ei succedit, mortua coniuge, sicut antea dum illa uixit. Multi enim hunc in aduocatũ patronumq; habere, ut ipsum domi conuenirẽt, & mulierem honesta facie ac C sermone blando possent alloqui. Fuit nanq; magni ingenij fœmina quæ nunc modesto, nunc molli, nunc procaci utebatur oratione. In cuius facetijs atq; salibus plurimis lepos inerat. Sed hæc dum ex Nouria Romam petere festinat, prius morbo absumpta est, quàm itineri se committeret. Vir eius & coniugem simul & amicitias & eloquentiã perdidit. Nec ex Roma plus est quod quæram scribere. De filio ducis Venetiarum noui ambigo uestram R. P. aliquid audiuisse, qui Venetias fugiens, Tergestum uenit, fama est eum reipublicæ consilia Mediolanensi duci reuelasse, ac propterea lesæ maiestatis crimine damnatus est. Reliqua in aduentum P. V. reseruo cui non minus auide parere requisitus, quam qui eidem R. P. assiduæ astant. Valete.

Vxorem prostitutam uiro suo conciliare conatur per mediam personam modo congruo, Epist. XCIX.

Aeneas Syluius Poeta, imperialisq; Secretarius, domino Henrico

Scoter plebano in Pleitenberg, S. P. D.

INter alia pietatis opera maximum est uxorem uiro suo coniungere ne separate uiuant, qui duo esse debẽt in carne una. Qui uero disiungit matrimonio iunctos, is Dei aduersatur præceptis. Scriptum est enim, quos Deus cõiunxit homo nõ separet. Verũ mariti quidã adeo duri, asperi, crudeles, feriq; reperiuntur ut non sociam diuinæ, & hu-

manæ

manæ domus uxorem suam putent, sed etiam tanquam seruam, & utile quoddam mancipium teneat, nunc iniuriantes uerbis nunc factis. Cedunt pauperculas fœminas, lacerant, cruciant, mortemq; minantur. Hinc plures suos uiros deserunt. Cumq; uictu careant, aliorum uirorum à quibus alantur commercia suscipiunt. Quæ res non tantum ipsis mulieribus, (nam leues sunt, fragiles, timidæ) quantum ipsis uiris imputandum est, quos oportet esse constantiores, & in re qualibet meliores. Nunc cur hæc scribam, paucis absoluam. Accepi nuper socium meum quem habeo in Franconia: cumq; in oppido quodam per aliquos dies fuissem, occurrit mihi mulier quædam forma egregia, statura tamē breui: Hanc Basileæ uideram sæpiusq; fueram allocutus: Nam contribulus quidam meus eam maxime dilexit. Interrogo quid faciat, uti ualeat, quem habeat amatorem. Ait se artificio serico uitam ducere: bene sibi esse, amatorē nullū habere. Ducit me domum ostendit uestes, & opera quæ fecit: unicamq; habet ancillā. Et quantū suspicari possum uita est utriq; pudica. Tum ego, num tu, inquam uirum habes? utinam non haberem, respondit: Nam sic & ego animam, & ille perdimus. Cum interrogassem, ubi nam esset uir suus? dixit in Basilea uocariq; Hermannum Aspel, cum quo iam pluribus annis non fuerit. Nam uir sæuus est, inquit, qui me die noctuq; nunc pugnis, nunc fuste cedebat. Ad extremum etiam autem mihi mortem minabatur, quam ego fuga euasi. Tūc ego, en bona mulier, si iam te ille recipere uellet tecumq; uiuere, ut uirum cum uxore decet, an ad eum reuerti uelles? utinam, inquit mulier, sed noui hominem quia non faciet. Amat enim aliam fœminam, eamq; domi concubinam habet, cui sunt ex illa plures filij. Quid tu scis, inquam ego, forsitan eum iam peccati pœnitet, & si te reperiret, alacri susciperet animo, uitamq; suam emendatam ageret tecum. Vis ne ut suscitem eius animam? Tū illa: Hic sæpe ad me uenit postquam ab eo fugi, nec me quærebat, sed res meas: itidem nunc timeo. Veniret enim ut puto, & quæ nunc habeo secum asportaret, mihi autem sola uerbera, & cicatrices aut liuores relinqueret. Non sic faciet, inquam ego: Nam per mediam fidemq; personam scrutabor animum suum, & si bonus erit, suadebo ut ad te ueniat, utq; te recipiat, et finem peccatis ponat. Ad hæc mulier, precor te, inquit experiaris. Nam meo cum uiro libenter uiuerem, ut animam lucrifacerem suam meāq;. Hæc partim per me, partim per interpretem sum locutus. Nunc ergo Reuerēde pater, in hoc opere pietatis, ut partes uestras interponere uelitis precor, ut si fieri potest, uiro suo restituatur mulier. Velitis ergo informari, quis sit ipse Hermannus, an uiuat, an concubinam habeat, an morate uiuat, an criminose. Quod si adhuc in peccato est, & adulteram domi habet, ingerite sibi conscientiam, incutite timorem, exponite quàm breuis sit humana uita, quā fallax, quàm incerta, quàm certa mors instet, quàm incerta mortis hora, ut bene uiuentibus promissa sit æterna felicitas, male autem operantibus supplicium sempiternum, ignis edax, pœna sine fine. Exhortamini ut ad seipsum reuertatur, & ad creatorem suum Deum, qui eum proprio sanguine redemit, suadete sibi ut dum uiuit memor sit Dei, ut cum moriatur, memoriam suam habeat Deus. Inducite ut exclusa concubina quam cum peccato tenet, legitimam coniugem recipiat, domiq; teneat, quā cum mercede habere poterit & Deus illi benefaciet, nec relinquet eū in tempore opportuno. Humana res est peccare, angelica emēdare, diabolica perseuerare. Recognoscat se tandem, & ad Deum reuersus dicat: Erraui sicut ouis quæ perijt, require seruum tuū, quia mandata tua non sum oblitus. Misereatur ipsius, misereatur coniugis exulantis. Parcat coniugi, peccata sua ut coniunx quoq; sibi ignoscat: sciat se ita obligatum uxori sicut & uiro est uxor. Nō superbiat & dicat, ego uir sum. Nam ambo creaturæ sunt Dei tam uir quàm fœmina. Apud Deum non est distinctio sexus, tam pro fœmina quàm pro mare natus est, passus, crucifixus & mortuus dominus. Si prudentior est uxor, dignum est eos qui plus sapiunt, imperfectum tolerare minus sapientis. Nam & Apostolus Paulus iubet alterum alterius onera portare, & omnes unum esse in Christo. Quia si Hermānus ipse acquiescere uult uestris monitis, uxoremq; propriam recipere, ac cum ea caste, pie, & sancte uiuere, dimissis pristinis iniurijs atq; odijs, scribite mihi statim, & ego tunc significabo locum in quo est mulier cui nomen est Catharina, & faciam quod ipsa ue-

ipsa ueniet ad uirum suum, aut si uir uoluerit poterit, & ad eam uenire, & cum ea mane-
A re. Nam ipsa multũ lucratur arte sua manuali & sericea, & si ambo erunt simul, poterunt uitam honestam & hilarem ducere, & animas cum corporibus saluas facere. In omnem autem euentum scribite mihi quamprimum quid sit de ipso Hermanno, quid agat, & quid intendat facere, quod ego pro singulari munere recipiam, qui libenter uellem hoc apud Deum promereri, ut dissoluti matrimonij reintegrator forem, utq; duas personas in peccato uiuentes ad frugem uitæ laudabilis reduxerim. Nec enim ambigo rem fore Deo acceptam, magnumq; sequi exinde præmium. Cuius & uos participabitis, si diligenter, proinde libenter, & accurate rem hanc aggrediamini. Et quia literæ semper suũ non habent cursum, postquam semel mihi scripseritis, non pigeat iterum atq; iterum rescribere, ut præstet diligentiæ sedulitas, quod uiarum insecuritas auertit. Si enim una tandem ex uestris epistolis ad me perueniet, exinde possum quod uolo perdiscere. Valete optime, amate me ut soletis, & causam istam totis uiribus perficiendam suscipite. Cum autem ad me scribitis in curia regia reddi mihi literas iubete, nam illuc reuertor.

Grates refert defendenti honores suos, Epist. C.

Aeneas Syluius Poëta secretarius Regius, S. P. D. ornato doctoq; uiro Io-
anni Tusloni prothonotario inclytæ ciuitatis Pragensis.

B VIdeo semper legoq; uolupe tuas literas. Nam & amicitiam confirmant nostram, & prudentiam testantur tuam. Accepi nuper quæ mihi scripsisti de Ioanne notario Phuensi, qui me monstris comparauit, uidi quæ sibi respondisti, grauiter amici causam defendisti, ineptias increpasti, ueritatem iuuisti, uir boni functus officio es. Nam & absenti consuluisti, nec amicum in ultimis terrarum agentem indefensum reliquisti. Amicitia uera non magis præsenti quàm absenti fauet: qui amicus est etiam mortuũ diligit, non corpus amici, non res, non famam lædi patitur. Hoc abs te factum esse amice gaudeo, tantoq; tibi obnoxiorem me sentio, quanto id temporis abs te eram remotior. Romæ ut opinor, tunc fui cum meo nomini detractum est. Sed quanquã tibi refero gratias, illi tamen nõ irascor, qui me carpit. Scio imperfectum meum, ignorantiæ meæ sum conscius. Sapientissimus Socrates & oraculo probatus delphico, unum se scire aiebant, quoniam sciret nihil: quid ergo in quã? Sentio cum tuo Ioanne, nec scio quicquã, nec nomine sum aliquo dignus. Scribam tamen illi pauca, ne se scire putet, quæ tu atq; ego nescimus: literas his adiũctas habebis, quas sibi dirigo, simul quoq; interpretatione epistolæ quàm longo desiderasti tẽpore, paruissem antea tuæ cupidini, nisi absens fuissem. Anni iam duo sunt, quibus assidue obequito, nunc Romæ inuenior, nunc Franckfurdiæ, nunc Viennæ, nulla mihi quies datur. Nunc etiam ad electores imperij delegor infra trimestre minime hic reperiar. Vale & me, ut soles, ama atq; obserua.

C

Persuadet Polonos & Australes concordari tali medio, Epist. CI.

Reuerendissimo in Christo patri & domino, domino Sbigneo Episcopo
Cracouiensi sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinali electo, Aeneas Syluius Poëta, S. P. D.

QVamuis ego, Reuerẽdissime pater, et domine præstantissime, iam dudũ uestræ dignationi affectus fuerim, eiusq; statum felicem, ac successus prosperos sedulo concupiuerim. Quia tamen indies uirtutum uestrarum maiores laudes, maioraq; præconia in meis auribus perstrepunt, cogor & ipse dietim magis ac magis uenerari nomẽ uestrum ac deuotionem, qua uestrã paternitatẽ Reuerendissimã prosequor, augere. Sic enim uirtus exigit: Cuius ea uis est, ut quos nunquã uidimus homines, amare nos urgeat. Verũ quid ego de me loquor, qui non sum dignus inter homines cõputari, quando maximi uiri, imò & regia sublimitas præstantiam uestram & uenerentur & ament. Est equidẽ in hac regali curia percelebris fama uestrarũ dotiũ, nec unquã sine singulari laude uestrũ nomẽ auditur, præcipue tamen inter alios magnificus dominus Cancellarius probitatẽ uestrã extollit & prædicat, qui nũc cõsilium, nunc liberalitatẽ, nunc uitæ mundiciã, nunc magnanimitatẽ quibus prædita est V. R. P. enarrat. Nuper uero cũ

in conspectu Regiæ maiestatis magna Baronum ac nobilium stipante caterua de prælatis, ac magnatibus regni uestri mentio, & alius alium laudaret, assurgens Cancellarius, Clari sunt, inquit, uiri quorum meministis, nec ego eorum uirtuti detraxerim. Nemo tamen adhuc uestrum, qui sint oculi regni Poloniæ mõstrauit, nec omnino illũ attigit qui præstat omnibus. Nam etsi præstantes sunt hi, quos cõmendatis, ubi tamen Cracouiensis antistitem reliquistis, cuius tanta est probitatis fama, ut nec laudãdo crescere, nec uituperando minui possit. Ego prælatum hunc noui, aliquando allocutus sum, & in pluribus tractatibus sum expertus. Nihil tam graue est, tamq; arduum, quod is non statim intelligat, uideatq; finem. Animus illi magnus est, sed rectus, nõ solũ quæ præsentia sunt disponere nouit, sed futura longe præmeditatur. Neq; prodigus est, ut indignis largiendo facultates Ecclesiæ dissipet, neq; auarus ut indigentibus non porrigat manũ. Sed est eleemosynæ dispensator domusq; sua claris hospitibus semper patet. Quicunq; Poloniã ingrediuntur Oratores, aut uiri præstantes hunc adeunt, hunc patronum habent. Ab hoc honorantur donanturq;. In quibus rebus uera liberalitas recognoscitur. Est in eo clara facundia, multæ in ore eius facetiæ, multusq; lepos non elatus est, non iracundus, non exactor pecuniarum, non uindictæ cupidus, sed benignus, mansuetus, periculi declinator atq; contemptor, amator patriæ suæ & alienæ non inimicus. Nihil est quod illi melius pace communi uideatur: omnia eius consilia quietis sunt. Non tamen bellum dissuadet cum pro tutela regni suscipiendum est. Sed arma non propter uictoriam, neq; propter iniuriam uindicandam sumenda dicit, sed propter pacem obtinendam. Finem belli non rapinam uel gloriam, sed quietem esse debere. Scit præterea quibus artibus curia regenda est, quibusq; modis gubernandus exercitus. Et quãuis prælatus sit sacrarum religionum gnarissimus, non minus tamẽ militiæ quã in senatu est utilis: nec ægre feras Caspar, si hunc unum tanti facio. Namq; si eius semper consilia apud reges Poloniæ, ualuissent, aut pax optima inter Austriam Poloniamq; uiguisset, aut in bellis quæ postea fuerunt, maior Polonorũ impetus fuisset auditus. Quæ cum magnificus Caspar finiuisset, sermonis finem omnium circunstãtium assensus comprobauit. Caspar uero his auditis, utinam, inquit, talis dominus in consilio meo persisteret. At sic uario circunstantium sermone V. P. R. eas commendationes accepit quas me audiuisse antea non memini. Gauisus sum dum talia percepi, moxq; in animum uenit hæc ut significarem uestræ dignationi, non ut propterea gloriemini. Scio enim moderationem animi uestri, quia non patefacitis aures adulantibus, sed ut nomen bonum teneatis custodiatisq;, & si possibile est, augeatis. Nunc enim cum diuitijs commutanda est fama celebris. Diuitiæ cum corpore simul perduntur, fama comes animæ post obitum durat, quã qui negligit crudelis est. Et fortasse cum has literas audieris, quid est, dicetis, in quo uelit Aeneas meum nomen augeri? Dicam breuiter, quamuis non ambigo id uestram prudentiam per se melius intueri. Sed dicẽdũ est ne frustra uidear calamum recepisse. Inter Austriam & Poloniam R. P. multæ hactenus simultates, multa odia & aperta bella uigerũt, quæ res & Australi dominio nocuerunt, et Poloniæ non profuerunt. Iam tempus esset his dissidijs imponi finem, & aliquando in amicitiam gratiamq; reuerti. Nam quid peius est quã regnum aduersus regna insurgere, & regiũ sanguinem insidiari regio sanguini? Cumq; usus habeat Reges inter se fratres uocari, quid absurdius est quàm fratrem insectari fratrem? ciuile bellum struere ac paricidium meditari? Facta sunt hæc iamdudum, sed cum damno ambarum partium. Itaq; iam tẽpus esset ut admonitæ cladium suarum partes inimicitijs modum imponerẽt. Sed ista moueri nequeũt, nisi magni uiri manũ apponãt: & quippe dum ego hæc animo reuolno, non possum arbitrari, quis alius sit inueniẽdus huic rei idoneus quã V. R. P. Itaq; loquor aperte dicamq; quid sentiam. Duæ sunt uiæ, quibus finiri dissidia inter Austriam Poloniamq; possunt. Vna est si uel Austriam Poloni deleant ferroq; sibi subijciant, uel econtra Poloniam bello superarent Australes. Altera est si reuentum fuerit in gratiam, & utrinq; renouata sit amicitia. Prior uia admodũ difficilis est. Et licet in ea multis iam annis elaboratum sit, adhuc tamẽ & Australes suum & Poloni suum imperium tenent, & alter alterius insidias conatusq; timet. Nec uideo quo pacto

A pacto ætuo nostro, altera pars, alteram posſit exterminare, quia utrinque magnæ ſunt ui-res, & multũ ſanguinis effundẽdum eſſet, multaq; hominum centena millia neci danda, multæ ciuitates delendæ, multi agri cremandi, & infinita mala facienda eſſent, antequã una partium in poteſtatem alterius ueniret. At uia concordiæ ut ſalubrior eſt, ſic etiã facilior. Quæritur qui modi cõcordiæ ſint. Nempe facilius beneficio quã gladio uincitur inimicus. Non iniuriæ adijciendæ ſunt iniurijs, neq; mala malis cumulanda, ſed purganda primo contumacia eſt, poſt damna reſarcienda, exinde beneficia ſubiungenda. Qui hoc egerit, is iam non inimicum ſibi placabit ſolũ, ſed reconciliabit incorporabitq; ſibi, & ſocium ex aduerſario, amicum ex inimico, fratrem ex hoſte faciet. In hac igitur re uidendũ eſt, unde prior iniuria properet, & illinc medela ueniat, unde uulnus illatum eſt. Non enim qui fert, ſed qui infert iniuriam emendare debet. Hic ergo uidendum eſt, quo pacto inuicem cõueniamus, nedum ego læſas Auſtrales contenderi V.R.P. inficietur. Libet igitur mihi ſcribere quid ſentiã, ut corrigatis ſi falſum fuerit. Loquor ingenue, clare, aperte, ut inter amicos fieri debet, nõ ut regno ueſtro, quod eſt nobiliſsimum, detrahã, ſed ut eo melius inueniri cauſa poſsit, quo uulnera magis detecta fuerint. Veſtra uero R. P. libertati meæ ueniam dabit, ſi quid eſt quod offendat, quia in bonũ loquor: Nolo altius exordiri, ſed rei principiũ Gulielmus dux Auſtriæ dedit. Huic filia Regis Ludouici, qui Vngariam Poloniamq; poſsidebat, in matrimoniũ coniuncta fuit, regnumq; Poloniæ

B in dotem datum: nec diu poſt Poloni nulla iniuria laceſsit, niſi quod imperium Teutonicorum ferre nolebant, Gulielmum regno expulerunt, ac non ſolum regnum, ſed nuptam quoq; ſibi abſtulerunt. Nec contenti hoc, abominandum aggreſsi facinus, memoriaq; noſtra inauditum ſcelus adorſi, Reginam quæ alteri nupſerat, nouo regi coniunxere, quamuis illa prioris mariti memor, nunquam uolens nouo nupto cõiacuerit. In hoc non ſolum læſi ſunt, Auſtrales regno priuati, quod ex dote ueniebat, ſed in honore quoque uexati ſunt, dum nupta eorum in concubinatu tenetur. Poſt hæc tanquam parũ fuiſſet, Gulielmum abieciſſe, cum Albertus dux Auſtriæ Bohemiæq; & Vngariæ Rex & imperator Romanorum Sigiſmundi regnum, quod ſibi atq; uxori in Bohemia obuenerat, armis uendicaret, Poloni patrocinium, Taboritarum & Sequacium ſuſceperũt, iunctiq; ipſis Alberto bellum intulerunt. Et quamuis præſidium illorum induerint, magno tamen ſe crimine polluerunt, dum aduerſus iuſtitiam auxilia talibus præbuerunt. Polonorum ergo opera factum eſt, ut regnum ſuum Albertus conſequi, totum non potuerit, neq; compeſci Taboritarum furor, qui ob tutelam Polonorum uſq; in hanc diẽ in pertinacia manent. Aliquando uero, aut iã reducti eſſent, aut exterminati, quãuis & antea Sigiſmũdo imperante cũ Bohemis nondũ Eccleſiæ unitis fœdus per ueſtros Bohemos percuſſum fuerit, miſſusq; contra Sigiſmundum uerum Bohemiæ Regem alter

C Sigiſmundus Coributi. In qua re non ſolũ Auſtriæ nocumenta illata ſunt, quæ Sigiſmũdo ſucceſſura noſcebatur, ſed autoritas quoq; eccleſiæ, & ipſa fides catholica læſa eſt, totaq; reſpublica Chriſtianorum: parcite ſic loquenti: Sic exponi enim res debet ut geſta eſt: mihiq; ſic relatum eſt. Poſt hæc cum iam de medio ſublatus eſſet Albertus in eius filium graſſati ſunt debachatiq; ueſtri Poloni. Namq; licet Elizabeth Regina filium, Ladiſlaum ex Alberto peperiſſet, ac uti moris eſt, diademate apud Albam regalem decoraſſet, Poloni ueſtri per quoſdã Vngaros incitati rurſus noua bella ſuſcitarẽt mittẽteſq; Vladiſlaum Regem ſuũ admodum iuuenẽ et innocentem, regnum Vngariæ uſurpare conati ſunt, cuius magnã partẽ inuaſerũt, ueri Regis infantis pupilli & orphani iuribus inſultantes. Neſciẽtes tamen quod dum alienum regnũ quærunt, ſuũ negligunt, ac gentibus & pecunia exhauriunt. Hinc ſecutũ eſt quod dum regno Vngariæ uolunt diutius potiri, adoleſcentẽ regem contra Turcos armant, quãuis fœdera eſſent induciarum iuramento firmata. Itur ad bellũ, cõmittitur prælium. Ibi ſeu captus eſt, ſeu occiſus Vladiſlaus, pœnaſq; non ſui criminis, (nam ipſe per ætatem non erat accuſandus) ſed ſuorum conſiliariorũ delicti dat. Sic nobiliſsimus iuuenis regaliſq; ſanguis plus mali incidit ex ſuorum ſuaſu, quã Auſtrales ſibi unquã optauerint. Sic res actæ ſunt, niſi fallor. Quapropter nõ Auſtrales, ſed Poloni potius factũ ſuũ emendare debent. Quæritur forſitan quæ

posſit menda reperiri. Nam tot illata ſunt per Polonos Auſtralibus damna, ut nec ipſa Polonia recōpenſare quæat. Ita eſt: nam & Bohemiā & Vngariā uſqꝫ in hāc diē adipiſci Auſtrales non poterant propter impedimēta Polonorum: imo & ipſa Polonia priuati ſunt iniuria. Quid igitur fiet? nempe ſat erit Auſtralibus ſi finis tandē nocendi fiat: quantum ſentio, quantum capio, quantū uiri huius curiæ magni me inſtruunt, nō petunt Auſtrales magnum aliquid ex Polonis, ſed ut nocere deſinant. Sic enim reintegrari beneuolentia ſepoſitis poſſet odijs. At hoc R. P. non minus Poloniæ conduceret quàm Auſtriæ. Scio quia ex uetuſtis bellis parum lucri Polonia ſenſit. Namqꝫ ex Vngaria, nec ex Bohemia quicquā auri uel argenti in Poloniā delatum eſt. Sed ipſa Polonia ultro & pecuniā & homines (qui ſunt enim theſauro nobiliores) tranſmiſit, & in Vngaria nuper ſuum Regem perdidit. Accepi præterea introitus regni ueſtri pro maiore parte inpignoratos eſſe, in tantumqꝫ cōmune ærariū defeciſſe, ut uix reperiri poſſit, qui regnū ueſtrum ſuſcipere uelint. Tantaqꝫ nunc rerū mutatio facta eſt, ut qui regnis alijs dare Reges uolebatis, iam non facile poſsit (inuenire) qui rex inter uos eſſe cupiat. Eſſent igitur iſta cōſideranda, quia nō ſunt abſqꝫ iudicio Dei, qui ſuperbis reſiſtit, et humiles extollit. Quod ſi ueſtri Poloni antiquis odijs poſttergatis, ſalutem ſui regni ſolummodo quærerēt, die noctuqꝫ cogitarent, quo pacto in Auſtralium amicitiā fraternitatemqꝫ reuerteretur. Eaqꝫ ſibi uia non minus quā Auſtriæ conſulerent. Scriberent Bohemis ut ſuum Regē peterent, illiqꝫ ſoli ſeruirēt Ladislao Alberti filio. Scriberēt Vngaris ne amplius cū Auſtralib. diſſentirent, ſed regem ſuum repeterēt, qui ius habet ſucceſsionis, nec de Vladiſlao curarent, qui uel mortuus eſt, uel ſi uiuit, ſatis habeat in Polonia ubi regnare poſsit. Exinde ſignificarent Regi Romanorum ſe hactenus in Bohemia & Vngaria reſtituiſſe Auſtralibus, non odij cauſa, ſed ut ſuo regno conſulerent. Nunc uero intueri ſe, quia non bene fecerunt, uelleqꝫ factum corrigere præſtando auxilia, ſi opus ſit, quibus Ladiſlaus & Vngariam poſsit, & Bohemiam uēdicare. Sic poſſet optima pax inueniri: ſic regnum ueſtrum tutiſsimū redderetur, quia ex his artibus extinguitur furor, ira uincitur, inimici placantur, & hoſtes reddūtur amici. Hæc dixi latius fortaſſe quā expediret apud V. R. P. quæ omnia melius nouit. Cæterum non ambigo quin pro defenſione ueſtri iuris, ueſtriqꝫ honoris multa poſsitis dicere. Hæc quæ facta dixi, non tanquam interfuerim retuli, ſed tanquā audita recenſui. Veſtra inſignis & reuerenda. P. ſcit quomodo res ſe habeat, utcunqꝫ ſit, certum illud eſt, regna melius defendi beneuolentia & amore quàm uiribus. Mihi conſultum uidetur, cum Poloni aliquādo cum Auſtralibus amici potius eſſe uelint quā inimici, quia ubi eſt odium, ibi metus eſt: ubi metus, nulla tranquillitas, nullaqꝫ pax eſſe poteſt: Sine pace uero nullius regni ſtatus poteſt eſſe diuturnus. Nunc ergo tempus eſt, ut ſuper his habeatur cogitatio. Verum niſi ueſtra R. P. iſta curet, qui alius mentem adhibeat ſcio neminem. Veſtrum eſt igitur hæc aggredi, tum pro ſalute communi, quia non poſſunt hæ duæ domus, ſine domo totius Chriſtianitatis inuicem diſsidere: Tum propter pacem & bonum regni ueſtri, tum denicqꝫ propter augmentum nominis famæqꝫ ueſtræ, quæ me prius ad ſcribendum impulit. Potiſsimæ aūt, ut ex hoc magis ac magis autori pacis placeatis, dum pacis ſtudio intenditis. Plura poſſem dicere, ſed eſſent incaſſum omnia apud ueſtram D. quæ peritiſsima eſt. Ego me recommendatum do illi, cupientem ſibi in aliqua re morem gerere. Hieronymus Canonicus Vratislauienſis, uir prudēs ueſtriqꝫ amantiſsimus hic fuit, nec ueſtram famam neglexit. Is ſi illuc reuerteretur, quale ſit apud nos ueſtrum nomen multo melius referret, quàm ego ſcribere quæam. Noui quid hic ſit non eſt ſcribendū, quia incertum eſt, multa dicuntur ſine autoritate ueraci. Vngari hic ſunt, & tractant de regno cum maieſtate imperiali nomine Ladislai Regis. Bohemi quoqꝫ conuentum in breui ſunt habituri.

Res feliciter diriguntur: Nec ad Ladislai & Cæſaris ſtatum & gloriam.

Valeat optime ueſtra R. P. cui me humiliter facio commendatum. Ex Vienna.

Homines

A *Homines uarijs usibus delectantur differenti modo.* *Epist.* CII.

Aeneas Syluius Poëta, imperialisq; Secretarius, S. P. D. magnifico uiro domino Caspari Schlick, imperialis aulæ Cancellario.

Diuersa hominum studia sunt, quibus & se principibus insinuant, & uitam agant. Quosdam iuuat in stadio currere, & olympicũ colligere puluerem, ac feruidis rotis curruum palmã nancisci nobilem. Qui semel & in theatro clamore uulgi sublatus. Qui uel luctando, uel hasta feriendo uicit æmulum, haud perduci potest aliã ut uitam sumat. Attalus Rex Pergamenorum, qui Romanum populum sibi fecit humilem, de agricultura diligenter scripsit. Si quis eum secutus multum frumenti condidit horreo, ac semel gauisus est findere sarculo paternos agros, nunquam dimoueri potest, nec persuaderi ut nauta fiat, & trabe Cypria myrtoum secet pelagus. Verum cum aduersi aliquid suo in studio quisquã perpessus est, mox alterius uitam laudat, nec tamen accipit illam. Mercator postquam luctantes uentos in medio mari expertus est, & instãtem procellã timet, ocium laudat, & oppidi rura sui, uenturũq; se in patriam nusquã se exiturum deiurat. At ubi cessauit tempestas, mox quassas reficit naues, & indocilis pauperiem pati rursus se mari credit. Sunt qui diem totam bibendo assumunt, & nũc membra sternunt sub uiridi arbuto, nunc ad fluentem leniter aquam caput collocant. B Quosdam castra iuuãt, & tubæ sonitus permixtus lituo siue cornu recuruo, ac bella detestabilia matribus. Venator cuius fideles catuli ceruam uiderunt, aut cuius teretes plagas ualidus aper, ut est apud Marsos, rupit nocte tota sub Ioue frigido, quẽ nos aërem dicere possumus, manet immemor domus & teneræ coniugis. Quid singula referam? Me nihil magis delectat quàm hædera, quod præmium est doctarum frontium. Me gelidum nemus oblectat cum Musis esse, non cum populo placet mihi. Exhibeat mihi tibias Euterpe, quam bene delectantem interpretamur, & organum suum in modum lyræ compositum quod Barbiton appellant, Polymnia mihi tradat, quæ uel multæ laudis, uel multæ memoriæ dicitur musa, non erit in posteris meum nomen obscurum. Et potissime si tu mihi Caspar fauebis uitæ præsidium, & dulce decus meum. Vale.

Inundatio Danubij, & grando in quantitate oui. *Epist.* CIII.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. Leonardo Fillsecher præstanti militi amicoq; optimo.

Annis pluribus inauditum est tot aquas inundauisse, quot his diebus nosipsi uidimus apud Nouam ciuitatẽ excreuisse. Tu res bellicas comparabas Viennæ quibus maiestas Regia usura erit in castris: nos tuum reditũ operiebamur, uix duarũ C horarũ tempestas incũbit, sed adeo ingens fuit, ut intra mœnia urbis excurrere Danubius crederetur. Nam neq; uicinus domũ accedere uicini audebat. Grando è cœlo in modũ oui cecidit, ubiq; coruscationes uidebãtur, audiebãturq; tonitrua. Per id tẽp. paruus torrẽs, qui Viennæ mœnia præterlabitur in tantũ excreuit, ut plerasq; domos cum patribus & familijs asportauerit. In Bauaria circa Straubing & armenta uirosq; tempestas occidit. Agri complures qui fluminibus contermini fuerant, frugibus, atque superficie inuelati sunt. Plurimum Deus niuis & diræ grandinis è cœlo misit. Ac rubente dextera iaculatus, fulminas templorũ arces populos & urbes terruit. Veritæq; sunt gentes ne redirent graue seculũ Pyrrhæ atq; Deucalionis. Siue & nostri uolunt nouæ quando super omnes montes diluuium inundauit, quando noua maris monstra uisa sunt in terris, et quãdo Protheus Deus pelagi, uti gentiles uoluere omnes, pecus piscium altos egit montes uisere, quãdo in summa ulmo cethe stetit, ubi nota fuerat columbarum sedes, ac quãdo pauidæ Damæ in æquore natabant super terras effuso, imperante quondam Augusto retortis flammis Tyber undis supra littus Hetruscum creuit, atque usq; ad monumenta Numen Pompilij Regis templaq; ueste profectus est, sicut & postea sæpius fecit. Sicut adhuc inscripti lapides apud fratres Mineruæ Romæ ostendunt. Tunc arbitrabantur Romani fluuium, quasi numen haberet, ulcisci uelle Iulij mortem in consolatio-

ſolationem Iliæ Romuli atque Rhemi matris, ex quorum genere Cæſar deſcendebat. Nec deerant qui putarent Iliam ſiue Rheam Veſtalem uirginem ex compreſſu Tyberis peperiſſe, quamuis de Marte uulgatior eſſet fama. Itaque putabatur amnis uxoris iniuriam ulciſci uelle. Quidam uero excrementum ciuilia, quæ poſt fuerunt, bella protendere opinabantur. Inter Anthonium namq; & Auguſtũ apud Accium pugnatum eſt: cum Bruto & Caſsio in Græcia: cum Sexto Pompeio in Sicilia. Nos autem Leonarde, futuri ſpeculator quidnam dicemus hæc diluuia ſibi uelle? nunquam res inſolitæ abſque magni alicuius mali ſignificatione proueniunt. Sed nunquam rurſus malum eſt uniuerſale. Nam quod uni nocet, alteri prodeſt. Fredericus Cæſar iam profectus eſt cum exercitu aduerſus Vngaros. Iam territi hoſtes, pacem petunt. Iam tranſigitur niſi conueniat inter partes, & hoc tecum arbitror tempeſtatem illam deſignaſſe. Vale & me ut ſoles ama.

Triplicis problematis reſolutio, Epiſt. CIIII.

ADerat nuper Cæſarea Maieſtas multorum Baronum ac nobilium ſtipata cateruis, dum mihi hoc in loco, uir præſtantiſsime, diſputator uehemens, atque ſubtilis, inter alios tria, ſi recte memini, obtuliſtis problemata. Fuitq; tunc auditorium iſtud tam doctoribus quàm diſcipulis frequentiſsimum. Ex illis primum fuit. Vtrũ prudentia ſit idem habitus cum ſcientia morali tradita in libro Ethicorũ, Politicorum, & Oeconomicorum, & in libris Canonum & Legum. Secundum: Cur Poetæ noſtris temporibus ſint adeo pauci, cum uideatur multum utiles & neceſſarij. Tertium: quod in Cancellaria fortaſſe nota excogitatum eſt, aut riſus cauſa propoſitum, Cur uiles cutes cadauerum et antiquæ camiſiæ cum cæra in Cancellarijs uenduntur pro optimis muneribus. Hæc ſunt niſi fallor quæ ueſtra ſingularis prudentia, Magiſter & diſputator inſignis, ex me percontata eſt. Quæ fuerunt, & alij duo qui illic aſsident quædam alia, ut moris eſt in diſputatione quæ de re qualibet habetur, illa ego memoriæ nõ teneo. Neq; enim Cineas ſum ille Pirrhi legatus, qui altera die qua Romam intrauerat uniuerſum ſenatum & equeſtrem ordinem proprijs nominibus ſalutauit, tanta eum fuiſſe memoria tradunt hiſtoriæ. Reſpondebo igitur his tantum tribus quæ retuli problematibus. Nec uerebor me dicere imparatum fuiſſe cum illa quærerentur. Nam & Demoſthenes qui omnium Græcorum præcipuus orator fuit, interrogatus iuſſuſq; ſententiam in ſenatu dicere non erubuit imparatũ ueniſſe, reſpõdere. Quidam adeo cupidi gloriæ ſunt, ut ex tempore uelint cuilibet interrogatiunculæ ſatisfacere. Sed his ſæpe dum gloria quæritur, ingens ignominia creſcit. Nec enim humanum eſt cuilibet interroganti bene reſpondere, ſed eſt huius auditorij tanta moleſtia, ut data ſit unicuique ad cogitãdum mora, qua nunc ipſe uſus paratus adueni ueſtris petitionibus, Magiſter ornatiſsime, ac huius uniuerſitatis clariſsimum iubar non ſolum reſpondere, ſed etiam ut opinor ſatisfacere. Nihil tamen dicam, quaſi ueſtram doctrinam inſtruens, ſed tanquam meam ignorantiam erudiens, uerum habeo daboq; locum reſponſis ueſtris, quibus me melius & rectius admonueritis. Cum igitur quæritis utrum prudentia ſit idem habitus, ſicut ante dixi, Negatiuam partem amplector, quam & ueſtrum argumentum tuetur, quod ſecundo loco poſuiſtis. Prudentia namque uiros bonos facit: Scientia uero illorum librorum etiam malos comitatur: ergo non eſt idem habitus. Aggrediamur tamen hoc altius, diffiniamuſque ſcientiam atque prudentiam. Omnes enim ut Cicero in libris Officiorum dicit, quæ ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à diffinitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id de quo diſputetur. Scientia igitur, ut Iſidorus tradit, eſt cum res aliqua certa ratione percipitur. Prudentia eſt cum diſcernuntur à bonis mala. Id ſi ſic ſe habet, laudabilior eſt ſcientia quàm prudentia. Plura enim complectitur. Nec Cicero ob hoc diſſentit, dum in Rhetoricis ait, prudentiã eſſe rerum bonarum & malarum ac utrarumque ſcientiam. Sed aliter Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ diffinit. Sic enim ait. Prudentia eſt amor eorum quibus adiuuatur in Deum ab his quibus impeditur ſagaciter eligens. Et alibi ſic diffinitur: Prudentia eſt rerum bonarum malarumq; cum alterum dilectione & reliquarum deteſtatione ſcientia.

A scientia. Secundum has diffinitiones qui prudens est, idem quoque uir bonus est, cum bona diligat malaq; detestetur. At scientia librorum Aristotelis & iuris quamuis bona malaq; noscat, non tamen hæc odire & illa diligere cogit. Plures enim peritiam illius habent qui sunt & auaritiæ & aliorum uitiorum serui, quia non mutat affectum cognitio semper quamuis instruat intellectum. Nam & Salomon qui sapientissimus fuit ac bonum & malum nouit, tanquàm uilissimum pecus luxuriæ sese tradidit, inter uxores trecentas concubinasq; septuaginta marcescens. Est enim scientia cognitio rerum mortua quæ uoluntatem mutare non potest, ut uel bonum cognitum amplectatur, uel malum fugiat. At prudentia radius unus est à uero sole procedens, quæ non illuminat intellectum, sed etiam calefacit affectum. Quod si quis neget, probari potest. Certum est enim Aristotelē, Tullium, Senecamq;, cæterosq; Philosophos inter uirtutes numerare prudētiam. Si uirtus est quæ sunt uirtutis facit. Virtus aūt uirum bonum reddit, ergo & prudentia uirum bonum reddit. Quod aūt uirtus hominem bonum efficiat ex diffinitione liquet. Sic enim Augustinus eam in lib. de quantitate animæ diffinit. Virtus est æqualitas quædam uitæ undique consonans rationi. Senecæ quoque sententia est, beatos uirtute fieri homines. Quod si uirtus beatos efficit homines, & prudentiam quæ uirtus est idem facere necessarium est. Scientia uero iuris totiusq; moralis Philosophiæ minime

[Legitur Salomonē uxores habuisse 700. concubinas uero 300. 3. Reg. cap. 11.]

B operatur: ergo uirtus non est. Si non est uirtus nec prudentia est quam constat esse uirtutem. Quærit fortassis aliquis: quomodo fieri potest ut sciens bonum non operetur. Facilis responsio est. Plurimi sunt qui in Gymnasijs Musicam docent, qui cantare uel minimum uersiculum in ecclesijs ignorarent: sicut apud Athenienses Themistocles qui in cōuiuio recusasset lyram habitus est indoctior. Nec omnes Medici qui in practicam legunt, mederi sciunt. At usus communis, apud quem, ut Flaccus ait, arbitrium est & uis & norma loquendi. Prudentes uero non qui bonum à malo discernunt, sed qui bonum operantur, appellat. Erit igitur prudens qui scit, uult, & agit quæ bona sunt. Scioli autem moralis Philosophiæ iurisq; periti cum aliquando sceleratissimi sint, non possunt appellari prudentes. Plus inquam, nam & si operentur quæ in eorum libris didicere, nihil ultra quærentes, extra tamen prudentium numerum remanebunt. Prudentes namq; nunquā errant, semper enim quæ bona sunt operantur. Qui uero per omnia sequitur Aristotelem, cum is semper Deos nominet, in errore manebit. In iure ciuili non desunt ineptiæ: nam & eorum libri aiunt legem quanquam duram, esse seruandam. In iure pontificio dietim mutationes fiunt, ut sæpe quod iustum est hodie, cras fiat iniustū. Nec possibile est ut iura & Aristotelis scripta præcipiant simul uiuere, quæ sunt inuicē sæpe contraria. Si quis igitur prudenter uiuere uult, eum plura scire oportet quam libris huiusmodi contineatur. Ex quo liquet peritiam illorum quos dixi, librorum nedum pru

C dentem hominē minime facere, sed nec omnia docere quæ sunt prudētiæ necessaria. Aliud igitur est prudētia et aliud rursus moralis scientia. Nec obstat argumentū uestrū loco priori positum: quāuis enim prudētia circa ea uersetur quæ sunt ad uitā humanā bona, ac circa eadē sciētia moralis cōsistat, nō tamen idētitas sequitur: nā modis inuicē diuersis se habēt. Scientia enim solū intelligit quod est bonū: prudentia uero postquā nouit, etiā operatur, ut ante dixi. Astronomia de cœli cōuersione stellarumq; cursib. notitiā præbet. Idem facit Astrologia, quia hæc tamē superstitiosum quid habet, dū syderū cursu necessitates hominū & mores prædicare conatur, aliud Astronomiā esse & aliud Astrologiā dicimus. Et hæc ad primā positionē. Trāseo aūt quantū ad interrogationē secundā. Cur tā pauci sunt nostris tēporib. poëtæ, cū uideantur multū utiles & necessarij. In qua re uir doctissime, ago uestræ prudentiæ ingētes gratias, quæ mihi occasionē dedit de poesi publicè loqui. Sunt enim plerique homines qui poëticam ignorantes inuidorum more poëtas contemnunt, atq; ut soli omnium literatissimi reputentur, ea solum probant, quæ ipsi sciunt. Quod uitium late patet ubiq; terrarum. Istorum ergo iustitiam atque impudentiam contundere menti erat meæ: sed non ingerebat se tempus commodum quod nunc mihi datū esse admodum lætor. Verū ego, magister clarissime, paucos esse nostris tēporibus poëtas non miror. Semper enim pauci rarissimiq; fuerunt. Quia non datur passim

cuilibet diuina poësis. Sed eos despici atque contemni nedum miror, sed indignor, stimulor, turbor ætatique nostræ condoleo, quæ tam splendidum iubar tantumque decus humanæ atque diuinæ scientiæ tam necessarium munus à Deo datum nihili faciat. Nam priscis temporibus cum sapientia uirtusque uiguit, tantus honor huic doctrinæ impendebatur, ut sicut post uictoriam imperator, sic & post consummatum studium poëta laureatus per urbem triumphali curru sequentibus ciuilibus ac festum agentibus duceretur. Hinc & Iulius Cæsar Romani fundator imperij, & Augustus successor eius ad magnā sibi laudem reputarunt in collegio recipi poëtarum. Nec ægre tulit Iulius cum sibi collegium intrāti non assurgeret Accius quem poëtam norat se esse præstantiorem. Scipio Affricanus maior, poëtam Ennium adeò dilexit, ut eum uiarum suarum omnium comitem habere uoluit, eiusque statuam in suo sepulchro collocari mandauit. Lisander Lacedæmoniorum imperator dum obsideret Athenas quia comperijt poëtam Sophoclem interiisse, corpusque suum adhuc inhumatum esse, inducias dedit ut poëtæ magno congruæ fierent exequiæ. Alexander amicæ filius Rex Macedonum Pindarum poëtam apprime dilexit. Archilaus qui ei succesit, Euripidi tragico cōsiliorum summam credidit. Alexander magnus cum transisset in Asiam uidissetque tumulum Hectoris, O fortunate, inquit, adolescens, quem talis tuba decantauit. Voluisset nempe & ipse Homerum alterum habuisse qui suas laudes cecinisset, sed non fuit adeo felix. Cherillum tamen poëtam multis donauit muneribus & si fuit ineptus, ut Flaccus inquit. Cum ergo tales tantique uiri poëtas amarint & honori habuerint, eosdem nostris temporibus contemni non indignè miror. Verum quia dicitis in quæstione uestra, magister grauissime, poëtas uideri utiles & necessarios, constat ex hoc uestram prudentiam non nihil detraxisse dignitati poëticæ. Non enim, ut sunt, poëtas utiles dicitis, sed uideri utiles. Plura namque uidentur utilia quæ non sunt. Est igitur huic parti obuiandum, monstrandumque poëtas & utiles & necessarios fore. Quod paucis agam. Nempe omnis doctrina quæ uitam erudit humanam utilis est: huiusmodi est poëtica: ergo utilis. Dubitabitis fortasse quæritisque, quo nam pacto erudiat homines poësis? Sed audite obsecro patrem sanctissimum & omni reuerentia dignum Basilium. Ego, inquit ille, à quodam uiro qui ad uestigandas poëtarum mētes acutissimus habebatur, audiui, cum diceret totam Homeri poësim laudem esse uirtutis, & eo potissimum loco, dum naufragum & nudum Vlyssem refert, quandoquidem pro uestibus uirtute illum dixit esse ornatum. Quid enim tūc aliud clamat Homerus, quā ò homines, sit uobis cura uirtutis, quæ etiam cum naufragio simul enatat. Quid sibi uult aliud Virgilius dum ait Asconio Aeneas. Disce puer uirtutem ex me, fortunam ex alijs. Et iterum: Macte noua uirtute puer, sic itur ad astra. Est igitur utilis poëtica quæ laudando uirtutes in earum amorem allicit homines: hinc illud Iuuenalis. Nobilitas sola est atque unica uirtus. Est & iterum utilis, quia uitia detestatur, arcetque ab his homines. Quod tribus uerbis Iuuenalis pulcherrime facit dum ait: Nemo malus felix. Est & aliter utilis poëtica. Nam Dei nostri laudes nullo pacto suauius aut melius decantari possunt quàm uersibus poëtarum. Hinc omnes apud Hebræos Psalmi, ut inquit Isidorus, metrico carmine constant, atque in morem Flacci Romani & Græci Pindari, nunc iambici sunt uersus, nunc alcaici, nunc saphici. ob quam causam & Dauid Regem sacrum poëtam appellamus. Salomon quoque cuius sapientiam tam nostri quàm Iudæi magnopere demirantur, in numero poëtarum fuit. Tres enim quos lingua sua composuit libros, Parabolas, Ecclesiasten & Cantica Canticorum, hexametris atque pentametris uersibus currere uoluit, sicut Iosephus, Hieronymusque testantur. Esaias quoque Canticum suum eadem metrorum quantitate conscripsit. Nec Hieremias poëtæ nomen abhorruit, qui sicut Isidorus ait, pleraque ex suis opibus diuerso metro composuit. Quæ idcirco retuli, ut uideatis etiam domesticos fidei, poëticæ nauasse operas: quos & Christiani secuti sunt, uti Damasus, Ambrosius, Gregorius, & alij qui postea diuersis poëtarum mensuris hymnos scripsere. Nam qui de Ioanne Baptista canitur hymnus, saphicum carmen habet. Vt queant laxis resonare fibris. Transeo Boëtium Seuerinum, qui licet Philosophus

A losophus sanctus fuerit, nullum tamen genus carminis neglexit. Duo tantummodo referam exempla, quibus utilem constat esse poëticam. Inter Athenienses & Megarenses de proprietate Salaminæ insulæ prope usque interitum armis dimicatum fuerat. Post multas clades capitale esse apud Athenienses cœpit, Si quis de iudicanda insula legem tulisset: quam rem Solon cum aliter non posset, insuetis sibi uersibus perturbauit, atque animos ciuium arte poëtica sic cœpit, ut exemplo bellum aduersus Megarenses decerneretur, insulaq; deuictis hostibus, Atheniensium fieret. Refero aliud: Inter Messenios atque Lacedæmonios bellum erat, dux Lacedæmoniorum Thirthæus, poëta Atheniensis claudus fuit. Cumq; multa sinistrè perpessi essent Lacedæmonij, ne contra fortunam pugnando maiora detrimenta ciuitati inferrent, reducere exercitum uoluerunt. Sed interuenit Thirthæus qui composita carmina exercitui pro contione recitauit. In quibus hortamenta uirtutis, damnorum solatia, belli consilia scripsit. Itaque tantum ardorem militibus iniecit, ut commisso prælio mox uictoriam obtinuerint. Sic duæ clarissimæ ciuitates Sparta & Athenæ quæ duo totius Græciæ oculi putabantur, consilio & ingenio poëtarum releuatæ sunt. Nunc an sint poëtæ, necessarij uideamus. Nempe dici necessarium debet illud sine quo bene non possumus uiuere: sed absque poëtica nulla respublica bene uiuit, ergo necessaria est. Dicunt aliqui & sine poëtica plures bene uixisse, fuisseq; sanctos. Sed ego non unicuiq; necessariam poësim dico, sed in communi reipublicæ: quia non bene uiuunt ciuitates, nisi sint qui benè mores suadeant, & uitia confutent: quod proprium poëtarum est, qui mille modis milleq; artibus sciunt hoc probare & illud redarguere. Instabitur rursus diceturq;, melius hoc Oratorem facere, cui uerborum milia suppeditabunt. Non nego. Nam qui sermones habent ad populum, quamuis Theologi sint, in ea tamen parte Oratoris funguntur officio. Et nisi præceptis utantur oratorijs, quæ quibusdam uel sine arte natura ministrat, parum proficiunt. Sed Oratoris dicta non hærent menti. Et quia soluta sunt, facile dilabuntur. Poëticæ sententiæ breues sunt, ligatæq; pedibus, absq; negotio retinentur. Hinc est quod in omni gente quantumcunq; barbara, inhumana, fera, poëtæ reperiuntur si non Latini, saltem uulgares qui uersibus sententiosis graues materias sub breuitate concludunt. Qui & si nomen poëtarum illustre, tantaq; dignitatem ferre non ualeant, poëtica tamē utuntur. Addite quod elegantia sermonis, lux, expolitio, breuitas, grauitas, haberi non potest nisi ex poëtarum fontibus hauriatur. Hinc Hieron. Lactant. August. Ambrosius, Cyprianus, Leo, et cæteri qui literas sacras ornatissime commentati sunt, studiosi fuerunt poëticæ, sicut eorum scripta demōstrant, poëtarum dictis ubiq; referta. In Aristot. uoluminibus omnes scitis quā crebra & inculcata sint testimonia poëtarum. Quamuis moderni doctores non sine graui damno catholicæ fidei poëticā spernant, quæ proculdubio necessaria est. Sed tibi ferre gratias Deo tuasq; laudes pulchre cantare debemus. Nec enim alij sunt qui psalmodiā, dulcesq; hymnos ac suauissima de Deo suisq; sanctis carmina recte componere norint, nisi poëtæ quos tam utiles, et ut monstratū est necessarios, mirandum est dignis honoribus non efferri. Et maxime cum eorum doctrina (sicut Cicero tradit) & Philosophiam & alias scientias uetustate præcedat. Cuius repertores Musæus atq; Orpheus reputantur, qui uicini fuerunt Saturni temporib. Nunc tempus est ut eorū argumenta dissoluā, qui poëticæ solent detrahere poëtasq; carpere. Sic enim aiunt, poëtarū libri Deos esse plures affirmāt, eosq; discordes. Plura quoq; in his adulteria & nephanda crimina cōtinentur, ac nunc amorem suadent illicitū, nūc alia uitia probant. Quod si beatus Hieron. idcirco se cæsum ab angelo narrat, quia Ciceronianus esset, cum tamē Cicero totus moralis existat, quibus tandē uerberibus afficiendus erit, qui poëtarum lenocinijs oblectatur? Plato quoque in his quos edidit de reipub. libris, poëtas censuit ex sua, quam ordinauit, ciuitate pellendos, & blandis orationibus, uiribus animos demolliret, sicut Cicero in Tusculanis refert et probat. Hæc sunt quæ aduersus poësim cōmuniter dici solēt. Quib. non erit mihi arduum respondere, si uobis facile fuerit audire. Nam quod in poëmatibus de dijs mētio fiat, non poëtarum culpa sed temporum

(margin letters: B beside "ne uixisse, fuisseq; sanctos"; C beside "dubio necessaria est")

porum fuit, quibus idola colebātur. Nec enim soli Poëtæ de dijs loquuntur, sed Philosophi & omnes scriptores illi9 seculi preter Iudæos, deos nūcupant, & illos se uenerari fatētur. Quod aūt crimina referant, non est reprehensibile: quando id agunt ut homines ab his deterreant. Nam & Theologi idē factitant. Qui uero uitia probāt, rarissimi sunt, nec quod duo tres ue faciunt in communi trahendum est. Nec idcirco uituperanda est poësis, quia quidam poëtarum errores tuentur. Nam si sic pergimus, nullam doctrinam sequemur, sed ipsam scientiarum matrem Philosophiam contemnemus. Nam & ipsos cōstat errasse Philosophos. Quid enim mollius aut languidius dici potest Epicuri sentētia, qui omnem fœlicitatem in uoluptatibus collocauit, & animas negauit immortales existere. Pithagoras inferos esse negauit, & animas hominum post mortem in alia putat animantia pertrāsire. Auerrois unam in omnibus corporibus animam esse rebatur. Quid Theologi, quos hodie, præ cæteris ueneramur, nūquid plures errauere? Quid Arrius? quid Eutides? quid Nestorius? quid alij penè infiniti unitatis Ecclesiæ diuisores? Quid æuo nostro Ioannes Huser atq; Hieronymus qui Cōstantiæ cremati sunt? Nec enim unquam tot hæreses seminare potuissent, nisi theologorum titulis se ornauissent? Verum sicut irreprehensibilis est Theologia, quamuis multi Theologorū oberrent, sic incorrupta est poësis, licet poëtæ, nonnulli uitia tueantur. Nec enim malum dici potest quo possemus uti bene. Alioquin nec liberales artes, nec mechanicæ probandæ uiderentur, cum his uti malè possimus. Quod autem de Hieronymi percussionibus obijcitur, Si quis Hieronymum attente peruoluerit, non propter Ciceronis lectionem accidisse comperiet, sed quia sic Hieronymus eum legebat, ut sacras literas fastidiret, quod ego nec laudo nec probo. Sed ita legendos Poëtas dico, ut eorum imbuti coloribus scripturam sacram ornatissime sciamus proferre. Nec enim sequendi sunt aliqui, qui ex floribus nihil sumunt præter odorem atq; colorem, sed imitandæ sunt apes, quæ mel etiam exinde norunt excerpere. Ad Ciceronem uenio, qui sententiam Platonis de poëtarum exclusione commendat. Quid hic dicemus: quibus ue armis tuebimur? Magnus est testis Cicero, sed is non ex proposito locutus est, sed quasi per transitum irritatus. Nam mox poëtas excusauit dicens, id ipsum Philosophos facere de quo fuerat poëtas insimulatus. Is alibi extensius loquitur multisq; uerbis nititur ut Architam poëtam ciuitate donent, magnam eos propterea & laudem & utilitatem consecuturos affirmans, ut extat eius oratio pulcherrima. Plato uero cum poëtas exclusit, etiam seipsum excludendum asseruit. Nam & ipse inter Poëtas locum habuit: cuius apud Macrobium uersus extant. Dum semihulco samo meum puellum sanior, & alij plures. Atque ut dicam quod sentio, poëtarum maxima laus est ex ciuitate Platonis excludi. Quis enim uir bonus in ciuitate Platonis domicilium uelit? ubi sicut Aristoteles in Politicis tradit, omnes fœminæ in communi habentur, promiscui more bestiarum concubitus, incerti filij ignorati parentes. Atque ista Platoni sufficiant respondisse. Verum ut de Poëtarum lectione in communi aliquid dicatur, Beati Hieronymi, in epistola ad Oratorem uerbis instructio seruanda est, qui de literis secularibus figuram esse in Deuteronomio dicit, Dum captiuè duci in matrimonium per Hebræos prohibentur, nisi capite raso et unguibus amputatis, quæ de dijs uerba fiunt, & abrasis amatorijs blandimentis, Vbi laudantur uirtutes sublimanturq;, uitia sine scrupulo recipiantur. Cui & magnus Basilius astipulatur qui similitudine de Apibus posita, Nec enim, inquit, illæ pariter omnes flores adeunt, nec si quos adeunt totos absumunt, sed eo ablato quod operi suo sit aptum, reliquum omne ualere sinunt? Et nos quoque si sapimus in poëtarum libris cum receperimus quod ueritati amicum consentaneumque sit, cætera omnia transgrediamur. Cum igitur ex testimonio magni Basilij sanctissimiq; Hieronymi, etiam ueteres gentilesq; Poëtæ recipiendi sint: cum antiquissima disciplinarum sit poëtica: cum magni ex ea & necessarij fructus resultent: cum Philosophi sanctiq; doctores pleni sint autoritatibus poëtarum: cum Cæsares atque Reges, omnesq; maximi uiri poëtas suis temporibus honorificè susceperunt: cum diuinæ laudes à nullis melius quā

à poëtis

à poëtis decantari possint? Non immerito sicut ab initio dixi, mirandum est nostro tempore uilipendi poëtas, quamuis in Italia iam resurgere cœperint, & pariter cum Theologis honorari. Nūc absoluenda est questiuncula: Cur tam pauci sint nostris temporibus poëtæ, quod nō solum ætate nostra, sed omnibus priscis temporibus contigit: plus tamē hodie quā unquā. Idq; cur sit nunc absoluam: Quatuor mihi huius rei uidentur causæ, si plures sunt nihil est cur mouear. Prima causa est, quia multa & uaria scire oportet eum qui sit poëta. Nanq; cum bella gesta suum sit scribere, cum tempestates, cum tempora, cum locorum situs, cum personarum conditiones, cum maris stratus ante oculos hominum ponere habeat, cum uirtutes laudare, uitiaq; reprehendere debeat, quis non uidet ad hæc bene tractanda multis artibus opus esse: multas autem artes pauci sunt qui assequantur, idcirco & pauci sunt poëtæ. Secunda causa est quia nemo poëta est, nisi cui hoc singulare munus ex alto traditum est, ut cautus et sententiosis uersibus humanos actus conscribat. Singularia autem munera excellentia paucis dantur, ideo pauci sunt poëtæ. Poësis namq; ut Cicero in oratione pro Archia dicit, Munus est Dei, nec arte uel imitatio potest haberi nisi uera dicēdi regula detur ex alto. Ex quo fit sicut idem Cicero asserit, ut non solum nostris, sed omnibus temporibus rarissimi poëtæ fuerunt. Tertia raritatis causa est, quia successu temporis crescentibus hominum uitijs, uirtutibusq; pereuntibus, sicut aliæ disciplinæ diminutæ sunt, sic & poësis ad nihilum uidetur redacta. Nā sicut nemo mihi uel Augustinum uel Hieronymum dabit, sic uel Virgilium uel Ouidium dabit nemo. Quarta causa est & in hoc ultimo loco, quia non redditur poësi suus honor, ideo pauci sunt poëtæ. Namq; ut Cicero dicit, honor alit artes omnesq; incendimur ad studia gloriæ. Vbi uero deest honor, ibi & studium deficit. Ac sic fit ut pauci nostris temporibus poëticam assequantur, quia non putant homines honorari ex ea, atq; idcirco negligūt illam. Absolutis duabus prioribus quæstionibus, instant ridicula, tertia nimirum inquisitio, Cur uiles cutes cadauerum, atq; antiquæ camisiæ cum cæra in Cancellariis uenduntur pro optimis muneribus. Tangit me hercle ista quæstio, qui unus sum ex Cancellaria, post quā Diuus Fridericus Cæsar in Secretarium suum me recepit. Soluam igitur quæstionem ex meo ingeniolo, quo in loco unum dicendū est iocosum. Viam solus asinus ibat, suasq; secum miserias querebatur, qui uinum portās, aquam biberet, frumentumq; in horreis ponens, fœnum manderet, sed hæc leuia reputasset, nisi quod etiam post mortem ex eius corio cribri fierent atq; timpana. Quē sic querulosum audiēs uarius paruū animal, Tace, inquit, asine, opus est post mortē labor. Nā isti qui dicuntur homines, cum aliquem uolunt sapientem facere, coriū meū adhuc pilosum recipiunt, frontemq; illius adornāt, quem uolunt esse sapientē. Doctores enim creantes meis eos pellibus uestiūt, meq;, quod est rerum omnium difficilimum, ex magnis bestijs uiros oportet sapiētes efficere. Sic enim corium meū fata disposuerunt, quod est mihi grauissimum & molestissimum. Audiuerunt hæc rectores Cancellariæ, uidentesq; in corijs cadauerum magnas esse uirtutes, non censuerunt illa paruo precio danda, sed ea atque camisias cum cæra sicut æquum erat, magno precio cœperūt uendere. Imitatiq; sacerdotes qui sonum campanarum, & fumum, & aquam, & uerba dantes magnis utuntur emolumentis, coria sua non putauerūt gratis danda: ac ut omissis iocis, ad seria redeamus. Ante chartæ et membranarum usum, indolatis ex ligno codicillis epistolarum alloquia scribebantur, sicut & Cicero & Damasus et Isidorus attestantur. Exinde tam Græci quā Thusci superinducere cæras inceperunt, illasq; graphio ferreo inscripserūt. Post hæc cartharum usus apud Aegyptum cœpit quæ ex decerpto papyri tegmine conficiebantur, ac postmodum ex lineis pannis iam ineptis alijs usibus. Ex inde Reges Pergami membranarum usum excogitarunt, quæ ex membris pecudū detrahantur, & adhuc propter memoriam loci Pergamena dicuntur. Quia igitur in chartis quæ ex uetustis fiebant camisijs, & in cutibus pecorum ad usum scribendi paratis res magnæ maximæq; notantur, non est iniuria hoc si magno precio uenduntur. Non enim res quæ continet, sed quæ cōtenta est in existimationē uenit. At sic tribus quæstionib. uestris excellentissime magister, hæc respōdisse sufficiāt, uestro graui & optimo iudicio nihilominus saluo.

Tibizando poëtæ scribunt ex ratione etiam principibus. Epist. CV.

Illustrissimo principi ex sanguine Cæsarum sato, Domino Sigismundo Austriæ, &c. duci Tirolisque comiti, domino suo secundario, Aeneas Syluius Poëta regalisque secretarius, S. P. D.

IN Cæsaris curiam quàm primum migraui, magna me cupido incessit tibi ut aliquid scriberem. Sed ueritus sum moderni seculi morem, cui nihil placet nisi quod est sui simillimum. Omnes hodie fere qui scribunt, quamuis unum alloquantur, numero utuntur plurali tanquam multiplicando personas plus honoris adijciant, reuerentioresque uideantur. Quæ consuetudo late in Germania patet. Et apud Italos aliquandiu uiguit. At postquam Franciscus Petrarcha omisso temporis sui squalore, priscam cœpit eloquentiam imitari, plerisque sic loqui placuit, ut castior ætas locuta est ueterum. Venit ex Græcia post hæc Ioannes Chrysolaras, qui Constantiæ sepultus est, uir plurimum literarum, cuius maiores orti Romæ Constantinum magnum post translationem imperij Bizantium, quæ nūc Constantinopolis dicitur, secuti fuerāt. Hic Italos iā scabrosi & obuoluti sermonis pœnitentes, non tamen plus habentes luminis quàm Franciscus attulerat, ad ueram eloquentiam reduxit: ita ut similis uideatur hodie Italorum facundia illi, quæ Octauiani temporibus uiguit. Si quis Leonardum Aretinum, Guarinum Veronensem, Poggium Florentinum, Aurispam Siculum, Anthonium Vicentinum et alios legeret, qui nūc uiuentes apud Italos florēt, in quibus et Tulianæ fluuius eloquentiæ, & lacteus T. Liuij Patauini riuus elucet. Hi nūc eos ad quos scribunt, singulari cōpellunt numero, quia tam Græcos quàm Latinos sic locutos fuisse commemorant: sicut Socratis & Demosthenis ac Ciceronis & Mœcenatis epistolæ ad maximos uiros scriptæ testatur. Nec gentiles solum, sed eos quos colimus, quos ueneramur, sanctos uiros imitari se dicunt, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, qui non solum homines, sed ipsam diuinam quæ omnia nutu suo regit, maiestatem adorsi sermonibus, præsta inquiunt, da, fac, concede, miserere, largire. Qui tamē multo ornatius pluralitate uti nouissent quàm nos. Sed uisum est illis recte loquendi ducibus ornatum omnem atque leporē confundi, si ut modo fit, locuti fuissent. His ego quoque consentio, nec meo nomine scribens, aliter quempiam compello. Ad te tamen daturus literas quid agam subdubito, ueritus ne tuorum hominum plus consuetudini tribuas quàm meo iudicio, & arbitraris forsitan regibus atque principibus non aliter scribendum esse quàm ipsi scripserunt, quibus mos est uti pluralitate. Mandamus, inquiunt, uolumus, facimus. Sed hoc quod ab humilitate traxit originem nephas est ad iactantiam ducere. Reges namque cum scribunt, & si dominatum habeant, ut quicquid eis placet legis uigorem habeat, ea tamen moderatione utuntur cum scribunt, ut præcipientes aliquid non se solos uideri uelint fecisse, sed cum aliorum consilio. Nec te moueat quod principes inferiores scribentes superioribus pluralem numerum tanquam superbiæ fomitem abijciant, sicut ad Cæsarem imperij principem missæ literæ manifestant. Scribit enim dux Mediolani: Supplico, peto, rogo, me uestræ Maiestati commissum facio. Nam & hoc rationem habet aliam quā arbitrere. Et quia inferiores potestates à superioribus deriuantur, non ab re est pluralitatem deponi cum inferior scribit, tanquam dicat inferior ad te loquens, O superior, aliorum uice uti non possum, quia tu illos mihi commisisti, quos erga alios repræsento, erga te minime, quia tu illos & me repræsentas. Quod uero regibus ac magistratibus consuetudo sit pluralitatem offerre, nihil te urgeat. Nā id est quod stomachabar modo. Quis enim idcirco pluralitatem principibus dedat, quod ipsi ea propter moderationem, utantur. Non honorare hoc est, sed deprimere atque contemnere tanquam nil ipsi sine subditis queant. Quibus si uellemus reuerentiam impartiri, quod ipsi modeste faciunt, nos honorifice fugeremus. Nec enim quia Romanus Pontifex seruorum Dei se seruum appellat, idcirco nos sibi scribētes eundem sibi reddimus titulum, sed pro seruo seruorum, patrem dicimus patrum. Hæc fortasse nimium longo sunt repetita principio, quæ me à proposito remotius abduxerunt. Spero tamen his factum esse ut uel mecum sentias, uel sequenti magnos autores, mihi des ueniam te singulariter alloquenti. Quod si alia ratione

A ne non facis, tua saltem singularis benignitas & innata te monebit humanitas. Nunc quid sit quod maluerim scribere, absoluendum est. Namque cum in hanc patruelis tui Cæsaris curiam ueni, multa mihi de tua præstante uirtute sunt dicta. Alius benignitatem præcipuam referebat, Alius mirificam honestatem atque modestiam, alius prudentem ultra quàm ætas ferret te prædicabat, alius te liberalem & iusti amantissimum affirmat, alius, quod raro inter huius ætatis principes reperitur, te Latini sermonis obseruantissimum commemorabat. Quibus ex rebus & mirari te simul, & amare accepi, & tanquam monstrum putabam adolescentem principem tot uirtutibus elucescere. Non tamen statim credulus fui nec omni uoci præbui fidem, accessi alios, percontatus sum uniuersos, reperi omnes uno ore loquentes. Nec ista apud me satis, adhæsi lateri tuo, & inter coronas nobilium tanquam explorator ingressus, mores tuos, dum adhuc me ignorares, sum speculatus: attendi gestus, sermonem, uultum, nihil non perlustraui, uidi modestum incessum, latinum incorruptum, notaui: famam res ipsa uicit, non potui mihi nō credere, sed oculos meos & aures tuarum uirtutum testes admisi, & earum factus sum prædicator quarum antea fueram inquisitor. Nec me ista in assentatoris modum referre censeamus. Ante omnia enim tibi suadeo, ut omne genus adulatorum quasi pestem teterrimam fugias, ut nullos homines magis detesteris, quàm eos qui tibi blandiuntur, B qui te coram laudant, qui omnia quæ facis probant, qui, ubi negas, negant, & ubi affirmas, affirmant. Aiunt, aio, apud Terentium inquit Gnato, & Iuuenalis si dixerit estuo, sudat. Nam hoc est genus hominum pessimum, quod principes maxime deijcit & præcipitat, timendum non solum adolescentiæ sed etiam senectuti. Cur tamen te palam commendauerim non tacebo. Elucent sanè in te, quas commendaui, uirtutes, sed illas non retuli ut glorieris, non ut te iactes, superbias, uel infleris. Solum hæc scribo ut custodias tantum bonum, ut serues & amplifices hunc thesaurum, ut sic te habeas quod uirtutes tuæ cum ætate crescant, & fias indies uirtuosior, ne in uitium aliquorum incidas, qui boni fuerūt iuuenes & pessimi senes: & ut est in prouerbio, bonus pullus, mala gallina. Ego enim cupio ut ex bono adolescente fias uir optimus. Quod eo tibi facilius erit, quo melius es nutritus. Et sanè debes ante omnia genitori tuo clarissimo principi grates referre, qui tuum animum excolendum putauit, qui te sub disciplina tenuit & præceptores tradidit eruditos. Hæc enim amplissima est suppellex, & hæreditas quàm principatus melior. Opes enim & potentatus & huius honores seculi bona fortunæ sunt, fluxa, mutabilia, caduca, quæ ut fortuna uult huc atque illuc feruntur. Illa enim mortale genus quasi in ludo habet, & hunc deprimit hominem, hunc extollit. Nec enim magnum est ex figulo Regem, & rursus ex Rege figulum facere. Hinc est Iuuenalis uersus. Si fortuna uolet, fies de consule Rhetor. Magnus Alexander subiecta India ut quantum C posset ostenderet, hortulanum quendam ad regni fastidium erexit. Diocletianus uero cum orbis haberet imperium, deposita purpura & fascibus, rigandis hortorum oleribus & plantandis arboribus operam præbuit. At animi bona quæ sunt, continentia, castitas, fortitudo, iustitia, moderatio, intellectus, ingenium, memoria, stabili quodam nexu adhærent homini, nec auferri à nobis nisi cum uita possunt: hæc uerè nostra sunt bona, hæc dum luce inter mortales fruimur, uitam præstant suauiorem, postquam migramus ex hoc seculo spem dant felicitatis æternæ. Cum ergo has dotes natura tibi concesserit, & parentis cura in te illas auxerit, monitum te esse uolo ut serues bonum quod est in te. Ad quam rem maxime necessarium censeo literarum studium quo iam initiatus existis. Quia tamen iam illas uideris quasi aliquid iugum abiecisse, non erit ab re si te ad eas coner reducere. Non enim ut aliqui arbitrantur, idcirco principes discunt litteras, ut latinum scientes participare cum alienigenis queant. Nam etsi hoc frugi est, alia tamen nobilior ratio est. Quoniam enim omnis bene uiuendi norma litterarum studio continetur, ideo illas expedit nosse. Nec sat est imbuisse principi nisi & ultra progressus fiat. Seculi tamen principes nostri plerumque illas ad Philosophos relegant, aut iuris interpretes, tanquam principes nō deceat bene uiuere. Oro igitur te ne his auscultes, quoniam nemo in clarum uirum aut famosum principem potest euadere, nisi cum naturæ

dotibus adiunctam habeat doctrinam. Omnes sane qui superioribus seculis claruerunt D principes, studiosi literarum fuerunt. Philippus Macedo Alexandro nato gauisus est, quod eo tempore filium habuisset, quo florebat Aristoteles. Nec Alexander hac qua tu nunc es ætate literas à se relegauit, sed profectus in Asiam Aristotelem & Calisthenem magistros secum duxit, nec audire Philosophiam inter armorum strepitus, ac tumultus cessauit. Felix nimirum si uitio uinolentiæ caruisset. Alcibiades & Themistocles qui apud Græcos illustres habentur, studiosi fuerunt Philosophiæ. Epaminundas Thebanus qui Græciæ princeps est habitus, non minorem literis quàm armis operam tribuit. Transeo ad Romanos. Quid limatius, quid eloquentius scribi potest quàm ea commentaria quæ Iulius Cæsar de se condidit? Is enim cum in Gallia bellum gereret, diem armis, noctem literis dedit. Hæres eius Augustus & orationem solutam & carmen optime dictauit. Extantq; adhuc eius elegantissimi uersus in Aeneidæ laudem. Quid Fabios Cornelios aut Catones referam? Quid de Pompeio dicam, qui tam affectus literis fuit, ut ægrotantem Possidonium Philosophum, quamuis consul ipse foret, non omiserit in chado uisitare. Cato cum esset Latina plenus doctrina literas Græcas diu contempsit, postea propositi pœnitens quod iuuenis spreuit, senex concupiuit. Nec dubitauit senium suum literis peregrinis imbuere & ad Græcam uolubilitatem os contorquere. Recte hi quidem, qui & si principatum haberent dominarenturq; populis, seruire tamen literis uoluerunt. Sed norant illi Platonis uocem quæ E dicta diuinitus, tum à Cicerone tum à Boëtio refertur. Beatas scilicet fore respublicas si rectores earum studere sapientiæ contigisset, quæ sapientia haud dubium ex Philosophiæ fontibus hauritur. Tu tamen fortasse fabulosa reris quæ de antiquis sunt scripta, qui & in otio negotium, & in negotio otium diligenter referuntur curasse. Sed hanc opinionem possunt tibi auferre nonnulli uiuentes, qui etsi reipublicæ præsint, & munera regant arduissima, disciplinas tamen non negligunt. Leonellus Marchio Estenses tam eleganter scribit, ut nihil inter eius & Ciceronis literas putes distare. Sororia de Marchione Saluciarum, dicuntur Marchionis. Mantuæ filij & arma tractant & literas colunt. Alfonsus Rex Aragonum, cui & Sicilia paret & illa Italiæ pars obedit, quæ olim magna Græcia dicebatur, qui totiens uictus tandem uicit, & aduersam fortunam in fauorem sui conuertit, nunquam in castris est sine libris quocunque it, illuc & bibliotheca sequitur. Siue in tectis est, siue in tentorijs manet, singulis diebus aut legit aliquid aut audit. Egredior Italiã et penitus toto diuisos orbe Britannos petam, ubi dux est Cleocestriæ qui regnũ, quod modo Anglicum dicimus, pluribus annis gubernauit: huic tanta literarum est cura, ut ex Italia magistros asciuerit poëtarum & oratorum interpretes: Vides ne quia & hoc seculum principes literatos admittit? Inter hos & tu poteris numerari, si quod cœpisti studium, fueris prosecutus. Nec enim ideo literatum te F dicam quod Latinum pronunties. Nam etsi hoc pulchrum est, coruis & picis datur. Victo Anthonio cum rediret Octauianus, edoctus Latinum coruus, salue inquit Auguste Cæsar imperator. Huic simile Persianum illud. Qui expediuit psittaco suum there pi casq; docuit nostra uerba conari, & addit causam magister artis ingenijq; largitor neutri. Quid tamen tibi uidetur cum uenit Vngarus, aut Italus, aut Gallicus, latineq; fatur, cum tu adolescens illos intelligas, alij senes tanquam surdi audiant. Pulchrius tamen erit & tunc te literatum uocitabo, cum Oratores intelliges, cum Philosophos nosces, cum Poëtas tuapte percurres. Hoc tibi fortasse grande uidetur & arduum nimis: haud sic est: Nolo te noctes diesq; libros uoluere. Sed unam duntaxat cuiuslibet diei horam exposco, quam literis præbeas. Illud autem curæ tibi esse uolo, ut doctus sit quem audias, & prudens quem sumas magistrum: nec te uana titulorum ambitio fallat. Non enim propterea doctior est aliquis, quod magisterij nomen aut Parhisijs est aut Athenis sortitus. Ille autem peritus est, qui naturali præditus ingenio, uigili cura perscrutatus est magistros artium autores: qui cum multa uiderit atque legerit librorum uolumina, tum memoriæ plurima commendauerit, qui non solum diuinis literis, sed etiam secularibus sit imbutus. Ex his unum apud te uellem degere, quo cum pro tuo loquereris arbitrio, qui

A qui tempus docendi non ex se sumeret, sed tua ex uoluntate, qui cum uelis legat, cum nolis taceat. Sed tuum erit quot diebus uelle aliquid. Namq; postquam biennio hunc modum seruaueris, nimirum plus te lucri ex lectione corrasisse putabis, quam si prouinciam aliquam sis adeptus. Ego quidem laudo ædes tuas militibus plenas esse. Hi enim sunt qui tutantur patriam, & decorum est armorum gloriam principem enitere: sed nullum apud te fore uirum doctum, nec laudo nec probo. Sicut enim milites pascis ita & doctrinarum institutores nutrire posses, qui te iusti & iniusti differentias & limites edocerent, uirumq; redderent ex omni parte perfectum. Nõ decet te illos sequi qui ut sumptus minuant, doctores excludunt, leones tamen pascunt: sicut est illud Iuuenalis: Non habet infelix munitor quod mittit amico, Quintiliæ quod donet habet, nec defuit illi Vnde emeret multa pascendum carne leonem Iam domitum. Et ironice subiungit. Constat leniore belua sumptu. Nimirum & capiunt plus intestina poetæ. Sume igitur tibi grandis doctrinæ aliquem uirum, nec parcas expensis ubi ingens redundat emolumentum. Quæris fortasse quod emolumentum? Edicam paucis, ne literarum utilitatem contemnas. Postquàm enim uiriles attigeris annos, hoc tibi honoris & commodi erit, ut te in consilio loquente cæteri sileant, cum tu unus plus omnibus sapias: Nemo te decipere poterit, nemo dicere audebit, hoc æquum & hoc iniquum, nisi uerum id esse manifeste cognouerit. B Si quis præsumpserit inhonesti aliquid suadere præsto eris rationibus confutare. Si affari uolueris populum, quo pacto loquendum sit literæ te instituent. Si autem laudare aliquẽ aut uituperare uolueris, & Quintilianus & Cicero te docebit. Si bellum suscipiendum erit, & armis opera danda, Vegetius modum ostendit & Liuius & Quintus Curtius & Iustinus & Lucius Florus & Suetonius & Salustius crispus, & historicorum cuneus. In quibus & Alexandri magni fortitudinem, & Hanibalis calliditatem, & Fabij uersutias, & Scipionis prudentiam, & Iulij Cæsaris disciplinam militarem & Sertorij ac Marcelli audaciam, & Iugurtæ sagacitatem, & omnium qui res bellicas gesserunt, artes inuenies. Nunquam tam multa experiundo uidebis quàm multa legendo perdisces. Si quomodo rempublicam gubernes scire uolueris, legendi erunt tibi Politicorum libri, quos Aristoteles composuit, & Leonardus Aretinus latinos fecit. Veterem autem translationem tibi nequaquam assumes, quia & eloquentiam uitiat, & intellectum minus uexat. Ad regendam familiam & teipsum, utilis erit Oeconimica, Ethicaq; Aristotelis, tũ de officiis Cicero & epistolæ Senecæ omnesq; libri ipsius. Quomodo regenda sit uxor, scripsit Franciscus Barbarus Venetus. Quomodo liberi educandi, Plutarchus. Quomodo te cum amicis habere debeas, & quomodo in senectute, Cicero. Idem quoque de mortis contemptu & aliarum passionum scripsit in Tusculanis. Morales uirtutes quomodo amplectendæ sint, & hi quos modo retuli C autores, & post eos Macrobius facundè tradiderunt. Vis agriculturam cognoscere, Vergilius Georgicorum te admonebit. Vis orbis situm mentis oculis perlustrare & diuersarum prouinciarum situs ac mores intueri, & quid quæq; regio ferat, & quid quæq; recuset, assit Plinius de naturali historia, assit Ptolemæus, Solinus, Isidorus Hispalensis. Vis cœli sydera & planetarum cursus & grandinis & pluuiarum & fulminis causas scire, ad Aristotelem redito, Senecam, Vergilium. Vis Regum mores & fastidia principantium perscrutari, secundum Senecam in Tragedijs legito. Vis plebeos homines & milites gloriosos & lenonum insidias & seruorum deceptiones ut euitare illas possis intelligere, Plautum tibi & Terentium assumito. Vis quomodo fulminanda sint uitia edoceri, Horatius, Iuuenalis, & Persius in promptu sint. Vis pastorum consuetudinem cernere, Bucolicon Vergilij habeto. Vis fabulas gentium, & fastos, & tristium miserias, & amantium epistolas & amoris remedia nosse, Naso te uersibus erudiet, nec Statius Thebaidos uel Archileidos inutilis erit sentẽtijs grauibus ubique refertus. Post hæc uero ut fias perfectior, & cum de religione cogites, tum de salute animæ, Hieronymi libros euolues, Augustini, Ambrosij, Gregorij, Lactantij, Cypriani, Leonis. Scripturam sacram semper domi habebis, & nunc uetus nunc nouum

intueberis testamentum. Hæc quæ nunc scribo, si quis doctus extra Italiam legeret, D
me maxime argueret quod inter autores legendos non numerauerim Hugonem de sancto Victore, aut Alexandrum de Ales, uel Magnum Albertum, uel Petrum Blesensem & Nicolaum de Lira & Alanum, & hanc nouorum turbam. Sed tu caue ne istos audias. Nam etsi docti sunt, docere tamen alios nequeunt. Ego tibi id suadeo quod per me rectum puto, nec somnio. Sed uiros totius Italiæ peritissimos in hanc sententiam habeo concurrentes. Crede mihi nihil discendum est quod dediscere oporteat, sed illis in autoribus te exerce qui sunt probatiores. Suscipere namque semper optima debemus ad imitandum. Tu ergo hos sequeris, hos audies, hosque leges quos tibi prænominaui, si uis & multarum rerum scius & princeps toto in orbe secularis & mirandus haberi. Interueniendum tamen non suadeo ut * coniunctus hominum fugias. Nec te solitarium esse uolo, nisi cum meditari aliquid uolueris, & in secessum mentis progredi ad aliquod tempus: immo suadeo ut sis affabilis, ut communis omnibus, ut te uidendum præbeas, ut nunc hos nunc illos alloquaris, ut consilia ingrediaris, ut Conciones adeas, ut populo te exhibeas, & per te loquaris. Scio namque frugi esse quæ homines literis didicerunt experimento comprobari. Nec ego hos homines laudo, qui sic se literis dedunt, ut res cæteras parui faciant, qualem fuisse Democritum Diogenemque constat, qui sibi duntaxat uixerunt. Illi sunt omni laude & E
præconio digni, qui & reipublicæ seruierunt, & literarum studia non omiserunt, ut & Platonem, & Aristotelem, & Demosthenem, & Iulium, & Ciceronem, & Plinium, & Mecenatem, & Augustinum fecisse comperimus. Hi namque quod ex literis hauserant, in administranda republica exercebant. Idem & tu facies si uir & princeps optimus esse uolueris: literis suum tẽpus et suum reipublicæ dabis. Nunc iudicium facies, nunc tenebis consilium, nunc arma tractabis, nunc rem familiarem respicies, & in his omnibus quid literæ ualeant experieris, & ocij utilitatem cum negotij commodo coniungens, miram omnibus de te spem facies, & uel solus uel cum paucis orbe toto mirandus habeberis princeps. Nec tam splendor formæ tuæ qui est egregius, nec uestes aureæ aut ornatus crinium, & equorum pompa tantum te honestabit quantum ipsarum decor literarum & uirtutum fama. Quorum facies si uideri posset (ut Aristoteles inquit) pulchrior est quàm Lucifer aut hesperus? Ad hæc autem sicuti mihi uidetur iam tuapte incensus es. Cum enim subditi tui nuper ex Athesi uenientes Maiestati Regiæ supplicarunt ut te ad regendam prouinciam mitteret, Non sum, dixti, adhuc adeo maturus ut gubernare patriam possim. Digna uox quæ tuo progreditur ex ore, & quam omnis laudatura sit ætas. Conuenit enim quid ferre recusent & quid ualeant humeri quelibet meditari cum aliquid est gerendum, quia cui læta potenter erit res sic demum rectè se habebit. Nam quod Bias ait, Magistratus uirum ostendit, nos rectissime de principatu dicemus. In quo qui moderationem seruat, dijs est F
quàm hominibus similior. Nec enim arduum est in paupertate seruare continentiam, sed ut Marcialis ait, difficile est opibus non tradere mores. Magna peccandi facultas sequitur principatum, adest irritamen gulæ, copia uini, & quæsitorum undique cibariorum, & lautæ gloria mensæ, ut uerbis utamur Lucani. Sunt mulieres formosæ quæ tum oculis, tum uerbis, tum osculis, tum amplexibus adolescentulorum mentes & oculos fascinant: assunt corruptores, adulatores, ioculatores, histriones, qui arcem adolescentiæ undique nituntur expugnare. Ille auaritiæ cultor Venalem iustitiam facit. Suscipe, inquit, hoc & commendatum habe. Qui dat perliberalis est homo, et habet multũ quod det: alius ad iram prouocat, in te inquit peccauit, suscipe gladium, uindica scelus. Tu princeps iniuriam feres quàm nec priuatus impunitam relinqueret? Mulier, alius inquit, formosa te amat & amore tuo moritur, cur non compateris & misereris adolescentulæ & gaudes cum ea. Eamus uenatum, ait uir robustus, quid torpes? ceruorum greges & aprorum clausi sunt. Spectaculum tibi pulchrum præbebo. Veni, mitte hos senes respublicas tueri, Tu letus esto dum tempus fert.

* aliàs conuentus.

A At hi quibus in Palatio uiuendi est causa, quid stas, inquiunt, princeps, iam epulæ allatæ sunt & frigescunt, ueni dum accipenser calidus est, & antequàm fumare lepus desinat. Squilla est optima, & aper & polentus in mensa; quid stas & uoluptatis tantum amittis. Multi uitia suadent, pauci uirtutes. Quid faciat adolescens, cuius ætas parum per se roboris habet, & cuius animus à natura procliuis est in libidinem? Vix grandæui homines resistere tot blanditijs potuerint, ne dicam adolescentes. Sed aiunt aliqui: Consilium habebit princeps, maiores natu astabunt, quid sit agendum. Primores patriæ censebunt: scitum est, sed omnes qui principem coronant, facere illum amicum student, & non quæ sunt apta, sed quæ iocunda putant in consilio dicunt, & nititur per se quisque ut charior sit, nec est qui libera proferat animi uerba. Et quamuis pars bene consulat, liberum est adolescenti quos uult sequi. Et quia inexpertus est parumq; pensi habet, non quod expedit, sed quod libet plerunque amplectitur. Et quippe quemadmodum mea fert opinio, Aut maturum esse principem oportet & suo consilio fretum, aut adeo rudem, ut in modum trunci nihil per se disponat, sed quod maior pars suadet executioni mandetur. Nam qui aliquid scit, minus tamen quàm satis est, periculosus est reipublicæ & imperia sæpe subuertit, cum non ad rationem sed ad libidinem regat. Hinc est quod in libris Regum puellum octo annorum
B bene rexisse comperimus, siue is septem annorum fuit Ioas filius Ochoziæ. Non enim is rexit, sed eius satrapæ regnum administrarunt. Est autem principatus irritamentum quoddam uitiorum, & admodum pauci reperiuntur qui non aberrent, cum frenis omnibus sunt soluti. A Saul usque ad Sedechiam nouem & triginta reges in Iuda & Israël fuerunt, inter quos solum octo boni connumerantur, reliqui uero ignari, imperiti, indocti, impotentes, auari, superbi, iracundi, crudeles, libidinosi, adulatorum & stultitiæ serui, qui ambitione nescio qua effrenata tanquam ad pestem mortalium nati idolis seruientes, bellis semper indulserunt, pacis atque ocij hostes fuerunt. Et hi tamen in populo Dei regnabant, & horum plerique per seruos domini Prophetas fuerunt uncti. Nec Salomon quamuis scientiam & sapientiam à Deo fuisset assecutus perseuerare potuit, sed adamauit mulieres alienigenas, & his copulatus est ardentissimo amore. Fueruntq; ei uxores quasi reginæ septingentæ & concubinæ trecentæ: & auerterunt mulieres cor eius ut sequeretur deos alienos. Nec Dauid quamuis esset electus à Deo, uitijs caruit, siquidem & homicidium simul & adulterium perpetrauit, quod non fecisset dum pastor erat, sed eum licentia regni prouocauit. Quid alius faciat cui minus sit roboris? quid iuuenis? quid adolescens? an est aliquis qui annis teneris dominium censeat committendum, cum sæpe robustior ætas sub illo deficiat. Prudenter tu quidem qui patrueli & sanguini tuo potius
C quàm alijs credidisti, nec dominatum prius suscipere quàm peritiam uoluisti. Alius fortasse aliter fecisset qui opinione inflatus sui, quid ad me dixisset obedientia ista? ego iam liber esse uolo, iam scio bonũ & malum, quid melius est quàm imperare? dicam illi fac, & faciet: Iam ut euolem tempus est. Sic Dedali filius, ut est in fabulis. Namque cum pater alarum remigium sibi & filio, cæra & pice coaptasset ut laborinthi carcerem fugeret, liquidum petijt aërem, & sequere me, inquit, Icare, nec à me quoquam recedas. Paruit ille tamdiu quoad timor artis mansit ignotæ: ubi uero iam se uolandi scium putauit, nec se amplius rectore credidit indigere, iussum patris egressus, percussis amplius alis uagari cœpit, & modo huc modo illuc discurrens, ac continuo altius euolans, regionem igniferam attigit ubi dissolutis alarum compaginibus & omni penna solis ardore perusta ruinam fecit, & nudus in mare cecidit, quod adhuc eius ex nomine uocatur Icarium. Prosequor iterum fabulas. Phaëton filius Phœbi patrem rogauit sibi ut quam peteret rem concederet. Iurauit per Stigem pater nihil se negaturum. Filius currum solis sibi regere dum committi postulauit, pœnituit Phœbum promissi, scientem tanti regiminis impotentem natum: sed quia iurarat negare non potuit. (Quamuis Cicero in Officijs hoc iuramentum potius re-

ſcindendum putaſſet.) Aſcendit currum Phaeton, gloriabundusq́ lora recepit tumq́ D
& ſe regem & Deo ſimilem arbitratus eſt, ubi uero ad medium cœli eſt uentum, cum ſolis æquos inhibere non poſſet, illiq́ uagarentur & mundum omnem ignibus conflagrarent Iouis fulmine ictus eſt, & in Eridanum præcipitatus. Hiſce figmenits admonent quemlibet poëtæ, ut antequàm præſit & dominetur, uires ſuas rigidè metiatur ne ſub pondere ruat, quoniam onus eſt non uoluptas alijs imperare. Si modo id uolumus cum ratione efficere, & eum finem regere propter quem reges ſunt inſtituti. Leges Romanæ quæ ab Athenienſibus & Spartanis quas tradiderunt Lycurgus & Solon, ſunt ortæ, pueros uſque in annum quartumdecimum ſub tutela eſſe uoluerunt. Poſt hanc ætatem in annum uigeſimum quartū, curatores adoleſcentibus dabant. Nam ante hoc æuum infirmam cenſebant ætatem. Eam ob cauſam cum duo Scipiones à Carthaginenſibus in Hiſpania fuerunt occiſi, & Hannibal armis Italiam premeret, iterū ſecum exercitum duxit in Hiſpaniam patrem et patruum ulturum. Scipio Affricanus maior repromittens diu per ſenatum reiectus eſt, quod quartum & uigeſimum duntaxat annum eſſet natus. Tandem cum eſſet alius nemo qui ſe diceret profecturum, prouinciam neceſſitate magis quàm uoluntate ſenatus obtinuit. Carthaginenſes eorum imperatore defuncto Amilcare, imperium filio, qui iuuenis erat, committere recuſarunt. Nec Hannibal prius dux Pœnorum creatus eſt, quàm ante eſſet occiſus qui patri ſucceſſerat. Rex Numidiæ Maſsiniſſa filios moriens, quia iuuenes erant, Romano populo & præſertim Corneliæ familiæ commendauit. Quid tibi gentilium geſta commemoro? Prohibent ſacri Canones ante uigeſimum quartū annum fieri quenquam præsbyterum, aut Pontificem ante trigeſimum. Referamus aliquid ex ueteri teſtamento. Nam et ibi quoque conſilia iuuenū ad regimē patriæ immatura uidentur. Mortuo Salomone qui ſuper duodecim tribus regnabat, uenit filius eius Roboam in Sichem ubi congregatus erat omnis Iſraël ad conſtituendum eum regem. Et dixit multitudo, pater tuus duriſsimum iugum impoſuit nobis. Tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui & de iugo duriſsimo, & ſeruiemus tibi. Qui ait, ite ad tertium diem & reuertimini ad me. Cumq́ abijſſet populus, inijt conſilium Rex cum ſenioribus qui reſponderunt. Si obedieris hodie populo huic, & petitioni eorum ceſſeris, locutusq́ fueris ad eos leuia, erunt tibi ſerui cunctis diebus. At ille reliquit conſilium ſenum, & adhibuit adoleſcentes qui nutriti fuerunt cum eo, qui dixerunt ei. Sic loqueris populo huic: minimus digitus meus groſsior eſt dorſo patris mei, & nunc pater meus poſuit ſuper uos iugum, ego autem addam ſuper iugum ueſtrum: pater meus cecidit uos flagellis, ego autem cædam uos ſcorpionibus. Fecitq́ ſic, & irritato populo receſſerunt ab eo decem tribus, qui conſtituerunt ſibi Regem Hieroboam filium Nabath. Sciſſusq́ eſt Iſraël inperpetuum: quia inexpertus Rex conſilia iuuenum recepit: Melius fuerat illum iuuenem infantem fuiſſe. Nam tunc Ochozias filius Ioram duos et uiginti natus annos regnum accepit in Iſraël, & afflixit populum domini & fecit quod malum erat coram Deo. Nec aliter ſe habuit Achaz filius Ioathan qui uiginti annorum erat cum regnare cœpit in Iuda. Nemo peior quàm Manaſſes inter Reges fuit, qui *XII* ætatis anno ſuſcepit imperium. Similis ei filius Amon fuit qui regnum, *XXII* ætatis anno inchoauit, & à ſeruis ſuis propter ſcelera quibus implicatus erat occiſus fuit. Quid Ioachim referam & duos Ioachim patrem & filium, aut Sedechiā nomine, qui perdita Hieroſolyma captus à Chaldeis prius ante ſe natos ſuos occidi uidit, poſtea priuatus eſt oculis. Hi omnes infra *III* & *XX* annum regnare cœperunt, & quoniam inexperti erant, malum corā Deo gerentes, & ſe & ſuos populos peſſundarunt. Quorū ſtultitiæ contraria eſt adoleſcentia tua, quæ licet quantū in hac ætate poteſt eſſe multū prudentiæ ſortita ſit, ſpemq́ maximam de ſua ſapientia præbeat, non tamen prius ad regendā prouinciam mitti uoluit, quā & robur ætatis et rerū aſſequeretur experientiā. Sciebas nāq́ tuapte ingenio quoniā non recturus ſed regendus

dus

A dus ires, quod sub patruele tuo Cæsare nostro sapiētissimo potius quàm sub alijs tolerare uoluisti, ut interim dum ætas crescit Regiā Maiestatem secutus, intersis consilijs, iudicia noscas, res arduas uideas, uiros sapientes audias, dietim fias rerum experientia doctior. At cum his seruandum est quod supra dixi, ut temporis aliquod spacium concedas literis, quæ reliquas uirtutes tuas condiant & illustrent, quibus si fueris, ut te spero futurum, rite imbutus, cum ad regendum uenies non par alijs, sed omnium principum eris speculum, teq; uicini omnes suarum litium moderatorem & arbitrum faciēt. Et quemadmodum ad uisendam sapientiam Salomonis regina Saba, & alij Orientales concurrerunt, sic te totus occidens uenerabitur & septentrio, & ad famā tuæ prudentiæ infiniti uisuri te uenient. Eris enim quasi Iosias alius filius Amō, populum tuum recte gubernans, nec ad dextram, neq; ad sinistram declinans. Age igitur princeps optime & adolescens clarissime dum tempus habes incumbe literis, edisce sapientiam & studio te præbe. Nec sit tibi curæ si res aliquæ in Athesi sunt innouatæ: illas enim patruelis tuus componet, & pro sua eximia tum sapientia, tum bonitate pacabit, teq; cum tempus aderit, & dominio & uirtutibus auctum remittet in patriam. Interea regimen recte illi commissum est, quia indiget Athesis regio fauore propter finitimos plures, qui tuis inhiant terris & apertis faucibus expectant quomodo tuū possint patrimonium deuorare: nec aliud uerentur, quàm nomen regium imperialemq;
B dignitatem. Et licet nonnulli aliqua inpræsentiarū tentent, melius tamē regio quàm ducali nomine compescentur: qui, si tu regeres, adolescentiam contemnentes tuam, acerbius affligerent terram. Sed mitto hæc quia tu te scisti quid esset agendum, & te Regi commendasti. Meum est te hortari ut literarum quanta sit utilitas, quantusq; fructus nosceris. Nonnihil horarū studio tribuas, quod iam tibi satis arbitror persuasum. Non eloquentia mea, quæ nulla est, sed bonitate tua, qui ab ipsa natura sitire uideris, amorem scientiæ. Sed facio iam finē, quia rumor, uociferatio & strepitus in quo sum, non fert ut plura dicam. Venio enim inter clamores qui rumperent somnum Druso uitulisq; marinis. Vnicum est toti Cancellariæ receptaculum: complures sumus unis in ædibus commensantes & combibentes. Nec formicæ tam pressæ in suis atris quàm nos una in auleola degimus. Apes distinctæ cellulis in aluearibus delitescunt, nos uno in cōclaui uelut oues in septis alter alterum premimus, nec spuere quisquam potest, nisi alterius commaculet uestem. Tantumq; inter nos seruamus silentium, ut picas in nemoribus uel cornices, aut in paludibus ranas audire censeas te. Miror mei qui tantum exprimere tibi potuerim. Sed hoc forsitan nimis est tibi, qui iam literas quasi iugum aliquod abiecisti, & nunc magis uocandus es ad studium quàm trahendus. Illud mihi molestum est, quod ad te scribens inter uexationes plurimas
C perpolire non potui, quod te legere speraui. At tu ueniam dabis, & loco, & ingenio meo, quod tam hebes est, ut nedū in tumultu, sed uix in quiete ornare queat, quod scribit. Vale iam tandē, & me quantum Cæsar permittit tuum habeto. Ex Creta.

Amoris illiciti medela, *Epist.* CVI.

Aeneas Syluius Poëta, Nicolao Vuartenburgensi, S. P. D.

QVerebaris mecum nocte præterita quod amori operam dares, nec delibutum ac uincitum animum soluere posses. Dixisti te nec uirginem, nec nuptam, nec uiduam amare, sed mulierem quamuis pulchram meretricem tamen, quibuslibet uiris precij causa sese substernentem. Id tibi molestum esse aiebas, libenterq; amorem, hunc uelle te postergare, sed uiā moduq; nescire quo fieri liber & amore uacuus posses. Nā & si plures sacerdotes cōsulueris, neminē tamē remedia quæ tibi uiderentur efficatia, protulisse dicebas. Rogasti igitur me magnisq; precibus efflagitasti ægritudini tuæ ut aliquam afferrem medelam, ac iter ostenderem tibi quo posses ardentis amoris flammas effugere. Parebo desiderio tuo: Salubria præbebo tibi remedia si

ea amplecti uolueris. Nec uerebor medici culpam mihi adscribi, si tu obedientis ægroti personam susceperis. Quamuis arbitror quos consuluisti sacerdotes, satis tibi fecisse si præcepta tenuisses quæ illi dederunt. Sed tibi uisa fuerunt fortasse grauia. Nam cum dicerent fuge illam, nihil sibi loquaris, nihil de illa audias, durum uerbum uisum est. Ac febricitans quoq; inuitus audit frigida pocula sibi negari. Si tamen sanari uult quod medicus mandat, diligenter obseruabit. Tu ergo mi Nicolae, si uis amorem euadere, liberq; fieri, præpara te, ut quæ præcipiam facias. Noscito ægrotum te fore maximaq; infirmitate detentum, & propter sanitatem, dura & aspera esse plura subeunda. Nempe ægrotus est mi Nicolae omnis qui amat. Ac ne dum ægrotus, sed seruitute etiam captus atq; insanus & amens. De amore inquam illicito. Nam Deum colere, & amare parentes, uxorem & liberos uirtutis est, non uitij, sanitatis'q; non ægritudinis. Ac tu amorem illicitum sequeris. Quid tu esse amorem illicitum, de quo iam loquimur credis? Veteres putarunt illum ex Venere Vulcanoq; natum puerum cæcum, alatum, sagittam in manibus habentem, quibus uiros ac mulieres feriens, ardorem dilectionis infunderet. Apud Vergilium legimus: Nunc scio quid sit amor duris in cantibus illum Ismarus aut Rhodope, aut extremi Garamantes, Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edunt. Sed error hic mortalis populis fuit, qui ueritatem attingere non potuit amor, ut in Tragœdijs inquit Seneca. Nihil aliud est nisi uis quædam magna menis, blandusq; animi calor iuuentæ, gignitur luxu, ocio, & inter læta fortunæ bona nutritur. Hic mentem hominis eripit, iudicium omne peruertit, sensum hebetat, animum extinguit. Namque cum mulierem diligis non in te sed in illa uiuis. Quid igitur peius est quàm uiuentem non uincere? quàm sensum habentem non sentire? quàm oculis præditum non uidere? Equidem qui amat in alium mutatur uirum, nec loquitur, nec facit quæ ante solebat. Hinc Parmeno apud Terentium: Dij boni quid hoc morbi est? adeon homines mutarier ex amore non cognoscas eundem esse? Putat Comicus morbum esse amorem, nec male putat: nam & apud Macrobium luxuriam quæ uel mater amoris est, uel filia, teterrimi morbi partem Hippocrates esse dicit. Hic morbus plerunque iuuenes aggreditur: sed uiros quoque senesq'ue uexat: tantoq'ue periculosior & risu dignior est, quanto persona quæ capta est, ætate aut scientia censetur præstantior? Cum ergo Hyppolite captus sis amoriq; seruias, scias te morbosum esse. Si morbosus es liberari stude. Nam quis morbum patitur, qui curari nõ uelit? Sane ut morbus grauior est, acerbior, periculosior, eò morbosi maior est de sanitate cura. Tua infirmitas magna est, fit & curæ diligentia magna. Cogita mi Nicolae quo in statu es. Tu nihil te extimas, quicquid tibi eueniat leue est. solum super amicam anxius es. Non parentes, non necessarios, non benefactores magnifacis. Solus tuus animus in amica est. Illam amas, illam promoues, illam somnias, de illa cogitas, de illa loqueris, de illa suspiras, nihil agis quin memoriam eius habeas. En stultitiam, amentiam, morbumq; teterrimum. An non est petenda cura? Quis non hoc morbo sanari uelit. Cæterum ad salutem tuam hæc sunt necessaria Nicolae, quæ si feceris sanus eris, si neglexeris, sepelieris in morbo tuo, nec te quisquam iuuari poterit. Cogita primum quàm remotæ à præceptis Dei recessisti, qui cum debeas Deum ex toto corde diligere, creaturam amasti, & in ea omnem tuam delectationem posuisti, sic enim factus es idolorum cultor. Nam qui creaturam Deo præponit, idolatra est. Negabis te idolatram esse, quasi non præponas creatori creatum? At si uerum fateri uis, plus tuam amicam diligis quàm Deum. Nam quæ Deus mandat negligis, postergas, contemnis. Quæ uult amica summa cum diligentia curas adimplere: & hoc nempe est præferre mulierem Deo. Heu quàm magnum est malum, quàm periculosum, quã detestabile creaturã sic amare ut Deũ paruifacias? Deus cum esses nihil, te aliquid esse fecit, ut possis scire diuina, sacra, & uiam qua itur in cœlum. Ipse quoque Deus cum ob culpam primi parentis tu & cæteri homines Paradi-

A sum amiseritis, nasci pro te uoluit, fieri homo, capi, cædi, uituperari, crucifigi, mori, ac suo te pretioso redimere sangine. En quàm magna ingratitudo est, iniquitas, inhumanitas, feritas, hunc qui tanta pro te fecerit, propter uilem relinquere mulierculam, hoc satis te cæterosq; Christianos mouere debet, ab amoribus illicitis Deo soli seruire. Sed cogita ulterius, quid agis Nicolae? Pulchra tibi uidetur amica tua: credis ne sic semper pulchra erit? Res est forma fugax, ut inquit Tragœdus, mulier quæ hodie formosa est, cras deformis erit. Quid tua bona perpetua & immutabilia pro caducis mutabilibusq; permutas? Sit ut putas spectabili forma mulier, leue hoc bonum est. Nihil forma mulieris est, nisi moribus adiuta. Castitas est quæ fœminam laudat, non forma. Tu non castitatem sequeris, formam solum amas. Forma hæc uti flos agri decidit. Rosa mane rubet, sero languescit. Nihil formosius est uirtute atque honestate: si hanc intuereris multo tibi formosior uideretur quàm tua sit amica. Etenim nec lucifer, nec hesperus tam decorus est quàm ipsa facies honestatis, quam qui relinquit propter mulierem extima oro quàm sit delirus & amens. Cæterum Nicolae, ut tecum non multis utar, Hæc quam amas mulier, non tua sola est, sed complures eam habent. Nec ipsa te solum amat, sed alios quoque diligit. Quid tu in turba uis facere? Cogita te iam esse im uespero, iam senem, iam meriti proximum: Vis ne cum iuue-
B nibus contendere? uis cum robustis pugnare? Quid tibi in eo prælio quæris, in quo uictor succumbes? Magna res est uirum senem à iuuenibus extorquere mulierem. Sis tamen potens, ut extorqueas, quid uicisti, cum præliũ huiusmodi sit, ut uincens succumbat. Quid est oro mulier, nisi iuuentutis expilatrix? uirorum rapina? senum mors? patrimonij deuoratrix? honoris pernicies? pabulum diaboli? ianua mortis? inferni supplementum? Cogita Nicolae, quot mala per mulierem obuenerint, cum Salomon, cum Holofernes, cum Sampson per mulierem decepti fuerint. Non te credas sic fortem esse, ut non illudaris. Sed quanto uiris illis debilior es, incautior, imprudentior, tanto te ab eo loco semoue in quo potes decipi. Nihil est mulieris amor qui cum peccato fit. Non est in muliere stabilitas, quæ nunc te amat, cras alium amabit. Quid tu hunc amorem extimes, qui in plures diuisus est. Nulla mulier tam fixè aliquem amauit, quæ ueniente nouo proco, nouisque precibus uel muneribus, non mutarit amorem. Mulier est animal imperfectum, uarium, fallax, multis morbis passionibusq; subiectum, sine fide, sine timore, sine constantia, sine pietate. De his loquor mulieribus quæ turpes admittunt amores. Nunquam hæ stabiles sunt. Namque ut semel à recto tramite recesserunt, iam se liberas arbitrantur, ut quocunque uelint uagentur, nec amplius uel mariti, uel amici timorem habent. Credo equidem illam coëundi fœtidam uoluptatem tibi, quia iam senio exhaustus es, parum placere? Nam quod nedum tibi anti-
C quo & arido, sed iuueni humecto illa inepta, & spurcida uoluptas cõferre potest? quam mox pœnitudo consequitur? an non magna res est ammonitio illa, ac citatio siue commutatio quædam, quæ post peccatum e uestigio mentem hominis cruciat? quàm iniquus est homo, qui totiens ammonitus non quiescit, qui punitus non emendatur, qui correctus non efficitur melior. Quid ille actus carnalis operatur, nisi carnis interitum, utinam solam carnem interimeret, & non occideret animam. At duo cum inuicem coëunt uir atque fœmina, quasi duo uasa testea mihi uidentur, quæ inter se confricentur, donec rumpantur, & ad nihilum redigantur. Tu tamen non in coitu, sed in uisu sermoneque forsitan oblectaris. Quid obsecro in uisu est tam pulchri, ut non inuenias aliquid pulchrius. Pulchritudo quam debemus quærere in cœlo est, cui nulla potest res mundana comparari. In illa omnis perfectio est, mundana semper diminuta sunt. Illa perpetua, hæc caduca: illa fixa, hæc fluxa, hanc quam tu miraris formam, paulum quid febris eripiet, aut si morbus abfuerit, senectus non deerit, quæ illam teretem succi plenamque faciem rugosam crispam'q; reddat. Sicut illa quæ nunc miraris membra, de cursu temporis arida, nigra, squalida, fœtore ac spurcitia plena. Non oculi splendorem undique seruabunt: Fœtebit os, collum

Mulier quid.

collum incuruabitur. Corpus undiq; sicco & arido trunco fiet simile. Cogita hæc & auerte spem, priusquã fuge quã prioreris. Multo enim melius est rem contemnere quã perdere. Iam uero de sermone suo dulci, placido, & mellifluo, quo te dicis oblectari, admodum miror. Quid enim sermo muliebris in se dulce habet? Quid dicit tibi amica? Nempe aut quæritur, aut plorat, aut minatur, aut tibi inanes refert fabulas. Dicit quid cum uicina fecerit, quid somniauerit, quot oua gallina peperit, quibus floribus serta componantur. Omnis sermo mulieris de re uana leuiq; est. In quo qui oblectatur, & ipsum leuem esse oportet. Narrat tibi nonnunquam, & cum alio amatore, & quo pacto iacuerit, quid doni receperit, quàm cœnam habuerit, quibus uoluptatibus fuerit usa. Quæ res non gaudium tibi, sed cruciatum afferunt. Sed accipe quæ uelis gaudia in sermone amicæ, eris ne amens rationisq; inops, ut nõ magis in alicuius docti uiri uerbis sermonibusq; læteris? Resume omnia simul, quæ in amore sunt gaudia, rursumq; tædia, multa ista, pauca illa reperies, ueram'q; illius sententiam dices, qui parum mellis in multo felle mersum inquit amorem esse. Cum ergo Nicolae, totus amor de quo loquimur uanus, asper, amarus, damnosusq; sit, & hominum morbo grauissimo teneat, curandum est ut ab eo libereris: Cura autem ea est, ut menti tuæ persuadeas malum esse amorem. Post hæc, declines amicæ sermonem: ocium fugias, in negotio semper sis, uiros bonos qui te instruant sequaris, nulli ludo, nulli conuiuio intersis. Si quid largita est amica, abs te abijcias. Nihil penes te sit quod illius fuerit, puta illam esse nuncium diaboli qui te perdere uelit. Sint in memoria Christi beneficia quæ tibi impendit. Cogita quot benefacienti præmia in cœlestibus sedibus, & quot malefacienti supplicia apud inferos præparata sunt. Cogita dies tuos assidue fieri breuiores, instareq; semper ultimum. Cogita quia irrisui est qui amat & præsertim uir æuo maturus: Cogita instabilem mulieris animum, cogita perditionem temporis quo nihil est preciosius: Cogita dissipationem bonorum: Cogita uitã quam uiuimus breuissimam in hoc seculo, quamuis uoluptatibus sit dedita, & in alio mundo quam inquirimus nullum esse finem. Hæc si tecum sedulo cogitaueris, præceptaq; i[...]a tenueris, amorem quo cruciaris à te breui tempore relegabis, uirumq; te præstabis Deo gratum cœloq; dignum.

Frisingensis episcopatus desponsatur Henrico Schlick. *Epist.* CVII.

Aeneas Syluius Poëta, Reuerendo patri D. Henrico Schlick *electo Frisingensi, S.P. D.*

HEri dum casus nescio, quis in curiam me duxisset, Ioãnes Nieperg literas quasdã ducis Bauariæ Alberti, sibi & Vualthero Zebinger destinatas produxit, Vuolfgangoq; nostro legendas dedit. In his scriptum erat, Iohannem Cardinalem sancti Martini in Episcopum Frisingensis electum, ac ritè confirmatum fuisse, nec aliud sibi obstare ad possesionem adipiscendam nisi Regem & Casparẽ Schlick, quod sibi iniustum tum, tum inhumanũ uideretur: cum ille ius haberet Caspar nihil tituli posset ostendere. Rogabantur ergo illi duo magnisq; precibus orabantur, ut Cardinali essent auxilio. Regemq; hac infamia liberarent, quem totus orbis iniuriari, & uim facere Ioanni Cardinali cognosceret. Cardinalem uero iam esse propositi Regem uisere. Sed cum hi duo quasi regij currus aurigæ forent, rotas uoluere deberent, & obuiare ne Cardinalem oporteret uenire, iniurias questum. Hæc ergo partim intellexi, dum legerentur, (nam arrigo aures cum Frisingensis ecclesiam audio nominari) partim uero exposuit mihi Vuolfgangus. Nihil illi ad hæc responderunt. Sed id bonam in partem sum interpretatus, quando lectura commissa est nostro. Si quid enim malæ mentis illi habuissent, non permisissent nos hæc scire. Nam qui nocere uult, eos fugitat qui possunt obsistere: hæ uero literæ cur scriptæ sint, & cuius suasu tanto magis existimare potestis quàm ego, quanto iudicium uestrum est ad coniecturam quàm meum sagacius. Mihi non est uerisimile, hoc fuisse scriptum, nisi ex hac curia con

monitio

A monitio processisset. Oportuit namque prius scitũ esse qui forent, & apud Regem audiri, & uestræ partis defensores. Ac mira res ut eadem dies res contrarias tulerit, & nunc mœstitiam, nunc lætitiam dederit. Verum est quod dici solet: Multa dies uariusque labor mutabilis æui. Retulit in melius nemo diem laudet aut damnet nisi adueniente sero. Hæc mane contigerunt. Sero autem ad me uenit tabellarius apostolicus, qui te quæritans afferre literas tuæ promissionis se dixit. Suscepimus eum omnes gaudio pleni, & in cœna nobiscum habuimus. Is quia non reperit, te statuerat se Viẽnam uenturum laturumque literas. Sed amoui sibi hanc mẽtem retinuique apud me literas *prouisionis quæ sunt numero nouem, duas clausas ad te remitto, & missiuas omnes, quæ tum tibi, tum Cancellario diriguntur. Non uisum est mihi tutum principales literas maiori dimitti periculo. Scitis quia insidiæ sunt, & iam notũ erat pluribus in hac curia hunc aduenisse nuncium. Satis est tibi has literas in Cancellaria fore. Nam & huc rediture essent cum petenda possessio sit. Literæ plenæ sunt prouidenturque tibi per reseruationem. Et datæ sunt omnes Senis ex die tibi noto. Ego hoc mane id Regi dicam non petens possessionem, quia nihil proficerem, & stultum est petere quod impetrari nõ potest. Scio hoc reseruari in aduentum Cancellarij. Sed uolo Regem sciri nihil falsi per Cancellarium sibi scriptum fuisse de literis. Nunc mihi consultum uidetur, ut Cancellario mox scribam, & ut hanc meam epistolam sibi destines ne quid ignoret, ne uel alium in curiam mittat nuncium, & ut quàm festinanter ueniat, puto possessionem haberi posse. Ego literas diligenter asseruabo. Non esset forsitan absque usu certum nuncium illi rursus mittere, tu tamen fac ut libet. Et me si quid amplius acturum uis, scribe quia prona est obedientia mea. Vale optime.

*alias promissionis.

B

Somnium de fortuna. *Epist.* CVIII.

Aeneas Syluius Poëta, S. P. D. domino Procopio de Rabenstain *militi literato & præstanti.*

NOctu præterita prius quàm me quieti committerem, multa mecũ de te locutus sum. Mirabar tuis uirtutibus non dari locum conuenientem, quia licet acceptus sis Cæsari, non tamen ut par esset, efferri te uideo. Nam cum reluceat in te nobilitas & probitas, non uideo cur inter primores poni non debeas. Accusaui ergo fortunam, quæ tum honoris, tum diuitiarum creditur dispensatrix, pluraque mecum, stomachatus dixi, ut quæ uiros premeret bonos, extolleret malos, nec finem feci donec altus me somnus oppressit. Inter dormiendum uero mira per quietem sum contemplatus, quæ tibi nunc referre decreui. Tu arrige aures resque tum miras, tum stupendas agnosce. Iam noctis decurso spatio, syderibus dubijs postquam pigri Boëtæ frigida farrata circumegerant, uisionem hanc habui. In locos lætos & amena uireta deueni, gramineus campus in medio fortunati nemoris erat, riuo cinctus & muro, duæ illic portæ, & altera cornea, altera candenti nitens elephante. Muri altissimi ex adamante cõstructi. Riuus immensæ profunditatis. Nulli accessus ad portas nisi per pontes, qui tamẽ cathenis eleuati paucis aduenientibus dimittebantur. In ripis è regione portarũ existentibus ingens uirorum ac fœminarum turba consedebant, tendentesque manus orabant transmitti. Territus hac nouitate, dum hac et illac circũcurso, plures mihi obuij dantur quorũ facies agnoscebam, nescio tamen quare factum sit, ut nemo mihi sermonis copiam faceret. Veni ad corneã portam, in cuius summo hæc uerba literis antiquis inscripta cõspexi: paucos admitto, seruo pauciores. Auidus nosse quid foret interius, iuuenẽ qui supra turrim erat, magnis precibus obsecraui (incassum tamen) mihi ut fores pãderet. Tum forte adolescens uenit magna comitante caterua. Cognosco habitum, ex Rheni partibus erat. Quisnam hic est, inquam, accedit me uir togatus credo me Italum nouit Italus, & Ludouicus est, hic ait, dux Bauariæ, princeps elector qui trãs illum murum nos ducet: at ego, mi uir impetra & mihi transitum, si quid iuris habet cõmunis inter nos patria. Faciã, inqt ille, uixque locuti eramus cũ pontib. dimissis Ludouicus ingressus est, et unà secũ quã plures alij qs ianitor nominatim appellauit. Ego ut explorator sub pallio principis,

C

qui Lu-

qui Ludouico hærebat, & unus ex Brandenburgens. Marchionibus uisus est latitans in D
traui. Illic florea prata, riui tum lacte tum uino currētes, frigidi fontes, lacus piscibus pleni, balnea suauissima, densi luci, uineta semper uuis onusta, arbores perpetui autumni, quales hortus Hesperidum, uel Pheates habuisse creduntur. Poma quorum sola pascaris odore per syluas, feræ mansuetæ captu faciles: Volucres et æsui, & cantui natæ, unicus est apud Aethiopes locus Heliotrapezam nuncupatus, opiparis epulis semper refertus quib. indiscretim omnes uescūtur: apud quem lacus tenuis laticis haustu saluberrimus. Hic plurima sunt huiusmodi loca, mensæ sub arboribus paratæ gemmatis uasculis paterisq; aureis oneratæ. Nullum ualernum comparari uino potest, quod ex uiuo saxo illic manat. Mella passim fluunt, arundineta saccharo plena. Omne genus aromatum ex arbore cadit. Auri & argenti inexhaustæ mineræ. Lapilli præciosi tanquam cerusa in nemoribus pendēt, uenustæ puellæ, elegantesq; iuuenes perpetuas ducunt choreas. Quicquid musicum est, illic resonat. Non tam uoluptuosam suis sequacibus paradisum Mahometus repromisit, quā hic uidisses. Dispensatores huc & illuc discurrebant, Bachus Ceres & Venus. Sylua mirthea concubitus admittebat. Iam ego ex pallio prodierā cupidusq; uidendi per medias lætantiū turbas ibam securus. Tum Vegius poëta Laudensis me aggreditur, &, o, inquit, Aenea quo huc pacto uenisti, amplexus amicū exposui casum. Tū ille uoluissem te uocatū fuisse. Nam hic præter iussum heræ nemo manere po E
test. Illa si te uiderit mox iubebit expelli. Tum ego, quænam est hæc domina, cuius expectatur uocatio? Hera Fortuna respondit Vegius, cuius munere omnes qui sumus hic feliciter uiuimus, illi totus obedit orbis, quicquid hæc iussit factum est. Tum ego, ergo tu ex felicibus unus es, qui solebas esse quàm miser. Sum inquit Vegius, dilexit me tandem hæc domina, summiq; Pontificis mihi gratiā conciliauit, Canonicumq; Basilicæ S. Petri fecit. Ha, inquam ego, iam incipiā colere tuam dominam, si quos bonos euehit. Ego sæpe eam inuectus sum, quod malis bonā, & malā bonis eam uidebā. Scis quā bonus fuerit Socrates? nunquā illi arrisit. Platonē, qui fuit Philosophorū maximus, in seruitutem redegit, Pythagorā semper uagari cōpulit. Ciceronē quāuis ex Rethore consulē fecerit, in manus tamen postmodum inimicorum dedit, & Anthonij gladius interemit. Scipionem in exilium misit: Fabricium in catino terreo, seu ligneo comedere fecit. Primum Catonem paupertate grauauit. sibi ut manus consciret, alterum iussit. Aspice uiuentes. Quid Iuliano Cardinali sancti Angeli tot uirtutibus ornato repensum uides? Quid Ioanni sancti Petri? Ioanni sancti Calixti? ac Ioanni Tarentino eiusdem ordinis uiris? Quid est his quod uel probitati, uel scientia correspondeat? Quis dicere potest, Casparem Cancellarium, quamuis ducem sibi coniugem copularit, dignas laborum retributiones tulisse, qui iam trium Cæsarum Cancellarius fuit? Gulielmus de lapide miles insignis, non minus literarum quā armorū scius, qui mundū uirtutis agnoscendæ cu F
pidus peragrauit, quid suis meritis dignum est assecutus? Campisius noster Philosophia plenus, qui sedis Apostolicæ seruitijs ætatem suam cōsecrauit, pauperior Codro est. Vnicus miles est, aut si comites habet, uix quatuor sunt. Procopius Bohemus in curia Cæsaris qui licet literas amet colatq;, indocti tamen atq; hebetes sibi præferuntur. Nolo referre quos asinos uiderim exaltatos super cedros libani, qui etiam hodie florent homines sine literis, elingues, sine sensu, uix manus dextra quot habeat digitos norunt. Securius est mortuos quàm uiuentes carpere. Quid deterius aut horribilius monstrum Nerone fuit? Quid Tyberio sceleratius: his tamen imperia, quàm Vespasiano & Tito pijs Cæsaribus diuturniora fuerunt. Quid Domitiano turpius? bestiam tamen illam mundi ceruicibus imminentem pluribus annis pertulit orbis. Iouinianum, quia religiosus clemensq; fuit oppressum fumo carbonum, mox amisit. Quot Crispinus uillas erexit monstrum à uitijs nulla uirtute redemptum? Spado Claudij Neronis pophides tot diuitias possedit, ut edes suas ornatiores & ampliores capitolio construeret. Gabrinus Cremonensis *VII* dominos suos interemit, quibus in fœtida sepultis cloaca, dominatū suscepit. Non possum uiuentem aliquem non tangere, patrem Philippi ducis qui nunc Burgundiam tenet, in præsentia Regis Franciæ præpositus Parisiensis securi percussit. Is
nunc

A nunc in prouincia quietissimam habet uitam, pinguibus agris donatus. Hic tamen & homicidium fecit, & publicam fidem fregit, qui miser ille secutus fuerat. Hæc mihi bilē sæpius commouerunt. At postquam te uirum probum & doctum iam fortunæ blandimentis uideo delinitum, fio mitior illi, putoq́ te non solum ex bonorum numero gratum esse huic matronæ, sed duc me oro ut illam intuear. Ita est, inquit Vegius, plures boni sunt in hoc conuentu, quamuis mihi non arrogo, quod tu nomen das. Scio me peccati reum esse, indignum'q́ gradu meo, sed ita placitum est tum Fortunæ, tum meo Pontifici: atq́ ut agnoscas bonos quoque huic dominæ gratos esse, audi me parumper, nolo Constantino magno, Neruæ, Troiano, duobusq́ Theodosijs, ipsiq́ primo Augusto quanta felicitas arriserit, quia probi fuerunt, nunc disputare. Ad uiuos uenio. Quid tuo Cæsari religiosissimo? Quid meo Pontifici sanctissimo? Num blandam fortuna ostendit? Regem Arragonum quis eleuauit nisi Fortuna? Quis ducem Clocestriæ magnū fecit? Quis Coloniensem & Treuerensem antistites? magna est horū uirtus, & tamen fortunæ flatu sunt sublimati. Diceret Moguntinus, meum genus erexit me. Sic & Saxones & Bauariæ duces dicere possent, tanquam nihil in eius Fortuna fuerit operata. Sed quis eos tam alte nasci fecit nisi Fortuna? Poterat hæc si uoluisset Regis Hispaniæ uel Angliæ me loco supponere, nulla uirtute nostra, sed casu generis nanciscimur claritatem. Quod si plures sunt uirtuosi, quos Fortuna præterit nemo irasci debet.
B Potest enim hæc domina quæ sua sunt bona, cui uult elargiri. Homines in mundum non ad opes possidendas aut perfruendas delitias, sed ad labores nascuntur: uiuere in terris non tanquam incolæ, sed ut aduenæ peregriniq́ debent, futuramq́ patriam per opera uirtutis inquirere, in magna uero fortuna non facile uirtus reperitur, quod animaduertens Thebanus ille Philosophus ingens auri pondus in mari coniecit, ut expeditiorem se traderet Philosophiæ. Christus saluator, Deus'q́ noster diuitias tanquam spinas & tribulos docuit fugiendas, eius discipuli paupertatis amatores fuerunt uictum & uestitum habentes, his contenti erant. Nec Hieronymus quamuis doctissimus in tenui gaza fortunam accusauit, quia non illam dominam, sed Christum dominum sequebatur transitoria pro perpetuis spernens. Anthonius Abbas, quod Fortuna dederat sponte reiecit. Quod si sane mentis essemus, odium potius quàm fauorem appeteremus Fortunæ, cuius blanditiæ maximum præstant impedimentum ad æternæ uitæ consecutionem. Rarus'q́ est & coruo rarior albo, qui & Fortunam simul & iter in cœlum sequi ualeat. Sed comprimo me, ne huic Dominæ uidear detraxisse, cuius amplexibus iam delector. Tu tamen caue ne Procopium, uel alios quos nominasti uirtutis amatores, dicas expertes Fortunæ. Nec enim uel carnales, uel milites essent, uel generosi nisi Fortuna iuuisset. Solus Campisius est, ex quo nihil suum potest Fortuna repetere.
C Sed eamus si stat sentētia propius, uideamusq́ Dominam istam regnorum atque imperij motricem. Eamus inquam ego, & si forsitan hospes inuisus ero? Vix quantum uelox ex arcu sagitta uolitans currit, uix confeceramus, Tum appræhendens Vegius dextram meam, respice inquit dextrorsum Aenea, ibi Mirsia est domina. Tentoria illic purpurea erant, margaritis ornata, quæ centum iugera cooperiebant. In medio solium erat peraltum, lucens claris Smaragdis, miri præterea lapides, ebur, solium uestiebant. Sagda gemma quæ in profundo Eufratis carinæ nauis se solet adnectere, iocundissime uirens. Myrthites coloris myrrhæ, qui ad colorem attritus nardi odorem spirat: Mithridas quæ solæ percussa uarijs emicat coloribus. Tum Pyrites qui se teneri non sinit: uehementius chalazias grandinis candorem præferens: ætites uipereas habens maculas: Dionysias, qui sui natura fuscus est, qui mixtus aqua si cōteratur uinum flagrat. Solis gemma percandida & speciem fulgidi syderis Veneris crinis, qui rufforum crinium faciem præfert. Selenites fulgore candido transluces, pyropus qui flammas imitatur. Meconites papauera exprimens: Myrmites reptantem formicam: chalcoptongos ut æra pulsata resonans. Siderites certis maleficijs incantatus discordias excitans, similis ferro: Phlogites qui intra se quasi flammas æstuantes ostentat: Anthracias, ut stella coruscans: Enthydros exudans, ut clausam in eo putes fontaneam scaturi-

ginem: Melochites Arabicus crassius smaragdo uirens, infantum periculis resistens: Iris in mari rubro reperta, quæ aëris repercussu cœlestis arcus ex se speciem iacit: Androdamas nitoris argentei animorum impetus molliens, & tumentes refrenans iras, & contra molestias neruorum utilis: pæderos aspectu eburneo, & gratiarum conciliator Achates. Incredibile est gemmarum, quæ illic perlucent, si quis referat multitudinem. Ipsa fortuna grandis matrona, duplicis aspectus, blando uultu, nunc terrifico: Vestibus auratis gemmatisq'ue altiorem chorum tenebat, oculis grandioribus. Sed plerunque clausis in auribus cæras uidi illa de naui petitas, quæ Siculos cautus effugit remige surdo. Cadeceum in manu tenebat In dextera eius dominatus sedebat honor, fauor, splendor, gaudium, officium, festus, risus, amor coniugum, uigor, rubor, decus, cantus, potus. Nec minori loco, fama, gloria, uictoria, nobiliias, reuerentia, pax, lætitia, potentia, forma, laus, gratia, suauitas, iocunditas, hilaritas, dignitas, elatio, pompa, præstantia, familiaritas, clientela, rapina, ultio, superbia, libido, arrogantia, obliuio, nuptiæ, consultatio. Ad pedes eius quasi ancillæ siue pedissequæ, diuitiæ, pecuniæ, deliciæ, blanditiæ, uoluptatesq'ue stabant arrectis auribus, si quid iussisset hera audituræ facturæq;. In gramine uero locoq; decliui sellæ plurimæ cernebantur orchestra tectæ, ubi plurimas umbras sedere conspexi. Perlucebant enim corpora sedentium quamuis pallida erant, uersusque ad Vegium: Qui sunt hi obsecro sedentes uiri reuerentia digni subtristesq'ue? Hi sunt, inquit Vegius, quos hæc domina ab initio nascentis mundi dignata est magnos facere. Sed iam satis functi huc uenerunt, & ut quisquis maior fuit, sic fortunæ proximior est. Nec hic ex uirtutibus locus datur, sed ex fœlicitate. Primus hic est Augustus Cæsar diuini genus, qui aurea condidit secula, quique super Garamantas & Indos protulit imperium. Alexander secundus est. Tum Iulius Cæsar. Post Scipiones duo. Inde Pompeius. Alius quem luscum uides Hannibal est. Tum Fabius Maximus: Aemilius Paulus, Marcellus, Alcibiades, Priamus, Hector, Agomenon, Achilles, Vlysses, Darius, Xerxes, Ninus: prætereo multos. Ille quem uides signo crucis munitum Constantinus est, hunc sequitur Constantius, Constans, Constantinus, Valentinianus, Theodosius. Sunt & iuniores, Carolus Magnus, Pipinus, Arturus: mitto uetustiores. Sigismundum tuipse nosti & Albertum generum, qui post socerum non diu regnauit: fortunam tum, secundam tum aduersam expertus est. Hic Albertus ex ducæ rex factus Vngariam, Bohemiamq; recepit. Nec diu post imperium est assecutus: Vt tamen cito creuit, ita cecidit repente, uix annis tribus regnauerat cum morbo assumptus spiritum Deo reddidit. Tum ego quo nam modo, inquam, fœlicitatem recipis? Ego apud Iuuenalem legi, neminem malum esse fœlicem: ex his quos nominasti pessimi plures fuerunt. Scis quàm Hannibal sæuus, quàm fallax, quàm cupidus fuerit: tu tamen hunc fœlicem dixti. Ad hæc Vegius, non ut sapientes nomen fœlicitatis suscepi, sed uulgi morem sum secutus, apud quos fœlix dicitur, cui plurima ex sententia ueniunt, siue bonum est, siue malum quod optant. Iterum ego, Non est mihi Vegi de mortuis cura, uiuos rogo mihi ostende. Respice, inquit Vegius, illam plagam: uides ne iuuenem albis comis planisq;? nondum annos triginta natus est, rarus in ore risus, grauis incessus, uiro uerba pauca, pudor ante faciem, longo uultu, statura plusquàm mediocri, lato pectore. Video, inquam, sed quis est? herus tuus Fredericus Cæsar, inquit Vegius. Tum ego, agnosco dominum: sed cur is Fortunæ refugit uultum? Quænam uerba loquitur domina? audio uocem uerba non teneo. Dicam tibi Aenea, refert Vegius. Non tàm Venus Odonem dilexit, quàm mea domina tuum herum. Is tamen refugit nec aspiranti annuit. Vultus Fortunæ ut cernis blandus est, Frederici torui sunt oculi, uixq; Fortunam intuentur. Nescio quid sibi sit menti, uerba Fortunæ hæc sunt. Mane Frederice, & te mihi crede. Nemo Regum te fœlicior erit, si mihi auscultaueris. Quod si tu fugeris, ego etiam fugiam. Vides ne Sylui, ut manum ad scapulas Cæsaris Fortuna posuit? colliriumq; uult prendere? Nescio an se capi sinat Cæsar quod superi faxint: si fauentem Fortunam spreuerit fugeritq;,

A scio morem dominæ nunquam sibi blandior erit. Superba est, rogari potius uult quàm rogare. Nunquam uidi hanc heram tam se alicui blandam præstitisse quàm nunc est tuo domino. Felix ille si fortunam sequatur, miser si fugiat. Tum ego, quis ille proximus Frederico qui eleuata ceruice graditur, passumq; maiorē facit, paululum fuscus. Germanus eius, inquit Vegius, Albertus dux liberalis, uastiq; animi eum sequitur patruelis. Sigismundus incessu celer, ingenio promptus & manu. Post hos Vlricus Ciliaceus comes mortalis pugnæ magister, amator non tam fidelis quàm felix. Ille maturus æuo, grandiq; corpore, si quis sit quæris, uide ad pedes, ibi calceus dicitur: dominus de Vualse ego sum. Hos sequuntur uiri præstantes Chiemensis & Gurcensis episcopi. Cancellarius herus tuus Caspar, qui ut dicis minus habet quàm mereatur. Magister Cameræ Zebinger marescalcus, hi directæ sunt Nurenbergam petere, si petierint in patria remanebunt. Leonardus Patauiensis episcopus, Comes de Schaunburg. Magister curiæ Nitperg. Et alij plures qui omnes Fortunæ sunt filij, quamuis singuli suam quærantur sortem. Rursus ego, quæ nam horum fortuna est omniumē bona, inquit Vegetius, si tuus herus fortunæ uocibus auscultauerit, uaria si obaudierit. Dum sic famur uideo parua statura uirum, nigro uultu, lætis oculis, qui manus in capillos Fortunæ coniecerat, arreptaq; coma, Sta tandem domina meq; respice, dicebat, quo me fugis iam annis duodecim? capta es siue uelis, siue nolis, ut me respicias oportet, satis mi-
B hi aduersa fuisti. Nunc alium uultum præbebis reor, aut mihi blanda eris, aut omnes tibi crines euellam. Cur me fugis pusillanimesq; sectaris? Fortunæ quoque in eum uox erat, uicisti fateor, nec me amplius experieris aduersam. Tum ego, quis hic est inquam, Vegi, qui Fortunæ uim facit? Alfontius, refert ille Rex Arragonum, qui cum fratribus apud Stantiam captus, Philippoq; ducis Mediolanensi datus, dimissus deniq; nouis se prælijs immiscuit. Aduersamque dominam insecutus, tantum instando perseuerandoq; fecit, ut uictam pudore Fortunam iam in suum fauorem reuocauerit. Alius quem uix tribus à Fortuna distātē passibus cernis, Burgundionum dux est: & cum eo coniunx cordata. Longus ille & abdomine tardus, qui uix uocem exprimit, Insubribus præest, huic hera sæpius arrisit. Sed non audiuit, ut par erat, dominæ uocem, ideo minus agri possidet, minusq; possideret nisi minas Fortunæ naturæ liberalitas confregisset. Ille in armis lætus Ioannes est Vaiuoda Transyluanorum, cuius uirtute fracti Turci Vngariam reliquerunt. Hic niger Giskra est, cuius armis defensæ sunt Ladislai partes. Hic caluus Bohemus Sisco est, uir sensatus, uoluntate uaria. Ante hunc Piceninum uidere potes, cuius uirtutem mirari magis quàm referre possumus. Apud eum Franciscus Cotunala stat, magis Fortunæ fauore, quàm suis uirtutibus in hanc diem magnificatus. Inter hos ego matrimonialem habitum cernens, Et quænam, inquam,
C illa est fœmina quæ ante alias tribus passibus pergens tam fastuosa uidetur? Hæc, inquit Vegius, Venetia est quæ pecuniarum Fortunæ claues habet, Tarpeiamq; custodit. Alia est Burgensis ciuitas. Tertia Coloniensis ciuitas. Nurenberga subinde. Argentina sequitur. Vienna quoque inter has est non ultima. Florentia Venetijs proximat. Sed timeo illi qui pluribus iam annis fauorem Fortunæ minorē sentit, tua Senas floret necū, sed minas nescio quas audio? Bachinoua & Valētia florent: Lundoniæ quoque splendidæ sunt ut uides. Tum ego, uideo togatos quosdam, qui nam sunt hi? Primus est meus Pontifex, inquit Vegius. Num Eugenium nostis? Proch inquam ego, etiam res Ecclesiasticas Fortuna uersat? Non minus quàm temporales, inquit Vegetius, ex quo nostri sacerdotes dominari cœperunt, & mundalia potius quàm spiritualia curare. Felix post eum sex gradibus sedet imus, quia principes non sequuntur eum. Illi Cardinales sunt: tu omnes nosces si uultum intueberis. Tres electores altiores accumbunt thoris: patriarchæ pauperes sunt tam Latini quàm Græci, ideo retro. Illæ uiduæ pullatis indutæ uestibus, quæ post Alexandrum Herculemq; iacent, urbes sunt quæ quondam splendidæ nunc solo æquatæ sicut iussit fortuna cernuntur. Illa in montibus sita Carthago, altera super Euphratem Babylon, Troia, columen Asiæ in-

 ter Xan-

ter Xantum & Simeontem diruta. Ille Amphionis Thebæ. Tum mater musarum cetropis & armis quondam potens Lacedæmonia. Post ego, qui nam obsecro illi sunt qui se nostris horrent miscere? Prior ille Soldanus est, inquit Vegius, cui paret Aegyptus. Alius Turcis imperat. Tertius Parthis. Quartus Afris: Ille nudus, brachijs tantum indutus, & armillis, cui diues ex collo torques pendet, Indorum habet dominatum. Post hæ ad sinistram me uerti. Ibi paupertas sedebat, ignominia, derisus, iniuriæ, morbi, senectus, tormenta, carceres, fames, dolor, stridor, timor, pudor, odium, inuidia, desperatio, charitas, bellum, pestis, solitudo, uerbera, curæ, & mille malorum nomina, campi sitientes nudi ac lapidibus tecti. Et quid nam, rogo, sibi uult hæc uastitas Vegi? Hic habitant, inquit ille, qui ex alto gradu ceciderũt, postquam Fortunæ fauorem amiserunt. Vides ne sublimem illam matronam septem callibus quasi pedibus subsistentem? Hæc aurea quondam Roma, iam lutea. Capua eam sequitur, Siracusæ proximæ. Tum Genua, lunæ pisa, Luca, Parisius. Inter Germanos florent adhuc urbes, sola Praga splendor terræ declinat. Constantinopolis Thracum caput morti propinquat. Omnia tempus domat, nec ulli Fortuna perpetuo bona est. Hic mœstus submisso capite, renatus est, quem Fortuna ex Apuliæ finibus pepulit. Ille Thomas Fulgosius est qui ex ducali solio tractus, in carceris iacet pedore. Hic Pancratius unco tenetur, qui solebat cum omnibus, tum maxime Cancellario tuo infestissimus esse. Borbonij dux ibi est, qui regno Franciæ dicebat leges, nunc dominij partes mulctatus extra Regiam esse iubetur. Vides ne senem procerum, cana & dimissa barba? hic Ludouicus dux Bauariæ, quem filius dominatu priuatũ domi clausum seruat. Dum sic loquitur Vegius, rursus in dextram feror. Video campum nube candida tectum, dumq; introspicio seu uera figura fuit, seu ficta, Ladislai puellum diademate & uestibus ornatum Regijs uisus sum uidere, pluresq; secum infante alludere, petoq; Vegium: Qui nam sunt hi nube cana circunuoluti? Hi sunt, inquit Vegius, quibus Fortuna fauorem spondet, si fatorum munere uixerint. Vix ista locutus erat Vegius, cum Dea in me oculos contorsit, contractisq; supercilijs, quis te huc accersiuit, inquit, Aenea? Nemo inquam ego, sed auidus te uisendi introgressus sum: noli mihi succensere: uidi regnum tuum, iam abibo. Vnum tamen ex te peto supplex mihi ut paucis rogatibus respondeas. Faciam, inquit illa, propone. Tum ego, quandiu es hominibus blanda? Nulli diu, respondit. Iterum ego: Quibus artibus potest tuus fauor acquiri? Nullis inquit illa, nisi solius importunitatis remedio. Quis te plus alijs retinet? Qui meum imperium maiori sustinet animo. Quis tibi odiosior? Pusillanimis. Quis te tute spernere potest? Sapiens. Quando mihi blandior eris? Cum te uocabo. Sum ne uocandus? Scies postea. Quis tibi ex omnibus uiuentibus est acceptior? Qui me fugat non qui fugit. Satis habeo, uale: Et tu uale, nec te mei gregis esse negaueris, inquit Fortuna, quamuis tibi non dederim auri montes. Nam quod te plerique amant, tibiq; benefaciunt meum est. Retuli gratias atque abij. Vegius ante portam me misit. Ibi inter porrigentium manus turbam Peregallum inueni amicitiorem amico, & parem sibi Michaëlem Sueuum, tum Vuenceslaum & Iacobum Cancellariæ glebis ascriptos, qui ut me uiderunt circunfusi percontabantur quid uidissem. Sed dum illis refero uisum, mox somno solutus sum. Tu uale, & quid hæc sibi uelint sagaci tuo ingenio discute, mihiq; aperi. Iterum uale mel meum: olus Epicuri ac Pythagoræ legumen. Ex Vienna VI. Kalendas Iulij. Anno M. CCCC. XLIIII.

Prosper.

A *Prosperitatem sui status denunciat cum desiderio eiusmodi successus.* *Epist.* CIX.

Aeneas Syluius Poëta, imperialisq; Secretarius, Caspari Nouariensi, *amico fido & docto,* S. P. D.

ACcepi uolupe tuas literas quibus te sospitem cognoui, & mei memorem. Nō possum ut uellem, quæ mihi obtigerunt, postquàm te dimisi, offerre, scires me multas passum miserias, utcunq; sit, eo iam in loco sum, de quo Deo gratias ago, scio id tibi iocundum esse. Nam quæ mea fortuna est, & amici est. Noui quàm me amas, neque impune amas. Vt tuus eram Basileæ sicut hodie sum. Vellem te opibus atque honoribus auctum audire. Sed non omnia uno tempore ueniunt. Da operam, ut facis, uirtuti: dilige literas, iunge te bonis, non deerit auxilium Dei. Et cum minime putabis, tūc maxime exalteris. Iacta cogitatum tuum in domino, & ipse te enutriet. Quia si neque diuitiæ neq; honores assint, non tamen desperandum est. Nec enim ista sunt quæ beare homines possunt. Virtus sola in cœlo præbet aditum, quod si eo anhelamus, hæc astruenda est scala. Breue est quo in terris uiuimus tempus, siue diuites sumus, siue pauperes, spernēdum est. Si modo in cœlum domicilium præparamus, quod te facere qui uirtutem colis non ambigo. Hæc nunc scribenda fuerunt. Clarissimum B uirum patruum tuum siue is auunculus est, Stephanum Nouariēsem, ut meis uerbis salu ere iubeas opto. Vale & ut facis perge me amare.

Consolatur amicum mœrentem ex morte coniugis suæ, *Epist.* CX.

Aeneas Syluius Episcopus Tergestinus domino Caspari Schlick, *imperiali Cancellario,* S. P. D.

AEger est animus tuus, & cor tuum uulnere grandi uulneratum nec abs re: Lætissimo nanq; & iocundissimo coniugio priuatus es, nec scio, an operam medicantis expectes. Nam & ego quoque qui medicinā præparo, medico sum indignus. Aegroto te, & tuæ sum particeps calamitatis, nec sine me licet te miserum esse. Scribunt mihi amici tui ex Austria fœminarum decus illustrem conthoralē tuam, dum partum uult in lucem edere, cum partu diem obijsse. O grauem iacturam. O inextimabile damnum. O dolorem acerbissimum. Expostulant qui te diligunt, meis ut te literis soler. Sic apud ueteres usurpatum est, funebres epistolæ scribebantur, multumq; profuit amici scriptum amico turbato. In Euangelio quoq; legimus ex Hierosolymis complures uenisse Iudæorum, qui Martham atq; Mariam Bethaniæ super mortem Lazari consolarentur. Conturbantur sæpe homines ex cōiugū, filiorū, parentum, cæterorumq; necessariorum mortibus, & nisi uel uerbis, uel literis recreentur amicorum, plurimi sæpe C tabescentes, doloribus interirent. Arbitrantur igitur qui te saluum cupiunt, epistolas meas utiles tibi fore, ut te mœstum & acerbo casu consternatum uerbis soler, hortatur. At ego tecum patior, tecum excrutior, tecumq; consolatore indigeo. Nec enim tibi quicquam molestum est, quod non sit idem mihi, æquæ tuo uulnere uulneror, & quæcunq; doles pariter doleo. Nec quisquā est qui tua damna, quā ego melius norit. Sciebam coniugem tuam inter castas esse castissimam, inter prudentes prudentissimam, & quāuis alto sanguine natam, inter humiles humilimā. Fuit in illa delectatio, fuit utilitas, fuit honestas, una tibi cum ea mensa, unum marsupium, unus lectus. Quicquid tibi placuit, illi cordi fuit, ex tuo uultu risum fletumq; sumpsit. Notum est mihi præ multis, quanta tibi ex eius obitu calamitas acciderit, & quia tibi afficior maxime, non possum tecum nō dolere. Cæterum dum me animo magis magisq; recolligo, inuenio & huius quoq; doloris solamina, quæ tibi mihiq; simul cōmunicabo. Frustra sane prosequimur lachrymis, q̄d amissum recuperari non potest, quæ uentura omnino mors est incassum timetur. Lex naturæ est certa atq; ineuitabilis mori omnes qui nati sunt. Potuisset coniugis tuæ longius uita trahi, si plus staminis dedisset Lachesis. Mortalis tamen erat, nec illi fortasse amplius uiuere conducebat. Inspicit ex alto Deus hominū uitas, & non quæ iocunda, sed quæ sunt utilia hominibus impertitur. Stulti sumus turba mortalis, qui rem dietim

perituram sic posſideri poſſe, quaſi perpetua ſit arbitramur. Sapientiſsimus ille, qui nunciata filij morte lachrymas nō eiulatus emiſit, ſed ſciebam, inquit, me genuiſſe mortalem. Alius cum dilectiſsimam ſibi mors coniugem eripuiſſet, hac, ait, conditione accepi ut perderem. Multis modis amittitur uxor, ſed nullo melius quàm morte. Vnius coniugem ſic longa ualetudo deturpat, ut periſſe potius ſit expetendum. Alteri nuptam ſubtraxit adulter. Per has nouiſsime dies uxorem amantiſsimam illuſtri Croaciæ comiti ſæuiſsima Barbarorum manus abduxit. Quis numerare queat uarios fortunæ caſus? quibus ludens humanum affligit fortuna genus. O beatum cui nullo coniunx exilio, nulla fraude, nullaq; manu hominum, ſed diuino duntaxat imperio ſubripitur. Beatior quem uſque in ſenium caſta fœcunda & placida proſequitur uxor: ſed pauci, quos æqus amauit Iupiter, huius ſortis exiſtunt. Tecum bene actum eſt Caſpar qui etſi non es beatiſsimus, felicem tamen compellare te poſſumus. Tibi nobiliſsima coniunx nupſit ex generoſo ducum Fleſiæ ſanguine, formoſa erat, & honeſtatis ſpecimen præſetulit, tuo fuit animo ſemper morigera, prolem tibi utriuſque ſexus pulcherrimam peperit. Sed abſceſsit ais nempe, decem aut uiginti annis ante opinatum tempus eſto ita: Moriendum tamen illi erat, & multæ poterant incidere calamitates quæ obitum eius optabilē reddidiſſent: non quæ optatur, ſed quæ timetur felicius mors uenit. At uxorem dicis, amiſi: Non amiſiſti Caſpar, ſed præmiſiſti, ſequeris enim cum tempus aderit. Tria ſunt omnibus conſignata hominibus loca, unum patriæ, alterum peregrinationis, exilij tertium. Patria cœlum eſt: Peregrinationem in terris agimus: Exilium quia duplex eſt, alterum perpetuum, temporaneum alterum. Hoc purgatorio, illud inferno cedit? Inſulſi eſt animi manentem in terris exquirere ciuitatem. Si Paulum ſequi uolumus, ſi Chriſto credere ſaluatori, patriam in cœlo quæramus. Vita breuis eſt homini, quaſi ſomnium fugax. Nulli craſtina dies certa eſt. Quid nos ſumus, niſi uentus & umbra? Vbi nunc inclyti Reges? Quære nunc Priamum & Agamemnonem, quære Iulium, quære Pompeium, apud inferos cruciantur. Vidi impium ſuperexaltatum, ſuper cedros Libani & tranſiui, & ecce non erat: quanta nuper gloria pollebat Philippus Maria Mediolanenſium dux, quem capitis Hiſpaniæ Regibus terra mareque formidabant. Is ubi mortem obijt, uix habuit qui corpus tumulandum ferrent: funebres abfuerunt Pompæ. Et quamuis in medium idoli, aut ſancti alicuius corporis in ſublimi loco maiori imminens artæ tumuletur, fœtidus tamen paulò poſt deponitur, atq; inter illos collocatur, quorum ad effigiem non tantū merere fas eſt. At chariſsima tua coniunx Caſpar, quia non in terra ubi fures effodiunt, ſed in cœlo ubi neque tinea eſt, neq; rubigo ſuum theſaurum collocauit, peregrinatione finita nō exilio damnata, ſed cœleſti patria donata eſt, ubi te expectans multo lucidior, multoq; formoſior quàm hic fuit: iam eſt immortalitate ueſtita, & cum beatiſsimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſsiſtit. Iamq; Deo gratias agit, quia non eſt diutius peregrinari permiſſa. Quid tu reris Caſpar, an non eſt magna pars beneficij, cui peregrinatio eſt centum annorum, ſi medio tempore reuocetur? Sic actum eſt cum tua coniuge. Nam cum corpore in humano uitam duceret angelicam, iam eò uocata eſt eius anima, ubi ſemper animus fuit. Illic omnia ſuo deſiderio conſonant, quicquid optat præſto eſt. At tu deſiderio eius tabeſcis? Inique agis, congaudere illi debes, quæ omnia quæ uult habet. Beatitudinem ſuam tu ſolus minuis. Ad plenam felicitatem uno te caret, nec te ſemper carebit. Orat enim altiſsimum dies noctesq; tuos, ut greſſus dirigat, teq; in cœlum aduocet, ubi ſecum perpetua læteris beatitudine, iam impetrauit ut opinor. Hinc enim ſunt aduerſitates tuæ, uix iſti hactenus, uti noſti, uoluptati deditus, totus fuiſti carneus, totus terreſtris, nihil habuiſti cœleſte. Tolerauit hoc æquus & miſericors Deus. Nunc te ſiniſtris admonet caſibus. Vnde urtica hæc, niſi ut conuertaris? Saluum te Deus cupit. Hinc eccleſiæ Friſingenſis, diu continuata conflictatio, hinc manus læſio, hinc impoſitæ calumniæ. hinc ad extremum dulciſsima coniunx mortua, ut te uiuum faciat. Præceſsit illa, ſequemur omnes, atque utinam bene ſequamur. Tedere iam

A dere iam te opinor uitæ huius quam tot molestijs plenam cernis. Inuidere est nō amare, si uxorem in terris potius uiuentem quàm in cœlo regnantem cupis. Filiorum fortasse curam geris. Ne dubita cœli aues & bestiæ terræ alitorem habent. Iacta cogitatum tuum in domino & ipse te atque illos enutriet. Filij Regum sine parētibus sæpe exteres fuerunt. Ciro canem, conditoribus urbis lupam referunt ubera præbuisse. Antiquis aliquando fuit matribus caruisse: humana mens sibi sæpe noxia quærit. Deo maior est nostri cura quàm nobis, à Gadibus Herculis usque auroram & Gangen quid sibi sit utile nouit nemo, nisi qui uoluntatem suam Dei uoluntati submittit. Ne cupiamus obsecro plurima, mentem sanam duntaxat optemus in corpore sano. Forsitan & hoc ambitiosum est, quod de corpore diximus. Nam & filiolam beati Petri in ægritudine sedentem legimus, quoniam sanitati mentis aduersa erat corporis sanitas. Fac mi Caspar quod tuum est de filijs enutri eos & bonis imbue moribus, cætera Deo committe. In omnibus quæ agimus quæq; optamus, nullum est consilium sanius quàm Dei ordinationi bene placitoq; acquiescere. Is filiorum loco nos habet, & ut filios corripit atque castigat. Ille inuisus est Deo qui delicatè atque desidiosè sinitur uiuere, quia non putat hunc Deus sua correctione dignum: ueniet eius dies exactisq; uoluptatibus perpetuo cruciandus apud inferos sepelietur. Qui uero in anxietate uiuunt in terris, &
B nunc hac nunc illa decoquuntur aduersitate, per patientiam sanamq; tolerantiam cœlum acquirunt, ubi cum angelis cumq; ipso Deo felices æuo fruentur sempiterno. Tu ergo mi Caspar in tot tantisq; rebus aduersis, in iactura fortunarum, in honoris damno, in læsione corporis, inq; morte coniugis ut boni consulas rogo. Nam & ego in bonam recipio partem tuarum particeps miseriarum, quod in me belli impetum labi uideo quo mulctatus sum agro & omni priuandus ære. Idq; nec hactenus potui nec modo possum uitare. At sic tibi & mihi superintēdere diuinā censeo pietatem nostræ salutis cupidam & uires nostras in aduersitate probantem. Hæc habui modo quæ repente ad te consolatoriè scriberem. Cætera ex teipso collige, qui ut es sapientissimus, sic humanos ferre casus sapientissime nosti. Vale optime. Ex Pisino Histriæ oppido, Idibus Septembris. M. CCCCXLVIII.

Poësim laudat & iuris scientiæ præfert, Epist. CXI.

Aeneas Syluius Poëta, domino Vuilhelmo de lapide militi literato & strenuo, S. P. D.

VEnit ad me hodie tuus Michaël meusq; imò noster, & heus, inquit Aenea, uir abhinc hora me aggressus est, qui se tantam iuris peritiam iactat habere, ut nullius Italici disputationem formidet, nec Panormitano, nec Ludouico Romano
C si uiuerent, palmam daret. Cinum, Bartholum, Baldum, Ioannem Andreæ, Imolensem, Butrium, Fulgosium, omnesq; nouos legum interpretes post se facit. Et inter Sceuolam, Vulpianum, Neruam, Pompeium Paulum, Seruiumq; se locat, multorum uerborum est, sed quantum salis habeat nō scio. Qui eum sequuntur, audire magis quàm loqui possunt. Horis plus quatuor secum fui, nunquam mihi uacuum tempus præbuit quo aliquid dicerem. Cicada est quæ ut tacta fuerit semel, nunquam silet. Scis qualem Cicadam, nō ut in regnis sunt quæ iussu Herculis tacent, sed ut Locrenses sunt, quæ ultra cæteras strepunt. Is poëticam contemnit, nec si Dij musas ei omnes infunderent, gratias ageret, quia præter Ius ciuile nulla scientia est, nulla doctrina, omnes artes mancas præter legum peritiam prædicat. Poëticam uero prorsus inutilem esse contendit, quæ nec panem lucratur, nec uestitum. Solus Iustinianus & Hippocrates marsupium implent. Ieiunus cantat Lucanus, mortis et satur est çum dicit Horatius, destomachatus sum. Dum hæc audio Vuilhelme militum decus nec me comprimere possum quin quid sequēdū sit agnoscat: æditæ leges sunt, et ante hominū oculos positæ tanquā Cācelli quidā ultra quas trāsgredi nullus audeat. Legibus tamē nemo perfectus fiet, nisi Philosophiæ studijs incubuerit, quia nō possunt omnē casum cōplecti leges

Ideo princeps moderator est legis ἐπιείκειαν habet ut duram mollificet, laxam uero sanctionem restringat. Quod nunquam recte princeps ageret, nisi magistram uitæ expultricem uitiorum secutus fuerit Philosophiam. Sed hic noster monarcha uel bipes asellus potius inflatus opinione sui ciuilem scientiam omnib9 præfert, matrẽ filiæ postponit, & fluminibus mare. Is est ex illis cæcis & obtusis hominibus qui postquã leges quatuor aut decẽ memoriæ cõmendarũt, iam nõ amplius homines sed deos se putant, legesq; diuina cẽsent oracula, quæ uel Apollo, uel Apolline maior Deus ipse per Moysen tradiderit, aut qualia sunt Christi responsa quæ nos Euangelia nuncupamus. Ac præterea si quid egisse Cæsarem audiunt, quod iuri scripto contrarietur, id irritum garriunt nulliusq; esse momenti, quasi obnoxius sit princeps terminos curiæ & stilum seruare, ligatusq; legibus sit, quod nec ipsæ leges uolunt, quæ legis uigorem dicunt habere quicquid princ pi placuit. Sed nesciunt hi stulti atque dementes, æquitatem plus in principe locum habere quàm rigorem. Quod si non iuri scripto Cæsar nonnunquam obtemperat, satis est quia sequitur æquitatem apud Philosophos late descriptam, quam nulli iuristæ discernere possunt nisi ad fontem ueniant, ubi leges scaturiunt, imitentur quia peritissimos illos iurisconsultos, quorum scripta & Philosophiam & Oratoriam redolent. Sed nostri panis quæstores & auri corrasores uix intelligunt ornatum iurisconsultorũ sermonem, neque quid illi uellent quouis pacto scirent, nisi commentatores sententiam textuum exponerent, hoc dicit ista lex, hoc illa: quos isti sequuntur ut cæci ductorem suum. Dicerem plura in hanc partem, sed uocat me defensio poësis quam noster rabulus non desiderat. Credo equidem, nam nec sues margaritas curant, Gallus Aesopi iaspidẽ cõtempsit, escam magis quàm hiacinthum inuenire uoluisset. Cõtemnis asine poësim: spernis musas bos: fugis humanitatis studia caper: Contemnit & poësis te, nec te thoros suos intrare permittet. In omnibus cum sis fatuus, miror in hoc uno te esse sapientem, qui cum uideas obseratam tibi atq; abditam poësim, nolle te suum commercium, dicis sapere, hoc est: Nunc teipsum Philosophum uideo, quia non cupis quod non potes habere. Stultum est desiderare quod assequi nequeas. Tu tamen ultra progrederis, scientiarumq; omnium splendorem uocas ineptias: Vidit pendentes aselli testiculos uulpecula, & prope casuros credidit, secuta est, prædam sperans: at postquam diu frustrata est, quia non cadebant testes, ô quàm, inquit, nigri sunt, nunquam illos esse potuissem. Nigra est tibi poësis stulte, quia candorem eius obnubilatis oculis non uides. Non sapit ægroto uinum, quia læsus est gustus. Non est de pane lucrando dicis. Tibi nunquam panem lucrari poësis posset, quia crassis ingenijs nubilosisq; mentibus non potest fructum præstare. At Virgilio frugifer fuit. Horatio admodum pinguis qui frui partis optabat. Oppianus qui nomina piscium naturasq; descripsit, magnas opes est assecutus. Quid Leonardus Arentinus, Aurispa, Panormitanus, Anthonius Luscus, Guarinus, pluresq; alij: his & patrimonia sunt ampliata & opes accumulatæ quàm plures, quia Poësim & Oratoriam sunt secuti. Nec tibi unquam tantum auri speculator præbebit quantum Quintilianus Arentino tribuit. Quod si apud hanc tuam Germaniam nõ sunt in precio Vates, non poësim sed principes potius argue, quibus læuissimarum rerũ maior est cura quàm litterarum. Apud Italos autem florent huiusmodi facultates, nec erubescunt principes & audire & nosse poëtriam. Ideo spero quanquam tu nolles & in Germania futurum aliquando, quia & olim uiros doctos hæc terra tulit, & iam plerosque noui dicendi peritos qui te inuito, etiam si tibi rumpantur ilia, eloquentiam inter Germanos seminabunt. Nec enim inutilem rentur ut asseris poësim. Sciunt ex hac maximum gigni fructũ. Quomodo enim pacari prouinciæ et amicitiæ uel conflari uel integrari possent nisi facundia foret, quã poësis alit. An nescis quantus est epistolarũ usus, quatus historiarũ, quantus orationũ. Rex regi per literas cõciliatur, ciuitates fœdera percutiũt, absentes cũ absentib. fabulantur. historia nobis res gestas refert, quæ testis est temporũ lux ueritatis est, uitæ magistra, Oratores senatũ regũt, populos ducũt, leges suadẽt. Sed qs hæc bene agat nisi poëticis et Oratorijs imbut9 disciplinis. Quas ꝑterea grates referre

D

E

F

A ferre Homero debent Græci atque Troiani, qui iam duobus annorum milibus mortui adhuc uiuunt. Nouit quanta sit utilitas poëtarum Alexander magnus. Cui per Asiam iter facienti cum obuiam cumulus Achillis fieret, O fortunate, inquit, adolescens quem tanta decantauit tuba, Homeri scilicet, musam designans. Alexander Ammitæ filius, Rex Macedonum Pindarum poëtam lyrium apprime dilexit. Archelaus eius successor in tantum poëtas amauit, ut Euripidi tragico consiliorum summam traderet, cuius supræma non cõtentus prosequi sumptu funeris crines tonsus est, & mœrorem quẽ animo cõceperat, uultu indicauit. Affricanus prior Quinti Ennij statuam sepulchro suo iussit imponi. Lisander Lacedæmoniorũ dux cũ obsederet Athenas, quia Sophoclis inhumatum corpus iacebat, inducias dedit ut congrue & digne poëtæ exequiæ fierent. Iulius ille Cæsar qui nobis Romanum imperium peperit non solum poëtas amauit, sed fieri etiam & dici Poëta uoluit. Idem & Augustus & Octauianus. Ac præterea mortui uiuunt, nec ulla istorum ætas immemor erit. Quod si nonnulli principes equos potius & canes alere quàm poëtas uolunt, & multa carne leones ursosq; pascunt, intestinis poëtarum nihil præbentes, talis erit eorum obitus qualis equorum & canum, nec post mortem maius erit istorum nomen quàm ursi atque leonis. Integri morientur nec beneficia musarum famam sibi uendicabunt, quos tuo ex more nihil curauerunt. Antiquitas pro-
B uida tanti poëticam fecit, ut tam poëtas post æditum opus quàm imperatores post uictoriam triumphare & curro magnifico duci per urbes uoluit. Communemq; illis dignitatis insigne præbuit lauream, quoniam sicut ab hostibus imperatores liberant ciues, sic uitia fulminantes, & uirtutes excellentes poëtæ ciuitates custodiunt & amplificant. At tu maior Alexãdro magno? Lisandro uictoriosior? melior Scipione? prudentior Iulio? Augusto fortunatior? & omni antiquitate sapientior, inutilem poëticam dicis quia nihil panis affert, nil auri, nil diuitiarum? Esto quod ais non tamen idcirco legibus tuis poëtica cedet. Namque dum tu aurum petis auare fecis amator, mundi cultor, poëta honorem famamq; quæritat. Et cantans superum laudes uirtutisq; excitans amorem, iter sibi faciat in cœlum, tu cum auro & diuitijs quas sequeris quasq; solas dare beatitudinem putas, in terra manebis & animam simul & uitam perdes. Non est (mihi crede) noscere leges quàm poëticam maius. Scio quia non credis, sed stulti credulitas nec dat uerum nec aufert. Cicero qui fuit linguæ Latinæ princeps semper poëtas fuisse raros testatur, quoniam hæc facultas donum Dei est, quod non omnibus datur. Artes cæteræ studio, diligentia, præceptionibusq; possunt appræhendi, hanc nemo assequitur nisi diuino munere præditus. Tu te uides Iuristarum greges inter quos plures excellunt, habenturq; doctores et legum interpretes, quorum mores nihil à brutis distant qui res humanas minus quàm capræ norunt, tu non fateberis hoc quia fortasse caprior es capris.
C Ego Polinum noui Mediolanensem, qui lumen habitus est iuris ciuilis. Is facturus ædificium, magistros conduxerat, trabes in ædium medio erant quibus laquear aulæ construi debebat, tempus cœnandi fuit, ite, inquit Polinus, comedite, ego interim aliquid operis faciã. Illis amotis trabes metitur quã longas uult ex pariete in parietẽ mensura recepta, nec quod intra murũ ligni pars esse deberet animaduertit, scindirq; trabes & perdidit ædificium. Is tamen iuris præceptor erat, multisq; annis cathedram rexerat. Quid tu mihi hanc disciplinam iuris tantopere laudas & omnibus præfers, cuius asini possunt esse præceptores? Orator atq; poëta si Ciceroni plusquàm tibi credere uolumus, nullus erit nisi et prudens et bonus multarum scientiarum peritiam fuerit assecutus. Atq; idcirco rari semper poëtæ rariq; Oratores fuere, in quorum numero facis sapienter si non desideras esse, quia non potes stulte, si contemnis quod tanti uiri commendauerunt. Hæc ad nostrum asellum sint dicta. Tu Gulielme disciplinarum amator, si unquã hosce homines audiueris, suscipe poëticæ partes, & ostende te huius diuini muneris cultorem: uides quàm facile sit has Picas conuincere, hos tanquam pulices inter ungues comprime, nec sine ut diuinam poëticã quæ (ut Cicero tradit) omniũ doctrinarũ est prior inuenta, pollutis arguãt labijs. Defende hanc pulcherrimã dominam. Cui si præsidio fueris nomen habebis æternum, & non solũ inter meas epistolas, quæ tamẽ non sunt cito casuræ,

sed

ſed inter ſcripta potiorum Vatum inueneris legendus. Vale & illuſtriſsimo principi domino duci Alberto me commendatum facito. Et quia cõſiliarius eius es, admone illum ne literarum ſtudia contemnat. Iterum atq; iterum uale. D

Sozini excellentiſsimis naturæ dotibus præditi, rogatu tractatum de duobus ſe amantibus compoſuit, Epiſt. CXII.

Magnifico ac generoſo militi domino Caſpari Schlick, domino No-*ui caſtri Cæſareo Cancellario, ac terrarum egræ cubitiq; Capitaneo domino præcipuo, Aeneas Syluius Poëta imperialisq; ſecretatius, S. P. D.*

MArianus Sozinus Senenſis conterraneus meus uir tum mitis ingenij, tum literarum multarum, cuius adhuc ſimilem uiſurus ne ſim hæreo. Duos amantes ut ſibi deſcriberem, rogatum me his diebus effecit. Nec referre dixit, rem ueram agerẽ an more poëtico fingerem. Scis quia uir ſiet. Mirabere ſi tibi hominem expendam, nihil ei præter formam natura inuidit. Homuntio eſt, naſci ex mea familia debuit, cui paruorum hominum eſt cognomen. Vir eſt eloquens, Iuris utriuſque conſultus: Hiſtorias omnes nouit, poëticæ peritus eſt: Carmen facit & latinum et tuſcum. Philoſophiæ tam ſcius quàm Plato, Geometer quaſi Boëtius In numeris Macrobio ſimilis. Nullũ inſtrumentum ignorat muſicum. Agriculturam quaſi Vergilius nouit. Nihil ciuile ignotum uiro: E dum iuueniles adhuc ſtabant in corpore uires, alter ſatelles erat luctandi magiſter, non curſu, non ſaltu, non ceſtu poterat ſuperari. Precioſiora ſunt interdum parui coporis uaſcula, ut gemmæ lapilliq; teſtantur. Nec ab re fuerit illud in hunc referri, quod de Thideo ſcribit Statius: Maior in exiguo regnabat corpore uirtus. Dij formam huic homini & immortalitatem ſi dediſſent, is etiam erat Deus, ſed nemo ſortitus eſt omnia inter mortales. Nullum adhuc noui cui pauciora quàm huic defuerint. Quid quod minutiſsima etiam didicit, quaſi alter Appelles ſic pingit. Nihil emendatius eſt, nihil lucidius quã ſua manu ſcripti codices. Sculpit ut Praxiteles, nec medicinæ ignarus eſt. Adde uirtutes morales quæ alios regunt ducuntq;. Noui meis diebus pleroſque ſtudijs literarum deditos, diſciplinis, qui admodum abundabant, ſed hi nihil ciuilitatis habebant nec rempublicam nec domeſticam regere norant. Stupuit Paglarenſis & furti uillicum accuſauit, qui ſuem fœtam undecim porcellos, aſina unum duntaxat enixam pullum retulerat. Gomicius Mediolanenſis, grauidum ſe putauit, diuq; partum ueritus eſt, quia ſe uxor aſcendit: hi tamen iuris maximum lumen habiti ſunt. In alijs præterea uel faſtum uel auaritiam inuenies, hic perliberalis eſt, plena illi ſemper domus eſt honeſtis hoſpitibus. Nulli aduerſus eſt, populos tuetur, ægros ſolatur, pauperibus ſubuenit, uiduas iuuat, nulli indigenti deeſt. Vuultus eius quaſi Socraticus, ſemper eſt idem. In aduerſis fortem animum præbet. Nulla fortuna inflatur, uerſutias non ut exerceat, ſed ut caueat F quaslibet nouit. Ciuibus dilectus eſt, peregrinis amatus. Nulli odioſus eſt, nulli grauis. At homo tantarum uirtutum cur nunc rem leuiuſculam exigit non ſcio. Hoc ſcio nihil me illi negare phas eſt. Eum namq; dum Senis eſſem, unice dilexi, nec diminutus eſt amor, quamuis ſeparatus ſit. Is quoque dum eſſet cæteris naturæ dotibus præditus, cum hoc maxime bono pollebat, ut nullius erga ſe ſterilem eſſe amorem ſineret. Huius ergo rogatus non cenſui reſpuendos. Scripſiq; duorum amantium caſus nec finxi. Res acta Senis eſt, dum Sigiſmundus Imperator illic degeret, tu etiam aderas, & ſi uerum his auribus hauſi, operam amori dediſti. Ciuitas Veneris eſt. Aiunt, qui te norant, uehementer quod arſeris, quodq; nemo te gallior fuerit. Nihil ibi amatorie geſtum te inſcio putant. Ideo hiſtoriam hanc ut legas precor, & an uera ſcripſerim uideas, nec reminiſci te pudeat, ſi quid huiuſmodi nonnunquam euenit tibi, homo enim fueras.

Qui nunquam ſenſit amoris ignem, aut lapis eſt, aut beſtia. Ille utiq; uel per deorum medullas nõ lateat igneam fauillam. Vale.

Prologus

A *Prologus in eundem tractatum,* *Epist.* CXIII.

Aneas Syluius Poëta, imperialisq; Secretarius, S. P. D. Ma-*riano Sozino utriusq; iuris interpreti & conciui suo.*

REm petis haud conuenientem ætati meæ, tuæ uero & aduersam & repugnantem. Quid est enim quod uel me iam penè quadragenarium scribere, uel te quinquagenarium de amore conueniat audire? Iuuenes animos res ista delectat, & tenera corda depascit. Senes autem tam idonei sunt amorum auditores quàm prudentiæ iuuenes. Nec quicquam est senectute deformius quæ Venerem affectat sine uiribus. Inuenies tamen & aliquos amantes senes, amatum nullum. Nam & matrimonijs est & puellis despectum senium. Nullius amore tenetur mulier nisi quem uiderit ætate florentem. Si quid aliter audis, deceptio subest. Ego uero cognosco amatorium scriptum mihi non conuenire qui iam meridiem prætergressus in uesperam feror. Sed non minus me scribere quàm te poscere dedecet. Ego tibi debeo morigerus esse, tu uide quid postules. Nam quanto est natu maturior, tanto æquius est parere amicitiæ legibus, quas si tua iustitia non ueretur mandando infringere, nec stultitia mea transgredi timebit obediendo. Tua in me sunt tot beneficia ut nihil negare petitio-B num tuarum queam, etiam si admixtum sit aliquid turpitudinis. Parebo igitur petitioni tuæ iam decies multiplicatæ, nec amplius negabo quod tanto conitio postulas. Non tamen ut ipse flagitas fictor ero, nec poëtæ utemur tuba, dum licet uera referre. Quis enim tam nequam est, ut mentiri uelit cum uero se potest tueri: quia tu sæpe amator fuisti, nec adhuc igne cares, uis tibi duorum amantum ut historiam texam. Nequitia est quæ te non sinit esse senem. Ero morigerus cupiditati tuæ & hanc inguinis ægri canitiem prurire faciam, nec fingam quando tanta est copia ueri. Quid enim est toto terrarum orbe amore communius, quæ ciuitas: quod oppidulum: quæ familia uacat exemplis? Quis trigesimum natus annum, amoris causa nullum peregit facinus? Ego de me facio coniecturam quem amor in mille pericula misit. Ago superis gratias quod structas insidias millies fugi, felicior astro Martis quem Vulcanus cum Venere iacentem ferreo illaqueauit reticulo, deridendumq; dijs cæteris ostentauit: Sed alienos quàm meos amores attingam, nedum uetusti, ignis cinerem euoluo, scintillam adhuc uiuentem reperiam. Referam autem mirum amorem peneq; incredibilem, quo duo amantes, ne dicam amentes inuicem exarsere. Nec uetustis aut obliteratis utar exemplis, sed nostri temporis ardentes faces exponam. Nec Troianos aut Babylonios, sed nostræ urbis amores audies: Quamuis ex amantibus alter sub arcteo natus fuerit cœlo. Forsitan & hinc sugere aliquid utilitatis licebit. Nam C cum puella, quæ in argumentum uenit, amatore perdito, interplorandum mœstam & indignantem exhalauerit animam, alter uero nunquam post ueræ letitiæ particeps fuerit, commonitio quædam iuuenibus erit, his ut abstineant nugis. Audiant igitur adolescentulæ, & hoc edoctæ casu, uideant ne post amores iuuenum se eant perditum. Instruit hæc historia iuuenes ne militiæ se accingant, quæ plus fellis habet quàm mellis, sed obmissa lasciuia quæ homines reddit insanos, uirtutis incumbant studijs, quæ possessorem sui sola beare potest In amore autem quot lateant mala, si quis aliunde nescit, hinc poterit scire. Tu uale & historiæ quam me scribere cogis attentus auditor esto.

Historia de Eurialo & Lucretia se amantibus, *Epist.* CXIIII.

VRbem Senas, unde tibi & mihi origo est intranti Sigismundo Cæsari, quot honores impensi fuerint iam ubique uulgatum est. Palatium illi apud Sacellum sanctæ Marthæ, super uicum qui ad Chophorum ducit portam, structum fuit. Huc postquam ceremoniæ peractæ sunt, cum uenisset Sigismundus, quatuor maritatas obuiã habuit, nobilitate, forma, ætate, ornatuq; pene pares: non mortales sed deas quisq; putauit.

Si tres duntaxat fuissent, illæ uideri poterant quas referunt Paridem per quietem uidisse. Erat Sigismundus, licet grandæuus, in libidinem pronus, matronarum alloquijs ad- D
modum oblectabatur & fœminæis blandimentis gaudebat, nec suauius illi quicquam fuit illustratarum aspectu mulierum. Vt ergo has uidit desiliens equo, inter manus earum exceptus est, & ad comites uersus: Similes ne his fœminas uidistis? Ego dubius sum an facies humanæ sint, angelici uultus sunt, cœlestes certè. Illæ oculos humi deijcientes ut uerecundiores fiant, sic pulchriores redduntur. Sparso namque inter genas rubore, tales dabant ore colores, quales Indicum ebur ostro uiolatum, aut quales reddunt alba immixtis purpureis rosis lilia. Præcipuo tamen inter eas nitore Lucretia fulsit adolescentula nondum annos x x nata, in familia Camillorum, Menelao prædiuiti uiro nupta, indigno tamen, cui tantum decus domi seruiret, sed digno quem uxor deciperet, & sicut nos dicimus, cornutum quasi ceruum redderet. Statura mulieris eminentior reliquis: Comæ illi copiosæ & aureis laminis similes, quas non more uirginum retrofusas miserat, sed auro gēmisque incluserat. Frons alta spacijque decentis, nulla infecta ruga: Supercilia in arcum tensa, pilis paucis nigrisque debito interuallo disiūcta: Oculi tanto splendore nitentes, ut in solis modum respicientium intuitus hebetarent. His illa & occidere quos uoluit, poterat, & mortuos cum libuisset in uitam resumere: Nasus in filum directus, roseas genas æquali mensura discriminabat, nihil his genis amabilius, nihilque delectabilius uisu, quæ cum mulier risit, in paruam utrinque dehiscebant, foueam. Nemo has uidit qui non cuperet osculari: Os paruum decensque, labia Corallini coloris ad morsum aptissima: dentes paruuli et in ordinem positi ex cristallo uidebantur, quos tremula lingua discurrens non sermonem, sed harmoniam suauissimam mouebat. Quid dicam menti speciem aut gulæ candorem? nihil illo in corpore non laudabile. Interioris formæ iudicium faciebat exterior. Nemo hanc aspexit qui uiro non inuideret. Erant insuper eius in ore multæ facetiæ. Sermo is fuit qualem rumorem Grachorum matrem habuisse Corneliam siue Ortesij filiam, nec suauius aliquid eius oratione, nec modestius fuit. Non ut pleræque tristi facie honestatem ostendebat, sed alacri uultu modestiam. Non timida, non audax, sed temperatum uerecundiæ metum, uirilem animum fœmineo in corde gerebat. Vestes illi multiplices erant, non monilia, non fibulæ, non balthei non armillæ deerant. Redimicula capitis mirifica, multæ uniones adamantesque, tum in digitis, tum in serto fuere. Non Helenam pulchriorē fuisse crediderim, quo die Paridē in conuiuium Menelaus excepit, nec ornatiorem Andromachem cum sacris Hectoris initiata est nuptijs. Inter has & Catharina Petrusici fuit, quæ paulopost die functa Cæsarem in funeribus habuit, qui & natum eius militia ante sepulchrum donauit, quamuis infantem. Huius quoque mirabile formæ decus elucebat, inferior tamen Lucretiæ erat: omnis de Lucretia sermo audiebatur. Hanc Cæsar, hanc cæteri commendabant intuebanturque. Quocunque illa uertebatur, eò & oculi sequebantur astantium. Et sicut Orpheus sono citharæ Syluas ac saxa secum fertur traxisse, sic ista homines suo, quocunque uidebat, intuitu ducebat. Vnus tamen inter omnes plus æquo in illam ferebatur Eurialus Franco, quem nec amori forma nec diuitiæ reddebant ineptum. Duorum & x x x annorum erat non eminentis staturæ, sed letæ gratæque habitudinis, illustribus oculis magis ad gratiam tumescentibus, cæteris membris non sine quadam maiestate decoris naturæ correspondentibus, reliqui curiales propter longinquam militiam omnes auro excussi erant. Hic quia domi abundabat, & propter amicitiam Cæsaris magna munera recipiebat, indies ornatior conspectibus hominum reddebatur, longum famulorū ordinem penè ducebat. Nunc auro illitis nunc muricis tyri sanguine tinctis, nunc filis quæ ultimi legunt seres textis uestibus utebatur. Tum equi tales illi erant, quales in fabulis est ad Troiam uenisse Memnonis: Nihil huic ad excitandum illum blandum animi calorem, magnamque mentis uim, quem uocant amorem, præter otium deerat. Sed uicit iuuenta & luxus tam læta fortunæ bona, quibus ille nutritur. Nec potens Eurialus sui, ut Lucretiam uidit, ardere puellam cœpit, hærensque uultu nihil satis uidisse putabat, nec impune dilexit. Mira res, multi egregia forma iuuenes, sed unum hūc Lucretia, plu-

E

F

res

A res honestæ corporis mulieres, sed hanc unam Eurialus sibi delegit. Non tamen hac ipsa die uel in se flammam Lucretia cognouit Euriali, uel ille Lucretiæ, sed amare se frustra uterque putauit. Vt igitur ceremonijs sacro Cæsaris capiti paratis, modus fuit, & illa domum reuersa in Eurialum tota, & in Lucretiam totus Eurialus ferebatur. Quis nunc Thysbes & Pirami fabulam demiretur, inter quos noticiam primosq; gradus uicinia fecit? & quia domos habuere contiguas, tempore creuit amor: hi nunquam se prius uiderāt, nec fama cognouerāt. Hic Franco, illa Hetrusca fuit, nec linguæ commercium intercessit, sed oculis tantum res acta est, cum alter alteri placuisset: saucia ergo graui cura, Lucretia, & igne capta cæco, iam se maritatam obliuiscitur, uirum odit, & alens uenereum uulnus infixos pectore tenet Euriali uultus, nec ullā membris suis quietem præbet, secum nescio quid obstat ait, ut amplius hærere uiro nequeam, nil me iuuant eius amplexus, nil oblectāt oscula, fastidium uerba ingerunt. Peregrini semper ante oculos est imago, qui hodie propior erat Cæsari. Excute conceptas è casto flammas pectore si potes. Infelix, si possem, non essem ægra ut sum. Noua me uis in uitam trahit. Aliud cupido suadet, aliud mens. Scio quid sit melius, quid deterius est sequor. O ciuis egregia ac nobilis, quid tibi cum peregrino est? quid in extraneo ureris? quid thalamos alieni concupiscis orbis? Si uirum fastidis, hæc etiam dare potest terra quem ames. Sed heu mihi quæ

B non illius est facies? quam non moueat eius forma? ætas? genus? Certe mea pectora mouet. Et nisi fert opem despero. Dij meliora dent. Vach prodam ego castos hymenæos meq; aduenæ, nescio cui credam? qui ubi abusus me fuerit, abeat uirq; sit alterius & me pene relinquat. Sed non is est eius uultus, non ea nobilitas animi uidetur, nec gratia formæ illa est ut timeam fraudes & amoris obliuia nostri, & dabit ante fidem. Cur tuta timeam? accingar & omnem timorem pellam. Ego quoque ita sum pulchra, ut non me minus ille uelit quàm ego ipsum cupiam. Semper se mihi debebit, si semel ad oscula receptus fuerit mea. Quot me ambiunt proci quoquo pergo? quot rurales ante fores excubant meas? dabo amori operam, aut hic manebit aut me secum abiturus abducet. Ergo ego & matrem & uirum & patriam relinquam? Sæua est mater & meis semper infesta gaudijs: uiro carere quàm potiri malo: Patria illic est ubi delectat uiuere. At famam perdam? quid mihi rumores hominum quos ipsa non audiam. Nihil audet qui famæ nimis studet, multæ hoc fecerunt aliæ. Rapi uoluit Helena non eam inuitam asportauit Paris. Quid Hadrianam referam uel Medeam? Nemo errātem arguit qui cum multis errat. Sic Lucretia. Nec intra pectus minora incendia nutriebat Eurialus: medias inter Cæsaris curiam & domum Lucretiæ ædes habuit. Nec palacium petere Eurialus poterat quin illam ex altis sese ostentantem fenestris haberet in oculis: sed erubuit semper Lucretia cum Eurialum uidit, quæ res Cæsarem dedit amoris conscium. Nam cum ex

C sua consuetudine nunc huc nunc illuc equitaret, & hac sæpe transiret, animaduertit mutari fœminam Euriali aduentu, qui sibi quasi Octauiano Macenerates astabat. Ad quem uersus, En Euriale siccine uris fœminas? mulier illa te ardet. Semel uero tanquam inuideret amanti ubi ad ædes Lucretiæ uentum est, Eurialo oculos pileo contexit, nec uidebis, inquit, quod amas, ego hoc spectaculo fruar. Cum Eurialus, Quid hoc signi est Cæsar? nihil mihi cum illa est. Sed hoc facere incautum est, ne circumstantes in suspitionem adducas. Erat Eurialo spadix æquus arduæ ceruicis argutiq; capitis, quem & breuis aluus, & obesa terga spectabilem reddebant, animoso pectore, thoris luxuriantem, qui sonante tuba stare loco nesciebat. Nutabat auribus, & collectum frenum uoluebat sub naribus, ignem densa iuba & dextro iactata recumbebat in armo, & cauās tellurem solido cornu grauiter sonabat ungula. Similis illi fiebat Eurialo uiso, Lucretia, quæ licet dum sola fuit claudere uiam destinasset amori, ut tamen illum aspexit, nec modum flammæ nec sibi ponebat, sed ut siccus ager qui admisso igne comburitur, si chori perflent altius flammescit, sic infelix Lucretia exardescebat. Ita est sanè ut sapientibus uidetur: Humiles tantum gazas inhabitat castitas, solaq; pauperies affectu sano tenetur, & quæ domo se cohæret modico: diuites ædes nescit pudicitia. Quisquis secundis rebus

exultat, luxu fluit, semperq; insolita appetit, delicatas eligit domos & pœnates magnos, dirae fortunæ comes libido. Intuens igitur Eurialum quam sæpe transeuntem Lucretia, nec ardorem compescere potens, diu secum cogitauit cui se patefaceret. Nam qui tacitus ardet magis uritur. Erat inter uiri seruos Sosias theutonicus senex heroq; fidus, cui iam diu seruiebat liberaliter. Hunc aggreditur amans plus nationi quàm homini credens. Ibat magna procerum stipante caterua per urbem Cæsar, iamq; domum Lucretiæ præteribat, quæ ubi adesse cognouit Eurialum, Adesto, inquit, Sosia paucis te uolo. Respice deorsum ex fenestra ubi nam gentium iuuentus est huic similis? uides ut omnes calamistrati sunt erecti eminentibus humeris. Aspice cesaries & madido tyro contortos crines: ò quales facies? omnes lactea colla ferunt, quo sese ore ferunt, quàm forti pectore? Aliud est hoc hominum genus quàm terra nostra producat. Semen hoc deorum est, aut cœlo missa progenies. O si mihi ex his uirum fortuna dedisset: nisi testes oculi essent, nunquam tibi hoc narranti credidissem. Et si fama fuerit omnibus gentibus præstare Germanos: credo subiectam Boreæ plagam ex frigore magno albedinem mutuari. Sed nosti tu aliquos? quàm plurimos, inquit Sosias. Tum Lucretia Franconem Eurialum? nosco tanquam me ait Sosias. Cur tamen hoc Rogas? Dicam, inquit Lucretia, scio quod in apertũ non ibit, hanc spem mihi tua bonitas facit. Ex his qui Cæsari astant nemo mihi est Eurialo gratior: In hunc animus meus commotus est: Nescio quibus exuror flammis: nec illum obliuisci nec mihi pacem possum dare, nisi ei me facio notam. Perge oro Sosia conueni Eurialum dic me ipsum amare: nil uolo ex te amplius. Nec tu frustra hoc nuncium facies. Quid audio, refert Sosias: heccine me flagitia facere aut cogitare? Hera, prodam ne ego dominum meum? Iamq; senex incipiam fallere quod iuuenis abhorrui? quin potius clara progenies huius urbis ex turba nep andas flammas è casto pectore, ne obsequere diræ spei. Extingue ignem: Non ægre amorem pellit, qui primis obstat insultibus. Qui dulce malum blandiendo nutrit, duri & insolentis domini seruituti se dat, nec cum uult excutere iugum potest. Quid si hoc rescierit maritus? Heu quibus te ille laceraret modis? Nullus diu latere potest amor. Tace, inquit Lucretia, nihil loci terrori est. Nihil timet qui non timet mori. Quemcunque dederit exitum casus feram. Quo misera pergis Sosias retulit: domum infamem reddes, solaq; tui generis eris adultera? Tutum esse facinus reris? Mille circa te oculi sunt. Non sinet genitrix occultum scelus, non uir, non cognati, non ancillæ, serui ut taceant. Iumenta loquentur, & canes & postes & marmora te accusabunt: atque sic ut celes hæc omnia, qui uidet omnia celare non potes Deum: quid pœna præsens? conscientiæ pauor? & animus culpa plenus seq; ipsum timens? negata est magnis sceleribus fides: compesce obsecro impij amoris flammas: Expelle facinus mente casta horridum: metue concubitos nouos, miscere thalamis mariti. Scio rectum esse quod dicis, retulit Lucretia, sed furor cogit sequi peiora. Scit animus quantum præcipitium instat & ruit sciens: uincit & egnat furor, potesq; mente tota dominatur amor. Stat sequi quod regnum amoris iubet. Nimis heu nimis reluctata sum frustra: Perfer, si mei te miseret, nuntium. Ingemuit super his Sosias, perq; has, dixit, canas senectutis meæ comas fessumq; curis pectus, & fida quæ præbui generi tuo seruitia, precor supplex siste furorem, teq; ipsam adiuua. Pars sanitatis est uelle sanari. Tum Lucretia: Non omnis, ait, ingenium reliquit pudor, parebo tibi Sosia, amorem qui me tegi non uult unicum effugium est huius mali, morte ut præueniam nephas. Exterritus hac Sosias uoce, moderare, inquit hera mentis effrenæ impetus, coërce animos: nunc uita est digna, qua te nece dignam putas: decretum est, ait Lucretia, mori. Admissum scelus Collatini uxor gladio uindicauit: Ego honestius morte præueniam committendum. Genus lethi quæro ferro, laqueo, præcipitio, ueneno: uendicare castitatem licet, unum horum aggrediar. Non patiar, inquit Sosias. At Lucretia si quis mori constituit prohiberi non potest. At Portia Cathonis filia mortuo Bruto cum ferrum sibi subtractum esset, carbones ardentes ebibit. Si tam proteruus, inquit Sosias, incumbat menti furor tuæ uitæ quàm famæ consulendum

A fulendum est. Fallax sæpe fama est, quæ malo melior, bono peior nonnunquam datur. Tentemus hunc Eurialum & amori operam demus: meus erit iste labor tibiq; ni fallor rem confectam dabo. His dictis incensum animum inflammauit amore, spemq; dedit dubiæ menti: sed non illi animus erat ut quod dixerat esset facturus. Differre animum fœminæ quærebat, furoremq; minuere ut sæpe tempus extinguit flammas & adimit ægritudinem. Existimauit Sosias falsis gaudijs puellam producere donec uel Cæsar abiret, uel mens illius mutaretur, ne si negasset alius nuncius quæreretur, aut in se manus mulier inijceret. Sæpe igitur ire atque redire se finxit & illum gaudere amore suo, & tempus idoneum quærere quo inuicem affari possent. Dixit interdum non fuisse loquendi opportunitatem: nonnunquam se mitti extra urbem studuit, atq; in reditum gaudia distulit. Sic diebus multis ægrotum pauit animum, & ne per omnia mentiretur, semel tandem adorsus Euralium. O quàm hic dilectus es, ait si scires: nec illi quid hoc esset quærenti ultra respondit. At Eurialus certo cupidinis arcu percussus, nullam membris quietem dabat, igne furtiuo populante uenas, qui totas pœnitus uorabat medullas, non tamen Sosiam nouit, nec Lucretia missum putabat, ut omnes minus spei habemus quàm cupiditatis. Hic ubi ardere se uidit, diu prudentiam suam miratus est, seq; multotiens increpauit. Euriale quid sit amoris imperium nosti: longi luctus, breues risus, parua gaudia, magni metus. Semper moritur & nunquam mortuus est qui amat: quid tu his nugis instas iterum? At cum se frustra niti uideret, quid tandem ait, Incassum miser amori repugno, num me licebit quod Iulium licuit, quod Alexandrum, quod Hanibalem: sed quid uiros armatos refero? Aspice poëtas, Vergilius per funem tractus ad mediam turrim pependit, dum se mulierculæ sperat usurum amplexibus: excuset quis poëtam ut laxioris uitæ cultorem. Quid de Philosophis dicemus disciplinarum magistris & artis beneuiuendi preceptoribus? Aristotelem tanquam equum mulier ascendit, freno coërcuit, & calcaribus pupugit, dijs equa potestas est Cæsaris. Non est uerum quod uulgo dicitur: Non bene conueniunt nec in una sede morantur maiestas & amor. Quis maior est amator quàm noster Cæsar? quotiens hic amori dedit operam? Herculem dicunt qui fuit fortissimus & certa deorum soboles, pharatris & leonis spolio positis, colum suscepisse, passumq; aptari digitis smaragdos, & dari legum rudibus capillis: & manu quæ clauam gestare solebat, properante fuso duxisse fila: naturalis est hæc passio. Sentit ignes genus aligerum. Nam niger à uiridi turtur amatur aue, Et uarijs albæ iunguntur sæpe columbæ. Si uerborum memini quæ ad Pharaonem Siculum scribit Sapho. Quid quadrupedes referam, mouet pro coniugio bella iumentum: timidi cerui prælia poscunt, & cōcepti furoris dant signa mugientes: uruntur hircanæ tigrides. Vulnificus aper dentes acuit. Pœni quatiunt terga leones. Cū mouit amor, ardent: insanæ ponthi beluæ, nihil immune est, nihil amori negatum: odium parit cum iussit. Amor iuuenum feroces concitat flammas, senibusq; fessis rursus extinctos reuocat calores. Virginum ignoto ferit igne pectus. Quid ego naturæ legibus renitar. Amor uincit omnia & nos cedamus amori. Hæc ubi firmata sunt, lenam quærit cui ceras ad nuptam ferendas committat. Nisus huic fidus comes erat harum rerum callidus magister, hic prouinciam suscipit, mulierculamq; conducit cui literæ committuntur in hanc sententiam scriptæ.

B

C

Prima Epistola Euriali.

SAlutarem te Lucretia meis scriptis si qua mihi salutis copia foret. Sed omnis tum salus tum uitæ spes meæ ex te dependet. Ego te magis quàm me amo, nec te puto latere meum ardorem læsi pectoris. Iudex tibi esse potuit uultus meus sæpe lachrymis madidus, & quæ te uidente emisi suspiria. Fer benigne te precor si me tibi aperio. Cœpit me decus tuum uinctūq; tenet eximia, qua omnibus præstas uenustatis gratia. Quid esset amor antehac nesciui, tu me cupidinis imperio subiecisti. Pugnaui diu fateor, uiolentum ut effugerem dominium. Sed uicit meos conatus splendor tuus: uicerunt oculorum radij, quibus es sole potentior. Captiuus sum tuus, nec iam mihi amplius compos

sum, tu mihi & somni & cibi usum abstulisti. Te dies noctesq; amo, te desidero, te uoco, te expecto, de te cogito, te spero, de te me oblecto, tuus est animus, tecum sum totus, tu me sola seruare potes solaq; perdere. Elige horum alterum, & quid mentis habeas rescribe. Nec durior erga me uerbis esto quàm fueris oculis quibus me colligasti. Non peto rem grandem, ut alloquendi te copiam habeam postulo: hoc tantum uolunt hæ literæ, ut quæ nunc scribo dicere possim coram. Hoc si das, uiuo & felix uiuo. Si negas, extinguitur cor meum, quod te magis quàm me amat. Ego me tibi & tuæ commendo fidei. Vale anime mi & uitæ subsidium meæ. Has ubi gemmas signatas accepit Lena festino gradu Lucretiam poscit. Eaq; sola inuenta, hanc inquit epistolam tibi tota Cæsarea nobilior & potentior curia mittit amator, & ut tu sui miserearis magnis precibus rogat. Erat lenocinio notata mulier, nec illud Lucretiam latebat, permolesteq; tulit infamem fœminam ad se mitti, atque in eam uersa, quæ te scelesta in hanc domum audacia duxit? quæ te dementia meam adire præsentiam suasit? Tu nobilium ædes ingredi? tu matronas tentare potentes & uiolare audes legitimas faces? Vix me contineo quin capillos inuoluem tuos: tu mihi des literas? tu me alloqueris? tu me respicias? nisi plus quod me decet attenderem, quàm quod tibi conuenit, efficerem hodie ne posthac unquam tabellas amatorias ferres: ocius uenefica tuasq; literas defer, imò da ut lacerem potius q; igni dedam. Arripiensq; papyrum in partes diuersas scidit & calcatam sæpe pedibus atque consputam in cinerem coniecit. At sic de te, ait, sumi supplicium Lena deberet, igne quàm uita dignior. Sed abi ocius ne te uir offendat meus, & quas tibi remissi de te poscat pœnas, caueroq; admodum ne ante conspectum redeas meum. Timuisset alia mulier, sed hæc matronarum nouerat mores & intra se inquit, nunc uis maxime, quia te nolle ostendis. Moxq; ad illam parce ait: domina, putaui me benefacere, tibiq; complacitum iri. Si secus est da ueniam imprudentiæ meæ: si non uis ut redeam parebo. Tu quem despicis amatorem uideris. Atq; his dictis è conspectu recessit. Eurialoq; inuento, Respira, inquit, felix amator, plus amat mulier quàm amatur. Sed nunc non fuit rescribendi ocium. Inueni mœstam Lucretiam, ac ubi te nomino, tuasq; literas dedo, hilarem uultum fecit, milliesq; papyrum basiauit. Ne dubita mox responsum dabit. Et abiens uetula cauit ne amplius inueniretur, ne pro uerbis referret uerbera. Lucretia uero postquam anus euasit, fragmenta perquirens epistolæ, particulas quasq; suo loco reposuit, & lacera uerba contexuit iamq; legibile chirographum fecerat, quod postquam millies legit, millies quoque deosculata est, tandemq; inuolutum sindone inter preciosa iocalia collocauit: & nunc hoc repetens nunc illud uerbum, maiorem horatim bibebat amorem, Eurialoq; rescribi statuit, atque hunc in modum dictatam epistolam misit.

Rescriptum Lucretiæ.

DEsine sperare quod assequi non licet Euriale: Parce nuntijs ac literis me uexare, nec me illarum ex grege credito quæ se uendunt: non sum quam putas, nec cui submittere Lenam debeas, quere aliam incestãdam. Me nullus amor nisi pudicus sequatur, cum alijs ut libet agito. Ex me nil postules temere atque indignum. Vale. Hæc epistola quamuis durior uisa est Eurialo & contra Lenæ dicta, uiam tamen ostendit ultro citroq; literas missitandi. Nec dubitauit Eurialus credere cui fidem Lucretia præbuisset, sed angebatur quia sermonis Italici nescius erat. Ideoq; feruenti studio curabat addiscere. Et quia sedulum faciebat amor breui tempore doctus euasit, solusq; dictauit epistolas qui prius ab alijs mutuabatur quicquid Hetrusco sermone scribi oportuit. Respondit ergo Lucretiæ, nihil succensum esse sibi, quod infamem submiserit fœminam, cum id se peregrinum lateret, qui aliò uti nuntio non potuerat. Missionis amorem fuisse causam, qui nihil quæreret inhonesti. Credere se fore ipsam pudicã castissimamq;, atque idcirco maiori dignam amore, insolantem fœminam honorisq; sui prodigam nedum se non diligere, sed maximo odio prosequi. Pudicitiam namq; amissa nil esse quod in fœmina commẽdetur. Formam fore delectabile bonum, sed fragile atque caducum. Et

A Et cui nisi pudor assit, nihil precij detur, quæ pudicitiam formæ adiunxerit eam diuinam esse mulierem, ipsam utraque dote pollentem scire, ac propterea coli à se qui nil ab ea peteret libidinosum, aut offensurum famæ: optare se tantum alloqui ut animum suum qui scriptis plene ostendi nequit, uerbis aperiat. Cumq; his literis munera misit, non solum materia sed opere etiam preciosa.

Ad hæc Lucretia sic rescripsit.

ACcepi literas tuas iamq; nil amplius de Lena queror. Quod me amas non magni facio: quia nec primus es nec solus quem mea forma decepit. Multi & amarunt & amant me alij, sed ut illorum sic et tuus erit uacuus labor. Habere uerba tecum nec possum nec uolo. Inuenire me solam nisi fias hyrundo non potes. Altæ sunt domus, & aditus custodia clausi. Munera tua suscepi, quia oblectat me opus illorũ. Sed ne quid tuum gratis apud me sit, neúe hoc pignus uideatur amoris, remitto ad te anulum quem matri meæ uir dedit, ut apud te precium quasi sit uenditorum iocalium. Nec enim minoris est gemma eius quàm munus tuum. Vale.

His Euri alus sic replicauit.

MAgno mihi gaudio fuit epistola tua, quæ finem querelis fecit de Lena. Sed angit me quod amorem paruipendas meum: Nam & si plures te amant, nullorum tamen ignis comparandus est meo. At tu hoc nõ credis, quia loqui nequeo

B tecum: id si daretur non me contemneres. O utinam fieri possem hyrundo: sed libentius transformari in pulicem uellem, ne mihi fenestram clauderes. At ego non quod nequeas, sed quod nolis doleo. Nam quid ego nisi animum respicio. Ach mea Lucretia quid dixti te nolle: an si posses, me nolles alloqui qui tuus sum totus, qui nihil cupio magis quàm tibi gerere morem? quæ si iubes in ignem ire, citius obediam quàm præcipias. Mitte obsecro uerbum hoc. Si non datur facultas, assit tamen uoluntas, ne me uerbis eneca quæ uitam mihi oculis præbes. Si non placet me alloqui petere, quia non sit impetrandum, obsequar. Sed muta sententiam illam qua meum laborem uacuum dixisti futurum. Absit hæc crudelitas, mitior esto amanti tuo. Si pergis sic loqui, fies homicida, nec dubita. Facilius tu me uerbis interimes quàm quiuis alius gladio. Desino iam plura poscere, ut redames tantum postulo, nihil hic est quod abijcias. Nemo potest hoc te prohibere. Dic te me amare & beat9 sum. Munuscula mea quouismodo apud te sint, est gratum. Illa te aliquando mei admonebunt amoris, sed parua illa fuerunt & minora sunt quæ nunc mitto: tu tamen noli spernere quod amator donat. Maiora quæ indies ex patria mihi debent afferri cum aderunt, ex me recipies. Anulus tuus nunquam ex digito meo recedet, et illum uice tua crebris osculis reddam madidum. Vale delicium meum, & mihi quod potes solatium dato.

C *Sic frequenter cum replicatum esset, in hunc tandem modum Lucretia dedit Epistolam.*

VEllem tibi Euriale morem gerere, teq;, ut petis, amoris mei participem facere. nã id tua nobilitas meretur, et mores tui deposcunt ut incassum nõ ames, taceo quantum mihi placeat forma tua & plena benignitatis facies: Sed mihi non usui est ut diligam. Nosco meipsam. Si amare incipiam, nec modum nec regulam seruabo. Tu diu hic esse non potes, nec ego te, postquam in ludum uenerim, possem carere. Tu me nolles abducere, & ego nollem manere. Monent me multarum exempla quæ peregrinos amantes desertæ sunt, ne tuum amorem sequar. Iason Medeam decepit, cuius auxilio uigilem interemit draconem, ut uellus aureum asportauit. Tradendus erat Theseus in escam Minotauro, sed Ariadnæ consilio fretus euasit. Illam tamen desertam apud insulam dimisit. Quid Dido infelix quæ profugũ recepit Aenenã: num illi peregrinus amor interitum dedit? Scio quantum periculi sit amorem extraneum admittere, nec me tantis obijciam discriminibus. Vos uiri solidioris estis animi, furoremq; magis cõpescitis. Fœmina ubi furere incipit, sola potest morte assequi terminum. Non amant sed insaniunt mulieres. Et nisi correspondeat amor, nil est amante fœmina terribilius. Postquam receptus est ignis, nec famam curamus nec uitam: unicum remediũ est si copia sit amati. Nã quo magis caremus magis cupimus, nec discrimẽ timemus ullum, dum nostro libidini

satisfiat. Mihi ergo nuptæ nobili, diuiti consultum est amori uiam præcludere, & tuo præsertim qui non potes esse diurnus. Ne uel Rhodopeia phyllis dicar uel altera Sapho. Ideo te oratum uolo ne ultra meum exposcas amorem, & tuum ut paulatim comprimas extinguasq;. Nam id est uiris quàm fœminis multo facilius. Nec tu, si me ut dicis, amas, id ex me quærere debes quod mihi exitio sit. Pro tuis donis remitto auream crucem margaritis ornatam quæ licet breuis sit, non tamen precio caret. Vale. D

Non tacuit Eurialus his acceptis, sed ut erat nouis scriptis incensus, *calamum suscepit atque sub hac forma dictauit Epistolam.*

Euriali rescriptum.

SAlue anime mi Lucretia, quæ me tuis literis saluum facis, & si non nihil fellis immisceas: sed hoc spero me audito detrahes. Venit meas in manus epistola tua clausa, & tua gemma signata. Hanc & legi sæpe & deosculatus sum sæpius. Sed hæc aliud suadet quā tuus uidetur animus fuisse. Rogas me ut amare desinam, quia non expendit tibi peregrini flammas amoris sequi, & ponis exempla deceptarum: sed hoc tàm ornate culteq; scribis, ut mirari magis & amare tuum ingenium debeam quàm obliuisci. Quis ille est qui tunc amare desinat, quādo prudentiorem & sapientiorem animaduertit amicam? Si meum minuere uolebas amorem, non oportuit doctrinam tuam ostendere. Nā hoc non est incensum extinguere, sed ignem maximum ex parua conflare fauilla. Ego dum legi magis exarsi uidens formæ tuæ præclare & honestati coniunctam esse doctrinam. Verba sunt tamen quibus rogas ut amare desistam. Roga montes ut in planum deueniant, utq; fontes sua repetant flumina, tam possem te non amare quàm suum relinquere Phœbus cursum. Si possunt carere niuibus Scythiæ montes, aut maria pisci bus, & feris syluæ, poterit & obliuisci Eurialus tui. Non est pronum uiris, ut reris Lucretia, flammas extinguere: Nā quod tu nostro sexui ascribis, plerique uestro assignāt. Sed nolo hoc certamen nunc ingredi. Ad ea me respondere oportet, quæ in aduersum retulisti. Idcirco enim nolle te mihi correspondere amanti, significas quomodo multas peregrinus amor decepit, exemplaq; ponis. Sed possem ego quoque plures referre quos fœminæ reliquerunt, Troilum sicut nosti Priami filium Chryseis decepit: Deiphebum Helena prodidit. Amatores Circæ suos medicamentis uertebat in sues, atque alia rum terga ferarum. Sed iniquum est ex paucarum consuetudine totum uulgus censere: nam si sic peregrinus, ut tu propter duos tresúe malos aut etiam decem uiros omnes accusabis horrebisque, & propter totidem fœminas cæteræ omnes erunt odio mihi. Quinpotius alia sumamus exempla. Qualis amor Anthonij Cleopatræq; fuit? & aliorum quos epistolæ breuitas referre non sinit. Si tu Ouidium legisti inuenistiq; post Troiam dirutam Achiuorum plurimos, dum remeant peregrinis retentos amoribus nunquàm in patriā reuertisse. Hæserunt namq; amatricibus suis carereq; potius necessarijs, domo, regnis & alijs quæ sunt in patria, cuiq; gratissima uoluerunt quàm amicas relinquere: hæc te rogo mea Lucretia cogites, non illa quæ nôstro sint amori aduersa, & quæ pauci fecerunt. Ego ea mente te sequor, ut perpetuo te amem simq; perpetuo tuus. Nec tu me peregrinum dixeris. Magis namq; ciuis sum quàm qui hic nascitur. Nam illum casus facit ciuem, me uero electio. Nulla mihi patria erit nisi ubi tu sis. Et quamuis contingat me aliquando hinc abire, reditus tamen festinus erit. Nec ego in Theutoniam reuertar, nisi res meas compositurus ordinaturusq; ut tecum esse quamdiu possim. Facile manendi apud te reperietur occasio. Multa his in partibus negotia Cæsaris sunt, hæc mihi committi expedienda curabo: Nunc legatione fungar? Nunc munus exercebo. Vicarium in Hetruria Cæsarem habere oportet, hanc ego prouinciam impetrabo, ne dubita suauium meum Lucretia, meum cor, spes mea. Si uiuere absq; corde possum & te relinquere possum. Age iam tandem miserere amantis tui, qui tanquam ad solem nix eliquescit. Considera meos labores, & modum iam diuq; meis martyrijs statue. Quid me tamdiu crucias? Miror ego mei qui tot perpeti tormenta potuerim, qui tot noctes insomnes duxi, qui tot ieiunia tôleraui. Vide quàm macer sum, quàm pallidus sum. Parua res est quæ spiritum corpori alligatum detinet. Si tibi aut parentes

E (margin, beside "hoc non est incensum extinguere")
F (margin, beside "quàm in patriā reuertisse")

A tes aut filios occidissem, non poteras de me maius quàm hoc supplicium sumere. Si sic me punis, quia te amo, quid illi facies qui tibi damnum dederit aut malum? Ah mea Lucretia, mea hera, mea salus, meum refrigerium, suscipe me in gratiam: demũ rescribe me tibi charum esse, nihil aliud uolo. Liceat me dicere seruus Lucretiæ sum, & Reges & Cæsares amant seruos ubi fideles norunt. Nec dij dedignantur redamare qui amant. Vale spes mea, meusq; metus.

Vt turris quæ fracta interius, inexpugnabilis uidet exterius, si admotus aries *fuerit mox confringet, ita Euriali uerbis Lucretia uicta est. Postquàm enim sedulitatem amantis aperte cognouit, & ipsa dissimulatum patefecit amorem, atque his literis Eurialo se aperuit.*

NOn possum tibi ultra aduersari, nec te amplius Euriale mei amoris expertem habere, uicisti. Iamq; sum tua. Me miseram quæ tuas suscepi literas, nimium multis exponenda sum periculis, nisi me tua fides & prudentia iuuet. Vide quod serues quæ scripsisti. In amorem iam tuum uenio: si me deseris & crudelis & proditor, & omnium pessimus es. Facile est femellam decipere, sed quanto facilius tãto turpius. Ad-
B huc res integra est, si putas me deserendã dicito, antequàm magis amor ardeat. Nec incipiamus quod postmodum incepisse pœniteat. Omnium rerum inspiciendus est finis. Ego ut fœminarum est, parum uideo. Tu uir es, te mei & tui curam habere oportet. Do me iam tibi, tuamq; prosequor fidem, nec tua esse incipio, nisi ut sim perpetua tua. Vale meum præsidium, meq; ductor uitæ. Post plures epistolæ missæ utrinque sunt. Nec tam ardenter Eurialus scripsit quàm feruent, Lucretia respondit. Vnum iam utriusque desiderium erat simul conueniendi. Sed arduum ac penè impossibile uidebatur, omnium oculis Lucretiam obseruantibus, quæ nec sola unquam egrediebatur, nec unquam custode carebat. Nec tam diligenter bouem Iunonis Argus custodiuit quã Menelaus iusserat obseruari Lucretiam. Vitium hoc apud Italos late patet, fœminam suam quasi thesaurũ quisq; recludit, meo iuditio minus utiliter. Sunt enim ferè huiusmodi mulieres omnes, ut id potissime cupiant, quod maxime denegatur, quæ ubi uelis nolunt, ubi nolis cupiũt ultro, hæ si liberas habent habenas, minus delinquũt: Exinde tam facile est inuitam custodire mulierem, quàm in feruenti sole pulicum gregem obseruasse. Nisi suapte casta sit mulier, frustra maritus nititur ponere seram: cohibe. Sed quis custodiat istos custodes? Cauta est, & ab illis incipit uxor. Indomitum est animal mulier, nullisq; ue frenis retinendum. Erat Lucretiæ spurius frater, huic tabellas commiserat Eurialo deferendas, & hunc enim sui amoris conscium fecerat. Cum hoc
C igitur conuenitur Eurialum, ut clàm domi suscipiat. Habitabat hic apud Nouercam suam Lucretiæ matrem quàm Lucretia sæpe uisitabat, & ab ea sæpius uisitabatur. Nec enim magno interuallo distabat. Ordo ergo his erat, ut clauso in conclaui Eurialo postquàm mater ecclesiasticas aditura ceræmonias exiuisset. Lucretia superueniret tanquam matrem domi conuentura, qua non inuenta reditum expectaret. Interim uero apud Eurialum esset. Post biduum statutus erat terminus: at hi dies tanquam anni uisi sunt amantibus longi, ut bene sperantibus horæ productæ male timentibus correptæ. Sed non arrisit amantium desiderijs fortuna. Præsensit namque insidias mater? At ut dies uenit egressa domum, priuignum exclusit. Qui mox Eurialo triste nuncium tulit. Cui non minus quàm Lucretiæ fuit molestum. Quæ postquam detectos agnouit dolos, Hac non successit, inquit, alia aggrediamur uia. Nec potens erit mater meis obsistere uoluptatibus. Pandalus uiro affinis erat, quem iam Lucretia fecerat archanorum scium. Nec enim poterat ignitus animus quiescere. Significat igitur Eurialo hunc ut alloquatur, quia fidus sit & conueniendi uiam possit monstrare. At Eurialo non uidebatur tutum illi se credere, quem Menelao semper hærentem intuebatur, & subesse fallaciam uerebatur. Inter deliberan-

dum autem iussus est Eurialus Romam petere, atq; cum Pontifice maximo de corona D
tione transigere. Quæ res tum sibi tum amicæ molestissima fuit. Sed oportebat Cæsaris imperium ferre. Itur ergo, mora duorum mensium fit. Lucretia interim domi manere, fenestras claudere, mœstas induere uestes, nunquã exire. Mirari omnes, nec causam noscere. Sæuæ ipsæ uiduæ uidebãtur, & tanquam Sol defecisset cuncti se putabant in tenebris agere: domestici qui eam sæpe incubantem lectulo, & nunquam lætam uidebant, ægritudini imputabant, & quicquid remediorum afferri poterant, perquirebant. Sed nunquam illa, uel risit, uel thalamum exire uoluit, nisi post quàm redire Eurialum, & illi Cæsarem obuiam esse cognouit. Tunc quasi ægra somno excitata, lugubri ueste posita, & ornamentis redimita prioribus, fenestras aperuit, letabundaq; illum expectauit. Quam ut Cæsar uidit, Ne nega amplius, inquit Euriale, detecta res est. Nemo Lucretiam te absente uidere potuit. Nunc quia redisti auroram cernimus. Quis modus assit amori, tegi nunc non potest amor, nec abscondi diutius. Iocaris mecum, ut soles Cæsar, & me in risum ducis, Eurialus ait: Ego quid hoc sit non scio. Hinnitus equorum tuorum, & prolixæ barbæ strepitus tuæ illam forsitan excitauit. Atque sic effatus Lucretiam furtim aspexit, & oculos coniecit in oculos. Eaq; post reditum prima * consultatio fuit. Paucis deinde interiectis diebus, Nisus Euriali fidus seruus Comes, dum anxius amici causæ fauet, tabernam speculatus est, quæ post Menelai domum sita in Lucretiæ cameram retrusum habebat intuitum. Cauponem igitur sibi conciliat, spectatoq; loco Eurialum adducit, & hac, inquit, ex fenestra alloqui Lucretiam poteris. Media inter utramq; domum cloaca fuit, nec homini, nec Soli accessa, triumq; ulnarum distantia fenestram Lucretiæ disterminat. Hic diu consedit amator expectans, si quis casus Lucretiam ostenderet, nec deceptus est. Affuit tandem Lucretia cum huc atque illuc respiceret, Quid agis, ait Eurialus uitæ rectrix meæ? quo tendis lumina cor meum? Huc huc dirige oculos præsidium meum: tuus hic Eurialus est. Me me assum, me respice. Tu ne hic ades, inquit Lucretia. O mi Euriale, iam te alloqui possum, utinam & amplecti ualerem. At istuc ait Eurialus, non magno conatu faciam, scalam huc admouebo. Tu obsera thalamum, amoris nostri gaudia nimium distulimus. Caue mi Euriale, si me uis saluam, fenestra hic ad dexterã, uicinusq́ue pessimus, nec Cauponi credendum est, qui parua pecunia, & te & me perderet: sed alia incedamus uia: satis est si hinc sermoni nostro patet accessus respõdit Lucretia. At mihi, Eurialus inquit, mors est hæc uisio, ni te simul amplector meisq; brachijs teneo mediam. Diu ex hoc loco tractus est sermo, missaq; hinc per arundinem sunt munera. Nec Eurialus in donis quàm Lucretia liberalior fuit. Sensit dolos Sosias, secum'q; frustra, inquit, amantum conatibus obsto, nisi astu prouideo, & hera peribit, & dominus infamiam subibit. Ex his malis satius est unum auertere. Amet hera, nihil nocebit si clam fit. Ipsa præ amore cæca est, nec quid agit prospicit. Si non potest custodiri pudicitia, satis est rumorem tollere, ne * domus infamis fiat, ne'ue parricidium cõmittatur. Adibo igitur & operam præbebo meam. Restiti quoad potui, ne committeretur nephas id, quia non licuit, meum est curare, ut quod peius agitur occultum sit. Parũ enim refert non agere, & sic agere, ut nemo sciat: cõmune bonum libido est, nec homo est quem pestis hæc non agitet, & ille castior habetur, qui cautius agit. Dumq; sic fatur, Lucretiã egressam thalamo uidet, Aggressusq; fœminam, Quidnam est, inquit, quod nihil amori mihi cõmunicas? Eurialus tibi nihilominus dilectus est, & me clam amas, uide cui des fidem. Primus sapientiæ gradus est non amare: Secundus ut sic ames ne palam fiat: Sola hoc sine internuntio facere non potes. Quanta mihi apud te sit fides, longo iam tempore didicisti? Si quid mihi committere uis, iube. Mihi maxima cura est, ne amor iste detegatur, & tu pœnam luas, & uir omnium oblocutiones ferat. Ad hæc Lucretia. Sic est ut ais Sosia inquit, & tibi magnam habeo fidem: sed tu uisus es, nescio quomodo negligens & meis aduersus desiderijs. Nunc quia sponte te affers utar obsequijs tuis, nec abs te decipi timeo. Tu scis quantum ardeo, diu ferre non possum hanc flammam: Iuua me ut simul

*alias cõsolatio.

*alias dominus.

A ut simul esse possimus. Eurialus amore languet, & ego morior. Nil peius est quàm obstare cupidini nostræ. Si semel inuicē conueniremus, temperantius amabimus, & tectus erit amor noster. Vade igitur Eurialoq; uiam unicā me accedendi dicito: Si ab hinc quadriduo, dum rustici frumentum afferunt, uectoris personam induat, opertusq; sacco triticum per scalas in horreum ferat. Tu te scis thalamū meum ad scalas habere ostium primum, atq; omnia Eurialo dicito, hic diem manebo, & dum erit tēpus sola in cubili ero, ipse ostiū impellat, dum solus sit ad me ingrediatur. Sosias, quāuis arduum facinus esset maiora ueritus mala, prouinciam suscepit, Eurialoq; inuēto cuncta ex ordine nunciat: quæ ille iudicans leuia libēter amplectitur, seq; paratis accingit, nec aliud quæritur quàm nimiam moram. O insensatum pectus amantis: O mentem cæcam: O animum audacem corq; intrepidum, quid est tam nimium, quod tibi nō paruum uideatur? Quid tam arduum, quod planum non æstimes? quid tam clusum quod tibi non sit apertum? Tu omne discrimen paruifacis, tu nihil difficile censes. Inanis est apud te omnis custodia maritorum. Nullæ te leges tenent, nulli metus, nulli pudori obnoxius es. Omnis labor tibi est ludus, tibi nil obstat usquā. O rerum amor, domitor omnium. Tu uirum primatem Cæsari acceptissimum diuitijs affluentem, ætate maturum, imbutum literis, prudentia clarum eò perducis, ut posita purpura saccum induat, uultum foco tegat, seruus ex domino fiat, & qui nutritus in delicijs fuerat, iam humeros gestandis oneribus aptet, seque publicum baiulum mercede locet. O rem mirandā peneq; incredibilem, uirum alioquin in consilio grauissimū inter cateruas uectorū cernere, atq; in colluuie illa feceq; hominum contubernium habuisse? Quis transformationem quærat maiorem? Hoc est quod Ouidij Metamorphosis uult, dum fieri ex hominibus aut bestias scribit, aut lapides, aut plantas. Hoc & Poëtarum eximius Maro sensit dum circes amatores in terga ferarum uerti cantabat. Nam ita est, ex amoris flamma sic mens alienatur, ut parum à bestijs differat. Linquens croceum Titonis aurora Cubile, iam diem referebat optatum, moxq; suum rebus colorem Apollo reddens, expectantem recreat Eurialū, qui tunc se fortunatum beatumq; censuit, cum admixtum se uilibus seruis nulli noscendum uidit. Pergit igitur, ingressusq; Lucretiæ domum, frumēto se onerauit, posito'q; in horreo tritico, ultimus descendentium fuit, atque ut erat perdoctus, ostium maritalis thalami quod in medio scalarum clausum uidebatur, impellit, seq; intro recepit, & reclusis foribus, solam Lucretiam serico intentam uidet, atque accedens propius, Salue mi anime inquit, salue unicum uitæ præsidium spesq; mea. Nunc te solam offendi, nūc quod semper optaui semotis arbitris te amplector. Nullus iam paries, nulla distātia meis obstabit osculis. Lucretia, quamuis ordinem ipsa dedisset, primo congressu stupuit, nec Eurialum, sed spiritum se uidere putabat, ut quæ uirum tantum ad ea pericula iturum sibi non

B

C suadebat. At ubi inter amplexus & oscula suum cognouit Eurialum, Tu'ne es, inquit pauperculę? tu ne hic ades Euriale? & rubore per genas fuso, complexa hominem est arctius, & media, fronte dissauiata mox'q; repetens sermonem, Heu quanto te ait discrimini subiecisti? quid amplius dicatur? Iam me tibi charissimam scio. Iam tui amoris feci periculum. Sed neque tu me aliam inuenies. Dij tantum fata secundent, & amori nostro prosperum uentum dent: dum spiritus hos reget artus, præter te nemo Lucretiæ potens erit: nec maritus quidem si rite maritum appello, qui mihi inuitæ datus est, & in quem nunquam animus consensit meus. Sed age mea uoluptas, meum deliciū, abijcito saccum hunc, te'q; mihi ut es ostende. Exue uectoris speciē, hos funes missos face, Eurialū me uidere credito. Iam ille depositis sordibus, ostro fulgebat, & auro, & amoris in officiū pronus ibat. Tum Sosias ante ostium pulsitans, Cauete inquit, amātes, nescio quid rerū quæret Menelaus huc festinat, tegite furta uestra dolisq; uirum fallite, nihil est quod egredi puteris. Tum Lucretia, latibulum, inquit paruū sub strato est, illic preciosæ res sunt: Scis tibi quid scripserim, si te mecum existente, uir aduentaret, ingredere huc, tutus hic in tenebris: neque te moueris, neque screatum dederis. Anceps quid agat Eurialus, mulieris imperium subit. Illa foribus patefactis, ad sericum re-

ricum redit. Tum Menelaus & unà Bertus assunt, chirographa nonnulla ad rempublicam pertinentia quæsituri. Quæ postquam nullis inuenta sunt scrinijs, In latibulo nostro, inquit Menelaus, forsitan erunt Lucretia, lumenque affer huc, intus quærendum est. His exterritus Eurialus uiribus exanguis fit. Iam'que odisse Lucretiam incipit, atque intra se, Heu me fatuum, inquit. Quis me huc uenire compulit, nisi leuitas mea? Nunc depræhensus sum: nunc infamis fio: nunc Cæsaris gratiam perdo, quid gratiam? utinam mihi uita supersit. Quis me hinc uiuum eripiet? Emori certum est. O me uanum & stultorum omnium stultissimum. In hanc sententiam uolens cecidi. Quid hæc amoris gaudia si tanti emuntur? Breuis illa uoluptas est doloris longissimi. O si nos hæc pro regno cœlorum subiremus. Mira est hominum inscitia. Labores breues nolumus pro longissimis tolerare gaudijs. Amoris causa, cuius letitia fumo comparari potest, infinitis nos oblectamus angustijs. Ecce meipsum iam ego exemplum: iam fabula omnium ero, nec quis exitus pateat scio. Hinc si me deorum traxerit auxilium, nusquam me rursus amor illaqueabit. O Deus eripe me hinc, parcæ iuuentuti meæ: noli meas metiri ignorantias, reserua me, ut horum delictorum pœnitentiam agam, non me amauit Lucretia, sed quasi ceruum in casses uoluit depræhendere. Ecce uenit dies meus, nemo me adiuuare potest, nisi tu Deus meus. Audieram ego sæpe mulierum fallacias, nec declinari sciui. At si nunc euasero, nulla me unquam mulieris techna deludet. E

Sed nec Lucretia minoribus urgebatur molestijs, quæ non solum suæ, sed amantis quoque saluti timebat. At ut est in periculis subitaneis mulierum quàm uirorum promptius ingenium, excogitato remedio. Age inquit uir. Cistella illic super fenestra est, ubi te memini monimenta nonnulla recondidisse, uideamus an illic chirographa sint reclusa: subitoque decurrens tanquam uellet aperire cistellam, latenter illam deorsum depulit, & quasi casu cecidisset: Proch mi uir, ait, adesto ne quid damni sentiamus, cistella ex fenestra cecidit, perge ocius, ne iocalia, uel scripturæ disperiant. Ite ite ambo quid statis? Ego hinc, ne quis furtum faciat, oculis obseruabo. Vide audaciam mulieris nunc, & fœminis credito. Nemo tam oculatus est ut falli non possit. Is duntaxat non fuit illusus, quem coniunx fallere non tentauit. Plus fortuna quàm ingenio sumus felices. Motus hoc facto Menelaus Bertusque unà repente in uiculum se præcipitant. Domus hetrusco more altior fuit, multique gradus descendendi erant: hinc datum est Eurialo spatium mutandi locum. qui ex monitu Lucretiæ in nouas latebras se recepit. Illi collectis iocalibus atque scripturis, quia chirographa, quibus opus erat non repererant, ad scrinia iuxta quæ latuerat Eurialus transeunt, ibique uoti compotes facti, consalutata Lucretia recesserunt. Illa obducto foribus pessulo, Exi mi Euriale, exi mi anime, inquit, ueni gaudiorum summum meorum, ueni foras delectationum mearum scaturigo, letitiæ fauum mellis, ueni dulcedo incomparabilis mea. Iam tuta sunt omnia, F iam nostris sermonibus libere campus patet: iam locus est amplexibus tutus. Aduersari oculis nostris fortuna uoluit, sed aspiciũt dij nostrum amorem, nec tam fidos amantes deserere uoluerunt. Veni iam meas in ulnas, nihil est quod amplius uereare, meum lilium, rosarumq'ue cumulus. Quid stas? quid times? tua hic sum Lucretia: quid cunctaris? Lucretiam amplexari? Eurialus uix tandem formidine posita seseque recepit. Complexusq'ue mulierem, Nunquam me, inquit, tantus inuasit timor, sed digna tu es, cuius causa tanta gerantur. Nec istec oscula, & tam dulces amplexus obuenire cuipiam gratis debent. Nec ego, ut uerum fateor, satis emi tantum bonum. Si post mortem rursus uiuere possem, teque perfrui, emori milies uellem, si hoc precio tui possent amplexus coëmi. O mea felicitas, O mea beatitudo, uisum uideo, an ita est? teneo te an somnis illudor uanis? tu certe hic es, ego te habeo. Erat Lucretia leni uestita palla, que membris absque ruga hærebat, nec uel pectus, uel clunes mentiebatur, ut erant arctus sic se ostentabant: gulæ candor niualis, oculorum lumen tanquam solis iubar: intuitus lætus, facies alacris, genæ sicuti lilia purpureis admixta rosis: risus in ore suauis, atque modestus, pectus amplum, papillæ quasi duo punica

A nica poma ex utroque latere tumescebant, pruritumq; palpitantes mouebant. Non potuit Eurialus ultra stimulum cohibere, sed oblitus timoris, modestiam quoque abs sese repulit, aggressusq; fœminam, Iam inquit fructum sumamus amoris, remq; uerbis iungebat. Obstabat mulier curamq; sibi honestatis, & famæ fore dicebat, nec aliud eius amore quàm uerba & oscula poscere. Ad quæ subridens Eurialus, Aut scitum est, inquit, me huc uenisse, aut nescitum. Si scitum, nemo est qui cætera non suspicetur, & stultum est infamiam sine re subire. Si nescitum & hoc quoque sciet nullus, hoc pignus amoris est, emorior priusquàm caream. Ach scelus est, inquit Lucretia. Scelus est, inquit Eurialus bonis non uti cum posis: an ego occasionem mihi concessam, tam quæsitam, tam optatam amitterem? Acceptaq; mulieris ueste pugnātem fœminam, quæ uincere nolebat abs negotio uicit: nec Veneris hæc facietatem, ut Hamoni cognita Thamar peperit, sed maiorem sitim excitauit amoris. Memor tamen discriminis Eurialus, postquàm uini cibiq; paulisper hausit, repugnante Lucretia recessit. Nec sinistre quispiam suspicatus est, nisi quod unus ex baiulis putabatur. Admirabatur seipsum Eurialus, dum uiam pergeret. Secumq;, O si nunc, inquit obuium mihi se daret Cæsar, meq; agnosceret, quàm illi habitus hic suspicionem faceret: quàm me rideret? fabula omnibus essem, & illi iocus, nunquam me missum faceret, donec sciret, quid sibi hæc rustica uestis uellet. Sed fingerem non hanc, sed aliam me dicerem adisse matronam. Nam

B & ipse hanc amat, nec ex usu est meum sibi amorem patere. Lucretiam proderem, quæ me suscepit seruauitq;. Dum sic loquitur, uisum Achaten Polinurū cernit, eosq; præit, nec prius ab his cognitus est, quàm domi fuit, ubi positis saccis prætexta sumpta rerum pandit euentum. Dum quis timor, & quod gaudium intercesit memoriter, scilicet narrat, nunc timenti similis, nunc exultanti fit. Interueniendum autem, heu me stultum, inquit, fœminæ commisi caput, nō sic me pater admonuit, dum me nullius fœminæ fidem sequi debere dicebat. Ille fœminam animal dicebat esse indomitum, infidum, mutabile, crudele, mille pasionibus deditum. Ego paternæ immemor disciplinæ, uitam meā muliérculæ tradidi. Quid si me frumento oneratū aliquis cognouisset, quod dedecus? quænam infamia mihi & meis posteris euenisset? Alienum me Cæsar fecisset tanquā leuem & insanum, potuisset hæc contemnere. Quid autem si me uir dum scrinia uersabat latentem inuenisset? Sæua est lex Iulia mœchis. Exigit tamē dolor mariti maiores pœnas quàm lex ulla concesserit. Necat hæc ferro, necat ille cruentis uerberibus quosdā mœchos, & mugilis intrat. Sed putemus, uir pepercisse uitæ meæ. Num me in uinculis coniecisset? aut in famem Cæsari tradidisset? Dicamus & illius me manus effugere, quia inermis erat, mihiq; fidus ensis hærebat lateri. At uiro comitatus erat, & arma ex pariete pendebant, captu facilia. In domo longus famulorum ordo, clamores mox inualuissent, & ostia fuissent clausa, tum de me supplicium sumptum fuisset. Heu me

Fœminæ

C dementem, nulla me prudentia liberauit hoc discrimine, sed casus tantum. Quid casus imò, & promptum ingenium Lucretiæ. O fidam fœminam. O amatricem prudentem. O insignem & nobilissimum amorem. Cur me tibi non credam? Cur tuam non sequar fidem? Mille mihi si asint ceruices omnes tibi committam. Tu fidelis es, tu cauta, tu prudens. Scis amare & amantem tueri. Quis tam cito excogitare potuisset uiam, qua me quærentes auerteret, ut tuipsa excogitasti? Tu mihi hanc uitam seruasti, eandem tibi deuoueo. Non meū est, sed tuum quod spiro. Non erit mihi durum perdere propter te quod per te teneo. Tu uitæ meæ ius habes: tu necis imperium. O candidum pectus. O dulcem linguam. O suaues oculos. O ingenium uelox. O membra marmorea succiq; plena, quando ego uos reuisam? quando iterum corallina labia mordebo? quando tremulam linguam ori meo murmurantem denuo sentiam? Papillas ne unquam illas retractabo? Parum est Achates quod in muliere uidisti hac. Quo propior est fœmina, eo formosior est: utinam mecum unà fuisses. Non tam Tandali Regis Lidiæ formosa uxor fuit quàm ista est. Non miror illum uoluisse nudam coniugem socio demonstrare, ut plenius sumeret gaudium. Ego quoque itidem facerem, si facultas esset, Lucretiam tibi nudam ostenderem. Aliter autem nec tibi effari, quanta sit

eius

eius pulchritudo possum, nec tu quã solidum quanq; plenum meum fuerit gaudiũ potes considerare. Sed congaude mihi, quia maior fuit mea uoluptas quàm uerbis queat exponi. Sic Eurialus cum Achate. Nec pauciora secũ Lucretia dicebat. Eius tamen minor lætitia fuit, quo taciturnior alijs fidem non habuit, ut rem posset referre. Sosiæ non audebat præ uerecundia totum narrare. Baccarus interea Pannonius eques domo nobilis, qui Cæsarem sequebatur, ardere Lucretiam cœpit. Et quia formosus erat, redamari putabat, solamq; fœminæ pudicitiã obstare rebatur. Illa, sicut mos est nostris dominabus, omnes uultu blando intuebatur. Ars est, siue deceptio potius, ne uerus amor palam fiat. Insanit Baccarus, nec consolari potest, nisi Lucretiæ mentem persentiat. Solent matronæ Senenses ad primum lapidem sacellum diuæ Mariæ, quod in Bethleem nuncupant, sæpius uisitare. Huc Lucretia duabus comitata uirginibus, & anu quadam proficiscebatur. Sequitur Baccarus, uiolam in manu gestans deauratis folijs, in cuius collo epistolam amatoriam subtilibus inscriptam membranis absconderat: nec mirere. tradidit enim Cicero illam Iliadam omnẽ ita subtiliter scriptã sibi ostensam fuisse, ut testa nucis clauderetur. Offert uiolam Lucretiæ, seq; commendat Baccarus. Respuit donum Lucretia. Instat Pannonius magnis precibus. Tum anus, recipe, inquit, hera donatum florem: quid times, ubi nullum est periculum? Parua res est qua potes hunc militem placare. Secuta est Lucretia animalem suasionem uiolamq; suscepit. Parumq; ultra progressa, uiolam alteri ex uirginibus tradidit. Nec diu post obuiam facti sunt duo studentes qui uirgunculam, ut sibi florem traderet, non magno negotio induxerunt: apertoq; uiolæ stipite carmen amatorium inuenerunt. Solebat hoc hominum genus pergratum esse nostris matronis, sed postquam Cæsaris curias Senas uenit, irrideri, despicici, & haberi odio cœpit, quia plus armorũ strepitus, quàm literarum lepor nostras fœminas delectabat. Hinc grandis liuor & simultas ingens erat, quærebantq; technæ uias omnes quibus nocerent sagis. Vt ergo uiolæ dolus patuit, ad Menelaũ mox itur, epistolamq; ut legat rogatur. Ille mœstus domum pergit, uxorem increpat, domumq; clamoribus implet, negat se ream uxor, remq; gestam exponit, & anus adducit testimonium. Itur ad Cæsarem, fit querela: uocatur Baccarus. Is crimen fatetur, petensq; ueniam, nunquam se post Lucretiam uexaturum iureiurando confirmat. Sciens tamen Iouem non irasci, sed arridere periurijs amãtum, sterilem flammam, ut magis prohibitus erat eò diligẽtius sequebatur. Venit hyems, exclusisq; Nothis, solum Boream admittebat. Cadunt ex cœlo niues, soluitur in ludum ciuitas. Iactant matronæ in uicos, iuuenes in fenestras niuem. Hinc nactus occasionem Baccarus, epistolam alteram cera includit, ceram niue cingit, factaq; pila, in fenestram Lucretiæ iacit. Quis non omnia regi fortuna dicat? quis non fauorabilem eius cupiat flatum fati? Plus enim ualet hera benigna, quàm si te ueneris cõmendet epistola mariti. Dicunt quidam nil esse quod in sapiente queat fortuna: hoc ego his sapientibus concedo, qui sola uirtute gaudent, qui & pauperes, & ægroti, & in equo Phalaris clusi uitam se credũt possidere beatã, qualẽ nullum adhuc uidi, uel fuisse putarim, communi uita hominũ, uita fauoris fortunæ indiget hæc quos uult eleuat, & quos uult deprimit. Quis Baccarũ perdit nisi fortuna? nunquid prudentis cõsilij fuit in nodis uiolæ clausisse tabellas? & nũc beneficio niuis epistolam trãsmisisse? Dicet aliquis fieri cautius potuisse, quod si hoc consiliũ fortuna iuuisset, & cautus hic & prudentissimus iudicatus fuisset. Sed obstans fatum pilam ex Lucretiæ manibus lapsam apud ignẽ duxit, ubi solutis calore niuibus, liquefactaq; cera tabellas manifestauit, quas tum uetulæ, quæ se calefaciebant, tum Menelaus qui aderat perlegerunt, nouasq; lites excitarunt, quas Baccarus non excusatione, sed fuga uitauit. Hic amor ex usu uenit Eurialo. Nam dum uix gressus & actus Baccari speculatur, insidijs Eurialo locum facit, uerumq; est quod dici solet: Nõ facile custodiri, quod à pluribus amatur, uel impugnatur. Spectabant amantes post primum concubitum, secundas nuptias. Viculus erat inter edes Lucretiæ atq; uicini arctus, per quem pedibus in utrunq; parietẽ porrectis in fenestram Lucretiæ, haud difficilis prebebatur ascensus. Sed huc ascendere solum noctu licebat. Menelao petendum rus erat, ibiq; pernoctandum, qui dies ab

amantibus

A amantibus tanquam saturnaliorum expectabatur. Fit recessus. Mutatis Eurialus uestibus, in uiculum se recepit: stabulum illic Menelaus habebat, quem Eurialus docente Sosia ingressus est, ibiq; noctem manens sub fœno latebat. Tum ecce Dromo qui erat Menelai secundus famulus, equis præpositus, impleturus præsepia, fœnum ex Euriali latere suscipit, eratq; amplius suscepturus, ac Eurialum Furca percussurus, ni Sosias obuenisset, qui ut discrimen agnouit, da mihi hanc operam frater bone. Ego hinc pabulum equis præbebo, tu interea loci uide an nobis cœna instructa sit. Gaudendum est dum herus abest: Melius est nobis cum domina quàm cum illo: Hæc iocunda est et perliberalis, ille iracundus, clamorosus, auarus, difficilis: nunquam nobis bene est dum ille adest. Vides ne ut uentres nostros iniquo castigat modio? qui semper esurit, ut nos fame cruciet, nec sustinet muscida frusta cærulei panis consumi, sed hesternum minutalem seruat in mensem, uniusq; cœnæ silurnos & anguillas salsas in alteram defert, & numerata fila sectiui porri, ne quid tangamus signata recludit. Miser qui per hæc tormenta quærit diuitias. Nam quid stultius quàm uiuere pauperem, ut locuples morias. Quanto melius hera, quæ non contenta uitulis nos pascere & teneris hœdis, gallinas quoque turdosq; ministrat, & uini copiam melioris. I Dromo, cura ut quàm uncta popina sit. Istud inquit Dromo, curæ habebo, & mensam potius quàm equos fricabo.

B Herum ego hodie in rus deduxi, quod sibi male succedat, nunquam mihi uerbum dixit, nisi uesperi cum me remisit ad equos, renunciariq; dominæ iussit, non se rediturum hac nocte. Laudo te Sosia, qui tandem odire cepisti domini mores: ego iamdiu mutassem dominum, nisi me domina matutinis offellis retinuisset. O uelles, nihil dormiendū est hac nocte: bibamus uoremusq;, donec ueniat dies. Non tantum per mensem lucrabitur herus, quantum nos una cœna sumemus. Audiebat hoc Eurialus libens, tametsi mores seruorum notabat, & idem sibi fieri non dubitaret, cum domo abesset. Vtq; Dromo recesit, assurgens Eurialus, O quàm, inquit, beatam noctem Sosia tuo beneficio sum habiturus, qui me huc duxisti, & ne patefierem probe curasti, uir bonus es meritoq; te amo, nec tibi non gratus inueniar. Aderat hora præscripta, lætus Eurialus quāuis duobus perfunctus discriminibus, murum ascendit, & aperta fenestra Lucretiam iuxta foculum sedentem, paratisq; obsonijs expectantem reperit. Illa ut amantem agnouit, assurgens medium complexa est. Fiunt blanditiæ, dantur oscula, itur in Venerem tensis uelis, fessamq; nauigio Cithaream, nunc Ceres reficit nūc Bacchus. Heu quàm breues uoluptates sunt? quàm longæ solicitudines? uix horam Eurialus lætam habuerat, tum ecce Sosias, qui reditum Menelai renunciat, gaudiumq; perturbat. Timet Eurialus, fugere studet: Lucretia mensis abscōditis obuiam uiro pergit, reuersumq; salutat. Et, o mi uir, inquit, quàm bene redisti, nam ego iam te uillicam rusticatum rebar: quid tu tamen rure tamdiu egisti? caue ne quid olfaciam. Cur non domi manes,

C quid me contristari absentia studes: semper dum abes timeo tibi, tum ne quam adeas formido, ut sunt inuidi uxoribus suis uiri: quo metu si uis me soluere, nunquam extra dormias. Nec enim sine te nox est mihi ulla iocunda. Sed cœna hic iam post cubatum ibimus. Erant tunc in aula, ubi familia prandere solet, ibi'q; uirum detinere Lucretia nitebatur, donec Eurialus abeundi spacium suscepisset, cui necessaria est morula quædam. Menelaus autem foris cœnatus erat, se'q; in thalamum recipere festinabat. Tum Lucretia, parū me amas inquit, cur nō potius domi apud me cœnasti? Ego quia tu aberas, non comedi hodie nec bibi quicquam. Venerunt tamen uillici ex Rosalia, ne scio quid uini portantes, optimum esse ferebant Trebeanū. Ego præ mœstitia nihil gustaui, nunc quoniam ades, eamus. si placet in cellarium introrsum, gustemus'q; uinum, si, ut illi dixerunt, tam suauissimum sit. His'q; dictis lucernam dextra, uirum sinistra manu recipit, & in intimum penu descendit: tamdiu nunc hunc, nunc illum cadum terebrauit, ac cum uiro pitissauit, donec Eurialum putabat abesse. At ita demum ad ingratos hymenæos cum uiro transiuit. Eurialus intempesta nocte domum repetijt. Sequenti uice, siue quod sic expediebat cauere, siue suspicio mala fuit, muro fenestram Menelaus obstruxit. Credo, ut sunt conciues nostri, in coniecturas acuti suspicionūq;

pleni, timuisse Menelaum loci commoditatem, utque parum fidebat uxori, occasionē demere uoluisse. Nam etsi nihil conscius erat illi, uexatam tamen fœminam multisq; die tim tentatam nō precibus ignorabat, & animum cognoscebat mulieris instabilem, cuius tot sunt uoluntates, quod sunt in arboribus frondes. Sexus enim fœmineus nouitatis est auidus, raro'q; uirum amat, cuius copiam habet. Sequebatur ergo uiam maritorum promulgatam, quorum opinio est, infortunium bonis excludi custodijs. Erepta est hinc conueniendi facultas, nec mittendis literis permissa libertas est. Nam & cauponem qui post edes Lucretiæ uinariam tabernam conduxerat, ex qua solebat Eurialus affari Lucretiam, ac literas per arundinem mittere, sicuti Menelaus suasit, magistratus expulit. Restabat solus oculorum intuitus, nutu'q; tantum se consultabant amantes, neque istac amoris extrema linea commode perfrui poterant. Erat ingens dolor utriq;, cruciatus'q; morti similis, quia nec amoris poterant obliuisci, nec in eo perseuerare. Dum sic anxius Eurialus quid consilij capiat, meditatur, Venit in mentem Lucretiæ monitum, quod sibi de Pandalo scripserat Menelai consobrino, peritosq; medicos imitatus, quibus mos est in periculosis ægritudinibus anceps adhibere medicamentum, & ultima potius experiri, quàm sine cura morbum relinquere. Aggredi Pandalum statuit, remedium'q; suscipere, quod antea refutarat. Hinc igitur accersito, & in penitiorem domus partem uocato, sede, inquit, amice rem grandem tibi dicturus sum, indigentem his quas in te scio sitas diligentia fide & taciturnitate. Volui iam dudum hoc tibi dixisse, sed non eras mihi adhuc plene cognitus, nunc & te nosco, & quia probitate fidei es, amo & obseruo, quod si aliud de te nescirem, satis est, quia omnes tui conciues te laudant, tum comites mei, quibus cum amicitiam conflasti, & qui sis, & quanti pendendus me certum fecere. Ex quibus te cupere meam beneuolentiam didici, cuius te iam facio participem: quia non minus illa es dignus, quàm ego sum tua. Nunc quid uelim, quoniam inter amicos res agitur paucis exponam. Tu scis mortale genus quàm in amorem sit pronū, seu uirtutis est, seu uitij: late patet ista calamitas, nec cor est si modo carneum est quod aliquando non sentiat stimulos. Scis quia nec sanctissimum Dauid, nec sapientissimum Salomonem, nec Sampsonem fortissimum ista passio dimisit immunem. Incensi præterea pectoris, & amoris inbibiti ea natura est, ut si quis prohibeat magis ardeat, nulla re magis curatur ista pestis, quàm dilecti copia, fuerunt plures tum uiri, tum mulieres, tam nostra quàm maiorum nostrorum memoria, quibus inhibitio durissimæ necis fuit occasio, contra uero plerosq; nouimus, qui post concubitum & amplexus passim concessos mox furere desiuerunt. Nihil consultius est postquàm amor ossibus hæsit, quàm furori cedere. Nam qui aduersus tempestatem nititur sæpe naufragium facit, & qui obtemperat procellæ superat, hæc ideo dixi, quia te amorē meum scire uolo, & quid mei causa sis facturus. Tamen quod emolimentum hic sit oriturum, nihil tibi tacebo, quia iam mei cordis alteram te reputo partem. Ego Lucretiam diligo, neque hoc mi Pandale mea culpa est factum, sed regente fortuna, in cuius manu est totus, quem colimus, orbis: mihi non erant noti mores uestri, nec huius urbis consuetudines noram. Putabam ego fœminas uestras, quod oculis monstrant in corde sentire, sed inescant homines uestræ matronæ, & non amant. Hinc deceptus sum. Credidi nāque amatum me Lucretiæ fore, dum me luminibus intuebatur placidis, cœpiq; cōtra diligere, nec tam elegantem dominam dignam putaui, cui uices non redderentur amoris. Non dum te noram uel tuū genus. Amaui, putans amari. Quis enim tam saxeus est, aut ferreus, qui non amet amatus. Sed postquam fraudes noui, meq; dolis irretitum, ne meus sterilis esset amor, nisus sum omnibus artibus illam incendere, ut par pari referretur. Ardere nanque nihilq; urere, tum rubor erat, tum anxietas animi, quæ me die noctuq; mirum in modum cruciabat, & eram adeo introrsus, ut egredi nullo pacto ualerem. Factum est igitur, ut me continuante par sit amor amborum. Illa incensa est, ego ardeo, ambo perimus, nec remedium protelandæ uitæ nostræ uidemus, nisi tu sis adiumento. Vir eam custodit & frater. Non tam uellus aureum peruigil draco seruabat, nec aditum orci cerberus, quàm illam diligenter recludit. Noui ego familiam uestram.

Scio

A Scio quia nobiles estis inter primores urbis diuites, potentes, armati: utinam nunquam nouissem hanc fœminam. Sed quis est qui possit resistere fatis? Non elegi hanc, sed casus dedit amandam. Sic se res habet; tectus adhuc amor est, sed nisi bene regatur magnum aliquod, quod superi auertant, malum pariet: possem forsitan me compescere, si hinc abirem, quod quanquam esset mihi grauissimum, facerem tamen uestræ familiæ gratia, si hoc putarem ex usu fore. Sed nosco illius furorem, aut me sequeretur, aut manere coacta manus sibi cōsciret, quod esset dedecus perpetuū uestræ domus. Quod igitur te uolebam teq; uocaui, nostri causa est, ut obuiemus his malis, neque alia uia est, nisi ut amoris nostri aurigam te præbeas, curesq; ut bene dissimulatus ignis non fiat apertus: ego me tibi commendo, do, deuoueo, obsequere furori, ne dum oppugnatur, magis incendatur. Cura ut simul conuenire possimus, quo facto mox humiliabitur ardor tolerabiliorq; reddetur. Tu scis aditus domus, scis quando uir abest, scis quomodo me ualeas introducere. Frater uiri aduertendus est, qui est ad has res nimium perspicax, Lucretiamq;, tanquam locum Germani teneat, magna cura custodit: uniuersa que Lucretiæ uerba, euersas ceruices, gemitus, screatus, tussim, risus attente considerat, hunc eludere sententia est, nec sine te fieri potest. Assis ergo & quando abfuturus sit uir me instrue, remanentemq; fratrem diuerte, ne custos affixus Lucretiæ sit, ne ue cu-
B stodes adhibeat, alios tibi credet, & quod dij faxint hanc fortasse prouisionem tibi committet, quam si susceperis & me iuueris (ut spero) iuuanda res est. Poteris enim me clam dum cæteri dormient intromittere, & amorem lenire furentem. Ex his quot emergant utilitates, arbitror te pro tua prudentia palam cernere. Seruabis nanq; in primis honorem domus, amorem teges, qui non posset abs uestra infamia manifestari. Sobrinam tuam in uita tenebis, Menelao uxorem custodies, cui non tam obest una nox mihi concessa nesciis omnibus, quàm si sciente populo illam perdiderit me sequentem Nupta senatori Romano secuta est Hippia Lyddum ad Pharon & Nilum famosaq; mœnia Lagi. Quid si me domi nobilem atque potentem Lucretia sequi statuat, quod dedecus uestri generis? quos populi risus? quæ nondum uestra, sed totius ciuitatis infamia? Diceret forsitan aliquis, absumenda potius ferro, aut extinguenda uenenis est mulier quàm id agat. Sed ue illi qui se humano sanguine polluit, & maiori scelere uindicat minus. Non augenda sunt mala, sed minuenda. Nos hoc scimus ex duobus bonis melius eligendum, aut ex malo & bono quod sit bonū, sed ex malis duobus quod minus obsit. Omnis uia periculi plena est, sed hæc quam monstro minus habet discriminis, per quam nedum tuo sanguini consules, sed mihi etiam proderis, qui pene insanio, dum mei causa Lucretiam uideo cruciari. Cui potius esse odio uellem quàm te rogare? Sed hic sumus, eò deducta res est, ut nisi tuis artibus, tua cura, ingenio atque solli-
C citudine nauis regatur, nulla salutis spes maneat. Iuua igitur & illam, & me tuamq; domum abs nota conserua, nec me putes ingratum. Scis apud Cæsarem quanti sim, quicquid petieris impetratum tibi efficiam. Et hoc tibi ante omnia polliceor doq; fidem, Palatinumq; comitem te futurum, omnemq; tuam posteritatem hoc titulo gauisuram. Ego tibi Lucretiam meq; & nostrum amorem, & famam nostram, & tui generis decus committo, tuæq; mando fidei, tu arbiter es, omnia hæc in te sita sunt, uide quid agas, & seruare potes ista & perdere. Subrisit his auditis Pandalus factaq; morula, noram hæc Euriale dixit, & utinam non accidissent, sed eum in locum sicut abs te dictum est res rediit, ut necesse sit me quod iubes efficere, nisi & nostrum genus affici contumeliis, & scandalum ingens cupiam exoriri. Ardet mulier sicut dixti, & impotens sui est, nisi occurro, ferro se fodiet, aut ex fenestris se dabit præcipitem, nec uitæ iam sibi, nec honoris est cura. Ipsa mihi suum ardorem patefecit. Restiti, increpaui, lenire flammam studui, nihil profeci, omnia præter te paruifacit, nihil nisi te curat, tu illi semper in mente sedes, te petit, te desiderat, te solum cogitat, sæpe me uocitans, Audi precor Euriale dixit, sic mulier ex amore mutata est, ut iam non eadem uideatur. Heu pietas, heu dolor, nulla prius in urbe tota, uel castior, uel prudentior Lucretia fuit. Mira res si tantum iuris natura dedit amori in mentes humanas. Medendum est huic ægritudini, nec

alia cura est, nisi quam tu monstrasti. Accingam me huic operi, teq; dum tempus erit commonefaciam, nec ex te gratiam quæro, quia non est officium boni uiri, cum is nihil promereatur gratiam poscere. Ego ut uitem infamiam nostræ imminentem familiæ, hoc ago, quod si tibi conducit, non propterea sum amandus. At enim, Eurialus inquit, ego uel sic tibi gratiam habeo, & creari te Comitem, ut dictum est curabo, modo tu dignitatem istam non spernas. Non sperno, inquit Pandalus, sed ne hinc profecta sit uolo, si uentum est libere ueniat, nihil ego conditionale facio. Si potuisset hoc te nesciente fieri, mea ut opera apud Lucretiam esses, libentius egissem. Vale, & tu uale retulit Eurialus, postquàm animum reddidisti, fac, finge, iuua, effice ut simul simus. Laudabilis Pandalus, lætusq; abijt, tum quod tanti uiri gratiam inuenisset, tum quod se iam Comitem esse sperabat, cuius dignitatis tanto erat auidior, quanto se minus cupere demonstrabat. Sunt enim homines quidam ut mulieres, quæ cum maxime nolle dicunt, tum maxime uolunt. Hic lenocinij mercede sortitus est Comitatum, & auream bullam suæ nobilitatis posteritas demonstrabit. In nobilitate multi sunt gradus, mi Mariane, & sane si cuiuslibet originem quæras, sicut mea sententia fert, aut nullas nobilitates inuenias, aut admodum paucas, quæ sceleratum non habuerunt ortum. Cum enim hos dici nobiles uideamus, qui diuitijs abundant, diuitiæ uero raro uirtutis sunt comites, quis non uidet ortum esse nobilitatis degenerem? Hunc usuræ ditarunt, illum spolia: Proditiones alium. Hic ueneficijs ditatus est. Ille adulationibus. Huic adulteria lucrum præbent. Nonnullis mendacia prosunt: quidam faciunt ex coniuge questum: quidam ex natis: plerosq; homicidia iuuant. Rarus est qui iustè diuitias congreget. Nemo fastum amplum facit nisi qui omnes metit herbas: congregant homines diuitias multas, nec unde ueniant, sed quàm multæ ueniant quærunt: omnibus is uersus placet: Vnde has habeas quærit nemo, sed oportet habere. Postquàm uero plena est arca, tunc nobilitas poscitur, quæ sic quæsita nihil est aliud quàm præmium iniquitatis. Maiores mei nobiles habiti sunt. Sed nolo mihi blandiri, non puto meliores fuisse proauos meos alijs, quos sola excusat antiquitas: quia non sunt in memoria eorũ uitia. Mea sententia nemo est nobilis, nisi uirtutis amator. Non miror aureas uestes, equos, canes, ordinem famulorum, lautas mensas, marmoreas ædes, uillas, prædia, piscinas, iurisdictiones, syluas. Nam hæc omnia stultus assequi potest, quem si quis nobilem dixerit, ipse fiet stultus. Pandalus noster lenocinio nobilitatus est. Non multis post diebus rure inter Menelai rusticos rixatum est, & occisi nonnulli qui plus satis biberant, opusq; fuit ad res componendas Menelaum proficisci. Tum Lucretia, mi uir, inquit, grauis es homo, debilisq;, equi tui grauiter incedunt, quare gradarium aliquem recipe commodatum. Cumq; percunctaretur, ubi nam esset aliquis, optimum, inquit Pandalus, ni fallor Eurialus habet, & tibi libens concedet, si me uis petere. Pete, inquit Menelaus. Rogatus Eurialus mox equum iussit adduci. Isq; sui gaudij signum recepit, secum tacite dixit. Tu meum equum ascendes Menelae, ego tuam uxorem equitabo. Conuentum erat ut noctis ad horam quintam in uico Eurialus esset, speraretq; bene si cantantem Pandalum audiret. Abierat Menelaus, iamq; cœlum noctis obduxerant tenebræ. Mulier in cubili tempus manebat. Eurialus ante fores erat signumq; morabatur, nec cantum audiebat, nec screatum. Iam præterierat hora, & ut abiret Eurialus suadebat Achates, delusumq; dicebat. Durum erat amanti recedere, & nunc unam, nunc aliam causam manendi quærebat. Non canebat Pandalus, quia Menelai frater domi manserat, & omnes aditus scrutabatur, ne quid insidiarum fieret, noctemq; trahebat insomnem. Cui Pandalus, nunquam ne, inquit, hac nocte cubatum ibimus? iam nox medium poli transcendit axem & me grauis occupat somnus: miror te cum iuuenis sis senis habere naturam, quibus siccitas somnum aufert, nec unquam dormiunt, nisi paululum prope diem dum currus uoluitur septentrionalis helices, cum iam tempus esset surgendi: eamus tandem dormitũ: quid sibi uolunt hæ uigiliæ? Eamus, inquit Agamemnõ, si tibi sic uidetur: antea tamen inspiciendæ sunt fores an satis firmatæ sint ne furibus pateant: ueniensq; ad ostium, nunc unam, nunc aliam seram admouit, & pessulum addidit. Erat

A dit. Erat illic ingens ferrum, quod uix duo poterant leuare, quo nonnunquam ostium
claudebatur, quod postquam Agamenon leuare non potuit, Iuua me, inquit, Panda-
le, admoueamus ferrum hoc ostio, tum dormitum ibimus. Audiebat hos sermones Eu
rialus, & actum est, tacitus ait, si hoc ferramentum adiungitur. Tum Pandalus, quid
tu paras Agamenon? tamquā domus obsidenda sit, firmare ostium paras: an tuti su-
mus in ciuitate? libertas hic est, & quies omnibus eadem, tum hostes procul sunt, qui-
bus cum bella gerimus Florētini: si fures times, satis clausum est: si hostes, nihil est quod
hac in domo te possit tueri. Ego hac nocte non subibo hoc onus, quia scapulas doleo,
& intra sum fractus, nec gestandis oneribus sum idoneus: aut tu leua, aut sine. Vah sa
tis est, inquit Agamenon, dormitumq́; cessit. Tum Eurialus, manebo adhuc hic ho-
ram, ait, si forte aliquis adaperiat. Tedebat Achatem moræ, tacitusq́; maledicebat Eu-
rialo, qui se tamdiu retineret insomnem. Nec diu mansum est cum per rimulam uisa
Lucretia est, parum quid luminis secum ferens, uersus quam pergens Eurialus: Salue
mi anime Lucretia dixit. At illa exterrita, fugere primum uoluit, exinde recogitans,
quis tu es uir: ait. Eurialus, tuus, inquit, Eurialus. Aperi mea uoluptas, iam mediam no
ctem te hic operior. Agnouit Lucretia uocē, sed quia simulationē timebat, non prius au
sa est aperire, quàm secreta inter se tantum nota percepit. Post hæc magno labore se-
B ras remouit. Sed quia plurima ferramenta fores retinebant, quæ manus fœminea ferre
nō poterat, ad semipedes duntaxat amplitudinem ostiū patuit: nec hoc, ait, obstabit Eu
rialus, extenuansq́; suum corpus per dextrum latus intro sese coniecit, mulieremq́; medi
am amplexus est. Achates extra in excubijs mansit. Tum Lucretia, siue timore nimio,
siue gaudio exanimata, inter Euriali deficiens brachia, pallida facta, & omisso uerbo, ac
oculis clausis, per omnia similis mortuæ uidebatur, nisi quod adhuc calor pulsusq́; mane
bat. Exterritus Eurialus subito casu, quid ageret nesciebat, secūq́;: Si abeo mortis sum
reus, qui fœminam in tanto discrimine deseruerim. Si maneo, & interuenerit Agame
non, aut alius ex familia, & ego perierim. Heu amor infelix, quàm plus fellis quàm mel-
lis habes. Non tam absinthium est amarum quàm tu. Quot iam discriminibus obieci
sti? quot mortibus meum caput deuouisti? Hoc nunc restabat, meis in brachijs ut fœ-
minam exanimares? Cur me non potius interemisti? Cur non me leonibus obiecisti?
Heu quàm optabilius erat in huius me potius gremio, quàm istam in meo sinu defecis-
se. Vicit amor uirum, abiectaq́; propriæ cura salutis cum fœmina mansit, eleuansq́; alti-
us, mutum corpus atque deosculans madidus lachrymis. Heu Lucretia, inquit, ubi nam
gentium es? ubi aures tuæ? Cur non respondes? Cur non audis? aperi oculos, obsecro
meq́; respice, arride mihi, ut soles, tuus hic Eurialus assum: tuus te amplectitur Eurialus
mi anime. Cur me non contra basias, miror, obisti? an dormis? ubi te quæram? Cur si
C mori uolebas non me monuisti, ut me occidissem unà tecū? nisi me audias, en iam latus
meum aperiet gladius, & ambos habebit exitus unus. Ach uita mea, suauium meum,
delitiæ meæ, spes unica, integra quies. Siccine te Lucretia perdo? attolle oculos, eleua
caput. Nondum mortua es uideo, adhuc cales, adhuc spiras. Cur mihi non loque-
ris? Sic me recipis? ad hæc me gaudia uocas? hanc mihi das noctem? Assurge oro, re-
quies mea, respice tuum Eurialum. Assum Eurialus tuus. At sic fatus, lachrymarum
flumen supra frontem & mulieris tempora fluit, quibus tanquam rosarum aquis excita
ta mulier, quasi de graui somno surrexit, amantemq́; uidens, Heu me, inquit, Euriale,
ubi nam fui? Cur non me potius abire sinisti? beata iam moriebar in tuis manibus: uti-
nam sic excederē antequàm tu hac urbe decederes. Cum sic inuicem fantur, in thala-
mum pergunt ubi talem noctem habuerunt, qualem credimus inter duos amantes fu-
isse, postquam nauibus altis raptam Helenam Paris abduxit, tanquam dulcis nox ista
fuit, ut ambo negarent tam bene inter Martem Veneremq́; fuisse. Tu meus es Ga-
menides: tu meus Hyppolitus, Diamedesq́; meus dicebat Lucretia. Tu mihi Pollixe
na es Eurialus referebat: tu Aemilia, tu Venus ipsa: & nunc os, nunc genas, nunc ocu-
los commendabat. Eleuatq́; nonnunquam lodice, secreta quæ non uiderat antea cōtem

plabatur,& plus dicebat inuenio quàm putaram. Talem lauantem uidit Acheon in fonte Dianam. Quid his membris formosius, quid candidius? Iam redemi pericula. Quid est quod propter te non debeat sustineri. O pectus decorum. O papillæ premendæ: uos ne tango? uos ne habeo? uos ne meas incidistis manus? O teretes arctus. O redolẽs corpus, te ne ego possideo? Nunc mori facilius est quando gaudium, hoc est recens, neque interueniat calamitas. Anime mi, teneo te an somnio? uera ne ista uoluptas est an extra mentem positus sic reor? Non somnio, certe uera res agitur. O suauia basia. O dulces amplexus. O melliflui morsus. Nemo me felicius uiuit, nemo beatius. Sed heu quàm ueloces horæ? inuida nox cur fugis? Mane Apollo, mane apud inferos diu. Cur equos tam cito in iugum trahis, sine plus graminis edant. Da mihi noctem ut Alcumenæ dedisti. Cur tu tam repente Titani tui cubile relinquis aurora? Si tam grata illi esses quàm mihi Lucretia, haud tam mane surgere te permitteret. Nunquam mihi nox uisa est hac breuior, quamuis apud Britanos Dacosq́ue fuerim. Sic Eurialus, nec minora dicebat Lucretia. Nec osculum, nec uerbum irrepensatum prætcrijt. Stringebat hic, stringebat illa: nec post Venerem lassi iacebant. Sed ut Antheus ex terra ualidior resurgebat, sic post bellum alacriores illi robustioresq́ue fiebant. Nocte peracta, cum crines suos ex oceano tolleret aurora, discessum est. Nec post multos dies redeundi copia fuit, crescentibus dietim custodijs. Sed omnia superauit amor, uiamq; tandem conueniendi reperit, qua usi amantes sunt. Interea Cæsar qui iam Eugenio reconciliatus erat, Romam petere festinauerat. Sensit hæc Lucretia. Quid enim non sentit amor? aut quis fallere posset amantem? Sic igitur Lucretia scripsit Eurialo.

Lucretia scribit Eurialo.

SI posset animus meus irasci tibi, iam succenserem, quod abiturum te dissimulasti. Sed amat te quàm me magis spiritus meus, nullaq; potest ex causa aduersus te moueri. Heu meum cor, quid est quod mihi Cæsarem non dixisti recessurum? Ille itineri se parat, nec tu hic manebis scio. Quid obsecro de me fiet? quid agam misera? ubi quiescam? si me relinquis, non uiuo biduum. Perago has literas meis lachrymis madidas, per tuam dexteram & datam fidem si de te quicquam merui, aut fuit tibi quicquã dulce meum, miserere infelicis amãtis. Non peto quod maneas, sed tolle me tecum. Fingam me uesperi Bethleem petere uelle, unicamq; recipiam anum. Assint illic duo tresue famuli ex tuis, meq; recipiant, nihil negotij est uolentem eripere. Nec tibi dedecori puta. Nam & filius Priami coniugem sibi raptam parauit: non iniuriaberis uiro meo. Is enim omnino me perditurus est. Nam nisi me abducas mors illi me auferret. Sed noli tu esse crudelis meq; morituram relinquere, quæ te pluris semper quàm me feci. Ad hæc Eurialus in hunc modum scripsit.

Responsio Euriali.

CElaui te usque nunc mea Lucretia, ne te nimium afflictares antequàm tempus esset. Scio mores tuos, noui te, quia te nimis crucias. Nec Cæsar sic recedet ut non sit reuersurus. Ex urbe postquam reuerterimus, hoc iter est nobis in patriam. Quia si Cæsar aliam uiam fecerit, me certe, si uixero, reducem uidebis, negentq; mihi patriam superi, errabundoq; similemq; reddent Vlyssi, nisi huc reuertar. Respira ergo mi anime sumeq; uires, noli te macerare, quin uiue potius læta. Quod dicis de raptu, esset mihi tum gratum, tum iocundissimum. Nec mihi maior uoluptas præstari posset, quàm te semper habere mecum, ac meo ex arbitrio potiri. Sed consulendum est magis honori tuo quàm meæ uoluptati. Exigit namq; fides tua qua me complexa es, tibi ut consilium fidele præbeam, & quod in rem sit tuam. Tu te scis prænobilem esse, & in clara familia nuptam. Nomen habes tum pulcherrimæ, tum pudicissimæ mulieris, nec apud Italos solum tua fama clauditur, sed & Theutones & Pannonij, & Bohemi, & omnes Septentriones populi tuum nomen agnoscunt. Quia si ego te rapiam, mitto dedecus meum, quod tibi causa floccifacerem. Qua ignominia tuos afficeres necessarios?

A cessarios? quibus doloribus tuam matrem pungeres? quid de te diceretur? quis rumor exiret in urbem? Ecce Lucretiam quæ Bruti cõiuge castior Penelopeq; melior diceba-tur, iam mœchum sequitur immemor domus parentũ & patriæ. Nõ Lucretia, sed Hippia est uel Iasonem secuta Medea. Heu me quãtus mœror cum de te talia dici sentirem. Nunc amor noster clam est, nemo te nõ laudat. Rapina turbaret omnia, nec unquã tam laudata fuisti quàm tunc uitupereris. Sed mittamus famam, quicquid amore perfrui nostro non ualeremus. Ego Cæsari seruio: is me uirum fecit potẽtem, diuitem: nec ab eo recedere possum sine mei status ruina, quod si eum desererem, non quirem te decenter habere: si curiam sequerer, nulla quies esset, omni die castra mouemus. Nusquã Cæsari tanta mora fuit, quanta nunc Senis: idq; belli necessitas fecit. Quod si te circumducerem & quasi publicam fœminam in castris haberẽ, uide quã esset mihi & tibi dedecorum? His ex rebus obsecro te mea Lucretia, mẽtem ut istam exuas, boniq; consulas, nec furori magis quã tibi blandiaris. Alius fortasis amator aliter suaderet & ultro te fugere precaretur, ut te quàmdiu posset abuteretur, nil futuri prouidus dum præsenti satisfaceret ægritudini. Sed is non esset amator uerus, qui libidini magis quã famæ consuleret. Ego mea Lucretia quod frugi est moneo. Mane hic te rogo, nec me dubita rediturum. Quicquid apud Hetruscos incumbet agẽdum Cæsari mihi cõmitti curabo, daboq; operã ut te frui

B abs tuo incommodo possim. Vale, uiue, ama, nec meum quã tuus est ignem putato minorem: aut me non inuitissimum hinc abscedere. Iterum uale mea suauitas & animæ cibus meæ. Acquieuit his mulier & imperata factura rescripsit. Paucis post diebus Eurialus cum Cæsare Romam perrexit, nec diu moratus illic febribus est incensus. Infelix penitus qui cũ arderet amore, febrium quoq; cœpit ignibus æstuari. Cũq; iam uires amor extenuasset, adiectis morbi doloribus parum superat uitæ, tenebaturq; spiritus medicorum remedijs potius quã manebat. Cæsar dietim ad eum ueniebat, & quasi filiũ solabatur, omnesq; curas Apollinis adhiberi iubebat. Sed nulla ualentior fuit medela quã Lucretiæ scriptum, quo uiuẽtem illam & sospitem cognouit. Quæ res febres aliquantisper imminuit, Eurialumq; surgere in pedes fecit, qui & coronationi Cæsaris interfuit, ac ibi militiam suscepit & aureũ calcar. Post hæc cum Cæsar Parrhisiũ peteret, is Romæ mansit nondum ex integro sanus. Exinde Senas uenit quãuis adhuc debilis, extenuatusq; facie. Sed intueri potuit non alloqui Lucretiã. Epistolæ plures utrinq; missæ sunt, rursusq; de fuga tractatum est. Triduo illic mansit Eurialus dum sibi aditus omnes uideret ereptos: recessum eius amanti renunciauit. Nunquam tanta dulcedo in conuersando fuit, quanta in recedendo mœstitia. Erat in fenestris Lucretia, per uicum iam Eurialus equitabat, humidos oculos alter in alterum iecerat. Flebat unus, flebat alter: ambo doloribus urgebantur, ut qui suis ex sedibus cor auelli uiolenter sentiebant. Si quis in obitu

C quantus sit dolor ignorat, duorum amantum separationem consideret, quamuis maior hic anxietas inest & cruciatus ingentior. Dolet animus in morte, quia corpus relinquit amatũ: corpus absente spiritu nec dolet nec sentit. At cũ duo inuicẽ cõglutinati per amorem unius sunt animi, tanto pœnosior est separatio quanto sensibilior est utriusque dilectio. Et hic sane iam non erant spiritus duo, sed quemadmodum inter amicos putat Aristophanes, unius animæ duo corpora facta erant. Itaque non recedebat animus ab animo, sed unicus amor scindebatur in duos. Tum cor in partes diuidebatur, mentis pars ibat, pars remanebat: & omnes inuicem sensus disgregabantur & à seipsis discedere flebant. Non mansit in amantium faciebus sanguinis gutta, nisi lachrymæ fuissent & gemitus. Similimi mortuis uidebantur. Quis scribere, quis referre, quis cogitare posset illorum mentium molestias? nisi qui aliquando insaniuit. Laodamia recedente Prothesilao & ad sacras Ilij pugnas exeunte, exanguis cecidit. Eadem postquam uiri mortem agnouit, uiuere amplius minime potuit. Dido Phœnissa post fatalem Aeneæ recessum seipsam interemit. Nec Porcia post Bruti necem uoluit superesse. Hæc nostra postquam Eurialus ex uisu recessit, in terram collapsa per famulos recepta est, cubiliq; data donec resumeret spiritum. Vt uero ad se redijt, uestes aureas purpureasq; &

omnem letitiæ reclusit ornatum, uilisq; tunicis usa nunquam posthac cantare audita est, nunquam uisa ridere, nullis facetijs, nullo gaudio, nullisq; unquam iocis in lætitiam potuit reuocari. Quo in statu dum aliquandiu perseuerat, ægritudinem incidit: & quia cor suum abierat, nulliq; menti dari consolatio poterat, inter multum plorantis brachia matris, ac collachrymantis & frustra consolatorijs uerbis utentis, necessario indignantem animam exhalauit. Eurialus postquam ex oculis nunquam se uisurum abijt, nulli inter eundum locutus, solam in mente Lucretiam gerebat, & an unquam reuerti posset meditabatur: uenitq; tandem ad Cæsarem * Parusij manentem, quem deinde Ferrariam, Mantuam, Tridentum, Constantiam & Basileam secutus, ac demum in Vngariam atque Bohemiam: sed ut ipse Cæsarem, sic eum Lucretia sequebatur in somnijs, nullamq; noctem sibi quietam permittebat. Quam ut obijsse uerus amator agnouit, magno dolore permotus, lugubrem uestem recepit, nec consolationem admisit, nisi postquam Cæsar ex ducali sanguine uirginem sibi tum formosam, tum castissimam atque prudentem matrimonio iunxit. Habes amoris exitum Mariane mi amantissime, non ficti neque felicis. Quem qui legerint periculum ex alijs faciant quod sibi ex usu fiet. Nec amatorum bibere poculum studeant, quod longe plus aloës habet quàm mellis. Vale. Ex Vienna, V. Nonas Iulij, Anno M.CCCC.XLIIII.

*alias Parrhisijs.

Epitaphium mittit Episcopo Patauiensi, super miræ laudis lapide tumbali, Epist. CXV.

Reuerendissimo in Christo patri & illustri principi domino Leonardo *Episcopo Patauiensi, domino suo magno & futuro maximo, Aeneas Syluius Poëta imperialisq; Secretarius, S. P. D.*

BAsilicam diui Stephani prothomartyris cui præsides in urbe tua Patauiensi, cum nuper intrassem mirarerq; ueteres sepulturas, Nihil, inquit magnificus Caspar Cancellarius adhuc uidisti. Moderni episcopi spectandus est lapis. Sequentiq; die cum uiri præstantes aduenissent, Syluester Chiemensis, episcopus, ac Ioannes magister regiæ cameræ, tu illos cum Cancellario, postquam solenni prandio recreaueras, ut lapidem cernerent adduxisti. Nec dedignatus es me quoque unà inter spectatores uocare. Vidi ergo mirificum marmor quod tam subtili ingenio sculptum erat, ut uel Phidiæ uel Praxitelis opus uideri potuerit, nec meo iudicio (qui tamen Romanas statuas contemplatus sum) altioris ædificij quicquam huic operi poterat adiungi. Vera tua illic iacebat imago. Iob in utrumque latus erat insculptus. Super pectus tuum crucifixus residebat. In insulis quoque circa beatã uirginem bis tua effigies cernebatur. Ad pedes tuos duo leones tam uiuis similes ut terrorem inijcerent aspicientibus. Angeli undique quasi uolantes astabant. Arma tum tua tum ecclesiæ in plerisque locis uisebantur. Laudaui ergo te mirum in modum, qui etsi altum tenes dignitatis gradum multasque possides opes, non tamen esse te hominem obliuisceris, sed quod est hominis sapientis, & mortalem te noscis & de te morte sedulo cogitas. Quo fit ut te non nisi iustum iudicare possim. Nam qui uiuendo moriturum se continuo meditatur, is procul dubio & uitam ducit meliorem, & cum dies obitus adest minus angitur. Quia præuisa iacula (sicut Gregorius inquit) minus nocent, & facile contemnit huius mundi blandicias & inquinamenta refugit, qui semper cogitat se moriturum. Vnum tamen in tuo sepulchro defuit, quia non erat ibi epitaphium te ac tuis uirtutibus dignum. Volui igitur supplere defectum edidiq; nonnullos elegos, qui si placebunt in aliquo ex lapidibus sarcophagi tui poterunt insculpi, & ad posteritatis deduci memoriam, ut non solum præsentes sed etiam futuri populi qualis prælatus fueris & quàm ecclesiæ utilis recognoscant. Et qui tibi succedent non locum duntaxat, sed & uirtutes tuas habere procurent. Vale optime & fac quod tuus Aeneas, si phas est dicere, tutissimus fiat.

Promotoriales

Promotoriales literæ, Epist. CXVI.

A Reuerendo patri domino Episcopo Constantiensi, Aeneas Syluius & Michaël de Phullendorff Secretarij Regij, S. P. D.

REuerende in Christo pater & domine, obtinuit superioribus diebus honorabilis Cuicius à Maiestate Regia primariarum precum literas, pro aliquo beneficio ecclesiastico sibi conferendo ad tuam collationem spectante. Nūc uero cum eisdem literis ad tuæ paternitatis præsentiam proficiscitur, sperans in oculis tuis gratam promotionem inuenire. Verum quia idem Cuicius nobis per plurimum conuersatus est, nobisq́; retroactis temporibus obsequiosum se præbuit & acceptum, & eum semper honestum & probum inuenimus, non indignum putauimus has nostras literas in eius recommendationem tibi conscribere. Quapropter licet non dubitemus paternitatem tuā cum intuitu uirtutum suarum, tum maxime ob reuerentiam Regiæ Celsitudinis beneuolam sibi & affectam esse. Rogamus tamen ut etiam nostro intuitu Cuicium ipsum recipias commendatum, ut per tui fauoris præsidia quàm primum regiarum precum sortiri possit effectum. In qua re reputabimus specialem gratiā à tua paternitate recepisse, uiceuersa in nobis possibilibus ad tua beneplacita nos offerentes.

Promotoriales literæ, Epist. CXVII.

B Notarij Romanæ regiæ Cancellariæ, Reuerendo patri Episcopo Constantiensi domino suo, S. P. D.

LIcet merita nostra nulla præcesserunt quorum uigore petere à te aliquid audere debeamus, quia tamen res iusta est, pro qua interuenimus & benignitatem tuam non ignoramus, fiduciam habemus quod ea quæ querimus libenter audies & libētius adimplebis. Quod autem poscimus hoc est. Venit ad te Cuitius cum literis regijs primarum precum super aliquo beneficio ecclesiastico sibi conferendo ecclesiæ tuæ, qui cum sit uir literatus & bonis imbutus moribus, facile apud te optimum patrem gratiam inueniet. Nos tamen cupimus ut nostræ etiam sibi recommendationes prosint, cum eum diligamus & suis exigētibus meritis percharū habeamus. Rogamus itaq; ut nostro intuitu tuos sibi fauores impendas quod ipse sentiat literas nostras ad effectum suæ regiæ gratiæ, consequendas non modicū profuisse, quam rem nobis ad præcipuam complacentiam recipiemus. Parati econtra in omnibus possibilibus tibi & in communi & in particulari complacere. Datum in Noua ciuitate, Anno &c.

Ladislaus commendatur summo Pontifici, ne æmulis suis regnum Vngariæ confirmet, Epist. CXVIII.

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus, sanctissimo patri domino Eugenio Papæ quarto, S. P. D.

C ET si non dubitemus apostolicam sedē tanquam ueritatis doctricem, iustamq́; uitæ magistram, quorumlibet iuribus fauorabilem esse, nulliq́; prorsus iniuriam facere, quia quicquid ab eius solio manat, iustitiæ lancibus libratur & æquitatis? Non tamen ab re fore putamus aliqua per nos scribi. B. tuæ, quibus ius serenissimi principis Ladislai Vngariæ Regis patruelis nostri charissimi, pueri pupilli & Orphani commendatum efficiamus, & eorum qui ficta pro ueris referunt, impijs resistamus conatibus. Scit enim tua Beatitudo patruelem nostrum præfatū, qui post obitū uitæ, diuæ memoriæ patrui & antecessoris nostri Alberti Romanorū atq; Vngariæ, Bohemiæq; Regis in utero materno posthumus remāserat, ut primum natus fuit, & sacri fontis unda renatus, adhibitis ex amore solennitatibus ueram Vngariæ & scientiam suscepisse coronam. Nūc autem, sicut accepimus, magnopere quidam instāt ut tua sanctitas titulum regni huius in alium transferat, multa illinc emolimenta, tum Sanctitati tuæ, tum regno præfato prouenientia dicentes, quæ licet nullatenus apostolicā mouere credamus, quia nullū commodum est tā ingens pro quo bene uendi iustitia possit, mirandus tamen est eorū conatus qui ex alieno incōmodo suū quærentes cōmodū, altissimi sanguinis puerū & paterno & auito regno cupiant spoliare. Iniquum profecto & abominabile scelus. Fecerit enim alius quiuis magnalia, sit potens, sit aptus regimini, sit per aliquos accersitus, nolumus ista discutere, nec cū iniuria uolumus loqui cuiusquā, nulla tamē ratio suadet huic

puero

puero suum adimi regnum: qui si propter se non esset magni putandus, ei tamen præter facta paterna uniuersa Christianitas fauorabilis esse deberet. Quis enim nostri temporis homo est, qui patris huius gloriosos conflictus, tum contra Turcos, tum contra Hussitas non audiuerit. Debent præterea & huic puero fauorem præbere, aui sui clarissima gesta: & illa ecclesiæ unio Cōstantiæ reparata: tum uero & Caroli quarti & Henrici septimi, quorum ultimus hic sanguis est memoria Cæsarum. Tacemus inclytæ domus nostræ Australis opera, tam pro imperio quàm pro Ecclesia in fauorem fidei per nostros & huius pueri progenitores ædita. Quis tandem non compati deberet innocenti puero parentibus orbato, uero Vngariæ Regi ac hæredi. Insanæ profecto mentis & animi trucis sunt ac totius hostes iustitiæ, qui tam generosum puerum regno priuare & ius tā clarum conculcare nituntur. Sciunt tamen & illi ipsi qui talia petunt, inhumanum esse quod optant, atq; idcirco extinctum puerum & nusquam inueniri confingunt, ut uel hoc colore regni titulus in alium deriuetur. Sed aliud reperitur. Viuit enim Rex Ladislaus ac fausta & felici fruitur sospitate. Scitus puer atq; formosus. Is est in Noua ciuitate uicinus Vngariæ, adiriq; ab hominibus potest qui eius uisendi sunt cupidi. Spes & nostra & omnium est antecessorum suorum, uirtutes in hoc puero reuicturas. Quæ omnia tuæ. B. recensemus, ne per sinistras suggestiones aliquid ex curia tua ualeat extorqueri, quod huic patrueli nostro posit esse nociuum, utq; puerū istum omnibus imperij principibus sanguine iunctum apostolicæ sedis fauore tua Sanctitas prosequatur. Sit igitur hic Rex pupillus in tuo conspectu recommendatus, sit ante oculos tuæ mentis sua generositas, sua ætas, sua puritas, suorum memoria prædecessorum, & huius iustitiā ex qua non inanis & ficta, sed uera & ampla utilitas apostolicæ sedi redundare potest, amplecti atq; tueri uelis. Datum Viennæ.

Consolatur mœrens super morte amici, Epist. CXIX.

Moderati ac præstabilis ingenij uiro Nicolao de Vlm, insignis ciuitatis Esselingensis Secretario, *Aeneas Episcopus Senensis, S. P. D.*

LVdouicus imperialis Cancellariæ notarius homo frugi, & nostri amans tuas ad me literas attulit, quas Michaëli de Phullendorff imperiali prothonotario dum uiueret olim scripseras. Ex his redijt in memoriam obitus amicissimi hominis qui me admodum turbauit. Quamuis enim naturale & cōmune sit omnibus mori, neq; uitari necessitas mortis queat, humanum tamen est dolere & contristari amicos ex amicorum morte: Fateor imbecillitatem meam cum Michaëlis mentionem in tuis literis reperi, non potui non affici mœrore charissimi & dulcissimi amici, dum me consuetudine priuatū esse memineram. Consolor tamē meipsum, quando, ut Christianum decet, obisse illum scio. Nihil est quod illi morienti defuerit ab ecclesia requisitum. Vixit cū uirtute, mortuus est cum pietate. Nusquam mala mors inuenitur ubi bona uita præcesit. Illud etiam ad felicitatem sibi, & mihi ad cōsolationem cedit, quia in ecclesia mea Senensi sepultus est. Cuius manibus quotannis parentari curabo. Faxit Deus cum illo apud Christum saluatorem in promissa patria reperiamur, ubi ueræ sunt opes, ueraq; gaudia. Hic in terris nihil est solidum, nihil perpetuo bonū, omnia senescunt, omnia occidūt. Michaël noster ut mihi persuadeo illuc reuersus est unde uenit, magnumq; illum diem lætus præstolatur, in quo surgentibus omnibus corpus suum ex puluere tollat, & gloria uestiat immortali. Hæc me scribere epistola tua coēgit, in qua nec grauitas deest neq; ornatus desideratur. Sed uidi etiam picturam tuam qua diuum Michaëlem expresisti. Duæ in te res elucēt, eloquentia & pictura. Sed hac magis, in qua uel Appelli uel Zeusi potes æquari In altera si perseuerabis, gregem exibis & ad singulares uenies. Amant enim se artes hæ adinuicem. Ingenium pictura expetit, Ingenium eloquentia cupit non uulgare, sed altum et summū: Mirabile dictu est, dum uiguit eloquentia, uiguit pictura, sicut Demosthenis & Ciceronis tempora docēt. Postquā cecidit facundia, iacuit et pictura. Cū illa reuixit, hæc quoq; caput extulit. Videmus picturas ducentorum annorū nulla prorsus arte politas. Scripta illius ætatis rudia sunt, inepta, incompta. Post Petrarcham emerserunt literæ. Post Iotum surrexere pictorum manus, utraq; ad summā iam uidemus artē perueniss e.

Laudo

A Laudo te, quem pictura summum, eloquentia mediocrem habet. Et hortor ut qualis es pictor, talem te uelis Oratorem præstare, ut dicendi facultas quæ olim apud Alemanos non utilis fuit, postea in exilium acta est, te duce priorem locum uendicet. Denique quia meam uideris amicitiam petere, concedo petenti libenter: quod recusanti ultro obtulissem in eo iam tecum his literis amicitiæ fœdus, meq; non uulgarem amicum do tibi ut me posthac ex arbitrio utare. Sciens quia non minus amaberis quàm amabis. Vale ex Noua ciuitate. Anno & cætera.

Oratoria ars ex Græcis in Italos, & modo ex Italis in Alemanos Theutonosq; uenit, Epist. CXX.

Aeneas Episcopus Tergestinus Iurisconsultissimo uiro domino Gregorio Hainburgensi, S. P. D.

CIcero cum adhuc iuuenis apud Græcos mirificam orationem habuisset, admirabantur qui aderant omnes, mirisq; laudibus nomine Oratorem efferebant. Senex autem quidam amantissimus patriæ, inter omnium lætitiam atq; tripudium solus flebat. Mirati circumstantes, Quid est, inquiunt, quod te lætantibus cæteris mœrore cōficit. Tum ille, omnes, inquit, Græcorum artes in Latinum migrarunt, unica nobis & familiaris et charissima remanserat eloquentia. Sed hanc etiam Cicero nobis aufert, atque in Italiam secum ducit, nū quid iusta est causa lachrymarum? Sic mihi hodie de te uisum
B est, cum in regia de studijs, quæ uocant humanitatis dissertares. Nam & Legistam & Theutonem superabas, & Italicam redolebas Oratoriam fœcundiamq;. Sed quod fuit mœrori Græco, mihi lætitiā præbuit. Neq; enim si Theutonia literis claret, quæ illas tradit Italia, minus habet literarum. Sunt scientiæ sicut & lumina, qui de suo lumine lumen accendit, sed sibi retinet lucem & accipienti tenebras aufert. Inueni apud sanctum Gallum, quod Sueuorum est oppidum, in ueteri monasterio Bibliothecā peruetustam, ubi & libros reperi ornatissime conscriptos, quorum autores fuerunt Theutones: Mirabar cur hodie nihil eloquentiæ his in regionibus eluceret. Sed uenit in mentem apud Italos quoq; tempus fuisse, quo sepulta dicendi facultate Barbarorum iusticia dominabatur. Ante centum ferme annos et antea trecentis quadringentisq; non inuenies qui per Italiam sermonem habuerit tersum & lucidum. Sic pingendi sculpendiq; accidit arti. Si ducentorum trecentorumq; annorum aut sculpturas intueberis aut picturas, inuenies nō hominum sed monstrorum portentorumq; facies. Priscis uero seculis Appellem atque Zeusim, Polycletum, Phidiam, & Praxitelem, magnos fuisse cōperimus. Et de statuariis quidem ipsi uidemus, & Vergilio fidem habemus dum ait: Credo equidem uiuos faciens de marmore uultus. De pictoribus uero testimonia sunt clarissimorum uirorum, qui profecto minime tantis eos præconijs extulissent si picturam non aspexissent, sculpturæ, uel similem uel illa pulchriorem. Sed ecce iam reuixerunt sculpendi pingēdiq; di-
C sciplinæ. Reuixit etiam eloquentia, & nostro quidem seculo apud Italos maxime floret. Spero idem in Theutonia futurum, si tu tuiq; similes continuare & amplecti totis conatibus Oratoriam decreueritis. Accepi apud Nurenbergam plebanum sancti Sebaldi uirum grauem tua permotum suasione, multis lucubrationibus historiam atque Rhetoricam persequi. Diligo ego uos ambos qui patriam moribus ornantes etiam literis munire studeris. Cæterumq; de Nilo fuit hodie nobis sermo: non uideo quo pacto ex paradisi monte progredi possit. Paradisum namq; terrestrem, quam delitiarum uocant, in Oriente positam uolunt, atque ex ipsa Eufraten fluere, quem scriptura Tigrim appellat: quamuis et Tigris alius in Armeniæ regione caput tollat, qui Solino teste, Eufratem fluuium in Persicum defert sinum. Nilus uero à monte inferioris Mauritaniæ, qui oceano propinquat, originem habet. Sic affirmare feruntur Punici libri & Iubæ Regis scripta. Si Solino credimus, & hic nunc latens nunc apparens diuersis argumentis depræhenditur is esse qui irrigat Aegyptum, & terminus est Affricæ atque Asiæ. Licet Lucano huius origo fluminis incognita uideatur dum ait: Egens si qua iacet nascenti conscia Nilo. Vale & quod uerbis fieri debuisset, scriptis accipe. Ex Noua ciuitate pridie Calendas Februarij.

Grates

Grates refert de multis beneficijs, specialiter de equo ueloci propinato. *Epist.* CXXI.

Splendido & magnifico uiro domino Caspari Schlick imperiali *Cancellario, Aeneas Episcopus Tergestinus, S. P. D.*

COgor sequi Regem quocunque ierit, dum me poscit. Si manum retrahit longe fugiendum est. Ago tibi gratias, idoneum qui fugæ equum ministrasti. Tua sunt innumerabilia in me beneficia. Expectare uicem ex me non debes qui uix possem numerare quot me beneficijs cumulasti, beneficia ante præmiata sunt quàm exhibita. In animo quisque suo benefactor præmium tulit. Quæcunque possidemus uiuentes, hæres nobis morientibus uel inuitis aufert, solæ fugiunt hæredis manus auarique amico dispensantur animo. Reclusos in arca thesauros fures expilant: prædia latronibus patent. Nihil tam rigidè seruari potest quod fortunæ non subiaceat. Extra fortunam est quicquid donatur amicis: quas dederis solas semper habebis opes. Sic Martialis ait. Tua munificentia digna est laudum præconijs sempiternis. Ignorant te tempora nostra: Sic est inuidia, uiuentes urit, calcat, exterminat. Rari uiuentes laudati sunt. Rectè noster Horatius uirtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus inuidi. Sed uiue tu diu inuitis æmulis: laudabere uiuens. Et si tacuerint alij, nostra loquax non tacebit musa. Inuidia cessabunt fata: Non semper glacies Geticis horrent in agris. Nec semper mare uexant inæquales procellæ. Iã diffugere niues, iam campis gramina redeunt, & arboribus comæ crescũt: mutanãt omnia uices quæ sub Luna sunt. Nec felicia nec aduersa sunt immortalia: pruinæ succedit Ver. Pomifer æstatem sequitur Autumnus. Quãuis beatus es teipso, & tua uirtute contentus, speramus tamen beatiorem te cernere, soli & stellis acceptiorem. Vincet inuidiam uirtus, perpauci imò nulli sunt tui similes. Inhonoratam esse oportet curiam nisi tu quoque honoreris. Mittimus ista. Modo Laurentius meus ex Tergesto reuersus, ait se in foro Iulij rumorem excepisse, iam Mediolani potitum esse Franciscum Fortiani. Venetijs esse Oratores Galliarum & magni presbyteri legatos. In Regem Aragonum cuditur faba. Post Laurentium alius uenit ab Italia qui Mediolani nouitatem confirmat. Nescio credere priusquàm nostros audio nuncios. Timeo tamen & dari nostris uerba: Comiti facta suspicor. Sic sunt hominum ingenia, propinquioribus fauent, præsentia pericula formidantur, auxilia longinqua parum habent spei. Rex noster hinc abiturus cras existimatur, nouamque ciuitatem repetiturus, & inde post triduum ingressurus Stiriam faustum sit illi precor iter. Commendo rem meam uestræ magnificentiæ, tuisque me præsidijs fauoribusque committo. Fuit hic magister Hubarum, ne dicam nugarum, uerba secum nulla feci, nec ipse mihi nutum annuit. Noui nihil actum esse sic silentium indicauit. Vale optime. Certumque me tuarum reddito operarum. Ex balneis Austriæ, XV. Calendas Martij. Anno & cætera.

Assentitur precibus, & spondet efficere rogatum. *Epist.* CXXII.

Illustrissimo principi domino Sigismundo duci Austriæ domino suo, *Aeneas Syluius Poëta, S. P. D.*

EFflagitasti modestè à me pridiè tibi ut amatoriam alicuius epistolam mitterem, qua suadere posses uirgini, quàm diligis, ut amare te fineret. Alius fortasse tibi hoc negasset, timens ne prolabereris. Ego annuendum duxi. Scio namque humanæ uitæ conditionem. Nam qui non amat in adolescentia, in senio postmodum amat, quo tempore derisui est & uulgi fit fabula: quoniam ætas illa amori inepta est. Nosco præterea amoris consuetudinem, qui in iuuene torpentes uirtutes excitat. Hunc in armis exercet, illum in literis. Et studet quisque id agere propter quod amicæ placeat. Et quia uirtutes nomen bonum faciunt, uirtuti dat operam qui amat, ut ante puellæ faciem laudetur. Et quanquam hoc ineptum uirtutis præmium sit, probabile tamen est quacunque ratione uirtutes adipiscaris. Adolescentes insuper non sunt nimium cohibendi, ne languidi & inertes fiant, permittendusque his est aliquis ludus, indulgendum est aliquantisper uoluptati eorum ut animum & cor sumant, ut sciant bonum & malum: ut uersutias mundi noscant, illasque cum uiri facti fuerint euitare sciant. Hac de causa gessi morem uolun-

A uoluntati tuæ, & optatam epistolam hac conditione tibi transmitto, ut amans non negligas studia literarum. Sed quemadmodum apes ex floribus mella decerpunt, sic tu ex amoris blanditijs uirtutem Veneris. Vale.

Epistola plus audet uiuæ uocis oraculo referre mentis conceptum de pulchra puella, Epist. CXXIII.

Hanibal dux Numidiæ, S. P. D. & seipsum dat singulari dominæ suæ insigni & formosissimæ uirgini Lucretiæ Regis Epirotarum filiæ.

VOlui te sæpius alloqui amoremq; meũ tibi notum efficere, sed ætas mea nimis adhuc uerecunda est, quæ non patitur, quod intra me sentio foras exire. Quàm primum incipio loqui mox rubor adest, timor impedit, & medijs uox in faucibus hæret, nec cogitata possum effari. Timeo modestiam tuam ne me arguat: Vereor astantes ne me derideant: Horresco meipsum ne balbutiens fiam. Hac de re quod statueram dicere, decreui literis committere. Quia epistola non erubescit, non suspirat, non timet quenquam. Forsitan arduum aliquid & perdifficile postulaturum me putas: parum est quod uolo, hoc si mihi concesseris multum existimabo. Ego enim, modestissima uirgo, fateor me tui amantem esse, captumq; tui uultus splendore, nec aliud die noctuq; cogito quàm te: tu mihi semper es in mente, te in corde & in animo gero: tu meũ desiderium es, tu spes mea, tu quies, tu refugium. Cum te uideo quiescit animus meus et se oblectat, B at cum abes nec te cernere possim, magnis urgeor stimulis, nec aliud meditor nisi ut quã primum te reuisam. Hoc multiplici causa factum est. Nam & forma & honestas in te concurrunt. Laudant Helenam poetæ. At ego illam non existimo tibi fuisse similem. Nec Polixenam tibi comparauerim, aut eam quam dilexit Hercules, Deianiram: tu omnes uincis & pulchritudine & moribus quasi altera Philomena. A calce usq; ad uerticem nulla est in te menda. Crines tui splendorem auri superant: Frons alta & spaciosa est: Supercilia in arcum tensa debitis spacijs distinguuntur. Oculi tui tanquam duo emicant sydera: inde sagittas emittis & uulneras iuuenes: hinc quos uis occidis, & quos uis uiuificas. Nasus suis conueniens partibus, faciem mirifice honestat: Genas candore niueo respersas, modestus rubor intersecat. Quid labia corallina & cristallinas referam, dentes & omnes oris tui partes, unde melliflua manant uerba: hinc risus ille progreditur qui me sæpe ad intima penetrat. O uirum felicem, qui labia illa mordebit, qui tales osculabitur genas, qui mentum tuum et cãdidiorem Scythica niue gulã tuam poterit tangere. Nolo pectoris tui & illorum pomorum quæ ibi latent mentionẽ efficere, ne referens nimis ardeam. Tu te scis quàm intra & extra formosa es. Ego mirari magis quàm digne commẽdare te possim. Hoc tantum quia mores tui regio fastigio digni, et forma plus quàm dici possit honesta, ex duce me seruum tuum fecerunt. Tuus C enim sum nihilq; magis cupio quàm rem gratam tibi efficere. Nec miror: Nam & Phoebus (ut inquiunt fabulæ) licet esset Iouis Regis Cretæ (quem uetustas pro Deo coluit) filius, Admeti tamen Regis filiam amans, pastorem se fecit & gregem pauit. Ego igitur libens seruio tibi, nec aliud à te postulo, nisi ut amare me sinas, & animo æquo feras, si mei dicaris amatu, hoc est quod uolo, peto, exigo, nil postulo plus. Fer tu9 ut amator dicar. Nam & amator ero & seruus, tu modo annuas. Confitere dignam te fore, quàm meliores & maiores quã ego sum ametur. Esset uix Paris aut Hyppolitus dignus amore tuo. Tu tamen noli quærere formam. Nam et qui pulchri sunt, superbi etiam sunt, nec stabilem habẽt amorem. In me erit amor perpetuus, qui natus in adolescentiæ meæ flore cum ætate crescens ad senium perducetur, dummodo tu mihi faueas & me adiuues, quem tamen non debes despicere. Nam & mihi non negauit Deus mediocrem formã. Sunt mihi præterea opes multæ quæ omnes erunt tuæ, si uicem amoris rependeris. Ach quid dixi: nimium erraui: non ut ames peto sed ut amare sinas, hoc si tua ex gratia impetrauero beatus sum. Tu quid factura sis rescribe. Et uale animula mea, delitiæ meæ, corculum meum.

Redarguit consanguineum auxilium à se petentem. *Epist.* CXXIIII.

Vuenceslaus regiæ Cancellariæ scriba, S. P. D. Ioannni *de Buchau fratri charissimo.*

PVlsas me crebris literis ut hospiti tuo panem soluam quem comedisti, quasi tuus cibus mea pinguedo sit. At ego non inebrior uino quod bibis, nec me tua pulmentaria iuuant. Tu da pecuniam, quia consumpsisti cibaria. Ego meum aurum curdem: quia uix tantum scribendo acquiro quantum sufficit. Thagus Hispaniam præterfluit, Pactolus Asiam, qui duo fluuij harenas dicūtur aureas habere: huc tibi eundū est si aurum petis. Cācellaria regia inops est, uixq; suos ascriptitios nutrit. Ego plus tibi feci quàm deberem, quia uestem quam emeram nouam, dedi ut te ab hospite quasi captiuum redimerē. Martinus quem Pannonia genuit, Italia nutriuit, Gallia pastorem habuit, & omnis Christiana ueneratur religio, nudo, pauperi, medium paludamentum prebuit: Ego solidam dedi pallam. Nunc quæreris non satis esse hanc: quid ad me, tu uideris. Quod potui hoc feci, nisi sufficit, quære aliunde quod sufficiat. Vir maturus es, ætate longæuus, non tibi honori est alienum subsidium quærere cum possis ex tuo officio uiuere: quod si tenue est quid ad me. Proximus sum egomet mihi, ego mihi prouidebo, non curo quid hospes dicat. Vestem sibi non me dedi: utatur ut libet, si satis est habeat quod suum est, sin minus, in te actio est. Me satis est uestem amisisse. Nihil ad me uxoris Iob uerba, nihil maledictio. Nemo læditur nisi à seipso. Cupiat mihi mala quicunque uult, nisi opera faciam malo digna, inanum maledicitur mihi. Ego te rogo & alios omnes mei sanguinis homines, me ut iam missum faciatis: quia non sum in spem natus omnibus, qui uix mihi sum satis. Viuite uos ut potestis & me nunquam fuisse natum credite. Cogitate omnes quomodo lucrificare animam possitis. Id quoque ego curabo. Reliqua uana, caduca, nulla sunt. Hodie sumus, cras non erimus. Ideo ædificemus illic ubi neque tinea neque ærugo est, ubi nec fur nocet neque latro. Illuc meus fertur cogitatus: Illic ut me quæras uolo, & utinam inuenias. De libris alijsq; rebus tuis fac quod iusti est, & aliquando cogita sine me posse uiuere, qui possum & statim mori & multum uiuere, sed omnia in manu Dei sunt, ideo illi seruiendum est. Tu uale & desine me amplius lacescere iniurij. Datum Viennæ.

Captat beneuolentiam & petit sibi aliquos libros accommodari. *Epist* CXXV.

Aeneas Syluius Poëta, imperialisq; Secretarius, Magnifico & generoso domino, domino Henrico comiti de Lupfen domino suo. S. P. D.

IN scriptis ueterum tria inuenio quæ nostri partim negligunt, partim assequi non ualent. Elegantiam enim & grauitatem sententiarum quibus uetusti codices redolent, nequeunt nostri seculi homines imitari, quod usitatissimum æuo priori fuit. Allocutiones singulares enunciare, & si in epistolarum capite ponere possent nostri, sed supina quadam ignorantia decepti, dum blandiri uolunt, omnem orationis textum confundunt. Vos precor, inquiunt, uobis supplico Cæsar, uestram maiestatem appello: uestrū officium imploro: uestram clementiam obtestor: reddite iudicium inopi: iudicate potentem: meam calamitatem inspicite: nemo uos magis quàm iustitia mouet Cæsar. Et in hunc modum infinita. Hoc & mihi facere liceret, sed ueterem morem magis commendo. Et cum summos illos imitari sapientes in eloquentiæ atque Philosophiæ studijs nequeā, in hac certe parte ipsorū uestigijs inhærebo. Ideo te, quamuis claro sanguine cretus et multa doctrina sis fret9, singulari appellatione saluto. Et sicut Iulio Cæsari scribēs Cicero se ante ponebat, sic & tu æquo animo feres Aeneam tuum in ipso primo epistolæ angulo intueri, quia non arrogantis est, sed ueteres imitantis, quorum ignorantiam modernorum scientiæ præfero. Nunc quid ex te uelim paucis accipe: Retulit mihi uir mitis et amicissimus, imò alter ego, Michaël de Phullendorff notarius imperialis, te pluribus libris abundare, quorum nomina etiam mihi præscripsit. Inter illos nonnulli sunt quos uisere cupio, non quod antea non perlegerim, sed quod diu illis carui. Et sicut amicus

A cus post magnam temporis intercapedinem auidus est amici uidendi, sic mihi cupiditas est contubernales illos meos quibus nimium priuatus fui, in domum recipere & per aliquod tempus esse cum eis. Hoc potest mihi præstare humanitas tua ut me Michaël instruxit. Est enim apud te Ouidius de Tristibus, de Arte amãdi & Amoris remedio. Terentius quoque Comicus, et Hieronymus in epistolis: quos tam expeto relegere quàm nunc pascalem adesse diem, ut piscibus atque oleribus & oleo semotis, uesci carnibus posim: quod desiderium si tua benignitas impleret, magno me tibi nexu retinebis obnoxium. Erubesco dum sic scribo. Namq; cum nulla inter nos usura præcesserit, nullaq; notio, temerarium quodammodo uidetur me beneficium ex te petere. Quisquis enim poscere aliquid cupit, ante omnia se dum metiri & an impetratu sit dignus rigida trutinare censura, ne postulatis carens & damno & irrisione mulctetur. Sed neque ego hoc prætermisi. Sunt enim nonnullæ rationes quæ mihi spem faciunt te meis uotis annuiturum, quas breuiter tibi exponam ne me temere atque inconsulte motum iudices. Omnes qui libros cumulant, aut oblectari illis & fieri legendo peritiores cupiunt. Aut uidere amatores sapientiæ uolunt, ut transeuntes per uiam digitulis monstrentur. Hi sunt qui magnas & preciosas habent Bibliothecas. In quorum pluteis Aristoteles, Plato, Cicero, Seneca, Vergilius, Liuius, & omnis uetustas delitescit. Priores quidem ut gaudium

B perfectum habeant, opuscula communicant, commodant, & incommodatum recipiunt, transcribi permittunt, & tantomagis exultant quanto uulgatiora sapientum uirorum uolumina conspicantur. Alij uero tanquam thesaurum libros recondunt & corrodi potius tinea, & opicis muribus ferunt quàm in apertum dari uelint. Nec tam diligenter uellus aureum draco custodiebat, aut aditum Orci Cerberus quàm isti suos libros, quorum duntaxat marginibus & aureis oblectantur, nunquam quid interius sit aut legentes aut intelligentes. Quod si tu ex his esses nunquam uel tibi scribere uel te alloqui tentassem. Sed aiunt omnes qui te norunt, similem prioribus esse qui Poëtas & Oratores non ut in tetro carcere claudas, sed ut ad tuam & communem utilitatem publices, emere congregareq; studeas. Aiunt præterea te fore in omnibus rebus liberalem, benignum, munificum, & tum in omnes homines, tum in eos qui tuorum studiorum amatores sunt, largum atque beneficum. His ergo allectus moribus decreui has meas literas ad te dare, teq; hortari, rogare, obsecrare, ut per aliquod tempus in usum meum Oratores & Poëtas quos præscripsi uenire permittas: quoniam ad te nihilo peiores reuerterentur, sed potius per ridentia prata & floridos agros uerni tẽpore transeuntes mecum, postquam confabulati aliquantisper fuerint, tanquam recreati alacriores te repetent. Quia nullus est tam gratus locus, nulla societas tam iocunda, cuius non aliquando emergat satietas. Missos igitur illos fac ut non solum mihi, sed ut ipsis etiam geras

C morem. Adhæc accedit Michaëlis, quæ apud te est familiaritas, huic etiam placebis. Et is uadem cum domino Vuilhelmo Racet prothonotario regio & tui obseruantissimo se dabit, libros non ituros esse sinistrorsum, sed ad te pura fide remeaturos. Addo & tertium quoniam mihi etiam libri sunt quorum te potero cum uoles participem facere, & sic uicissim tu meis uteris opusculis & ego perfruar tuis. Vt ergo finem epistolæ donem, credo me non esse stulta petitione usum, si id postulo quod moribus tuis est consentaneum concedere. Si tute mihi potes annuere, si tua etiam in eo uersatur utilitas, si non solum meam sed etiam Michaëlis amantissimi tui commoditatem promoueo. Tu fac ut ratione potius obtineam quàm cæca fortuna repellat: mihiq; uti mancipio impera. Datum in Noua ciuitate Austriæ, quinto Idus Aprilis Anno M.CCCCXL.

Heraldorum nomen & officium unde exortum sit. *Epist.* CXXVI. D

Aeneas Dei gratia Episcopus Senensis, Domino Ioanni Hinderbach, Secretario regio & amantissimo fratri, S. P. D.

QVærere multi solent unde sit Heraldorum nomen exortum: Quis Heraldos primos instituit, & quid officij genus hoc hominum inter mortales habeat. Quæ res mihi quoque aliquando fuerunt dubiæ. Sed cupienti plurima nosse, ut est humanum ingenium, quærentiq; certior fieri apud Angliam, quæ olim Britannia dicebatur, in sacrario nobilis ædis sancti Pauli Lundoniensis, uetus historia in manus uenit, ante annos sexcentos, ut signatum erat, conscripta, quæ si uera est & meæ potest & aliorum satisfacere cupiditati. In ea quid inuenerim tibi scribere decreui, ut acri tuo iudicio cum uiro primario & doctissimo Domino Vlrico de mõte solis quid tenendum sit censeas, mihiq; rescribas. Autor historiæ Thucidides Græcus annotatus erat, quem fama celebrem clarum nouimus, translatoris nomen nullum inueni. Constat tamen peritum fuisse, qui magnum illum et facundissimum autorem Latinæ linguæ non minorem quã Græcus est reddidit. Non teneo uerba historiæ, ut erant contexta, sententiæ memini: in ea ad hunc ferè tenorem scriptum erat: Heraldi sunt qui apud maiores nostros Heroës uocitabantur, quos maiores hominibus, dijs minores fuisse tradunt. Nam quem Prisci rebus gestis insignem uidebant, gratum populis, uirtute sublimem, in Deorum cetum colligebant, si modo miracula extabant, quibus eum supra naturam aliquid operatum fuisse constaret. At si miraculi nihil erat, uirtus tamen admirabilis uidebatur, hunc neque Deum neque hominem compellare phas putabant, sed medium inter utrumq; sortiti uocabulum, heroëm uocabant, quasi semideum: Sic Heroës introducti à quibusdam corrupto uocabulo Heraldi sunt appellati. Illos autem instituit primus omnium Dionysius qui etiam primus armatus & cum exercitu inuasit Indiam, ac rudes illos & agrestes homines, corticibus arborum, & crudis ferarum carnibus utentes in urbes legit, boues aratro iungere, frumenta serere, Deos colere, nutrire comam, mitram ferre, et unctiones docuit ungentorum. Fuitq; his dator uini sicut & Græcis, armauit eos armis Martialibus & ad usum uitæ cultioris erexit. Quibus compositis cum uellet abire atque alias lustrare regiones, fuerunt complures in eius comitatu qui iam senio confecti & assiduis attriti laboribus, neque remanere uolebant sine rege, neque sequi ducem uolebant. Recessurumq; principem, lachrymis & fletibus obsecrabant ut sui misereret. Ad quos Liber pater, ponite curas, inquit cõmilitones fratresq; mei, diu pugnastis, diu me secuti estis, ego alia ex alijs in fata uocor, uocis iam parata quies est, & hic præmia laboris uos manent. Sistite hic & urbem hanc, terram quam uestri mihi lacerti quæsiuerunt, possidete. Ego uos hodie militiæ laboribus absoluo, ueteranos milites esse uolo, Heroasq; uocari. Munus uestrum erit reipublicæ consulere, sontes arguere, laudare probos, F cæteris muneribus uacabitis: quocunque gentium terrarumq; ueneritis, uictum uobis Reges uestitumq; dabunt, honoratiores apud omnes eritis. Xenia uobis principes offerent, suasq; uestes condonabunt. Stabit fides dicto uestro, mendatia horrebitis, proditores indicabitis, qui fœminas male habent, hos infames asseuerabitis. In omni terra libertas uobis esto, securusq; uobis transitus & incolatus. Si quis uos uestrumq; uerbo factoue angariauerit quempiã, gladio ferietur. Cæterum ex amicis meis bacchosissimũ Spartebam uobis Regem Indisq; constituo, qui uobis alimenta præbeat & annuas stipes. Qui custodiat priuilegia uestra, & honoratos uos habeat ex grege uestro ad regni fastigium euocatus: uos illi consulite, & posteris. Cuius si genus defuerit, ex uobis uestrisq; liberis reges Indorum sumite. Atq; sic adhortatus Heroas Dionysius ex India duxit exercitum. Spartembas autem regnauit super Indos quinquaginta & duos annos. Budamq; filium successorem reliquit, qui cũ regnasset annos uiginti, instituto filio Cradena uitam finiuit. Ac post eum per duodecim generationes Heroum soboles usque ad Herculem regnauit in India. Hercules autem cum domitis terrarum monstris, ac sæuitia tyrannorum deleta, penetrasset, Indiam regnum Heroum in se recepit. Priuilegia

tamen

A tamen his non ademit, sed auxit eorum numerum conscriptis inter eos qui secum ab Hispania & Mauritania militauerant, & contra Gerionem triplicis animæ, & Antæum terræ filium arma tulerant, longis itineribus & senecta ætate defunctis. Sed cum uenisset ad mortem multosq; filios haberet. (multis enim mulieribus matrimonio iunctus fuit) unicam autem filiam sustulisset Pandeam nomine, huic regnum commisit. Et ut ostenderet Heroas quanti faceret præ cæteris liberis, unum ex numero Heroum nomine Iobarem, uirum filiæ dedit, qui Regem gereret quingentosq; huic elephantes, quatuor milia equitum, & centum triginta milia peditum constituit quibus regnum tueretur. Ex hoc natus est Polimbotras à quo dicta est, urbs maxima Polimbotra. Cuius posteritas usque ad Alexandrum magnum per centum & trigintaocto Reges Indiam gubernauit. Ex quibus ortus est Porrus, cuius uirtutem miratus est Alexander, atq; adeo dilexit ut uictor uicto regnum dignitatemq; restituerit. Tum quoq; Alexander ex suis militibus Heroas legit senes quingentos, longa & laboriosa nimis militia contritos, quos Porro commendauit, quibus singulis annis in singula capita uiginti argenti talenta daret: adiecitq; priuilegijs Heroum ut auro & purpureis coccineisq; uestibus & paludamento uti possent. Quin & arma regia & insigne deferre quouis gentium terrarumq; loco fuerint. Si quis hos manu pulsasset aut uerbo læsisset, eum capitis reum esse B bonaq; sua fisco deberi. Sic Thucidides ut ille refert qui transtulit, qui similia Herodotum & Didimum & Magasthenem & Xenophontem sentire contendit. Additq; demum ex persona sua autor ignotus. Habemus igitur Heraldorum nomen idem significare quod apud ueteres Heroum significabat, Dionysiumq; primum hoc genus hominum apud Indos instituisse. Officium eorum esse ut Regibus assistant, ut consulant rei publicæ ut uirtutes extollant, uitia fulminent. Nec aliud sunt quàm milites ueterani qui post multa egregia facinora multaq; bella mirificè confecta & amplissimos triumphos exhausti uiribus fessiq; senio à labore militari remittuntur, & in curiam consultori accersuntur. Traditum quoque apud maiores est huiusmodi homines semper honoratos fuisse, ac tum Saulis tum Dauidis, Salomonis, tum cæterorum Regum Hebræorum latera constipasse. Quin & inter Machabæos hæc dignitas locum obtinuit. Legimus & Iulium Cæsarem, cum, uicto Pompeio, in Aegyptum perrexisset, hoc nomine & hoc honore plerosq; suos commilitones donauisse, qui secum & in Gallia & in Britãnia & in Germania et in Græcia, forti pectore militauerant, iamq; torpente senecta languebant. Nec Octauianus Augustus hoc præclarissimum genus hominum neglexit, qui superato apud Accium Marco Anthonio extincta Cleopatra, cum Parthorum superbia timore posito, ueniam postulasset, ablatoq; Marco Crasso cum preciosis muneribus signa remisisset, tum Reges Indorum ad famam tanti nominis moti usq; ad Hispaniam C legatos misissent, ac ultro parere se Romano Imperatori obtulissent. Cum submerso Cantabro terra mariq; pacem Romanus populus haberet, clausissetq; denuo iam portas, huiusmodi fertur legem tulisse. Omnes idcirco mortales exercere se solent & obiectare periculis, et aliquando pace frui quiete possint. Nec labor est ullus qui præmia non expectet. Ea propter maiores nostri militibus qui bene pugnauissent, non solum stipendia quibus se suamq; possent nutrire familiam, sed honores amplissimos constituerunt ut coronas, armillas, hastas, & alia uirtutis insignia quasi solamen & præmium laboris exacti. Similiter & nos facere decet, qui dijs fauentibus & magna uirtute militum rem Romanam restituimus, & altam pacem toto reformauimus orbe, ne milites qui longa & durissima nobiscum bella peregerunt, ac plurimum sanguinis tum sui tum hostium effuderunt, sine mercede tanti laboris euadant. Quisq; ergo per decennium nobiscum militaueris, si modo quadragenarius fueris, siue pedes siue eques stipendia merueris, militia post hac & omni labore uacato, Heroas esto, ueteranus'q; miles. Nemo te ciuitate, foro, templo, hospitio, domo prohibeat. Nemo tibi crimen ascribat, onus imponat, pecuniam ex te quærat. Si quid peccaueris, solam Cæsaris uindictam expectato. Quicquid turpitudinis admiserint homines, te iudicem propalatorem'q; timeant, seu priuati seu principes fuerint. Quod dixeris affirmaueris'q;, nemo falsum arguat. Libera &

aperta tibi omnia itinera locaq; sunto. In ædibus principatum mensa tibi potusq; esto. D
Stipendia quibus te tuam'q; domum serues ex publico quotannis habeto: quam legitima face duxeris uxor, cæteris fœminis præferatur: quē exprobraueris infamem'q; dixeris, hic reprobatus homo & infamis esto. Arma, insignia, nomina, & ornamēta Heros ferto quæ Reges decent. Quæ dicere aut facere uelis ubiuis gentium locorum nationumq; facito. Si quis tibi iniurius fuerit, ceruice careto: ut'q; senectuti tuæ quietius, Cremonensium qui contra uos Anthonij partes fouerunt, agros tibi tui'q; similibus uiritim diuidendos assignamus, qui si pauci fuerint, addimus & Mantuanos, ut bona fide & alta uirtute profuisse te reipublicæ gaudeas. Sic Octauianum ueteranos suos honorasse confirmant. Decreuerant idem Penus Hannibal facere, nisi fortuna fractus aduersa Antiochi Regis & Prusiæ coactus fuisset supplex tribunalia petere. Comperimus Attilam Hunorum Regem quamuis efferatum & inanem gloriam, similia suis ueteranis priuilegia contulisse. Neq; Theodericus Gotthorum maximus et audentissimus Rex Heroas inhonoratos reliquit, quibus & ciuitates & prouincias tributarias fecit. Carolus autem magnus qui primus post Græcos apud Romanos suscepit imperiū, Germanus homo ex antiqua Francorum prosapia natus, postquam Saxones sæpius rebellantes multa ui domuit, ac feces Hunorum Longobardos ab infestatione Romani præsulis exterruit, suscepto Cæsaris nomine & Augustus appellatus, milites omnes qui tanti laboris comites fuerant, in hunc modum honore fertur & libertate donasse. Ite, inquit, milites mei, uos Heroës uocabimini, socij Regum & iudices criminum. Viuite posthac laboris expertes, cōsulite Regib⁹, & publico nomini turpia corripite, fauete fœminis, iuuate pupillos, consilio circundate principes, ab his uictum, uestitū, stipendiumque petite. Si quis negauerit, inglorius infamisq; esto. Si quis iniuriam uobis intulerit, reum se maiestatis agnoscat. Vos autem caueritis ne tantum decus tantumq; priuilegium iusto bellorū labore partū, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quouis uitio maculetis. Ne quod uobis largimur ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de uobis sumendam si forsitan excesseritis, nobis & successoribus nostris Romanorum Regibus perpetuo reseruamus. Hæc sunt quæ de nomine & institutione Heraldorum quos Heroas fuisse constat, apud antiquos scripta comperimus. Cur autem nostris diebus, qui nunquam militarunt, et abiecti quidam homines hoc nomen assequuntur, nescio causam nisi quia omnia degenerant, nec est hominum genus quod stet suis legibus. Nam & indocti doctioris insignia recipiunt, & qui nudum nunquam ensem uiderunt, militiam profitentur, nitentq; calcaribus aureis: atq; ut de nostra dignitate dicamus, absq; moribus, sermone leues atq; uita, cathedram Pontificalem audemus ascendere. Quære religiones, percurre mechanicas artes, omnes oberrāt, nihil est quod suis legibus puris inuiolatisq; perseueret. Vale & si quid habes quod consonet autoritate dignum & fide, scribito nobis, nostri memor & amans. Cuius rei Michaëlem Pfullendorffium consecretarium tuum & nostri diligentem doctrina plenum, aut iudicem aut arbitrum experiemur. Ex Vienna Kalendas Iunij, Anno domini. MCCCCLI.

Passagium quàm difficile cōduci posit in effectū arguitur pluribus ex rationibus, Epist. CXXVII.

Literæ ad me tuæ amantissime Leonarde, duplicatæ & triplicatæ peuenerunt: In omnibus hortaris me magnopere ad rem bellicam instituendam pro mea uirili, quando apud Cæsarem seruio, operas nauem: facis ut Christianum decet, & hominem Senis natum, cuius est (nescio quare id fiat) quo minus potest eo magis de communi bono anxium esse. Laudo tuum cogitatum, tuas curas probo. Vtinam tui similes rebus maximis præessent, credo multo melius Christianitati esse cōsultum. Namq; si uerum dicere libet, nimia est inter orbis nostri rectores somnulentia, aut aduersus officiū, aut præter officiū omnes intenti sunt. Arbitror te iā cognouisse quæ sunt apud Ratisponā gesta & quàm negligenter eò conuentū est. Ex Italia cōparuere. Nā legati Venetorum prius solutum audiuere concilium quā Bauariā ingrederentur. Vnus mihi uidetur super omnes laudādus princeps Philippus Burgūdiæ dux, qui etsi esset Britānico bello implicat⁹, uocatus

A catus tamen ad conuentum, qui pro salute populi Christiani erat indictus, noluit excusari, noluit reipublicæ deesse. Congregationem quæ commune bonum tractare uidebatur, sua præsentia uoluit esse priuatam. Venit igitur Ratisponam, iturumq; se contra Turcos in persona propria pollicitus est, si uel Cæsar uel Rex Vngariæ, uel alius magnus princeps exercitum duceret. Si minus, missurum sequas posset copias, neque his in rebus excusatum se habere uoluit, nisi tale sibi superueniret impedimentum quod tota Christianitas legitimum reputaret. Quis hunc satis commendare principem posset? Nemo est inter Christianos cui minus timendi sunt Turci & infideles cæteri quàm duci Burgundiæ. Nemo tamen est qui pro depulsandis atque comprimendis hostibus fidei solicitior eò reperiatur. Vnde ista mens hominis? Non cupido rapiendi hunc trahit, cui sunt opes infinitæ: non spes ulla uoluptatum, quibus frui uictores putant, qui est iam æuo profectior. Et si delitias amet, nusquam maiores quàm domi reperiat. Non augendi dominij ratio, qui se nouit in Græcia aut Asia nequaquam regnare posse. Sed est hic religiosus princeps, amat Ecclesiam matrem suam. Cupit fidei nostræ consultum esse, dolet cum audit Christianum nomen blasphemari. Miseretur infelicibus animabus quæ dietinus in captiuitate à Barbaris rapiuntur. Pudet eum ignominiæ quam Turci nobis inferunt. Est enim nobilis animus, non potest

B mens alto sanguine nata, non alta meditari. Nihil turpe ferre potest generosus spiritus. Videt se dono Dei amplissimis & populosissimis regionibus præfectum, multisque beneficijs cumulatum, non uult ingratus uideri. Recognoscit munera in se diuina esse quàmplurima, uult pro sua facultate uices reddere. Meminit Ioannis patris sui, quem Turci pugnantem pro fide Catholica captiuarunt. Cupit ulcisci paternum uulnus, imitarique maiorum suorum uestigia, quos pro fide Orthodoxa constat fuisse ardentissimos. Huius igitur opera factum est, quod in conuentu Ratisponensi nonnulli articuli conciperentur, quorum ego copiam rectoribus nostræ urbis feci. Nec me dubium tenet, quin tu illorum notitiam habeas. Nam & illustri dominio Venetorum apud quod nunc moram trahis, articuli per suos legatos huiuscemodi missi sunt, quorum si fiet executio, nihil erit nostræ religioni timendum. Cæsar huiusce rei cupidus nouum apud Franckfordiam Concilium indixit: Id futurum est tertio Calendas Octobris. Cæsar aut eò se, curiamque suam transferret, aut præsidentes plena potestate suffultos mittet, neque negligetur quantũ in se erit conuentus. Nunc quoniam de me multa dicis, reserabo tibi quæ mihi incumbunt. Optaui domum reuerti, uisere amicos, consolari ac pascere quocunque tandem pastu ualerem meas oues, supplicaui Cæsari, benignam mihi ut licentiam præberet, qua patrios lares peterem: non obtinui. Ait enim sua serenitas necessaria sibi esse seruitia mea,

C dum instat apud Franckfordiam dicta dies. Eam ob rem fero moleste meum exiliũ, uereorq; quod nuper sum expertus. Etenim cum Ratisponam pergerem, inuasit me dolor pedum quem podagram medici dicunt, quæ res mihi intereundum acerbissima fuit. Non tamen neglexi commissum onus. Iter cum magno labore peregi, adeo ut pede ad sellam suspẽso unius diei uiam fecerim, cum inter asperrimas Alpes non esset quadrigis locus. Idem timeo, ne mihi nunc accidat, si, ut mentem intelligo Cæsaris, uel mittar inter legatos, uel suam sequi Serenitatem iubeat. Sed quid agam, quis ego sum, qui tantum imperium effugere possim? Video insuper res maximas esse, ad quas teneor, & uniuersæ Christianitati utiles. Quid ni laborem pro facultate mea: statui manere, & ad meum exilium paucos menses addere, donec Franckfordium consilium finiatur. Impartiar meas operas in commune bonum. Et si nequeo grandes manipulos in aream ferre Dominicam, at saltem spiculas aliquot in horreum Ecclesiæ referam. Neque enim Deus noster tam facta hominum quàm mentes inspicit. Et laudatam in Euãgelio mulierculam legimus, quæ duo æra minuta in gazophilaciũ obtulit. Illud autem oro Leonarde amantissime, ne uel passagium cõtra Turcos instituendum Italicæ paci compares, uel me monacho qui illam conclusit, æquiparandum putes.

Namq; si pulcherrime & uere dicis, nullam esse personam adeo tenuem, per cuius manus nequeat, si uelit diuina maiestas, res maximas conficere. Et addis exemplum nostri temporis. Nam pacis Italicæ humilis, & quodammodo despectus Heremitarum sancti Augustini monacellus autor habetur. Non est tamen æqua rerum & personarum proportio. Pax enim Italica etsi, ut ais, Romæ ad maturitatem perduci non potuit, adeo tamen in alto illo summi præsulis igne consistoriali decocta fuit, ut paruo post modum sole potuerit maturescere. Erant & partes quæ cōtēdebant longo defessæ bello, contritæ atque exhaustæ, intelligebantq; nisi concordiam amplecterentur utrinq;, funditus esse pereundum. Nec plurima erant capita, quorum sensus combinandi ad conficiendam Italicam pacem uiderentur. At negotium hoc gerendi contra Turcos belli, rude adhuc indigestum, & penè intactum est. Nec Germaniæ aut Galliæ principes, quorum potissimè mentes excitandæ sunt, satis intelligere possunt, quid sua non intersit, contra Turcos arma mouere, qui sunt ab eis remotissimi. Quis insuper Galliam aut Germaniam armet, nisi cerebra penè infinita coniungat. Adde quod omnes Italicæ uires ad maritimam classem sunt uniendæ. Qualis deinde inter me & monachum Italicæ pacis inuentorem, comparatio cadit? Fateor quia nihil est repertori ac rectori orbis factu difficile, uelle illi & posse unum est. Nec inficias eo, spirare ubi uelit spiritum Dei, qui & aliquando infima mundi eligit, ut fortia quæque confundat. Sed audi personas, quàm dispares adnectis. Ego illum monachum, qui partes Italiæ dissidentes composuit, crimine mundum, longa uitæ sanctimonia comprobatum, doctrina plenum, nihil miror si Deus instrumentū elegit per quod pacaret Italiam. At isthæc, quamuis turpitudinem prodo meam, longe à me absunt. Habet in me Deus multa quæ puniat, nulla quæ præmiet. Quo igitur pacto me uelut organo magnis in rebus utatur. Vereor uereor, ut te uera non celem, ne dum me grandibus ingero negotijs, impedimento magis quàm promotioni reperiar. Tu desine de me tibi multa promittere, ac domi quàm foris malis, cimbam fortasse nō inutiliter regam. Nauis magnæ si clauem tenuero, & me simul, & nautas perdam. Francfordiæ si fuero naucleros inueniam optimos, atque ipse remigis officio fungens peccatorum meorum partem delebo? Hæc tibi de me uolui dixisse. Nunc de ordine dato pauca disseram. Scripsisti uocandos esse multos ex Italia ad Concilium Ratisponense, putasti id futurum Constantiensi simile ne dicam Basiliensi, quod in annos uiginti protensum est. At nostrum, exacto mense, finem accepit. Indictum esse aliud, huc rursus uocantur ex Italia Rex Arragonum, Veneti, Ianuenses, Florentini, Senens. Lucani. Comes quoq; Franciscus, quamuis non est inuestitus de ducatu Mediolanensi accersitur, & dux Mutinæ, Marchiones insuper Mantuæ, Montisferrati & Saluciarum. Videbimus quantus erit nostrorum feruor Italorum. Regibus quoque Franciæ, Angliæ, Bohemiæ, Vngariæ, Poloniæ, Daciæ, Sueciæ, Nortuuegiæ, Scotiæ literæ dantur, ut ad conuentū mittant. Principes Alemaniæ adesse, comitates mittere legatos iubentur. Si erit conuentio grandis, spem benè gerendæ rei summam, si pauci conuenerint, obrigestam dices. Quid sentis? quid putes futurum? Mallem tacere: Mallem opinionem meam esse falsissimam ac mendacis quàm ueri prophetæ nomen. Dicam tamen quod meus præsagit animus. Non spero quod opto: nil boni menti meæ persuadere possum. Quare inquis? Quare inquam, ego bene sperem? Christianitas nullum habet caput, cui parere omnes uelint. Neque summo sacerdoti, neque Imperatori quæ sua sunt dantur. Nulla reuerentia, nulla obedientia est. Tanquam ficta nomina, picta capita sint, ita Papam Imperatoremque respicimus: Suum quæque ciuitas Regem habet. Tot sunt principes quot domus. Quomodo tot capitibus, quot regunt Christianum orbem, arma sumere suadebis? Age dicito, concurrere in bellum cunctos Reges. Cui ducatum dabis? Quis ordo in exercitu erit? quæ disciplina militaris? quæ obedientia? quis pascet tantum populum? quis intelliget uarias linguas? quis reget diuersos mores? quis Anglicos amicabit Gallicis? quis Ianu-

enses

A enses coniunget Arragonensibus? quis Theutones Vngaris, Bohemisque cõciliabit? Si paucos contra Turcos ducis, facile succumbis. Si multos, confunderis. Vndiq; sunt Angustiæ. Perge ultra atq; inspice Christianitatis uultum. Pacata, inquis, Italia est: facile aduersus exteros arma sumet domi quieta. Nescio quàm quieta. Inter regem Arragonum & Ianuenses adhuc belli reliquiæ manent. Nec Ianuenses hi sunt qui contra Turcos pugnaturi credantur, quibus tributa pendere dicuntur. Veneti cum Turcis fœdus percussere. Et quamuis aiunt se sumpturos arma pro nostra fide, si cæteri Christiani bellum Turcis indicant. Quis hanc conditionem implebit? Vocare nunc, rogare atque excitare Venetos oportebit, qui cæteros imitati essent, si pax eis cum Turco non esset. Quid cum Italis facies, quando duæ nauales potentiæ, & quidem maiores desunt? Rex Arragonum quamuis est potentissimus, & ad commune bonum ardens, haud quaquam solus bellum nauale contra Turcos agitabit. Summi Pontificis quanta sit classis non ignoras. Deficit igitur nobis altera belli pars. Nam cum terra mariq; Turcos uexare propositum esset, deficientibus Italis nihil est quod de maritimo bello speremus. Patebit Asianis Hellespontus. Etsi terra bellum geratur, infinitas ex Asia copias in Græciam Turci traducent. In Hispania nosti quàm multi sunt Reges potentia, regimine, uoluntate & opinione dispares? Neque illi in extremo iacentes occi-
B denti ad septentrionem trahendi sunt. Estq; quod agunt cum Granatensibus domi. Rex Franciæ, & si toto regno pepulit hostem, marinas tamen oras inquietas habet, nec militem extra regnum audebit mittere, dum classes ex Anglia repetinas timet. Anglici nil aliud animo gerunt, quàm ut repulsam ex Francia uindicent. Scoti, Dani, Sueti, Noruuegij in ultimis orbis oris siti, nihil est quod extra domum queant. Theutones inter se diuisi nulla in parte cohærent. Ciuitates cum principibus dissident. Et ipsi inter se principes nullo concordiæ uinculo tenentur. Suitenses cum ducibus Austriæ uetus odium tenent. Comes Palatinus Archiepiscopo Maguntino infestus est. Ducatus Lutzelburgensis inter Regem Bohemiæ, & ducẽ Burgundiæ litigiosus pendet, quamuis sunt ad Calendas usque Nouembris in eam rem induciæ. Duces Saxoniæ de sexaginta castellis cum Bohemis litem habent. Vratislauienses requisiti per Bohemiæ Regem, homagium facere recusarunt, nisi ad se Rex proficiscatur. Pruteni, qui religioni sanctæ Mariæ Theutonicorum subiecti fuerunt, excusso priori iugo ad Regem Poloniæ defecerunt. Isq; nunc regionem ingressus, cum coniuge sacramenta fidelitatis accipiunt. Lignicenses quos Ladislaus Rex gubernatori Bohemiæ dederat, subire iugum recusant. Nec Puduuicẽses parere domino de Rosis uoluntarij sunt, quamuis dono Regis ad eum pertineant. In Austria nihil quieti est. Baronem Eichzinger dominantem spernunt, Ciuitates amant, seditiones frequentes aguntur. Vuancho Bo-
C hemus cum duobus milibus latronum regionem longè lateque uexat: In Vienna crebra fiunt incendia, nec autores in famam ueniunt. In Vngaria Prælati & Barones infensi sunt Ioanni Vaiuodæ, qui quondam gubernator fuit, nũc Capitani nomen tenet, regniq; maximam partem occupat. Giskra Bohemus inuestitus à Rege de territorio Sepusion in Vngaria ad possessionem uenire per Ioannem impeditur. Dispotus Rastiæ quamuis Turcis unitus putetur, auxilia tamen Regis Vngariæ petit, & Turcos asserit bello paratos. Nihil tamen ad hæc Vngari mouentur, sed habituri potius inducias siue concordiam cum hoste quam moturi bellum creduntur. Ede nunc in tanta rerum uarietate, quid sperandum aut timendũ sit. Intuere deinde mores hominum, ac nostrorum principum facta considera, quantus auaritiæ sinus patet, quanta inertia, quanta uoracitas. Nemo literis aut bonarum artium studijs intentus est. Et tu cum hisce moribus deleri posse Turcorum exercitus putas? utinam tu uerax inueniaris, ego fallax. Vtcunq; res sese habent, manebo ad dictam diem Franckfordiæ, & si non prodero reipublicæ Christianæ, macerabo tamẽ meipsum, & in uindictam meorum delictorũ affligam corpus & mentem? Si quid in communi redundabit boni, tanto id libentius uidebo, quanto magis præter spem eueniet. Tu uale, & me ut soles ama, & si amasti parum,

parum, amorem auge, quoniam ego te pro tua uirtute uehementer amo. Ex Noua ciui te, die V Iulij. Anno M. CCCCXLIIII. D

Excusatio Regis Daciæ quare ad dietam non uenit. *Epist.* CXXVIII.

Reuerendissimo principi domino F. diuina fauente clementia, Romanorum *Imperatori semper Augusto, Duci Austriæ &c. Christiernus Dei gratia regnorum Daciæ, Noruuegiæ, Sclauorum, Gothorum Rex, comes in Aldenborch & Delmanhorst, Salutem & triumphantis uictoriæ continuum incrementum.*

PErlectis nouissimis imperialibus literis nobis directis, mœrore cordis & mentis anxietate indicibili urgebamur. Cum uideamus tandem uirus pestiferum in Christianam fidem dudum congestum, uiperam illam Halymamech Turcorum tyrannum feraliter euomuisse, & quod in suæ impietatis contentaculis fabricauit, incentiuum suæ iam crudelitatis detexit. Hunc non ambigimus imaginem bestiæ illius gestare, quam Ioannes Euangelicus uates ascendentem de mari præuidit, tertiam partem stellarum ad ima trahentem, imò Asiam & Affricam, & iam suis execrabilibus spurcitijs Europæ terminos defœdantem uidere uidemur, Serenissime imperator & frater charissime, quod cum singulari mœstitia referimus statuum omnium, & sexuum omnium religionem, fidem & urbanos mores in populo Christiano adeo à iustitiæ tramite declinasse, quod diuinam non cessent irritare, & prouocare uindictam. In illos præcipue qui aliorum uita & exemplo deberent merito esse ductores, unde ultione condigna hoc nostro tempore quo peccata magis & uitia subrepunt, flagellis & plagis grauioribus excribrantur. Nullos enim Christianorum fines per uniuersi orbis machinam à peste, cladibus, uel incursibus hostium eximi uidere, aut cognoscere ualeamus: omne quoque solum, ubi Christi nomen colitur, crebris agitari & oppugnari contrarijs. Neque propterea ullam diuinæ miserationis & pietatis recuperandæ maiorem adesse fiduciam, quàm quod incipientes à capitibus diuinis institutis & bonis moribus secũdum Euangelicam legem resumptis, priorem culpam & noxas emendemus in melius, quatenus placata diuinitus suorum calcorum felicibus propitia non desit optatibus. Hæc sunt inuictissime Cæsar arma fortissima, propugnacula munitissima, & secura præsidia quibus aptius & facilius, imò felicius & fructuosius hostium uires & frontem superbiæ demoliri conueniat, quàm militaribus cuneis, quàm bellicis munimentis. Hoc quidem exemplariter Physicis traditionibus comparatur, quod medici satagentes noxiales à corporibus chimos repellere per prius antidotis & cataplasmate congruentibus præparatas, ad exitum superfluitates deinde formato expellunt. Sic ergo imperialis Maiestas erga Deum cœli deuota superioribus & inferioribus suggerat melioris uitæ feruorem. Interioris enim conscientiæ pœnitentia cilicio, sacco, & cinere, non auro uel argento, non exquisitis monilibus, nec in arcu fortium aut robore potentatus Niniuitæ diuinum contra se concitatum placuere furorem, tunc Augustalis Maiestas superno adiutorio comite, cum exercitibus Christianis, hostium castra penetrabit secura, omnesq; Barbarorum constringet conatus, ausus armis & potentia uindicabit. Eruntq; hostium uires, angelo domini cohortante, sicut stipula ante faciem uenti & titubabunt pauore, & timore sordescent. O saluberrimum & iocundissimum omen, si fata præstassent, quod regnorum nostrorũ rebus cõpositis, quæ uarijs impræsentiarũ contrariorum detinentur anfractibus, cum proceribus nostris quos numero & solertia militari ornatissimos obtinemus, cum uestræ serenitatis contubernio pro fide catholica, pro gloria immortali, pro illius nomine qui nos suo sacro cruore redemit, pro fideliũ ibidẽ à Turcis oppressorum tutela, in Cæsarea comitiua adesse possemus. Testamur Deum nihil nobis gratius nihilq; optabilius quàm quod in tam sancto opere adesse liceret: Condolentes ex ipsis cordis uisceribus imperialis Constantinopolitanensiũ urbi, & uenerandæ patriarchali ecclesiæ, quã Constantinũ Magnũ primũ post Philippũ orthodoxorũ Cæsarẽ præde-

A prædecessorem uestrum fortissimis mœnijs obfirmatam suo nomine, quæ prius Bisantium dicta est, & præsentia legitur decorasse, ubi summa ecclesiasticæ & imperialis maiestatis uiguit sanctio. Ibi fuerat legum sacrarium, fidei uiguit norma, & religionis specimen, institutis & obseruātijs religiosissimis prærornata. Licet & ibi quādoq; Sathan nō abfuit, qui Arrium, Sabelliū, Manicheos, Nestorium, Macedonum, Dipstorum, Euticē & cæteros suscitauit hæreseon, qui in agro domini, in tritico fidei, zizania seminauit. Verumq; impedimentum huic nostro syncero proposito præstitit, quod uestras imperiales literas duntaxat decem diebus festum sancti Gregorij præcedentibus præsentato recepimus baiulo. Cum uero regnum nostrum Daciæ ubi residemus ad præsens insulis intersecetur, diuersis uadis ponti à se distantibus inuicem, & primo tempore parliamentū regni nostri prædicti, cuius consultatione in rebus grauioribus affectari solemus, absque prolixi tēporis interuallis cōgregare minime poteramus: Tum etiam quia sumꝰ in procinctu ad regnū nostrum nauigādi Nortuuegiæ cum expeditione, contra hostium nostrorū incursus quos frequentius sustinemus. Quo propterea Cæsarijs uestris desiderijs & hortantibus pronunc satisfacere minime potuimus. Si uero in præfata dieta pro sancto isto & pio opere celebranda, aliqua salubria & utilia concludētur, de quibus nos certiorari duxeritis quantum nobis possibile fuerit, saluis regnorum nostrorum negocijs, animo gratissimo faciemus. Cæterum in causa ordinis Prutenorum beatæ Mariæ Hie-
B rosolymitanis literis uestræ Serenitatis plenius intelleximus. Cum uero talis inter ordinem, militiam, & patriam sit exorta discordia, ut peiora magisq; indies nocitura uerisimiliter formidamus, quo præterea indies tractatus cōcordiæ, magis difficultari uerisimiliter timeamus, in quo ordini & patriæ ex intimis condolemus, si tamen fuerimus requisiti obtentu uestrarum imperialium literarum omnem ad ordinis profectum, & patriæ concordiamq; & pacem efficacem operam libenti animo impendemus. Valete serenissime princeps, & frater charissime, in illo qui habitat in cœlis & imperat, cuncta sua ordinatione gubernās feliciter & lōgæue, cui nos offerimus gratissimo animo præparatos, affectantes à celsitudine fraternaq; charitate uestra hanc præsentem excusationem nostram coram illustribus principibus, & serenissimorum regum Oratoribus & legatorum Apostolicæ sedis, qui dietæ constitutæ præsentes extiterint, legi & recitari. Datum in Noua ciuitate nostra Rostildensi, die dominica palmarū. Anno à Natiuitate domini. MCCCCLIIII. nostro regali sub secreto.

A Rege Arragonum ad sacrum collegium Cardinalium sponte contra Turcos ire. Epist. CXXXIX.

Reuerendissimi in Christo patres & domini, amici nobis singulares post memoriam nostram. Nihil profecto cecidisse recordamur, quod nos adeo commouerit aut tantam
C indignationem animo iniecerit, quātam Constantinopolitanæ urbis casus, & Græcorum miseranda, atque inaudita calamitas: neque uero ob id solum indignamur quod Græciam, quæ magna pars est Christianæ gētis, amissa libertate oppressam, ac in manum & seruitutem infidelium, per Christianorum negligentiam redactam, & Christiano corpore distractam atque discissam uidemus, (quāquam est id grauissimum, quod & omnium mentes, atq; animos magnopere commouere atq; excitare in ultionem debet) sed etiam quia turpissimam & indignissimā notā nomini Christiano ob eam rem inustam cognoscimus, & quæ uix unquam ullis consilijs, periculis, aut laboribus aboleri posse uideatur. Quid enim tam indecens, tam turpe, tam pudendum Christianis, quā pati Christianos à Barbaris opprimi, & acerbissimo seruitutis iugo subijci, fidemq; nostram labefactari, atq; funditus euerti? Pro qua tuenda atq; conseruanda dubitare debet, nemo qui Christianus re sit, mortem impigre appetere. Sed hæc communis culpa sit: Dum enim alij alios intuemur ante Constantinopolis calamitatem, si quis in eius defensionem arma capiat & obsistere iniuriæ conetur, illa ciuitas interim capta est, & illa omnis Græcia concidit. Capite enim cōfracto, & cætera membra cassata sunt. Cū aūt quottidie intelligamus ex multorū sermonibus ac literis, ipsum Turcorum principem in eam insolentiam ac furorem prouectum esse, ob res secundas

quæ solent animos extollere atque inflammare, eumque non contentum Græciæ captiuitate, cæteris Christianis atque e Græciæ claustris in Italiam uelle erumpere, Imperiū orbis terrarum sibi promittentem, & Christianam fidem euertere molientem, Instituimus animo illius furori pro uirtutibus nostris obsistere, conatusque eius nepharios, quantum in nobis fuerit reprimere atque infringere. Sperantes Christo Deo nostro autore atque fautore, pro cuius fide defendenda hanc expeditionem gloriosam suscepturi sumus, ut & alij principes & populi Christiani unà nobiscum ad salutem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ exemplo nostro excitentur, ac fore, ut illum atrocissimum fidei hostem nō solum ulciscamur, & intra Græciæ terminos cohibeamus, sed etiam recuperati omni Græcia, ipsum è tota Europa depellamus, ac ne in Asia quidem sua quietū esse sinamus. Quæ cum ita sint. R. P. uestrā oratam esse uolumus, primum ut uosipsi qui fidei Christianæ duces estis, in eam tuendam & conseruandam omnes uires & studia uestra conferatis, nec eā ruere patiamini, cuius protectores acerrimi merito esse debeatis, ut alijs exemplo sitis, qui ad uos oculos referunt, quicquid agitis intuentur, cum ad uos primum, qui estis religionis capita, acceptam iniuriam, & cladem hanc pertinere existiment. Deinde ut cunctos populos, principes ac Reges Christianos per legatos ac literas quoad fieri possit exhortemini atque excitetis, ut & ipsi exemplo uestro nostroque hoc & necessarium, & maxime gloriosum bellum suscipiant, & pro eo gerendo quas possint copias, classes, arma, & comeatus parent. Si pro fide nostra tuenda, in qua est salus nostra reposita, non depugnamus, pro qua dimicare sustinebimus? Si feramus iniurias Christo Deo nostro factas, cuius ille imagines deleuit sanctorum ac martyrum statuis euersis, reliquijs luto prouolutis, sacris uirginibus incestatis, filiabus è complexu parentum ad stuprum raptis, parentibus ipsis crudelissime necatis: Si has inquam feramus, cuius tādem iniurias ulciscimur? Si religionem nostram per negligentiā ruere patimur, ut omittamus ignominias, uincula, cædes, quæ Christianis impendent, quidnam sperare amplius de animarum salute possumus? Multis sanè ac summis principibus, ut Constantinum & Iustinianum omittamus, tum domus nostra quæ Barbarorum semper oppugnatrix fuit, tum aliarum nationum ac gentium maximo honore ac gloriosum fuisse scimus, Christianum nomen auxisse ac diffudisse. Quanto igitur nobis omnibus honestius & gloriosius fiet illud à ruina & manifesto interitu uindicasse? Quod si nulli nobis adiutores fuerint, ad tantam iniuriam uindicandam malumque propulsandum, quod existimare non possumus, nos tamen propositum nostrum exequi contendemus, sperantes in Christo Deo nostro rem prospere successuram. In qua & si mori contigerit, læto & constanti animo moriemur. Datum in Castro nostro Neapolis, prima Aprilis. Anno LIIII.

Dialogus contra Bohemos & Taboritas de sacra communione sub una specie. Epist. CXXX.

Reuerendissimo in Christo & colendissimo patri Domino Ioanni de Caruial, *sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ sancti Angeli diacono Cardinali, Aeneas Episcopus Senensis, S. P. D.*

QVamuis apud Bohemos Apostolicæ sedis legationē obieris, & omnes illius gētis mores opinionesque noscas, tamen quia peruersi quidam homines nouos indies errores cudunt, & ego nuper iussu Cæsaris in Bohemia fui, cognouitque bonos & malos, & multa cum eis contuli, & audiui multa quæ sedem Apostolicam intelligere non est inutile. Decreui quæ hac in uia mihi contigerunt tuæ dignationi præscribere. Quod si magnam papyrum impleuero, non tamen erit arguenda narratio, quia res plurimas non potest breuis epistola comprehendere: & cauendum est ne fiam obscurus, dum breuis esse laboro. Prætermittam nihilominus locos illustriores. Adhibeat mihi benignas aures tua modestia, bonique consulat si liberius scripsero quàm tuæ dignitati par sit. Nam uetus notitia & usura quæ inter nos olim fuit, audacem me facit. Sed incipiam iam narrare, quia nulla est mihi de tua benignitate dubitatio, quæ solet omnia in partem recipere meliorē. Cum ergo per hos dies de Noua domo uersus Pragā iter agerem.

A agerem, essentque mihi collegæ nobiles, Albertus de Eberstorf Baro, Procopius de Rabenstain, & Henricus Truchses equestris ordinis milites, ex usu uisum nobis est (quia raptores & insidias timebamus) ad Taboritas potius quàm in apertis uillis pernoctare, ac luporum magis quàm leporum sequi fidem. Præmisimus igitur qui Taboritas accederent, atque ab his ius hospitalitatis expeterent. Acceperũt hæc lætis animis Taboritæ, dederuntque fidem atque obuiam uenerunt. Res spectaculo digna fuit, rusticanũ & incompositum uulgus, quamuis urbani uideri uelint: Frigus erat, pluuiale tempus. (Nam Bohemia sæpe miscet æstati hyemem) Ex illis aliqui nudi erãt, solis tecti camisijs: alij pelliceas tunicas induerant, alij sella carebant, alij freno, alij calcaribus. Alteri crus ocreatum fuit, alteri nudum: Huic oculus defuit, illi manus, & ut Vergilianis utamur uerbis, Fœdum uidere fuit populataque tempora raptis Auribus & truncas inhonesto uulnere nares: Incedendi nullus ordo, loquendi nulla modestia, barbaro & rusticano ritu nos exceperunt. Obtulerunt tamen xenia, pisces, uinum, ceruisiam. Sic oppidum ingressi locum uidimus. Quem nisi hæreticorum arcem aut asylum uocem, nescio quo appellem nomine. Nam quæcunque degegũtur inter Christianos impietatis ac blasphemiarum monstra huc confugiunt, tutamentumque habent, ubi tot sunt hæreses quot capita, & libertas est quæ uelis credere. In exteriori ciuitatis porta duo fuerunt scuta, in B altero pictura erat Angeli calicem tenentis, quasi communionem sub specie uini suaderet populo: in altera Zisca pictus fuit homo senex, & utroque lumine cassus. Hic olim dux Taboritarum fuerat, & alterum oculum in pueritia perdiderat, alterum hostili sagitta confixus amisit. Ab hoc sæpe uictos fideles aiunt: sæpe Christianorum cædes factas: complures ciuitates exustas: diruta monasteria: sacras ædes incensas: prostitutas uirgines: sacerdotes occisos. Quem Taboritæ non solum monoculum, sed cæcũ quoque secuti sunt ducem, neque absurde. Nam tali populo qui nihil diuinitatis intelligit, nihil religionis tenet, nihil æqui rectique uidet, quis ducatũ præbere debuit nisi cæcus? Impletum est illud saluatoris in eis: Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt. Hic dum morti proximus esset, consultaretque Taboritæ, quem post se principem designaret. Postquam, inquit, animus à me fugerit, excoriate corpus meum, & carnes date uolucribus. Ex corio uero tympanum facite, atque hoc in prælio ducem habete. Nam quouis locorum Theutones sonum eius audierint, mox terga dabunt Zischam in tympano formidãtes. Hic postquã obijt, Taboritarum alij Procopium sibi ducẽ elegerunt: Alij in tantum illius memoriam dilexerunt, ut neminem dignum existimarent, qui tanto duci succederet: aspernatique principem orphanos sese uocabant quasi patre carẽtes atque orbatos, ut qui cæcitatem non uiuam tantum, sed mortuam quoque colendam censebant: & ad inferos usque sequendam. Hunc autem ueluti numen Taboren- C ses habent. Et quamuis picturas omnes abominentur, huius tamen picturam religiosè colunt, & honorem quem Christo negãt contendunt Zischæ. Horum secta pestifera & abhominabilis est ac summo digna supplicio. Romanã ecclesiam nolunt habere primatum, aut proprij clerum habere quicquam. Imagines Christi sanctorumque delent: Ignem purgatorium inficiantur: Nihil sanctorum preces iam cum Christo regnantium prodesse mortalibus asseuerant. Festum diem præter dominicam & pascalẽ non agunt, ieiunia spernunt, horas canonicas abijciunt: Eucharistiã sub specie panis & uini, & paruulis & dementibus præbent. Conficiẽtes nihil præter orationem dominicam, & uerba consecrationis dicunt, neque uestimenta mutant, neque ornatus assumunt aliquos. Quidam uero eo usque desipiunt, ut non uerum Christi corpus in sacramẽto altaris, sed repræsentationem quandam esse contendãt, errantis Berengarij non cõuersi sequaces. Ex sacramentis ecclesiæ, baptismũ, eucharistiã, matrimonium, ordinemque recipiunt. De pœnitentia parum sentiunt. De confirmatione & extrema unctione nihil. Monachorum religionibus infestissimi sunt, inuentionesque diabolicas asserunt esse. Baptisma simplicis undæ uolunt: Nullam aquam benedicunt: Cimiteria non habent consecrata. Cadauera mortuorum in campis, & ut digna sunt, cum bestijs sepeliuntur, uanumque censent orare pro mortuis. Ecclesiarum cõsecrationes derident, & in omnibus locis passim conficiũt

sacramentum. Nulla maior his cura est quàm sermonis audiendi. Si quis negligens est D
domiq; torpet aut negotio ludo'ue uacat dum sermo est, uirgis cæditur & intrare ut uerbum Dei audiat compellitur. Est illis domus quædam lignea similis horreo ruris, hanc templum appellant. Hic populo prædicant: hic legem per omnes dies exponunt: hic altare unicum habent, neque consecratum, neque consecrandum ex quo sacramentum plebibus exhibent. Sacerdotes neque coronas ferunt, neque barbas tondent. His Taboritæ, frumento, ceruisia, lardo, leguminibus, lignis, & omni suppellectili necessaria publicè domum complent, & addunt in singula capita singulis mensibus sexagenam. Ex quo pisces, carnes recentes, etsi uelint uinum emant: in altari nihil offerunt. Decimas omnes damnant primitiarum, neque nomen, neque rem tenent. Non tamen concordes sunt in una fide, Sed aliter isti, aliter isti sentiunt: uelle suum cuiq; est, nec uoto uiuitur uno. Hos tamen sacrilegos & sceleratissimos homines, Sigismūdus Cæsar ciuitate donauit, & quos exterminare decebat, aut in ultimas terras ad fodiendos secandosq; lapides humani generis omni commercio priuatos, relegare liberos fecit minimo tributo contentus. Quæ res non sibi tantum sed regno quoque maximo dedecori fuit, quia sicut modicum fermenti totam massam corrumpit, sic fex illa hominum totum nomen gentis Bohemiæ fœdat. Sed accipe nunc urbis situm, quia fuisti loco proximus. Intueri mœnia potuisti quæ duplicata cingunt undiq; ciuitatem, munita turribus E
& propugnaculis. Collis est in occidentem extensus, nulla ex parte uicinis altior campis, sed præruptis hinc atque inde rupibus tutus, hunc uno ex latere fluuius alluit, quem accolæ Luznize uocitant: ex altero riuus est tenuis aquæ, sed profundus, & aditu difficilis, is quasi uellet ante oppidum ingredi maiorem fluuium, in angustias uiginti passuum collem restrinxit, & penetrasset ut arbitror montē nisi saxis durioribus impeditus iter flectere coactus fuisset. Vertitur ergo ad dexteram riuus & ambiens oppidi magnam partem, tandem fluuio, qui reliquam portionem circundedit, finito colli miscetur. Sic ciuitas ex omni parte rupibus & aquis munita, uno tantum loco per planum habet accessum, sed arctum & ingenti fossa & latiori muro defensum. Tres hic portæ sunt priusquā urbem ingredieris. In priori uero propugnaculum est, cuius muri uiginti pedes latitudinis habent, altitudinis duplum. Machinas belli plurimas uictis hostibus excisisq; ciuitatibus obtinuerunt, quas in foro ad terrorem uicinæ plebis ostentant. Domorum parietes aut lignei sunt, aut lutei, aut nullo platearum ordine distinctæ, sed ad casum positæ. Nam sicut olim tentoria passim locarunt, sic postea domos erexerunt. Multa illis & preciosa suppellex est, & diuitiæ inter eos plurimæ sunt. Multarū enim gentium spolia in unum locum congessere. Voluerunt hi quondam Ecclesiæ primitiuæ in omnibus uiuere & in communi tenebant omnia: Fratres seinuicem appellabant, & quod uni defuit alter subministrauit. Nunc sibi quisque uiuit, & alius quidem esurit, alius autē ebrius est. F
Breuis feruor charitatis, breuis imitatio fuit: sed priores Christi discipuli, & qui nascentis ecclesiæ fundamenta iecerunt, quæ propria prius habebant fratribus communicabant, nihil alieni recipiebant, nisi sponte & amore Christi donatum. Taboritæ uero hæreditates alienas expilabant, & quæ uiolenta manu rapuerunt, hæc tātum in commune dederunt. Nec si perseuerare potuerunt. Reuersi ad ingeniū, auaritiæ iam omnes student. Et quia rapere ut olim, nequeunt, (nam languidiores facti uicinos timent) lucris inhiant mercaturæ, sordidosq; sequuntur quæstus. Sunt in ciuitate quatuor milia uirorum qui possent educere gladiū, sed artifices facti, lana ac tela ex magna parte uictum quærentes, inutiles bello creduntur: prædia nulla his erant, sed nobilium & monasteriorum uillas inuaserunt, quas sibi postea Sigismundus, nescio an diuinæ legis & humanæ peruersor idcirco dici posset, perpetuo iure possidendas ascripsit. Intellexisti quæ sit hæc ciuitas, qui mores huius populi, qui situs oppidi, qualis hæreticorum senatus, qualis nequitiæ synagoga, quale domicilium Satanæ, quod templum Belial, quod regnum Luciferi. Hic ergo cum pernoctassem, & ab hospite meo cuncta quæ iam scripsi uera esse didicissem, hortabar hominem tantis ut erroribus renuntiaret. Non erat hic omnino durus, neque monitiones aspernabatur, & habebat in penitiori thalamo beatæ Virginis,

A ginis,& Christi saluatoris imagines, quas occulte colebat. Credo nisi timeret amissionē bonorum. (nam diues est) publice ab illa insania resiliret. Sed malunt animam plerique quàm opes perdere, & multi propter pecunias periere. Idcirco saluatoris uoce, facilius, dicitur, camelum per foramen acus transire, quàm diuites adipisci regna cœlorum. In crastinum cum uenissent ad nos tam sordidæ ciuitatis magistratus & gratias agerent, quia uisitassemus eos, & urbani magis uerbo quàm mente uiderētur. Dico ego ad collegas meos: peccauimus fratres, genti peccatrici & inimicæ Dei communicauimus. Non putaui tantos hic esse quantos errores inuenio. Credebam solius ritu communionis hunc populum à nobis esse secretum: sed nunc expertum habeo, hæreticum esse populum hunc, infidelem, Deo rebellem, nihil pensi, nihil religionis habentem. Quapropter si uolumus conscientiæ satisfacere, necessarium est his aliqua dicere, ne sua nobis facta placere putent, & apud uicinos glorientur, Romani Regis sibi legatos communicasse. Assentiebatur mihi Procopius, & utile consilium dicebat. Sed Australibus terrore plenis, & leporino corde præditis persuaderi sententia mea non potuit, quamuis uerba sic efferre proposuissem, ut nulla irritatio populi timenda essent. Recessimus ergo & licet dies dominicus esset, diuina tamen officia neglexímus ne communicaremus hæreticis. Erat animus mihi Pragam uidere urbem fama celebrem, regnique caput. Sed
B pestis illic uigens grassabatur, nec minus quàm ducenta capita per singulos dies auferre dicebatur. Ob quàm rem terrefacti proceres qui conuenerant, congregationem soluunt, & ad uillam Benedicti sese transferunt, quinque & uiginti milibus passuum à Praga distantem. Interea & Barbara imperatrix quæ fuit Sigismundi coniunx, Frederici comitis Ciliæ soror diem obijt. Cuius corpus Pragam delatum in castro sepultum est. Cordata mulier fuit, sed futuræ uitæ ut aiunt, parum credula. Nunc si pie uixit mercedem habet. Sunt qui defunctam bene, & ut Christianam decuit supremum spiritum emisisse dicunt. Cum uenissemus ad uillam Benedicti, regni conuentum illic reperimus. Barones autem erant Georgius de Constat & Bodiebrat: Henricus de Rosenberg: Alscho & Zdenko, & Petrus de Sternberg, Zdenkohas. Ioannes de Zimris: Ioannes de Chiabelis, Zdenko Koska: Ioannes de Malouuitz: Ioannes de Radoch, & Barones alij quàmplures ciuitatū Oratores aderant. Ex Praga, ex Cuthnis, ex Pilzna, ex Luna, ex Colonia, ex Glatobia, ex Gretz, ex Lytobirzitz, ex Flana, ex Satz, ex Budbeis, ex Tabor, & erant hæretici & catholici simul mixti. Vidisses illud Esaiæ completum: illic uitulus & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum. Proceres regni ex magna parte sequuntur Romanam ecclesiam. Ciuitates ut plurimum aut Taboritas, aut Rochezanam sequuntur. Venerunt ad nos plurimi ex ambabus partibus, & alteri alteros accusabant. Quia uero conuentus ille nostri causa tenebatur,
C ut audiret quæ Cæsar ad petitionem regni responderet, Fuimus tribus diebus in tractatu cum eis. Quartaque demum die & illi nostram intentionem ad ultimum intellexerūt, & nos illorum propositum cognouimus: dimissumque consilium est. Prius tamen allatæ fuerant Marchionum Brandenburgensium literæ, quæ conuentum inter regni proceres, & legatum Apostolicum sancti petri Cardinalem petebant ad res ecclesiæ componendas, placuit id nobis, & apud ambas partes uerba fecimus, quibus conuentionem suadebamus. Accepta adyton est: dies ad festum diui Martini, Locus conuentionis in Litomericia dictus. Mediatores inter Cardinalem & regnum Marchiones recepti. Faxit Deus ut finis discordiarum fiat, ut refloreat in Bohemia fides, & errorum plena religio ueritatis ignara, iam tandem ad ueræ religionis candidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergat. Ad quam rem, ut nos quoque pro uirili nostra iuuamen adijceremus, rogaui Procopium inter me atque Georgium fidelis ut interpres esset. Nam magnum illum & potentem uirum, quem regni pars maxima sequitur, si concordiæ cupidum inuenissem, adduci cæteros facile posse credebam. Fuimus diu simul. Quæ locuti fuimus adinuicem nunc referam.. Vtque sim breuior neque opus sit uerbis inquam, & inquit, sæpius uti, proponam uerbis meis nomē meum, & uerbis illi-

us nomen suum, sicut & Ciceronem & plerosq; factitasse reperio, qui collocutores in suis opusculis introducunt. Sic enim, me iudice, breuior & dilucidior oratio redditur. Sed audi iam dialogum. AEN. Quod te alloqui uolui, uir magnifice, neque priuata res est, neque parua, sed regni huius quietem tuiq; magnum bonum concernit, quàm si uis audire, mox tibi exponam. GEOR. Cupio audire, dicito quæcunque libet. AEN. At ego in charitate non ficta loqui uolo, quæ nihil reticet, & summa utitur libertate. GEOR. Hoc expeto, loquere. AEN. Regnum hoc olim florentissimũ fuit, & inter occidentalia regna ditissimum. Viguerunt hic religiones, & omnium bonarum artium studia claruerunt. Nunc inops regio est, concussa, lacera. Cur hoc sane? quia non potest ueritas nostra mentiri, dum apud Euangelistam dicit: Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus super domum cadet. Vos Bohemi non solum inuicem diuisi estis, uerumetiam ab ipsa Christianitatis maiori parte secreti. Nec Romanam auditis ecclesiam, quamuis mater est, & magistra fidelium: neq; mandata conciliorum recipiatis: quod si unitatem Ecclesiæ amplecteremini, & in domo domini ambularetis, cum consensu, facile regnum uestrum pristinam dignitatem splendoremq; suum resumeret. Tu ergo qui regni populos quouis trahis, fac tibi nomen grande, fac ut te sedes apostolica diligat, redde sibi filios quos Satan abduxit. Hauriat ex fonte riuus aquas suas ne præcisus arescat. Redibunt omnes & Romanam ecclesiam uenerabuntur, si uolueris te Romanus pontifex, te Cæsar in primis carum habebit. Cumq; Ladislaus in regnum uenerit, te tutorem, te patrem appellabit, tibi maximas gratias aget, qui sibi pacatam prouinciam restitueris, erroribus expurgatam, pace quietã, ornatam moribus, fide feruentem. Consequerisq; non tu solus gloriam, sed & posteri tui & nati natorum, & qui nascentur ab illis: ob eam rem semper habebuntur honori. Eritq; memoria nominis tui sempiterna & fixus tuæ familiæ status, qui uera uirtute creuerit. Trãsiturus ex hac uita ad meliorem migrabis, lucidas sedes accipies beatitudinemq; perennem, immortalitate uestitus. Omnibus enim qui patriam ornauerint, auxerint, iuuerint, defenderint, certum est esse in cœlo diffinitum locum quo beati æuo fruantur sempiterno. Quod si uiam nosti, quo rectus ad unionem trames ducat, edoctum me redde. Nam sedem apostolicam certiorem reddam. Vos iam legato conuentum promisistis, & recte quidem. Nam boni cupidus est, & industrius pater doctrinaq; plenus. Inueniat, nisi fallor, conuenientes ad unionem modos: nescio tamen qua facultate præditus est. Quod si scirem desideria uestra, scriberem Pontifici Maximo, isq; prius quàm dies conuentionis adesset, de sua mente legatum commoueret. GEOR. Ago tibi gratias pater, quia nostri regni curam geris. Regnum, ut ais, quassatum compilatumq; est. Nouit Deus quorum culpa est. Nos cupidi pacis sumus, neque bellamus ut bellemus, sed ut pacem habeamus. Coacti gerimus arma, coacti uersamur in prælijs. Misimus olim legatos nostros ad Basiliense Concilium, nõnullaq; cum patribus, qui tunc ibi præsidebant, pacta percussimus, quæ si seruata fuissent, & cum sede apostolica, & cum cæteris Christianis pacem haberemus, & in regna nulla diuisio esset. Sed uiolantur fœdera nobis: Hæretici & scismatici uocitamur. Si qui ex nostris apud uos moriuntur, cum asinis sepulturam accipiunt. Clerici nostri quamuis docti modestiq; sint, nusquam consecrari possunt. Deridentur qui de calice bibunt. Fuit apud nos Cardinalis sancti Angeli legatus, adiuuerunt enim eum nostri sacerdotes, fui & ego cum eo. Petiuimus innouari firmariq; priscum fœdus: si nobis auscultasset, non secuta fuissent scandala quæ postea emerserunt, obaudiuit preces nostras de compactatis, sic loquebatur quasi nihil unquam accepisset de illis. Nos tamen illa ualida scimus, & autentica quæ generale Concilium nobis admisit, priusquàm dissolueretur ab Eugenio quarto. Quod si Nicolaus Pontifex Maximus nostri memor, nosq; sibi obsequentes cupit, iubeat seruari conuenta, & uenerabimur eum. Hic breuis est & unica pacis unionisq; uia, hac gradiendum est, hac iter ad concordiam patet. AEN. Mos hominum est ut paribus paria referant. Cur uiolari fœdus conquerimini quod priores rupistis?

Neq;

A Neque enim sufficit uobis sub duplice specie communicare, nisi & sub una sola communicantes damnetis. GEOR. Vbi damnamus? AEN. Cum dictis: Neminem saluari nisi communicet sub duplici specie. Nos omnes damnatis, hæreticos perditosque dicitis. Quod nimirum si uitium hæresis, in uos retorquemus. Tu conuentiones cum Concilio factas refers, & autenticas dicis autoritate Concilij probatas, audio libenter. Sed Concilium de communione utriusque speciei loquens, opinioni uestræ contrarium est: quia neque ad salutem necessariam esse dicit, neque Christi præceptum esse sub duplici specie communicari populum. GEOR. Si non est sub duplici specie mandata communio, ne sub una quidem. Nam qui sub specie panis communicari plebē iussit, & sub specie uini iussit, & in usum deduxit. AEN. Namque Christus apostolis, non plebi sacramentum præbuit. Sed non refert tempus ista discutere, sine me dicere quod institui. GEOR. Perge, ausculto. AEN. Si uoluerit legatus innouare pactiones uestras, quid miri est. Vobis indulta est sub utraque specie communicatio. Iussi tamen sacerdotes uestri sunt quotiescunque ministrant populo sacramentū, commonere atque instruere omnes ne sub duplici tantum specie, sed sub qualibet totum & integrum esse, Christum intelligant. Nihil faciunt. Prohibiti sunt infantibus atque dementibus eucharistiam porrigere: porrigunt tamen. Neminem communicare sub duplici specie debent: compellunt sepulturam negantes ni communicent, qui prius non habuit huius communionis usum, repelli ab his debet: ipsi autem inuitant, prouocant, urgent. Debent uniuersalis Ecclesiæ ritum tenere: postponunt, diuinis officijs uulgaria carmina commiscentes: pulchra obedientia, pulchra fœderis obseruatio, quæ prohibentur facere faciunt, quæ iubentur omnino postponunt. Cum ergo abutamini priuilegio & transgrediamini leges patrum, præuaricātes mandata Concilij, haud iure legatum accusatis compactata firmare nolentem, quia priuilegium amisistis male utentes. GEOR. In conuentionibus nostris cautum est, quamuis aliqui ritum qui generaliter obseruatur, non statim reciperent, non tamen pacis & unionis impediri fœdus. AEN. Vera dicis, non si omnes, sed si aliqui, dicunt fœdera, ritum ecclesiæ non reciperent, cōpactata manere. Quod si omnes abijcerēt ritus, ut omnes abijcitis, uigor conuentionibus aufertur. Rursus quoque de ritu fit mentio, non de fide. Nam si fidem uiolatis, quæ possunt inter uos nosque fœdera robur habere? At uos (quod pace tua sit dictum) fidem nostram abijcitis, dum necessariam populis sub duplici specie communionem astruitis. GEOR. Ignota sunt ista mihi, sed hoc dico tibi, nisi pacta seruentur, neque paci locus erit, neque concordiæ mentio. Quod si rursus arma sumpserimus, offeretis ultra pactiones ueteres, neque recipientur. Non sumus ut creditis pauci, multi sunt in uicinatu, qui nobiscum sapiunt: Nec aliud expectant, nisi ut exercitum educamus. Scitis quæ superioribus acta sunt annis: Papa si sapiet non disputabit, an perdiderimus priuilegia, ne uendicemus armis maiora. Arma tenenti omnia dat quæ iustè negat. Sunt fortasse qui magna promittunt, qui grandes pollicentur exercitus, qui uiam ad nos ense facturos se iactitant. Nos uicinorum mores uiresque nouimus. Ego si Papæ Consilium dederim, compactata seruauerim. AEN. Vt uideo, spem ponis in armis, & animum tibi priores uictoriæ congeminant. Sed uincunt sæpe mali, ut boni probentur. Non semper ueritati uictoria comes est. Alta nimis & incompræhensibilia sunt iudicia Dei, uicistis diu. Quid scitis si uester dies adest? Varius est euentus belli, neque tentanda sæpius est fortuna. Non is uobis fauor est qui prius fuit. Multi à uobis defecerunt, qui si exurgant contra uos pugna, & à fronte ferient, & à tergo. Nam uestram fidem irritam uident, quam prius Euangelicam sanctissimamque rebantur, & quā tunc fauore, nunc odio insequuntur. Sed mittamus hæc: tu pacem sola fœderum obseruantia stare putas. Mihi tribus ex rebus concordia pendere uidetur, ex compactatis, ut ais, ex bonis ecclesiasticis quæ occupantur, ex Archiepiscopi constitutione, quæ nec parua sunt, nec leuiter componenda. Nam compactata postquam uiolata sunt, rursus innouare magnum est. Qui bona ecclesiarum occupant, inuitè restituent. In Archie-

episcopo, uosipsi uim factis, qui Rochezanam petitis, neque alium uultis, quem, nisi me fallat opinio, nunquam sedes Apostolica ad id fastigij promouebit. GEOR. De cõpactatis dixi tibi quæ sentio: si durus erit Papa, durius regnum inueniet: nescio quis uincet. Scripturam scio quæ dicit: Si fortis in fortem impigerit, ambo corruent, neque uobis utilitati contentio erit. De bonis ecclesiasticis non est apud me grande pondus. Nam qui occupant, nullo se iure defendunt, neque his regnum fauet. Verum quia non nullis præscripta sunt hæc bona, & multa pro paucis iacent pignori, cum regni mos sit, quæ bona singulis annis quinque sexagenas habent census, ea centum sexagenis emi: hi autem pro centum sexagenis, & decem & uiginti, & amplius impignoratas habent: Compelli poterunt quos supra consuetudinem census occupant, hos ut e uestigio restituant, reliquos teneant donec redimantur. Sic mox ecclesiæ restaurabuntur, breueq; post tempus omnia uendicabunt. Vel si placuerit, melior modus inueniretur. De Archiepiscopo uero nescio cur nobis tantopere Papa sit aduersus. Cur nobis Rochezanam renuat confirmare, quem Sigismundo consentiente delegimus, & assistere sibi promisimus omnes? AEN. Sæpius ante quæstus es compactata conuelli, nunc tu solus es qui fœdera rumpis. GEOR. Quo nam pacto? AEN. In cõpactatis promisistis omnes seruare ritus uniuersalis ecclesiæ, præterquàm in communione calicis. Ritus autem Latinæ ecclesiæ, cuius uos membrum estis, hoc habet: Archiepiscopos autem eligunt capitula ecclesiarum autoritate apostolica confirmandos. Aut uacantibus eccles ijs Romanus Pontifex solus præficit. Vos alium ritum nouumq; modum inducitis. Postquam deuoluta est prouisio, electionem populariter facitis. Cumq; ritus Ecclesiæ sit examinare electionem, electiq; meritum Romani Pontificis iudicio comprobari. Vos nisi Rochezanam habueritis nullum uultis seruare: hoc est autem uiolare pactiones. GEOR. Si priuilegium regno est Archiepiscopum sibi eligere, cur nõ illud Papa seruauerit? AEN. Seruaret si quod esset. Sed uobis nulla est huiusmodi facultas. GEOR. Vetus consuetudo regni est, eligit Archiepiscopum, rogante Rege, capitulum, Papa confirmat. AEN. Non inficior, sed nunc neque capitulum elegit, neque potestas eligendi fuit, postquam diutinam uacationem, prouisione deuoluta, & persona, quam uocatis electam grauibus testimonijs infamatur. GEOR. Me iudice si Papa Rochezanam confirmaret, bonum opus efficeret. Multũ enim hic homo & Apostolicæ sedi, & regno & Regi Ladislao sua prædicatione consuleret. AEN. Potest fieri ut dicis: sed neque mihi, neq; ut arbitror Papæ suadẽda res est. Aliud tuum est, aliud nostrum, de hoc homine iudicium. GEOR. Veracem te iudico. Tot enim sunt qui Rochezanam quamuis iniuria criminantur, ut nedum mihi negare fidem arbitrer, sed neq; beatum Petrum audire Romæ putauerim, Rochezanæ fauentem. AEN. Amonet apostolus neophitum, ne quis episcopum assumat, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. At tuus Rochezana non nouus in fide, sed nullus est, qui sedem apostolicã suis sermonibus carpit, errareq; totã ecclesiã dicit, dum necessariũ omnibus fidelibus utriusq; speciei cõmunionem affirmat, & aliquas ueritates se habere cõtestatur quibus Romana ecclesia contradicit. Sed fallax est, & ueritas non est cum eo, qui ultra apud temerarios Pragenses sine diuina dispẽsatione se præficit, qui se præpositum sine ulla ordinationis lege cõstituit, qui negante Christi uicario episcopi sibi nomẽ assumit, atq; usurpat officiũ: cuius sermo ut cancer serpit, & auditorũ cordibus mortale uirus infundit. Sed non Põtificalis, sed pestilentia cathedra est, quã tuus occupat Rochezana magister erroris & artifex corrũpendæ uirtutis egregius, qui dereliquit fontẽ aquæ uiuæ, & effodit sibi lacus detritos qui nõ possunt aquã portare: loquar aperte quod sentio, nihil reticeo. Quo pacto Roman9 Põtifex huic tantã ecclesiam cõmendare potest, qui confundit apostolicã sedem. Qui maledicit toti Ecclesiæ? qui nouos ritus inducit? Qui nullo se subijcere uult examini? qui pacem domini discordiæ furore corrumpit. Qui cum uelit præesse quàm multis, nulli uult ipse subesse. Siccine lupo committemus oues? quid dicant cæteri de regno qui Romanam ecclesiam forti pectore & immobili corde huc

de huc

A de huc usq; secuti sunt. An non sic aggredi summum Pontificem possent si Rochezanā
promoueat? Cui nos, pater sancte, committis? Cui nos credis? Qui tibi fideles fuimus,
hosti nostras animas occidendas præbes? Nunquid apud nos est quē possis ecclesiæ no-
stræ præficere? Nos plures sumus siue nobilitatem regni siue plebem aduertis. Quid iu-
uat nostra fides? quid constantia? meliori loco apud te sunt, qui tibi aduersi fuerunt: hæc-
cine tuis fidelibus præmia reddis? Archiepiscopum illi habebunt qui communionē sub
duplici specie tueatur? Nos qui sub una communicamus orphani relinquemur? Non ar-
bitror Georgij fieri posse quod petis. Vana Rochezanæ, uana spes uestra est. Quod si
pacem quæritis, sinite illum. Nec sigilla uos teneant, quia promisistis assistere, satis est di-
ligentiam impendisse. Impossibilium nulla obligatio est. Nec uestrum est Papam coge-
re, sequemini ritus Ecclesiæ & aliorum Christianorum uos moribus coaptate: sic beni-
gnum papam, sic omnes uobis affectos inuenietis. Sic tranquilli feliciscq; regni bonis
in pace frui poteritis. GEOR. Places mihi quia neq; fictus neq; tectus es, sed quæ
corde geris ore profers. Ego tibi propemodum habeo fidem. Neq; de Rochezana spe-
randum esse amplius arbitror: in alios cura uertenda est. Quia tamen regni uoto electus
est ille, commonendus & inducendus erit electioni renuntiare: tunc alium ex apostolicæ
sedis clementia postulabimus. AEN. Facite ut libet, dum Rochezana desistat: quæ si
B respuerit, & humilitatem induerit, gratiam inueniet, & apostolici culminis benignitatē
experietur: quia non est abbreuiata manus eius. Et si tu rem hanc ad optatum perduce-
res finem, ut ante dixisti, & honoribus & præmio cumulaberis. Mea tamen sententia est
ne unum solū, sed Papæ plures uiros nominetis, ex quibus unū doctrina et uita probatū
possit eligere. Cæterū quia de cōmunione duarum specierū, deq; præcepto Domini ser-
mo incidit, neq; ocium est tāti sacramenti ministeriū nunc exponere quamuis disputata
Basileæ declarataq; tibi & omni Christiano sufficere debeat, qa tamen uestri sacerdotes
nondū conuersi sunt, suaq; malūt prudenter ingerere quā nostra patienter audire, cōsu-
lo tibi adueniente Ioanne de Capistrano docto sanctoq; uiro, quæ sunt apud te dubia, si-
bi exponito, & omnia tuæ mētis arcana patefacito. Nā si operā medicantis expectas, de-
tegēda sunt uulnera, inuenies si uolueris sanitatem. GEOR. De Rochezana cogita-
bimus quæ paci regnoq; couenıant. De Ioanne Capistrano quā primum ad nos rumor
uenit, decreui quæ nūc dixisti, & si nullus mones, facere. Neq; enim alta sentio, & timeo
ne offendam: neq; mihi confido, neque nostris sacerdotibus habeo fidem. Sed uale: nam
tempus est alia in manus recipere. AEN. Et tu uale, nostri sermonis memor. Sic facto
uerbis fine disiuncti sumus. Complura fuerunt inter nos dicta, sed hic sensus eorum est
quæ de rebus Ecclesiæ disputauimus. Et quamuis uerba non eadem fuerint, sententiam
tamen immutilatam inuariatamq; refero. Intellexisti quæ cum Georgio de Bodiebrat
C contuli: Non sunt, ut mea fert opinio, parui ponderis. Nam Georgius apud Bohemos
magnum nomen habet & potens est, & illius partis quæ sub duplici specie communi-
cat, & multi ex alia parte in rebus bellicis iuncti sunt ei. Si quis est qui ciuitates ad unio-
nem trahere possit, Georgius est. Sed transeamus nunc ad alia. Postquam soluta
congregatio est, accessit nos Henricus de Rosenberg, dixitq; se patris scripto moni-
tum, ne quo pacto domum redeat nisi & nos secum adducat. Onerauitq; nos mul-
tis precibus, extorsitque tandem ut secum iremus. Cum prope Taber iter facere-
mus, essetq; hora prandendi, exeuntes Taboritæ Henrico ut ad se diuertat secumq;
prandeat preces accumulant. Is quærit ex me iturus ne sim, Dico nolle me ampli-
us apud hostes fidei diuertere. Tristatur Henricus: Nam & uisere ciuitatem cupiebat,
& me solum relinquere non audebat, & accusabant me omnes durumq; dicebant &
inurbanum & agrestem, qui nollem nobili domino morem gerere. Tum Procopius,
Quin tu, inquit, ingrederis ciuitatem? Nunc ea facultas erit dicere quæ prius uoluisti.
Nunc tuæ conscientiæ satisfacere poteris. Monuerūt me uerba Procopij, intrauiq; ciui-
tatem et neq; comedi quicquā illic neq; bibi. Repetiui tamen uetus hospitiū, ibiq; mansi
dum cæteri prandebant: uixq; curru descēderam cum sacerdotibus opidi ad me uene-

rant. Nicolaus quem dicunt episcopum, plenus ducum malorum, Ioannes Galeth, qui D nuper ex Polonia fugerat ignem timens, & Vuenceslaus Toranda uetus diaboli mancipium, qui sacramentum altaris solam figuram significationemq; esse contendit. Cum his fuerunt scholares & ciues plurimi Latinũ edocti sermonem. Nam perfidum genus illud hominum hoc solum boni habet quia literas amat. Horum consultatio in hunc ferè modum fuit qui præscriptus est. Gaudemus pater, quia ciuitatem nostram introisti, nosq; uisere dignatus es: suscipimus te libentibus animis utq; nostris bonis utaris cupimus. Cum prius hic fuisti non te accessimus, quia non eramus præsentes. Nunc cum te uidemus, precamur aliquid nobis consolationis edisseras, fructumq; ut nobis aliquem tuus aduentus pariat. Tunc ego datam mihi occasionem loquendi lætus arripui, dixiq; illis: Quod me uoluistis accedere, resq; uestras obtulistis, urbana res est, & digna suscipiendi. Sunt enim hospites & omni humanitate fouendi, sicut apostolus ait, hospitalitatem autem persequentes, neque sine causa uerbum persequi adiecit, ut non leui & usitato sermone, atque ut ita loquar, summis labijs hospites inuitemus, sed toto mentis ardore teneamus, tanquam offerentes se de lucro nostro atque compendio. At ego hic non facio prandium, neque cibum ad noctem usque recipiam. Quia uero consolationem ex me queritis, loquar uobis quæ mihi consolatoria uidebuntur, eritq; sermo meus non in sublimibus humanæ sapientiæ uerbis, sed in sinceritate cordis E puroq; mentis affectu: sobrietatis & ueritatis sensa depromam, utinam recipiantur uerba mea sicut à me proferentur animo bono. Quibus dicentibus, & audire libenter & audire uelle, Iussi eos considere, cupiens certare fortiter, sacramenti mei memor et fidei. Cætera quæ sequuntur, quia dialogi formam habent, seruabo quem supra ordinem cœpi. Tu si aures adhibueris, & ineptias nostras audies, & inter audaces senes puerilem pugnam spectabis. Aeneas: Optatis ex me uiri Taboritæ consolationem audire. Est igitur aliquid quod uos premit? Nam miseros tristesq; consolari non beatos solemus, At cum uideo uos in ciuitate munita bonis temporalibus abundare, pacem cum uicinis habere, fruiq; sanitate. Nescio cur uobis consolatione sit opus, nisi fortasse in his quæ fidei sunt uacillatis, & affligit spiritum uestrum dubitatio? Quod satis mihi uerisimile est. Namque cum multis in rebus ab uniuersali Ecclesia discordetis, necessarium est nutare credulitatem uestram, & animos tristari uestros. Quod si consolatoria propterea uerba desideratis, obsequar petitioni uestræ, certumq; solamen ostẽdam. Dubia quæ uos cruciant ex sacris literis oriuntur: neque enim scriptura unquam ulla sic aperta claraq; fuit, ut in diuersos flecti sensus nequiret, traxeruntq; sacris ex codicibus ortum omnia quæ ab initio surgentis ecclesiæ usque nunc fuerunt scismata. Sed norat hoc futurum Deus: Idcirco cum per famulum Mosen Israhelitico populo legem dedisset, & quid sectandum, quidue fugiendum esset manifesta serie scripsisset, sciens tamen futuros esse qui legi suæ dissonos sensus accommodarent, consulturus futuro seculo, & F obicem positurus hæresibus supremum tribunal in terra constituit, ad quod maiores causæ & omnes afferri dubitationes de lege deberent. Ait enim in Deuteronomio Dominus. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & iudicium interportas, uideris uerba uariare, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus ueniensq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore et quæres ab eis qui indicabunt tibi iudicij ueritatem, & facies quæcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram uel sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël. Sic ueteris testamenti sequacibus Dominus imperauit, ne quis sua seductus opinione, scindere populum peregrinasq; religiones introducere posset. Nam qui ambulant in errore cordis sui, uenient super eos mala. Sed nec Christus Dominus nouæ legis cõditor, ueritatis magister, & salutis in

A uentor, superni refugium tribunalis omisit. Elegit enim Petrum, et in Petro cæteros Romanæ sedis antistites, qui post eius in cœlum ascensionem uicariatū tenuerunt, & in Ecclesia primum locum. Cum claues regni cœlorum illi promisit, ac ligandi soluendiq; potestatem, & tandem pasturam gregis commisit dicens: Pasce oue meas. Cur hoc? Quid tunc opus erat Petrum fieri pastorem? claues regni tenere? principatum accipere? Christi uicariatum gerere? nisi ut errantes reduceret, ignaros instrueret, timidos roboraret, pertinaces eliminaret, fidelibus subueniret, hæreticis repugnaret. Si iusti essemus ac nostro ingenio uerum uideremus, & sequeremur omnes, neque lege neque principe opus esset. Sed quia insurgunt ingenia pernitiosa quæ doctrinas pestiferas seminant, fundunt que uenena lætalia, & occidunt credulas animas, necessaria fuit supremi tribunalis erectio, quod inter leprā et lepram iudicaret. Hoc autē est apud apostolicā sedem, quæ cardo & caput, ut factum est à Domino, & non ab alio est constituta fidelium. Et sicut cardine ostium regitur, sic ecclesiæ Domino disponente, reguntur: atque ut Calixti Papæ sanctissimi uerbis utamur, Nulli dubium est quod apostolica sedes mater sit omnium ecclesiarum, à cuius nos regulis nullatenus conuenit deuiare, Vos igitur Taboritæ si qua uos fidei dubitatio tenet, consulite Romanam ecclesiam, audite uicarium Christi. Facite quæcunque dixerint uobis qui præsunt loco, quem Dominus elegit. Dicite cum E-
B saia: Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias & ambulabimus in semitis eius. Quis est mons Domini nisi apostolica sedes? Quæ domus Dei nisi ecclesia? Quis locus electus à domino nisi Roma? quam beatorum Petri & Pauli martyrium consecrauit. Fugiebat Petrus ex urbe mortem timens, sed cum obuium habuisset in uia Dominum, dixit ad eum. Domine quo uadis? & Dominus sibi: Vado Romam iterum crucifigi. Sic reuersus Petrus cathedram summi pontificatus erexit, ubi crucis patibulum subijt. Huc ergo recurrendum est: hinc doctrina sumenda est: hinc ueritatis hauriendi latices: Hic fons aquæ uiuæ signatus scaturit: hic hortus conclusus: hic arca Domini extra quam omnis salus resilit. Non pudeat uos Taboritæ quæ de fide sentitis apostolicæ sedi referre. Nam Paulus uocatus è cœlo, segregatus in euangelium Christi, securitatem non habuit euangelium prædicandi, nisi Petri & cæterorum apostolorum qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum. Ea propter ad Galathas scribens: Iterum, inquit, ascendi Hierosolymam cum Barnaba assumpto Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum eis euangelium, seorsum autem cum his qui credebātur aliquid esse, ne forte in uacuum currerem, aut cucurrissem. Et diuus Hieronymus doctrina plenus & omnem scientiam callens, cum fidei scripta dictasset ad Damasum, hæc est, inquit, fides Papa beatissime, quā didici in Ecclesia, quamq; semper tenui. In qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, emendari à
C te uolo, qui fidem Petri tenes & meritum. Sic & uos facere Taboritas exhortor. Ostendite uos & doctrinam uestram Romano Pontifici: facite quæ iusserit, neq; ad dextram neq; ad sinistram declinantes. Sic consolationem spiritus, sic animæ uestræ quietem assequentur & salutem. NICOL. Obediremus apostolicæ maiestati & omni deuotione subiecti essemus, nisi legi diuinæ contraria iuberet. AEN. In his quæ sunt fidei, nunquam reperta est apostolica sedes errasse, aut adulterinis acquieuisse dogmatibus. GAL. At fuit in Agnete manifestus error. AEN. Quam tu mihi Agnetam commemoras? GAL. Quam Romana sedes fœminam pro mare coluit, & in apostolatus apice collocauit. AEN. Istic neque fidei neq; iuris error, sed ignorantia facti fuit: Neque certa historia est. NICOL. At plures Romani Pontifices criminosi fuerunt, qui nunc dant apud inferos pœnam. AEN. Nescio, si quis tamen peccasse compertus est, fragilitate deceptus, more hominum lapsus est. Sed hoc ausim dicere, Romanus præsul indubitatus nemo unq̄ inuentus est falsæ doctrinæ publicus assertor. NICOL. Sæpe Romanus Pontifex legem præcessoris euertit, aut unus ergo aut alter errauit. AEN. Inanis argumentatio tua est. Licet enim uetus decretum, nouus Papa deturbet, tamē primi cōditoris sententiā reprobat. quoniā secundū tēpora leges uariātur humanæ

Neq;

Neque enim quod ſemel utile fuit decretum, ſemper utile perſeuerat. Non errauit Eccleſia primitiua quæ ſacerdotibus permiſit uxores. Nec errat moderna quæ ſubtrahit. Et uos quamuis multis in rebus Romanam impugnatis eccleſiam, coniugia tamen præsbiterorum abijcientes, neque primitiuam Eccleſiam, neque Græcam ſed noſtram ſequimini. Quia uero mores hominum tempore uariantur, decreta quæ ſuper his promulgantur, perpetua eſſe non poſſunt, ſed utiliter ſæpe conſcripta lapſu temporis uertuntur ad noxam: ex quo fit ut alteruter ſit commendandus, & quæ prius edidit, & qui poſtea decretum abrogauit. Moſen nouimus mandato Domini ſerpente æneum fabricaſſe, quem Chriſti figuram fuiſſe doctores noſtri teſtantur. Hunc tamen Ezechias longo poſt tempore ſine culpa deſtruxit. Sic & Romanus præſul anteceſſoris ſui legem ſuper moribus editam & abſque ſuo poteſt & abſque illius erratu caſſare. Quod ſi lex fidem reſpicit, & aliquid in fide declarat, immutabilis eſt. Nam uerũ fidei ſemper eſt unum, nec ullo poteſt uel loco uel tempore uariari. Ideo decreta quæ ſunt de fide à ſanctis patribus inſtituta, ſumma ueneratione recepta ſunt & immutata, atq; inuiolata perdurãt. GAL. Pergis Romanam eccleſiam ab errore defendere? In caſſum laboras. Nam contra euangeliũ Chriſti prædicat atque agit. AEN. Vbi namq;, quibus in rebus? GAL. Vbiq; gentium, & in altaris ſacramento. AEN. Quo pacto, effare. GAL. Porrigi calicem populo uetat, Chriſtus iuſsit. AEN. Oſtende ubi iuſsit? GAL. Apud Ioannem inquit Dominus. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem habebitis uitam in uobis. Qui manducat carnem meam & bibit meum ſanguinem habet uitam æternam. Magna eſt audacia ne dicam temeritas apoſtolicæ ſedis quæ potum ſanguinis populo ſubtrahit, ſine quo negat dominus habere uitam æternam. Sed accipe nunc in natali magni huius ſacramenti quæ fuerunt Chriſti uerba? Mathæus ſic rem geſtam exponit: Cœnantibus autem illis accepit Ieſus panem & benedixit, & fregit deditq; diſcipulis ſuis & ait. Accipite & comedite hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Videtis ut imperat omnes bibere? Sed audi Marcum: Et manducantibus illis, ait, accepit Ieſus panem & benedicens fregit & dedit eis & ait: Sumite hoc eſt corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes: & ait illis hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti qui pro uobis effundetur. Lucas primo uero ſic ait: Et accepto pane gratias egit, fregit & dedit eis dicens: hoc eſt corpus meum quod pro uobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens: Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine qui pro uobis effundetur. Oſtendunt euangeliſtæ, ut uides, quia iuſsit Dominus facere quod ipſe fecit, uerbo uſus imperatiuo facite. Quod ſi quis exiſtimat circa priorem duntaxat ſpeciem ſtare præceptum Domini, ſicut Lucas teſtari uidetur, audiat ad Corinth. Paulum: quid ille? Ego enim accepi à Domino quod & tradidi uobis, quoniam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem: Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotienſcunq; biberitis in meam commemorationem. Supplet apoſtolus Paulus quod euangeliſtis defuiſſe uidetur, præceptũq; non panis ſolum ſed calicis quoque ſubiunxit. Et Matthæus circa panem: Comedite, inquit & circa calicem, bibite, quæ ſunt uerba præceptionis. Cum ergo Paulus & euangeliſtæ ſimul iuncti, manducationis præceptum & bibitionis oſtendunt, quis Romanam huius mandati uiolatricem nõ uidet? quæ populo Chriſti ſanguinem interdicit, uiamq; ſalutis occludit? His accedit ſanctorum apoſtolorum & aliorum obſeruantia diſcipulorum, qui nouæ legis ſenſum nõ ab homine, ſed ab ore Domini didicerunt. Quorũ actio noſtra inſtructio eſt, quos erraſſe nephas eſt opinari. Græcia quoque literarum mater & omnis diſciplinæ magiſtra, traditionem Pauli immutilatã hucuſq; ſeruauit, qui panis edendi

A edendi bibendiq́ calicis autor illi fuit, sicut eius ad Corinthios scripta manifestant. Sunt præterea nonnulli doctores, qui Ioannis textum ad nostrum sensum accipiunt, & Leonem Papam statuisse tradunt, ut qui sacramenti suscipiat unam speciem, à calice non abstineat. Quomodo igitur Romanam ecclesiam consulere & uocem eius audire seruareq́ legem possumus? quæ tam manifeste diuinis contradicit oraculis? Nunquid Deo magis obedire oportet quàm hominibus? Christo quàm papæ? Euangelio quàm decretalibus? AEN. Multa & magna sunt quæ dixisti. Nam & fucum ueritatis habẽt, & multos decipere possunt, qui sacræ scripturæ sonum audientes, sensum negligant, cuius mysteria non uerbo docentur, sed spiritu reuelantur. Idcirco reuela, inquit, Dauid, oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua. Nemo scripturam, nisi spiritu sancto docente, cognoscit. Hinc Paulus, ministros, ait, fecit nos Deus noui testamenti, non litera sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem uiuificat. Est ergo necessarium si uoluerimus euangelium intelligere, ut spiritu ambulemus, sicut ad Galathas doctor gentium scribit: Verum ego quia peccator sum & iniquitate circumdatus, non credo mihi, neq́ me puto sacra eloquia intelligere, & altos percipere sensus. Ea propter responsurus tibi nihil de meo, sed quæ sancti doctores diuino afflati spiritu tradũt, & quod docet Ecclesia dicam. Nam sibi assistit Christus, & suggerit omnia spiritussanctus. Cuius maxi-
B ma dignitas est, summa potentia, immensurabilis autoritas, quæ neque fallit neq́ fallitur. Quam si quis docentem corripientemq́ contempserit, ut ethnicus et publicanus habendus est, atque, ut Cypriani clarissimi & doctissimi martyris sententiæ consonemus, alienus est, prophanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Plurima sunt sacri codicis uerba, quæ diuersis accommodari sensibus possunt. Quapropter nõ alienum aut extraneum foris sensum quærere debemus, quem scripturæ testimonio confirmemus. Sed ab ipsa scriptura recipiendus est sensus ueritatis, quem sola nouit & suis filijs exponit Ecclesia: teneo te fortassis nimis, perstringo sermonem, sed ad rem propero. Accusasti Romanam ecclesiam quæ dum communionem calicis plebi denegat, euangelium uitiat, Christum negat, salutem adimit. Quatuor sunt ut uideo quæ non te solum, sed omnes mouent, quos Hussitarum opinio ne dicam rabies ab Ecclesia Romana seiunxit. Primum est, Ioannis testimoniũ: Secundum est institutio sacramenti per tres Euãgelistas relata cum Paulo: Tertium est Ecclesiæ primitiuæ Græcorum praxis. Quartum est nonnullorum doctorum ac Romanorum pontificum autoritas. Sunt ad hæc omnia nobis parata ac clara responsa, quæ de penu spiritussancti recipit & ministrat mater Ecclesia. Negat Ioannes, ut ait, imò negat apud Ioannem Dominus uitam esse cuipiam, nisi carnem suam comederit & sanguinem eius biberit. Quibus uerbis non minus utriusque speciei communionem, quam baptismatis
C undam mandatam censes. Vetus hæc Armenorum insania fuit, qui natos ut in lucem ueniebant, mox baptisatos, mox altaris sacramento reficiebant, quod & uos aiunt facere, qui dementes atque infantes ad eucharistiæ libamenta uocatis, inhonorantes diuinissimum sacramentum communionemq́ Pauli despicientes, qui ad Corinthios scribens ait: Probet seipsum homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quomodo se paruuli & demẽtes probare possunt, quibus nec certus nec uerus rationis est usus? Sed non est in euãgelio Ioannis quem sibi sensus ascribitis. Non bibitio sacramentalis illic præcipitur, sed spiritualis insinuatur. Nam sanguis Christi triplicem potum Alberti Magni sententia tradidit, in eo sermone quem de Christi corpore non minus subtiliter quã ueraciter edidit. Est enim potus sacramentalis quem soli sacerdotes accipiunt. Est intellectualis, qui plebibus Christianis sub specie panis ministratur. Et est spiritualis quo saluandi omnes utuntur, incarnationẽ passionemq́ Domini pia & assidua meditatione recolentes. Et hãc bibitionẽ Dominus apud Ioãnẽ præcipit, sicut uerborum Euangelistæ series luculenter ostendit. Nam cum dixisset Dominus: Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Qui manducat meam carnẽ, & bibit meum sanginem, in me manet, & ego in eo. Multi audientes ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurauerant

de hoc

de hoc discipuli eius dixit eis: hoc uos scandalizat? Si ergo uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. Spiritus est qui uiuificat, caro nō prodest quicquam: Verba quæ ego locutus sum uobis spiritus & uita sunt: Sed sunt ex uobis qui non credunt. Declarat Dominus his uerbis, non carnalis esus aut potus illic, sed spiritualis arcana mysteria contineri, dum ait spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Et iterum, uerba quæ locutus sum uobis spiritus & uita sunt. Vis aperte cognoscere quoniam de spirituali manducatione quæ fit per fidem loquitur euangelista, aduerte quæ dicit Dominus Qui manducat & bibit, instantis non futuri temporis sunt uerba. Erant igitur dum sic loqueretur Dominus, qui manducabant & qui bibebant eum. Nondum passus Dominus erat, nec adhuc institutū fuit sacramentū. Quomodo ergo manducabant bibebātq; Christum, nisi spiritualiter per fidem & charitatem credentes in eum & facientes opera eius? Nā & prius dixerat ego sum panis uitæ, qui uenit ad me nō esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquā. Qui credebant in eū & opera sectabantur eius, hi carnem edebant eius, hi potabant sanguinem. Atq; hic uerior est Euāgelij sensus, quia aliter edi caro, aut bibi Christi sanguis non poterat. Fuit enim figurata locutio Domini, sicut & Samaritanæ, & in cruce sitire se dixit, quia fidem illius & nostram salutem sitiebat. Sic glosator intelligit hoc euāgelium: Sic magnus Augustinus doctrina & uerecundia iusta nobilis, cuius tanta gloria est, ut nullius laudibus crescat, uituperatione minuatur, quo postposito, si quis Vuicleff Rochezanamq; sequitur, luci tenebras, ueritati mendacium præfert: quid plura? Nonne Dominus in textu euāgelij dicit? Ego sum panis uitæ qui ueniet ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquā. Eccū tibi panem, cibus & potus est qui esuriem tollit & sitim. Cui tollit & quomodo. Credenti tollit, per charitatem tollit. Nam qui fidem rectam habet, & opera facit digna fide, hic est qui carnem Domini manducat & sanguinem bibit, & acquirit uitam æternam, mundo mortuus, Christo uiuens. Sic quod de Ioanne uobis assumitis, nostræ sententiæ non uestræ confert. Nunc ad reliquos Euangelistas trāseamus, hisq; Paulum adiungamus. Nam simul omnes integrā referunt cœnam Christi, & quamuis in uno plus quā in altero sit, nulla tamen discordia, nulla dissonantia est. Sed quod unus obmisit, alter admisit. Et quamuis euangelistarum nullus dicat, hoc facite in meam commemorationem nisi solus Lucas, qui post panē benedictum hæc uerba ponit, nec post calicem geminat, tamen quia Paulus hoc ad utrāq; speciem repetit, tenendum est, & post panem & post calicem dixisse Dominum, hoc facite in meam commemorationem. Ex quibus uerbis præcepta tibi utriusq; speciei communicatio uidetur. Et quia præcepta Christi seruanda sunt, his qui salui esse uolunt, quicunq; sub specie panis et uini non acceperit sacramentum, damnationem incidit, & iniusta est apostolica sedes huius inimica præcepti. Sed audi respōsionem: Fateor sic locutos, ut dicis, euangelistas, neq; uerbis Pauli quicquā demo: Non tamen idcirco esse præceptum intelligo sub specie panis & uini cōmunicari plebes. Nam uerba quæ retulisti non omnibus fidelibus, sed apostolis solum dicta fuerunt. Quia, ut est communis sententia doctorum, aut iam sacerdotes, aut tunc sacerdotium acceperunt. Quod si præceptum id est, hoc facite in meam commemorationem, præceptum hoc non sacerdotes, non plebē obligat, ecclesiamq; simul collectam, non quodlibet Ecclesiæ membrum respicit, atq; ut tecum neruosius agam & argumentationibus fortioribus utar, aut sacerdotes erāt apostoli quando mandatum hoc acceperūt, & ad id soli sunt obnoxij sacerdotes: aut adhuc erant laici, & tunc non sumere tantum sed conficere quoq; sacramentum laicis est præceptum. Sed hoc tam uobis quā nobis absurdum est. Ergo sacerdotes erant, & sacerdotes tantum præceptio ligat. Galeth. At Paulus ad Corum. non sacerdotibus solum sed uniuersæ plebi, clericis, laicis, maribus, fœminis scribit. Aeneas. Nō mandat illic Paulus, sed Domini mādatum refert, & rem gestā, & quomodo sacramentū instituit Dominus exponit. Cumq; nullus euangelistarū uerba illa, hoc facite in meam commemorationē, post communionem calicis ponat, notādum est quomodo Paulus loquatur. Quid, ille post panis sacramētum, inquit, hoc facite in meam cōmemorationem, post calicem aūt: hoc facite quotienscūq; biberitis in meā commemorationē. Additur hic quotienscūq; biberi-

A biberitis. Quid sibi uult hoc, quotiescunq; biberitis, inquit, facite: hoc est, quãdo necessarium erit de calice bibere, quando conficietis, quando sacrificium offertis, hoc facite in meam commemorationem. Quod solis sacerdotibus conuenit. Duobus namq; modis hoc diuinissimum sacramentum consideramus, ut sacramentum solum, ut sacrificiũ et sacramentũ. In sacrificio utraq; species exigitur, quia imago est illius sacrificij, in quo Christus assistens pontifex futurorum bonorum peramplius & perfectius, tabernaculum nõ manufactum, id est non huius creationis seipsum pro nobis sacrificium obtulit Deo patri in ara crucis. Ideoq; non solum repræsentari dicitur Christus passus, sed etiam quoq; passio Christi in qua sanguis fuit à corpore separatus referẽda. In puro autem sacramento quod ad sanctificationem nostram requirimus, ut inuisibilis gratia sub uisibili specie nobis tradatur, sufficit repræsentatio Christi passi, quæ panis species abũde refert. Quia & Dominus grano & tritici se comparauit, qui mortuus est, ut multum fructum afferret. Atq;, ut altius de tanto sacramento loquamur, triplex est (ut ait noster Aquinas sanctus & profundissimus doctor) huius excellentissimæ rei significatio, triaq; tempora respicit. Ex præterito significat nobis Dominicam passionem, uocatur sacrificiũ. Ex præsenti refert ecclesiasticam unitatem, & communio dicitur. Ex futuro præsignat Dei fruitionẽ quã præstolamur in cœlis, & appellatur uiaticũ, quia uiã præbet ad patriã: & secundum hoc etiam eucharistia, id est, bona gratia nuncupatur. Et sacerdotibus quidẽ sacrificium
B conuenit, cæteris uero communio atq; uiaticum, in quibus species panis est sufficiens signum, quia ex multis granis conficitur & pulchre denotat ecclesiasticam unitatẽ, & illum panem angelorum quo fruemur in cœlesti Hierusalem. GAL. Multa prouoluis & à propositæ questionis statu longè recedis. Hoc facite, inquit Dominus, id est conficite, ut ego, sacramentum sumite uobis, bibite & alijs date hic nodus est, hæc uis. AEN. Pulchre de nodo locutus es. Nam tu nodum in scirpo quæris: sed non est hic nodus, quem ferunt Alexandrum in curru Gordij reperisse, quem cum soluere manu non posset, ense recidit. Facilis est huius solutio nodi. Neq; enim inquit Dominus, quomodo ego feci, sic uos facite. Sed hoc facite, id est hoc sacramentum conficite in meam commemorationem. Quod si notam præcepti sub illis latere uerbis affirmas, Accipite & comedite & bibite, dico quod prius ad sacerdotes mandata referri debent, quia tunc apostoli sacerdotium susceperunt. Cæterum sicut mandatum illud: Euntes prædicate euangelium omni creaturæ, sic est istud. Suscepit Ecclesia non ab omnibus, sed ab electis ministris ac sacerdotibus exequendum. Sic doctores intelligunt uerba Domini, sic sancta Ecclesia docet. Quod si Christus his uerbis communionem calicis etiam laicis imperasset, non solum Bohemis, sed alijs quoque gentibus per tot annorum curricula reuelatum fuisset. Sed nulla schola hoc sentit, nulla ciuitas probat, nulla extra Bohemiam col-
C legia tenent. Mirabile dictu est, si multa fercula, et mixta ceruisiæ uina, & longissimi somni melius uobis scripturã exponunt quàm cæteris abstinentiæ atq; uigiliæ. GAL. Male nos arguis. Non enim nostram sed apostolorum doctrinam Græcorumq; sequimur. AEN. At illi non dixerunt damnatos esse populos, qui de calice non acciperent. Nec nos ad omnia tenemur quæ in ecclesia primitiua patres egerunt. Complurima illi quæ ad perfectiones statum pertinebant, tanquam perfecti obseruabant. Nec enim quicquã proprij possidebant, sed, ut in actibus eorum Lucas ait, omnes qui credebant erant pariter & habebant omnia communia, possessiones & substantias uendebant & diuidebant illa omnibus prout cuiq; opus erat. Nos autem non cogimur omnia uendere, & tamen saluamur. Illi carnem cum sanguine non edebant, nos comedimus & non damnamur. Illis uxores fuerunt, nobis desunt & magis meremur. Illi populum à communione calicis non prohibebant, nos arcemus & meritum inde recipimus, obediẽtes Ecclesiæ quæ communionem sub specie uini subtrahendam multitudini monente spiritusancto decreuit, dicente apud Ioannem Domino: Paracletus autem spiritussanctus quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia & suggeret uobis omnia quæcunque dixero uobis. Cum enim ex præcepto Christi non sit communio calicis in populo, quis non uidet in hoc sicut in cæteris quæ Dominus expresse non iussit, Ecclesiæ standum esse iudi-

 cio.

cio. Cuncta enim quæ sub præcepto diuino non cadunt, regentis Ecclesiæ sunt dispositioni commissa. Cuius mandata tanquam diuina recipienda sunt & omni deuotione complenda, quando præcepto Dei non sunt aduersa, uel utrum sint aduersa non est certa cognitio. Sed nec tu tibi de Græcia blandiaris, quamuis enim non errant Græci uetustam consuetudinem obseruantes, non tamen uobis excusatio est qui sub Latinis nati educatiq; moribus, laudatum, securum, purum ecclesiæ Romanæ ritum, autoritate propria reiecistis, quamuis ordinationem eius siue consuetudinem longo usu probatam infringere peccatum transgresionis existat. Nec scio quid uos in hac re Græcam magis quàm Latinam ecclesiam imitari compellat. Latinus certe senatus & mundius & rationabilius & cautius agit quàm Græcus. Nam tribus de causis calicis potum plebibus interdixit: Prima, ne rudis populus sub duplici solum specie contineri Christum putaret. Altera, ne quod est liquidum multum attrectatum manibus effunderetur in terram. Quemadmodum nuper in Praga factum referunt, ubi puerulus uix anniculus ab ubere matris ad sanguinem Domini raptus, calicem ex manu minus considerati sacerdotis arripiens, sacramentum sparsit in humum. Tertia, ut impleretur figura ueteris legis. Quæ licet populo ministrari de sacrificio iuberet, libamina tamē solis sacerdotibus Leuitisq; reseruat. Quid est quòd Græcam ecclesiam tantopere laudatis? An non Latinam ecclesiam multo florentiorem esse quàm Græcam cernitis? & nostram longe lateq; dominantem, illam Mahometi cultoribus seruientem? hanc uno sub capite gubernatam, illam multis scismatibus implicatam? hāc templis sublimioribus exornatam, illam omni splendore nudatam? hanc semper recta dogmata prædicantem, illam sæpius errori consentientem? Nolo cum Cicerone dicere: Romanos aūt nihil à Græcis suscepisse, aut ab eis recepta fecisse meliora. Laudo & magnifacio Græcos ex quorum fontibus nostri maiores hausere doctrinam. Sed consenuit Græcia: frigida est & non habet qui calefaciat eam. Facta est sub tributo domina gentium, & quæ fuit Asianorum magistra, nunc est discipula Latinorum. Quid est quod uos Bohemos sub norma Latina nutritos in communione calicis græcari compellit? Cur non cæteras quoque Græcorum obseruantias amplectimini? Cur non panem fermentatū consecratis? Cur religiones monachorum, quas illi recipiunt, aspernamini? Cur uestis ornatus, ut illi, sacrificantes non recipitis? Cur non coniugio copulamini quod cum Græca potestis, & cum primitiua Ecclesia facere non decet. Vos partim Græcos partim Latinos esse, aut calidum fieri oportet aut frigidum. Sed agite quod in rem uestram est: Nolite plus sapere quàm oportet: Audite docentem matrem: Amplectimini legē Ecclesiæ quæ sancta est & honeste condita: Nolite putare semper apostolos aliosq; Christi discipulos cōmunionē calicis accepisse, quia post Christi passionē de calice rarus de pane frequēs habetur sermo, ut est illud: Cognouerunt eum in fractione panis: & in actibus apostolorum: Frangentes circa domos panem. Et iterum, perseuerantes in fractione panis. Quibus in locis nullam reperimus de uino mentionem, Sed nec moueri debetis quod nonnulli doctores de communione sacramentali loquē te s, illamq; populo suadentes Ioannis uerba recipiunt. Neque enim propterea illius loci uel talis uerus est & proprius intellectus, sed ex quadam similitudine consonantiq; ratione trahitur inde sensus magis quàm ducitur. Et licet doctoribus oratorio more loquentibus nunc figuris, nunc translationibus uti, ex quo fit ut sæpe de signo loquentes transeant ad signatum. Sed plurimum interest an determinando docentes an persuadendo commouentes loquantur. Et aduertendum est quod & si plerique doctores incidentur uerba Ioannis ad sacramentum altaris referant, in continua tamen expositione nullus id agit. sicut in libro quem de textura euāgeliorum scripsit Zacharias Chrysopoletanus affirmat. Quod autem de Leonis decreto cōmemorasti, nihil impedit nostri propositi cursum. Namque cum Manichei Leone sedente Christum nō uero corpore sed Phantastico et sine sanguine uestitum prædicarent, neque resurrectionem eius crederent, neque diem Dominicum sanctificarent. Sumentesq; Christi corpus sub specie panis ut suum palliarent errorem, potum calicis rennuerunt. Obuiaturus tantæ nequitiæ Pontifex statuit ut qui sub una specie communicasset, ab altera non abstineret.

A stineret. Sic plurima sæpe statuta sunt ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore quæ considerare oportet, qui de illis iudicant ne prius inculpent quàm intelligant, prius arguant quàm sensu perquirant. At cum hodie alius sit rerum status, cum uestri nostriq; progenitores sub una specie communicauerint, cum multi doctores ab Ecclesia recepti & in catalogo sanctorum conscripti miraculis choruscantes, retinendum plebi calicem dicant, cum Latina ecclesia id seruet, doceat, mandet, suadeo ut uos illi obtemperetis, custodiatisq; legem matris, ut addatur gratia capiti uestro & torques collo uestro. Sicut Salomonis uerba promittunt his quæ sunt matribus obsequentes. NICOL. Est ne ullum apostolicæ sedis aut generalis concilij decretum, quod laicos sub utraque specie cõmunicare prohibeat AEN. Vultis obtemperare si decretũ ostendo? NICOL. Obtemperabimus, si non erit legi diuinæ contrarium. AEN. Lex diuina nulla est, cui talis sanctio posit esse contraria. NICOL. Tibi sic uidetur, nobis longè alia sententia est. AEN. Vos communionem duplicis speciei de præcepto Domini dicitis: nos contra. Cui magis credendum est, uobis an sedi Romanæ? NICOL. Ei credendum est cui scriptura diuina suffragatur. AEN. At uos dicitis legem diuinam sentire uobiscum: nos contra quod non. NICOL. Quæ uerbis diuinæ legis propinquior est, hanc fidem digniorem puto. AEN. Quid si est hoc dubium, quis obtinebit? NICOL. Christus dominus iudicabit. AEN. Nullum ergo, ut intelligo iudicem, nul-
B lum in terra superiorem uultis qui res dubias diffiniat? Sic neque Romanum Pontificem caput esse Christiani populi creditis, neque militantem Ecclesiã honoratis, quamuis est magistra fidelium, doctrix ueritatis, inimica mendacij, mater nostra quæ nos Christo regenerauit, et alit atque nutrit in fide. Quod si uos aliud non moueret, uestra uos paucitas exterrere deberet. Quot enim estis qui aduersus uiuos innumerabiles, & mortuos infinitos linguas acuitis? Tota Christianitas contra uos est, & tamen à sententia non receditis? Quæ si uera esset, omnes nostri progenitores cum diabolo & eius angelis arderent, qui calicis expertes fuerunt. Nam regnum hoc postquàm sacramentis Ecclesiæ relictis idolis initiatum est, semper apostolicæ sedis ritu communicauit, exceptis paucis annis æui nostri, in quo monitore Ioanne Huss atque Hieronymo ab Ecclesiæ unitate recessistis. GAL. Arguis paucitatem nostram, sed Christus aduersus multitudinem Iudæorum paucis discipulis circumdatus prædicare non timuit, nec multi erant Iudæi considerata gentilium multitudine, quando legem acceperunt Mosaicam. AEN. Christus Deus & homo, Dominus & magister, nouam daturus legem, in mundum uenit, redempturusq; populum. Qualis comparatio lucis ad tenebras? Terræ ad cœlum? Christi ad Belial? Non tamen dominus sine miraculis creditus est, neque Moses absque signis legem tulit. At uos quæ signa facitis ut uestræ paucitati credamus, uo-
C biscum simus? GAL. Generatio praua & adultera signum quærit. Nos paucitatis nostræ tutorem Christum habemus, qui apud Euangelium dicit: Vbicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum. Non indigemus humano fauore qui ducimur cœlesti ductore. AEN. Apud Cyprianum martyrem his sororia uerbis nonnulli iactabant, quibus ille sic respondit: Corruptores euangelij atque interpretes falsi extrema ponunt et superiora prætereunt, partim memores, partim subdole comprimentes, ut ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli unius sententiam scindunt. Dominus enim cum discipulis suis unanimitatem suaderet & pacem, Dico, inquit, uobis, quoniam si duo ex uobis conuenerint in terra de omni re quamcunque petieritis, continget uobis à patre meo qui in cœlis est. Vbicũq; enim fuerint duo uel tres collecti in nomine meo ego cum eis sum. Ostendens non multitudini sed unanimitati deprecantium plurimum tribui. Si duo, inquit, ex uobis conuenerint in terra, unanimitatem prius posuit, concordiam pacis ante præmisit, ut cõueniat uobis fideliter & firmiter docuit. Quo modo autem potest ei cum aliquo conuenire, qui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum uniuersa fraternitate nouus uenit? Notate uerba & signate mysteria. Non est cum eis Christus qui ab Ecclesia recedunt. In una ecclesia fuimus omnes, prius una fides, unus Deus, unus ritus & uobis & nobis erat. Non nos à uobis, sed uos à nobis recessistis, fa-

cientesq; uobis conuenticula diuersa, peregrina dogmata recipientes, quæ non audiuerant patres nostri, ueritatis caput atque originem reliquistis. Quod si Christi præsentiam cupitis, ad sponsam eius redeundum est. GAL. Nos in Ecclesia sumus, neque ab illa recessimus unquam. Transire autem ad uos dum Christi legem uiolatis nulla ratio suadet. Quia nunquam mystico Christi corpori iungitur, qui ab eius euangelio separatur. Sed cur nobis retices, si qua est constitutio quæ sumere calicem uetat? AEN. Quia noluistis obedientiam polliceri. Sed dicam tamen ego ita uos peritos, arbitror ut consuetudinem uniuersalis Ecclesiæ non minoris efficatiæ censeatis quàm scriptam legem, quia uis legis ex consensu resultat. Consensus autem minor non inest consuetudini quàm legi conscriptæ. Nam consuetudinem longus & approbatus usus inducit. Quæ nullius impedimenti clamore, diuino magis quàm humano uidetur recepta consilio. leges autem quamuis Dei nutu decerni credantur, sæpe tamen uel populi uel senatus magna parte dissentiente traduntur. Ob quam rem non minus plectendus est uetustæ consuetudinis quàm scriptæ legis præuaricator. Cum igitur iam pluribus seculis obseruarit Ecclesia ne plebes de calice biberent, decebat & uos Bohemos huius obseruantiæ tanquam paternæ legis æmulatores existere, quæ sicut ante dictum est, neque noui, neque ueteris testamenti codicibus aduersatur, sed ratione magna & honestate subnixa est. Verum quia scripti decreti sanctionem requiritis, non frustrabor expectationem uestram. Euoluite Constantiense Concilium atque eius acta perquirite, consuetudinem, quàm modo exposui, & approbatam & pro lege rectam & scripto firmam reperietis. In Basilea quoque dum generalis Synodus illic erat. postquam exacte uisa sunt & diligenter excussa sacrarum testimonia literarum, magnorum Conciliorum decretis, ac sanctorum patrum & illustrium doctorum traditionibus enucleate pensatis, decretum promulgatum est, quod aperte declarat fideles laicos siue clericos communicantes & non conficientes, ad suscipiendum sub specie panis & uini diuinum eucharistiæ sacramentum ex præcepto Domini non esse astrictos. In cuius fine subiungitur: Laudabilis quoque consuetudo communicandi laicalem populum sub una specie, ab Ecclesia & sanctis patribus introducta, ac hactenus diutissime obseruata, & à doctoribus diuinæ legis sanctarum scripturarum atque canonum multam peritiam habentibus, iam longo tempore commendata pro lege habenda est. Nec alicui licitum est eam reprobare, aut sine autoritate Ecclesiæ ipsam immutare. Sic ergo & scripta conciliorum habetis decreta & uetustum Ecclesiæ ritum. GAL. Potest Ecclesia uel Concilium quæ Christus instituit sacramenta peruertere? AEN. Non potest. GaL. At sacramentum hoc sub specie panis & uini Christus instituit. Cur peruertit ecclesia, quæ panem solum ad laicos defert? AEN. Non peruertit Ecclesia sacramentum sed ritum mutat. Quæ sunt enim de necessitate sacramentorum immutabilia perseuerant: quæ circa ritum sunt, immutare Ecclesia potest. Cuius potestas non minor est hodie quàm sub Apostolis erat. Potestas autem & administratio Ecclesiæ sicut doctores tradunt, tribus in rebus consistit. In ordinibus diuersorum prælatorum: In administrationibus sacramentorum. In diuersis præceptis subditorum. Ob quam rem non sine ratione putauit doctor insignis Aquinas, in arbitrio esse Ecclesiæ diuersos gradus prælatorum instituere, & institutos pro rerum diuersitate uel temporum amouere. Sic subdiaconi sunt ordinati, quos Ecclesia primitiua nesciuit. Sic p̄lati, presbyteri, episcopi quos olim Hieronymus æqualis fuisse potestatis affirmat. Sic Cardinalium sacer senatus inuentus, Ecclesiæ magnum decus & stabile firmamentum. Potest etiam Ecclesia in administratione sacramentorum abolitis prioribus nouos ritus inducere & ceremonias nouas. Qua de re licet Dominus discipulos suos facta cœna communicauit, ecclesia tamen neque pransos neque cœnatos fratres, nisi necessitatis causa tantum, sacramentum permittit assumere: Rursus quoque quamuis amictus lintea Christus, quotidianaq; ueste indutus, hoc sacramentum instituerit, dixitq; paucissima uerba, Ecclesia tamen ob eius reuerentiam & ornamenta uestimentorum sacerdotibus dedit, & missarum solennia prophetarum & apostolorum lectionibus & deuotis orationibus adornauit. Sic enim

A enim in ueteri lege rubricatas pelles, & rudia tabernaculi sacra sublimis gloria templi secuta est. Sic & in Nouo testamento post illa Ecclesiæ primitiuæ rudimenta pedetentim splendor in cultu diuino & ritus sacramentorum expolitior & maiestas sacerdotij maior succesit. Tertio loco potest Ecclesia statuta & ordinationes patrum quæ de moribus agunt, prout loco tempori & personis uiderit conuenire, immutare & abrogare, sicut & prius diximus. Sed quantum ad sacramentum pertinet quod necessarium est, tolli non potest, quod necesitati non subest & uariari potest & tolli. In eucharistia uero sicut ante prolatum est, non est usus utriusque speciei populo necessarius, adimi ergo altera species non inepte potuit, quia non est hoc sacramentum uariare, sed usum. GAL. Sacramentum esse sub specie uini, quis negetergo qui uini speciem tollit, sacramentum tollit. AEN. Haud recte infers. Septem sunt Ecclesiæ sacramenta, & si uos quinque tantum recipitis, ex his unum est eucharistia præcellentissimū & maximum, hoc semper integrum, & unum est siue sub una specie sumitur siue sub duabus: & licet mille particulæ panis fiant uiniꝗ totidem, unus tamen est ubique totus & integer Christus. Nec subtracta uini specie subtrahitur sacramentum: quia totum in altera sumitur. Recte igitur & sanctissime Romana ecclesia in huius obseruantia sacramenti sese habet. Quibus ex rebus si consolationem spiritus cupitis, si quietem amatis,
B si ueritatem quæritis, si lucrifacere animas uultis, sedem apostolicam audite, sequimini traditiones eius, honorate illam quoniā sancta est immaculata sponsa Christi, columba pura & albissima, ex cuius ore felicis ramus oliuæ dependet, qui pacem hominibus pollicetur, superbis bello minatur. Finitis sermonibus istis assurrexit unus de primoribus Taboritarum & animo satis inflato. Quid tu nobis, inquit, apostolicam sedem tot uerbis amplificas? Nos papam & Cardinales auaritiæ seruos nouimus, impatientes, inflatos, tumidos, uentri ac libidini deditos, ministros scelerum, diaboli sacerdotes, & antichristi præcursores, quorum Deus uenter est, pecunia cœlum. Erat hic homo uentrosus, crassus, & multo abdomine pinguis, quem cum aspexissem, admoui uentri eius leuiter manus, ac subridens. Vnde, inquam, tumor hic uentris est. Cur te ieiunio maceras & affligis inedia? Riserunt omnes magnisꝗ illum cachinnationibus exceperunt. At ego cum animaduerterem sacerdotes illos magis studio contradicendi quàm uoto discendi ad me uenisse, posui modum uerbis meis, subtraxiꝗ disputationi pedem. Intellexi enim quia facilius & leuius esset turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere, quàm illorum rabiem sermonibus coërcere. Nam labor irritus & nullius effectus est offerre lumen cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto. Conuersus tamen ad eos dixi. Collegæ mei pransi sunt, & itineri se accingunt, hora est ut à uobis recedam satis diu simul disputauimus. Vos tamen, ut uideo, nec meis uerbis fidem præbetis, nec
C ego uestris argumentationibus moueor, remaneamus omnes quod ante fuimus. Existimaui hoc priusquam inciperem, nolui transilire ut mea taciturnitas opinionum uestrarum fieret autoritas, ne quis post hac diceret: fuit apud Taboritas Senensis episcopus, nec quicquàm aduersus illorum sententiam dixit, aut eos uera sentire putauit, aut eorum argumenta posse superare diffisus est. Quod si nihil aliud uerba nostra fecerunt, hoc tamen præstant quod me uestris opinionibus aduersantem omnes qui astant intellexerunt. Vos tamen amplius & fortasse melius cogitabitis. Tunc illi, si tempus esset afferemus huc libros, ostenderemusꝗ tibi, quia Christi sequaces & legis Dei zelatores sumus. Sed uale. Ad quos ego: Nec uobis nec mihi ocium est, ualete. Atque hoc modo à me eos dimisi, & exeunte domino de Rosenberg cum eo Soboslaniam ueni, atque in de Curnam insulam, & seniorem de Rosenberg dominum petiui, uidebatur mihi ultra Sauromathas & glacialem oceanum fuisse, inter barbaros, inter anthropophagos, aut inter monstruosas Indiæ Libiæꝗ gentes: nec sane in omni terra, quam circuiuit, Amphitrites, gens nulla est monstruosior Taboritis. Aethiopes enim quosdam & Scythas & Trapobanas corporis uitio monstruosos aiunt. Thaboritas uero deprauatæ mentis uitia & innumerabiles animæ maculæ monstruosos efficiunt. Ad quos omnes hæreses mi

grauere, quos ab initio nascentis Ecclesiæ usque in hunc diem pestifera ingenia semi- D narunt. Sunt ibi Nicolaitæ, sunt Arriani, sunt Manichei, sunt Armeni, sunt Nesto- riani, sunt Berengarij, sunt pauperes de Lugduno. Præcipui tamen apud eos Vual- denses habentur unius Christi uicarij & apostolicæ sedis inimici. qui dum frena supe- rioritatis abijciunt, libertatemq́ prædicant, necessarium est, ut omnes errores admit- tant. A quibus dum exiuissem: ex inferiori uidebar inferno reuersus. Nec me prius ad superos recepisse putaui quàm Buduuiseos atque Vlricum de Rosenberg conue- ni: Nam & Buduuisei nullis hæresibus inquinati sunt, & Vlricus acerrimus hostis hæ- reticorum uerus Ecclesiæ filius inter alios Bohemiæ principes, qui fidem catholicam uerbis armisq́ tuentur, anterior est dignus quem sedes apostolicam inter Charos ha- beat, & inter primos honoret. Scripsi hæc tuæ præstabilitati festino & currenti calamo: Properante namque Romam Ioanne meo quem probe nosti, malui te quæ mihi in hac uia contigerant, utcunque narrata cognoscere, quàm pœnitus ignorare. Res altas de fide disputantes & arcanos scripturæ sensus attingere præsumpsimus. Scio quia non defuerunt ineptiæ. Nam rudem & inexpertum tyronem hæc me pugna su- scepit. Sed nolui latrantes impune lupos abire, nolui deserere ueritatem, nolui Eccle- siæ deesse: & quoniam imperitiæ meæ tenebras non ignoraui, supernæ claritatis lu- men intrepidus expectaui, iactaui super dominum curam meam & ipse adiuuit: sensi E diuinitus assistentiam, nam uerba nescio quomodo suapte fluebant, quibus miseri Taboritæ miserabiliter premebantur, Benignus & misericors Dominus, qui nec peccatorum uoces obaudit. Credo & certus sum quia non mea uita, sed mea fides meruit audiri, ne Taboritarum elenchis inuoluerer aut sophismatibus caperer: Vtcun- que res acta est, Scio me plura tunc dixisse & minime scripsisse digna correptione. Sed quæ tunc dixi corripi nequeunt, quia semel emissum uolat irreuocabile uerbum: Quæ nunc scribo, facile poterunt emendari priusquàm edantur. Ideo te per ueterem beneuolentiam & quam mihi semper ostendisti charitatem, precor te & oro huic opu- sculo ut tuam limam summamq́ manum admoueas, neque prius in lucem sinas exire quàm tuo fuerit acri & graui iudicio comprobatum. Vale nostri memor & amans. Quando Deus & fata uolent ueniemus ad te. Ex Noua ciuitate XII. Kalendas Septem bris. Sub Anno domini M.CCCCLI.

Oratio Aeneæ de Constantinopolitana Clade, & bello contra Turcos congregando. Epist. CXXXI.

CONstantinopolitana clades, Reuerendissimi patres, illustrissimi principes, cæte- risq́ uiri genere & doctrina præstabiles, quæ Turcorum grandis uictoria, Græco- F rum extrema ruina, Latinorum summa infamia fuit, unumquenq́ uestrum ut arbi tror tanto magis angit magisq́ cruciat, quanto & nobiliores estis & meliores. Quid enim uiro bono & nobili magis congruit, quàm curam gerere fide orthodoxæ? fauere religioni? Christi nomen saluatoris pro sua uirili magnifacere atq́ extollere? Sed amissa nunc Constantinopoli tanta urbe in potestate hostium redacta, tanto Christianorum sanguine fuso, tot animabus in seruitutem abductis, uulnerata est miserabiliter catho- lica fides, confusa turpiter nostra religio, Christi nomen damnificatum nimis atque oppressum. Neque si uerum fateri uolumus, multis ante seculis maiorem ignomini- am passa est quàm modo Christiana societas. Retroactis namque temporibus in Asia atque in Aphrica, hoc est in alienis terris uulnerati fuimus: nunc uero in Europa, id est in patria, in domo propria, In sede nostra percusi cæsiq́ sumus. Et licet dicat ali- quis ante plurimos annos, ex Asia Turcos in Græciam transiuisse, Tartaros citra Thanaim in Europam consedisse, Saracenos Herculeo mari traiecto Hispaniæ por- tionem occupasse: nunquam tamen aut urbem aut locum amisimus in Europa, qui Con stantinopoli posit æquari. Est enim ciuitas illa totius terræ quæ commode colitur, pene

A centrum. Portumq; habet & amplissimum, & tutissimum, in quo non dicam naues, sed numerosæ classes armari sustentariq; tie possunt, atque inde per Bosphorum, hinc per Hellespontum ad omnia Mediterranei maris siue tuenda, siue uexanda littora transmittit. At hic locus tam commodus, tam utilis, tam necessarius nobis tacentibus, ne dicam dormientibus, amissus Christo saluatori, lucrifactus Mahometo seductori est. Quid quod ibi ex duobus imperatoribus Christianis alter occisus est? Nonne ex duobus Christianitatis oculis alterum erutum, ex duabus manibus alteram amputatam dicere possumus. Addite quod ex quatuor sedibus illis patriarchalibus primis & principalibus, quibus ueluti solidissimis basibus Christiana subnixa fides in omnem terram ramos suos extendit, maiores nostri duas simul cum Hierosolymitana per ignauiam atque secordiam perdiderunt, nos tertiam & illam quidē cui omnes Pruteni, multi ad Boream, multi ad Orientem, ad Thanaim iacentes populi seruiebant, non minori desidia, maiori tamen infamia prorsus amisimus. Nimirum principes doletis omnes, ac de tanto Christianitatis uulnere, quo cecidisse Græcos, superasse Turcos, confusos esse Latinos animaduertitis, consternati atque attoniti estis? Sed non est minor diui Cæsaris Frederici domini nostri glorissisimi quàm uester mœror. Vidissetis eum cum tanti mali factus est primum certior, in cubiculo flentem, in aula mistum, in consilio sollicitum, in ecclesia supplicem, in quouis loco turbatum & anxium. Verum cum res

B Christianæ non tam dolorem & lachrymas, quàm uigorem & arma requirent, (nam Turci maiora indies mala minantur) operepreciurn existimauit sua serenitas, tum principum, tum ciuitatum accersiri conuentum, in quo de tuenda Christiano republica consilia caperentur. Nam priusquàm incipias, consulta, & ubi consulueris mature facto opus est. Fuit itaque Concilium apud Ratisponam conuocatum: quæ ibi gesta sunt omnes tenetis. Ex autoritate illius congregationis hic nunc conuentus habetur. Cur non fuerit apud Nurenbergam indicta conuentio, & cur nequiuerit ad hæc negotia Cæsar ascendere, satis his diebus expositum est. Ille quidem pro tanta Christianitatis necessitate in hoc conuentu minime defuisset, si domū tutam relinquere potuisset. Sed cum eius desiderium ab his impediretur, quibus non tam pax & ocium quàm contentiones & bella sunt usui, misit hosce præstantissimos & celeberrimos legatos, qui suum locum tenerent, suasq; uices implerent, cum plena & ampla potestate, siue res imperij, siue commune fidei tuendæ negotium tractare libet, præsto erunt. Cæterum quia super articulis Ratisponæ meditatis, hæc potissimum congregatio consultura est, uosque Cæsaris animum circa illos cognoscere cupitis, quæ sit eius mens, quæ sententia, quæ uoluntas, apperire me nunc collegarum meorum autoritas iubet. Ego qui malo per obedientiam parum prudens quàm per contumaciam

C uideri sapiens, onus meis humeris penè intollerandum subiui, confisus in eius auxilio qui uictimis obedientiam prætulit. Nec timeo sub tanto fasce deficere, quando præsto sunt qui cadenti mihi manum porrigant. Pareo quoque in hac re tanto libentius, quanto & conspectum uestrum frequentiorem intueor, & mihi benigniorem autumo. Nec ego de omnibus articulis uerba faciam, sed illum qui est principalissimus aggredior, hoc est, An contra Turcos, qui Constantinopolim per iniuriam inuaserunt, nobilitatem cum principe Græcorum occiderunt, sacra nostra omnia polluerūt, & ultra uincula, uerbera, cædes Christianis omnibus minitantur, sit bellum suscipiendum. Quo persuaso quantas habere copias necesse, quomodo legendi milites, quæ stipendia danda, quæ priuilegia concedenda, unde commeatus habendi, quæ bellica instrumenta paranda, quo tempore, qua uia sit eundum facile concordabimus. Capitaneum quoque seu belli ducem, quem Prisci Romanorum imperatorem appellare consueuerunt, non erit arduum nominare. Neque dubitabitis illum eligere in quo sit scientia rei militaris eximia, uirtus excellens, autoritas euidens, præsumpta fœlicitas: qui sit laboriosus in negotijs, fortis in periculis, industrius in agendo, celer in conficiendo, consultus in prouidendo, qualem reperiri apud uos minime dubitauerim. Nec

rim. Nec de pace domi tuenda multum laborabitis, ſi foris bellum gerere decreueritis D ut poſtea ſuo loco dicemus. Intelligitis iam, principes, oratio mea quibus in rebus ra-dices agat, & quæ ſit cauſa in manibus uidetis de bello gerendo tota conſultatio eſt. Ego qui nomine Cæſaris bellum uenio ſuaſurus, nequaquam hoc oneris accepiſſem, niſi rem dignã ueſtra uirtute, ueſtra nobilitate, ueſtraq; natione, manifeſtiſsime prius in tellexiſſem. Agite igitur, audite, & cognoſcite an bellum hoc pro fide ueſtra Chri-ſtiana ſuſcipere debeatis. Omnis ſenatus, omniſq; populus cui de bello gerendo con ſultatio eſt, clariſsimi principes, tria diligenter ac rigide, & preſſe diſcutere debet, ne quid agat, cuius denique pœnitudo ſequatur: Turpe eſt enim, ut Scipionis prouerbi um fuit, poſtquam erratatum eſt dicere non putaram. Bellum ergo geſturus primo quærat, an ſit iuſtum: ſecundo an utile: tertio an facile. Niſi enim hæc tria concurrant, non eſt cur bonis atque prudentibus uiris belligerendum ſit. Diſcutiamus & nos hæc ex ordine principes. Ac primum de belli iuſtitia cognoſcamus. Bellum quod pro tuenda religione, pro ſaluanda patria, pro conſeruandis ſocijs, ex autoritate ſupe-rioris gereretur, nemo unquam ueterum reputauit iniuſtum. Hinc Moſi, hinc Ioſuæ, hinc Saulis, hinc Dauidis, hinc Machabeorum prælia commendantur. Hinc illi De-moſthenis clamores quibus plenum exultabat apud Athenas theatrum in Maratho-ne, in Arthemiſio, in Salamina pro patria defunctos commendantis. Hinc ex Ro- E manis Horatij, Decij, Fabij, & alij pene innumerabiles celebrantur, qui pro ſalute ſuo rum ciuium ſe deuouere. Hinc ex ueſtris Germanis Caroli, Rolandi, Raynaldi, Conra di, Ottonis, Henrici, Frederici, æternis præconijs extolluntur, qui pro tutandis Chri-ſtianorum finibus, maximis ſe periculis obiectarunt. Nunquam tamen ueſtris progeni-toribus tam iuſta pugnandi cauſa, quàm uobis obiecta eſt. Nunquam illi tam atrocem iniuriam, tam inſignem contumeliam ab infidelibus acceperunt, quemadmodum per-peſſa eſt hæc noſtro tempore Chriſtiana communitas. Repetenda eſt breuiter hoc loco Conſtantinopolitana calamitas. Si enim & iniuriæ magnitudo notior, & belli iuſtitia manifeſtior erit. Nulla pulſatus iniuria Mahometus (ſic enim uocatur qui Turcis impe rat) bellum Græcis indixit, Conſtantinopolim obſedit, ac male defenſam oppugnauit. Vbi Conſtantinus Græcorum imperator intrantibus urbem, Turcis in extremo patriæ ſuæ periculo fortiſsime pugnans obtruncatur: Caput eius lancea infixum ſpectaculo fertur: Fit miſeranda Græcorum cædes: occiduntur non ſolum qui ſe tueri conantur, ue rum etiam qui proiectis armis ſeſe dedunt. Nec ego hoc magni duco in ipſo furore pri-mi introitus trucidatos eſſe quàmplurimos, illud horreo, illud abominor, illud omnino deteſtor, capta ciuitate, depoſitis armis, coniectis in uinculis ciuibus, tum maxime ſæui tum eſt, tum filij ante ora parentum occiſi, tum uiri nobiles uelut beſtiæ mactati, tum ſa F cerdotes laniati, tum monachi excarnificati, tum ſacræ uirgines inceſtatæ, tum matres ac nurus ludibrio habitæ. O miſeram urbis faciem. O infelicem populum. O ſce-leratum Mahometum. Quis talia fando temperet à lachrymis? omnia luctu plena, cæde, cruore, cadaueribus erat cernere. Mahometus ipſe terribili facie, tetris ocu-lis, terribili uoce, crudelibus uerbis, nephandis nutibus homicidia mandat, nunc iſtum nunc illum ad cædem poſcit, manus in ſanguine Chriſtianorum lauat. Omnia fœdat, omnia polluit. Templa Dei noſtri pſeudoprophetæ traduntur, diuina altaria pro-terũtur, oſſa martyrum et aliorum ſanctorũ iam cum Chriſto regnantiũ, aut porcis, a ut canibus obijciuntur, franguntur ſtatuæ, picturæ delentur. Nec matris Domini Reginæ cœlorũ glorioſæ Mariæ uirginis imagini parcitur, quin & ipſum ſaluatoris Chriſti cruci fixi ſimulachrũ cum magno clamore, maiori irriſione, præcedẽtibus tympanis ac tubis in caſtra defertur, huc atq; illuc rapitur, cõſpuitur, luto ꝓuoluitur. O nephas inexpiãdũ. O ignominiã Chriſtianæ gentis. O dedecus noſtri nominis ſempiternũ. Huic ſigno in q̃ redẽpti et ſaluati ſumus, Turcorũ fœtidũ genus illudit, & quaſi nos ſignũ nõ ſignatum colamus. Hic eſt, inquit, Chriſtianorum Deus. Sentio quia cõmemini principes dum ſaluatoris iniuriam refero, tum tantæ ciuitatis damna commemoro: ſed quis cladem illius

A illius urbis, quis funera fando explicet aut posit lachrymis æquare labores? horret animus talia meminisse, luctumq; refugit. O nobilis Græcia, ecce nunc tuum finem, nunc demum mortua es. Heu quot olim urbes fama rebusq; potentes sunt extinctæ. Vbi nunc Thebæ, ubi Athenæ, ubi Mycenæ, ubi Larissa, ubi Lacedæmon, ubi Corinthiorum ciuitas, ubi alia memoranda oppida, quorum si muros quæras, nec ruinas inuenias? Nemo solum in quo iacuerunt, queat ostendere: Græciam sæpe nostri in ipsa Græcia requirunt, sola ex tot cadaueribus ciuitatum Constantinopolis superat, quæ paruo ambitu Bizantij à Pausonia quondam edita, per Cōstantinum primum Imperatorem eius nominis in æmulationem Romanæ urbis erecta, tantum operum mirabilium, tantum armorum, tantum literarum, tantum gloriæ habuit, ut omnium ciuitatum damna hæc sola urbs recompensare, ac resarcire uideretur: hinc post pacem cum Gratiano factam, & à Theodosio confirmatam ueniens Constantinopolim, Rex Gothorum Athenaricus, cum regiæ urbis amplitudinem splendoremq; contemplatus esset, ueluti stupens dixisse fertur: Vere Deus terrenus est imperator hic habitans, & quisquis aduersus eum manus mouerit, ipse sui sanguinis reus existit. Et quamuis post imperium ad uos ô Germani translatum, sæpe Constantinopolis capta direptaq; fuerit: nunquam tamen in potestatem Christi hostium, nisi modo deuenit: nunquam Basilicæ sanctorum dirutæ, nunquam bibliothecæ combustæ: nunquam monasteria desolata, nunquam sacra nostra ex toto, nisi nunc, deleta fuere. Itaq; mansit apud Constantinopolim, usq; ad nostrum tempus uetustæ sapientiæ monumentum, ac uelut ibi domicilium literarum esset, & arx summæ Philosophiæ. Nemo Latinorum satis doctus uideri poterat, nisi Constantinopoli aliquandiu studisset, quodq; Florente Roma doctrinarū nomen habuerunt Athenæ, hoc tempestate nostra Constantinopolis obtinebat, unde & multa ueterum sapiētum uolumina susceperamus, & in futurum suscipere sperabamus. At nunc uincentibus Turcis & omnia posidentibus quæ Græca potentia tenuit, uereor ne de literis Græcis omnino sit actum. Neq; enim, ut pleriq; arbitrantur, Asiani sunt ab origine Turci, quos uocant Teucros, ex quibus est Romanorum origo, quibus literæ non essent odio. Scytharum genus est ex media Barbaria profectum, quod ultra Euxinum Pyrrichiosq; montes ut Ethico Philosopho placet ad septentrionalem Oceanum sedes habuit: gens immunda & ignominiosa, fornicaria in cunctis stuprorū generibus, quæ, ut tradit uester Otto Frisingensis episcopus, non futulis autor, regnante apud Francos Pipino, montes Caspios exiuit, ac longo itinere in Asiam se recepit, ibiq; post hac morata est. Et quamuis sub miti cœlo & mundiori terra per tot secula parumper excultam se præbuerit, sapit tamen adhuc multum pristinæ deformitatis, neque omnem Barbariem detersit. Carnes adhuc equorum, uesontium, uulturumq; comedit, C libidini seruit, crudelitati succumbit, literas odit, humanitatis studia persequitur. In cuius manus uenisse nunc doctam eloquētemq; Græciam, nescio quis satis deflere queat. Sed dicitis milites: Quid tu nobis literarum detrimentum commemoras? quid nobis de literis? nos hastas gladiosq; uersamus. Vos genus ignauum tecto gaudetis & umbra. Imo uero fortisimi equites, nullius quàm uestri magis interest studia literarum esse quàm florentisima. Quid enim uos, uiri excellentes, aliud quæritis, cum præstanti animo & alto corde prælium committitis, quàm famæ dulcedinem laudare uultis scio, & gaudetis cum de uobis bonos esse rumores auditis. Trahimur omnes studio laudis & optimus quisque gloria ducitur, inquit Cicero. Sed quæ laus uestra diuturna esse potest, nisi literis consecretur? Breuisima est fama, quæ humanæ uitæ spatio terminetur. Viuunt nomine perenni, quos literæ insertos habent: Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt. Nulla dies unquam memori uos eximet æuo. In Curialum & Nisum inquit Maro. Nec nos aut Sampsonis, aut Gedeonis, aut Ieptæ, aut aliorum Iudicum fortitudinem regnumq; magnifica gesta sciremus, nisi literis edocti essemus. Quanto ergo quisque uestrum, nobilisimi equites, aut industrior est, aut fortior, animosior, tanto fauere ingenijs, ac literis magis debet. Hæc sunt

sunt enim quæ progenitores uestros uirtute præstantes, quamuis iamdudum mortuos, memoriæ tamen hominum quasi uiuentes exhibent, & quæ uestrũ nomen, si uiriles fueritis, ad posteros deferre cũ laude queant. Senserat hæc Alexander Macedo, qui cũ in Sigeo sepulchrũ uidisset Achillis. O fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ uirtutis præconem Homerum inueneris. Et uerè, inquit orator: Nam nisi illi ars illa fuisset, idem tumulus qui corpus contexerat nomen etiam obruisset. Demosthenes autem ille summus Athenis uir, cum ex eo quæreretur, cuius uocem libentissime audiret, à quo summa uirtus, inquit, optime laudatur: quo dicto nimirum humanitatis & eloquentiæ studia magnopere commendauit. At nunc contrita deletaq; Græcia quanta sit facta literarum iactura cuncti cognoscitis, qui Latinorum omnem doctrinam ex Græcorum fontibus deriuatam non ignoratis. Quid ergo in tanto damno in tanta iniuria dicemus principes? An de iustitia belli aduersus hæc monstra hominum dubitabimus, qui nulla humanitatis studia colunt? qui fœdera nulla custodiunt? qui sanguinem nostrum sitiunt? qui cædibus saturari non possunt? qui sacra Dei nostri omnia pollũt, & exterminant? Fortitudo, inquit, Ambrosius in officijs, quæ bello tuetur à Barbaris patriam, uel domi defendit infirmos, uel à latronibus socios, plena iustitia est. Quod si ordo ille naturalis paci accommodatus, Augustino teste, id poscit ut suscipiendi belli autoritas, atque consilium penes principes sit, neque bellum alioquin iustum existimetur, uidete quanta est huius belli iustitia, cuius non solum Papa, & Imperator duo maxima luminaria, duo primi in terra principes, sed ipse rector orbis mundiq; fabricator Deus est autor, qui sponsam suam Ecclesiam matrem nostram, ut pupillam oculi nobis tuendam commendat. Monstrauimus belli iustitiam fortasse pluribus uerbis, quàm necesse fuit, sed traxit me iniuriarum acerbitas. Parcite subirato: Date ueniam læso. Nunc ex bello quæ sequatur utilitas breuiter exponendum est. Cur enim se bello quisquam immisceat, nisi & bello se iuuat? Vos igitur principes, si fructum huius belli contra Turcos suscipiendi cognoscere cupitis, damna quæ toti Christianismo imminent, nisi Turcorum frangatur impetus, pensitate. Audiuistis quæ passi sunt Constantinopolitani. Idem nunc multæ ciuitates expectant, nisi dum tempus est opitulamini. Serpit indies hoc uirus magis ac magis: nunc una prouincia, nunc alia nobis deficit. Rascia iam nouissime occupata est. Dispotus eius prouinciæ cum coniuge & liberis in Vngariam se recepit. Vngari qui hactenus nostræ fidei clypeus, nostræ religionis murus fuere, bis uicti bello post mortem Alberti Regis, bis capti à Turcis sunt, centum millia hominum aut eo plus, duobus prælijs amisere. Non tulerũt integri Turcorum uires, quomodo fracti ferent? Succubuerunt auxiliantibus Polonis quomodo uincent soli? Magna est Turcorum potentia in Asia & in Græcia. Tartarorum ferocem gentem fœdere iunctam habent. Ducenta uel trecenta milia pugnatorum, ne dicam plura in armis cogere possunt. Quamuis sint Vngari strenui et potentes uiri, atq; omni laude digni, non tamen tantis uiribus pares habentur. Siue uincitur Vngaria, siue coacta iungitur Turcis, neq; Italia, neq; Germania tuta erit, neq; satis Rhenus Gallos securos reddet. At nonnulli, quia suis diebus non uideri similia, nec fieri posse confidũt, nos autem sæpe Tartaros protrita Vngaria Germaniæ fines ingressos ad Rhenum usque debacchatos nouimus. Vngari priusquàm Christum colerent, sæpe Austriam, Bauariam, Sueuiam, Frãconiam, Saxoniã percurrerunt? Attila rex Hunorũ ab Vngaria, quæ tunc Pannonia dicebatur digressus, quãtas Italiæ, quãtas Germaniæ, quãtas remotiori Galliæ atq; Hispaniæ turbas intulerit, non ignoramus. Quid Gothos, quid Vandalos, quid Gepidas, quid Herulos, quid Longobardos, quid Burgundiones referam? Omnes hi populi per Vngariam ab ulteriori Scythia uenientes, hanc nostram Christianitatem miris afflixerunt modis. Expectabimus igitur & nunc uenire Turcos, atque accersitis Tartaris nobilem atque potentem Vngariam sui iuris efficere, ac deinde reliquam Christianitatem locustarũ more corrodere. Pugnãdum est uobis omnino, principes, si liberi, si Christiani uitam ducere cupitis. Existimatote nunc, an saluis & integris

A integris socijs, an fractis atque dimissis id agere magis expediat. Romani, quos fama sapientissimos fuisse prædicat, sociorum tutelam semper suam salutem esse ducebat, ac foris quam domi pugnare malebant. Nam foris si qua fuerit accepta calamitas emendari potest, quæ domi excipiuntur clades exitiales habentur. Hinc Hannibal maximus ille Pœnorum Imperator cum Regi Siriæ Antiocho, aduersus Romanos bellum suaderet, non in Asia, siue in Græcia, sed in Italia pugnandum esse dicebat. Et uos ergo Theutones, si quemadmodum spero sapientes eritis, maiores uestros imitabimini, qui remota semper à domo bella gerere, ac uicinorum fines non minus quàm suos tueri consueuerunt. Quod si uos Germani hoc tempore Vngaros neglexeritis, non erit denique, cur uos ex Gallis auxilia præstolamini, nec rursus illi apud Hispanos opem inuenient. Atque ita fiet, ut cum singulis semper gentibus pugnaturi hostes, facile quod cupiunt orbis imperium assequentur. Quod si acceptis armis, & Vngaris, & Rastianis, & alijs Christianis, qui uicini sunt Turcorum potentiæ opem tuleritis, non solum uicinos uestros tuebimini, sed uosipsos uxores ac liberos uestros ex maximo periculo liberabitis. Atque hæc est, ut mihi uidetur, maxima utilitas belli gerendi. Cum exploratum sit ad nos dietim Turcos properare, prius occurrite quàm uestros fines ingrediuntur, & auxilia uicinis afferte. Nam tunc tua res agitur, ut ille ait paries, cum proximus ardet. Quod si certissimi essetis, nunquam illos ad uos esse uenturos, pro debito tamen

B baptismi uestri, quo estis initiati, pro maximis beneficijs quibus uos diuina pietas cumulauit, aduersus hos Euangelij corruptores, & Christi perfidos inimicos eiusque crucis derisores bellum gerere deberetis. Equidem, præstantissimi principes, cum omnibus uirtutibus affecti sitis, nihil tamen arbitror uos magis uelle quàm gratos esse atque uideri. Hæc est enim una uirtus, non solum maxima, sed mater omnium uirtutum reliquarum. Quid est enim pietas, nisi uoluntas grata, erga parentes? Qui sunt qui libenti animo pro patria pugnant, nisi qui patriæ beneficia meruerunt? Qui sunt qui fidem erga principes inuiolatam custodiunt, nisi qui eos in se beneficos recordantur? Qui sunt qui præceptores honorant, nisi qui se doctrinā ab his accepisse non sunt obliti? Qui sunt qui amicos omni studio prosequuntur, nisi qui fructum amicitiæ tenaci memoria tenent? Quod si erga patriā, erga parentes, principes, præceptores, amicos grati esse debemus, quanto magis erga Deum nostrum? & cuius obsecro pignora, quā Dei nostri beneficia sumus experti? Ille cum nihil essemus, nos in esse produxit, neque lapides aut arbores, aut equos, sed homines rationis participes nos creauit, nobis ingenium, sermonem, uirtutē, uires corporis atque animæ dedit. Et cum primi parentis culpa inferni mancipium facti essemus, ut nos redimeret, descendit de cœlo, exinaniuit seipsum, formam serui accepit, hominem induit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, inquit Apo-

C stolus. Sub ipsa autem passione & cruce priusquàm ad crudelitatem necis & effusionē sanguinis perueniretur, qui conuitiorū probra, quæ contumeliarū ludibria tulit? sputamina insultātium excepit, qui sputo suo cæci oculos aperuerat: flagellatus est qui potestatem flagellandi dæmones habet: Spinis coronatus est, qui sanctos suos floribus coronat æternis palmis: In faciē cæsus est, qui ueras palmas mundū uincentibus tribuit: Spoliatus est terrena & caduca ueste, qui cœlesti atque immarcessibili cādidate animas uestit: Cibatus est felle qui se cibum homini præbuit: Potatus est aceto, qui populo suo nectaria pocula repromittit. Agnus ille innocēs, imo ipsa innocentia, ipsa iustitia inter facinorosos computata est: pependit inter latrones Deus noster, uiderunt faciem eius, & non erat species neque decor: A uertice capitis usque ad plātam pedis non erat in eo sanitas. Sed passus est, ut nos redderet impassibiles: mortuus est ut nos redderet immortales. Passus quia ipse uoluit, & iniquitates nostras ipse portauit. O bonitatem, O clementiam magni Dei, miserationes diuinæ pietatis incredibiles: quàm maxima & inextimabilia sint Christiano populo præstita beneficia? Sed coram sunt hæc in omnes fideles dona Dei. Vos autem ò Germani peculiarior, quædam honoris ratio reddit obnoxiores. Nam qui uobis imperium dedit, is uos omnibus populis, gentibus, nationibus prætulit. Hæc est enim prima in seculo dignitas, cui omnes principes, omnes reges cedūt, quam

saluator

saluator secundum carnem nascendo, peregrinando, moriendo dignam censuit quouis honore. Quæ in Prophetis promissa, in Euangelio comprobata, in Apostolorum scriptis magnifice commendata existit. Hæc est illa excellentissima dignitas, qua stante non est cur Antichristi formidemus aduentum, quemadmodum & Tertulianus, & Cyprianus, & Augustinus, & multi ueterum ex uerbis doctoris gentium Pauli colligere uidentur. Hinc antiqui nostri Spiritusancto pleni, quāuis adhuc idola colerent Imperatores, persequerenturq́ Christianos, uitam tamen illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitum fortem, senatum fidelem, populum probum, orbē quietem optabāt. Vos igitur magni, uos inclyti o Germani, quibus tanta dignitas credita est, curare præ cæteris debetis, ne uobis imperantibus Christianæ religionis maiestas intereat. Sed quid uos ad hæc Deo rependitis? imo quid nos omnes Christiani pro tantis beneficijs agimus? ubi tātorum bonorum memoria est? Principes ubi gratitudo est? uiri potentes terram sacratissimam, in qua uisus est Deus noster, & annis supra triginta homo cum hominibus conuersatus Agareni occupant, officinas nostræ salutis Mahumetus obtinet, sacrosanctum domini sepulchrum lectūq́ illum ueneratu dignissimum, in quo propter nos uita nostra obdormiuit in domino Saracenorum impuratæ manus obtrectant, loca illa sancta, loca benedicta, loca preciosa & agni immaculati purpurata cruore, dum nos silemus, hostes fidei nostræ conculcant. Et quid ad hæc aitis principes? Cur hæc accidisse putatis? abbreuiatam ne manum domini creditis? aut impotētem factum qui est omnipotens? Nunquid non potest mittere plus quàm XII legiones angelorum qui Saracenos, Turcos & Tartaros se blasphemantes exterminent? Aut certe tantum uerbo dicere, & fiet quod uoluerit. An qui ferocitatem Sennacherib angelo dimicante contriuit, qui furibundum Holofernem in manum mulieris uiduæ dedit, qui percussit reges magnos, & occidit reges fortes, qui clausit Aegyptijs mare, qui Sodomitis sulphur pluit & ignem, qui uentis imperat & mari, qui fecit cœlos in intellectu, Mahometi superbiam frenare non poterit? Omne subest ei cum uoluerit posse. Quid igitur opinamini? quid creditis principes? Tentat uos Dominus Deus noster, experiri uult, an se diligatis, an uirtute præstetis, an religiosi, an grati sitis: quid inter nos, si sit aliquis qui sapiat, & intelligat, ac requirat hæc, & indoleat uicem eius. Quid ergo moramini? quid statis? an non est hic maximus bellandi fructus? maxima utilitas uestra, si prælium aduersus inimicos crucis committetis? uos beneficij memores ostenditis? Deo nostro placetis? animas uestras lucrifacitis? & habitaturi cum angelis, triumphaturi cum sanctis martyribus, regnaturi cum Christo cœlum acquiritis? Omitto hic principes, id emolumenti quod plerisq́ omnes milites nostri temporis ex bello quærunt, aurum & argentum, teuromata, pictas tabulas, equos, uestes, seruos, ancillas. Nam quamuis multa huiusmodi hæc expeditio repromittit, nolo tamen uos Christi milites hæc ambire, nolo uos rapinas quærere, nolo uos spolijs gaudere. Pusilli est animi lucris inhiare terrenis. Mens generosa & alta cœlestes aspirat in thesauros. Breuis est uita hominis super terram. Fugiunt animi nostri licium, uitæ nostræ sunt aranearum tela, cito dirumpitur. Festinat enim decurrere uelox flosculus: angustæ miseræq́ breuissimæ uitæ precio, dum uina cibos, somniaq́ poscimus obrepit non intellecta senectus, nemo scit quid uesper uehat. Curriculum æui nostri incertum est: Peregrini in terra sumus, spes nostra in cœlum tenenda est, ubi Euangelio teste, nec fures fodiunt, nec tineæ rodunt. Multæ sunt uiæ quæ nos eò deducunt. Sed hoc profecto tempore, principes, nullum iter certius, nullum securius, nullum expeditius, nullum gloriosius est, quo possimus cœlum scandere, quàm si contra Turcos cœlestis patriæ, nostræ ciuitatis supernæ Hierusalem perfidos inimicos arma sumentes, puris & constantibus animis bellum geramus. Cognoscitis, ut arbitror, iam principes, huius belli quod suademus non honestatem modo, uerumetiā utilitatem. Nunc de facilitate gerēdi belli pauca subnectam: Hoc est enim de quo tertio loco dicturum me promisi. Frustra enim iustum bellum, frustra commodosum probauerimus, nisi etiam factu facile, ne dicam possibile, demōstremus. In hac parte illud meo iudicio animaduertēdum est, optimi proceres, ne maior hostibus

quàm

A quàm nobis sit scientia rei militaris, ne frequentior usus, ne pecunia copiosior, ne potentia superior, ne Deus ipse fauentior: quinimò neque si pares utrinque uires fuerint bellum suaserim. Nam teste Octauiano Cæsare, qui prælium sine certa prærogatiua committit, similis ei est qui hamo piscatur aureo: facile namq; plus amittere quàm lucrari potest. At mihi seu noua consideranti, seu uetera mēte repetenti, inter omnes nationes quas bello idoneas iudicant, nulla expeditior, nulla fortior, nulla peritior, nulla audentior quàm uestra uidetur. Vobis homines, uobis equi, uobis arma, uobis pecuniæ sunt. Nulla natio tam grandis sub cœlo est, quæ habet Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Dominus Deus noster. Et ubi obsecro tot clarissimi principes? tot generosi proceres? tot fortissimi equites? tot potentes ciuitates? tot diuitiæ? tot auri? tot argenti? tot ferri mineræ? ubi tanta populi multitudo? tanta iuuentus? tantum animi? tantum roboris? Germaniæ fines, ut ueteres tradunt, ab oriente Viscella fluuius, & Vngariæ limes fuere: ab Occidente Rhenus: à Meridie Danubius: à Septentrione Oceanus & mare Balteum, quod Prutenicum uocare possumus. Nunc quantum extra hos terminos possideatis ipsi uidetis. Vos Angliam, pulsis Britannis, occupastis: uos Belgarum Heluetiorumq; fines eiectis Gallis, obtinuistis: Vos Rhetiam & Noricam inuasistis: uos usque in Italiam pedem extendistis: uos Hulmerigros, qui nunc Pruteni uocantur, ex manibus infidelium detraxistis: soli ex alienis in uestro solo Bohemi sedent, potentissimi & nobilissimi populi. Sed & illi uestro imperio parere se aiunt: Regemq; habent uestri sanguinis nobilissimum Ladislaum. Vos igitur magni, uos bellicosi, uos potentissimi, uos fortunatissimi, ac Deo accepti Germani estis, quibus adeo fines extēdisse licuit, & super omnes mortales Romanæ potentiæ datum fuit obsistere. Nam terrarum ille calcator omnium, & orbis domitor Iulius Cæsar, quamuis subactis Gallis sæpe Rhenum transiuerit, resq; maximas in Germania gesserit, bellicosam tamen & asperam Sueuorum gentem dimisit indomitam. Augustus Octauianus cui & Parthorum & Indorum Reges munera miserunt, qui unus omnium Romanorū fortunatissimus creditus est, de quo illa sunt metra: Augustus Cæsar diuum genus aurea condet Secula, qui reuersus latio regnata per arua, Saturno quōdam superat Garamantas & Indos, Profert imperium iacet extra sydera tellus. Extra anni solisq; uias, ubi cœlifer Atlas, Axem humero præmit stellis ardentibus aptum. Ille, inquam, felicissimus Imperator nullibi unquam, nisi apud Germanos succubuit. Nam Lollianam & Varianam cladem in Germania perpessus est. Lollianam maioris infamiæ quàm detrimenti: Varianam penè exitiale, tribus legionibus cum duce, legatis & auxiliis omnibus cæsis. Longum esset referre quas intulerunt Romanæ reipublicæ molestias Germani, qui etsi Romanorum fortunæ aliquando cesserunt, postea tamen & C ipsi de Romanis, de Gallis, de Hispanis, de Vngaris, deq; aliis diuersis gentibus sæpenumero triumpharunt. Nec Romani cum rerum potirentur, res magnas sine Germanis auxiliantibus peregerunt, quorum tanta in bello uirtus, tanta in domo fides fuit, ut Cæsarei corporis custos cohors ex Germanis potissime legeretur. Conferamus nunc Turcos ac uos inuicem, & quid sperandum sit, si cum illis pugnetis, examinemus. Vos nati ad arma, illi tracti. Vos armati, illi inermes: Vos gladios uersatis, illi cultris utuntur: Vos balistas tenditis, illi arcus trahunt: Vos loricæ thoracesq; protegūt, illos culcitra tegit: Vos equos regitis, illi ab equis reguntur: Vos nobiles in bellum ducitis, illi seruos aut artifices cogunt. Vestri milites nati atque nutriti in armis sunt, illi copias suas exceptis quindecim millibus pugnatorum quos expeditos habent, ex agris atque officinis petunt. Vobis flectere ludos, equos, & tendere spicula cornu: Vos omne æuum ferore teritis: uestra iuuentus Torneamēris intenta est, aut quatit oppida bello: nec tarda senectus uestras uires debilitat, mutatq; uigorem: Caniciem galea præmitis, semperq; recentes Bellorum habere causas cupitis, & uiuere in armis: Illis pictæ croco & fulgenti miricæ uestes desidiæq; cordi sunt: Summa uoluntas est indulgere Choreis. Solus Mahometus & quos dixi quindecim milia expediti sunt, quos sonus delectat armorum, & animus in bella paratus exhibet audaces. Cæteros inexpertos,

timidos, effrenatos nullius precij iudicetis. Quod si manus cum illis conferatis, nihil est quod de uictoria dubitetis. Si modo quam gesturi estis pro Deo pugnam, aduersus Deum non conuertatis mala mente procedentes. Cum ergo maiores uestri, principes, omnes uicinos ac longe positos populos armorum gloria superauerint, cum timentes ipsi nullos omnibus terrori fuerint, cum uos ipsi nihilo minores uestris progenitoribus sitis, cum omnibus his rebus abundetis quas bello necessarias putant, cum uobis fortissimi milites, peritissimi duces, ac satis fortunati sint, cum Deum in causa sua propitium sperare par sit, cum uestri hostes longe inferiores uobis existant, non est cur tam honestum tamque utile bellum pro Deo uestro gerendum detractare quoquo modo debeatis. Dicat hic fortasse quispiam: Rem non esse cum Turcis tantum, sed cum Tartaris simul, & Saracenis, cumque omnibus gentibus, quas illi subiectas habent. Huic ego contra insto, nec ego uos soli Theutones, inquam, pugnabitis: ex Italia, ex Gallia, ex Hispania multi concurrent, nec Vngari deerunt, nec Bohemi fortissime gentes. Rastiani, Bulgari, omnes Illyrienses, omnes Græci sumpta occasione consurgent. Vicini quoque in Asia dabunt manus. Nolite existimare principes, ita omnem Asiam Mahometo parere, ut non multi sint Christo seruientes, multi in Cilicia, Bithinia, Cappadocia, Ponto, Syria, Christiani sunt, quamuis iugo seruitutis oppressi. Hyberi qui & Georgiani uocantur, Trapesuntij, Armeni, Christum colunt, nec cunctabuntur arma sumere, si uos uiderint audentes. Veneti quoque & Ianuenses potentes populi, quamuis pacem cum Turcis habent, partes tamen uestras classibus adiuuabunt. Coacti namque ne ciuitates orientis admitterent pacem facere. At quod homines inuiti, ac necessario faciunt, neque diu, neque diligenter facere possunt. Veneti certe fidem imperatori dedere, facturos se quod deceat Christianos, si bellum cõmuni fideliũ consilio contra Turcos decernatur. Ego & si certè scio, proceres, uobis arma sumentibus ex tota Christianitate affutura præsidia, nihilominus & illis domi manentibus, huic bello solam Germaniam sufficere non dubitauerim. Scio enim Gothfredum qui fuit Lothoringæ dux, cum solis transrhenanis Theutonibus & aliquibus Gallicis, paucis Italis, Vngariam percussisse, Græciam penetrasse, Hellespontum transisse, Asiam permeasse, Hierosolymam ex potestate fidelium uendicasse, uictis ac prostratis omnibus, quæ occurrerent in medio gentibus, quamuis & Turci & Saraceni numerosi resistere conarentur. In eius exercitu ducenta milia pugnatorum fuisse traduntur, atque multo maiores copias sola Germania cogere potest. Sed dicitis, ut existimo, quomodo foris bellum geremus, qui domi contendimus? nec portio est Germaniæ ulla quieta: Sit pax intus, non recusabimus extra bellare: Prius Turci Rhenum attingant quàm lites omnes extirpentur. Idcirco sapientes illi qui Ratisponæ fuerunt, indicendas in tota Germania quinquennales inducias putauerunt, id nunc explendum est. Omnes qui contendunt imperij principes, aut uasalli, aut subditi sunt, nisi Cæsaris mandata custodiant, fidem frangunt, honorẽ maculant, rempublicam lædunt, sibi ipsis nocent. Quod ego de tanta nobilitate minime putauerim. Nam quis erit adeo durus, adeo obstinatus bonis, adeo aduersus moribus, ut treugas pro communi Christianorum salute indictas præsumat infringere? Est hic legatus apostolicus, qui censuras ecclesiasticas interponet: Legati Cæsaris imperiale bannum & alias pœnas adiment. Proch Germani nobiles, gens bellicosa, gens alti cordis, an modo in tanta & uestra, & omnium Christianorum necessitate deficietis? eritis ne adeo incauti, adeo cæci ut ranæ murisque fabulam in uobis impleri sinatis? qui dum inuicem se morderent præda milui fuere. Nonne cernitis, dum simul contenditis, uenientem Turcum, & omnia rapientem, quæ uos litigare compellunt? Expellite prius communem hostem, tum si pacem tenere nequitis de terra, de dominio, de cæteris bonis, pugnate, quæ non Turcis, sed uestris filijs relinquere ualeatis. Equidem si has inducias amplectemini principes, non est mihi dubium quin ualidissimum & copiosum exercitum comparare possitis, quo educto pacem in Almannia necessario relinquetis: latrones enim & raptores omnes exibunt, agricolæ & artifices domi manebũt, paratum genus hominum, quemad-

A quemadmodum tempore coronandi Cæsaris euenisse constat, cum ille copias aduersus Saracenos & Turcos eduxit. Et fortasse hæc una est pacandæ Germaniæ uia, ne scio an uos aliam habeatis. Sed dicitis quid cum Prutenis agemus? qui rebellantes suis dominis relicta religione Theutonica, ad magnum regem Poloniæ defecerent. Tria hic remedia sunt, duo dicam, tertium in aliud tempus retinebo. Aut seruentur hic induciæ sicut in cæteris Germaniæ litibus, aut si hoc durum religioni uidetur, sinite fratres religiosos cum Saxonibus, Bohemis & alijs quos possunt allicere, suam prouinciam uendicare. Neque enim propterea uester exercitus magnopere impedietur. Nam & imperante Conrado, de quo pauloante dixi, cum tertius Eugenius Romanus Pontifex Christianos excitaret, pro tutela terræ sanctæ, quàm Saraceni euertere conabantur, Pruteni cum cæteris ulterioribus idola colebant, ac crebris excursionibus, nūc Saxoniam, nunc alios uicinos Christi cultores infestabant. Conradus autem dimissis Saxonibus, aut cæteris uicinis, qui domi cum Prutenis ac reliquis Barbaris decertarent, ipse cum Rhenensibus, Sueuis, Frāconibus, Bauaris, Hierosolymam penetrauit. Item & nunc uobis agere licet. Cæterum quia nonnullos esse audio, qui Mahemetum deinceps quieturum existimant, neque, ut ego dico, tantopere festinandum censent, referabo uobis aliqua de consuetudine & natura huius hominis, quæ mihi per eos nota sunt,
B qui secum aliquandiu conuersati fuere, ut quid sperandum quidue timendum sit eo certius habeatis. Est autem Mahometus adolescens, annos natus quatuor & uiginti, animo truci & gloriæ cupido, robusto corpore, ac laboris patiente, neq; uino, neq; cœnis indiget, & quamuis more gentis libidinosus, non tamen inter uxores languescit: choreas fugitat, unguenta deuitat, raro induitur mollibus: non cantu, non sono delinitur: non canes alit, non aues nutrit, una ei uoluptas est arma tractare. Honorat milites, equos amat, naues, curros, machinas bellicas, formosis mulieribus præfert. Et quamuis est natura Barbarus, abhorretq; literas, gesta tamen maiorum cupide audit, ac Iulium Cæsarem, & Alexandrum Magnum omnibus anteponit, quorum illustria facta superare posse confidit, atq; contendit: nec se minus aptum ad subigendum orbem dicit, quàm illi fuerunt, cum sua sint longe maiora principia, quàm illorum referantur. Et quoniam falso Prophetæ suo Macho, ex quo Constantino subiecit, non dubitat quin ad Roman. submittere possit Barbara temeritate & Asiana superbia plenus. Hic est. teste hostis, proceres, existimatote nunc, an talem naturam quiescere sit uerisimile. Sed quid coniecturis aut argumentis in rebus utimur manifestis? Nōne hic uicta Constantinopoli, mox Peram deleuit, propinquas ciuitates oppressit. Ciclades insulas maris Aegei, magna ex parte diripuit? Dispotum ex Rostia pepulit? Et quamuis essent cum Vngaris induciæ, eorum tamen fines ingressus, nonnullos agros depopulatus est.
C Ecce pacem Turcorum optimi principes. Ecce quietem quàm sperare potestis: Nolite confidere, nolite differre. Consulite uobisipsis, & utilitati libertatiq; uestræ, dum tempus habetis. Causa belli ut intelligitis, & iusta est, & necessaria, & maxima: uobis ad pugnam omnia quàm Turcis meliora supersunt. Orat uos Cæsar ne Christianæ reipublicæ, ne uobisipsis hoc tempore desitis, sed quemadmodum Ratisponæ condictum est, quos potestis milites, equos, arma, currus, instrumenta bellica commeatus præparetis. Nam & ipse quæ sunt in sua potestate ad hoc opus omnia promittit, quæcunq; sibi ut imperatori Romanorum, ut Austriæ duci, ut religioso principi, ut homini Christiano incumbunt exequi, præsto est & ualens: tantum uos principes in hoc loco de bello gerendo concordes sitis. Nam si unquam pugnandi tempus fuit, profecto nunc est, quando non solum honor & status uester, sed ipsa libertas uestra, ipsa fides, ipsa uita in dubio ponitur. Neque enim si Turcos progredi ad uos sinitis, quærendum erit, in quo statu, in qua fide uiuere, sed uiuere debeatis. Mementote patrum uestrorum generosi proceres, ponite ante oculos illustria facta maiorum, recolite quotiens progenitores uestri cum magnis exercitibus Alpes Italiæ transiere. Alfonsum Longobardorū Regem, Stephano Papæ molestum Pipinus coërcuit. Desiderium eius prouinciæ Regem, Hadriano insultantem Carolus magnus compescuit. Romanos formoso Pontifici rebelles Ar-

les Arnolfus edomuit: Berengarium qui se Regem Italiæ iactitabat, uocatu Ioannis D
Papæ Otto primus magno bello contriuit. Referre quidem grauius fuerit, quotiens ue stri antecessores pro Romana ecclesia, pro fide catholica, pro salute communi decertauerunt: Illi quidem dum parato, & forti animo Christianam religionem tuerētur, Romanum imperium ad se traxere. Videte nunc quem uobis animum suscipiendum esse putetis? Patres uestri pro suis non dicam ciuibus, sed agricolis paulo contumeliosius tractatis sæpe bella gesserunt, uos uno Imperatore cum tota Græciæ nobilitate crudelissime necato, non putabitis esse pugnandum? Illi frequenter suis ministris parum reuerenter compellatis non dubitarunt arma recipere: uos Deo uestro probrose contempto non armabimini? Illi pro amplectendis Christianorum finibus durissimis se prælijs commiserunt: uos pro tuenda religione fideq; uestra recusabitis arma capescere? Non est de rebus leuioribus hoc bellum, pro patria, pro liberis, pro uxoribus, pro socijs, pro libertate, pro uita, pro fide, pro religione, pro sanctis martyribus, pro magnis Apostolis, pro gloriosa matre Dei aduocata nostra regina cœli Maria, pro filio Dei, pro redemptore, pro saluatore, pro maximo & certissimo Deo uestro, pro Spiritusancto directore, pro patre æterno, pro diuinissima trinitate, quàm spurcidus ille Mahometus persequitur, committendum est prælium? Cogitate principes quo redacta est Christiana religio, quantum in oriente, quantum in meridie diminuta est nostra fides? Sumite alta corda: induite fortes animos, defendite matrem uestram Ecclesiam, quæ uos Christo regnauerit. E
Accingimini gladio supra fœmora uestra potentissimi: occurrite inimicis Christi. Nolite esse ultimi quos imperij dignitas iubet exire priores. Carolus Rex Francorum & nobilissimus, & potentissimus pugnaturum se dicit, si uos armemini. Quæ sit mens inclyti Ladislai Regis Vngariæ & Bohemiæ ex suis oratoribus audietis. Regis Daciæ, Suetiæ at Nortuuegiæ literas habemus, quæ mētem illius optimam exponunt. Alfonsus Rex Arragonum & Siciliæ nostri seculi clarissimum sidus, etiam silentibus cæteris hoc magnificum bellum, hanc gloriosam expeditionem pro Christi nomine ultro suscepturum se pollicetur. Philippus Burgundiæ dux non minus animo quàm sanguine clarus, potentatu ac dominatu par magnis regibus nō modo se iturum ad hoc bellum promittit, sed alios quoq;, ut se accingant magnopere adhortatur. Intueamini hos duos principes Alfonsum & Philippum maximos dominos, terra mariq; potentes, ambo ætate profecti sunt, ambo sexagesimum annum transiere: Ambo tamen certamini sese offerunt, neque in proprijs personis pro Deo suo pugnare recusant. Quid uos faciatis electissimi principes, quibus ætas florida est? quibus ebulit sanguis? quibus Martius labor iocundus, quidam ludus uideri debet? En Milites, en duces, en robustissimi iuuenes, sinitis ne senibus maiorem quàm uobis animum esse? dormietis ne domi cum illi foris militent? marcebitis ne ocio, dum illi in negocio uigent? Minime de uobis talia suspicor, degeneres animos timor arguit. F
Vos autem erecto animo alacres intueor: Incipio bene sperare: Sentio iam titillare pectora uestra ac flagrare amore bellandi. Nec miror uos ætate integra militiæ sectatores huius belli cupidos esse. Nam & egoipse quamuis senio grauis, quamuis ecclesiæ deditus, incendor & æstuo nimio feruore talis uisendæ pugnæ. Veteribus illis ex quibus uobis origo est, principes, cum essent adhuc gentiles, nullum fuit graue bellum quod pro patria suscepissent, nullam illi mortem miseram putauere, quæ pro republica subiretur. Sed quæ Respub. maior aut melior quàm nostra Christiana? quæ patria dulcior aut nobilior quàm nostra illa cœlestis ad quam cuncti aspiramus formosa Hierusalem? Illi cum pro patria morerentur tamen maxime exaltabant. Nos cum morimur tum finimus exilium: tum patriam ingredimur. O fœlix mors quæ uitam premit temporalem, concedit æternam. O faustum ac desiderabile bellum in quo si uincis, in terra, si uero uinceris, in cœlo triumphas. Quid ni ergo ardenti pugnemus animo, quibus tanta promittuntur emolumenta. Ecce dominus noster sanctissimus Christianorum summus pater Nicolaus Papa quintus, ouium Christi pastor Romanorum Pontifex, successor beati Petri, Christi Dei nostri uicarius, omnibus qui hanc expeditionem sequentur delicta remittit, culpas

abluit,

A abluit, ueniam præbet, cœlum promittit. Nec de promisso est dubium, quando is est qui potestatem habet ligandi ac soluendi, qui locum illius tenet, cui datæ sunt claues regni cœlorum. Ecce nunc cœli aperti sunt, ecce nunc iter in patriam, ecce scalam qua super omnes planetarum orbes scandere ualeatis, atque ad ipsam galaxiam peruenire, quæ nos ad regiã magni Dei recto tramite ducat. Quod si omnibus, ut inquit Orator, qui patriam dilexerint, iuuerint, defenderint, certum est in cœlo esse diffinitum locum, in quo beati æuo æterno fruantur, quid de uobis putandum est, principes, non qui pro terrena, sed pro cœlesti patria pugnaturi estis? Quid dicam? Multa dicere possum, sed hoc tempore Apostoli Pauli doctoris gentium uerba commemorasse satis erit: Quia neque oculus uidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ promisit dominus diligentibus se: quales uos futuros esse ô Germani nobiles, nemo dubitauerit, si hoc bellum ut Imperator admonet, Papa petit, Christus iubet, pro diuino honore atque amore susciperis.

Gaudet beneualere amicum & se incolumen scribit, Epist. CXXXII.

Aeneas Bartholomæo Massano, S. P. D.

EXimie Doctor, fili amantissime, inuentis tandem alis literæ tuæ ad nos cõuolarũt. Credimus solas timuisse tam lõgum iter: nam simul epistolæ tuæ redditæ sunt. Con-
B uenere apud Venatias, ut arbitramur, siue alio in loco Italiæ simul priusquàm Germaniæ montes penetrarent, inde facto cuneo fortiores auditoresque tansierunt. Intelleximus te, nostrosque omnes bene ualere, quod nobis uoluptati est. Quia uero nostrum reditum suades esse celerem, consulis quæ nobis in animo sunt, stat sententia medio mense Octobri omnino iter arripere. Sic enim licentiam Cæsaris non sine labore obtinuimus. Vicarium nostrum speramus non recedere priusquàm reuertamur: tuam prudentiam non dubitamus ad id officij sufficiẽtem. Sed nostri clericorum morẽ, qui nõ æquo animo ferunt, laicos sibi iudices dari. De hoc reuersi latius colloquemur. Anthoniam tibi gratam & morigeram esse gaudemus. Matrem & sorores nostras tuæ fidei commendamus. Bartholomeum cognatum nostrum, tuum socerum optimum uirum, & Franciscum eius filium saluere iubemus. De calculo cum procuratore facto intelleximus: Quia redire intendimus cito, non plura dicimus. Valete optime. Ex Gretio die x. Augusti, Anno MCCCCLIII.

Hortatur genitricem suam fouere, & amicum studio literarum conducere, Epist. CXXXIII.

VEnerabilis dilecte noster, conquesti sumus te non scribere, neque sine causa. Nam literæ tuæ nobis minime reddebantur. Nunc uero intelligimus te scripsisse, sed literas in uia mansisse. Nunc enim aliquas ex his accepimus, quibus te plurimum
C facis excusatum. Suscipimus uerba tua bono animo, & ita confidimus esse ut scribis. Multa haberemus tibi rescribere, sed quia mense Octobris proximo ad uos iter arripere cõstituimus, sic enim Cæsar nobis annuit, non est cur multa modo dicamus: de cunctis tunc transigemus. Contentamur tibi & uicario nostro in simul bene esse, ac facesce re discordias. De frumento quoque quæ acta sunt comprobamus. Cura, ut facis, diligenter negotia domus, ut redeũtes tuam solicitudinem atque solertiam commendare habeamus. D. Mariano Sizino ut nos facias commendatos cupimus. Nauem cognatum nostrum ut officio suo accurate det operam nostro nomine hortare, de Notario apud uillas nostras tenendo pro reddenda iustitia placet, ut quæ nobis scripsisti, D. Gregorio & domino Bartholomæo de Massa dicas, uel alteri eorum, & ut ipsi cõsuluerint nauim uti faciat nostro nomine imperabis. Matri nostræ quæ uult quæque petit, nulla ratione neges. Scimus enim eam nihil optare, nisi quæ consona sunt rationi. Anthonius nisi studiosus erit, nullam apud nos gratiam inueniet, & pœnitebit eum negligentiæ suæ, si redeuntes indoctum inuenerimus. Thomus capellanus noster tibi reconciliatus erit ex nostro iussu. Vale ex Gretio Stiriæ die x. Augusti, Anno M. CCCCLIII.

Hortatur uices suas paulo longius complere, aduentum suum citius spondens, *Epist.* CXXXIIII. D

VEnerabilis & eximie Doctor dilecte noster, Scimus nō sine labore locū nostrum teneri à uobis. Tamen quia cito redituri sumus, fauente domino, Rogamus breue hoc tempus, æquo animo feratis: ac secūdum annum officij uestri uelitis implere. Nos enim ad medium mensis Octobris hinc recedere constituimus, domum reuersuri. Sic enim Cæsaris licentiam non sine labore obtinuimus. In rebus quæ iustitiam concernunt, scitis quia uobis plenum imperium commisimus, hortamur ita faciatis, sicut de uestra doctrina & probitate confidimus. Nec plura impræsentiarum. Redeuntes autem plura uobiscum conferemus. Valete in Christo optime. Ex Grætio Stiriæ X die Augusti, Anno quo supra.

Scribit nouitates & alijs referre iubet, *Epist.* CXXXV.

REuerendissime in Christo pater, & domine mi colendissime post humilē recōmendationem. Magno mœrore confectā esse dignationem uestrā, ex clade Constantinopolitana non ambigo. Quis enim Christianus non doleat tantum uulnus illatum esse Catholicæ fidei? Tristor & ego uobiscum colendissime pater, & quidem si aliquid possem, studerem pro mea uirili quæ Christianæ reipublicæ putarem esse salubria. Sed sum ego priuatus homo, nihil ad me magna pertinent. Vt uestra dignatio quæ inter senatores urbis locum habet, summoq; sacerdoti & assistit & cōsulit, non dubito quin modo summo studio ad ea nitatur, per quæ Turcorum furor ne ulterius ad nos pergrediatur, reprimi possit atque retundi. Nosco enim & cœlum & fauorem animi uestri. Quia non potestis quiescere dum Respublica Christiana colliditur. Noui quoq; sanctissimi domini nostri mentē ad cōmune bonū & solidā & ardentē. Itaque non sum omnino spe uacuus: confido adhuc aliquid fieri, per quod crudeli & enormi uulneri, nuper apud Græcos accepto medeatur. Sane qui sit animus Imperatoris in ea re suis ex literis quas Apostolico culmini scribit plenius intelligetis. Nō est cur multa scribam: hoc solum dico. Nunquam de ulla re Cæsarem, aut frequentius loqui, aut attentius audire, postquàm sibi annis seruio decem, animaduerti, ac tantum in hoc negotio. De Bohemia missæ sunt mihi literæ per capitulum Pragensem, illas dignationi uestræ remitto, ut de his domino nostro sanctissimo uerbum faciatis, & si usu fuerit ad consolationem illorum aliquid rescribatis. Res Prutenorum cum suis ciuitatibus ad XV. dies post festum sancti Michaëlis suspensa est, propter capturam legatorum ciuitatis. Ego statueram hoc mense domum petere, & dignationem uestram Romæ uisere, sed tenuit inuitum me Caspar ad eam diem. Exinde promisit mihi licentiam ad tempus dare quo domum repeterem, uideremq; res Ecclesiæ atq; paternas. Legati prædicti iam redditi libertati feruntur. Axamit qui Vngaros premit dicitur indies maiores clades regno inferre. Recommendo me dignationi uestræ colendissime: cui seruire paratus sum. Ex Creta die X. Augusti. Anno. MCCCCLIII.

Ladislaum Bohemiam intrare coronam suscepturum significat, *Epist.* CXXXVI.

MAgnifice, & generose comes maior honorāde, Non est mihi dubium, quin mihi res Græcorum magnas & tibi & toti Romanæ curiæ occupationes præbeat, ideo te paucis tenebo. Scripsisti mihi pridem uti suaderem Cæsari ne rem Patauiensis, ecclesiæ amplius suspensam teneret, sineretq; promoueri electum. Id feci magno conatu, & multis uicibus: Sed nihil profuit mea solicitudo. Cæsar in suo proposito perseuerat, neque passurus est quantum in se, electum ipsum promoueri, nisi humiliatum. Ille uero nescio quid secreti habeat, superbus est, neque dignatur principi se submittere. Habes quomodo res se habeat. Nunc uestrum est cogitare, & facere quod magis ex usu sit. Neq; aliud circa hoc. Nos hic neq; pacem habemus neq; bellum: pendet utrunque. In Vngaria magnos motos Axamit excitauit, neq; adhuc repressus est Constantinopolitana clades, Vngaris terrori est. Rex Ladislaus ad festum Michaëlis ingressurus est Bohemiam, coronæ suscipiendæ causa. Vale atque his paucis esto contentus.

A tentus. Veniam ad te cito, & si per curas tuas licebit, agam uerbis quod scripto deest. Cupio S. domini nostri pedibus commendatum me facias. Ex Gretio Stiriæ, x die Augusti, Anno M. CCCCLIII.

Expetit sibi statum Italiæ scriptis notificari, Epist. CXXXVII.

VEnerabilis uir amice honorande. Magna mihi consolatio est, quia mihi sæpe de rebus curiæ scribitis: quamuis aliquando quæ nolim audiam. Sed significare oportet & bona & mala quod uos accurate facere gaudeo. Quod non succedit de annuata non miror: Est enim necesse pauperem ut agam uitam, sic mea natura uult. Forsitan propter res Græcorum statuet Papa ex omni clero decimam colligere: id erit, dupli ci malo plectar dum uno cupio liberari. Verum puto me ut pridem scripsi breui ad uos uenturum, tunc uidebo quid nam esse debeat de annuata, & omnem fortunam tolerabo fortiter. Cæsar annuit mihi post festum Michaëlis expedita re Prutenica, ut domum ad tempus repetam. Acceptaui temporaneam licentiam, ac cum domi fuero per literas aliam manendi facultatem uel impetrabo uel extorquebo, ne semper curialem seruitutem seruiam. De Patauiensi ecclesia non uideo quod ex hoc loco unquam possit haberi conclusio. Si tamen Papa per se aliquid ageret, cupio & domini Vlrici Sonnenberger & mei memoriam habeatis. Sed puto mei infortunij augendi causa nunquam eccle B sia Patauiensis expedietur. De pace olim tractata, ut res se habeat, scriptum est à me: pēdent adhuc omnia. Puthaim qui nobiscum prius fuit, iam hostis est, propter stipendia quæ uel nimia petit uel pauca offeruntur. Tractatur tamen de concordia secum, de qua non est magna spes. Sic semper aut bellum est, aut belli metus. Inquieta est hæc terra & assiduis uexatur turbinibus. Rex Ladislaus adhuc est in proposito petendi Bohemiam in festo Michaëlis coronæ suscipiendæ causa. Scribo aliqua reuerēdissimo domino meo sancti Angeli de facto capituli Pragensis, scripsi & prius domino Armano. Rogo petatis ut aliquid respondeant. De bello Italiæ quomodo sese habeat cupio D. Stephani nostri literis instrui. Velitis eum ut scribat commonefacere. Alias dixi me habere literas doctoratus pro amico domini Assisini, eas mecum afferam, sic ei meo nomine dicere non grauemini, & ualete optime. Ex Creta die x. Augusti, Anno ut supra.

Iterum hoc expetit, & quid Papa & Cardinales de clade Constantinopolitana sentiant, Epist. CXXXVIII.

VEnerabilis & eximie doctor amice honorāde, Quæ nuper scripsisti mihi de rebus Italiæ cupide legi, notaq; Cæsari feci expecto ex te plura. Puto nunc de pace apud Italos agi, commonitos clade Græcorum. Apud nos enim fama est Constantinopolim expugnatam esse à Turcis. Peram captam. Naues plures receptas, magnam C Christianorum factā cædem. Nisi ergo nunc inuicem pacificamur, ac de modo resistendi Turcorum furori cogitemus, actum de nobis est. Quippe Cæsar ad eam rem quàm feruentissimus est, si modo Papa & alij Reges concurrere uelint. Oro igitur te ne pigriteris mihi de omni statu Italiæ scribere quid agat in tanta nouitate sacer orbis senatus: quæ mens sit summo sacerdoti, quid prudentes Italiæ uiri de tali concussione Christianorum sermocinentur. Et si res ipsa, quo gesta sit ordine scitur apud uos, cupio id mihi communicatum facias. Nos his in regionibus nihil aliud noui habemus quàm ista de Græcia allata nouiter horrenda & dolenda cuncto populi Christiano. Quæ utinā tam falsa essent quàm uera timeo fore. Vale & me ama ut soles. Ex Grætio die x. Augusti, Anno M. CCCCLIII.

Congratulatur prosperitati successus, & petit certior fieri de clade Constantinopolitana, Epist. CXXXIX.

REuerende in Christo pater & amore frater, Fecisti probè q te possessionē habiturum ecclesiæ significasti. Iam enim scripta nonnullorū ad me uenerant qui se male tibi sperare aiebant, quæ res mihi erat molestissima. Congratulor igitur tibi & gaudeo mihi, quia te pontificem non titularem audio. Tua fortuna omnis mea est, neq; sine me uel tristari uel gaudere potes. Videbo te ut spero propediem. Nam Cæsaris uo-

luntate domum ad dies aliquot repetam. Et si Deus annuet, curabo in ecclesia perseuerare, uiuereq; mihi & populo meo. Interdum & Romam ueniens te conueniam & dulcis nostræ consuetudinis fructum capiam. Quamuis talia iam ex Græcia noua feruntur, quæ nullum Christianum bonam habere mentem permissura uidentur. Apud uos non dubito illa esse quàm notissima. Quare mihi feceris rem acceptam, si, ut negotia Cōstantinopolitana Romæ dicuntur gesta, me docueris. Vale optime & reuerendissimo domino nostro cōmuni cōmendatū me facito. Ex Græcia die *x.* August. Anno *M.CCCCLIII.* D

Hortatur Papam ut Christianos contra Turcos defendat, & innotescit quæ præ manibus sunt inter Vngaros & Australes, Epist. CXL.

BEatissime pater & clementissime domine, post deuota pedum oscula beatorum et humilem mei recommendationem: Scripseram nuper S. uestræ de perditione Cōstantinopolis. Deinde noua hic fuerunt quæ ciuitatem illam adhuc per Christianos teneri dicebant, id mihi ad tempus consolationi fuit. Sed nunc inuenio primum nuntium nimis uerum fuisse. Quibus ex rebus etsi mihi aliter non conuenit de tanta re loqui, tamen ut Christianus tacere non possum. Multa cum Cæsare de hac calamitate reipublicæ Christianæ sum locutus. Inuenio mentem eius bonam, sed impossibile est præclare agere eum cui desunt facultates. Quod si uestra sanctitas cui principes auscultant ad hoc nauarit operas, non est mihi dubium quin furor Turcorum comprimi possit, & E Christiano populo bene consuli. Tanquam igitur uermiculus scripsi nuper, & modo scribo uti ad rem hanc uestra pietas uiriliter assurgat: oro uelit, & toto pectore negotiū fidei suscipiat, scribatq; Cæsari suum propositum qui profecto uolens est, & apostolica mandata totis conatibus exequetur, quemadmodum ex suis literis cognoscetis. De rebus harum partium hæc referre possum. Vngari ad festum sancti Bartholomei proximum conuentum habituri sunt apud Possonium cum Rege suo. Ibi tria dicuntur agenda. Primum, danda est opera ut pax cum Cæsare tractata ratificetur, ad id Australes cupientissimi sunt: Comes Ciliæ alium animum habet. Plus tamen ualituri quàm mali creditur. Secundum est ut Axamit ex Vngaria eliminari possit, qui multas strages Vngaris dedit. Ferturq; iam *XIII.* milia hominum in armis habere, & ad eos iam confugisse Giskram nonnulli tradunt: sed hoc nondum certum est, quamuis recessisse eum mali animi à rege Ladislao constet. Tertium est ut de facto Turcorum Consilium capiatur. Hæc de Vngaris. De Austria hæc sunt. Veniunt nunc ad sanctitatem uestrā legati regis, dicuntur acturi de censuris & de ecclesia Patauiensi. De hoc ultimo scit uestra pietas, quid Cæsari promissum sit. Durum est offendere tantum principem, & Ecclesiam semper uacare fortasse durius. Nescio quid dicam: uestra sanctitas meliorem partem eliget. Aiunt aliqui legatos illos etiam de compactatis Bohemorum cum uestram sanctitate acturos. Nam Rex illa Bohemis promisisse fertur. Male, ut intelligo, res apud Bohemos se habent, quando hæretici dominantur. Comes Ciliæ parum de fide curat. Rex puer tantum cupit quantum sapit. Nūc apud Vratislaum inter Regem Poloniæ et Alberti filiam matrimonium tractatur, crediturq; iam conclusum. Hæc habui quæ modo pietati uestræ scriberem. Commendo me pedibus uestræ S. quam diuina pietas diu sospitem nobis præbeat. Ex Græcio Stiriæ, die *XI.* Augusti, Anno quo supra. F

Constantinopolitana clades ueridicè refertur, Epist. CXLI.

REuerendissime in Christo pater & domine mi colendissime, post humilē recōmendationem. Dedi nuper dignationi uestræ litteras per quas aiebam noua huc delata esse, quæ calamitatem Constantinopolitanam denegarent. Ita equidem factum est: Nam de Venetijs illa uana lætitia uenit. Sed nunc ex pluribus locis habemus nimis uerum fuisse primum nuntium. Nam & Constantinopolis capta per Turcos in seruitutem redacta est, hominū magna cædes facta, animæ multæ abductæ sunt, & alia pleraque loca occupata. Quibus ex rebus uerisimile est superbum & crudelem hostem non quieturum, neque per ignauiam & socordiam tantam uictoriam neglecturum. Incumbit ergo apostolico culmini, de tanti periculi auersione cogitare, admonere prin-

A cipes ac populos, instare, uigilare, festinare, nihil omittere ex his quæ ad reipublicæ salutem pertineant. Ad quam rem licet sacrum orbis senatum ardentem non ambigam, tamen dignationem uestram pro ueteri seruitute mea his paucis onerare præsumpsi, quibus me ueluti Christianum de talibus nouitatibus anxium esse, catholicæ religioni timere & prouisionem optare significarem. Neque alia super hoc modo de rebus Bohemicis aliqua nuper dignationi uestræ significaui: Si per occupationes uestras licet, cupio responsum habere. Meq; uestræ P. reuerendissimæ quoad possum facio commendatũ, quacunque in re possum illi seruiturum. Ex Græcio Stiriæ die XI. Augusti, Anno M. CCCCLIII.

Autoritatem absoluendi impetrat uicario, Epist. CXLII.

Reuerendissime in Christo pater & domine mi colendissime post humilem recommendationem. Assumpsit alias uestra reuerendissima P. ad preces Imperatoris in suum uicarium honorabilem & modestum uirum dominum Iacobum Plebanum in Stain, qui & Cæsari charus est & omnibus acceptus. Verum in literis uicariatus nulla ei facultas cõmissa est, aut conferendi beneficia, aut in casibus reseruatis absoluendi delinquentes. Sed hanc facultatẽ habere dicitur episcopus Pectinensis, quæ res domino Iacobo grauis est. Audire enim causas & corrigere excessus odiosum est, nisi & potestas sit absoluendi, & gratias concedendi. Credit autem ipse & mihi satis uerisimile B uidetur dignationem uestram id inaduertenter obmisisse. Eapropter multum desiderat ut officium suum ampliare dignemini, & potestatem super præmissis sibi concedere. Ad quam rem quia Cæsar scribit, non est opus multa me uerba facere. Tantum testificor id futurum Cæsari charissimum & dominum Iacobum pro sua uirtute hoc honoris mereri. Cupiens etiam meas preces apud uestram dignitatem sibi utiles esse. In partibus istis non habemus alia noua, nisi illa horribilia & dolenda de Constantinopoli perdita. Quæ ut nos hic conturbant, sic & dominum nostrum & sacrum collegium mœrore afficere non ambigo. Velit autem pietas diuina omnibus Christianis Regibus mentem dare, ut super his cogitent, & ad obuiandum Turcorum potẽtiæ festinent: de qua re parum spero, nisi dominus noster sanctissimus eius rei se principem præbens, dormientia hominũ pectora excitauerit. Recõmendo me reuerendissime paternitati uestræ, ad cuius mandata paratissimũ me semper habebitis. Ex Græcio die x. Augusti, Anno M. CCCCXLIII.

Excusat se cur patriam, ut dixit, reuisat, Epist. CXLIII.

Eximie Doctor amice colendissime, quod ad me non scripseris per Oratorem Regis tui id arbitror causæ fuisse, quia non putasti me iam redisse in patriam. Nã quod mei oblitus sis non cadit in mentem. Noui enim quia tenaciter amas, neq; puerorum more uariaris. Miraberis ergo cum scripta hæc recipies in quibus me intelliges ad- C huc Germanum esse ac uitam in exilio ducere, cum tibi me breui domum uelle repetere dum penes nos aderas affirmauerim. At causa remansionis meæ fuit bellum Thusciæ quod Rex Aragonum Florentinis intulit. Id enim patriam meam in turbine multo tenuit, qua de re fuit mihi antiquius abesse. Nũc uero quando obnixè summus Pontifex paci faciundæ operas nauat. Spero me breui ecclesiam meam repetiturum, ac dulcibus amicis & proximis usurum, quibus iam duobus & uiginti annis carui: quamuis aliquando paucis diebus domi fuerim. Hæc uolui tibi uelut amico scripsisse, cui omnia Consilia communicanda sunt. Quæ apud nos agantur ex Oratore regio plenius intelliges. Cæsarea coniunx bene ualet, scitq; hominibus ut sunt uti, magnumq; in tota Germania pulchritudinis nomen habet, sed maius prudentiæ atq; modestiæ: utinam & soror una ex suis ad partes hac nuberet. Sic enim soror sorori cõsolationi esset: ad id ego quãtum ualeo tantum nitor & consulo. Rogo te serenissimo Regi tuo quem nostri seculi decus magnum esse confirmant, commendatum & deditum me facias. Dominum Lupum si redierit saluum dicas meo nomine, & similiter alterum Lupum qui quondam Basileæ mihi beneuolus & singularis amicus. Vale cum coniuge & liberis si qui tibi adhuc nati sunt. Ex Græcio Stiriæ die XXIII. Augusti.

Promouet,

Promouet dominũ Pirkamer contra, D.Pet. Knorren de ecclesia sancti Laurentij in Nurenberga, Epist. CXLIIII.

BEatißime pater & clementißime domine post deuota pedum oscula beatorum & humilem mei recommendationem. Quamuis meis literis iampridem spectatum & doctum uirum dominum Thomam Pirkamer in iure canonico licentiatum, uestræ beatitudini cõmendauerim, super lite quam habet de ecclesia sancti Laurentij Nurbergensis, cum aduersario suo. Tamen quia lis ipsa nondum decisa est, non ab re puto eundem uestræ pietati de nouo facere recommissum, ut in suo iure confoueatur. Neque enim aliud is petit quàm iustitiæ complementum, quod etsi sperare omnes de summa uestræ sanctitatis æquitate poßint, hunc tamen nonnullæ prærogatiuæ certum reddere uidentur. Nam etsi ambo collitigantes boni uiri sunt, docti, & beneficio de quo litigant digni, quia tamen unius esse debet, non duorum, hic merito præferendus est, qui & possessor est, & ciuis & acceptus populo. Quodq; magis ponderandum arbitror, etiam Cæsarea maiestas huic affecta est, eumq; in sua ciuitate hoc beneficium obtinere apprime cupit, quemadmodum ex suis litteris uestra clementia plenius intelliget. Quibus ex rebus ualde utile putarem si fieri posset quod in hac ecclesia prædictus Thomas quietus dimitteretur, & aduersario suo de aliquo alio beneficio per modum concordiæ prouideretur. Sic enim uestra sanctitas illis ciuibus Nurenbergensibus de sede apostolica bene meritis specialißimam gratiam faceret, ecclesiæ bene consuleret, uirum bonum promoueret, & Cæsareo culmini, cui res cordi est, complaceret. Hæc pro debito meo erga pietatem uestram uolui scribere, cui me iterum atque iterum facio commendatum. Ex Græcio die. XXIIII. Augusti, Anno. M.CCCCLIII.

Impetrat cuidam gratiam Cæsaris, Epist. CXLV.

Aeneas Episcopus Senensis, docto & prudenti sacerdoti domino Ioanni Forster amico suo, S. P. D.

BInas epistolas tuas per hos dies accepi: In primis commendasti amici tui causam: In alteris tuum negotiũ. Primis, ut te latere non arbitror, abunde satis feci. Alteris quoque gesßi, ut potui, morem. Fui cum Cæsare, de tuo casu locutus. Ostendi tuam innocentiam, monstraui tuam fidẽ, de tua doctrina sum locutus. Supplicaui ut te in gratiam reciperet, uelletq; te suis in dominijs tuto esse. Præsentes fuerunt Vlricus Sonnenberger & Ioannes Hinderbachius uiri boni & tui amantes. Respondit Cæsar nihil se habere aduersum te, fauereq; tibi, quando uelles in suis territorijs moram faceres. Dominus Iacobus tunc ægrotus fuit neque potuit sermoni interesse. Quantum tamen ad hanc partem, res tua absoluta est, potesq; cum uoles tuto uenire. De seruitio aũt nescio ubi nunc id tibi patere poßit. Si uenerit Saltzburgensis antistes, ero tui memor, studeboq; tuam conditionem efficere meliorem. Apud me nõ uacat locus, familia mihi æquo maior est, & ego indies dispono domum repetere seruilemq; hanc uitam relinquere. Hæc ad causam dicta sint: Tuas literas probo & commendo & suadeo uti perseueres. Doctus es, fies breui doctißimus, neq; uirtuti tuæ locus deerit. Vale ex Græcio Stiriæ, die XXV. Augusti, Anno. M.CCCCLIII.

Significat amico infirmitates suas, Epist. CXLVI.

LIteras tuas, amantißime frater sanus accepi, quibus ægrotatus respondeo. Quæ res ualetudinis genus, neque ab re, adeò nullum mihi ignotum est. Nulla sunt corporis aut incommoda aut pericula, quæ non pertulerim. Febrium mille species sum expertus, in usu ueluti quotidiano morbo aßignatus sum. Calculi paßio familiaris est mihi. Dolores iliorum Romæ duodecim diebus me uexarunt. Oculos Peregi perdidi. Dolui dentes in ultima Britaniæ parte quam nunc appellant Scotiam non sine cruciatu podagra, quocunq; terrarum pergo, me sequitur. Quid stomachi debilitatem aut uentris torsiones referam? Nulla mihi molestia corporis non est nota. Vnum erat incommodum quod nõdum attigeram, urinarum profluuium, ac uesicæ laßitudo ueluti quædam paralysis. Id nunc experior, non sine corrosione carnis & fluxu sanguinis:

A guinis: Credo te cum hæc audies crediturũ me magnopere afflictũ esse, neque falleris si ita credis. Crucior enim & torqueor non corpore solum sed etiam mente. Cuius enim tam ferreus animus est ut dolente corpore non doleat? Coniuncta sunt hæc duo corpus & animus, neq; dum gerunt hominem alterum alterius non turbari molestia potest. Verum ego etsi angor, non tamen ita consternatus sum ut non animum ad mentem reuocem cogitemq; dolores istos aliquando uel sanitati finiri uel morte. Medicus mihi uir bonus & mei amantissimus quem optime nosti, nobilis eques Iacobus de Ladrona spem salutis proximam facit, cui ego multum tribuo, & propter doctrinam & propter fidem quam scio in eo summam esse. Itaque spero me breui conualiturum. Quod si Deus dederit, mox equum conscendã, ad te ueniam domi quod superest uitæ consumpturus. Cogito tamen & in alteram partem res posse deflecti. Namque cum dubia uita sit bene ualentis, quæ nam potest in ægrotante certitudo reperiri. Existimo fieri posse ut uel hoc augescente morbo, uel alio superueniente, uitam ei qui dedit reddam. Neque in hoc mihi consolatio deest. Nam etsi mori extra patriam longe à necessarijs nonnulli miserum putent, ego quoque libentius inter meos quàm inter exteros morerer. Nescio enim quomodo Mollius ossa cubent manibus tumulata suorum. Teneo tamen mente quod ille ait non incelebratus Philosophus, undiq; tantundem esse ad inferos uiæ. B imò etiam ad superos ad quos me transiturum non despero. Nam etsi magna peccatorum sarcina premor, maiorem tamen esse diuinam misericordiam quàm meam iniquitatem non dubito. In hac confido, in hac me totum resoluo. Nec ego cum illis sentio qui post hanc uitam extingui animos putant, ac propterea mortem timendam negant in qua nihil sit mali, mortemq; dicunt esse totum quod ante nos fuit, & quod nobis desinentibus est futurum. Nam quid homini molestius dici potest, quàm eum ita desinere morientem ut nihil omnino post mortem sentiat? Sitq; uelut extincta lucerna quæ neque priusquàm accenderetur; lumen habuit, neque cum extincta est habet. Hæc enim si crederem, terrerent me profecto moriturum. Sed persuadeo mihi uerum esse quod magni Philosophi tradiderunt, quod Christus saluator prædicauit, quod mater Ecclesia docet exutis corpore animabus, uitam esse alteram in qua boni à malis seorsum habitent, & alij beatam, alij miseram uitam, prout in corpore gesserunt, recipientes. Hæc mihi uera consolatio uidetur, cum uita excedendum sit, sperare, in Concilium migrare sanctorum, ascendere super sydera, intueri cœlum, coniungi beatissimis angelis, diuinitatis infinitatem intelligere, cognoscere trinitatem, & omnium quæ nobis in terra manentibus obscura uidentur, tenere causas, rationes inspicere: atque mihi ita nedum in morte nihil mali, sed multum boni esse persuadeo. His tamen quos Christus ad se uocat: uocat autem omnes qui cum uocantur, libenter eum comitantur. C Talibus ego inter ægrotandum exhortationibus utor. Præparo me si uocer ad exitum, ut si forte uita pellar seculi huius, non tam hinc eiectus quàm desuper citatus uidear. Hæc tibi pro ægrotatione mea sint dicta. Verum quia tibi nihil tacendum est, non me solum ualetudo mea commouet, sed etiam Petri nepotis qui febribus acutissimis detinetur. Iam tamen meliuscule se habet, extra periculum positus fuit, non sine discrimine liberatur, non sine tempore. Libratim, ut aiunt, morbi ueniunt, unciatim abeunt. Sed ista parentibus suis occultanda sunt, curandumq'ue est ut filium prius sanum intelligant quàm ægrotum fuisse cognoscant. Nunc ad id uenio in quo me uehementer accusas, uelut patriæ parentum, & amicorum penitus oblitum, qui nolim domum redire. Non sum Gregori, ut æstimas meorum immemor. Dies noctesq; dulce solum patriæ ante oculos habeo. Nunc matrem, nunc sorores, nunc nepotes, nunc te mente reuoluo. Neque aliud cupio quàm domum quàmprimum repetere. Miror te posse opinari de me. Scribis etenim ubi ego uel dulcius, uel suauius esse posim, quàm ea in terra quæ me produxit, & usque in uirum aluit, ubi amicorum copiam habeo & propinquorum, & quod maximum est, cum autoritate & honore inter meos esse posim. An non putas me cupide ad ea colloquia reuersurum,

quæ

quæ aliquando simul amici consueuimus. Vbi nunc Marianus Zosinus, nunc Franciscus Patricius, nunc Georgius Andrentius sermonem habeat? An non me delectabit, modo Franciscum Ptolemæum, modo Ioannem Campanium iam mihi episcopali dignitate æquatum audire loquentem. Prætereo dulces cognatos et affines. Festino sane, neque aliud cogito, nisi ut quantotius ad uos redeam. Sed curo ne dum tuo meoq; desiderio satisfacere conor, Cæsaris animum offendam. Decimum sibi iam annum seruio, inueni gratiam in oculis eius, creui sub eius umbra, multum me sua benignitas extulit, do operam cum bona gratia ab eo recedam, ne malus sit finis, ubi principium bonum meliusq; medium fuit. Omnium rerum exitus extimari solet. Petiui per hos dies licentiam uisendi domum, eamq; Cæsar ita mihi concessit, si prius inter Prutenos iudicium ageretur, cui dies XII. Kalendis Nouembris dicta est. Illum ergo expectare non Cæsarea solum uoluntas, sed etiam ægritudo me cogit. Tunc autem si sanitas aderit, itineri me statim committam. Interea m te rogo mearum rerum curam geras, matrem meam commendatam habeas, Bartholomeum cognatum quem senio grauem accepi, meo nomine uisites, uicarium horteris officium ad reditum continuare, Bartholomeum, procuratorem domesticæ curæ solerter intendere. Amicis omnibus ex me multas salutes dicas: Senatui ciuitatis me commendes, cui ex his regionibus paucas nouitates referre possum. Nam dolendum illud & acerbissimum Constantinopolitanum nouum, iam uetus apud nos est. Stulte Christiani principes egerint, nisi furentibus Turcis occurrere studuerint. Germani modo pacati sunt, & si quis eos ad eam rem excitaret, non apti modo, sed etiam uoluntarij reperirentur. Rex Vngariæ in Posonio conuentum regni habet. Tria ibi tractantur: De modo expellendi latrones qui regnum infestant: De pace cum Cæsare firmanda: ac de modis inueniendis per quos Turcorũ conatus ne ulterius serpat, cõprimi posit. Vale ex Creta Stiriæ III. die Septẽbris. Anno. M. CCCCLIII.

Sperat Ladislaum Regem Vngariæ cum Cæsare pacem confirmare. *Epist.* CXLVII.

Aeneas &c. Henrico Senftleben.

VEnerabilis amice charissime, Gratæ sunt mihi semper literæ uestræ, ex quibus nõ mea solum negotia quem cursum habeant, sed etiam de statu curiæ, ac etiam totius Italiæ certus fio. Pro quibus rebus ingentes uobis gratias habeo. Intellexi quæ nuper egistis in recessu Cardinalis sancti Angeli circa remissionem annatæ: obligatis me dietim magis: faxit Deus ut aliquando uices rependere possim. De Constantinopoli cognoui quæ scripsistis. Ego quoque prius in ea re uobis litteras dederam. Calamitosa & deploranda res est. Sic nostræ nequitiæ flagitant: discordamus omnes, uulneramus nosipsos, intus cedimur, & exterius flagellamur: ultio peccatorum est, res malæ sunt, spes uero multo peior: nam quæ tanto uulneri medela paretur non intelligo: dormiunt nostri principes, de salute communi nemo cogitat, nisi Pontifex Maximus quem de pacanda Italia sollicitum esse accipio. Nescio quantum eius uotibus Itali pareant. Sed & tanta res quanta est Turcorum potentia non Italos solum, sed omnes contra se Christianos exposcit. Nos istis in partibus quieti sumus. Gregorius de Puchaim Cæsari reconciliatus est. Rex Ladislaus in Possonio conuentum habet regni Vngariæ: speratur confirmaturus cum Cæsare pacem. Nam satis habet per se negotij aduersus Axamit, qui cum magna multitudine latronum Sepusinos uexat. Cogitare quoque de Turcis ultra omnes Christianos Reges habet, qui eis uicinus est. Promisit etiam Bohemis ad festum Michaëlis proximum Bohemiam ingredi coronam recepturus, quæ res forsitan facient pacem cum Cæsare ut libentius amplectatur. Hæc habui quæ nunc ad uos scriberem. Finito negotio Pruthenorum cuius causa manere me Cæsar uoluit, domum repetam tumq; uos uisere curabo. Eius rei dies est XXII. Kalendis Nouembris. Valete ex Creta die III. Septembris Anno. M. CCCCLIII.

Patauiensis

Pataviensis Episcopus electus praepeditur confirmari propter Caesaris indignationem, Epist. CXLVIII.

Aeneas Senensis episcopus D. Petro de Noxeto.

A MAgnifice comes, maior honorande post recommendationem, susceptis literis tuis unà cum breuibus S. domini nostri, mox Cæsaream maiestatem audiui quæ tunc forte in mẽsa sedebat. Expectaui finem prandij, deinde semotis arbitris, reddidi sibi apostolica scripta, fingens me nescire quid illa continerent. Cæsar ut aperirem utq; legerem iussit, quo facto remansit aliquantulum territus, dixit alia ista scripta sunt, quàm quæ nuper accepimus. Cui ego, noua, inquam, Cæsar impedimenta, noua remedia quærunt. Deinde prosecutus multa in eam partem locutus sum, ut mentem Cæsaream ad uoluntatem domini nostri sanctissimi perducerem: petiui quoque dari responsum. Sed multum animus eius turbatus erat, duo potissime considerans: Vnum quod electus contra uoluntatem suam in ciuitate imperialis feudi obtineret episcopatum. Alterum quod tam manifestè et publicè per Oratores electi diffamatus esset. Quibus cum mederi uerbis studerem, responsumq; tandem deposcerem, Ait se uelle reliquos consiliarios habere atq; cum his plenius deliberare, iussitq; ut cum illis uenirem ad se. Res est dilata per aliquos dies ut est modus curiæ nostræ, quæ nihil absoluit sine mora. Cum reuentum esset ad Cõsilium, Magister Vlricus Sonnenberger & ego soli fuimus, qui partes electi iuuimus, conatiq; magnopere sumus Cæsaris mentem ad illum inclinare. Sed

B neq; Cæsar flecti potuit, neq; reliqui consiliarij eius propositi erant ut electo mos gereretur. Sic res impedita, est eò tamen deductum negotium est, ut placeas Cæsari, ecclesiæ Pataniensi prouideri de quacunq; persona excepto electo, quemadmodum ex literis imperialibus plene percipies. Neq; plus hac uice obtinere potui. Facit sibi hoc incommodum electus ipse, qui nimis uisus est Cæsarem paruifacere. Misit enim huc ex suis unum secretissimum Marescallum nomine curiæ suæ per eumq; non decem milia, ut mentiti sunt Oratores sui Romæ, sed duo milia tantum florenorum obtulit, si Cæsar sibi iniurias remittens pro eo Papæ scriberet. Visum fuit Cæsari graue, tantam iniuriam pro tam parua pecunia remittere. Ille autem dixit, se ad suum dominum iturum, reuersurumq; post dies aliquot cum maiori potestate, sperareq; bene posse negotium terminari. Sic ille abijt, neque unquam reuersus est. Scripsimus Magister Vlricus & ego ipsi electo sperabamusq; negotium pro minori summma posse componi, quàm sex milium florenorum. Neque putabamus rem illicitam quod ille pecuniam daret pro offensa domino suo facta, si gratiam mereri uellet. Est enim modus omnium gentium ut damna pecunijs resarciant. Ille autem electus qui pluries mihi scripserat & Magistro Vlrico ut causam suam adiuuaremus, neq; nuntium ad Cæsarem remisit neq; ad nos rescripsit. Nesci

C mus quæ causa eum retinuit, nisi quia putabamus habuisse eum scripta de curia, per quæ certificatus sit etiam inuito Cæsare Papam sibi prouisurum. Sic bonus uir sibipsi turbas facit: Et nunc procuratores sui Cæsarem publice diffamant, quod quàm moleste Sublimitas Imperatoria tulerit nequeo exprimere. Vtcunq; sit, Cæsar ad id deuenit ut placeat ei ecclesiæ Patauiensi, de quauis persona prouideri, dum modo electus excludatur: per hanc uiam poterit dominus noster ecclesiam illam pacificare. Neque enim difficile erit alium reperire qui suam ecclesiam electo tradat, & accipiat Patauiensem, uel Frisingensis, uel Brixinensis, uel Eystetensis, uel Augustensis, uel alius quiuis requiratur. Mihi tamen hoc medium uidetur magis quod subijciam, uidelicet, quod dominus noster sanctissimus onus hoc concordandi electum cũ Cæsare in se susciperet, & faceret quod electus ratum se habere promitteret, quicquid per suã sanctitatem determinaretur dandum Cæsari pro satisfactione iniuriarum. Putarem enim hoc Imperatorem non recusaturum, & sic ille ecclesiam obtineret: alioquin non intelligo quod Papa posit sine indignatione Cæsaris hunc electum promouere, & possent in hac re nasci multa mala. Nec expediret inter Papam & Imperatorem, qui modo se summe amant nasci rubiginẽ propter hanc ecclesiam. Quod literas meas legis & summo Pontifici quatenus opus est exponis, maximæ mihi uoluptati est, multumq; idcirco tibi sum obnoxius. Neq; expeto ut

rescribas semper qui tuas occupationes innumeras esse scio: satis superq; satis est, si scripta mea dignaris respicere, tua tamē humanitas omnem laborem uincit, & mihi uel manu propria rescribere non refugit. Est in te cōstans amicitia neq; defluet amor tuus. Adhuc te Basiliensem recognoscis, & usuræ ueteris memoriam tenes. Scis quantas simul duximus noctes, pauci ex Academia supersunt, multi ex amicis ueterib. periere. Quanto numerus amicorum restrictior est, tāto decet amorem esse feruentiorem, quem te præstare in me summum nescio dicere quantum me delectat: tu te ipse melius cogitabis, qui meos mores egregiè calles. De patria quæ scripsisti plenè apud me nota sunt, doleo terram illam tot cladibus affici. Spero tamen sapientiam summi Pontificis id curare, ut nostris saltem diebus ultimis pacem habeamus. Quod si Christiani principes non tantum sapuerint ut inter se lites finiant, inuenient qui eos docebit, Turcorum Imperatorem, et illa de nobis fabula decātabitur, quam de rana & mure scribit Aesopus. Deus tātum facinus auertat. Verum ut de domo mea dicam, quamuis hoc tempore non fuissem illic quieto animo ut ais, tamen illi ciues frequentibus me literis uocitant, meam moram tam diutinam egerrime ferre uidentur. Nunquam ex Thuscia nuntius uenit absque citatorijs literis. Sunt modo preces, modo minæ quibus ad reditum uocor. Non uideo me posse amplius obsistere. Cognosco me senem & morbis quàm pluribus grauem. Itaque statuo si Deo placuerit in patria mori. Rogauiq; Cæsarem ut indulgeret me domum uisere. Concessa est mihi licentia circa festum Martini quindecim ante diebus: eo tamē pacto ut redeam in curiam. Dico me reuersurum si commoditas affuerit. At cum domi fuero per literas me absoluam. Neque enim meum est semper exulem esse: scio nō multos mihi annos superesse, ne dicam dies, eos dignum puto inter dulces cognatos & affines consumere, quorum mihi & magna & honesta copia est. Hic puto multos esse qui propositum meum damnabunt, & illos potissime qui me maiorem cupiunt. Dicēt. Si mansisset Aeneas apud Cæsarem, hoc illi & hoc euenisset. Fateor Petre amantissime me pluris fieri dum Cæsari seruio, quàm dum maneo domi. Sed quid ad me falsa hominum existimatio? Nolo ex alieno pendere: In me mihi stabilitatem quæro. Nolo semper seruire, mihi uiuere aliquando decreui. Quis præterea nouit si apud Germanos manens melius habiturus sim? Ego de me ipso iudico quod in alijs inspicio, & quæ peiora sunt posse mihi accidere non dubito, præparoq; pectus meum aduersus omnes fortunæ contumelias, si contra me uelit irasci: quamuis in hanc usque diem non habeo quod fortunam accusem. Nam siue honores siue opes siue alia huius seculi bona inter homines æquæ distribuantur, scio me plus uirili parte assecutum. Itaque nihil mi Petre, cur non bono animo esse debeam. Facio quod suades, lætus sum, Gaudeo his quæ possideo bonis, gaudeo in amicis, gaudeo in meipso. Vtinam in alio seculo mihi secūda sint omnia quantum in præsenti fuere. Quis enim me miserum dicere possit, qui & summi Pontificis & Imperatoris gratiam reperi? Magna consecutus sum tuo fauore, & sanctissimi domini nostri benignitate, neq; despero quin alia etiam maiora ex uestra beneficētia suscipiam. Non tamen id apud me firmum est, scio posse mutari apostolicā mentem, & alia multa contingere propter quæ fallatur opinio mea: imò, ut uerum fatear, persuadeo mihi nihil futurum ex his quæ magna uoce uel mihi uel Cæsari sunt promissa. Non quod uerba reputem data, sed quia mortales intelligo mores. Reuertar domum ut is qui uelit inter suos mori & iam se muneribus huius seculi defunctum putet: si quid præter spem euenerit, id cum Terentio nostro deputabo esse in lucro. Forsitan aliquis erit qui cum turbinibus seculi exemptum me uiderit, O Aenea, dicat, solus scis uiuere, sicut de Vaccia dictum scribit Seneca, & si illud non probat. Hæc uolui apud te dixisse, ne mentem me putes grauem habere, qui iubes & bene iubes, ut animo bono sim: sum non bono solum, sed etiam iocundo, atque eo magis læto quod te cito uisurum me arbitror. De literis militiæ tuæ quàm primum Cæsari uerbum feci, mox commissa res fuit. Amat enim te sua maiestas tibiq; gratam rem facere cupit, ac de tua uirtute grauiter & magnifice loquitur. Titulus literarum erit ille quem denotasti. Neq; deinceps tibi magnifico scribetur. Gubernatorem Cancellariæ nolui in hac re tua onerare, quem neque in meis

nunquam

A numquam negocijs accedo, neque enim mihi amicus est. Sed habet Cæsar duas Cancellarias, Imperialem & Australem Qui Australem regunt ad unum omnes mihi beneuoli sunt, ibi ego omnia expedio. Illic est Magister Ioannes Hinderbachius decretorum Doctor singulari beneuolentia mihi coniunctus, huic prouinciam commisi, is rem tuam libenter absoluit & animo uolenti. Itaque literæ tuæ per latorem præsentium expeditæ ad te ueniet. Cum hæc scripsissem, placuit Ioanni Hinderbach qui intra decendium ad curiam uenturus est literas tuas retinere & illas secum afferre, ut cum aliquo munere ad te proficisceretur. Nec ego id sibi negare uolui quando nullũ exinde præiudicium fieri tibi cognoscerem, nisi decem dierum moram interuenire. De beneficijs Patauiensibus ad eum modum distribuendis, ut scribis, habeo tibi ingentes gratias, precorq́ id solidum esse procures, si confirmari eum aut prouideri sibi contingat. Post hæc iam scripta captata hora magis felici, allocutus sum iterũ Cæsarem super facto præfati electi, dixiq́ sibi me timere ne tandem Papa cogeretur electo prouidere, quia non facile reperiretur, qui promouendus esset ad ecclesiam quã alius possideret, durumq́ esset Romano Pontifici insignem ecclesiam diutius uacantem dimittere, & multorum principum pro electo rogantium spernere preces. Quod si ille promoueretur inuita sua Maiestate, nimis sibi dedecorosum esset. Ex alia parte considerare me aiebam, graue esse suæ Serenitati consentire, quod suus inimicus non reconciliatus, et qui nullam super damnis &
B iniurijs satisfactionem impendisset, ad ecclesiam insignem sui feudi promoueretur. Ob quam rem retuli me reperisse unum medium, per quod & sanctissimo domino nostro Papæ & suæ Maiestati mos gereretur. Id autẽ huiusmodi proposui Sanctissimo, quod sua Maiestas remitteret ad dominum nostrum S. plenum arbitrium componendi secum, ipsum electum, et inducendi eum ad satisfactionem pro damnis et contumacia impedientem, & quicquid dominus noster in hoc facto ordinaret, Maiestas Imperatoria ratum haberet, prouiso quod similiter electus ipse domini nostri arbitrio acquiesceret. Confirmabam enim sperare me S. dominum nostrum inducturum illum electum ad conuenientem recompensam, & tunc ille sine cõtrouersia posset promoueri. Ad hæc dixit Cæsar se de domino nostro clementissimo plene confidere: Iussit tamen in Concilio rem proponi, quo facto omnes Consiliarij hoc mediũ commendarunt, & ita cõmissum mihi fuit, ut Beatitudini domini nostri scriberẽ. Sic ergo dominus noster dignetur hoc negociũ in se assumere & inducere electum ad humilitatem et satisfactionem, quoniam Cæsar de suo arbitrio contentus remanebit. Alioquin uero stante illo contumace, nunquam consentiret eum promoueri, quemadmodum plenius & apertius super hoc de mandato Cæsareo apostolico culmini scribo. Non fuit uisum certis de causis quod imperator hoc scriberet, sed ueniet intra paucos dies ad curiam Romanam super uno alio
C satis magno negocio, dominus Ioannes præfatus & ipse de hoc plenam habebit potestatem. Tamen ex nunc Cæsar contentum sese dicit in eo futurum esse, quod S. domini nostri inter ipsum & electum duxerit ordinandum, ita tamen quod ille de damnis & iniurijs illatis aliquam faciat emendam, tantis excessibus conuenientem. Habes quid in re Patauiensi per me factum sit, non potui plus, sed per hunc modum existimo negotiũ ipsum bene consummari posse. Vocet pietas domini nostri procuratores electi, qui dicũt multa Imperatori oblata, & dicat eis se uelle negotium componere, & si habẽt potestatem iubeat eos scribere domino suo & facultatem quærere: eo modo aut res uotiuã habebit expeditionem, aut honestius illis resistetur. Potest autem S. dominus noster scribere Cæsari se huiusmodi medium à me sibi transcriptum esse de mente & uoluntate suæ Maiestatis, & dicere quod id uelit arbitrium acceptare, & tunc res erit planissima: & si uidetur, bonum esset quod super hoc literæ apostolicæ ad me mitterentur ante quàm hinc discederem. Sic enim magis instructus ad uos uenirẽ, nec alio modo. Vale optime & me summo Præsuli commendato, curatoq́ ut sua erga me benignitas augeatur potius quàm minuatur: Itidem ego pro te apud Cæsarem facio sedulo, de tuis familiaribus teneo quæ scribis. Vale ex Græta, die XVIII. Septembris. Anno M. CCCCLIII.

Gratulatur de promotione amici in Episcopum. *Epist.* CXLIX.

Reuerendissimo in Christo patri domino Ioanni de Agazoria ecclesiæ *Grossetanæ Pontifici, Aeneas Episcopus Senensis S. P. D.*

FVerunt mihi gratissimæ literæ tuæ ex quibus factus sum certior non solum de tua dignitate, uerumetiam de summa felicitate qua in hac promotione es usus, qui celerrime atque uno impetu ad summum euasisti. Sentio me propterea Deo gratum quando & amici mei suæ pietati sunt chari. Tres uno anno ex his, quos in primis amaui, exaltati sunt Nicolaus Amiclauus ecclesiam Mediolanensis, sortitus est: Ioannes Campisius ad Placentinam uocatus est: tibi Grossetana obuenit. Quis non me felicem dixerit, cuius amici sunt fortunatissimi? Verum Ioannes amantissime, duobus illis longe à me positis, uti non possum nisi literis. Te frui etiam præsente potero festinoque ut quàm celerrime ad te ueniam, teque complectar et unà uiuam tecum. Nec scio quid hoc tempore ex diuino munere magis optare potuerim, quàm quod diuina pietas in te mihi præsciuit. Ago sedulo superis gratias, qui me respiciunt, dum meos amicos extollunt. Intelligo ex tuis scriptis quod necessarius sit meus reditus ecclesiæ meæ. Idem quoque cæteri scribũt, omnes me uocant amici, necessarij, noti: uincor, ueniendum est. Nam etsi Cæsari molestam rem facio, neque summo Pontifici morem gero ex Almania recedens, satis est quod patri ipsi satisfacio. Facessant omnes aliæ species: mihi uiuere cum Ioanne Grossetano Pontifice, cum Mariano Sozino, cum Francisco Ptolemæo, cum Græгorio Lollio, cũ Patritio, cum cæteris amantissimis patriæ meæ ciuibus, maius duco quàm Papæ aut Imperatoris gratiam. Diu curialem seruitutem seruiui, diu militiam secutus sum, mitti tandem debeo & inter ueteranos computari. Quæris quando hoc erit? Ante Martini festiuitatem hinc abire decreui. Quamuis scribis non esse timendum bellum quia Romanus Pontifex paci operam nauat, ego tamen maxime anxius sum, neque de pace magnam spem habeo, nisi Deus oculo mitiori Italiam intueatur. Accipiam tamen iter etiam cum discrimine: Raro enim res meæ sine periculo fiunt: habeo Deo Grates, quia superare soleo qua suis difficultates. Idem nunc mihi suadeo, & si frequenter obiecta sese periculis quàm periculosissimum sit. Quod sponte offers in agendis ecclesiæ meæ tuum auxilium, accipio admodum libenter. Nam id erit non utile solum, sed etiam necessarium. Germanum tuum cupio bene ualere, & tu optime uale, Ex Græta, die XXV. Septembris, Anno quo supra.

Promouit quendam in Consiliarium Cæsaris. *Epist.* CL.

EXimie Doctor, amice charissime. Non habui dudum ex te literas, nescio quo pacto uales, cupio tibi bene esse, te memoriam mei habere, tui ego nisi fortasse dormiens, immemor esse non possem: hodie de te Cæsari uerba feci qui libenti animo in Consiliarium suum te accepit. Literas eius rei intra paucos dies accipies per dominum Ioannem Hinderbach, qui ad curiam uenturus est orator imperialis, ei suis in rebus assistere te oratum uolo: interea uiue nostri amans & quæ geruntur in Italia tuis literis me scire curato. Vale ex Greta, die XXIX. Aprilis, Anno quo supra.

Baro de Puchaim Cæsari conciliatur. *Epist.* CLI.

MAgnifice uir, maior honorande, Scio te magnis urgeri curis, tum propter negotia Italica, tum propter cladem Constantinopolitanam, ideo te multis uerbis tenere non audeo: quia tamen necesse est Pontificem Maximum quæ apud nos geruntur intelligere, scribam tibi quam breuissime harum partium statum: tu deinde suæ sanctitati pro ut dignum putabis, scripta mea referes. Cæsar Baronem quendam quem uocant de Puchaim superioribus diebus, aduersantem habuit. Is modo reconciliatus est accepta quadam pecuniæ quantitate super cæteris contentionibus arbitrio Cæsaris se submisit. In Vngaria, ut alias apostolico culmini scripsi, surrexit quidam latro nomine Axamit, qui cum magna prædonum manu regnum uexat, neque gubernator potens est cum regno depellere. Ob eam causam habet per hos dies Rex Ladislaus

A laus omnes regni proceres apud Possonium congregatos, cumq; his consultat, quo nam pacto regnum expiare latronibus posit. Vualachi quoque contra gubernatorem arma mouerunt, quem dominari sibi ægreferebant. Est etiam quod de Turcis in eo conuentu cogitet, quos proximos habet, & iam noua elatos uictoria plurimum timet. Quæ res compulsura Vngaros creditur, ut pacem quã diu cum Cæsare refutarunt, ultro deposcant, nisi malitia hominum magis ac magis excreuerit. Idem Rex Ladislaus in Kalendis Octobris proximis Bohemiam intrare promisit, ibi coronam recepturus. magni ob eam rem apparatus fiunt. Ituri cum eo feruntur Albertus Austriæ, Ludouicus Bauariæ duces, ac Albertus Marchio Brandeburgensis. Bohemi offerunt quæcunque bona ad coronam spectant Regi restituere, partemque rerum ecclesiasticarum redimere ab his qui eas possident, & pro regis arbitrio ecclesijs satisfacere. Credo res aliquanto minores futuras quàm fama feruntur. In partibus Rheni qui dissidebant principes, compositi sunt pacemq; tenent. Ludouicus Bauariæ dux eius concordiæ, ductor nomine, re autem Marchio Brandeburgensis, Albertus fuit, qui iam principum autor est. Res Prutenicas arbitror te non ignorare in nostro consistorio pendentes esse. Ciuitates tamen quæ contra religionem fœdus iniere, non putantur iudicium subituræ. Nam Reges Poloniæ uires sibi accedere sperant, & armis magis quàm iuribus fidunt. Rex ille iam magistro Prussiæ literas dedit, quæ suum animum in communitatum fauorem erectum significant. Cardinalis quoque Cracouiensis mihi scripta dixerat, per quæ comprehendo Polonos ipsos communitatum partem adiuuare. Hæc habui, quæ ad te scriberem hoc tempore: credo consultum esse, ne festinetur in processu contra ciuitates Prussiæ, qui modo apud nos agitandus dicitur, ne censuræ apostolicæ sicut in Austria factum est, contemnantur. Nisi enim spirituale gladium materiale sequatur, parum est quod populi formident. Vale & apostolicæ sanctitatis pedibus me commendato. Post res Prutenicas absolutas te uisam, sic enim licentiam Cæsaris habeo. Ex Græta, die *III.* Septembris, Anno *M. CCCCLIII.*

B

Spondet ad patriam suam redire etiam multis periculis obiectis. *Epist. CLII.*

Aeneas Syluius Domino Francisco Ptolemæo, S. P. D.

EXimie Doctor, frater amantissime, Quæ per nos gesta sunt in facto clari uiri Ioannis Petri, conciuis nostri ex ipso cognosces. Noua Italiæ quæ scripsisti molesto ferimus animo, quamuis frustra angimur ex his quæ sine culpa nostra fiunt. Sperauimus pacem procurante summo Pontifice non defuturam Italiæ. Nunc accipimus ardentius feruescere bella, neque spem esse concordiæ. Cupiebamus domum reuerti, C & cupimus, Nescimus tamen qua uia penetremus: undique bella tonant. Peregrinum induere non possum: Prælatum agere, periculosum est. Statuimus tamen ad uos ire, quando uocibus citamur omnium, neque litera ulla ad nos uenit, nisi reditum suadens. Quid dicamus tantis precibus, nisi uincite, etiam cum nostro periculo? Scimus cum quanto incommodo reuertimur, offendimus Cæsarem qui licentiam præbet inuitus: Papæ rem ingratam facimus: Mille nos hoc tempore uiarum periculis obiectamus: Ad patriam redimus suspitionum plenam. In ancipiti diu fuimus. At cum uideremus tot preces & aliquando minas cognatarum experiremur, succumbere necesse fuit. Veniemus igitur, ita suadetis omnes, Scimus tamen te cum non audieris dicturum: Hæc si sciuissem, nunquam de reditu ad te scripsissem per hoc tempus, de nostro episcopo Senensis. Nos enim extra Senas episcopatum habemus. Intelleximus quæ scribis: Redeuntes de causa cognoscemus, uidebimusq; sibi an nobis mitria debeatur. Interea bonum habe animum & uicarium nostrum hortare, ut uiri cor se habere demonstret. Nos etiam sibi ad eam rem literas damus. Vale Ex Græta, die *XXV.* Septembris, Anno quo supra.

Nouitates Almaniæ notificat. Epist. CLIII.

Aeneas &c. Cardinali sancti Angeli.

REuerendissime in Christo pater & domine mi colendissime. post humilem recommendationē, Refocillatus sum aliquantisper literis uestris ex quibus Rom. Pont. dare operā intellexi ut & nobis Italia pacē recipiat, & insultantib. Turcis Christianæ uires resistant. Nam me quidem Constantinopolitana clades magnopere angit. Spero aūt si uocem apostolicā orthodoxi principes audiuerint, Turcorum rabiē retrocessuram, futurumq; ut nedū Constantinopolis recuperetur, uerumetiā ut in suis sedib. Turcorum perfidia cōprimatur. Ostendi Cæsari quæ scripsistis qui uestræ dignationi gratias agit, oratq; ut ad pacē Italiæ feruēti animo intēdatis: quod in rē fidei sua Serenitas præstare poterit id nō negabit. Pax illa olim conclusa inter Maiestatē suā & Regē Ladislaum nondū ratificata est, modo in Posonio Vngari sunt magnūq; cōuentū habēt. Agitur ibi de hac pace firmādā: de latronib. regno pellēdis, ac de modis p q̄s Turcorū conat9 reprimi possint. Exinde Rex iturus in Bohemiā fertur, coronā suscepturus: multa de bonis ecclesiæ restituēdis dicūtur, quæ similia somno uidētur: Durū est ueteres possessores expellere. Res Prutenica apud nos adhuc pēdet. Timendū tamen est, ne Rex Poloniæ cōtra religionē ciuitatū partes tueatur. Principes Reni cōpositi sunt. Alia ex his partib. scripto digna nō occurrunt. Si dabitis pacē Italiæ quā speramus, domum euestigio repetā & aliquando dignationē uestrā uidebo, q̄ pietas diuina cito faxit. Literas reuerendissimi patris domini Assisinensis expeditas penes me habeo, quas per certū nuntium ad eum mittam quàm primum occurrerit. Recommēdo me dignationi uestræ reuerendissimæ, ad cuius mandata paratissimus sum. Ex Græta, die III. Septembris, Anno quo supra.

Offert se patronū uoluntariū in gerēdis rebus domino Vuilhelmo episcopo Tullensi. Epist. CLIIII.

REuerendissime in Christo pater & domine mi colendissime post recommendationem, Gratissimæ mihi fuerunt literæ uestræ, quas ex Vlma ad me scripsistis. Intellexi namq; dominationē uestram R. bene ualere & me ueteri ex more diligere. Cognoui quoq; in urbe Roma pro me dicta esse à uobis quæ oportuit, contentorq; dato responso. Circa nostras res hic pendentes nihil innouatum est, neq; innouabitur donec dicta dies assit. Vestri aduersarij nunquam hic fuerunt postquàm recessistis, neque quisquam eorum nomine hic comparuit. Ideo nihil est cur uereri nouitates oporteat. Nam etsi uenissent, nihil in uestrum præiudicium sine uocatione fieret, ita Cæsarem dispositum & inclinatos consiliarios inuenio. De me certe potestis uobis persuadere, quia uestrum commodum uigilantissimus essem. Literæ salui conductus per familiarem uestrum D. uestræ R. afferentur. Scribit etiam Cæsar comiti Tullensi quemadmodum desiderastis, quamuis apud homines obstinatos parum ualitura scripta putem, pro uerbis uerbera essent offerenda. Fiet tamen spero laudabilis finis pro uobis & ecclesia uestra, si aduersarij iudicium subituri comparuerint. Alia non occurrunt. Recommendo me dignationi uestræ reuerēdissimæ, cui seruire paratus sum quo ad possum.

Passagium persuadet contra Turcos ex clade Constantinopolitana, Epist. CLV.

Reuerendissimo in Christo patri & domino, domino N. sacrosanctæ *Romanæ ecclesiæ tituli sancti Petri ad uincula, præsbitero Cardinali ac Pontifici Brixiensi domino suo colendissimo,*

REuerendissime in Christo pater & domine mi colendissime, uenit ad me hac ipsa hora qua scribo, uir bonus & uestri obseruantissimus, Ernestus protonotarius imperialis, ostendens mihi literas uestras in quibus sibi de quodam theologo ecclesiæ uestræ transmutando facitis mentionē. De qua re non nihil simul locuti sumus. Nam & meā quoq; operam uestra dignatio requirere uidebitur. Non est quod nunc ad hoc respondeam, quia nondum Cæsari uerbum feci. Decreui cum cæteris seruitoribus uestris quos in hac curia plures habetis, rem ipsam Cæsareo culmini exponere & commendare. Quid responsi habebo, illud uestræ dignitati quamtotius notum efficiam, cui seruire in omnibus sum obnoxius, atque utinam possem quantum uellem. Nec plura de hoc, propero

A propero ad alia. Reuerendissimus pater Archiepiscopus Saltzburgensis quandam pridie Capellæ fundationẽ confirmauit in ualle Murze in loco non remoto à sancto Laurentio, ubi per inuocationem diuini nominis, & per merita sancti Leonardi plurima dicuntur fieri miracula. Confirmaui, & ego fundationem ipsam ex autoritate commissionis meæ, ut qui populi deuotionem augendam magis ac magis existimaui. Deinde accepi dignationem uestram cum per id locorum transitum faceret prohibuisse ne Capella ulterius ædificaretur, nec diuina illic officia celebrarentur. Itaq; cum rustici & incolæ loci ad me redirent, atque remedium peterent, dixi non decere me, neq; posse cõtra tanti patris decretum aliquid agere, remisiq; illos à me uacuos. Ipsi autem post aliquot dies per nobiles de Subenberg ad præsentiam Cæsaris introducti, grauiter questi sunt pium opus, diuinum sanctumq; apud eos ceptum impediri, dixeruntq; murmur esse magnũ in plebe, cuius deuotioni obuiam iretur. Vocauit igitur me Cæsar ad se, petiuitq; uotis ut annuerem, & nobilium & popularium, indulgeremq; Capellam ædificari, & diuina ibi celebrari officia, addens se magnum habere in sanctum Leonardum deuotionem. At cum ego non esse mei muneris affirmarem uestræ Reuerẽdissimæ paternitatis facta rescindere, petiuit saltem permittere ad tres menses celebrationem ibi diuinorũ haberi, ut interim uestra dignatio consuli posset, & ita feci, nescio an illi rustici adhuc miserunt ad uestram præsentiã. Quomodocunq; aũt sit precor rescribere mihi dignemini,
B quæ causa mouerit uestrã mentẽ ad huiusmodi interdictũ, ut secũdũ illud ego quoq; excusare me possim: quia non auderẽ neq; uellem quouis pacto uestris aduersari sentẽtijs. Mihi tamen in ualle illa dictum est & affirmatũ, nihil illic esse mali, & omnia ad laudem Dei fieri, et bonã esse populi, rectamq; deuotionem. Sed Plebanũ sancti Laurentij ecclesiæ uestræ Canonicũ pro suo priuato iure aduersari. Vtcunq; sit meũ non est de uestris actibus iudicare, qui sequi debeo non præire, nec alia de causa certitudinẽ peto, nisi ut excusare me Cæsari, & alijs supplicãtibus efficatius possum. Nunc ad nouitates uenio. Pruteni de ordine sanctæ Mariæ Theutonicorum sunt apud nos in curia, petũtq; iudicium aduersus communitates, quæ ligam contra se fecerunt. Pars aduersa Oratores miserat, sed illi apud Morauiam latronum patriam intercepti sunt, spoliatiq; bonis omnibus in uincula coniecti, propter quam causam dicta dies iudicij necessario circunducitur. Nescio an illi poterunt in breui reddi libertati. Rex enim Ladislaus sub cuius saluo conductu capti, ad eorum liberationẽ obnixe operam dat, petiuitq; iam Brũnam personaliter propinquusq; est ei latroni, qui illos detinet. Puta in curia sua multos esse, qui scelus hoc ne puniatur adiutant, ut sunt mores hominum, alij amicitia, alij pecunia muneribusq; deliniuntur. Quemcunque autem finem captiui habeant, non uideo hac uice terminum causæ Pruthenorum imponi posse. Rex Ladislaus in Bohemiam iturum se ad festum
C Michaëlis promisit, quamuis Bohemi id citius expetiuerint. Georgius ibi plenam gubernationem habet, multumq; Rochezanæ fauet. Catholici oppresi sunt: hæretici dominantur: Minores monachi qui tempore Sigismundi Pragam redierant, instante Rochezana denuo pulsi sunt. Dominus de Rosenberg, & alij qui fideles creduntur parum uotis habent. Temporalia regni Georgius, spiritualia Rochezana gubernat. Nescio quid fiet in aduentu Regis. Puto quia tenentes tenebunt. Nam puer non poterit mutare regimen, in Vngaria quomodo Ioannes Vaiuoda gubernat. Sed ibi latro quidam Axamit, nomine homo Bohemus cum quatuor millibus hominum infestare patriam cœpit, castella quædam expugnauit, munitiones erexit, spolia multa abduxit, resistentes Vngaros aliquot conflixit. Nunc aduersus eum totum regnum est occupatum, atque hinc factum est, ut nos pacem habeamus. Nam licet Vngari tenere conuenta nolint, non tamen audent alijs implicati bellis nos inuadere. Australes autem libenter pacem ratificarent, sed non audent inuitis Vngaris. Quibus ex rebus eo deducta res est, ut pacem sine pace habeamus. De Patauiensi ecclesia silentium est. Timeo ne diuturniorem uacationem eius contingat, quando electus humiliare se Cæsari penitus respuit. Ego quid ibi dicam nescio, malo silere quàm male loqui. Accepi Regem Ladislaum in ea re

atque alijs legatos suos Romam missurum. Transeo ad maiora quæ magis urgent. D
Quamuis res Orientis satis notas & nimis, heu nimis notas dignationi uestræ non dubitem, non tamen ab re arbitror de illis cum uestra pietate & colloqui, & condolere, qui partes illas uidistis, & quantum inde Christianæ religioni posit emergere præiudicium optime nostis. Quomodo se habeat Græcia ad reliquam Europã non ignoratis. Thraciæ situm scitis, Constantinopolitanæ urbis magnitudinem, murorum molem, adiacentis maris & terræ qualitatem pulchre tenetis. Quæ sit Turcorum potentia, quæ Latinorum negligentia, non latet uestram dignationem. Sed cur hæc tam longius prosequor? Nempe quia infelix, infaustum, durum, horrendum ad nos delatum est nuncium, Constantinopolim expugnatam, Peram Turcis deditam, classem Christianorum quæ opem ferre obsessis ibat, uictam interceptamq; esse. Aiunt enim qui de Rascia ad nos ueniunt Imperatorem Turcorum pridie Calendas Ianuarij, ad urbem Cõstantinopolitanam machinas bellicas admouisse, insultusq; trinos dedisse: Primis duobus succubuisse, multosq; suorum amisisse: Deinde iratum omne militum robur (ducenta enim & amplius milia uirorum in exercitu fertur habuisse) muros adire atque conscendere scalas iussisse. Ipsumq; inter pugnatores profectum alijs minatum, alijs præmia pollicitum, tertium insultum magna ui summoq; conatu aggressum, tandem fatigatis magis quàm uictis oppidanis rupto cuiusdam ueteris portæ muro urbem introisse: datis edictis, ut à sex annis supra omnes utriusq; sexus personæ necarentur. Imperator nouæ Romæ captus, mox capite truncatus asseritur. Sacerdotes & uniuersi monachi, diuersis tormentorum generibus lacerati necatiq; sunt. Reliquum omne uulgus gladio datum: tanta sanguinis effusio facta, ut riui cruoris per urbem currerent. Sic nobilissima urbs per Constantinum primum condita in manus infidelium uenit, ab eius cõditione Anno *M. CXXX.* uel circa. Tantoq; tempore paulopluri senior Roma steterat, quando primum à Gothis capta est. Athlaricus enim anno ab urbe condita *M. CLXIIII.* Romam irrupit. At hic ne Basilicæ sanctorũ effringerent edixit. Quid autem factura sit Turcorum rabies in urbe regia non scio, suspicari facile est. Inimica gens nostræ religioni, nil ibi sanctum, nil mundum relinquet: Aut destruet nobilia templa, aut certe prophanabit. Heu templum illud Sophiæ toto orbe famosissimum, noningentis quondam sacerdotibus celebratum, mirabili opere, preciosa materia constructum, uel ruinæ iam patet, uel Mahometi spurcitiæ subiacet. Monachorum abdita, sanctorum sancta lupanaribus seruient. Aut delebitur ciuitas nobilis, aut in maius Christiani populi detrimentum Turcorum sedes efficietur. O insignis Græcia, ecce iam tuum finem. Quis non tuam indoleat uicem? Plurimæ olim urbes in Græcia fuerunt fama rebusq; potentes. Legimus Thebanorum res gestas Lacedæmoniorum & Atheniensium illustria facta: Fuit Corinthiorum non contemnenda respublica: Claræ olim Micenæ: Larissa potens, pluresq; memorabiles urbes, quorum si nunc requiras muros, nec ruinas inuenias. Nemo solum in quo iacuerint queat ostendere, Sola ex tanta ruina uetustatis Constantinopolis superabat. Quæ de paruo Bizantij ambitu à Pausania quondam constructa, per Constantinum Cæsarem in æmulatione urbis Romæ ad incredibile fastigium erecta. Tantum mirabilium operum, tantum armorum, tantum literarum, tantum gloriæ habuit, ut omnium ciuitatum damna hæc urbs sola recompensare uideretur. Hinc post pacem cum Gratiano factam, & à Theodosio confirmatam ueniens Constantinopolim Rex Gothorum Achanaricus, miratus urbis Regiæ splendorem ac magnitudinem, uelut stupens dixisse fertur. Deus terrenus est imperator, & quisquis aduersus eum manum mouerit, ipse sui sanguinis reus existit. Et licet post diuisum imperium siue translatum ad Francos, ut melius loquamur, sæpe Constantinopolis in manus hostium uenerit, ut tamen uestram dignationem dicere solitam memini, nunquam illa urbe Christiani nominis hostes potiti sunt, neq; Basilicæ sanctorum destructæ, neq; bibliothecæ combustæ, neque despoliata penitus monasteria. Itaq; mansit usq; in hunc diem uetustæ sapientiæ apud Constantinopolim monumẽtum, ac uelut ibi domiciliũ literarũ esset. Nemo Latinorũ satis uideri

(Margin letters: E beside "quàm uictis oppidanis…"; F beside "rum & Atheniensium…")

A uideri doctus poterat, nisi per tempus Constantinopoli studuisset. Quodq; florẽte Roma doctrinarum nomen habuerunt Athenæ, id nostra tempestate uidebatur Constantinopolis obtinere. Inde nobis Plato redditus. Inde Aristotelis, Demosthenis, Xenophontis, Tucididis, Basilij, Dionysij, Origenis, & aliorum multa Latinis opera diebus nostris manifestata sunt. Multa quoque in futurum manifestanda sperabamus. Nunc uero uincentibus Turcis, & omnia possidentibus, quæ Græca potentia tenuit, actum esse de literis Græcis arbitror. Nunquam mea sententia maior Græco nomini iactura quàm modo contigit. Xerxes & Darius qui quondam magnis cladibus Græciam afflixere, bellum uiris, non literis intulerunt. Romani quamuis Græciam in potestatem suam redegissent, non solum Græcas literas aspernati non sunt, sed ultro amplexi ueneratiq; referuntur, adeo ut tum quisq; doctissimus haberetur cum Græcissimum se ostẽderet. Nunc sub Turcorum imperio secus eueniet, sæuissimorum hominum bonorum morum atq; literarum hostium. Non enim ut quidam rentur Teucrorum sunt soboles, neque Persarum qui nunc Turci dicuntur. Scitharum ex media barbarie genus profectum est, quod ultra Euxinum Pirrichiosq; montes ad Oceanum septentrionalem sedes prius habuisse traditur, ut ethnico Philosopho placet. Gens ignominiosa, & incognita, fornicaria in cunctis stuprorum generibus, lupanarium cultrix quæ abominabilia quæque comedit. Ignara uini frumenti atque salis. Nullum diem festum
B agens, nisi Augusto mense quo Cæsari Octauiano censum dedit in auro litterico, non coacta, sed sponte sua, uidens cæteras regiones censum præbere. Sapiunt igitur adhuc aliquid originis, licet in Asia multis morati temporibus aliquid pristinæ deformitatis amiserint, seq; nonnihil excultos reddiderint, deuitant enim adhuc uinum, carnes equorum, uesuntium, uulturumq; comedunt. In libidinem prouoluti sunt, literarum studia paruifaciunt, incredibili fastu superbiunt. In quorum manus uenisse Græcam eloquentiam, non scio quis bene mentis non doleat, ubi enim modo facunda ingenia requiremus? Præcisus est fluuius omnium doctrinarum, Musarum desiccatus fons. Nunc Poësis, nunc Philosophia sepulta uidetur. Fateor multis locis apud Latinos studia literarum esse illustria, ut Romæ, Parhisijs, Bononiæ, Paduæ, Senis, Perusij, Coloniæ, Viennæ, Salamanticæ, Oxoniæ, Papiæ, Lipsiæ, Erfordiæ. Sed riuoli sunt omnes isti ex Græcorum fontibus deriuati. A fonte præcide riuum, præcisus arescit. Quo pacto in riuo reperias aquam cum fontem ipsum inuenias aridum. Non possum non dolere Sanctæ pater, cum talem fieri iacturam uideo literarum. Maiores nostri putabant quæ literis mandarentur, eorum æternam esse memoriam. Inde Poëta quidam non insulse dixerat: Eripiunt quemuis à mortis dente camenæ. Et noster Naso nunquam se moriturum opere præclaro putauit, dicens: Itaq; opus exegi, quod non Iouis ira, nec ignes,
C Nec poterit ferrum, nec edax abolere uetustas. Et infra: Nomenq; erit indelibile nostrum. Vergilius quoque Eurialo & Niso, suis uersibus æternitatem elargiri posse putauit, dum ait: Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt, Nulla dies unquam me mori nos eximet æuo. Nec Flaccus aliter sensit, cum de seipso dicit. Exegi monumentum ære perennius, regaliq; situ pyramidum altius. Quod non imber edax non Aquilo impotẽs possit diruere, Aut innumerabilis annorum series, & fuga temporis nõ omnis moriar. Decepti omnes sunt. Moriuntur etiam musæ, labuntur è memoria Poëtarum scriptorumq; omnium quæuis egregia opera. Quot iam Poëtas cum tempore nomen amisisse putandum est? Nihil est sub luna perpetuum. Quæ principium habent, his quoque finis suus est. Diu uiuunt qui literis consecrantur, non tamẽ immortales fiunt. Surgunt nouæ sectæ, fiunt noui literarum characteres, emergũt ingenia diuersa, quæ omnia tollunt, quicquid ante se fuit, ineptum putant. Ecce nunc Turci literarũ & Græcarũ & Latinarum hostes, ut suis literis locum faciant, nullum librum alienũ esse sinunt. Hi nũc Constantinopoli capta quis dubitet incendio quæuis scriptorum monimenta concedent. Nunc ergo & Homero & Pindaro, Menandro & omnibus illustrioribus Poëtis secunda mors erit. Nunc Græcorum Philosophorum ultimis patebit interitus: Restabit aliquid lucis apud Latinos. At fateor neq; id erit diuturnum nisi mitiori nos oculo

Deus

Deus ex alto respexerit, fortunamq́ uel imperio Romano, uel Apostolicæ sedi præbuerit meliorem. Cum sede Romana uiuunt, moriuntur Latinæ literæ. Sed hanc quo in statu uideamus, supersedeo dicere, de Constantinopoli, non de Roma sermonẽ inchoauimus, cum qua cadẽtẽ Græcas interisse literas, & dolemus & angimur. Magnũ est hoc detrimentum, sed multo maius illud quod fidem Christianam cõminui, & in angulum coartari uidemus. Nam qui totum olim orbem occupauerat, iam ex Asia Lybiaq́ profligata, neq́ in Europa quiescere permittitur. Multum est quod Tartari Turciq́ tenẽt, citra Tanaim & Hellespontum, Saraceni quoq́ apud Hispanos regnũ occupãt, parum est quod in orbe Christiani nomen obumbrat? Terra in qua uisus est Deus noster & annis XXX & amplius homo cum hominibus conuersatus, quam miraculis illustrauit, quã proprio sanguine dedicauit, in qua primi resurrectionis flores apparuerunt, iam diu propter peccata nostra crucis inimici cõculcãt. Terra benedicta, terra promissionis, terra lac fluens & mel, sceleratæ gentis imperio paret. En ipsam Dei uiuẽtis ciuitatem officinasq́ nostræ redemptionis, sanctaq́ loca agni immaculati purpurata cruore Saracenorũ, iam diu manus pedesq́ polluerint. An non ipsum Christianæ religionis sacrariũ sanctũq́ lectum conculcant Mahometi satellites, in qua propter nos uita nostra obdormiuit in morte? Carolus magnus multo sudore primũ terram illã uendicauit, deinde perditã recuperauit Gothfridus. Ad quã retinendã etiã Conradus Cæsar, Ludouicusq́ Rex Francorum nõ dubitauerunt, coactis exercitibus in Asia proficisci. At cũ postea nostri principes desidiæ se dederunt, neq́ Hierosolima, neq́ Antiochia, neq́ Accaron in potestate nostra remansere. Quicquid in Asia tenuimus, turpiter amisimus: Fugientes uictoriã Mahometo reliquimus. Ingens iactura, maximũ dedecus. Verum tolerabilius fuit ciuitates quas inter hostes habuimus amittere, quàm his expelli urbibus, quæ nostro in solo fundatæ Christianisq́ cinctæ fuerint. Quid est quod modo amisimus? Quippe regiam ciuitatem, Orientalis imperij sedem, Græcæ gentis columnam, Secundi patriarchæ solium. Heu late patens Christiana quondam religio quomodo coartaris & deficis ex quatuor maximis patriarchis, & solus tibi Romanus superat? Quo pacto iam scire potes, ex quatuor columnis quibus omne stetit ecclesiasticum ædificium tribus ademptis. Ex duobus oculis alterum amisisti. Nisi diuina te miseratio respicit, parum est quod de tuo salute speremus. Quippe Turcorum imperator Constantinopolitana potitus uictoria non ut plerosq́ ueterum fecisse legimus, desidiæ sese tradidit, sed Peram mox aggressus uicinam urbem, & à Liguribus longo tempore possessam in deditionem accepit. Classem quam summus Pontifex Nicolaus cum Venetis ac Ianuensibus & Cathelanis in auxilium Græciæ struxerat, siue tempestatibus actam, siue per ignorantiam locorum inclausam, siue alio quouis infortunio male defensam, ut rumor est intercepit, maximas ibi opes, bellicorum instrumentorum uim summam, armorum omnis generis ingens pondus adeptus est: Puberes omnes occidit, tantisq́ nunc cladibus Christianum populum affecit, quantis ante hac multis seculis inauditum arbitror. Triplicem ille sub uno tempore gerit triumphum, nos triplici conflictu consternati iacemus. Ferunt qui de Venetijs ad nos ueniunt, omnia luctibus plena esse, nullamq́ domum uacare mœrore. Hinc matronæ, inde uiri lugent. Aliæ maritos, aliæ filios, aliæ fratres deflent, nulli non propinquus ademptus est. Priuatim & publice lamenta audiuntur. Consternatus senatus iam non Ponticam, aut Siriacam, seu Creticã solum, sed Adriaticam quoque nauigationem amisisse uidentur. Neque ab re Albaniæ partem Turci tenent. Quid si nunc uictoriam prosequantur, quo pacto Turcorum potentiæ Durachium resistet, Cui Constantinopolis pax esse non potuit. Inde Brundusium ex parte Italiæ uicinum, quis tuebitur? Claudent Adriaticum sinum? Magna iactura Veneti nominis, sed maior Christianitatis, quæ superatis Venetis, non habet amplius maris imperium. Neque Cathelani aut Genuenses quamuis potentissimi sunt, sine Venetis pares poterunt esse Turcis. Satis erat illis Affricanorum molestias & assiduos compescere impetus, quibus cum perpetuis contentionibus agitantur. Hæc mihi, pie Pater, & acerba, & miserrima uidentur, ex quibus habemus de præterito

quæ do-

A quæ doleamus, & de futuro quæ timeamus. Ideo dolenti condoleo. Res mala est, multo deterior. Videmus cladem Græcorum. Nunc Latinorum ruinas expectamus. Exusta est uicina domus, nunc nostra præstolatur incendium. Qui sunt iam medij inter nos & Turcos? parum terræ, parum nos hinc atque inde disiungit aquarum. Imminet iam nostris ceruicibus Turcorũ gladius, & nos interim intestina gerimus bella, fratres persequimur, & hostes crucis in nos grassari sinimus. Theutones cum Theutonibus irati furiunt: Italum sanguinem manus Itala fundit. Neque Galli, neque Hispani inter se conueniunt. Inter finitimos uiget ubiq; simultas, immortale odium & male sanabile uulnus. Opportunum Turcorum ductor sibi tẽpus elegit: Tuto Græcos inuasit, dum Latinos inter se diuinos accepit. Auferat sibi mẽtem Deus uadẽdi in nos ulterius, dum sumus discordes. Neque frater fratri, neque filio pater fidit. Actum de nobis est nisi diuina pietas adiumento fuerit. Sed uigilantibus atque agentibus superi fauent, ignaros fugiunt, Nisi se quisque iuuet, frustra diuinam petiuerit opem. Audentes fortuna iuuat, timentes negligentesq; procul abigit. Ob quas res licet sanctissimum dominum nostrum uniuersumq; sacri senatus ord nem ad reipublicæ Christianæ salutem summo nunc studio intentum fore cõfidam, magnopere tamen optarem hoc tempore uestram prudentissimam dignitatem esse Romæ, scio currentem equum calcaribus urgeretis, neque ullam in tanto negotio negligentiam pateremini. Nunc istũ nunc
B illum Cardinalem alloqueremini, neque Apostolicas aures sineretis esse quietas. Sperarem uestra sollicitudine breui prouisionẽ fieri, qua nõ solũ aduersus infideles Christianares defendi, sed suis in sedibus Turci quæsiti, cõteri atq; deleri possent. Puto aũt in tanto negotio aut reuocabitur ad urbẽ uestra dignatio cõmuni utilitati cõsultura, aut certe iubebitur, suscepta legatione, Germanicã gentẽ ad succurrẽdũ labẽti fidei excitare. Quod si neutrũ horũ fieret, licet ego mineruam instruere præsumã, optimũ tamen factũ putarẽ ultro dignitatem uestrã summo Pontifici, ac sacro collegio literas dare, ut nunc in tanta rerum asperitate totis assurgant animis, neq; pecunijs neq; personis ignoscãt. Dum noua sunt uulnera remedium quærant, neq; putrescere per incuriam sinant uulnus. Vocẽt Reges & Principes in certũ aliquẽ locum, dicant cõueniendi diem, mittant legatos de latere summi pontificis, exponãt mala quæ passa est modo Christiana respublica, monstrent quæ futura timentur pericula, prouidẽdi modos aperiant, inter Christianos aut pacem, aut inducias belli cõponant. Crucẽ prædicent, remissionẽ peccatorum polliceãtur, intonet apostolica tuba, nihil negligat, nihil hoc tẽpore omittat. Non est mihi dubium, si locus rebus accommodus nominetur, quin Reges aut ueniant, aut mittant, bonisq; animis hoc fidei negotium amplectantur. Ego quidem iam Cæsari non clanculum, sed in publico consilio de hac ipsa re non pauca uerba feci. Inueni mentem eius & uoluntatem
C apprime ardentem. Sane multi ex senatoribus qui aderant dum me hortantem, Cæsaremq; respondentem audiuerint, uberes lachrymas emiserunt. Vidissetis senes ueneranda canicie suas manus in hanc expeditionem prompto corde offerentes, & qui se mori beatos dicebant, si militantes aduersus impiam barbariem caderent. Taceo robustos uiros & feruenti sanguine iuuenes, quibus unius diei mora in tali negotio annus esse uidetur. Arbitror & in aliorum principum curijs itidem inueniri. Neque Rhenensium nobilitatem, neque Gallorum magnanimitatem, neque prudentiam Italorum, neque Hispanorum fortitudinem, aut Anglorum audaciam in tali necessitate defuturam, uel ratio suadet, uel animus timet. Quippe Bohemos, Vngaros, Polonos, ipsa loci propinquitas admonebit, fiet mihi credite, fiet communi omnium Christianorum passagium, si Romani pontificis hoc tempore surrexit autoritas, ac bonorum prædicatorum, inter quos esse uestram pietatem commune iudicium habet, fideles ac disertæ uoces in fines orbis terræ sonuerint. Neque necessarium erit de Matathia uel alijs exempla proponere, qui pro paternis legibus cum paucis aduersus hostium innumerabiles copias pugnando uicerunt. Est terra nostra fœcunda uirorum fortium, exercitum innumerabilem componere potest: Robusta iuuenum pectora in armis habere, siue uiros, siue equos, siue arma requiras, superiores Christiani sunt Turcis, nihil est quod

quod nobis obsit, nisi uel negligentia, uel dissensio nostra. Siue mari, siue terra pugnandum est, uelimus solum, uictores erimus. Sola quondam Italia Græciam, Asiam, Libiam, Aegyptumq; armis uicit. Quid nūc adiunctis Germaniæ Galliæq; uiribus agat. Scimus maiorum nostrorum memoria quotienscunq; Latinorum uires conuenerunt, orientalium populos contremuisse, semperq; nostros exercitus remeasse uictores, nisi forsitan aliquando peccatis populi Deus iratus, uel pestilentia nostros uel fame contriuit. Nam Marte manifesto semper uictoria penes Latinos fuit. Quod si nūc bonis animis Christianus populus, non tetræ auaritiæ causa, non inanis gloriæ cupidus, sed Dei solum zelo accensus, pro fratrum salute, pro lege Christi, pro augmento catholicæ fidei sumpserit arma, respiciet non est dubium ex alto dominus plebem suam, lætusq; super filijs hominum hæreditatem suam tuebitur, ac non solum de Turcis si perseuerantes erimus, sed de Saracenis quoq; cæterisq; Barbaris gentibus, uictrici dextera sua triumphū nobis elargietur. Hæc habui, quæ nunc dignationi uestræ conscriberem nimis fortasse præsumptuose, sed traxit me feruor animi simulq; putaui dignitatem uestram quæcūq; à me dicuntur in partem accipere meliorem. Valete in Christo meiq; nonnunquam ueluti fidelis mancipij memoriam habete. Ex Gretio Stiriæ quod Bauaricum uocant XII. Cal. Augusti. Anno M. CCCCLIII.

Literæ promotoriales. *Epist.* CLVI.

Aeneas &c. Domino Cardinali Firmano, S. P. D.

Reuerendissime in Christo pater & domine colendissime post humilem recōmendationem. Venit ad me lator præsentium Georgius Mayer, frater ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum, exponens mihi quod ipse alias cupiens dictum ordinem intrare ac profiteri, falso fratribus ipsius ordinis accolitum se esse dixit. Deinde receptus in religione, neglectis minoribus ad subdiaconatum, diaconatum & presbyteratus ordines promoueri se fecit diuq; ministrauit in illis. Suscepit tamen postea maiores, ut ait, ordines ab episcopo Curcensi. Nec dispensationem super præmissis obtinuit. Super quibus rebus nunc tristis & dolēs, ut sibi de remedio dispensationis opportune prouiderē, lachrymando me rogauit: quod cum sibi denegarem, quia facultas mea ad id se non extendit, petiuit ulterius sibi, ut consilium quid acturus esset præberem. Suasi ergo ei ut ad Romanam curiam se cōferret, ibiq; peccatum suum deflens misericordiam peteret. Ait id se libenti animo facturum. Sed cum de licentia superiorum suorum id agere non posset, petiuit ut sibi autoritate legationis meæ illam sibi concederem. Interrogaui cur licentiam non posit à suis maioribus habere dixit, quia uellent profectionis causam agnoscere quam si eis aperiret, certus esset, quòd ab eis ex ordine repelleretur, cogereturq;, deinde perpetuo mendicare. Motus hac ratione dixi me sibi licentiam ei dare quantum possem, quantumq; mea sese facultas extenderet, atque has literas in eius rei testimonium sibi concessi. Supplico igitur uestra dignatio eum recommissum habeat, suæq; necessitati subueniat, ex quo dolens ad cor reuersus peccata sua deflet, pia mater Ecclesia non claudit redeuntibus gremium, neque mortem peccantis, sed conuersionem quærit. Cupio preces meæ sibi apud dignationem uestram proficuæ sint. Nec alia super hoc modo. De nouitatibus harum partium nihil habeo quod scriptura dignum putem. Nam silere cuncta uidentur: Pacem habemus, sed incertam. De Turcis fuerunt hic nuper horrenda noua ex Rastia, atque etiam ex Venetijs missa. Fuitq; uehemens rumor Constantinopolim perditam, classem Christianorum amissam, Peram Turco traditam. Id Cæsari & omni curiæ suæ molestissimum erat, quemadmodum sanctissimo domino nostro super eo negotio non breue epistolam scripserim. Nunc feliciora relata sunt, aut non tam aspera noua. Dicitur enim præsidium domini nostri intrasse Constantinopolim ac regiam urbem defensam esse. Perditas tamen nonnullas naues. Itaq; mente quietiori sumus. Cæsar ad inquirendum uerum nuntios misit, quos prope dies expetamus. De Bohemia hæc sunt, quæ cupio sanctissimo domino nostro fieri nota. Rex Ladislaus ad festum Michaëlis eo se iturum recepturumq; regni diadema promisit.

A misit. Georgiconē regni gubernatorem usq; in diem coronationis, & ultra ad annum recepit. Compactata, ut aiunt, cum Basiliensi olim Concilio facta confirmauit. Catholici in regno malæ mentis sunt, dolentq; se Georgicani utriusq; speciei fautori cōmissos. Canonici capituli Pragensis ad me scripserunt, uocatos se ad coronationē dicentes se nescire quid agant. Si non eunt, timent regis indignationem, si pergant, formidant insidias gubernatoris & Rochezanæ, uerenturq; ne cogantur compactata recipere, & Rochezanam in archiepiscopum admittere, petuntq; cōsilium meum, quia tempus adhuc longum est. Scripsi eis uelle me de tali re S. D. nostrum consulere. Ideo hæc supplico, dignemini pietati apostolicæ nota efficere, ut sua sapiētia pro suo arbitrio prouideat. Putare bonum esse capitulo ecclesiæ Pragensis in Pilzina commoranti, unum breue scribi per D. N. in quo mandaretur illis, ne quid in facto compactaturū ad cuiusuis instantiam attentarent. Id sufficeret eis pro excusatione. Posset autem hoc breue dirigi Reuerendissimo domino meo sancti Petri & is ulterius facili modo ad Pilzinam transmitteret. Hæc cum fiducia scribo R. dignationi uestræ quam rebus pijs affectam non ambigo. Cupio me semper esse in mente dignationis uestræ Reuerēdissime & illi seruire. Ex Gretz die XXVII. Iulij. Anno M. CCCCLIII.

Consulitur capitulo Pragensi ecclesiæ quomodo se habeant. *Epist.* CLVII.

B Aeneas &c. Decano & capitulo Pragensi ecclesiæ, S. P. D.

VEnerabiles uiri amici honorandi, Literas uestras accepimus, magnasq; illas mentium uestrarum fluctuationes cognouimus, quæ nos impræsentiarū non sine causa exagitant, & super quibus nostrum consilium petitis. Respondebimus breuiter prudentiæ uestræ quæ multa ex paucis compræhendere nouit. Affecti fuimus semper ecclesiæ uestræ: utinam potuissemus aliquando ut optauimus illi prodesse. Certi missi ad partes istas per S. D. N. anno proxime præterito, sperauimus, & Bohemiam intrare, ad quam regionem legati de latere sanctæ sedis apostolicæ autoritatem habuimus, & adhuc habemus: sed interciderunt aliqua impedimenta propter quæ nostro desiderio locus esse non potuit, neque nunc in his terminis sumus, ut cum Serenissimo Rege Ladislao ad coronationem eius transire possimus, nisi aliud sanctitas Domini nostri nobis iniungeret, cuius mandatis parere cogeremur. Optaremus autem uestri causa id itineris assumere, ut uobis assistere, & uestris rebus consulere possemus. At si nos non uenimus, de qua re nullum mandatum habemus, forsitan alius ueniet ex dispositione Romanæ sedis, cuius directio & autoritas uobis utilior erit, quàm nostra esse potuisset. Atque hæc ad ea dicimus quæ nostrum in Bohemiam transitum respiciunt. Nunc ad consiliū quod petitis respondere pergimus. Grauis & res ardua quæ nobis imminet, & C maior quàm per nos dirigi possit. Scimus uos esse prudentes, nec dubitamus ex duobus malis quin id recipiatis quod minus possit nocere, tamen aliqua pro captu nostro bona fide & syncero dicemus animo. Sane percipimus in utramq; partem uobis imminere pericula, siue Pragam intretis uocati, siue recusetis ire. Si pergitis, duo pericula instant: Vnum ne per insidias aduersantium in mortis aut carceris incommodum rapiamini: Alterum ne cōpactatis consentire, ac Rochezanæ electioni subscribere cogamini. Magna sunt hæc & animi corporisq; discrimen in se habent. At si uocati nolitis ire, contemptus regius opponi uobis poterit: multa contra uos dicentur, forsitan & in locum uestrum alij ponentur, & implebitur nobilis ecclesia scismaticis & hæreticis ministris. Quid hic consulamus, sane hæremus, timemusq; ne Scyllæ uoraginibus immergamur cupientes euitare Charibdim. Vtcunque sit illud nobis prima fronte suadendum uidetur: Si uocat uos Regia sublimitas, non existimamus declinādum imperium, sed petendum saluum cōductum ad tempus non breue, qui recepto poterunt aliqui uestrum intrare Pragam, semper aliquibus extra manētibus inuenietis apud Regem multos bonos uiros, qui causæ uestræ assistent: informabitis consiliarios eius, ius uestrum dicetis. Credimus equidem plures erunt causæ uestræ affecti, quàm Rochezanæ. Neq; putamus uos compelli ad rem aliquam iniustam, & contra statum ecclesiasticum dum

publicæ securitatis literas habebitis. Quod si uobis aut de Rochezana in Archiepiscopum recipiendo, aut de compactatis amplectendis uerba fiant, poteritis uos semper ad dominum nostrum Papam referre dicentes: Quod sine eius spirituali mandato nihil in talibus uos agere liceat, & ita uobis cõsulimus. Neque nunc aliud dicendum uidetur, nisi quia rogamus ut forti animo tentationes perferatis, quoniam uirtus in aduersitate perficitur. Nos tamen hæc quæ ad nos scripsistis Sanctissimo domino nostro cũcta scripsimus. Supplicauimusq; suæ Sanctitati, ut de uobis uestraq; fidelitate paterno more cogitet, speramus aliquid sua sanctitas meditabitur, quod ad uestrum ac regni uestri consolationem pertineat. Nam etsi nunc super rebus Græcorum afflictis multa disponere habet, non tamen orthodoxorum, qui sunt in Bohemia oblitus est. Christus dominus noster uos tueatur. Valete & in diuina sperate misericordia quæ præsto est cum synceritate ad eum recurrentibus. Datum in Gretz Stiriæ, die XXVII. Iulij. Anno quo supra. D

Hortatur fortiter aduersa Ecclesiæ tollerare, *Epist.* *CLVIII.*

Aeneas Domino Vuenceslao de Crumnau decretorum doctori, decano *& administratori ecclesiæ Pragensis, S. P. D.*

VEnerabilis & eximie Doctor amice honorande, quamuis literas uestras libenter accipimus, quæ uestram memoriam recentiorem nobis fecerint, contenta tamen earum inuiti audiuimus, quippe dolemus ecclesiæ uestræ insignis negotia non bene, ac uotiue succedere, simulq; uobiscum timemus ne peiora emergant. Hortamur autem uos, quando uocati estis in arcem solicitudinis, ut forti pectore cunctis procellis resistatis, ut uim omnem aduersantis inimici solido scuto fidei repellatis, assistet uobis Dominus, & quamuis urgeri uentorum turbinibus suam nauem patiatur, non tamen sinit submergi. Cum magis tribulatur Ecclesia, tunc fortior assurgit. Confidite in domino, & uiriliter pugnate pro causa Dei. Dabitur uictoria legitimæ pugnantibus. Scribimus uenerabili capitulo uestro, quid nobis in rebus uestris ex usu uideatur. Quia legetis unà cum capitulo nostras literas, nõ est cur uerba repetamus. Compatimur uestris laboribus, uellemus & consilio & auxilio esse, sed tantum facimus, quãtum possumus. Scripsimus domino nostro speramus sanctitatem suã res uestras minime neglecturam. Quæ nobis rescriberentur, curabimus uestræ prudentiæ nota facere, & ubicunq; poterimus, tam uestræ personæ quàm memorabili ecclesiæ Pragensi usui studebimus esse. Rogamus nos magnificis dominis de Rosenberg, patri & filijs, quorum memoriam colimus & obseruamus, commendatos faciatis, & ad uota eorum offeratis. Valete in Christo optime. Ex Gretz die XXVII. Iulij. Anno quo supra. E

Dux Venetum reddit certum Imperatorem Romanum de clade Constantinopolitana, *Epist.* *CLIX.* F

Serenissimo & excellentissimo Domino, Domino Frederico diuina fauente clementia *Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Austriæ, Stiriæq; duci &c. Illustrissimo, Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum &c. Recommendationem & prosperorum successuum incrementa, S.P.D.*

NIhil nobis attulerunt noui, serenissime princeps, literæ uestræ Cæsariæ Maiestatis, si, quemadmodum ipsa scribit, graui molestia ac mœrore commota perstiterit, cum primum innotuerit sibi acerbum & horrendum nouum urbis Constantinopolis quàm perfidissimi Teucri magna Christianorum strage suo imperio submiserũt. Est siquidem casus iste infelix tantum magnifaciendus, ut nil supra temporibus nostris cõtingere potuisset. At quoniã uestra Serenitas, neq; enim indigne, cupere uidetur eiusce nefandæ rei seriem à nobis certius, ac particularius intelligere, & si hæc referẽtes dolorem & amaritudinẽ renouemus, ut tamẽ Maiestati uestræ morẽ geramus, nũciamus eidẽ. Imperatorẽ Turcorũ, qui cũ maxima potẽtia incredibiliq; apparatu terra mariq; cõtra urbem Cõstãtinopolitanã castrametatus erat die XXIX Maij præteriti, ciuitati ipsi quã circun-

A circunquaque obsessam tenebat, omniq; tormentorum bellicorum genere debellauerat, maximum & acerrimum bellum intulit, tandemq; eam die ipsa inenumerabili Christianorum clade subegit, rem utiq; obscuram, calamitosam ac Christiano nomini summum in modum periculosam. Hæc si quidem noua, utinam tam falsa essent quàm nimium uera sunt. Nam ea accepimus à Capitaneo galearum nostrarũ nuper huc regresso, qui ad illud uiagium Constantinopolis & Romanæ cum nonnullis nostris triremibus more mercatorio profectus erat: qui'ue cum eisdem galeis ad tutandam urbem illam, usque ad ultimum eius excidium constans permansit, ita ut magna pars hominũ, triremium earundem male perierit. Nam partim trucidati, partim in miserabilem captiuitatem abducti sunt. Multi quoque nobiles ciues & mercatores nostri, qui in ea urbe aderant cum facultatibus & bonis suis magni ualoris aut gladio perierunt, aut ad seruitutem ipsam crudelissimam deuenerunt: nec absque magno ære redimi poterunt. Præterea subinde nunciatum est, Teucrum ipsum occupasse ciuitatem Peræ, & quædam alia loca finitima cum magno Christianorum excidio. De qua tamen re aliam certiorem notitiam nondum accepimus. Enimuero, princeps excellentissime, hostis iste truculentissimus adeptus est urbem præcipuam. Constantinopolim nobilissimam, & tam ratione situs, quàm ex alijs dignis conditionibus aptissimam, & mirum in modum accommodatam ad potentiam suam augendam, ita ut ubiq; terra & mari de hoc poten-
B tissimo hoste sit plurimum dubitandum. Et profecto nisi Christianæ potentiæ aliter excitentur, ut huic morbo ualidis prouisionibus occurrant, antequàm ulterius prolabatur, uidere uidemur magna pericula incumbere toti Christianæ religioni, quibus non facile erit Christianis principibus posse resistere. Datum in nostro ducali palatio die XXVII. mensis Iulij, Indictione prima. Anno MCCCCLIII.

Superintendens œconomo instruitur quid agendum, *Epist.* CLX.

EXimie Doctor, fili charissime, Sex mensibus postquam Senis scriptæ fuerunt, restitutæ sunt nobis literæ tuæ, quas licet ueteres, tamen auidè legimus, cum loqui tecum quem habemus charissimum uidemur. Est nobis uoluptati quod Anthoniam tibi placere ais, suosq; mores laudas: speramus indies acceptiorẽ tibi futuram, si modo uestigia parentum secuta fuerit. Namq;, ut de sorore nostra taceamus, in qua cõmendãda posset nos fallere sanguis, quis Bartholomæo patre modestior? quis suauior? quis amantior? utinam iuuenesceret homo ille. Sed nimis iam senio confectus est. Omnia per ætatem labuntur: animus quoq; fit tempore debilior. Iuuenescunt tamen in filijs quodammodo renascuntur homines, quando paternos habitus sæpe liberi referunt. Tenes quid dicere uelimus? Anthoniam sua uirtus & imitatio paterna non sinet non esse gratam. Nec plura de hac. De uicario cognouimus, quæ scripta sunt à te, & à domino Gre-
C gorio, quoniam breui ad uos redire studemus, non est cur multa super eo dicamus. Habet dominus Gregorius mentem nostram. Multa tolerare oportet homines, compati quoque alterutrum conuenit: Cuiq; suum uitium est, uiuendum sine socio fuerit, qui uitium habenti noluerint conuersari. Neq; corpora sine macula, neq; animi sine mẽda reperiri facile possunt. Cum Domino Bartholomeo procuratore cupimus computum fieri, ne cum uenerimus eius rei curam habeamus: nouimus eum bonum esse uirum, sed nemo est qui nõ egeat adiutore. Ideo te hortamur cum per occupationes licet super intendas domui nostræ. De frumento sæpe mentem nostram intellexisti, credimus uos quæ meliora sunt agere, uiuimusq; animo quietiori, dum te curare simul cum Anna res nostras intelligimus. Commendamus tuæ fidei matrem & sorores, nepotesq; ac neptes nostras. Bartholomæo socero ut nostro nomine multas salutes dicas, bonumq; animum facias optamus, quem loco patris habemus, plurimumq; uideri optamus. Frãciscum eius filium saluere iubemus. Anthonium nepotem si quando errat, acriter errat, acriter corripito, & ad studium incendito. Amicis nostris D. Mariano Sozino, Georgio Andrentio, Francisco Patritio, Thomasio & Anthonio ac Guidoni picolomibus, ne tedeat nostra uice salutes dicere, & uale optime. Ex Gretio die XII. Iulij. Anno quo supra.

Ratahabet facto ab amico nomine suo. *Epist.* CLXI.

Aeneas Senensis episcopus Domino Francisco de Tholo- *meis Canonico Senensi, S. P. D.*

VEnerabilis & eximie doctor, amice & frater amantissime. Tuas literas postquam Senis datæ sunt, sex mensibus accepimus. In quibus de collatione cuiusdam ecclesiæ mentionē facis, cupisq; tuum probari factum. Quid ni probemus? aut quid à te fieri potest, non probatu dignum? placent nobis omnia quæ facis: laudamus, probamusq; singula: Nam etsi rationem facti nullam afferas, uides quantum uirtuti tuæ tribuimus, ipsa nos autoritate moueres. Habeto bonum animum non est cur tua gesta rescindere cupiamus. Viueremus quippe securiores, si te uices nostras semper ducere sciremus: tibi nanque nihil honestate & animarum salute nouimus esse antiquius. Sed mittimus hæc, quoniam prope diem te uisere atque amplecti speramus. Interea cupimus Reuerēdo patri Nouello episcopo Grossetano commendatos nos facias, cuius promotionem auide intelleximus: etsi nemo ex nostris de re illa nobis scripserit. Vicarium nostrum tuæ charitati acceptum esse commendatumq; cupimus: cui cum nouissime scripserimus, non fuit modo necessarium literas multiplicare. Vale & nos ama, & nostra cura ut soles, scitoq; te nobis esse charissimum. Ex Gretio Stiriensi, die XIII. Iulij. Anno M. CCCCLIII.

Ad Nicolaum quintum Pontificem summum de clade uniuersalis ecclesiæ orthodoxæ, & de situ & fertilitate Vngariæ, & de aduersis Prutenorum contra cruciferos ordinis Teutonicorum, *Epist.* CLXII.

INuitus quidem, beatissime pater, quæ aduersa sunt scribo: sed compellit me debitum officij mei, qui iussu pietatis uestræ Germaniam incolens, quæcunq; accidunt siue secūdæ siue aduersæ sortis nouitates, Apostolico teneor culmini notas facere. Sane per hos dies noua res in Vngaria exorta est, quāuis mala & aduersa paci bonisq; moribus, tamen scitu digna & admirabilis, quam uestræ Sāctitati referre hac epistola breuiter institui. Vngaria, sicuti uestræ Beatitudini constare non ambigo, & ultra & circa Danubium latissimas terras occupat, quod citra Danubiū est, olim Pannonia fuit, quæ ab Oriente Mœsiam, ab Occidente Noricum habuit. Septentrionem enim Danubius, Austrum Illyrici montes excepere, quos Isidorus magno errore, ut mihi uidetur, deceptus Apenninos uocitat. Quæ trans Danubiū Vngaria iacet, pars Scythiæ prius erat, duasq; gentes habuit Gepidas qui cōtermini Germanis fuerunt, et Dacos. Nō qui nunc Daci uocātur, quorū rex ad Oceanū Germanicū inter Suetiā et Saxoniā latissimo regno, sed palustri potitur, nam hi Dani melius appellātur, sed qui ea loca tenuerūt, quæ nūc trāsyluani occupāt, uicina Tartaris in coronæ speciē mōtibus cincta. In hac parte Vngariæ, quæ Gepidarū fuit, adhuc territoriū est, quod Sepusiū appellāt pro Gepudio, ubi aquæ riuus habetur, in quo mersa ferri materia, in cuprum uertitur. Gleba illic frumenti ferax: auri & argenti diuites uenæ, multum pecoris, aër salubris, terra optimis comparāda, nisi sua se ubertate corrumperet. Verum latrones ex omnibus prouincijs per circuitum depulsos, ipsa soli inuitat fœcunditas. Illic enim uelut asylum impunitatis habeant, omnes qui domo, uel propter flagitiū, uel propter seditiones exulāt, armati sese recipiūt, cēsualesq; sibi accolas reddūt. Sæpe illic, dū Sigismūdus imperauit, latronibus receptacula patuere. Neque Alberto Cæsare raptoribus ea regio caruit, sub Rege Poloniæ pax miseris incolis ignota fuit. Hischra Bohemus non alto loco natus, multa ui animi & corporis eam prouinciam, magna sibi ex parte subegit, multa ibi prælia uaria fortuna confecit. Sæpe cum paucis magnas hostium suorum copias fudit, sæpe uictor, raro uictus. Tandem Vngariæ proceres, ipsumq; regni gubernatorum, mortuo Rege Poloniæ, pacem ex se petere compulit, ciuitatesq; regionis illius diutinæ ac miserandæ seruitutis iugo contriuit. Nouissime autem cum Ladislaus Alberti filius paternum regnum suscepisset, Giscramq; data pecunia Sepusinis oppidis cedere suasisset, spes erat quieturam

A turam terram, atque post longas belli calamitates dulcis tandem ocij suauitatem fruitura. Sed minime ita uisum est superis: Nouus latro, noua prælia miscet, nempe inter montes & syluas, quæ Poloniam, Vngariamq; disterminant, diu latrocinatus est Bohemus quidam obscura domo uilibusq; parentibus ortus, sed audax homo manu, atque ingenio promptus, laboris patiens, periculiq; contemptor, cuius multa facinora referuntur. Qui cum sericeam diploidem domino cui seruiebat, olim furatus esset, cognomento Axamit appellatus est, quod Latine uillosum sericum sonat. Hic postquam Giscram Sepusio amotum audiuit, terramque milite uacuam agnouit, congregata non parua latronum manu, quasi in eius locum suffectus regionem inuasit, duabusq; arcibus natura & arte munitis, partim ui, partim dolo receptis, mox ruriculos in apertis uillis commorantes, ferro atque igne deterritos, ministrare uictui necessaria, pecunias dare menstruas ad omnemq; nutum præsto esse coëgit. Cumq; munitiones aliquot locis opportunis cõstruxisset, atq; in his præsidia collocasset, ciuitates quoque munitas sibi tributarias reddit. Deinde astutus homo, quia in potenti regno diu grassari sine magnis copijs se non posse intellexit, ad ingenium Bohemicum rediens, pulchram fallaciam commentus est, qua latrones uniuersos ex proximis regionibus ad se traheret. Omnibus enim qui sub eo militare uellent, stipendia publicauit, homini equestri in hebdomadam aureum nummum, pedestri mediam partem, ac

B tributorum & spoliorum omnium, æquam cuique distributionem. Quicquid enim ex tributis rapinisq; corraditur, in communi reponitur. Cumq; præfinitum diuisionis adest tempus, emerita cuiq; stipendia persoluuntur: quod superat uiritim diuiditur, atque, ut mos Bohemorum est, ad Euangelij corticẽ cuncta referre, tantum consequuntur qui ultima die mensis in societatem belli ueniunt, quantum qui mensem integrum arma tulerunt. Sic enim Euangelium uelle ait, in quo ultimi uenientes, qui prima hora uenerant operarijs comparantur. Qua re cognita omnes quos flagitium, egestas, conscius animus domo protulit ad Axamit cõfugiunt, ex quibus ille iam quinque milium pugnatorum conflauit exercitum: ac iam non Sepusinnis tantum, sed uniuersis Vngaris terribilem formidabilemq; se præbet. Neque Ioannes Himyad gubernator huius hominis impetum compescere potest. Qui & si maiores sæpe motus sedauerit, maioresq; hostes regnum ingressos deleuerit, non tamen modo latronis huius obuiare conatibus audet. Cui & nonnulli regni Barones clam manus porrigere perhibentur, quibus gubernatio Ioannis diuturnior grauiorq; uidetur. Ob quam rem interpellatus est Ladislaus rex, ut in Vngariam aduersus latrones proficiscatur, nisi regni magnos motus, subditorumq; uarias clades audire uelit. Hic autem & si Bohemis iturum se Pragam promiserit, tamen quia maiori periculo prius occurrendum puta-

C uit, exercitum tota Austria atque Morauia congregari mandauit: Publice dictitans aduersus Axamit personaliter se uelle proficisci: Persuaderi tamen populo non poterat, Regem puerum aduersus latronem ductare exercitum, sed opinabantur nonnulli hanc esse comitis Ciliæ, & Ioannis gubernatoris Vngariæ Technam, qui pacẽ cum Cæsare tractatam habere ratam nequaquam uolunt, nec militem cõgregare possunt, cupientibus ocium Australibus. Ideo quasi Axamit exterminaturi, ingentes habere copias studebant, quas congregatas in Cæsarem uerterent. Quidam uero altiori consilio rem pensitantes in caput Ioannis cudendam fabam existimabant, qui parum Regi paret, nec amplius quàm uigintiquatuor milia florenorum, ut aiunt, in annos singulos regali ærario contribuit, quod superat sibi retinet, regnumq; pro suo arbitratu gubernat. Hunc extollens, illum humilians, ut imperium apud eum, regni titulus apud Ladislaum esse uideatur. Iudicabant igitur aliqui comitem Ciliæ locum eius appetere, neque posse ad eum peruenire, nisi Ioannẽ fraudem circumueniat. Eum igitur commentum esse, ut conuocentur omnes ex Vngaria, Austria, Morauiaq; Barones in exercitum ad præsentiam Regis: causam conuocationis Axamit abunde præbere non posse: Ioannem non comparere: Comparentem autem in uincula recipi compellíq;, regni quæcunque bona sibi usurpauerit, Regi reddere, tumq; comitem

uoti compotem fieri. Quæ res mihi haud uero similis esse uisa est. Neque enim facile decipi gubernator potest, oculatus homo & amicis prudentibus circundatus. Frustra quippe iacitur rete ante oculos pennatorum. Vtcunque foret, Australes insidias ueriti, sine conuentu terrigenarum delectum habere militum negauerunt: Comes autem qui multis non ignorat inuisum se esse, congregationem multitudinis ueluti pestem uitauit, ne ut ante Cæsaris, sic & tunc suum iugum excuteret. Itaque carere exercitu maluit, quàm conuocando populum regimen suum in dubio ponere. Ne tamen nihil omnino fecisse uideretur, mercenarios milites ære publico mille conduxit, atque in Vngariam misit qui se copijs gubernatoris adiungentes in Axamit uaderent. Quomodo autem res acta inter illos sit nondum exploratum habeo, timendum est ne fortuna latronibus faueat, ut sæpe malis quàm bonis est melior. Interea Bohemorum legati Viennam uenere, petiueruntque Regem ad eos quàmprimum iter facere, coronamque regni accipere. Nisi hoc ageret, mutationes in Bohemia timendas dicendas. His responsum est Regem ad festum sancti Michaëlis iturum, prius etsi maxime uellit non posse, multis in Austria, Morauiaque negocijs occupatum & auro excussum non habere comitatum Regi conuenientem: cum tempore fieri omnia. Legati quamuis responsi eos tæderet, illud tamen in Bohemiam relaturos se promisere. Interea fratres sancti Francisci, qui per Sigismundum Cæsarem post multas Hussitarum clades ad Pragam reducti fuerant, conante Rochezana repulsi sunt. Sacerdotes si qui bene de fide sapiunt, infinitis contumelijs afficiuntur: omnia in manu hæreticorum habentur, neque illic Christiana religio, postquàm Bohemi Baptismum susceperunt, magis unquam oppressa fuit, quàm modo, neque prædia, neque corpora tueri possunt, qui fidem orthodoxam sequuntur: ex arbitrio perfidi & hominum qui uiuunt sceleratissimi Rochezanæ cuncta geruntur. Ladislaus enim Rex Georgio gubernatori potestatem regni in clericos laicosque concessit. Is uero quia communionis labem induit, Rochezanæ quem maxime timet, nihil contradicit. Temporalia solum curat, Spiritualia Rochezanæ permittit. Sic regnum illud nobile, & olim opulentissimum ab hæreticis ex integro gubernatur, quod ante hunc diem inauditum est. Quamuis enim Hussitarum rabies primas in regno partes aliquando possederit, semper tamen aliquot ciuitates atque Barones ecclesiæ Romanæ ritum seruantes, extra imperium illorum mansere. Nunc omnis nobilitas omnisque plebs Georgio paret. Hic princeps, hic caput habetur. Nec dubiũ est quin mores dominantis imitari seruientes studeant. Inde malum ingens regno imminet, & uicinis regionibus immensa calamitas, nisi Rex Ladislaus cito Bohemiam ingrediatur, rebusque modum adhibeat meliorem, quod futurum multi sperant: Ego cum uidero tunc credam. Dolenda sunt hæc quæ modo narro, sed protestatus sum ab initio de rebus aduersis me uerba facturum. Pergam ultra non ut molestus sim uestræ sanctitati, sed uti uestrum solium quantum ualeo nihil ignorare sinam quæ Germanos inter agantur. Dum Bohemi atque Vngari quæ dicta sunt gerunt, Pruteni qui aduersum magistrum ordinis sanctæ Mariæ Theutonicorum certum inter se non laudandum fœdus pepigerant, uocati ad iudicium Cæsaris, legatos ex se primarios homines delegerant, qui Maiestatem Cæsaream accedentes, causam suam tuerentur. Sed fuit his iter per Morauiam latronibus inhabitatam terram, ubi tanto quisque nobilior ducitur, quanto spolia maiora commisit, ibi homines intercepti, excussique rebus omnibus, aliquibus eorum occisis, in captiuitatem deducti sunt, quamuis & Cæsaris & Ladislai Regis publicæ fidei literas haberent. Sicque dicta iudicij dies circunducitur, neque spes est iustitiæ locum fieri. Procedere namque aduersus absentes, qui comparere non possunt, nulla ratio patitur. Prosfiteri dies sine consensu partium non potest, quando ex compromisso res agitur. Neque procuratores magni magistri cõsensum prorogationi adhibent, quoad tamẽ Cæsar potest ad concordiã nauat operas. Sunt enim aliqui ex parte ciuitatũ, qui etsi iuri stare nõ possunt, compositionis tamẽ admittendæ potestatẽ habẽt. Neque in hac re magna spes est, ciuitates fœdus dimittere religiosi permittere nolũt. Quod si reb. infectis hinc pares abeãt, magnũ dissidiũ magnũque malum

A malum instat. Religio potens est, armis, amicis, auro, abundans: neque ciuitates nudæ sunt, quinque & quinquaginta simul oppida iuncta sunt. Ciuitates imperij quas uocant stagnales, cum his sentiunt, opemq; pollicentur. Rex quoque Poloniæ uicinus, ciuitatum partes adiuturus timetur, qui sæpe religioni & magno magistro fuit infestus. Viri seniores cum uetera mente reuoluunt, admodum uerentur ne Bohemis Pruteni similes fiāt, Indeq; magnus ille & clarissimus Theutonicorum ordo pellatur. Hæc ad extrema Germaniæ pertinent, & ad Oceanum uersa, parum Mediterraneos mouent homines. Sed quid illud horribile nouum modo allatum de Constantinopoli? tremit manus dum hæc scribo, horret animus, neque tacere indignatio sinit, neque dolor loqui permittit. Heu miseram Christianitatem. Pudet iam uitæ: feliciter utinam ante hunc casum obijssemus? Italia, Germania, Gallia & Hispania magna ex parte salua, prochpudor ab effœminatis Turcis inclytam urbem Constantinopolim capi permittimus. Credo hæc iam uestræ pietatis aures accepisse: egredior Germaniam & ad Græciam pergo: Turcorum Imperator magnis militum copijs Constantinopolim proximis his diebus obsidione terra mariq; cinxit, atque admotis machinis & insultu ter facto expugnauit, populum omnem gladio extinxit: Sacerdotes diuersis tormentorum generibus excarnificauit, neque sexui neque ætati pepercit, quadraginta & amplius milia B personarum illic occisa referuntur. Qui res gestas ad nos ex Rastia uenientes enarrant, Paleogolum qui apud eos imperauit, capite mulctatum, filium eius ereptum fuga in Pera modo obsessum aiunt. Nolo ista sigillatim prosequi, quæ per alios & melius & uerius Sanctitati uestræ conscripta esse non ambigo. Satis est mihi cum uestra pietate de tanta Christianitatis ruina dolere. Vrbs quæ post Constantinum in anno M. C. & ultra durauerat, neque unquam in potestatem uenerat infidelium, spurcissimorum Turcorum hoc infelici Anno direptioni patuit. Roma quoque post suam conditionem in Anno. *M. CLXIIII.* per Gothorum Regem Athlaricum direpta refertur. Sed hic ne templa sanctorum uiolarentur edixit. Turcos autem in ecclesia Dei sæuituros quis dubitet? Doleo templum illud toto terrarum orbe famosissimum sophiæ, uel destrui uel pollui. Doleo infinitas sanctorum Basilicas opere mirando constructas, uel ruinæ uel spurcitiæ Mahometi subiacere. Quid de libris dicam qui illic erant innumerabiles, nondum Latinis cognitis? Heu quod nunc magnorum nomina uirorum peribunt. Secunda mors ista Homero est, secundus Platoni obitus. Vbi nunc Philosophorum aut Poëtarum ingenia requiremus? Extinctus est fons musarum. Vtinam tantum nobis superaret ingenij ut hanc calamitatem dignis uocibus deplorare possemus. Admodum ista cor meum urgent atque expungunt, sanctissime pater. Video simul & fidem & doctrinam deleri: Idq; noC stra desidia accidit qui solum præsentia respicimus. Quod si feruentiores ad rem Christi publicam animos adhiberemus, hæc profecto nefanda clades inferri nobis maxime potuisset. Certus sum quòd mœrore magno uestra Sanctitas est affecta, multumq; rei huius deplorat euentum Neque ab re quidem. Nemo est enim cui magis tanti mali fama quàm uestræ pietati sit obfutura. Nam scriptores omnes qui apud Latinos Romanorum Pontificum gesta referent, cum ad uestrum tempus fuerit uentum in hanc sententiam de uestra gloria scribent. Nicolaus Papa quintus natione Thuscus, sedit annis tot: Patrimonium Ecclesiæ ex tyrannorum manibus uendicauit, diuisam Ecclesiam unioni reddidit: Bernardinum Senensem in cathalogo sanctorum annumerauit: Palatium sancti Petri construxit. Basilicam eius mirifice reparauit: Iubileum celebrauit. Fridericum tertium coronauit. Pulchra hæc & decora de uestro nomine prædicabuntur, sed illud omnia funestabit, cum in fine adijcietur. At huius tempore urbis regia Constantinopolis à Turcis capta direptaq; est, nescio an diruta incensaue dici poterit: quamuis in manu hostium data minus exusta nobis quàm integra posit obesse. Itaque luet uestra fama sine uestra culpa. Qui & si totis conatibus opem ferre miseræ ciuitati studuistis, non tamen Christianis

regibus persuadere potuistis, ut arma simul capescentes commune fidei negotium adiu uarent. Negabant tantum esse periculum quantum dicebatur: mentiri Græcos, mendicareq; pecunias arbitrabantur, omnia ficta uanaq; reputabant. Fecit uestra Beatitudo quod potuit. Nihil est quod uestræ clementiæ posit impingi, sed tamen impinget hoc uestro nomini posteritas rerum ignara, cum uestro tempore Constantinopolim amissam didicerit. Timui semper hoc beatissime pater, cum multa ex sententia uestræ gloriæ succedere animaduerterem, ne sinistrum aliquid emergeret quod felicitatis cursum, impediens, lachrymabilem afferret materiam. Ecce ego timui, ex duobus Christianitatis luminibus alterum iam uidemus erutum: Orientalis imperij euersam sedem: Græcã omnem gloriam extinctam cernimus. Maiores nostri Hierosolymam, Accaron, Antiochiam perdiderũt fateor, ingens malũ, sed nulla clades modernæ ruinæ cõparanda est: in Asia et aliena possessiõe nostri ueteres urbes amisere, nos in Europa in nostro solo, inter Christianos potentissimam urbem, orientalis imperij caput, Græciæ columẽ, literarum domicilium ab hostili manu sinimus expugnari. Iam regnat inter nos Mahometus. Iam nostris ceruicibus imminet Turcorum gladius: Iam nobis clausus est Euxinus & Thanais inaccessibilis factus: Iam Vualachos Turco parere necessum est. Inde ad Vngaros: Inde ad Germanos Turcorum gladius penetrabit. Et nos interim domesticis quatimur odijs: Reges Franciæ & Angliæ inter se litigant. Germani principes inuicem bella gerunt: Raro Hispania tota quiescit: Italia nostra pacis expers, de alieno iure cõtendit. O quanto melius tantũ armorum tantumq; militiæ in hostes fidei uerteremus? Verum beatissime pater, non scio cui magis quã uestræ Sanctitati hæc cura debeatur. Vestrũ est iam assurgere, scribere Regibus, mittere legatos, monere, hortari principes atq; communitates in aliquem cõmunem locum, aut ueniant aut mittãt. Nuncq; dum malum est recens Christianæ reipublicæ consulere festinent, pacem aut inducias inter socios fidei componant, atque iunctis uiribus aduersus salutiferæ crucis inimicos arma moueant. Spero equidem si uestra Sanctitas suo ex more hoc negotium feruido & ardenti animo totoq; corde promouendum acceperit, & Deum & homines assensuros, futurũq; breui ut insolentiæ suæ Turcos pœniteat atq; in altũ Christiana fides emergat. Hæc habui quæ nunc ad uestram pietatem scriptione digna putarem. Et quamuis de tanto & tam arduo negotio maiores uiros quàm ego sim loqui deceat, quia tamen Christianus sum, nihil à me alienum puto quod Christianæ religionis utilitatem concernat. Nec ambigo quæ per me scribuntur, cuncta pietatem uestram in partem accipere meliorem, nec alio modo. Recommendo me uestræ pietati, quam pius & optimus Deus felicem Ecclesiæq; suæ statum diu ac uotiuæ sospitem & lætam conseruet. Ex Gretio Stiriensi, die XII. Iulij, Anno M. CCCCLIII.

Imperator summo Pontifici spondet auxilio esse contra Turcos. *Epist. CLXIII.*

Beatissime pater & domine Reuerendissime, Cum nobis renuntiatum esset his diebus Constantinopolim Græciæ caput, & orientalis imperij quondam sedem per Turcorum dominum expugnatam & in seruitutem redactam, multumque ibi Christiani sanguinis fusum esse, grauiter quidem, ut debuimus, & molestissime tulimus communem Christianæ religionis calamitatem atque iacturam intelligentes non de præterito solum quod doleamus, sed de futuro quoque quod timeamus tantæ urbis amissionem fidelibus Christianis abunde præbere. Namque si uerus est rumor ad nos delatus, hominum quadraginta milia cæsa sunt: Animæ plures in seruitium miserabile ductæ. Templa diuino nomini dedicata funditus diruta: Naues non paucæ captæ: Amissa ciuitas famosissima, & ratione situs & alijs conditionibus ad tutelam Christianitatis admodum necessaria: In qua per multa secula & patriarchalis dignitas claruit, & imperialis maiestatis insignia floruerunt: taceamus de literis ac bonarum omnium artium studijs, quæ ueluti domicilium proprium ex tota Grætia Constantinopolim habuere. Quibus modo cum ciuitate cadentibus, nullum profecto credimus esse Christiano nomine insignitum, qui de tantæ urbis ruina supra modum nõ angatur & doleat. Maximum certe atq; horribile uulnus illatũ est

A est Ecclesiæ catholicæ nostro tempore, ac maius quàm scriptis possit aut uerbis exprimi. At cum potentissimus hostis crudelissimus immanissimusq; in manu uictoriam hanc, locumq; nactus sit, ex quo fidei Christianæ quam persequitur pro sua libidine possit officere, quis non eum indies plura conaturum existimet quibus Christianorum gentem in perniciem desolationemq; ducat? Quippe uictoria sui natura insolens, etiam si ad mites uenerit, feroces eos impudentesq; reddit: Quid cum his agat qui suopte ingenio soliti sunt sæuire? An putare quisquam potest, iratorum hominum cupidorum atque acerbissimorum quieturam esse uictoriam? Enimuero qui ex illis partibus ad nos ueniunt, & Peram aiunt Christianis perditam, & alia pleraque loca uicina Constantinopoli per Turcos occupata, qui proximam quamq; uictoriam non desidiæ aut socordiæ ducunt, sed instrumentum sequentis habent, studijsq; omnibus enituntur ut Christianum nomen ad internitionem redigant. Nescimus an uera sint quæ autore non certo dicuntur, timere tamē quàm sperare multæ nos urgent rationes: Fama quæ de uenturis Turcorum exercitibus erat, ciuitas regia pro magnitudine sua parum populosa, hostium propinquitas, auxilij spes remotior, & infelix ac dolorosum nuncium optato & fausto semper credibilius. Quibus ex rebus & si non dubitemus S. uestram his cognitis excitatam esse ad cogitandum inueniendumq; modos, quibus tam periculo & potenti hosti ne amplius noceat opportune resistatur, tamen quia nos quoq; uelut Imperatorem & B aduocatum Ecclesiæ res ista concernit, haud ab re credimus esse, si clementiam uestram pro communi fidelium salute accensam, magis ac magis inflammare nitamur. Neque enim res est quæ uel negligi debeat uel differri: occurrere oportet priusquàm uulnus altius infigatur, aut ueneni labes in corda decedat. Cæterum cum tanto negotio non unius prouinciæ, aut paucorum principum, sed omnium Christianorum regum seu certe magnæ partis eorum necessariæ uires existant, dicemus confidenter quod nobis ex usu uidetur, neque dubitamus quin dicta nostra Sanctitas in partem recipiet meliorem. Sane pro tanto & tam necessario opere optimum factu censemus, clementiam uestram quæ locum tenet in terris saluatoris nostri Iesu Christi, cuius res agitur, nunc exurgere, scribere regibus, legatos mittere, monere, hortari principes ac communitates in aliquem communem locum, ut aut ueniant aut mittant. Nunc dum malum est recens, Christianæ rei consulere festinent. Pacem aut inducias inter socios fidei componant, atque iunctis uiribus aduersus salutiferæ crucis inimicos arma promoueant. Quod si uestra S. toto pectore suoq; more ad rem hanc tam piam & utilem intenderit, non est nobis dubium quin plures & Reges & principes, in quibus zelus domus Dei & ardor fidei orthodoxæ non est extinctus, ad mandatum uestrum uoluntarios & obsequentes se præbeant. Nos certe pietati uestræ ut libuerit, & assistere & cooperari pro nostri offi-C cij debito minime omittemus. Solum precamur ut uestrum in hoc negotio Consilium & intentum communicare dignemini. Namque si fuerit opus nostræ rationis & imperij sacri principes ad hoc ipsum conuocare, & alia quæ iuxta Consilium uestrum putauerimus opportuna implere nō negligemus. Quia uero ad huiusmodi negotium maxime conducere arbitramur, Italica bella quàm primum sopiri, quamuis Beatitudinem uestram ad hoc conari & per se sufficere non ambigamus, tamen quia anno proxime decurso, et Romæ & Neapoli & Ferrariæ & Venetijs de hoc plurimum egimus, licet frustra, si pietati uestræ impræsentiarum quouis modo expedire uidetur, quod Oratores aut ad S. uestram aut partes contendentes mittamus, siue alio modo pro pace celerius conficienda laboremus, ut uestræ Sanctitati fuerit uisum, eo modo faciemus, omniq; cura & studio proni erimus ad ea intendere, per quæ pace tam Italis quàm cæteris Christianis data, & furori Turcorum resistatur, & Christiana religio in suo statu conquiescere possit, & debito sub splendore foueri. Datum & cætera.

Sponde-

Spondet se citius patriam uisurum, *Epist.* CLXIIII. D

Aeneas Senensis Episcopus Domino Georgio Nicolai.

EXimie doctor, frater amantissime, Scripsimus tibi nuper de receptione tuarum literarum quæ nobis cumulatim redditæ sunt. Ex quibus ingratum, illum & dolendum tuæ matris amicæ nostræ sanctissimæ fœminæ cognouimus obitum. Respondimus ad omnia quæ significasti: Non est cur multa dicamus modo. Solum illud te scire uolumus: supplicauimus Cæsari paucis ante hunc diebus, repetendi domum ad tempus facultatem ut nobis daret. Is autem quamuis iubendi imperium habeat, tamen rogauit ad XV. diem post festum diui Michaëlis apud se maneremus. Instat enim eo tempore coram sua maiestate grande iudicium inter ciuitates quinque et quinquaginta Prussiæ, & fratres ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum, in quo nõ uult nos abesse. Necesse est igitur ad illam diem ut perseueremus. Exinde mox consensis equis ad uos ueniemus, & antequàm intret aduentus Domini, si Deus dabit, uobiscum erimus, deque rebus singulis transigemus. Fortasse medio tempore calamitas Cõstantinopolitana nostros Italos de pace cogitare magis quàm hactenus admonebit. Ex Grætio Stiriæ, V. Idus Augusti. Anno M. CCCCLIII.

Descriptio urbis Viennensis per Poëtam Aeneam Syluium ædita, *Epist.* CLXV. E

VIenna ambitu murorum cingitur duorum millium passuum: sed habet suburbia maxima & ambitiosa fossa & uallo cincta. Vrbs autem fossatũ magnum habet: inde aggerem peraltum. Mœnia deinde spissa & sublimia, frequentesque turres & propugnacula ad bellum prompta. Aedes ciuium amplæ & ornatæ, structura solida & & firma, ubique fornices aulæ latæ. Verum his æstuaria sunt loco tricliniorum, quæ ab his stubæ uocitantur. Nam hyemis asperitatem hoc domitãt modo. Fenestræ undique uitreæ perlucent, & ostia plerũque ferrea. In his plurimæ aues cantant. In domibus multa & mũda suppellex: Equorum iumentorũ & omnis generis capacia stabula: Altæ domorũ facies magnificæque uisuntur. Vnum id dedecori est, quod tecta plerumque ligno contegunt, pauca latere. Cætera ædificia muro lapideo consistunt. Pictæ domus & interius & exterius splendent. Ingressus cuiusque domum, in ædes te principis uenisse putabis. Nobilium prælatorumque domus liberæ sunt, neque ciuitatis magistratus in his ius habent. Cellæ uinariæ adeo profundæ & spatiosæ sunt, ut sub terra non minus quàm supra terram ædificiorum apud Viennam esse feratur. Platearum solum stratũ lapide duro ut neque plaustrorum rotis facile conteratur. Sanctis cœlũ tenentibus ipsique maximo Deo tẽpla dicata & ampla & splendida, secto lapide constructa, perlucida & columnarũ ordinibus admiranda. Sanctorũ plurimæ et preciosæ reliquiæ, argẽto, auro, gẽmis uestitæ. Tẽplorũ ingens ornatus, diuesque suppellex. Sacerdotes abundantes bonis pluribus. Qui clero præest apud sanctũ Stephanũ solo Romano principi subest. Ciuitas in parochia Patauiensi est maior filia matre. F Plures in ciuitate domus consecratas ecclesias habet, & proprios sacerdotes. Quatuor ordines mendicantium procul à mendicitate ibi absunt. Scoti & canonici regulares sancti Augustini admodum diuites habentur. Monialesque sacræ & sanctæ uirgines. Ibi quoque monasterium est ad sanctum Hieronymum nuncupatum, in quo meretrices conuersæ recipiuntur, quæ die ac nocte hymnos lingua theutonica decantant: quarum si qua redire ad peccatum comprehensa fuerit, in Danubium præcipitatur: Sed agunt ibi pudicam sanctamque uitam: rarus de his sermo malus auditur. Scola quoque hic est liberalium artium ac Theologiæ & Iuris Pontificij, noua tamen & ab Vrbano sexto Papa concessa. Magnus studẽtium numerus eo perfluit ex Vngaria & Almaniæ partibus superioribus. Duos hic claruisse cõpertum habeo præstantes Theologos, Hẽricum de Hassia, qui Parisijs edoctus huc in principio uniuersitatis aduolauit, primusque cathedrã rexit, ac plurima uolumina notatu digna conscripsit. Alter fuit Nicolaus de Dinkelspuhel Sueuus, uita bona et doctrina multa clarus, cuius sermones hodie auide à doctis leguntur. Est et ille hodie Thomas Haselbach non incelebratus Theologus, quem scribere historias non inutiles aiunt, cuius ego doctrinam laudarem, nisi duos & uiginti annos Esaiæ primum capitulum legisset, neque adhuc ad calcem uenisset.

A Maximum autem huius Gimnasij uitium est, quod nimis diutinam operam in dialectica, nimiumq; temporis in re non magni fructus terunt. Qui magisterij artium titulo decorantur, hac una in arte maxime examinãtur. Cæterum neq; Musicæ, neq; Rethoricæ, neq; Arithmeticæ curam gerunt: quamuis metra quædam & epistolas ab alijs editas imperite exhibentem magistrandum compellant. Oratoria & Poëtica apud eos penitus incognita, quibus omne studium in elenchis est uanisq; cauillationibus, solidi haud quaquã multum. Qui libros Aristotelis & aliorũ Philosophorum habeãt raros inuenies cõmentarijs plerũq; utuntur. Cæterum studentes ipsi uoluptati operã præbent, uini cibiq; auidi. Pauci emergũt docti, neq; sub censura tenentur, die noctuq; uagãtur, magnasq; ciuibus molestias inferunt. Ad hæc mulierum procacitas mentes eorum alienat. Ciuitatis populus quinquaginta milium communicantiũ creditur. Consulatus octo & decem uirorum eligitur. Tum iudex qui iure reddũdo præest: Deinde magister ciuium qui curam ciuitatis gerit. Hos princeps assumit, quos in ciuitate sibi fideliores arbitratur, atq; ab eis iusiurandum exigit. Magistratus alij nulli sunt, uisi qui uini exigunt uectigal, ad illos omnia referũtur, quorum potestas annua est. Incredibile uideri potest quot per dies singulos in ciuitatem uictualia ingeruntur: Ouorum atq; cancrorum multæ quadrigæ adueniunt: pistus panis, carnes, pisces, uolatilia sine numero afferuntur: ubi aduesperascit nihil uenale ex his inuenies. Vindemia his ad quadraginta dies protenditur, nullo non B die trecenti currus onusti uino bis terq; inferuntur. Ducentos & mille equos indies ad opus uindemiarum exercent. Ex uillis præterea ad festum usque Martini libertas omnibus est uinum in urbem redigere: Incredibile dictu est quanta uis inducatur uini, quod uel Viennæ bibitur, uel ad extraneos per Danubium contra cursum aquæ magno labore mittitur. Ex uino quod Viennæ uenditur minutim, decimus denarius principi cedit: ea res auri duodecim milia quotannis ad cameram defert: in reliquum parum oneris ciuibus inest. Cæterum in tanta & tam nobili ciuitate multa enormia sunt, die noctuq; rixæ ad modum prælij geruntur: Nunc artifices aduersus studentes, nunc curiales in artifices, nunc isti opifices aduersus alios arma sumunt. Rara celebritas absque homicidio peragitur. Frequentes cedes committuntur. Vbi rixa est, non sunt qui diuidant contendentes: Neque magistratus neque princeps custodiam (ut par esset) ad tanta mala adhibent. Vinum domi uendere nihil extimationi officit. Omnes ferè ciues uinarias tabernas colunt, stubas calefaciunt, coquinam instruunt, bibulos & meretrices accersiunt, hisq; cibi aliquid cocti gratis præbent ut amplius bibant, sed minorem mensuram dant. Plebs uentri dedita, uorax, quicquid hebdomada manu quæsiuit, id festo die totum absumit: lacerum & incompositum uulgus: Meretricum maximus numerus: Raro mulier est uno contenta uiro. Nobiles ubi ad ciues ueniunt, uxores eorum ad colloquium C secretum trahunt: uiri allato uino, domo abeunt cedüntq; nobilibus. Plurimæq; puellæ patribus inscijs uiros sibi delegunt. Viduæ intra tempora luctus ex arbitrio suo nubunt. Pauci in ciuitate sunt quorum proauos uicinia norit: raræ familiæ uetustæ, aduenæ aut inquilini ferè omnes. Mercatores diuites senio confecti puellas in matrimonium ducunt, easq; breui dimittunt uiduas: Illæ inter familiares domesticos cum quibus sæpe consuetudinem adulterij habuerunt, iuuenes uiros accipiunt: ita quia heri pauper, hodie diues inuenitur. Cõtra quoq; hi superuiuẽtes, uxores alias accipiũt, resq; per circulũ ducitur. Raro filius patri succedit. Lex apud eos est, quæ superuiuenti coniugi partem defuncti bonorum mediã tribuit. Testamenta libera sunt: Ita & uiri uxorib. et uxores uiris bona testantur. Captatores hæreditatũ multi, qui senibus blandientes scribi hæredes sese curãt. Aiunt & mulieres esse admodum multas quæ uiros graues uxoribus ueneno auferunt. Cõstat sæpe à nobilibus cæsos esse ciues, qui uxores suas uerbo terruerunt, quibus amatores in curia fuerunt. Viuũt præterea sine ulla scripta lege. Mores aiunt se tenere uetustos, quos sæpe ad suum sensum uel adducũt, uel interpretantur. Ius admodũ uenale est, qui possunt, sine pœna peccãt. Pauperes atq; amicos nudos iudicia plectunt. Iuramenta quæ publica sunt tenaciter obseruant: quod negari iuratum potest nullã uim habet. Mutuum dantes ad tẽpus si quid detrimenti tulerint, elapso termino in

reiurando

ieiurando quam summam uolunt extimant, maximoque damno debitores afficiunt. Pignora quæ mutui causa dantur, si quid afferunt non extimant usuras. Excommunicationes tantum timent quantum infamant, aut damno temporali sunt. Furta quæ apud furem inueniuntur, iudici cedunt. Ad hæc festa parum religiose colunt. Carnes omni festo uenduntur. Aurigæ nullo uacāt die. In Austria reliqua multa oppida sunt, nullū aūt magni nominis. Barones multi potētes & nobiles, & inter quos primū dignitatis locū obtinent Schaumburgēses & Maitburgen. comites: opibus aūt superare creduntur de Vualsæ, de Liechtenstain, de Puchau. Nec parū habent nomē Puttendorffer, Starenberger, Eberstorffer, Eckertzauer, Hohenberger, & alij quàm plures. Eytzinger licet nouissimi sint, potentia tamen hodie & autoritate inter primos habentur. Monasteria quā plurima sunt & magna & ditia. Ecclesiæ præterea cathedrales Saltzburgensis, Pataujensis, Ratisponensis, Frisingensis, latissimas possessiones in Austria castellaque plura posside nt, ac domos egregias quas inhabitant. Sunt enim omnes consiliarij ducum Austriæ hosque ueluti maiores honorant. Siue bellum gerere siue curiam lætabundi habere uelint Austriæ duces, & prælatos & proceres ueluti reges in comitatu habent. D

Tractatus pulcherrimus Aeneæ Syluij de Curialium miserijs. *Epist. CLXVI.*

Aeneas Syluius Picolomineus. S. P. D. domino Ioanni Aich *perspicaci & claro Iurisconsulto.*

Stultos esse qui Regibus seruiunt, uitamque tum infelicem tum miserrimam ducere curiales, uereor ne qui me arguant mihique maledicant, si hac epistola quam tibi sum scripturus ostendero. Nec enim deerunt qui me principibus deferant, & hostem reddere curent, quoniam uidear homines ab eorum obsequijs arcere. Nam quis post hac inquient illi, Regum atria frequentabunt, si se futuros illic miseros intellexerint? At ego non id ago ut principibus derogem, sed illos potius magnis leuo molestijs. Instant assidue quam plurimi & nobiles & magni uiri, qui Regum aures obtundunt dum in curiam precibus recipi postulant, quos cum nequeunt Reges aut utiliter recipere, aut honeste repellere, in magnaque propterea sint anxietate, gratia mihi non odium haberi debebit, si quem ex his monuero, curiæ Regis ut suapte renuntiet. Nec timendum est meis scriptis id fieri ut regum aulæ deserantur: erit enim semper stultorum numerus infinitus qui uitam beatam apud Reges solummodo iudicent inueniri. Sed caue, dicunt alij, ne diuinis aduersere præceptis, dum Regum suades euitari seruitia: cum Petrus apostolorū princeps et caput Ecclesiæ subiecti estote, dicat, omni creaturæ humanæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus quasi ab eo missis. Absit autem à me scelus hoc ut apostolo contra dicam, uel Regibus dicam non esse parendum, cum & ueritas in euangelio reddi quæ sunt Cæsaris Cæsari iusserit, & quæ Dei sunt Deo, cumque ad Romanos Paulus doctor gentium dicat: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, Clamo & ego obedite principibus uestris omnes populi: Subijcite uos sublimioribus potestatibus omnes gentes. Sed memineritis quia Petrus propter Deum ut subijciamini iubet, non propter opes, potentias, uel honores. At ista non sunt contraria meis scriptis si cum propheta dixerim, Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus nō est salus: Præterea quàm plures obiectiones alias quibus te responsorem constituo, si qui sint qui uelint me amplius impugnare. Ego ad rem ipsam ueniam, si prius quid hoc me disputare compulerit paucis absoluero. Genitor meus Syluius qui mortuo patre Posthumus natus, paternumque nomen tulit, adolescentiæ suæ florem apud antiquum ducem Mediolanensem, huius Philippi ducis patrē peregit, affectusque tandem curiæ tedijs, domum redijt, uxorem duxit, filios genuit et usque in hanc diem uitam quietam laudatamque degit. Is cum ad se duo Senenses iuuenes admodum nobiles accessissent, & an Regi seruire conduceret, percunctati fuissent, sic respondit: Menippus cum adolescens apud Homerum, Hesiodumque diuersa deorum scelera legisset, ea licitita esse atque honesta credebant, nam quod dij faciant, quis non arbitretur honestum? Hic uir postea factus, cum illa tanquam turpia prohiberi legibus animaduerteret incertus animi Philosophos adijt, sciscitaturus ab eis quæ nam esset opti ma

A ma uita. Sed nec Philosophi satisfecerunt, cum inter se dissentirent, & alij uoluptatem, alij uacuitatem doloris, uirtutem alij, quidam uero animi corporisq; & fortunæ bona simul iuncta uitam dicerent præstare beatam. Incertior igitur ille multo quàm antea, ut uerbis utar Terentij, cõsulere mortuos decreuit, et ad inferos penetrauit, ac ex Thiresia qui & ipse uates diuinatorq; fuit, ubi uita beata esset perquisiuit: cui cũ Vates diu respõdere negasset, in aures tandem insusurrans, apud priuatos, inquit, optimam uitam, hoc est felicitatem inuenies. Gyges Lydorum Rex, qui se præ cæteris fortunatissimum reputabat, Apollinem consuluit quis suo tempore felix esset: contempsit oraculum regias opes, & apparatus, atq; Aglaum quendam Arcadem modici ruris cultores, qui metas agelli sui cupiditatem nunquam excesserat, felicem esse respondit. Vos igitur, ò iuuenes, si quo modo uiuatis optime, queritis, minime Reges adhibitis. nã cũ ipsi felicitatis exptes sint, felices qui sibi dicati sunt nullo pacto possunt efficere: quippe quod principibus seruiẽtes nihil sibi libertatis relinquũt, ut ea consequi possint, quibus potiti multo sint quã antea miseriores. Virtutes enim ò iuuenes, felicis uitæ sunt effectrices, quæ à principũ domicilijs exclusæ, si quando casu aut errore limen ingrediuntur, e uestigio coguntur fugere, perterritæ sinistris moribus quibus in altis palatijs uiuitur. Quod si tempus differendi daretur, monstrarem uobis omnes homines stultos esse, qui uitam habentes aliam in qua possint honeste uersari, in curijs principum se præcipitant. Sed abest otium, ideo uos tantum moneo, ut agrum hunc histriones & adulatores ac alios nebulones metere sinatis, qui nigrum in candida uertunt: nullus est enim uiris bonis apud principes locus, nulla emolumenta laborum, & ut Iuuenalis uerba resumam: Minor est hodie res, heri quàm fuit: hæc eadem cras detrahet ex his aliquid. Sic Syluius genitor. Illi uero ab insano proposito reuocati, domi manere & sibi & Musis uiuere decreuerunt. At paterna uox minus in filio quàm in extraneis potuit, nec enim me pater ab obsequijs curiæ ualuit auocare: quamuis sæpe multi ne me post principum uesanias ire perditum admonuerit. Sed expertus sum quod prius non credidi, ueramq; patris sententiam inuenio, de qua libet me nunc in hac epistola dissertare, grauiq; tuo iudicio remittere cuncta, nam & tu annis compluribus inter aulicos canes latrauisti. Vidi te apud Albertum Cæsarem honorato in loco, & cum te primum noui, Orator suus in Basiliensi Concilio benedictionẽ sibi ex patrum cætu petebas, cum is regni Vngariæ diadema mortuo socero suo Sigismundo Cæsare suscepisset, atque postquam is quoque uita functus est. non enim triennio toto imperauit, ad nepotem eius Albertum Austriæ ducem te contulisti cuius es adhuc consiliarius. Quam rem non sum nescius apud ignaros rerum meæ sententiæ plurimum detrahere, quis enim infeliciter uiuere Curiales crediderit, cum tu qui uir haberis bonus & sapiens, solutus semel curiæ uinculis, iterũ te uincieris? Sed sum

C ego quoque in eadem qua tu es causa, qui annis iam XV. curialem seruitutem seruiui, et nunc ecclesiasticos, nunc seculares secutus sum principes, & quamuis liber nonnunquã euaserim, mox tamen in uincula meapte redij. Itaque posset aliquis opinari, ut solus uel cum paucis curiæ uoluptatibus fruar, idcirco me mores curiæ coram alijs detestari sicut apud Mediolanum, qui Bernardino prædicatori contractus usurarios accusabat, ut prohibitis ab his reliquis solus ipse feneraretur. Sed longe aliter est: non enim quia placeat mihi curia, ideo uersor in curia, sed ne leuitatis accuser, qui genus uitæ receptum nesciuerim prosequi: idem & te arbitror retinere. Accidit enim nobis sicut coniugatis: Sunt enim admodum multi qui uiuente coniuge matrimonium damnant, & uxoris obitum cupiunt libertatis amore, semperq; illius ad Corinthios Pauli mandati meminerint: Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. At hi postquam libertatem sunt assecuti, mox alteram ducunt cõiugem, ut uix quidã exequias defunctæ uxleant expectare. Sic enim est hominum calamitas, ut uitam quam uiuunt diuq; uixerunt etsi malam sciunt, mutare tamen aut nequeant aut nesciant: Hinc Horatius ad eos qui suam uitam damnantes alienam laudant: Iam faciam quod uultis, inquit, eris tu qui modo miles mercator: tu consultus modo rusticus: hinc uos, hinc mutatis discedite partibus, eia quid statis, uclũt: Plurima sunt mi Ioannes quæ nos cogunt perseuerare, sed nulla est ratio prior quàm am-

bitio, quæ tanquam æmula charitatis omnia fert onera quamuis grauissima, ut honoribus seculi ac popularibus laudibus efferatur. Quod si humiles essemus & animam potius lucrari quã uanam uenari gloriam studeremus, haud multi profecto in hæc tædia sese reciperent. Ad eos igitur qui propterea sequi Reges uolunt, quia prælatos & doctos in curijs esse conspiciunt, saluatoris nostri Iesu uocem obijciam: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisei, quæ dicunt facite, secundum opera eorum nolite facere. Nõ igitur quod insignes uiri ac magistri uitæ faciunt, sed quod facere debent, imitari oportet. Expendat prius seipsum qui se dicare uult Regibus, an tolerare labores, famem perpeti, sitim sufferre, contumeliasq́ ualeat sustinere. Deinde prospiciat diligenter utrum ex curia consequi possit quod suus desiderat animus? Mihi & angustiæ apud principes infinitæ intolerabiles esse uidentur, et quæ homines optant illic nullatenus inueniri: quo fit ut ueram patris sententiã arbitror, de qua nũc transigemus. Repetenda est igitur paterna uox, quod ille stultos esse autumat singulos qui non coacte principibus seruiunt. Clara uox, dura tamen fortasse nõnullis uidetur. Sed audiant quo pacto probetur. Stulti quo ad propositum nostrũ tribus modis dicuntur homines. Stultus est qui quæritat quod nequit inuenire: Stultus & qui quærit quod nocet inuentum: Stultus quoq; & ille est qui fine proposito ad quem tendit, cum plures habeat calles, deteriorem deligit & periculosiorem, ut si Romam petiturus cum duæ sibi pateant uiæ, altera breuis atq; secura, altera longior plena latronibus, pergere ultimam uelit. Curiales igitur homines aut primam stultitiam incidunt, aut alteram, aut tertiam. Aut enim quod assequi nequeunt, inuestigant: aut quod inuentum detrimento sit quærunt: aut semitam peiorem deligũt, quas res melius longe cognoscemus, si quæ sint Curialium desideria & quos sibi constituant fines præuiderimus. Mihi uidentur omnes qui regnum uel principũ latera stipant, aut honores quærere, famamq́ seculi, aut potentiam, aut diuitias, aut uoluptates. Nec inficias eo nõnullos esse qui se apud principes lucrari animas arbitrentur, ut meritum tanto maius nanciscantur quanto cum maiore periculo militauerint. De his igitur quinq; generibus hominum dicendum est nobis, quos tantum distare ut sapientes sint, ostendemus, ut facile quiuis eosdem deliros, amentes, insanos, ac stultissimos queat cognoscere. Prius tamen quã hoc aggrediar, omnes oratos uolo ne me quempiam principum carpere censeant, aut quouis pacto serenissimo diuoq; principi meo Friderico Cæsari detrahere. Nam etsi dicturus inter disputandum fuerim uitiosos principes esse, & libidinum ac stultitiæ seruos, non tamen id omnibus ascripserim. Nec enim me latet inueniri nonnullos uirtutum ac sanctionis cultores, qui à principatu uitia diuino quodam munere separent. quemadmodũ boni apud gẽtiles principes Augustus, Vespasianus, Titus, Traianus, & Anthonius pij sunt habiti, & apud Christianos Constantinus, Arcadius, Honorius, Theodosius, Carolus magnus, & quem Bamberga ueneratur Henricus sanctus, in quibus si uel pietatem uel mansuetudinem uel pacis amorem uel iustitiæ zelum uel religionis affectum requiris, Fridericum nostrũ nulla in re minorem inuenies. Tantumq; abest ut meis sibi scriptis uelim detractũ, ut eius laudes illustrare, & uersibus quoad possim & oratione soluta decreuerim: nec me nunc eius curia detineret, nisi sua me bonitas allexisset. Sed me quanta sit curialium infelicitas ostensurum, non quid ipse et alii pauci quos equos amauit Iupiter, sed quid communiter principes agant referre oportuit? Quod si omnia quæ inferius mala recensentur, in nostri principis inueniri curia dixerim, aperte mentiar, nec minus mentiar, si nihil illorũ hic esse contenderim, nec ego quenquam momorderim: quia sic est hominum uita ut plus mali ubiq; quã boni reperiatur. Nostra intentio est fatuos esse qui principibus hærent, disputando monstrare. Iam igitur illos aggrediamur, qui tanquam appetentes honorem, principibus seruiunt. Aduersus quos cum Iuuenali libet exclamare: O medici mediam pertundite uenam: delirant enim qui propter honorem principibus famulantur: ad quorum purgandas mentes non meis scriptis, sed helleboro potius esset opus. Quis enim in aulis principum uerum honorem dixerit inueniri? Dantur honores in curijs non secundum mores atque uirtutes, sed ut quisque ditior est atque potentior eo magis honoratur. Nam quem unquam

A quam pauperem tametsi præstanti uirtute præditum, regum aliquis sublimauit? Audio quod obijcis, fuerunt nonnulli, dicis, obscuro nati loco atque inopes quondam, qui nunc omnibus sunt prælati: sic enim principes uoluerunt. Sed quos, oro, sic prælatos ais? nempe quos suis moribus conformes inuenerunt: quibus moribus? auaritiæ, libidini, luxuriæ, crapulæ, crudelitati. Sic est sane. Placet auaro Regi qui pecunias undecunque refert: Gratus est libidinoso qui uirgines atque maritatas sibi conciliet: Charus est ebrio, qui combibit: Crudeli iocundus est qui sanguinem quàmmultum effundit humanum. Nemo acceptus est nemoq; ex paruo statu præfertur alijs, nisi magno aliquo facinore sese principi conciliauerit. At hic non est uerus honor & stabilis, qui ex radice uenit non bona. Vera gloria, ut inquit Cicero, est illustris ac peruagata multorum & magnorum, uel in suos ciues, uel in patriam, uel in omne genus hominum fama meritorum, quàm nec principes assequuntur nec qui seruiunt eis, cum uitijs omnes ferè sint dediti, nec bonum aliquid agant nisi fortuito. At transeunti per urbem tibi inclinabunt homines, denudabunt capita, cedent loco, salutes dicent, manus osculabuntur. Ita est certe. At ubi transieris, digitos retrotendent, subsannabuntq; tibi, & ille est, inquient, qui principem nostrum seducit, qui bellum suadet, qui uectigalia auget, qui onera nobis importabilia cumulare facit, & etiam qui uerso pollice quos uult ex nobis occidit,
B quem dij deæq; omnes perdant, ne sub eius tyrannide diutius simus. Huiusmodi est honor curialium, qui si te, quisquis es, oblectat, non uerebor te stultum atque insanum affirmare, qui oblectationes tuas in re fallaci uaria atque omnino falsa reponas. At Parasitorum uocibus qui te cœnarum gratia laudant, quantum tribui debeat tu ipse nosti. Prætereo histriones atque ioculatores et totius uulgi laudes, quas uir prudens pro nihilo reputabit, quia nulla est uera laus, nisi à ueris proueniat laudatis. Adde quod omnes curiæ sequaces non quibus præsint, sed à quibus præcedantur inspiciunt & altius semper euolare nituntur, atque cum reliqui præcesserint, ipsis etiam Regibus incipiunt inuidere, quia inexplebilis est humanæ gloriæ appetitus. Cui postquam te dedideris semper illud Ciceronis in ore habebis: Quicquid est enim quamuis amplum sit, id certe parum est, cum est aliquid amplius. Est insuper Philosophorum sententia ac præsertim Aristotelis, in honoribus non esse finem ponendum, quia & res incerta est & in potestate alterius, & qui seruit honori & huius seculi famæ necesse est ut multa faciat inuitus. Interdum plus hominibus quàm Deo seruire cogitur. Duo enim cum sint honores, alter uirorum bonorum, alter multitudinis, stultus est qui primum apud Regem uenatur, quia inueniri uerus honor non potest ubi uirtutes non regnant: Qui uero alterum, multo stultior est, quia & rem perniciosam sequitur, & uitiosam, & instabilem, & incertam. Atque hi quidem perpetuis cruciatibus affliguntur, cum sibi præferri plurimos et sæpe indignissimos uideant: nec qui bonorum est auidus usquam magis quàm
C in curijs angitur. atque iam satis de honore sit dictum. Nunc ad potentiam eamus: Pulchrum uidetur apud principem esse potentem, tutorem uocari Regis, præcipere alijs, bellum indicere, pacem componere, posse obesse & prodesse quàm pluribus. Sed multi decepti sunt, dum posse apud Reges plurimum quæsiuerunt. Apud Tiberium, Neronem, Claudium tam potens Seianus fuit, ut imperatore apud Capreas cum Rege Caldæo sedente, solus hic imperium administraret, secundumq; illud totius orbis caput ueneraretur: Et quippe si ante ipsum oppressa Cæsaris senectus fuisset, hunc unum populus Augustum uocasset. Sed nulla est apud principes diuturna potestas, nulliusq; status debilior, nullius incertior, nullius infirmior est. quàm eius qui apud principem uidetur esse potentior. Sunt æmuli, simultates, odia. Omnis potentia magnæ inuidiæ subiecta est. Incidunt suspitiones: parantur insidiæ: perstrepunt undique delatores. Atque ut oculus parua festuca turbatur, sic principum gratia offensiuncula uel minima cadit. Interdum etiam nullo crimine perditur, tantum apud principes subdola lingua potest. Apud Adrianum Imperatorem delatorum uoces adeo ualuerunt, ut amicos quos ad summum prouexerat, post hostium loco habuerit. Sed ad Seianum redeo: uis ne saluta-

ri ſicut Seianus, & tam eſſe potens ut ille fuit? At hic unica principis epiſtola captus eſt, per urbem ductus ad ſpectaculum, & in Tibridis ripa truncatus, omnesq; ipſius ſtatuæ ex capitolio deiectæ ſunt. Perlege ſacras literas: quot Saul? quot Dauid? quot Salomon ex his qui apud ſe potentes erant occidi iuſſerunt. Abimelech quia potentem uidit apud ſe Iſaac, ex regno repulit forſitan & interfici iuſsiſſet, niſi digitus Dei cum illo fuiſſet. Clitonem ſuæ nutricis filium quia Philippi patris laudes comparare uoluiſſet, Alexander Macedo ſua manu interemit. Extant noſtri temporis admodum multa exempla, quæ conſulto fugio, ne cui uidear detraxiſſe. De magno regni Appuliæ Seneſcallo nemo me dicere prohibet, quia tuta eſt in mortuos reprehenſio. Hic apud Reginam Ioannam primo in loco fuit, potentiamq; ſuam firmiorem putabat, quia & ſtupris ſeſe inſinuauerat. At Regina conuerſo in alium amore, percuſſores ad illum noctu tranſmiſit: quo mortuo alios ſibi concubinos ſubſtituit. Pauci ſunt qui apud Reges perpetuo ſint potentes. Sæpe qui heri placuit, hodie diſplicet, nullum eſt in atrijs principum maius ſtudium quàm ut alios de gradu præcipitent, & ſe erigant: potentatum quilibet appetit, nulla inter curiales habitat fides, non frater à fratre tutus inuenitur, nec patri filius fidus eſt, nec filius patrem ſeruat: quilibet ſibi ſtudet, omnes præferri uolunt, omnes mandare. Si quis potens eſt, mille circa ſe oculos habet, & totidem linguas ad ruinam eius aſpirantes, & unus hinc alius illinc premit. Nimium multos timere habet qui multum poteſt, & illum omnes oppugnant, qui principi gratior exiſtimatur. Ruunt turres quæ iuxta flumen ſitæ, perpetuum in ſe aquæ curſum recipiunt: quid tu facias qui ex unius uoluntate dependes? in cuius amore nec ferro nec plumbo ſed cera fixus teneris: quem uel infrigidatus amor excutiet uel iræ feruor eliquabit. Non omnibus tantum arridet fortuna, quantum cancellario noſtri Cæſaris Caſpari Schlick, quem uel miranda fati clementia, uel ſingularis uirtus, atque præſtantia (quæ in paucisſimis hominibus reperitur) apud tres Cæſares inter primores potentem reddidit. Alios uero uix unquam uidimus in curia ſucceſſoris tales eſſe quales apud anteceſſorem fuere. Sed præcipitari complurimos ex gradu cernimus, ita ut quanto prius honoratiores & potentiores cenſebantur, tanto exinde debiliores & inhonoratiores fiant, & ſint inimicis gaudio, amicis uero & propinquis & ſibi dolori, moleſtiæ atque dedecori. Eſt autem uulgatisſimus eorum finis qui apud principes uel honorem uel potentiam quæritant, quos in errore tam manifeſto comprehenſos ſtultisſimos eſſe nemo negauerit. Nec plura de potentia. Nunc diuitias proſequamur, quas minime dubium eſt complures mortales in curiales carceres attraxiſſe, qui cum Horatio ſe laborem ferre dicunt ſenes, ut in ocia tuta recedant: quidam uero Iuuenalis referunt uerba. Quando ego figam aliquid quo ſit mihi tuta ſenectus A tegete & baculo. Aduerſus quos poſſum ſaluatoris noſtri ſermonem referre, qui tam difficile, dicit, diuitem intrare regna cœlorum, quàm per foramen acus tranſire camelum: quo fit ut ſtultum ſit diuitias quærere, & ſpem patriæ cœleſtis amittere. Nec mihi quiſquam timorem famis adducat, quaſi non habeat Chriſtus unde alat pauperes ſuos. Apoſtoli nauim & retia reliquerunt, inquit Hieronymus, nec tamen illis quicquam defuit. Libertas Chriſti pauperum & olera Creſi diuitijs præferuntur? Sed iſta fortaſſe nimium religiosè dicuntur, nec talia ſunt quæ uulgo probari queant. Agamus igitur pingui Minerua, conſentiamusq; Iuuenali & Ariſtoteli ad felicem uitam opus eſſe diuitijs, quia non facile emergunt quorum uirtutibus obſtat res anguſta domi. Sunt qui ſe poſſe putant diuitias cumulare principibus ſeruientes: at hi ut diuitias comparent libertatem uendunt, nec tamen diuitias aſſequuntur: nam ſi tibi princeps uel beneficia contulit, uel feuda conceſsit, uel res alias, tanto magis ſeruire teneris quanto maiora ſunt dona. Quod ſi aliunde neſcis, ex Gregorio diſcito. Cum enim, inquit ille, augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Quod ſi tunc ex curia uelis abire cum diues es factus, mox omnia perdidiſti. Inuenitur cauſa: ſubmittitur accuſator: conuinceris reus etiam non commiſsi criminis, auferuntur bona, & ne conqueri unquam poſsis,

A possis, eripitur & uita. Si uero in curia perseueraueris, oportet ad quæuis imperia Regis esse paratum, ire in bellum, per latrones transire, nauigare in mari, manere in peste, mille capitis adire pericula. Iustum & iniustum exequi mandatum, ridere & flere cum Rege, laudare quem laudat, uituperare quem uituperat, nulla tibi in uerbis aut in operibus libertas supererit. Quid igitur stultius est quàm diuitias per tot tormenta cogere, cum sit manifesta phrenesis, teste Satyro, ut locuples moriaris egenti uiuere fato. Nonne præterea deliramentum est cum duo uel tres cumulauerint opes, omnes huius liberalitatis munificentiam expectare, & non potius infinitos respicere, qui dum Regibus seruiunt, ad extremam inopiam sunt deducti. Iam dabitur, inquit Persius, iam iam donec deceptus & expes, Ne quicquam fundo suspirat nummus in imo. Diuitibus nonnunquam dari solent diuitiæ, sicut in mare feruntur aquæ. Nemo pauper quamuis diu & admodum utiliter seruiuerit, tantum præmij reportabit quantum diues ex obsequio paruo. Non enim seruitia in curijs principum, sed personæ ponderantur. Nam & paruos parua decent, & magnos munera magna. Nec donare Reges solent, quod nequeant cum libido fuerit auferre: itaque nec rem donatam si uelis alienare poteris, nec in aliud regnum transferre, nec ex ea quicquam disponere quod Regi non placeat. Non sunt igitur tuæ huiusmodi diuitiæ quibus non potes uti pro
B arbitrio. Quid quod neque testandi facultatem habebis? namque si liberis careas nemo tibi nisi princeps erit hæres: si adsunt filij, nisi & ipsi principi seruiant non succedent tibi. Taceo quot diuites necati iussu eorum sint, qui eos ditauerint. Solent enim principes sic nonnullis largiri multa, sicut & nos sues pascimus ut eos, postquam impinguati fuerint, deuoremus. Sic de Seneca Longinoq; legimus, quos propter diuitias interemptos Iuuenalis affirmat his uersibus: Temporibus diris igitur iussuq; Neronis, Longinum et magnos Senecæ prædiuitis hortos Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes. Tota cohors perierunt enim, & Laterani propter diuitias. Sancte igitur scriptum est & uere, Qui amat diuitias fructum non capiet ex eis. Adde quod paucissimi Reges quæ sua sunt donant, rapiunt enim ut donent, quæ nec uera sunt dona nec iuste possidentur. Cum uix regnum ullum inueniatur quod non sit uel partum uel continuatum fraude. Quid est quod largire iuste principes possint? unde pecuniæ? unde iocalia ueniunt quæ apud principes sunt, nisi ex raptu uel uenditione iustitiæ, aut ex spolijs ecclesiarum? At ista sunt iniquitatis præmia, quæ nec Regi prodesse, neque tibi utilitati, si donata fuerint, esse possint. Relinquamus igitur hanc diuitiarum cupiditatem, quia non impletur auarus pecunia, & auaro, ut inquit Hieronymus, & Seneca prius dixerat, tam deest quod habet, quàm quod non habet. Scimus scripturam dicentem quia non proderunt diuitiæ in tempore ultionis, diues enim
C cum interierit non sumet omnia & non descendet cum eo gloria domus eius. Viuamus obsecro tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: uictus atque uestitus, ut iterum Hieronymi uerbis utar, diuitiæ Christianorum sunt, & has est potens nobis Dominus absque ministerio principum tradere. Diuitias ueras apud Reges uel non inuenimus, uel tales inuenimus quas longe melius fuerat non inuenisse. At hoc de diuitijs libasse sufficiat. Ex quibus, ni fallor monstratum est stultitiæ operam dare, qui ob opes principibus famulantur. Nunc tempus admonet, ut de uoluptatibus differamus, in quibus multi mortales beatitudinem posuerunt. Atque imprimis Epicurus uir aliquando magnus, quem Philosophi nostri temporis magis uerbis quàm factis reprobant. Nam quotus est obsecro, uel theologorum qui uoluptatibus non inseruiat? Quam obrem si quem forte inueneris, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non sapore capiatur, secludatq; auribus omnem suauitatem, huic homines & fortasse pauci Deos propitios, plerique autem iratos putabunt. In oratione pro Marcello Ciceronem damnantem inuenimus, quibus in uerbis omnes quinque sensus tetigit quibus uoluptates hauriuntur. Cumq; duæ uiæ sint quibus humana uita continetur, altera uirtutum, altera uoluptatum: illa deserta, inculta atque in-

terclusa frondibus & uirgultis: hæc semper hominũ frequentia teritur, nec quisquã est qui uoluptati non obsequatur: Suntq; admodum multi qui tanquam uoluptatibus fruituri, obsequia principum amplectuntur: quodq; stultissimum sit operepræcium fuerit ostendisse: ac de uoluptate quæ primum oculis percipitur, primum dicamus. Oblectantur nonnulli dum splendidos equites conspiciunt: dum bella geri exercitusq; concurrere uident: dum formosas cultasq; mulieres intuẽtur: dum cœtus hominum ornatorum, dum ludos, dum iocos, dum pulchros equos, dum picturas, dum sericeos pãnos, purpureos, aureos, dum mirificas uestes, insignes urbes, egregias domos, alta palatia, marmorea templa, testudines, uiridantia prata, lucos, fontes, flumina, feras, serenum aërem, mõtes apricos, amœnas ualles, armẽta, canes, et huiusmodi cætera contemplantur. At hæc omnia multo iocundiora sunt priuatis hominibus quàm curiæ obligatis, nam qui seruitio Regum mancipatus est in bello non ut spectator, sed ut miles aderit, & huc atque illuc concursabit, ac hostẽ ferire seq; tueri magis quã oblectare oculos cogitabit. Mulieres nõ intuebitur, nisi cum Regi placuerit, tuncq; illas uidebit quæ alijs gratæ, sibi molestissimæ sint. Ornati uestibus homines plus inuidiæ quàm uoluptatis præbebunt: et alienos equos & meliores & nitidiores quàm sui non lætabitur inspexisse: iocis atq; ludis perraro intererit, lateri regio semper assistẽs: palatia uero, templa, picturas facilius spectare mercatores atq; priuati homines quàm curiales possunt. Cumq; Reges perraro suorum regnorum limites exeant, urbes inspicere non nisi unius regni poteris, nec quid apud alias gentes sit preciosum uidendi tibi copia dabitur: ea quoq; quæ in campis sunt uisu delectabilia, rarissime inspicies, domo clausus quasi captiuus, nec unquam exibis, nisi cum Rex uel uenari uoluerit, uel aliter animum relaxare: quod tum fiet cum maxime uelles domi manere, cum niues agros cooperuerint, uel cum solis feruore mundus ardebit. Sed marcet plerumq; sub tecto squalida pulueribus pars maior curialium, nec in choreis atq; tripudijs fœminarum delectatio datur, cum tu illam respicias quæ tuum conturbet animum. Semper tibi ante oculos inimici sunt, osculariq; manum persæpe cogeris quàm uelles truncatam uidere: facileq; plus amaritudinis quàm dulcedinis uisus tuus ex curia reportabit. At in auditu, dicesq;, magna est curialium delectatio dum nouitates totius urbis uiros sapientissimos loquentes, dum gesta uirorum magnorum, dum cantus sonosq; audiunt musicorum. Credo & hoc plerosq; decipere. Sed medendum est etiam huic parti, ne quis oblectaturus aures curiæ, se astringat ac molestiam pro uoluptate percipiat. Nam quod tu mihi de nouitatibus ais, abs negotio consulto, cum plura illic displicentia quàm grata audiantur. Cum nunc ciuitates captæ, uiri præstantes occisi, spolia facta, rapinæ commissæ, uictores mali, uicti boni sæpius referantur. Viros autem sapientes qui de moribus ac secretis naturæ disputant, quique historias referunt, non nisi per adulationes apud principes accipies. Quod si nonnunquam Oratores atque Philosophi diserti curias adeunt, orationesq; coram principibus habent, non tam dulce est eos illic audire, ubi cum metu magis loquuntur quàm in scholis ubi sunt liberi, & ad ueritatem non complacentiam fantur. Hinc est quod Athenis dum libera ciuitas fuit, & Romæ dum consules rempublicam gubernabant, literarum studia maxime floruerunt. In curijs uero quilibet sermo per adulationem habetur, nihil ad uerum dicitur. Commendantur mali, boniq; uituperantur: Sunt qui ueterum narrant historias, sed mendose atque peruerse: claris autoribus non creditur, sed fabellis inanibus fides adhibetur. Plus Guidoni de Columna qui bellum Troianum magis poëtice quàm historice scripsit. Vel Marsilio de Padua, qui translationes imperij, quæ nunquam fuerunt, ponit: Vel Vincentio Morcho, quàm Liuio, Salustio, Iustino, Quinto Curtio, Plutarcho, ac Suetonio, præstantissimis autoribus creditur. Citharistas uero ac Cantores, quamuis curia solet optimos habere, plus enim hoc genus hominum quã Philosophorum uel poëtarũ principibus placet, nõ ad tuã sed Regis audies uoluptatẽ. Cumq; dormire aut aliud opus agere uelles, tũ potissime istorũ sonis aut cantib. inquietaberis. Omnibus hoc uitiũ est cantoribus,

A bus,inquit Horatius,inter amicos. Vt nunquam inducant animum cantare rogati, Iniussi nunquam desistāt.Quo fit ut cum nolis audias,cum uelis nusquam appareant. Et tamen his singulis Calendis aliquid cogeris elargiri.Quid quod omnia iurgiorum atq; rixarum sunt plena: unus alteri maledicit:increpant se inuicē.Blasphemiæ in Deum sanctosq; iaciuntur:omnes in cōfuso loquũtur,tot clamores sunt,ut uix sociũ qui prope te est ualeas audire,quilibet sua facinora narrat cum derogatione alterius. Illi suam patriā laudant,& alienam uituperant. Spurcissima undiq; uerba personat,nulla in uerbis modestia,nulla reuerentia,nullus pudor. Scurræ semper audiuntur,uel detrahentes, uel ructantes.Nam his solis libertas est,quicquid uel facere uelint,uel dicere.At hæc si quis sapiat,surdus potius esse uelit quàm audire.Iam de tactu pergamus,in quo Venus potissime dominatur,quā nōnulli rerum ignari blandissimā in curijs esse cōfidũt. Ex eo errantes,quod mulieres eos amare cōsueuerunt,qui uestibus sunt ornati,q crines uentilant, qui torneamentis intersunt,qui canũt,qui choreas ducunt,q semper læti atq; hilares inueniũtur,sicut curiales esse uidētur.Sed minime ita est,ut grata sit hic Venus: nam si qua est mulier quæ hos amat,non tamen eis se credit,quos loquaces agnoscit iactatores, instabiles,plurium amatores: nisi forsitan aliqua est quæ famā paruifaciat,tuncq; multi circa unam cōcurrunt,nec ullam sine riuali diliges.Hinc rixæ,contentiones,odiosa uerba,

B interdum uerbera & homicidia,nullā nutrire modico poteris,cui adsint qui multa promittant: ueniet alter te pulchrior & acceptior: nulla tamen fides est quæ uno contenta sit uiro sæpe cum amicam petes,aut alium cum ea inuenies,aut iste illam ad alium reperies.Quod si tibi grata obtigerit,& fida puella,non poteris nisi raptim,& per furtum esse cum illa:neq; enim seruire Regi & amori poteris, quia uterq; insolens dominus est, & qui hominem totum uult sibi. Adde quod nedum amicam,sed nec coniugem in curia pudicā seruabis,tot sunt undiq; porci, tot formosi iuuenes,tot promissores, tot lenæ, ut nec castissima coniunx resistere tot impugnationibus possit.Quod si probissima fuerit,desideranda est tamen,cum indies curiæ principum moueantur,siue cōiunx sit, siue concubina,tunc anxietas mentisq; dolor,quia nec cum amica remanere,nec illam ducere tecum potes, & instabilitatem fœminæ remanētis,cuius est in horas mutari,semper suspectam habebis.Iunge irrisiones ac detractiones,quæ fiunt amātibus.Dinumera discrimina:pondera suspitiones,omni hæc cũ sint priuatis grauia, curialibus importabilia,nec usquā in atrijs Regũ tactus oblectatur.Sequuntur alij duo sensus,odorandi & gustandi,qui partim cōiuncti sunt partim disiũcti, nāq; dum fercula redolentia sapidaq; cōmedimus, uterq; sensus lætatur.Si quis aut florum aut unguentorum sequatur fragrantiā, non gustũ sed odoratũ iuuabit,& officium suum odoratus amittet,cum in palato cibus masticabitur.At hi quibus in solo palato est causa uiuendi,stulti sunt & pecudũ uitā non

C hominũ sectantur.Nam & apostolus eos uituperat,quorũ Deus uēter est,rē nāq; damnatā sequũtur,quāuis plurimi propterea uelint Regibus obseq,ut bibere atq; edere maxime possint,& qa principes optimis utantur uinis atq; cibarijs,uesci quoq; se eisdē sperant,potaturosq; cũ regibus se cōfidunt: ac sicut muscæ pingues mēsas,sic isti unctas dominorum popinas insectātur:quāuis regalibus epulis magis muscæ quā isti potiātur. Videamus igitur apud fastigiũ regale quanta si curialiũ edendi atq; bibendi uoluptas: quæ sane tũc optima est,cum fames adest atq; sitis,cum nec illa nec ista protrahitur.At in curia perraro ante meridiē cibaria distribuũtur,quo tēpore nō famelici,sed rabidi sunt homines.Quibusdā uero expectatio longa debilitate spiritus appetitum subripuit:alij modico pane uel caseo prægustato orificium stomachi clauserunt: quo fit ut alij uorent quicquid apponitur,& ad crapulam impleantur, alij uel minimum sumere nequeant. Interdum in ortu diei & ante lucem fercula posita sunt,quæ nisi comederis usq; in noctem ieiunabis,nec tum stomachis officiũ suum fecit,nec appetitus adest,cum post meridiem pransus fueris,rursus post horam cœna ponitur,nunquā in suo tēpore cibus affertur,hinc subitæ mortes atq; infestata senectus,& orexis,& uomitus,& illorũ dolor, & calculus,& morborũ omnia genera uiuũt:Qualis cœna cum uinũ quod succida nollet lana pati,ut Iuuenalis ait,affertur,quod cum biberis insanus fias, acetosum, aqua-

ticum, corruptum, pēdulum, acerbum, aut frigidum, aut nimis tepidum, colore saporeq; malo. Taceo illos principes qui tantum ceruisiam in potu præbent, quæ cum ubiq; amara sit, in curijs tamen & amarissima est. Nec tibi aut in argento, aut in uitro dari pocula credas, namq; in uno furtum timetur, in altero fractura. Potabis igitur ex ligneo cipho, nigro, antiquo, fœtido, in cuius fundo fex concreta est, in quibus sæpe minxisse domini consueuerunt. Nec tibi uni ciphus dabitur, ut si uelis, uel aquam misceas, uel purum bibas, sed in communi potabis, atq; ibi mordebis, ubi nūc uel pediculosa barba, uel saliuosum labium, uel immundissimi dentes fuerunt. Interea uinum antiquū in tua præsentia Regi propinabitur, cuius tanta fragantia est, ut eius odore tota domus repleatur. Bibet is muscatellum, maluaticum, ex Gallijs, ex Matrigali, ex Riparia Genuēsi, ex Vngaria, atq; ex ipsa Græcia sibi afferri uina iubebit: nec unquam tibi uel minimum cyathum communicabit, quamuis Cardiaca passione crucieris. Quod si bonum uinum ante te sit, non tamen iocunde sapiet, cum melioris fragrantiam tuæ hauserint nares. Velles nonnunquam bibere, sed non audes nisi maiores incipiant: nec famuli uinum apponunt nisi post medium mensæ: quod si ante petieris, & importunus, & petulās & ebriosus iudicaberis, nec sine ignominia quod postulas obtinebis, nec ad tuam, sed ad maiorū sitim potabis. Vinum postquā in mensa fuerit, per multas manus transibit antequàm ad te ueniat: nec speres mūdari ciphum dum Pincernæ remiscent, quāuis in fundo fex hæreat, uel intus aliquis ructauerit. nam sicut in templis aquæ benedictæ superinfunditur, sic in atrijs principum uinaria uasa, quibus familiæ potāt, in anno semel euacuata mundantur. Nec in uino tentum, sed in aqua quoq; cruciatus inest. Nam si stomachus domini, ut Iuuenalis inquit, feruet, potuq;, ciboq; Frigidior Geticis petitur decocta pruinis. Quibusdam in æstatem seruatur glacies atq; hac in feruoribus uina frigefiunt: nec tibi minima portio dabitur, maioriq; siti cruciaberis, quia uidendo nihil gustabis. Quid tibi de mappis dicam, nigris, laceris, unctis, quæ nedum tibi fastidium moueāt, sed manibus applicantur, teq; sequuntur, si quando te uolueris tergere: quod plures ueriti, madidas pingui iure manus, in proprijs desiccant uestibus: hinc est illud abdomen, quod in pectoralibus curialium cernis, ut satius sit in stabulis porcorum, quàm in curijs comedere dominorū. Nam mensalia illa mūda, serica, duplicata, solis principibus seruiunt, & indies mutantur: tua truncis affixa tamdiu, ut discerni à mensa possint. Audi nūc cibaria, & sume uoluptatem si potes: nulla tibi alia mactātur animalia quā boues, capræ, porci, uel ursi, nec ista recētia uel paululū trita, sed postquam fœtere cœperunt dispensatores emere solent, nam quo minoris emunt, eo magis furantur. Carnes tuæ frigidæ, bis coctæ immundæ insipidæ, fœtentes, fumo & carbonibus plenæ, nullis cōdimētis, nullis salsamentis speciebusq; nullis apparatæ. Caules putridi, rapæ marcentes & muscidæ, legumina semicocta, cicera, pisis, fabis, lentibus, interdum pulueribus atque cineribus mixta. Caseus raro ad te uenit, aut si uenit, uiuus est, plenus uermibus, undiq; pforatus, situ squalidus, saxo durior, butyrum fœtidum, lardumq; rancidum tua fercula condit. Oua tunc apponuntur tibi, cum iam pullos alunt. Pira & poma marcida, quæ nisi tu comederis, porcorum esca fuissent: oleum quo tibi excoquuntur fercula, de Lampadibus sumitur, uel Lucernis, cuius fœtore fugari serpentes possent: quale illud fuisse credendū est propter quod Romæ cum Bochare nemo lauari uolebat. Ego magnifico hero meo Caspari Cancellario gratias ago, qui me hac ex sententia immunditiarum detraxit, & ad lautam eius mensam deduxit, quamuis nisi ipse fuisset iam curiarum tædijs renunciassem. Sed prosequar cœptū iter: Pisces tui uel lucij parui, uel carpones, uel haletia. Si natalicium fuerit, poteris & renkam gustare luti in quo iacuit odore fœtentem, uel anguillam colubræ cognatā, aut hosce pisces qui apud cloacas urbium nutriuntur. Si quis tibi nobilior piscis apponetur, quadriduanus erit. Panis tuus niger, & adeo durus, ut uix genuinis dentibus frangi queat. Et quamuis eodem precio sæpe niger & albus panis ematur, ne tamen assuescas, semper nigro pasceris. Voluntq; domini assidue inter se ac seruos disparitatem notari, quamuis neq; uoluptati nonnunquam, neq; usui fuerit. Tua insuper fercula eadem sunt, facileq; in annum quid tibi edendū sit scire poteris, quæ res
admodum

A admodum uoluptatem diminuit quæ solet uarietatibus irritari. Posset forsitan aliquis hoc tolerare, nisi meliora præ se ferri cōtinuo cerneret, sicut curialibus accidit, qui dum sordidum panem terunt, dumq; in morem equorum uel hordeum uel speltam uorant, aut quas uocant caseatas. Interea domini piscem quem Corsica misit, uel Thauromitanæ rupes: sæuientia namq; guttura saciare non sufficiunt nostra flumina, nec maria, dum piscatores proxima quæq; scrutantur retibus, nec piscem sinunt in uicinia crescere: ecce mox alium qui longi latiq; pectoris, necnon squillam defert, asparagis undiq; septam, cuius cauda nedum familiarem, sed hospites quoq;, si qui affuerunt, conuiuasq; despicit: ille murenam adducit ex Sicilia quàm inter Scyllā & Charibdim cœpit, dum Auster se cōtineret. Quid accipenseres, turtures, temulas, aut alios pisces enumerare attinet? quicquid in aquis suauius alitur, ante principem atq; id uel assum, uel oleo uenaphrano, uel uino coctum optimo, inter odoriferas herbas intueberis. Maxima inter pisces tibi inuidia accrescit, nec timor inter carnes, cum ceruum, leporem, aprum, capream, castorea, fascianum, perdicem, gruem, pauonem, oricem, gallinam, turdos, merulas, ficedulos, ardeas, anseres, hædulos, agniculos, cuniculos, asperiolos, & quicquid uolat & quadrupedat saporis egregij, uorantem principem uideas, atq; hæc egregiè condita, pulmētarijsq; præparata suauissimis, quæ cum respicis, nihil ex his quæ ante te sunt B mordere potes. Sed expectas & ad comitem dicis, ecce iam dabit nobis semiesum leporem, aut aliquid de clunibus apri, iam piscem assum, iam congelatum aromatico iure ad nos mittet: iam pullum gallinaceū, iam duas auiculas destinabit, sed euanescit omnis cogitatus tuus, nam curialibus nihil horum porrigitur, nisi fortasse ad cruciatum tuum aliquid socio tibi assidenti mitteretur, quo scires illum te principi chariorem, nonnunquam & tibi tantillum dabitur, non quo te satieris, sed quo magis afficiaris tædio, quàm suaues sint epulæ principis, sciens. Panem ante dominum niueum ac molli siligine factū aspicies, ad quem pistandum proprius eligitur, & magno stipēdio retinetur artocopus, quem si tangere uolueris, increpatus percutieris, qui panem tui canistri non receperis, nec intactum heri dimiseris. Quod si uer fuerit, & optato tonitrua cœnas maiores reddiderunt, raduntur tubera terræ, & usq; à Lybia deferuntur Boleti optimi, quales edere solebat Claudius ante illum, in quo Venenum uxor sibi porrexit. Curialibus autem uiles & ancipites fungi ponuntur, & in quibus sæpe mors editur. Poma principis talia sunt, qualia sorores dicuntur Hesperides habuisse, & his solum oblectari potes, tam enim odorifera sunt, ut non solum propinquos, sed longe etiam stantes odore suo perfundant, tangere tamen illa non poteris, aut quouis pacto gustare. Caseus ex Parma Placentiaq; deducitur, sudans, cæcus, pinguis ex ouibus factus, quæ solum serpyllum cum suauissimis herbis depastæ sunt. Structorem interea saltantem per domum, & C chiromanta uolanti cultello ante dominum diuersis gestibus leporem, atq; gallinam secantem spectabis, & qui te nihil horum permittit tangere, quibus oblectareris. Quis est qui rebus in istis uoluptatem esse curialibus credat? quis non potius pœnam ingentem, cruciatumq; maximum recognoscat? an non simillimum est hoc tormentum illi quod Poëtæ finxerunt de Tantalo, qui nec in aquis bibere, nec in pomis edere potest, quāuis ad mentum usq; utraq; sibi pertingant? Quid quod in mensa princeps assidue fabulatur, atque tacenda dicendaq; fatur, cum tu nec loqui, nec hiscere audeas. Nam si forte mutire præsumpseris, aut nutu aliquid significare, quasi casus per plantas educeris foras, ac uel latro, uel fur uocaberis uel adulter. Maxima quæq; domus, ut Iuuenalis ait, seruis est plena superbis. Ille panem magno cum murmure porrigit: ille indignatur, quod se aliquid poscas, & quod se stante recumbas, aut non uident famuli defectum mensæ, aut si uident, negligunt emendare. Sæpe tibi uinum uel panis deerit, nec tamen aliquod istorum poscere audebis. Si uel aquam, ut uinum dones, uel acetum ut piscem mergas, uel sal, ut carnes aspergas unquam petieris, importunus diceris. Enumero tibi sedentium tædia, sed maiora illorum sunt qui stantes seruiunt, & quotiens aliquid mordes ipsi tecum hiant, & aërem solum capiunt, qui solis pascuntur cœnarum reliquijs. Sed accipe molestias alias. Sunt in curia diuersæ

uersæ dapes, nam raro minus quatuor ferculis cœna paratur, at ista nunquam ut optares ex ordine dabuntur, semper quod ultimum uelles, erit primum: cum pane satur & ursi plenus dorso fueris, tunc cibaria meliora porrigentur, ut uel stomachatus renuas, uel ad crapulam cum tuo maximo damno comedas. Quod si quis casus meliores epulas initio mensæ concesserit, mox ille ex oculis auferentur. Est enim magna ministris diligentia, ne diutius res preciosiores esse in mensa permittant, nam & in ponendo tardiusculi, & in leuando celerrimi sunt. Aspice insuper in paropside, quot manus enatant circa carnes, quot cultelli festinant, quale periculum illic manum apponere, nisi quis chirothecam ferream receperit. Sicut apud Strigoniensem Archiepiscopum illum, qui ante præsentem secundus fuit, Florentinum quendam fecisse commemorant. Contigit enim ut nonnunquã alienũ quis digitũ uel portiunculã manus acceperit atq; momorderit, uituli carnem uel bouis existimans. Mensæ in curijs undiq; circundantur edentibus, cibaria supra caput tuum & humeros afferuntur, sæpeq; super te ius totum effunditur. Hic te præmit, is raptat, & in faciem tuam uomit, inter ferculum & ferculum magna fit mora, tempusq; longũ expectando consumitur, cum interim nec spuere, nec screare potes, nisi scurrarum numero uelis haberi. Nunquã certa comedẽdi est hora. Si tamen in ipso mensæ initio non affueris, cœna mulctaberis, aut iurgijs afficieris acerbis. Inter hæc nec porros, neq; cepæ, neq; allium, quia uenenũ ab Horatio dicitur, comedere poteris. Nec igitur quæ principes edunt, nam illa tuũ uentrem dedignãtur, nec quæ rustici uorant, quia fætorem dominis ingerũt, gustare permitteris. Crassis igitur illis & nullo sapore cõditis uteris dapibus: In quibus si uoluptas esset aliqua, cessaret tamen qa cõtinuæ sunt, & immutabiles. Nam uoluptas ut Iuuenalis affirmat, rarior usus cõmendat. At in his rebus tantum deest ut gaudium aliquod intercedat, ut male iudicare non existimem, qui summam in eis miseriam summãq; cordis afflictionẽ posueris. Sed stultũ atq; imperitum uulgus hæc tædia non animaduertit, solumq; suspensas auro uestes ac sublimes respicit in equis milites: Et cum opes, argentũ, aurum, famulorum cateruas, & ornatum exteriorem intuetur, miserias interiores nequaquã considerat. At Seneca summa prudentia uir, Isti, inquit, quos pro felicibus aspicitis, si non qua cernuntur, sed qua latent uideritis, miseri sunt sordidi, turpes, & ad similitudinem suorum parietum extrinsecus culti, quo fit ut curialibus qui propter irritamenta gulæ principibus seruiunt, nedum ciues priuatos qui cum iocunda coniuge inter dulces liberos caste ac parce comedunt, uel ruricolas qui medias inter oues castaneas molles & mitia poma cum lacte uorantes, nitidi fluminis undas exhauriunt, sed ipsos quoq; qui in crepidinibus petrarum, uel in pontibus, uel ad ecclesiarum ualuas mẽdicant, sine cunctatione præponam, cum illis nec ex sententia succedat quod appetunt, nec si successerit, meliores propterea beatiores'ue fiant. Sunt igitur omnes stulti, qui ob has causas in regium famulatum sese recipiunt. Cæterum cum ab initio dixerimus quosdam esse qui tanquam animæ consulturi regalibus sese dedunt obsequijs, extimant enim consulendo regibus, utilitatem reipub. promouendo, pupilli & uiduarum tuendo causas, afflictis & inopibus succurrendo, tanto magis Deo placere, quanto maiore tædio ista peragunt, respondendum est etiam his, ne qui stultiores sunt alijs, sapientiores omnibus uideantur. Quamuis neminem adhuc cognouerim, qui non suum aliquod temporale commodum apud reges insectaretur. Fingamus tamen aliquem fore, quem sola salutis animæ ratio mouerit. An ita est ut hoc in curia sibi posit obtinere? consulemus ne nos uiro bono in obsequio, ut se Regis immergat? Putabimus ne sic animam lucrefieri? Mihi hercule non fit uerisimile in curijs principum, ubi tot uitia regnant, ubi tot irritamenta ab exercitio uirtutũ subducũt ui uirum aliquem bonũ posse perseuerare. Nãq; ut sessor bonus in equo retrogrado uel calcitroso excutietur, dilabeturq; tandẽ, sic uir bonus & iustus apud Reges diffluet, uel immunitus rerũ licentia ac fluxu, & tot immũditijs tum uitiorũ, tum hominũ circunuetus declinabit à uia, & in scopulos ruet uentorum uiribus actus & tempestatũ. Quod cũ Plato in Atheniẽsi curia perspexisset, fugere potius statuit, quã inter tot uitiorum inquinamenta morari. Cognoscito igitur teipsum qui seq curiam statuis, & an Platone sis maior, ani-

A ior, animaduertito, an uirium plus tibi quàm illi sit ad resistendum malæ consuetudini? Oportet in curijs obsequi, omnibus cõmunicare quod habes, seruire tẽporibus, uersare naturam & regere, necnon teipsum huc & illuc torquere & flectere: cum tristibus sæue re, cum remissis iocũde, cum senibus grauiter, cum iuuenibus comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose uiuere. Quod nisi feceris, nec magnus in curia, nec diuturnus esse poteris. Sed replicabis mihi fortasse, illum ipsum Platonem quem fugisse curiam superius scripsi, posterius tamen ad Dionysium Siciliæ tyrannum peruenisse, illicq; seruisse. Sic est ut ais: Sed uide quid obtigerit, namq; uocatus ab illo per doctrinæ speciem, cum tyranni uitia corripuisset, tyranni fraude uenundatus est. Nec is solus ex sapientibus iram principis expertus est: nam & Zenonem Philosophum senem admodum Phalaris tyrannus omni cruciatus genere dilacerauit. Anaxagoras nobilis Philosophus ab Anacreonte Cypriorum Rege occisus est. Boëtius iussu Theoderici Regis interijt. Longa mora esset si, quos uiros bonos necari principes iusserint, enumerare uoluerim. Nec mihi quispiam uel Moysen, uel Heliseum, uel alium quempiam Philosophorum commemorauerit, quasi & sibi liceat, quod uiris diuinis permissum extitit, nec enim cum Regibus illi mãserunt, sed functi legatione, quam Deus eis mandauerat, abierũt. Solus Ioseph apud Pharaonem moratus est, quem ordinatio

B diuina pro salute populi illuc transmiserat, & uenundatio fraterna. Fatebor & Mauricium & Martinum militasse ac principibus seruiuisse, sed ille quàmprimum Christiãnus cognitus est, cum tota mox legione Thebea truncatus est capite: hic ut uir factus est, & regia castra dimisit, & in obsequium Dei se sequestrauit. Sciebat enim uir sanctus, quia pupillorum & uiduarum causæ ad principes non egrediuntur, quia nunquã apud reges causa pauperum defenditur, quia uenalis est omnis iustitia, quia impudicus est omnis sermo: quia nulla misericordia, nullus religionis zelus, nulla charitas, sed inuidia & ambitio tantummodo dominantur. Quibus obsistere fortissimi fuerit, & plus diuina quàm humana sapientia. Et quamuis esset Martinus ipse sanctissimus, possetq; sua uirtute superare malitiam, amplius tamen malitiam nec per se uoluit sequi, nec alijs imitandam suo exemplo demonstrare. Nec saluator noster Christus interrogatus quid faciendum esset ad uitam consequendam, uade, dixit, & Regibus seruito, sed uade, inquit, & uende omnia quæ habes & sequere me, non principem, non regem, sed me, non curiam, sed me inquam sequere. Videas igitur tibi, uir bone, qui propter animam sequeris curiam, ne propter curiã illam perdas, quia multi sunt ibi laquei, multa offendicula, multæ insidiæ dæmonum. Durum est ambitionem frenare, auaritiam compescere, inuidiam domare, iram cohibere, luxuriam coartare, dum semper inter ista uerseris. Si quis tamen à Deo sibi creditum talentum nouit, uincere ut ista possit, & tan-

C quam sol immaculatus in luto uersari, si potest picem tangere, & ab ea non inquinari, si potest ignem ingredi, & non uri, non illum curiam sequi prohibeo: nam meritum tanto grandius assequetur, quanto periculosius militauit. Sed persuasum est mihi neminem esse, qui curiæ seruiendo non potius uincatur à uitijs quàm uitia uincet. Dociles imitandis, ut Iuuenalis uerba recenseam, turpibus ac prauis omnes sumus. In Genesi quoque diuinum oraculum est in hunc modum: Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia. Non suaserim igitur uilli in curijs immorandum, nam & anima, ut dixi, discrimini magno supponitur, & uita sæpe ante tempus amittitur: quoniam uel principum desiderio fauebis, ac ultro suis uitijs arridebis, & animam perdidisti: uel increpabis malos mores, accusabisq; scelera, & in te iram principis experieris. Cyrus Persarum Rex Arpalo familiari suo admodum ante charo ob repræhensum in se uitium, filios epulandos in conuiuio dedit. Cambises eiusdem ex charissimis, qui se de ebrietate corripuerat, filium sagitta transfixit. Nec tu mihi Aristotelem obijcias summum Philosophum Alexandri Magni castra sequentem, nescis enim qua uoluptate hoc egerit, & an sibi libertas fuerit aliter faciẽdi. At secuti sunt Alexandrũ complures alij, Calisthenes Philosophus, frater collactaneus, Lysimachus miles, et Philosophus insignis. Calisthenes dũ adorari more Persico Alexãdrũ prohibet,

prohibet, truncatis manibus & pedibus, effossis oculis, et auribus amputatis miseram uitam in carcere ducere cogebatur: Cui cum Lysimachus in remedium erumnarum uenenum obtulisset, leoni obiectus est. Critto cum Alexandrum Philippi patris laudibus detrahentem redarguisset, ab eodem, ut supra retuli, in conuiuio est occisus. Sunt igitur stulti meo iudicio, & ut arbitror tuo, Ioannes amātissime, & qui propter superiores causas, & qui propter animæ lucrum seruitia principis amplectuntur, quoniam uel quod quærunt non inueniunt, uel per uiam spinosam & ancipitem pergūt, cum ad finē quem cupiunt tutissimis possunt & quietissimis itineribus proficisci. Esset ergo iam satisfactū his quæ abinitio proposuimus, possemq; iam epistolam claudere. Sed sunt adhuc aliæ quàm plures molestiæ curialium, de quibus nō erit ab re quàm breuiter meminisse. Plurima inter dormiendum sunt tædia: Sæpe in asseribus dormiendum est, in paleis, in lapidibus, nudoq; solo, in uento, in pluuia, in frigoribus. Si plumas fueris assecutus, ad pediculos, pulices, culices, & alias infinitas uel mordentes, uel deterrime fœtentes bestiolas te præpara, nunquam solus dormies, nisi cum socium cuperes. Linteamina immūda, fœtida, lacerata, & quibus nuperrime pestilentia sunt mortui, tibi dabuntur. Comes adiungetur scabiosus, qui se tota nocte fricabit: alius tussitabit: alius fœtido flatu te perurgebit. Interdum & leprosus tibi coniacebit. Alius frigidus est, & uestimenta ad se rapit: alius febre calidus, & locidem cum omni tegmento supra te iacit, semper uel ille tibi molestus erit, uel tu illi uideberis tædiosus? Dormitur frequēter in cōmuni, ubi uel x. uel xx sunt, ubi unus stertit, alter pedit, alius calces iactitat. nūquā ante mediū noctis est silētiū. Veniunt ebrij dormitū, cō abulantur, garriunt, raptāt, rixantur, pugnant, & se inuicem cædūt. Surgunt mingentes: sæpe apud stabula sunt cubicula tua, & equos fremitantes, uel se mordentes audis, nūquā scies ubi iacere debeas, nisi domini dormitū iuerint. Sunt in diuersorijs multi aduenæ, multi ignoti, & uita curialium plerunq; in hospitijs publicis statuitur, ubi continuo fures timendi, uel formidādi sicarij sunt, neq; res tuas unquā, tam diligenter custodies, quin aliquid detractū reperias, nā & ipsi fures in thalamo tuo dormient, & te sopito assurgent, resq; tuas sub te quoq; iacentes eripient. Adsunt meretrices, ancillæ, lenones, ioculatores, lusores, parasiti, q iurgia cōtinuo proludunt, tantusq; clamor excitur, ut nedum dormire, sed nec qui prope te est loquentē sociū intelligere queas. Adde loquacitatem eorū qui nocte quā lōga est nunquā quiescunt: Absentem cantat amicam, ut Flaccus ait, multa prolutus uappa nauta atq; uiator, nulla dormienti quies datur. Quod si unquam rumores, & alia mala somnus uinceret, ac oculos claudere cœperis, e uestigio reuocaberis, & aliquo casu surgere cōpelleris: credo te ista millies expertum, ideoq; sum breuior. Sed alia accipe quæ inter hospitandum sunt tædia. Marescallus orandus est ac precio cōducendus, rogandiq; serui eius, & alliciendi muneribus, ut hospitiū tibi tolerabile præbeant, quod si promiserint, nō tamen implebunt, teq; uel in remotissimis locis, uel in fœtidissimis ganeis collocabunt. Interdum & honestum locum quem dedit, ut deseras & alteri cedas, minis ac ui coget. Sed esset tolerabile fortasse Marescallo caput inflectere, cuius est officium non inhonestum, at sordidos, homines sequi, atq; his supplicare & offerre pecuniam, grauissimum est. Nec tamen hoc potes effugere, nam & coquis, & pistoribus, & frumētarijs, & bladi uiniq; distributoribus humiliare te conuenit, & ipsorum beneuolentiam emere. Quid ostiarium referam? Heu quotiens ille ulnas in pectus detrudet tuum? quotiens te pugno, uel calce repellet? quotiens ubi te uiderit uenientē, portam quæ patebat statim recludet? Quotiens te excluso, quamuis aurum dederis, uel nimium uel scurram, uel æmulum tuum intromittet? quotiens tibi uel dormire principē, uel in consilio esse, uel ægrotare mentitur? Quid de motu castrorum dicam? quis tormenta quæ nunc incidunt, possit enumerare? Quāta equorum est cura? quanta armorum? quod urgent angustiæ? Transeunda sunt alta flumina, pontes ancipites ascendendi. Equitandum in tenebris, in pluuia, in uēto, in niuibus, in luto, in glacie, in fluminibus, in spinis, in nemoribus, in saxis, in præcipitijs, in abruptis collium: inter latrones, inter hostes: nunquā certus est principis recessus, fama nonnunquam. Vagatur in crastinum esse castra remouenda, cumq; accinctus es uiæ, mutatur opinio,

A opinio: quod si forte imperatus fueris, repente fiet recessus, ibitq; cum paucis, & sequi pene festinanter omnes iubebit, idq; tunc potissime cum uel ægrotabis, uel medicinam sumpseris, uel sanguinem diminueris, at equi, aut famuli tui minus dispositi fuerint. Si quis & standi, uel recedendi certitudinem habere uoluerit, ex cauponibus uel meretricibus melius instruetur quàm ex alijs: nunquam quo sit eundum scies, nisi postquã perueneris. Creditur summa luce Rex abiturus, tũcq; omnes in equis expectant, & ad meridiem usq; tam muli quàm equi & currus onerati manent, sæpeq; onera tanquã decepti deponunt. Cum uero iter arreptũ est, in his locis potissime mansio fit, ubi nec uina sunt, nec cibaria, nec in quibus recipi queas diuersoria: ubi uero ubertim omnia suppetunt, nunquam post biduum castra manebũt. Est enim Regibus tedium, quotiens multitudinem lætam audiunt, contrà uero ex angustijs afflictionemq; plebis solatia suscipiunt. Ideo nonnunquam mille passus proficiscuntur, interdum quinquaginta milia passus obambulabunt. Gaudebuntq; cum te uel familiarem perdidisse, uel equum accipient, uel cum te præcipitatum in flumina, uel frigore obriguisse, uel æstu defecisse cognouerint, cum ipsi & contra frigus, & contra calorem armati exierint. In castrorum præterea processu quot pressuræ sunt? quot calces? quot trusiones? quot casus? quot irrisiones? quot blasphemiæ, nunc tuus equus alium cedit, & in te culpa refertur, nunc

B tuus læditur, & afficieris damno. Litigant inuicem famuli, & in bellum descendunt domini: interdum seruare ordinem oportet, nusquam cedere loco licet: festinandum est cum alij festinant, tardandumq; cum alij tardãt: nec propter te erit quem uelis amicum, nec ad eum, ubi sit, poteris ire. Si quo casu cecideris, nemo te colliget, sed uniuerso exercitu calcaberis, & tam tu quàm equus in puluerem redigeris. Nunc in locis palustribus, & in luto castra ponuntur: nunc in arena locoq; sterili, ex quo nec lignatum, nec aquatum absq; magno discrimine progredi queas. Tunc aut æstas erit, & caloribus exureris, cicadis obtunderis, culicibus mordeberis, serpentibus intoxicaberis, fœtoribus ac exhalationibus pessimis cruciaberis: aut est hyems, & tecto atq; uestibus nudus peribis. Quod si tu forsan euaseris, famuli tamen & equi superesse non poterunt. Adde cum prope sunt hostes maiores molestias: nunc uitandos lapides, nunc sagittas timendas, nunc fures formidandos, nunc latrones, nunc insultus est faciendus in hostes, nunc cauendum est ne hostes ipsi officiant insultantes. In armis edendum est, in armis dormiendum, semper in uallo castrorum, in portis excubiæ sunt habendæ, nunquam hora quieta est: nunquam in pace manere licet, nunquam tubæ, nunquam cornua tacent, nunquam insidiæ cessant. Quotiens itur ad muros, uel cum duo concurrunt exercitus, quanta trepidatio est? quot clamores? nunc eriguntur machinæ: nunc feruntur tribuli: concurrunt iacula, fodiuntur missilibus scuta: coruscant enses: sub illo e-

C quus occiditur: hic fossus telo ruinam minatur. Illi caput aufertur: huic manus amputatur: quidam calcantur inter equos: quidam in foueis iacent exangues: mille facies mortis ubiq; uidentur. Non hic misericordia est, non benignitas, non humanitas. Sed ille uir bonus, ille miles egregius, ille fortissimus creditur Imperatori qui plures sua manu necauit, quique cruentum gladium ex plurium uirorum iugulis eduxit. Sunt equestres pugnæ, sunt pedestres, sunt nauales, sunt murales, ubiq; res sunt horrendæ, & facies inferni similis, nihil ibi lucrari absque iniuria proximi potes, nec tua sunt quæ bellis quæ-tuntur iniustis, ut ferè sunt omnia bella quæ inter domesticos fidei committuntur. Perdere autem illic nedum res, sed uitam & animam potes. Nec tute uitare posse bellum confidas in quo tuus Rex interfuerit: nemo se mare uitaturum speret, cum Rex nauigauerit: aut comitandus Rex est, aut amittendus inter tot tantasq; difficultates. Aut iuuenis es, & sufferre insolitas res non potes: aut antiquus & deficientibus uiribus, nec inediam, nec sitim, nec laborem sustinere uales. Prætereo morbos qui dum sic angimur, nos aggrediuntur, quibus coacti uel in uia deserimur, uel inter ignotos plerunq; diem claudunt, qui domi manentes per multos annos uiuere potuissent. Sed redeamus iam in urbes, simus in amplo spatiosoq; loco, quiescat curia, deerunt ne propterea cruciatus? an non fient indies noua edicta & constitutiones nouæ, quibus ut te co-

aptes, singulis diebus de nouo incipies uiuere. Siue Rex sedeat siue stet, tibi tamen semper erit standum, nec ullam tuis tibijs poteris dare quietem, sed nonnunquam sedens temerarius iudicaberis. Quid uero in stipendijs exigendis, quanta morositas, quantaq; diminutio est? nunquam in tempore datur, nunquam integrum, nunc ad istum, nunc ad illum remitteris, diuersisq; mendacijs eluderis. Multa sunt propter quæ Magnifico Caspari Cancellario teneor, sed in hoc quoq; suæ magnificentiæ sum obnoxius, quia me non patitur, salario meo frustrari, sicut alios uideo, qui suum gemunt fraudari salarium. Nunquam stipendia recipiunt, nisi distributorem donauerint, nec ullus est qui tam clara conuentionis suæ capitula faciat, & ad uoluntatem officialium non recipiant interpretationem, qui sunt omnes auri corrosores. Sed iam de necessarijs aliquid dicamus, qui & ipsi curialium tormenta exaugent, nunc hoc, nunc illud impetrari sibi petentes, & siue durum sit siue absurdum quod optant, tamen impetrare te uolunt. Quidam potentes sunt, qui ex gratia principis promouere propinquos possent, sed tales sunt eius consanguinei, ut uel eis benefacere non audeat, uel si audeat, infamiam populi, & indignationem supra se Dei sustineat. Quid quod amorem in se principis nemo uerum assequitur? namq; ut Socrates in eo, quem de regno scripsit libro testatur, Principes neminem nisi inconsulto quodam impetu diligunt. Quod si quem amant, non ut amicum diligunt, inter pares enim amicitia uersatur, sed eo modo amāt, quo & canes & equos diligunt, fructum ut exinde suscipiant. Quid dixi? erraui: certe multo plus equus aut canis quàm homo diligitur: mortuo quippe uiro, mox uir alius adest, qui locum defuncti magnis precibus sibi dimitti postulat, at canis uel equi mortui uicem non supplebit alius, nisi uel emptus precio uel gratia. Parum adhuc dixi, cum nedum non dolenda, sed optanda mors tua principi fit, qui diutius seruisti: aut enim pro longis obsequijs, non te remunerauerit, & soluitur obligatio morte tua, dulceq; suo ex ore sonabit: Ah si mortuus non fuisset homo ille, magis eum muneribus donassem. Aut largitus est tibi plurima quæ te mortuo, recuperare se sperat: uix enim hodie diues aliquis moritur, cui principes non succedant. Sed audi iam quot imminent tibi molestiæ propter personam principis: raro nedum inter principes, sed inter priuatos quoq; uir bonus reperitur. Cicero in diuinationum libris, si quæ rarissime fiunt monstra putanda sunt, inquit, magis monstrum erit uir bonus quàm partus mulæ. Astipulatur huic sententiæ Iuuenalis, qui licet prius dixisset, Rari quippe boni, uix numero sunt totidem quot Thebarum portæ uel diuitis hostiam Nili, postea tamē quasi septem reperiri non possent amplius se restrinxit dicens: Egregium sanctumq; uirum si cerno bimembri, Vt monstrum puero, & miranti sub aratro Piscibus inuentis & fœtæ comparo mulæ. Nec diuina scriptura remissior est: siquidem apud Paulum Prophetæ uerba relata sunt: Est autem Deus uerax, omnis homo mendax. Et iterum scriptum est: quia non iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Ac rursus: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Vides ut Oratores ac Poëtæ cum sacra scriptura cōcordāt? uides ne ut rari boni, mali uero infiniti sunt? Si ergo Rex tuus malus fuerit, dolebis eius infamiam eiusq; uicijs cruciaberis: Si auarus est, angeris, quia nec te præmiat, nec alios benemeritos, & quia plurima negligit, ne sumptum faciat: Si liberalior est, times ne profusione nimia obliniet ærarium: Si crudelis, uereris ne in te tuosq; sæuiat: Si pius ægresers, quia non ulciscitur iniurias. Si audax, pericula reformidas: Si uecors, hostibus inuides, qui sibi semper insultant: Si loquax, multiloquium esse non absq; peccato cognosces: Si tacitus, dicis quia nec amicos, nec seruitores uerbis scit retinere: Si uinolentus, accusas ebrietatem: Si uino non utitur, quia parum sit lætus grauaris: Si luxuriæ cultor est, doles, quia plurimis iniuriatur: Si fœminas fugit, dicis non esse uirum: Si paucos ad se admittit, displicet tibi inter illos non esse: Si communis est omnibus, irasceris quod tam reliquis quā tibi sit familiaris: Si omni ex parte bonus est, quod monstrum fuerit, cum tu sis malus, doles, quia tuis uitijs non alludit. Aut si tu quoque sis bonus, quemadmodum est difficile, dolebis principi bono non arridere fortunam, semperq; anxius eris suo statui, ægrotabis cum eo, quoniam non tam filio suo pater afficitur

A citur, quàm bono principi bonus seruus. Cui etsi fortuna fauerit nunc mutationem, nunc insidias times, nec dormies unquam, nec uigilabis in pace. Est insuper magna uirorum recreatio mentis, secessus, cum se aliquis retrahit in solitarium locum ac uel meditatur, uel legit, uel scribit, totumq; se musis præbet, et nunc Platonem, nunc Aristotelem, nunc Tullium, nunc Vergilium, nunc alios doctores iam dudum mortuos, sed fama uiuentes & scriptis alloquitur. Sed hac uoluptate priuati sunt curiales qui semper in ocio sunt, in clamoribus, in tumultibus: si tibi nonnunquam particulam mēsæ delegeris, in qua uel legas aliquid, uel scribas, mox aliquis instabit qui te uexet. Et si alij cessauerint, non aberit dispensator, qui prope te computum faciat, æraq; moueat, nusquam tibi angulus patebit quietus, in quo possis cum Scipione dicere: nunquam minus solus quàm cum solus. Oportet te priscis illis sanctisq; uiris carere, atque inter homines uiuere quos rectius bestias omni uirtute carentes appellaueris. Sunt qui dicunt filios suos idcirco principibus tradere, ut mores ediscant, fiantq; uirtute præstantes. Melius dicerent ad intelligendam malitiam turpitudinemq; discendam se filios transmisisse. Sunt enim in curijs uitiosissimi iuuenes, sermones inhonesti: ille luxuriam commendat, ille uoracitatem, nemo de uirtute se iactat, sed aut uirginem uiolasse, aut stuprasse nuptam, aut æmulum occidisse, aut rapina sese aliquid nactum gloriabi-
B tur, quæ scelera sic adolescentes imitantur atque imbibunt, ut nunquam postea dimittant. Nec te putes adolescentem pudicum, sobrium, uerecundum, & bene morigeratum apud principes inuenire: omnes huiusmodi sunt quales magistri: Verum est enim quod Terentius ait: ad peiorem plerunq; partem animum applicari, si quis ad eam rem magistrum sortitus sit improbum, sic natura iubet: uelocius & citius eos corrumpunt exempla mala cum animum magnis autoribus subeunt. Refero maximas Deo grates qui mihi iam uiro sequendi principes animum tradidit, cum iam à parentibus uirtutes aliquas sic acceperam, ut amplius amittere non possem: quod si aliud non est, hoc saltem habeo, quia nonnullas didici literas quarum essem omnino ignarus, si pueritiam meam curia suscepisset. Est enim in curijs principum uitiosum literas nosse, & probri loco ducitur disertus. Est itaque magna literatorum molestia cum se contemni per omnia uiderint, & res maximas ab istis dirigi, ne dicam ego negligi, qui uix inter manus & pedes quot habent digitos norunt. Sed est etiam illiteratis sua turbatio cum uiros in curiam doctos, ac Latine loquentes uenisse uident, quos ipsi nequeunt intelligere. Quid præterea de conscientia tua dicam, quæ semper inquieta est, semperq; te mordet, cum tu te scias multis uitiorum illecebris inquinatum: nullum grauius supplicium, ut Seneca scribit, quàm conscientia. Hinc Iuuenalis, cum tamen hos tu euasisse putas, quos diri conscia facti Mens habet attonitos, & surdo uerbere cedit. Oc-
C cultum quotiens animo tortore flagellum, Pœnaq; tam uehemens, ac multo sæuior illis. Quos & cædicus grauis inuenit, & Rhadamantus: nocte dieq; suum gestare in pectore testem. Sed audi obsecro Ciceronem pro Sexto Roscio, cuius hæc, si bene memini, uerba sunt: sua quemq; fraus, & suus terror maxime uexat: suum quemq; scelus agitat, amentiaq; afficit, malæ cogitationes conscientiæq; animi terrent. Hæc sunt impijs assiduæ domesticæq; furiæ, quæ diesq; noctesq; pœnas parentum à consceleratissimis filijs reputant. Quaq; te uertis, oblocutiones de Rege, de consiliarijs, de teipso fiunt, cum uel nimis subditi grauamur, uel hostes instant, dum curia in choreis est, aut in uenationibus occupata. Nullum inter res mundanas maius, munus est hominibus à Deo concessum, ut Cicero dicit, quàm amicitia. At hoc bono tam suaui, tam utili, tam necessario priuati sunt curiales, nam quia uitiosissimi fere sint omnes, nō amicitia inter eos esse, sed factio quædam, & conspiratio potest. Inueniunt nonnulli industrij laboriosi curiales, at in his adumbrata, non expressa sunt signa uirtutum: Videntur quidem liberales, sed rapinam sequuntur. Si sunt casti: ambitiosos inuenies eos atque superbos. Si humiles, ebrij sunt & nebulones. In nullo uirtus est aliqua quem mille uitia non comitentur. Arduum est in hac hominum colluuie uirum amicitia dignum reperire: quod si quis inuentus fuerit bonus, uel Regi non placebit, uel ma-

gnatibus, nec eius uti beneuolentia poteris: quia non licet in curijs habere commercium inter illos qui non sunt accepti: uidebisq; nonnunquam illos quos diligis, & qui tibi sanguine sunt coniuncti ad supplicium rapi: & quamuis difficile sit tacere, cum doleas, nec conqueri poteris, neque hiscere. Sæpeq; cum illo conuersari cogeris, qui tibi, uel patrem, uel matrem occiderit. Si eius conditionis fueris, ut famulatum possis tenere, inueneris seruitores tuos ebrios, gulosos, rixosos, insolentes, immemores, negligentes, inertes, adulteros, homicidas. Si rursus tu alteri famuleris, dominum auarum, quærulosum, inuidum, temulentum, loquacem reperies. Discurre per omnes curiæ status quàm contenti consiliarij sunt, suis consilijs non acquiescere principes. Quid aiunt Cancellarij cum eorum literæ ad honorem Regis, & utilitatem scriptæ transire non possunt, nisi corruptæ & ex bono in malum mutatæ. Quid magistri curiæ & marescalli, dum obedientiam non inueniunt, qui magistri cameræ dum eorũ computa corripiuntur? quid Capellani dum in celebratione diuorum officiorum suspendũtur, quid medici dum negligi sana, & nociua recipi cernunt? quid milites? quid cubicularij, quid tubicines, dum stipendia sibi negantur? quid coqui qui nil parare sine repræhensione possunt? nullus est cui non sint infinitæ molestiæ. Atq; ut breuiter dicam, per multas tribulationes intrant iusti in gloriam Dei: curiales uero cum multis cruciatibus acquirere sibi gehennam student. Nihil de clericis & religiosis dixerim, qui cum Ioseph pallium, cum Matthæo Thelonium, cum Ioanne Sindonem, & cum Samaritana cupiditatis hydriam iussi sunt relinquere. Taceo & illos qui necessario & inuiti sequuntur curiam, nam ut Cicero pro Sexto Roscio dicit, quod ego inuitus & necessario facio, nec diu, nec diligenter facere possum. Credo iam me promissioni meæ satisfecisse, quia stultos esse probaturum dixi, omnes qui aliam uitam habentes in qua possint se honeste traducere, curiarum molestias sequuntur. Quod cum ita sit relinquamus hoc pelagus inquietum, nosq; in aliam uitam redigamus. Namq; si pacem cupimus, si otium diligimus, si nobis uiuere uolumus, si salutem animæ quærimus, fugienda sunt nobis atria Regum & aulici tumultus, in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio, nec uirtutis amor aliquis regnat, sed auaritia, tantum libido, crudelitas, crapula, inuidia, & ambitio dominatur, quibus uitijs, qui sit deditus nullo se poterit argumento tueri, quin apud uiros doctos, & malus esse conuincatur & stultus. Vale uir, nisi ex curialibus unus esses, meo iudicio prudens. Pridie Calend. Februarij. Anno salutis M. CCCCXLV. Ex Pruch.

Exponit quo pacto Episcopus Patauiensis Fredericum Cæsarem honorauit, Epist. CLXVII.

Aeneas Syluius Imperialis Secretarius, S. P. D. Ioanni Campisio *præstanti Philosopho & amico ueraci.*

IVbet lex amicitiæ omnia inter amicos esse communia, siue modesta, siue iocũda quæ contigerunt. Te hæc Philosophia iam dudum, & à teneris, ut aiunt, unguiculis edocuit, ideo non agam hoc pluribus, sed ad rem ueniam. Magna mihi per hos dies oblata uoluptas est, ad cuius plenitudinem sola tui præsentia defuit, quæ mihi omne gaudium solidius reddidisset. Sed communicabo tibi literis quod uerbis nequeo, quamuis & calamus impotens est omnia referare, audi tamen & uoluptatis meæ portiunculam recipe. Fui nuper apud Viennam plurimum mœstus, quia Cæsarem nostrum res tum Ecclesiæ, tum imperij timebam negligere. Nam quod dictum & scriptum fuerat de cõuentu Nurenbergensi, uidebam quodammodo postergari. Sed aduenerunt mox regia mandata, quæ nos sequi Regem iubebant, quoniam is die Iouis IX. Iulij ex Noua ciuitate recesserat iter suum uersus Nurenbergam continuaturus. Letati omnes hoc nuntio sumus. Ego cum magnifico Cancellario Caspare tui amante Regiam Maiestatem biduo sum secutus. Post cum Rex oppidum suum quoddam extra uiam positum uisere uellet, nos Anasum perreximus, ubi olim ecclesia Metropolitica floruit Laureacensis dicta. Fuit enim Laureata urbs admodum insignis in ampla camporum planitie,

A nicie,& super flumen quod etiam Anasum uocitant. Sed postquam Attila Rex Hunorum urbem hanc deleuit, ubi arx erat, oppidum ex nomine fluminis restructum est. Sedes uero Metropolitica in Saltzburgam translata. Hic una nocte consedimus. Postera die cum duo miliaria Teuthonica confecissemus, nemus supra collem transiuimus, castellum conspicimus ecclesiæ Patauiensis, quod alij Aporum planicierum montem appellant. Ibi prælatus insignis residebat Leonardus episcopus Patauiensis, qui suscepturus Regem illic obuiam uenerat: tu hominem nosti. Nam & hic Viennæ fuit cum tu Cardinalem sancti Angeli secutus, Regiam maiestatem, iam annus est, uisitasti: uir elegantis staturæ, blandi colloquij, ingenij prudentis ac liberalis, qui primum in Concilio regio locum tenet. Hic ubi ex alta specula Cancellarium uidit aduenientem, Marescallum suum obuiam destinauit, qui nos ad secretam uiam deduceret. In publicis autem diuersorijs præceptum erat, ne quid uobis uenundaretur, uel ad hominum uel equorum usum. Et quia dispensator Cancellarij præuenerat, iamq; popinam armauerat, omnia iussit eripi, nec unum ex familia nostra passus est extra arcem esse, sed equis etiam pabula ministrauit, quod ubertim triduo factum est. Venimus igitur ad eius conspectum, postquam hic diuina peregerat, non tam lætus Herculem suscepit Euander, aut Acestes Anchisen, quàm hic nostrum Cancellarium. Nam & illum & nos sin-
B gulos blando uultu & alacribus oculis ad se recepit, modestoq; risu quoslibet amplexabatur, ac dulcissimis uerbis consalutabat, & ut quilibet ualeret, percunctabatur: nec nos uti seruos, quod non erat impar, sed ut filios uel fratres pertractabat: nemo, crede mihi, est, Ioannes amantissime, quem unquam uiderim, tam benignus atq; humanus in suos hospites, tam magnificus in ædificijs, tam splendidus in conuiuijs, tam largus erga personas miserabiles, tam æquus in subditos, tam iustus in omnes, & quam iustum prælatum accepi. Hospitalitatem, magnificentiam, ac liberalitatem egoipse sum contemplatus. Neque hic, sicut plerìq;, bona ecclesiæ inter necessarios partitur, aut in alios illaudabiles usus conuertit, sed elargitur pauperibus Christi quàmplurima. Nec princeps est his in partibus ante cuius ostium plures pascantur inopes. Taceo eleemosynas quas clanculum facit. Nam & comitibus & Baronibus nonnullis occulte subuenit, q̃s rota Fortunæ instabilis præcipitauit. Patet præterea domus eius præclaris semper hospitibus. Et licet ea resistentia quam tibi Albertus Austriæ dux fecit, qui postea Rex Vngariæ Bohemiæ ac Romanorum fuit, in octuaginta milibus aureorum suam ecclesiam damnificauit, hic tamen postea quàm pacẽ nactus est, in ædificijs tum castrorũ, tum ecclesiarum reparandis septem & uiginti milia florenorum exposuit. In redimendis autem censibus ac prædijs pignore datis, tria & uiginti milia. Vtinam tales prælatos Tridentina sortita fuisset ecclesia. Sed quid ego ista commemoro? sequar quod cœpi.
C Erat iam prandium opiparis epulis appositum: Ascẽdimus aulam, ibiq; iuxta fenestram quam leuis aura perflabat consedimus. Primus erat episcopus, secundus Cancellarius, tertius illustris, comes Ortenbergensis, quartus præpositus Frisingensis, uir & nobili loco natus, & iuris interpres. Sed nec mihi ultimus locus in tam sublimi mensa negatus est: Credo me alienigenam honorare uoluerunt. Nihil lautius illa quadra fuit, nec tam florẽtes epulas Metellus quæstor Hispaniæ dicitur habuisse: nec tam exquisita fercula Crispinus aut Apicius, & alij Romani uorabant. Postàqum abrogatis cibariorum legibus, prisca seueritas luxu cessit maligno, mos Germanorum est pisces carnibus admiscere, nec felix putatur qui tantum carnibus uescitur. Suauissimi igitur fuerunt pisces appositi, quos tum Danubius propinquus, tum Trauna præterlabens administrabat. Nescio quem accipenserem laudant antiqui, quas ue murenas. Ego inter edendum sæpe recordatus sum eius quem Aristoteles dicit collum gruis optauisse, ut quàm maxima ciborum uoluptate perfrueretur. Inter carnes autem ardeam comedimus, turdos, altiles, orices, ceruum, aprum, leporem, omitto reliqua. Nec dum hæc legis, saliuam in labra deducas, mundatosq; dentes lactuca fatiges. Inter alias autem uoluptates iocundissimum erat seruatas per hyemem glacies in feruenti æstu mensæ apponi, uinaq; illis reddi frigidiora. Quid tibi de urbanitate, facetijs, miroq; dicendi lepore hu-

ius prælati satis potuerim dicere? Sunt nonnulli qui hospites quasi uerecundia coacti uocitant, omnemq; morsum dinumerant, ac cum agnum lacerari dentibus cernunt, non minus tristantur, quàm si propria membra mandarentur. At hic præsul tunc dolebat, tunc increpabat hospites cum cessare uidebat, nec quod edilia ponerentur, sed quod non esa fuissent querebatur. Quod si, ut dicimus, nobilitat multum frons generosa dapes, quid tunc dicemus cum lautæ mensæ copiosisq; apparatibus & uultus læti, & uerba gratissima adiunguntur: Postquam uero exempta fames epulis mēsæq; remotæ sunt, ducit nos Pontifex per castrum, locaq; singula monstrat, situm ostendit, & quicquid est laudabile in aperto facit. Præbe aures paululum, locum tibi describā, ut cum legeris exhilarari etiam possis. Castellum hoc in ea terra est, quæ inter Bauariam & Austriam iacet Marchionatus Anasi.. Quidam uolunt hanc esse portionem Austriæ, postquam ibi ducatus erectus est. Sedet autem castellum in rupe Tramiæ cui ab Oriente Austria, & ab Occidente Bauaria: Boreā sibi Bohemia præbet, Austrum Syria. Trauna fluuius est miræ perspicuitatis, qui ex Alpibus Syriæ præcipitatus quosdā lacus efficit: Exinde per quinquaginta milia passuum discurrens, planiciemq; per amœnam secans, non lōge ab hoc castello fertur in Istrum. Habet hic amnis miri saporis pisces, nec scio an alius feratior sit. Scripsi iam tibi cursum eius, qui admodum breuis est: Ius in eo piscandi multorum est. Pataniensis ecclesia XII habet piscatores, quorū quilibet tres ministros secum ducit: Dux Austriæ quatuor: Comes de Schaumberg totidem: Dominus Vualse præpositus sancti Floriani, Domini de Trauna & de Lichtenstein totidem, qui pro libitu suo piscantur ac familias suas nutriunt. Præter hos tamen qui in horum manus pisces adueniunt, ad teloneum huius oppidi quadraginta piscium modij quotannis dicuntur ex his qui ad mensuram uenundantur. Nam grandiusculi numeratim uenduntur. Modius autem permagna mensura est, & ultra quàm reputes capax. Quid plura? Nusquā terram aut arenam iuxta hoc flumen effodies, quin aqua intercrescente mox pisces inuenias. Hoc, quemadmodum uides, ad ornamentum castelli lociq; uoluptatem plurimum conducit. Sed adhibe amplius te mihi totumq; intuere melius. Mihi si castrum aliquid detur inhabitandum, ubi ad recreationem uiuere uelim, hoc potissimum placeret. Quid enim est ad plenam læticiam necessarium quod hic desideraretur. Fateor non esse hic uineta, seu oliueta, non ficus, non cedros, non poma punica, & alia quædam quæ apud Italos habentur cōplurima. Sed uina hic ex Austria quā gratissima perferūtur amica naturæ, gustuiq; suauia, quæ nos in prandio affatim bibimus. Nec ex Athesi desunt, aut ex Tergesto: qa ubi pecunia est, illuc & uina uehūtur. Quod si desunt racemi, & cū ficubus melones, sunt pira & poma admodū gustui sapida, sunt cerusa multimodi generis. Est aër saluberrimus: Ventulus suauis. Si nudus incesseris, si os aperueris, si uentrē ostenderis, & quātumuis flantis auræ perceperis, nihil exinde læderis. Cū æstus est quantūuis alibi maximus, semper in castro flatus respirat amœnus. Prospectus illinc ad nouē decem'ue Theutonica miliaria protenditur. Videtur mōtes, nemora, fluuij, cāpi, colles culti, uireta iocūda. Hinc Trauna currit, illic Ister prolabitur. Prata quāplurima ridētia, cum tempus fert, circunspiciuntur. Pomeria circa castella tria sunt: duo altissimis communita foueis, nec actibus omnino nuda, ubi stationes habentur umbracula contra solem aptissima. Si piscari uelis, aquæ in oculis sunt. Si aucupari, sæpes quàmplurimæ auiculis refertæ circunstant. Si tibi uenatio placet, uix ad mille passus syluæ distant, quarum uis ferarū genere plenæ. Est in colle proximo nemus umbrosum altissimis quercubus septum, quod fouea sæpsq; cingit in modum porcij seu leporarij, ubi quàmplurimæ feræ conclusæ sunt. Illic etiam nisi sunt quàmplures, quos in arboribus humana diligentia ad hordeorum usum custodit, quæ ibi porrectis cibis nutriuntur. In planicie feraces sunt agri, tantum frumentum siliginisq; reddentes, ut ex eo quod superest castro munito, facile possit uinum comparari. Hæc foris sunt. Nunc arcem ipsam interius conspice. Est, ut dixi, super alta rupe constructum castellum ex tribus partibus ex planicie sursum erectum ac sua natura defensum. Pars quarta duplicem habet foueam, pontemq; duplicem. Profunditas fouearum altissima est. In hac parte turris est

in cœlum

A in cœlum tendens undique propugnaculis communita. In cuius summitate custos resi-det, qui cornu tuba perpetuè clamitat. Interdum & rusticam musam exagitat. Murus castelli undique duplex est, & in plerisque locis triplex. In medio uero platea est ar-cularis: Ibique fons amœnissimus scaturit, ac per fistulas æreas bis sex aquam propinat. Fontis ambitus marmoreus est. Inter columnas medium est tabernaculum quod de-super eminet æreum, mirifice structum, ut Helchanoris opus dijudices, aut Polycleti cu ius fabrica trecentis & mille aureis empta est, septem circum proceræ ac frondosæ ulmi tenduntur in cœlum, quæ umbram gratissimam reddunt. Cœna dum æstus est in can-cellis, apud hunc fontem paratur. Pisces ex fluminibus in fonte tanquam in uiuario reseruantur, ac dum sedes in prandio, capi pisces & in coquinam deferri cernis, quos è uestigio coctos manducas. Est & alius fons lapideus dulces & perlucidas aquas effun-dens. Tertius in coquina est, cuius cannulæ limphas in quaslibet ollas igni admotas inferunt. Est præterea huius castri mirum priuilegium siue consuetudo: ruricolæ qui circumhabitant obnoxij sunt quæuis necessaria ad usum castri præbere, exceptis his quæ maiorum habentur sumptum: dant caseum, butyrum, lac, lignum et fœnum ad cloa cas opportunum: gratis mundant domum, ligna scindunt, discos mensarum exhibent, scutellas & cacabos lauant. Post hæc Capellam uidimus ad diuinum cultum perorna-tam, ubi tres aræ consecratæ sunt in ambitu superiori, post aulam maiorem habita-B tio Regi parata erat, ubi hæc loca notaui: stuba una tapetibus ornata & attrebatensibus pannis: camera perampla, ubi & lectus aureis ornamentis & apparatu regio relucebat. Ex qua & fenestræ quædam in capellam præbebant intuituitum: erat & studiolum perpulchrum. Rursusq; alia camera propinqua post habitaculum extra murum ca-stri pontibus sustentatum, undique patulum in occiduum & septentrionem, meridia-numq; solē respiciens ubi semper aura suauis respirat cum alibi feruidus æstus sentitur. Exinde aditus per pontes in alteram fertur cameram, quæ extra murum trabibus susten tata est, & orientem arctoum & occiduum solem intuetur, quam Marescallus regius in habitat. Secundum locum dux Sigismundus obtinuit qui & aulam & stubam, & thala-mum in minori cultu quàm Rex habuit. Ipse sibi Pontifex Cancellarium seruauit, ubi rursus alia mansio suis membris ad usum principis erat ornata Cancellario, perpulchrū thalamum in alta turri & sub eo Vultero Regis consiliario, locum castri qui respicit orientem meridianumq; solem, præfectus arcis cum coniuge ac nonnullis nobilibus dominabus occupauit. Nam & ibi mansiones quàm plures fuere tum amplæ tum de-coræ, cellaria sub castro perampla, et stabula multa. Inter castellum et flumen Traunam uilla quædam fuit aperta, quàm hic Pontifex breui tempore cinxit & ad incolenti-um tutelam armauit, atque his in locis Romanorum Regem & Sigismundum Austriæ C ducem suscepit, honorauit, pauit, atque omnem equitatum peditatumq; recreauit. Ne-que contentus his sumptibus rursus cum rex Linchiam perrexisset, cum Cancellario uiam præripuit, ac Patauiæ apud Regiam Maiestatem mansit. Est autem Patauia præ-clara diuesq; ciuitas inter Danubium Euumq; sita, quam prisci Cæsares ecclesiæ tradi-derunt. Danubius ex montibus Sueuiæ uenit, unus ex alpibus quæ Germaniam ab Italia disterminant: atque hoc in loco mixtus Danubio nomen amittit: urbis ipsa in lon gum tenditur, nec magno negotio formam insulæ susciperet, si quis ab Euo foueam in Danubium duceret. Nec uni quingenti passus sunt ex una in alteram aquā. Super uno pons est ligneus qui sexdecim habet arcus, & ciuitatis partem quæ trans flumen est ciui tati maiori coniungit. Est & alius pons super Danubium, per quem uia est ad montes qui Bohemiam respiciunt: post hos mōtes fluuius alius niger admodum perlabitur, qui ex Bohemia ueniens, oppidulū Iudæorū et tertiā Patauiæ partē diuidens, sub castro præ sulis Danubio quasi ex opposito uno se immiscet. Itaq; tria flumina uno in loco cōiun-guntur. Ac propterea locū istū quidā uerbo Italico passum hoc est transitū uocitāt. Nā & per hūc locū merces Italiæ in Bohemiā ferebātur, et superiores Theutonici Austriā uel Vngariā petebāt sicut & hodie fieri uidemus: in medio urbis tēplū est diui Stepha ni primi martyris hui9 episcopatus Patroni, egregiè ceptū sed nōdū perfectū: chorus hic

admodum pulcher ædificatur, sed quia parce nimis tum ciuitas tum capitulum ad fabricam conferebant, Leonardus episcopus magnam pecuniam ad hoc opus dedit. Adeoque iam celeriter ædificatur, ut quadriennio putetur ex integro perfici posse. Apud hoc templum ædes episcopi sunt ad eam partem quæ respicit unum tum capacissime tum splendidissime. In quibus Fridericum Cæsarem ac Sigismundum ducem aptissime collocauit: Esset iam admodum longa epistola si tibi omnes ædium partes uellem describere, si uel Capellæ reliquias sanctas uel aureos pãnos quibus undique muri uestiti erant, ostendere contenderem. Nescio quis princeps non se his ædibus egregie habitare putaret: ego & Regibus & Cæsaribus atque ipsis ecclesiæ Romanæ summis pastoribus commendatissima uel conuenientissima hæc palacia iudicauerim: nisi quis forsitan Hussitarum more nimium sumptuosa hæc sacerdotibus existimauerit: Sed nec hæc solum habitacula Regibus digna sunt: trans Danubium duæ quoque sunt arces episcopi, altera in summo montis cacumine, altera in radicibus apud aquas ubi Danubius & niger Bohemiæ fluuius, qui etiam fert uniones, coniunguntur: Est ad sublimiorem arcem grandis ascensus atque difficilis quæ tantum ex uno angulo potest oppugnari. Sed tot ibi munitiones additæ sunt, tam murorum quàm fouearum, ut expugnari posse nulla ui hominũ uideatur: Ibi & aulæ sunt & cameræ splẽdidissime quas qui uiderit nec ornatius aliquid nec munitius usquàm esse putauerit. At ubi descenderis in arcem quæ infra iacet, ornatum maiorem uidebis: testudinatas cameras & aulas quàm plures: lectos ad regium cultum stratos. Mirari ergo potius quàm commendare potui. Sunt meo iudicio Theutonici mirabiles Mathematici, omnesq; gentes in architectura superant. At hic episcopus præcipuus est siue suapte natura in hoc inclinatus, siue peritissimis magistris edoctus. Vidi ego quàm plurimas arces tum apud alias gentes: sed & illæ uel ad bellum sustinendum constructæ, uel ad uoluptatem paratæ fuerunt. Has uero Leonardus episcopus ad utramque rem miro artificio coaptauit, ita ut nec ad iocunditatem nec ad tutelam ulterius quicquam desiderent, quæ omnia Cancellario & mihi ostensa fuerunt dum Patauiæ Regem operiremur. Venit autem Rex die Lunæ, cum Sigismundo duce XII. Kalendis Iulias, triduoq; mansit, quem Pataujensis, episcopus cum omni familia tam copiose quàm splendide pauit: nec aliquem uel principem uel priuatum hominem qui curiam sequeretur passus est Patauiæ obulum exponere, cunctis ipse sumptus quàm liberalissime præbuit. Sed qui fuerunt qui uerecundia ducti, nollent fercula petere illis usque in domum ubertim edilia mittebantur & uina, nec potuit aliquis cibũ mordere qui non ex Episcopi coquina uenisset. Cum Rex moneret Episcopum ne tantis se sumptibus oneraret, tace, inquit, Rex nolo cum ex hac uita migrauero, patronus meus me arguat Stephanus, qui scit hæc bona sibi per tuos antecessores elargita, dignęq; tibi ex illis honorem impendi. Ministri præterea esculenta & poculenta, equorumq; pabula tam uoluntariæ exhibebant, ut tunc se quàm maxime lucrari putarent, cum effusius dispensarent. Ego mi Ioannes non potui dum ista cernerem non lætari. Videbar uidere priscos illos & admirabiles uiros quos tantopere commendat antiquitas: sicut de Seneca scribitur Pisoneq; Gneo & Cocta, quibus & titulis & fascibus maior fuit donandi gloria. Fortunet Deus hunc præsulem, uitamq; cornicis præbeat, & annos Nestoris: sapientiam autem eam sibi usque in finem uitæ præstet, quam modo habet. Nam etsi multos sub se populos tenet & castella ultra triginta possidet, & diocœsim ad trecenta milia passuum extensam à Ratispona prope usque in Possonium quod est Vngariæ oppidum regnat, tanta eius tamen est prudentia singularisq; uirtus, ut nihil dubium sit sub eius gubernatione præstantissimam hanc ecclesiam tam in spiritualibus quàm in temporalib. prosperari. Vale Campisi optime, & huius clarissimi uiri laudes reuerendissimo domino tuo, meoq; Cardinali Tarentino & cæteris Romanæ curiæ senatoribus expone, quamuis Tarentinus ipse prælatum hunc & noscat & amet. Ex Patauia x. Kalendis Iulias, Anno M. CCCCXLIIII.

Consulit

Consulit quæ sunt agenda in causa Frisingensis ecclesiæ, Epist. CLXVIII.

A Aeneas Syluius Caspari Schlick Cancellario imperiali, S. P. D.

PAuci admodum sunt dies quibus per Casparem sacerdotem nuntium tuum de singulis quoad potui plene scripsi, nec rem Frisingensem aut aliã scripturã dignã prætermisi. Volui namque potius scriptis omnibus longitudine tædiosus, quàm prætermissis quibusdam breuitate odiosus esse. Sed aduenit mox germanus tuus Henricus Frisingensis electus, & cum eo simul reuersus Nieperg. Ipse autem electus idcirco huc profectus est, quia literis tuis instructus erat, ut pro oppidorum possessione instaret. Nam & tu Regi ad eam rem scripseras, sed erat adhuc nescius eorum quæ gesta erant: nondum enim literæ meæ ad eum peruenerant quas sibi super his scripseram. Retuli autem ei seriem rerum, & regis responsum mihi datum & sibi scriptũ, quo præcepto agnouit electus se frustra profectum huc. Accessit tamen Nieperg tanquam singularem amicum, quo cum in uia sæpe contulerat de negotio: narrauit sibi quæ in causa essent acta consiliumq; petijt. Is dixit se uelle Regem alloqui & cuius mentis esset, perscrutari, an mutari sententia posset. Accessitq; illũ heri cum iam nox ruisset cœlo, petijq; utrum in re Frisingensi uellet aliquid agere cum frater Cancellarij adesset. Rex autem iussit mox electum accersiri: quo ueniente surrexit ex cubili & nonnullis passibus obuiam processit: Tum electus dixit se huc uenisse regraciaturum Maiestati Regiæ ex cuius munere promotus esset: supplicaturumq; ut possessio daretur in plenitudinẽ gratiæ, & ad hoc se monitum tuis literis inquit. Rex uero habito concilio dixit se iam tibi in hac re rescripsisse teq; uocasse, & postquam reuerteris rem hanc absoluendam. Gratias pro responso electus egit, subiunxitq; se scire nonnullos uenturos esse etiam uiros magnos qui partem alteram promouerent. Ideoque se supplicem petere nequid in eius præiudicium illis responderetur. Ad hæc dictum est Regiam Maiestatem Cancelllarium expectare, nec se uelle in eius absentia aut illo inscio de hac re ad cuiusuis instantiam aliquid agere. Dixeruntq; consiliarij, Henrice licet scriptum sit Cancellario ut ueniat, tu tamen sibi rescribito & mittito proprium nuntium omninoq; ipsum adhorteris ut quàm festinanter ueniat, tum pro rebus huius ecclesiæ Frisingẽsis, tum pro negotijs regijs in quibus sua præsentia est necessaria. Nam multi casus possunt accidere qui primum nuntium impedirent. Annuit Henricus, mihiq; dixit bonum esse ut lator præsentium Anderlinus huic se itinere accingeret, quod mihi quoque ex usu uisum est admodum necessarium, quia nescio quam diligentiam habebunt collegæ tui ad mittendum literas. Dum hæc agerentur, uenit ex Romana curia Osiliensis episcopus Prutenus quem nosti, per hunc putabat Henricus bullas suæ promissionis transmissas sicut Ioannes Colner sibi antea scripserat. Accessimus ergo diuersorium eius, percontati sumus an bullas afferret. Is retulit se fuisse ordinatum ut ipse afferret, sed cum expeditio eius longior uideretur, placuisse Romano Pontifici ut tabellarius suus Guido nomine ad te illas deferret: qui cum quindecim diebus eum præcessisset, miratus est non esse nobis traditas bullas, deditque Henrico literas sibi & tibi directas ex Roma Bononiaq; transmissas. Quibus apertis cognouimus uerbum eius uerum fuisse, sicut & tu ex ipsis literis agnosces. Nam ipsas tibi cum præsentibus destinamus. Non uero opinamur bullas easdem ad te uel dominum Ioannem Carnaial conuolasse. Nam Guido ille ut accepimus ad apostolicos nuntios literas habuit. Quod si sic non est aut Venetijs sunt apud mercatores, aut Guido corruptus aduersarijs eas uendidit, uel sinistri aliud accidit. Tuum est percunctari diligenter, nam maxime expedit has literas haberi in quibus fundatur ius. Nec putat Henricus Australes moueri posse ut castra tradant, nisi ostendantur bullæ. Ideo curet tua Magnificentia, eas omnino secum afferre, si apud Nurenbergam inueniri possunt: alioquin opus erit iterum eas ex curia suscipere. Nunc autem ne mireris quod nuntium proprium destinamus, causas subiungemus. Nam prima est quod Rex sic desiderauit & cõsiliarij persuaserũt. Secunda est, quia uidemus Regi necessariũ esse reditũ tuũ in multis arduis negotijs, qui ægreferet sibi rede esse cũ op; est. Exinde q uult principis gratiã, is in aduersis seruiat. Nã in

in secundis plures inueniuntur seruitores quàm sit necesse. Post hæc uidemus instare periculum in ecclesia Frisingensis, nisi ueneris cito. Quod si ueneris bene omnia dirigi posse confidimus, nã et Rex bene affectus est & Niperg adiutor. Magister autem curiæ scripsit in fauorẽ tuũ, & sicut sæpe dicitur præsentia recipit, absentia perdit. Vlterius scimus dominũ Treuerensem uenturũ, qui cum sit alter homo quã solebat, nec multũ tibi afficiatur, timemus ne quid in hac re, sicut pro certo intelleximus, aggrediatur, et in alijs quoq; posit tibi obesse. Scis quid uelimus dicere, & quæ alias tentata sunt. Dominus etiam alius uocatus est, ut nosti, per alias literas quas neutralitatis amator & Bauarorum fautor non suadebit tibi dari possessionem. Dicet periculum esse, & quod non poterit publice, clam tractabit: nisi fortasse per te sit Nurẽbergæ persuasus. Accedit ad hæc alius tibi notus, qui & ipse clanculum electo suo fauet, & quamuis nunc absit, cito tamẽ reuertetur: nam in prouinciam non patuit sibi & suis collegis accessus. Itaq; omnibus his ex causis duximus mittendum esse nuntium ut si aliæ literæ negligantur, hæ saltem te comperiant, teq; ad ueniendum inducant, quia nullatenus supersidendum est. Intuere aliud quod ingerit ad scribendum. Allocutus est Henricus quendam regium consiliarium, qui se ostendit sibi affectum. Sed quantũ ex eius dictis comprehendimus, is magno impedimento fuit ad possessionem habendam. Inquit enim nullatenus se regi consulturum possessionem dare, qui partialis uideretur, sed suadere uellet ut omnes custodirentur introitus huius ecclesiæ, & exinde clam subueniretur Henrico ad litem ducendã, donec per iustitiã terminaretur causa. Sed consiliũ quã perniciosum sit cernis: quasi honestius sit principi seculari bona ecclesiarũ absq; ullo titulo detinere, quã ius habenti concedere. Sed nõ uidet oculatus homo quantũ dedecus rei resultaret, & quantũ infamiæ, & ut per hunc modũ magis se odiosum Bauaris redderet, qui se hostem faceret, & quantis molestijs se subijceret. Nã castri tenens nũc per conciliũ, nũc per electũ, nunc per principes rogaretur restituere, & interim quoq; bona ecclesiæ dissiparẽtur. Sed addidit homo consiliũ magis insulsum. Ait enim si castra in manu sint Regis, pro quacũq; parte declaratio fiet, impetraturũ Regem ut Henrico ecclesia conferatur. Qua re nescio an aliqua dici stultior posit, nam hoc manifestum est in contrariũ agere. Solet enim, quando fiũt declarationes obedientiarũ, illis cõsuli qui sunt in possessione. Et cũ aduersarius iam corpus ecclesiæ & diocœsis in possessione habeat, Henricus uero nihil, quis dubitat meliorem futurã partis aduersæ cõditionem cum iura semper possessionib. faueãt. Voluit insuper ille cõparationẽ facere huius ecclæsiæ ad Patauien. propter quã Albertus multas expensas subiuit, & tandẽ succubuit. Sed non aduertit uir meo iudicio nõ imprudẽs & suo ualde sapiens, ibi Albertũ ei fauisse, qui nullum ius habuit, & se Papæ opposuisse. Nunc Rex habentem ius tuetur, et Papã secum habet concurrentẽ. Post hoc intelligo quosdã esse qui tractare concordiã uellent, ut cederet Henricus parti aduersæ cũ aliquibus emolumentis, & spe alterius ecclesiæ, quod tã decet te facere quã famã & nomẽ perdere. Nã cũ grato animo erga te fuerit Eugenius ac domũ tuã hac prouisione decorauerit, et præter omnẽ consuetudinẽ bullas absq; obligatione miserit, quod tamẽ dicere poterit, si eius gratia relicta, cum eius hoste durissimo recõcilieris. Plus hinc ignominiæ redũdaret quã ex prouisione receptũ sit honoris. Hæc nõ attingo profundius, quia melius me nosti: & cũ hic eris latius hæc agitabimus. Post hæc mittit tibi Henricus procuratoriũ ad resignãdum præbẽdam suã Ratisponensem. Itaq; rogat ut quando illac redeundo transis, capitulum accedas, rogesq; ut aliũ germanum tuũ eligat in canonicũ, et liberans Henricum absolutione statutorum quiescere uelit ut solum Francisci nomine detur pecunia, quod existimat per te nõ ægre impetrari posse qui apud eos dilectioni es et reuerentiæ. De uia uero per quã tibi Rex cõueniendus sit, nõ possumus aliquid certi scribere, sed nobis expedientius uidetur Viennam ut proficiscaris ad Regem. De nouitatibus scripsi in alijs literis omnia. Post illa uenerunt ex finibus Vngariæ Regis Poloniæ & domini Cardinalis epistolæ magnas & felices nouitates referentes: sed aliud Rex, aliud Cardinalis scribit: plus ille, hic castius. Exemplum earum tibi cum his mitto. De Italia nihil est plus noui, nisi qđ refert Osilien. cõuentũ habendũ esse inter omnes principes, & comitates Italiæ

A lia Papa & Aragonum Rege inter futuris: sed nondum est de loco conuentum. Id si fiat non parui momenti erit. Nos illis de rebus nihil olfacimus. Vale feliciter & reuertere absq; mora, uiarum discrimina, ut nosti, astute cauendo. Suadet Niperg ut omnino uenias cito, si tuum honorē & exaltationem optas. Henricus hodie Viennā uersus pergens à nobis est abiturus. Ex sancto Vito, die V. Ianuarij, Anno domini M. CCCCXLIII.

De coemendis Politicis & aliquid de Petro Noxetano, Epist. CLXIX.

Ioannes Campisius Aeneæ Syluio imperiali Secretario, S. P. D.

Literas dedisti pridie Idus Octobris ex Vienna ad me perferendas, ego illas Romæ Idibus Nouembris Ioanne nostro Tolner restituente accepi: habeo gratias humanitati tuæ de tua erga me beneuolentia, qui uti saluti meæ timuisti istinc patriam & meos repetētis, ita & sospitati meæ gratulatus es, cum primum ex meis ad te literis accepisti: Senas me sospitem scias aduenisse: res meas fuisse itineri commissas, quod non nisi tua diligētia & Matthæi nostri opera peractum æstimo, imò certum mihi persuadeo, me cogit ut ingentes tibi & illi gratias & quantas ex animo possum agam: etsi ex Venetijs nondum de illis quicquā senserim. Scripsisti me parce res tuas apud Insubres attigisse in quo nōnihil accusaris à te uideor: scripsi causas cur Mediolanum non accesserim: quippe qui sciui Gumfortum apud Romanam curiam cum Euglino abesse, & item cū Na-
B uariam non ierim, ratio apud me fuit, & consilium non condemnandū si mihi credis me excusatum habebis, si minus, doleo te ex mea, quam mihi ascribis, negligentia molestiam ullā accepisse. Tuæ tamē humanitatis fuerit et nostræ inter nos ueteris beneuolentiæ et familiaritatis ueniā mihi concedere, etiā si minus, uti uis, in re tua ociosus fui. Desiderium tuum & Politica. Aristotelis conuersa quāprimum in tanta locorū distantia licuerit, assequaris curabo ipsa alia aut alia uia, ut iubes explere: nec me pecuniæ timor afficiet. Vtinam non me magis mea (quæ tibi utinam soli nota esset) non me magis inquam solicitaret aut afficeret egestas: A qua tamen, si me summi Pontificis dicta & heri mei amor & gratia non fallūt, magna ex parte leuari puto. Et fortasis ipse de hoc aliquid ex me senties, priusquā hæ literæ hic ad me ascendant. Sed ad rem nostrā uenio: Credidi bene & quod amici & mei officij esset facere, si te prius de precio libri admonerē, ut & ipse diligentiam meā in perquirendo libro agnosceres, et ego constantis animi tui liberalitatē cernerem. Siquidem istius modi librū qui meus fuisset habuissem, iamdudū dono ad te mittere curassem. Proinde ne crediderис uoluisse me aut uelle in eo quod mihi tecum sit negotio indemnitati meæ consulere. Sed quod ais, si minori precio, quā scripseris haberi nequit, libet id auri cōferre, minus te quā uoluissem liberalem ostendis: nā uerbis illis ad moneor librū illum quanti minoris emā, quod argumentū est animi pauloplus ad nummos quā oporteat affecti: ego uero, ut scias q̄ libere in re tua pro usu nostræ familiaritaC tis agere possum, curabo pro uirib. & ingenio meo ut librū quā optimum, ita tamen ut me nō imprudentem emptorē iudicare posis. Tolner noster ita mihi notus est, ut nota magis nulli domus sit sua: & iam cū eo ea de re locutus sum libro reperto & empto consilium capiemus, et quod melius uisum fuerit ut desiderio tuo satisfiat sequemur. De Petro Noxetano nostro, nisi me fallat memoria, scripsi ad te aliquid posterioribus quas nōdum acceperas, quasq; nunc per Mathiam Camporem accepisse debuisti, qui ad reuerendum dominū meum legatū iam diu reuersus est. Quod si nihil scripsi, simile certe, ut scribis, monstri est: nisi forte debilitas oculorū meorū id effecerit. Noxetanus noster optime ualet, indies ditior & tamē uir melior & magis amicitiæ cultor euadens. Heri mortē, quā certe humane & grauiter tulit, fert sapienter. Solus uiuit ut idē corpore & animo liber. Aedes conductas nō superbas, sed liberales habet: pueros quoq; & equos quib. eū Romæ uti necesse est. Quid aūt officij gerat me rogas, imò quid officiorū rogare oportuit. Et scriptor apostolicus est & abbreuiator: est lector contradictarum: causas nōnunquam solicitat. Vnde lucra ex his omnibus capit. Est præterea in amicos liberalis, & ociosus, & adeo officiosus, ut inde me conscio, plura iam damna & incommoda recepe. rit, quæ tamen idem nihilipendit. In te uero, me teste, eo perseuerat animo quo semper fuit, fortunis tuisq; honoribus tam lætus quàm dici à me non potest. Sæpe de te

est

est inter nos amicus sermo, sæpe te præsentem & consiliorum nostrorum participem fie ri optamus, sæpe dum à laboribus laxare iuuat animos, quantum inter nostras occupationes licet, fiunt nobis ob tuam absentiam quam continuo recolimus, iocunda solacia. Quod ad te nihil scripserit, tuis epistolis, ut scribis, prouocatus, miror admodũ, & apud eum maximam de hoc querelam proponam, etsi forte in nostra taciturnitatis lege confidit. Deinde aduerti quæ grauitas de generoso animo: scripsisti qualis fuit Alexandri tui exitus. Item quæ de Hanibale quoq; breuiter, scite tamen ad te dicta sunt. Vale feliciter, & tibi felicem ac cornicis uitam (qualem Theophrastus moriens & naturam accusans, optauit, quæ hominibus tam breuem dedisset) tribuat omnipotens Deus. Post hæc Noxetanus noster cũ apud fratrẽ Petrum querelam, quã dixi ex me propositã audisset, multa hilaritate fusus à risu uix finem faciens ac uerba tua iterũ atq; iterum relegens (ostendi enim illi tuas ad me literas) excusatũ apud me fecit, scripturũq; omnino ad te pollicitus est, confessus palam binas duntaxat ex te literas accepisse. Vegius tuis prosperis rebus exultans, saluum te ex animo iubet. Idem facit et Iacobus Caluus uenerabilis uir Centes ciuis & canonicus Senensis homo, quo natura neque meliorem genuit, neque suauiorem: in cuius pectus animam credo prosiliisse meam, & ita, ut Aristophanes poëta ait, ex duobus corporibus unam factam esse inter nos animam: Is inquam, salutes tot tibi mittit (placet enim mihi sic apud te loqui) quot sunt auis in corpore plumæ. Hæc ad te scripsi, modo rebus sic exigentibus, & ut tibi parerem qui iussisti ne legẽ taciturnitatis nostræ seruarem, & quantum licuerit scribam ad te crebrius, eo tamen pacto ut lex ipsa taciturnitatis firma maneat, quæ est ut liceat nobis adinuicem non scribere. Vale iterum & me sine fine, quod etiam atque etiam rogo atque obsecro, commendatum fac magnifico Caspari in eiusq; amore & gratia perpetua conserua. Romæ Idibus Nouembris, Anno domini M. CCCCXLIII.

Dubitat an uxorem ducat cum sit inops. Epist. CLXX.

Petrus Noxetanus scriptor apostolicus, Aeneæ Syluio Poëtæ & *amantissimo fratri, S. P. D.*

COgnoui ex literis quas æstate decursa per Nicolaum Castellanum ad me dedisti, et item ex his quas noster Campisius ex te nuper recepit, admiratum te fore quod te cum diu tacuerim, idq; propterea factum putare uideris, quia uir magnus & diues euaserim, sic enim scribis: ego uero irrideri scriptis huiusmodi mererer, nisi tuus erga me singularis amor mihi foret exploratissimus, nam pro tua in me beneuolentia & charitate maxima, quicquid ad me scribis in bonã recipio partem, sit tamen, ut tibi persuasum est, uir magnus & diues essem, non solum literis sed donis quoque te semper uisitarem, nec quenquam spernerem, & præsertim quem plurimi facio, atq; ut meipsum colo, amo & obseruo: sed quia conditio mea tam tenuis est ut nec amicis nec mihi prodesse ualeã, taceo nec amicorum aures obtundere audeo, nil præter uerba offerre ualens. Dum uixit Cardinalis sanctæ crucis, cuius memoria nunquã ex me delebitur, spes erat mihi nõ mediocris, quæ tota cum illo cecidit, scriptoriã, sicut nosti, & item officium contradictarum, pecuniis emi, quarum pars amicorum fuit mutuo mihi concessa, & eam cum iam restituissem & sperarẽ aliquid ex his officiis cummulare, ecce infelix & inopinatus cardinalis obitus, quo humi prostratus sum: oportet namq; propriis sumptibus me uiuere, & ex sudore manuum mearum: & per Deum immortalem Aenea mi suauissime, hodierna lucra uix alimoniam præbent. Nosti fluctuationes curiæ. Si pacata foret ecclesia, & integram dominus noster haberet obedientiam: uiuere ex his officiis possem, scribẽs tamen ab ortu ad solis occasum tanquã copiista. Incumbunt præterea multa onera, quæ non omnes norunt. Pater adhuc uiuit grãdæuus & pauper, qui à me nullo pacto est deserendus. Est & filia quæ mihi Florentiæ nata est ex puella, quam nunquam cognoscere potui cum esset uirgo, & optimorum morum nisi promissione data matrimonii: Et licet nec testis adesset nec animus occurreret, urget me tamen conscientia, & præsertim cũ iterum grauida sit, et prope partum inhumanũ puto eam deserere. Est enim bene nata, honeste nutrita, & omnes bonas partes haberet si adessent opes, sed pauper est. Existima

A ma nunc, humanissime frater, quibus implicer curis. Equidem ualeo respirare. Quæ omnia ad te scribere dimiseram, ne te dolore afficerem. Vtcunque est, non despero tamen, nec desperabo unquam, quia iuuat Deus in se confidentes. Ego te oro saltem mei causa, qui & animo & corpore sum tuus, & ero dum uiuam, parti ut nostræ faueas quantū potes. Poteris autem, si uoles plurimū, nec te pœnitebit in posterum. Quo animo erga te sum Campisius noster tibi scribit. Ego tui tunc obliuisci potero, dum moriar, si sensus cum morte pereunt. Senis uidi nobilem & clarissimum patrem tuum, optimum & tibi humanitate & cæteris naturæ atq; animi dotibus similem, multaq; tū ipse, tū cæteri necessarij, quibus abundans obtulerūt, quia me tibi amicū sciebant, fuissemq; his usus si necessitas incumbuisset. Tu si unquam has partes repetas, quod dij faciant, etiam si uir maximus sis, casulam meam intrare dignaberis, & quod fuerit appositum comedes, siue uxorem ducam, siue ipsa caream. Interea si quid ad me scribis, in mensa medicorum exponi literas iube, & uale optime ex Roma, die *XVIII.* Nouemb. An. *M. CCCCXLIII.*

Pollicetur suam diligentiam in rebus apud senatum Venetum. Epist. CLXXI.

Andreas Donatus eques Venetus Aeneæ Syluio Poetæ doctissimo, S. P. D.

NVperrime literæ tuæ mihi obsignatæ fuere, quas libenter perlegi, & eo libentius quo clarius salutem magnifici Casparis concepi, quæ mihi prope domum clarissima est: uidi præterea ex ipsis literis quid de re pecuniaria, quam cum hoc senatu agere habet, ad me scribis, quid'ue nuntij uestri huc profecti sapienter attulerint luculentius percepi: Deus quidem mihi testis est, quem animum, quàm diligentiam in omnibus commodis eius semper habuerim, habeam, & habiturus sim, cætera prætermittens, modo satisfacere & inseruire possem suæ magnificentiæ, cui pro eius summa in me beneuolentia, quam magnifacio, obnoxius sum, nec me ullus labor grauaret, aut ponderis quantitas, aut uerborū prolatio, quæ passim maxima est in repub. ex quibus quandoq; aures alienæ obtunduntur. Omnia nam in me concurrunt, ad rem ipsam bene & optime conficiendam, quia nisi à me ita magnum fieri possit quo beneuolentiæ & dignitati suæ gerere morem mihi satis esset. Sed sicut scit eius magnificentia, quæ nouit mores huius reipub. cuius uoluntati maiores et minores succumbunt, sum ciuis huius ciuitatis, & quanquam & autoritatis & dignitatis locum aliquem teneam, tamen deest mihi potestas aliquid faciendi sine autoritate & mandato huius senatus, qui regimini omnium præsidet, indulgeat ergo magnificentia sua, si ita sufficienter uotis eius non satisfit, cognoscit enim rerum causas quibus res ipsa differtur: quod tamen differtur nō aufertur, semper autem in ea re & cæteris me promptissimum habebit, qui omnem operam, curam, & studium adhibere nunquam desistam: quod reliquum quidem est à nuntiis uestris sententiam, & opinionem meam clarius uiuæ uocis oraculo senties, quam eius magnificentiæ referre poteris, cui me obnoxium commendatum facies. Vale felix ex Venetijs, die *XII.* Ianuarij, Anno *M. CCCCXLIIII.*

De Politicis Aristotelis & de Vegio Poëta & Leonardi Aretini morte. Epist. CLXXII.

Ioannes Campisius Aeneæ Syluio poetæ doctissimo ac serenissimi domini Regis Secretario, S. P. D.

ERam animo nimis perturbato cum mihi hodie mane ad scholas Basilicæ principis apostolorum Noxetanus noster literas tuas restituerit, præsente Conte nostro Senensis, unico uitæ meæ & angustiarum mearum solatio atq; refugio. Illis lectis nō potui hilaris per id temporis non fieri, tum quod ex alijs tuis ex sancto Vito ad uicesimumsextum Decembris ad me literis dubius factus extiteram, ne meæ et Noxetani ad te literæ minime peruenissent, tum quod propter scripta tua, eum te mihi attulerunt quē semper optimè noui, nam & amicitiā tuā solidam esse ostendisti, & libertatem loquendi inter nos, ut liber, constitutam esse probe atque egregie declarasti. Ex ipsa quoq; uerborum tuorum copia & facilitate, & rerum pondere, quas nescio an dicam grauius, an ornatius, an potius modo utroque attigisti, exhibitus es mihi rhetor & poëta nobilissimus: dehinc quidem grauis doctissimusq; Philosophus, cum iterum atq; iterum episto-

Iam tuā relegiſſem quinimò: & unum dico quod forte ridebis, prophetam te certis in locis epiſtolæ tuæ de meipſo affirmare poſſem, quorum locorum prophetiam libenter aperirem, ſed omnia tam literis mandare quàm coram explicare licebit. Habeo enim, quæ,ut uerbo tuo utar,mihi expuenda eſſent,quæ tamen apud Noxetanum non expuere non potero, quo cum officium & omnes horas dicere & licet & iuuat. Noſti enim quàm ſit in celebrando officio & libens & religioſus. Librum Politicorum,ut aliàs ad te ſcripſi Senis inueneram, ſed Romæ nondum inuenire uenalem potui,et ſic non illi inueniendo exactiſsima diligentia intendere, quod mihi credas uelim.Non eſt certè Romæ illa librorum uenalium copia, quæ Florentiæ,gentilium præſertim, & horum maxime quorū eſt noua Aretini traductio. Tu tamen certe habe me uoti implendi gratia nō quieturum, niſi faxim ut librum hunc quàm primum licuerit habeas. Et quia difficilimum experior inuenire uēditorem,nec etiam facile eſt habere, qui illum mihi niſi ad breue commodet,ſtatui ſcriptorem inuenire qui librum ipſum ueloci manu bona tamen litera tranſcriptum, Mediolanum mittam ad Sigherium uel Anthonium ut iubes,aut per aliam uiam illum ad te deferri curabo, quemadmodum Ioanni Tolner melius uidebitur.Habeo gratias humanitati tuæ qui magna lætitia intellexiſti,ut ſcribis,cōcepiſſe me ſpem fortunæ melioris. Verum nimis Poëta in poſtremo ſermone fuiſti, præſertim cum dixiſti te mihi minus ſperare. De Noxetano noſtro ſic eſt ut ſcripſi,non muto ſententiam:quanquam non illis eſt fortunis aut honoribus, quibus eum dignum cenſeo. Tu rectè,potiſsime locum illum de ipſo, faceſsimeq; attigiſti. Verum ut uerius de homine amiciſsimo noſtro accipias,ego etſi dixerim me non mutare, uolo tamen moderari ſententiam,nam non eſt res ſua tam ampla quantum forte ipſe ſuperioribus ad te literis ſcripſi,uel tu ex eiſdē accepiſti:etſi,ut affirmaui, pueros & equos paſcit, nam neq; ſunt hoc tempore in curia huiuſmodi lucra,ſed abundantia, ut aiunt,cordis locutus ſum. Caluū noſtrum tui nomine reſalutaui,ut iuſsiſti. Fuit illi reſalutatio iocundiſsima,& gratias habet ingentes,& tuum ſe eſſe profeſſus eſt. Contes noſter quàm iocundè literas tuas totas legerit,& de te quam auidè audiuerit, quantoq; in ſermone de te fuerimus, non eſt ut ultra tibi aperiam quandoquidem iam tibi per me cognitum extat,unam eſſe illius & meam,more Ariſtophanis animam. Vegij noſtri fortuna ſi ad eum ſpectes,aut admodum tenuis eſt,aut nulla: ſi ad tempora noſtra quibus uere ut ſcribis, dicere poſſumus, exuris intactam Paridi nī ſuccedat Agamenem, eam uel magnam dices uel minimam.Nā præter id quod ſacras ſummi Pōtificis ædes et quadram colit, Datarius eſt:quod minus tamen haud eſt illi lucroſum uolenti ſe,quod conſtanter facit, bonum uirum conſeruare.Quæ res facit,ut ex eo officio neq; ditior,neq; diues fiat,emolumēti tamen aliquid habet qđ abbreuiator eſt,& nouiſsime ſancti Petri in urbe canonicus factus extitit. Hæc, ut dixi,ad hominem parua ſunt,uerum tamen ut maiora ſint quàm quæ ipſe poſt tot & tantos,tamq; uarios tot annorum labores,mereri potuerim, qui nihil certe præter dedecus & rerum omnium,quibus reliquam uitam tueri poſsim, tenuitatem ne dicam indigentiam,poſsideo:Quo nemo certe eſt Philoſophior,ſi modo Philoſophi eſt bonorum externorum omnino nihil habere. Ex his et ex principio epiſtolæ ubi me fuiſſe animo nimis perturbato affirmaui,ſcio negaueris me Philoſophum & rectè.Nam etſi ſapientum amator ſim,& mihi placeat ipſa ſapientia,& Philoſophorum ſtudia me aliquando delectarint,ac delectarent ſi mihi adeſſent facultates, tātum tamen abeſt ut me Philoſophū cenſeri ab ullo,abs te etiam,uelim ut nihil à me magis ſit alienum. Neq; illam Stoicorū aut Peripateticorum ſapientiam attigiſſe me ulla ex parte experior, ut uel nulla, quod Stoicorum eſt,uel moderata, quod Peripateticorum, animi perturbatio mentem attingat.Sum enim de numero mortalium,quorum, ut quidam Poëta apud Ciceronem inquit,Nemo eſt quē non attingat egeſtas,morbuſq;.De rebus Legati & exercitus Pannonum in Turcos iocundiſsime legi. Tametſi illa uobis iamdiu uetera ſunt, quæ de euerſione Sophiæ ciuitatis in cineres,noua certa accepimus,apud quos & fama eſt.ſed nondum certa:captam eſſe Andrinopolim primam citra mare magni Turci ſedem:captum quoq; & eius filium,ac ipſos Turcos adeo in fugam eſſe conuerſos, ut finem nondum

faciant

A faciant fugiendi. De quibus rebus iam apud uos nunc fortassis idem rumor, ut ita dicã, uolitat, Noxetanus ad te scribit. Vale Romæ die septima Februarij, Anno M. CCCC XLIIII. Hæc iam diu scripta & ad te ferenda fuerunt. Verum comperi ex Ioanne Tolner nuntium iam reuertisse. Vnde effectum est ut postea usq; in hanc diem tabellarium non habuerim cui has committere potuerim. Interea uero temporis cum librum Politicorum uenalem nullo modo reperirem, tametsi multorum & maxime librariorum aures obtuderim, uix inuenire licuit qui librum mihi commodatum faceret nisi ad ualde paucos dies: decreui ut librum ipsum Politicorũ potius habeas, qualemcunq; ipsum habere possum et id quàm cito, quàm nimium differendo expectationem tuam uehementem & honestisimam offendere. Itaq; à Cardinali de Columna exemplar habui & scriptorem satis eruditum inueni qui celeriter, ut fidem dedit, hoc opus absoluet, absolutum curabo adiutore Tolner, qui nuntios patriæ nouit, & mores, ut quàm primum illud habeas. Erit autem liber hic in papyro propterea quod scriptorem nondum habere potui, qui in pergameno ipsum scriberet ea litera & eo tempore quo conueniret & oporteret. Nam ut dixi, non possum diu exemplar tenere. Scriptum ergo mittam, & deinde si malueris alium pulchriorem habere quàm munus meum exiguum tenet, faciam ut iusseris. Sed reuera nihil mentior, dum tibi, quas dixi in hac re difficultates, prædico. Vt autem B non ignores quibus in finibus me mea teneant facta, fui hactenus nauigans inter spem & metum fortunæ melioris. Verum nunc quadriduo spes redire cepit, et quidem paulo maior quàm adhuc apud me fuerit. Nam cum pro me fortuna rogaretur, audiui ammotas esse feras, & talia sunt responsa ut credi posit, me posse certius quàm antea sperare. Sed uale. Nam dum tecum libenter loquor, inepte, ineptius, ineptisime, tibi homini aptisimo scribo. Verum dabis familiaritati nostræ & meæ de te fidentiæ ueniam. Romæ secundo Martij. Scriptor iam dimidiũ librum Politicorũ scripsit, cũ absolutus fuerit, Tolner noster uir certe bonus curam habebit illum ad te per nuntium fidum transmittendi. Vale. Datũ ut supra. Clausis iam literis meis & illis iã nostro Tolnero destinatis, qui illas ad te deferri curaret, redditæ fuerũt mihi literæ tuæ datæ in Labaco Vindelico, ut scribis, oppido XVIII. Februarij. Quod de libris Politicorum Aristotelis scire optas, ex literis meis præsentibus intelliges. Ex hac schedula mortem Leonardi accipies Aretini, & in eius officij locum suffectum esse Pogium apud illam Florẽtinorum Democratiã. Placuit mihi & bene à te factum est, quod de receptis bullis ecclesiæ Frisingensis, & de futuro optimo imperialis Cancellarij animo, cũ id rediens rescierit, aliquod grauiter certe scripsisti, laudata etiam summi Pontificis & sacri senatus liberalitate. Fui itaq; in ea apud dominũ meum. Is te uehementer de multis laudauit, & cupere se dixit re ipsa ostendere quàm sit plurimum uirtuti tuæ affectus, & quàm grato erat animo quod illũ con-C stanter amas. Quare si quicquid ex eo cupis, fac ut sciat, inuenies te apud eum non paruum neq; postremum locum tenere. Et, quoniam iubes, cauebo summopere pro uirib. ne legem nostræ taciturnitatis obseruẽ, præsertim cum sciam te multum hanc abiecisse, cur à me seruari non debeat. Vale. Datum Romæ feria tertia post diem Palmarum, qua die literas tuas accepi. Ex Conte nostro infinitas & gratias & salutes habe. Apud Vegium nondum fui. Ad Noxetanum nostrum nunc pergo, ut ab eo literas ad te capiam, si paratas habuerit, quas cũ his meis ad te mittam. Vale iterum. Non potest nõ prodesse mihi cum ad me scripseris, ut in literis tuis aliquid adijcias uerborum, quibus ueluti calcaribus quibusdam herus meus ad mihi benefaciendum urgeri à te uelle uideatur, etsi optime sit erga me animo. Vale ut supra.

Fœdus inter Venetos & ducem Mediolani factum esse. *Epist.* CLXXIII.

Iacobus de Arzimboldus doctor, Aeneæ Syluio Poetæ singularíq; amico, S. P. D.

GRatissimum fuit nuper ex tuis intellexisse literis, te esse sospitem, & eo dignitatis gradu prouectum esse, quo serenissimus dominus noster Romanorum Rex dignum te officio Secretarij iudicauit. Et recte quidem, ut cætera omnia pro summa sua prudentia, siue fidem, siue doctrinam, siue multarum & maximarum rerum experi-

entiam fuerit contemplatus. Ego certe ita hoc augmento tuæ dignitatis gaudeo, ac si eodem mecum parente genitus esses, quandoquidem ex ipso præsertim tempore unà uiuentes familiaritatem & beneuolentiã diutina consuetudine & honestis autoribus hausimus. Te semper Germani fratris loco dilexi: Potes igitur summa confidentia omni opera mea, ubicunq; sensuram illam cognoueris ad augmentum aut cõseruationem rei uel honoris tui, non minus uti, quàm fratre & optimo amico faceres. Ego quod de præpositura mihi addidisti onus, libens et amplector, et ad exitum usq; perducam, uires aut ingenium modo non defuerint. Interim curabo ea sarcina quæ reliquias quasdam meæ legationis habet, me explicare. Dehinc quicquid fieri poterit, quid'ue facto fuerit opus, te meis reddam certiorem literis. Vale & ubi aliquid otij fuerit, si res dignæ occurrerint, quas dietim cumulatiores euenturas confido, fac me participem. Ego quid scribam nũc nihil aliud dignum habeo, quàm esse Deo iuuante inter illustrissimum dominum meũ et ducem illustrem ligam factam, non reconciliationis modo, omnium præteritarum iniuriarum rubiginem extergentem, sed societatem, amicitiam, & quod ipse ego desperabam, talem animorum unitatem, ut unius incommmoda ab alterius damnis secerni non possint, Vale ex Mediolano, die XIII. Octobris, Anno M. CCCCXLIIII. D

Dolet de amici absentia, Epist. CLXXIIII.

Caspar Nouariensis, S. P. D. Aeneæ Syluio præceptori suo. B

NIhil literis meis præter quàm singularem quandam dilectionem, quã in te habeo significare studeo. Intellexi tamen profecto, ut opinor, iam dudum me tibi illam habere tametsi nullo effectu indicauerim. Sed quid res mea atq; conditio usq; in hanc diem effici passa fuit, ut effectu ipso uoluntatẽ meam patefacerem, solum hoc mihi de te permissum fuit, ut ad te nunquã uenirem quin doctior abirem. Idcirco te summopere accedere sæpius conabar, & id mihi operepretium fuit, tuo quoq; frui consilio usq; oblectatus sum, & me, ut ita dixerim, te magistro uersificatorem puto. Nec quidẽ recessum tuũ uidere mihi facile fuit, qui & consilio & re ipsa proderas. Nẽpe ut præsens mentis meæ suauiũ eras, ita absens tristitia fact9 es. Atq; ut Comici nostri uerbis utar, Haud uerum est quod uulgo dici solet, diem adimere ægritudinem homini. Nã mihi quotidie nõ de filio, ut ipse ait, sed de te magistro ac patre integrascit dolor. Vnũ tamen est quod mentem meã lætatur, tui uidelicet status augmentũ, quod incõmodo meo interdũ æquiparo, et in ipso meæ mentis arcano tibi stationẽ facio: Mecũ taliter manducas et bibis. Et quoniã de tuis uersib. quos indies suauiores facis, nullus ad me uenit, expedit me quãdoque, q̃s feceris, fingere, & inde tanquã tuipse eos feceris, gaudere. Nouissime aũt unã illam eglogam feci, in qua Martinũ Gallum Felicianũ consecretariũ tuum tecũ altercantem merito quidẽ introduxi. Illũ quidem post te in magistrũ meũ assumpserã, illoq; paucu los dies potitus sum, qui cõfestim cũ Felice nostro ab hac urbe decessit. Stephan. deinde auunculũ meum altercationis nostræ iudicẽ statui. Et id duas ob causas factũ est: Prima equidem ut nec ipse arbitraret̃ memoriã eius apud me prorsus perisse, siue uilẽ effectam esse. Alter uero ut illos uersiculos non tanquã à me, sed à discipulo tuo editos, corrigeret, priusquã in alienas partes diuulgarentur. Habes nũc omnem usque à principio causam, quare hæc condita sit in hunc modũ. Vale ut opto, et me ama, ut soles, atque age ut non diu responsum expectem. Si quid tibi quod rei meæ euenire iudices, euenerit, mei memineris quæso. Cupio quidem tecum esse. Iterum uale ex Basilea. F

Grates refert de promotione, & reddit certiorem de munere & literis non præsentatis, Epist. CLXXV.

Bartholomæus episcopus Cornetanus, S. P. D. Aeneæ Syluio Prothonotario.

IOcundissimis literis tuis, uir clarissime, quib. generosi militis ac tua opera me assumptum esse ad consiliariatum Cæsaris nuntiabas, à duobus mensibus responderam per alias superiores meas literas, quas si habueris lætor. Cognosces enim quantam ex eo mihi iocunditatẽ attuleris: uidebis & gratias quas huiusce rei nobis cooperatoribus offerebam, ob hoc insigne munus quod nostri, quanto ego cum studio flagitarim, dũ unà essemus in Germania apud Regẽ. Post hoc nullis alteris tuis literis quicquã de te con-

cep-

A cepi,nisi quemadmodũ enunciat Peregallus noster te ualere,& apud eum Cæsarem indies pluris existimari, et ad utrãq; Cancellariam in protonotariũ iussu regio assumptũ. Quo de gratulor tibi cupioq; ut indies feliciores successus de te sentiam. Vnde nec hoc meum desideriũ frustra sit, stude precor semper ut Cæsareis rebus intentus sis,ac illi cõtinuo morem geras.Quod si effeceris,crede mihi melius secundaberis,& eos omnes q̃s tibi amicos habes lætos & periocundos efficies.Verum ut ad rem meã regrediar,uereor ne literas super cõsiliariatu, quas ex literis Iacobi ad me nuperrime obsignatis intelligo, fuisse traditas Vuilhelmo de Cõstãtia,ut illas aut ad me mitteret,aut daret, ob ipsius amiserim fortasse portitoris inuidiam,cum nunquã eas ad me miserit,& quod me magis excruciat,nec mittet ex causis quas tu tecũ ipse coniectaberis.Nam ipse apud Constantiensem,episcopum & nos abnegauit.Intelligis iam quid in ea re actũ sit,& nisi tu iterũ iuueris priuabor munere hoc ingenti. Quare uelim,sicq; oro te,ut eas literas unà cũ Iacobo, cui scribo,renouari cures, quod facile impetrabis. Et cum domũ ad me mittes,secretiori modo ad manus hominis boni assignari mandabis,nec usquã hoc ingens obsequiũ obliterabũt tempora nec ætates.Nulla ex regionibus Italicis altera noua apud nos sunt,quæ ad te scribam, nisi Venetos & Florentinos parare maritimas & terrestres copias quàm ingentes.Rursus apud Pont.Max. duæ practicæ sunt Serenissimi Regis Aragonũ,pro quo ad mẽsem hic fuit Reuerendissimus Nicænus ac illustris comitis Francisci nuncius,
B à quo missus est Thomas Reatinus,quẽ noscis,& eum uidisti apud Cæsarẽ:quos tractatus & practicas Põtifex noster ex animo et corde cõplectitur, ut ex utrauis harum quã bene sperem,& quemadmodũ res ipsa succedet,etiã post intelliges.Rei Iacobi nõ secus quã meæ intentus sum,& ei scribo ubere.A quo scire ualebis omnia,aspiciesq; ex bullis desuper cõfectis.Scito tamen Peregallũ nostrum pro minuta & grossa primæ literæ dedisse pecunias. Sæpius ac sæpius me cõmendatũ facias Cæsari, & iterato gratias pro consiliariatu suæ Maiestati reddes nomine meo,cui ero obseruãtissim9,& generosissimi nominis sui prædicator indefessus.Itidẽ & facies apud Reuerendũ patrem meum Chimensem.Et tu uale ac amorẽ nostrũ & amicitiam obserua corde. Vale iterum ex Clausano.

Gratulatur de scripto sermone hetrusco,& pollicetur promouere ipsum. *Epist.* CLXXVI.

Iulianus Cardinalis sancti Angeli Apostolicæ sedis legatus,doctissimo uiro domino Aeneæ Syluio de Senis amico charissimo, serenissimi domini Regis Romanorum Secretario, S. P. D.

OPtime Aenea,non minus iuuit me uidere epistolam tuam hetrusco sermone conscriptam,quã si Latina fuisset.Et cum rara sæpe delectent, quia diu huiusmodi literis non uidi,delectatus sum in eis non parum. Multumq; diligenter cõmissa mihi facis negotia magnifici Cãcellarij.Recte agis & debito tuo facis satis: Dignus enim est
C pro meritis suis ut & tu & omnes alij res eius cordi habeatis,& eas totis promoueatis uiribus. Quantum autem ad personam meam attinet, id minimè necesse erat.Cum enim eum ut fratrem diligam,negotia eius mea esse existimo,& mea sponte sine hortatu cuiuspiam illa curare merito debeo. Quod si huius regni negotia in meliori essent statu,& maior esset obedientia erga illos quibus seruitur,plus ipsi Cancellario facere possem.Et quia sibi super his plene scribo,& tibi innotescunt omnia,non opus est ea ut repetã.Certum enim facito, quod nihil est tam grande quod pro ipso & eius honore non facerem, non secus quàm si meus germanus esset.Vale fideliter.Datum Budæ.

Acceptat Anthonium Luscum dono mittendum, *Epist.* CLXXVII.

Aeneas Syluius, S. P. D. Frãcisco de Fuste theologo & oratori optimo.

ANthonium Luscum super orationes Ciceronis quantum desiderauerim Basileæ dum essemus,intellexisti,quem etiã manu mea transcribere statuerã,si otium fuisset.Sed obstitit repẽtinus meus recessus.Postea curaui ut per alium mihi rescriberetur.Id quoq; negatum est,quia librarius nusquã apud nos peritus inuẽtus est,qui hoc opus recte absoluere posset.Nuper uero scripsit ad me Peregallus,uelle te meæ auiditati satisfacere,librumq; mihi dono mittere. Quã oblationem si corã te essem,non auderẽ suscipere: graue est enim homini prudẽti ab his donari,de quibus nihil se meritum putet.

tet. Verũ quia epiſtola, ut Cicero dicit, nõ erubeſcit, abſens acceptabo qđ renuiſſem præſens: Nec uerebor à te per literas recipere, ꝙ maxime cupio, & aliter habere nõ poſſum: Nec timebo ne ſuſtinere tua uel innumerabilia in me beneficia poſsim. Et quia animi eſt ingenui cui multũ debeas eidẽ plurimũ uelle debere, amplector libẽs tuũ munus ꝙ apud me pignus erit ꝑpetuũ amicitiæ charitatisq; noſtræ. Tu ſi ex me aliq̃d uolueris quod poſſim p̃ſtare, nunq̃ fruſtra poſtulabis. Noua q̃ apud nos ſunt ex Peregallo cognoſces, quẽ uolo tibi omnia cõmunicare. Vale optime, & Reuerẽdiſsimo dño noſtro cõmuni, ac magiſtro Andreæ ſi quãdo mei memor eſt me totũ dede. Ex Viẽna Kal. Iul. M. CCCCXLIII.

Hortatur ad reſcribendum. Epiſt. CLXXVIII.

Richardus Valentinus ſcriptor Apoſtolicus Aeneæ Syluio amico optimo, S. P. D.

TAnta eſt uis amoris in te mei, ut iterũ ad te ſcribere cogar. Qđ tamẽ perlibenter facio, quanq̃ tu ad me nunq̃ ſcripſeris, uel meis literis ꝓpulſatus, uel tuo nutu motus, poſtq̃ & honore & dignitate & emolumentis amplius es decoratus. Cui nõ equidem inuideo, ſed cõgratulor potius felicitati tuæ. Precor aũt ſi aliquãdo per otiũ licet ſaltem tua manu ad me ſcribas, ne inter nos ꝓbari uideatur, ꝙ noſtra in patria uulgatũ eſt. Remotus ab oculis, remotus à corde. Reuerendiſsimus Patriarcha Aquilegien. qui me ſuũ cõmenſalẽ & Secretariũ fecit, hinc breui eſt receſſurus ad Serenitatẽ Roman. Regis recta uia primo, ac deinde in regnum Poloniæ ac Vngariæ profecturus, functurusq; ibidem legatione ſua. Requiritq; me aut unà ſecum abeam, aut pro quibuſdam eius negotijs Mediolanum accedam. Quam profectionem arripiam, nondum decretum eſt. Cum dominatione eius libentius irem ut in tuum complexum ueniã. Attamẽ ubiuis gentium fuero, tibi penitus deditus ſum. Ex Baſilea XXI. Aprilis, Anno M. CCCCXLIII.

De utilitate litterarum, Epiſt. CLXXIX.

Gregorius Lollius Senenſis, S. P. D. Aeneæ Syluio patrueli ſuo.

HIeronymi uetus admodũ ſentẽtia eſt probatiſsima, literarũ inter cæteras hãc eſſe utilitatẽ, ut abſentes p̃ſentes faciãt. Preclare quidẽ: Nã ad abſentes his loquimur, uidemus trãſmarinos, animiq; noſtri cogitatio ſine uoce, notarũ picturis atq; lineamentis denuntiatur, quo certe utilius quicq̃ aut humano generi antiquius non facile inueſtigari poſſet. Verum cũ huiuſmodi uiciſſim perfrui poſſumus utilitate, ut alterius fortunæ cõſcij letaremur, altero tãtũ ſatis habes, te ſcilicet uirũ huius prærogatiuæ participẽ. Eſt id quidẽ mihi charũ, ſed multo charius ſi alternas mutuasq; exarau eris, ut & tuas dũ legerem, te alloquerer, tuisq; pictas notulas digitis parentum oculis offerrem, qui tantopere obſeruaui, ut filium, tum ut pium decet. De his hactenus. Vale ex Senis.

Laudat Fridericum Cæſarem, Epiſt. CLXXX.

Franciſcus de Picciopaſsis Dei gratia ſanctæ Mediolanen. eccleſiæ præſul, Ornatiſsimo uiro domino Aeneæ Syluio Poëtæ Laureato, S. P. D.

INgenti uoluptate & gaudio, eloquentiſsime Aenea mi, in Chriſti charitate dilectiſsime, afficit me epiſtola tua data in Felckirchen Nonis Decẽbris, mihi reddita Idibus eiuſdem, cum recenſione ueterum, tum pro more inter nos mutuarũ ſcriptionum, tũ ipſa ſerie contentorum. Cumq; pro lepore ſtili, ſerie, ac facultate dicendi, & extimatione quã de te facimus, proq; cordiali erga te amore noſtro tua ſcripta ſemper legerim, nõ minus auide quã libẽter, etiã ubi fortaſſe nõ quãdoq; reſponderim. hic maxime nũc quandoquidem intelligã, operãte diuina gratia, eo te loci euectũ, ubi ſicut uirtute cõſcendiſti, ita poteris ipſa uirtutis uia ꝓficere plurimũ ad reipublicæ Eccleſiæq; pacẽ, glorioſiſsimoque principi, nõ modo tuo, uerũ & uniuerſorũ, ac plurimis, tibiq; ipſi & honori tuo conferre nõ modicũ. Atq; quoniã te nouimus, tuũq; ingeniũ, deſideriũq;, nõ te ſuperuacuo exhortamur, ac pro iſta translatione tua & animi diſpoſitione cõgratulamur. Iterũ atq; iterũ collætemur tibi, cui cõceſſum eſt ex loco & officij dignitate, ut te ualeas demõſtrare. ſi q̃ dabis operã fideliter et prudẽter, ſpero, expeto et expecto. Animo enim ratione diſpoſito & diligẽter ad bona uadenti omnia proſpere cedũt. Iuſta namq; deſideria diuina ſemper pietas comitatur. Age itaque & perſeuera feliciter, ut magno cepiſti principio.

Exerce

A Exerce pietatem, quæ secundum Apostolum ad omnia utilē promissionem habet uitæ quæ nunc est, & futuræ, ut assequaris laureā ueram, scilicet coronā iustitiæ & æternitatis. Dicas & cum Apostolo ad Festū. Non insanio optime Feste, sed ueritatis & sobrietatis uerba eloquor. Ad quæ maximū incitamentū tibi & homini Christiano & literato corona laurea quā assumpsisti uel accepisti. Ego uero deinceps crebriores expecto literas tuas, rerum indices, tuiq; successus, neq; tardus ero in reddēdo meas, dūmodo intelligam ad te posse deferri. Nunc enim ad fortunam scribo, ideoq; tardius quā debueram. Non facile enim producuntur incerta, & fortassis etiam multo serius ad te perueniūt, licet uarijs & multiplicatis literis enitamur, ut uel saltem huiusmodi rescriptionum nostrarum quicquā reddatur quandoq; tibi. Nam sicut ambiguitas frustrandi laboris reddit hominem pigriorem, ita per diligentiam superetur necesse sit. Et quidem libēter scribo, & scriptitabo intelligens & considerans, tum ex epistola tua, tum ex alijs conditionem dotis tam naturæ quā uirtutis, & sacratissimam augustissimamq; intentionem Cæsaris nostri p̄sentis, qui uelut nouū quoddā sydus emicuit, hac tempestate necessariū, ut speremus, uelut Augustus illi suo seculo pacem reddidit, & fundauit, sic istum suo. Ego quidē ita mihi suadeo non incerta spei ratione. Est enim, ut in primis audio, princeps iste Catholicus, & pius, ætate florida, quam sapientia, grauitas, & uitæ integritas comitantur. Cani sunt enim sensus hominis, & ætas senectutis, uita immaculata. Corpore strēnuus

B uegetusq; & robustus, aptus & patiens ad labores, fortis constansq; animi, sobrietatis cultor præcipuus. Cum enim ut scribit in Sapientia, sobrietas doceat prudentiam, & iustitiam, & uirtutē quib. utilius nihil est in uita hominib9, attēde q̄a premittit sobrietatē qui huic principi maxime insita est, cæteræ subnexæ sunt uirtutes. Et Cato ingebat, nō legisse se, neq; uidisse hominē sobriū inuadentē rempublicā præter Cæsarē. Audio & hūc nostrum principē obseruātissimū ac parcissimū ita esse temporis, & utilē locatorem, ut ne quidē punctū terat: q̄d potissime parat sobrietas. Estq; memor sapientis: Nihil enim preciosius tempore, quod nec auro, nec ulla potentia redimi potest elapsum: Solusq; sapiēs eo scit uti, & in suam redigere potestatem, & efficere quæcunq; magna etiā atq; etiam cum uulgo seu indoctis ociosus apparet. Est præterea liberalis iuxta exigentiam rerū & temporū, et cōsequēter promissorū suorū tamen in re dapsili, tū cæteris, & obseruantissimus, & utilis dispēsator, q̄d utrūq; reqritur p̄cipue in principe. Nā benefacta male locata, Cic. p̄bāte, malefacta arbitrat̄ Ennius. Quid est enim uiolare, prædari, oneribus intolerabilib. subditos torquere, quū effusione splēdeas, spargas, & dissipes, nisi glorieris in malis, & Roboā filij, & Regis successoris Salomonis more pares ipse tui ruinam. Mendax uero omnis cum improbetur, ut scribitur, execrabilior multo princeps: Iusti, & magnatum, & principis est uerbum tenere suum, ut scriptum est: Verbum Regis, uerbum

C ueritatis subditos regere, confouere, ac tueri, uelut bonus pater familias, uectigaliaque eo ordine dispensare, nec cogatur inijcere manus in aliena, quod semper euitauit Traianus Cæsar ille Augustissimus atq; pijssimus, gratisq; seruire in proprios, ut facile gloriosus apud alienos efficiatur in malis, seseq; simul condemnet Deo & mundo, magis ingloriis & impotens ad omnia factus. Imposibile namq; est, ut inquit Aristoteles in Ethicis, aut certe non facile, præclara ab eo agi, cui desunt facultates. Nec dubium quin magno sint adiumento diuitiæ, in gerendis grauib. ei qui liberaliter & probe sciuerit uti, suisq; locis & temporibus exinde dispensare. Quinimo secus ab omni conatu & gloria inchoatorum cogetur cum ignominia resilere. Quod quidem prudens & magnanimus noster Cæsar euitabit, ut pestem, tam proprio consilio quàm suorum, quibus, ut audio, cōmunitur, & ecclesiasticorū & seculariū excellentibus insignibus & literatis, quos ueneratur, & lateri cōgregat suo iuxta morē Cæsarum & priorū principū prædecessorū suorū, ne sibi obijciatur Euangelicū illud. Ecce homo q cœpit ædificare, & non potuit cōsummare, cū sit ipse p̄uidentissimus atq; ordinatissimus in uita & in omnibus gestis suis. Quæ cū ita sint, suauissime mi Aenea, Cæsarq; opibus abūdat, potentiaq; & numero hominū, & copia gentiū, ætasq;, prudentia & magnanimitas cōueniat, quæ præcipua sunt ad res arduas capescendas, conditioq; temporū & plurima se offerāt

quæ suffragentur, non dubito, si uoluerit, dummodo duret superstes iuxta dies naturæ, futurum in potestate sua, ut pacem det ecclesiæ, & componat non modo principatus, & omnem populum Christianum, sed & uniuersum orbem ad unicam ueram fidem Christianam, & sanctam deducat ecclesiam ad altissimi Dei gloriam & honorẽ sublimitationemq; troni sui cum laude perpetua et æterna salute. Quod ut diebus nostris conspicere ualeamus pietas diuina cõcedat. Sicq; culmẽ diuinæ maiestatis exhortare nomine meo, & me nimium cõmendatũ fac suæ clementiæ, deuotissimum quidem seruulũ uirtutum suarum, & effice tantæ tãq; sanctæ spei auidissimũ expectatorem. Præterea de re tua cum serenissimo ac doctissimo Gunforto nostro secretario ducali uerbum habuit Nicolaus tuus nosterq;. Cõueniens eum domi, qui subsequẽter nobiscum fuit, agitauimusq; qua esset incedendum uia, pro honesti tui desiderij cõplemento, qui ita se promptum, ut in re propria, offert. Deindeq; arbitramur simulq; arbitrati sum9 ut literas Cæsaris, quas ei proponis, impetres ad illustrissimum principem nostrum, nec tua confectas manu, nec scriptione nostrarũ, & mittere studeas ad manus ipsius Gunforti, qui cõmodius materiam ingrediatur: Meq; uel Nicolaum cõmonefacito cum literas ipsas dederis, quod solicitatione non desit, nec diligentia: ea enim est qua adempta, perrara impetrari queunt. Librum demum tuum dialogorum habuimus, & penes nos cõseruamus. De rebus Italiæ accipe, quæ ad præsens sic se habent: Romanus Pontifex non obstantibus publicis edictis seu enunciationibus cõscriptis de trãslatione ad urbẽ Romanã, quæ debuit esse septima Ianuarij proxime lapsi, etiam Florentiæ sedet, nec motui suo simile uidetur quicquã. Rex Arragonum uictor in regno Neapolitano copias cõgregat, tam equestres quã pedestres, longo ut dicitur numero uiginti milium equitum & peditum in copia. Idem & hic illustrissimus princeps noster etiam post uictoriam percusserant inuicem fœdus, seu potius renouarunt. Et manent Veneti iuxta consueta magistri militiæ, reliqui ut prius tam iuxta Insubriam, seu per Longobardiam, quã per Picenũ & Tusciam. Duo tamen militiæ principes absunt, iam diu ex patria ista, adinuicem cunctantes seu male cõcordes apud Picenum, & patriam Perusinam: proximo uere detegẽtur ea quæ producere consueuit. Dum apud nos interim bella cessant, & patria ista Italiæ flos, respirat, ciuitas tua quiescit. Reuerendissimus Cardinalis Placẽtinus, uel mortem obijt, uel prope febribus & ætate decrepita correptus apud Castellionem suum desideratum, imò heri, ut ordinatum Christianum decet, obdormiuit in Domino. Vale felix in Domino amantissime in Christo fili. Datum Mediolani, IIII. Februarij. Anno M. CCCCXLIII.

Petit rescribere literas, *Epist.* CLXXXI.

Ioannes de Bogonia Cardinalis sancti Calixti, S. P. D.

Aeneæ Syluio uiro clarissimo.

TRinas superioribus diebus tum ad nos, tum ad dilectum nostrum Ioannẽ Peregallum uidimus literas tuas, quæ nobis, prout semper consueuerunt scripta tua, gratissimæ fuerunt, & rei quã dirigi feliciter uterq; nostrum exoptat, non parum proficue. Quare propter diligentiam atq; uirtutẽ tuam summopere commendantes, præcordiales tibi agimus gratias, q semper ut cõsueuisti, memor es nostri. Nec distanti locorum aut ullis occupationib. seu laboribus ascribẽdo retrahere, sed assiduè intimare procuras quod ad rem cõducere possit, de qua nunc agitur. Vnde clarissimũ de illa quã in te esse nunquam dubitauimus fide capimus experimentum. Rogamusq; ut quemadmodum cepisti, ita in posterum agere pergas. Neque te retrahat ab assumpto opere multitudo immẽsa laborũ, quos subire indies & pati te oportet, quoniã ad hoc omnes nati sumus, & eorũ præcipuè uirtus extollitur, qui pectore firmo persistunt. Sed ne inter maximas occupationes tuas nos hic esse otiosos existimes, mittimus cũ p̃sentib9 glosam Aurelianẽsem, quæ cõmuni ꝓuerbio cõtradicit textui ad respõsionẽ Eugenij datã regijs Oratorib. atq; alijs. p nos editã, q iudicio nostro nõ modicũ ad rem facit, & per quã æmulis respõdere, partesq; nostras tueri ac alias ꝓut expediẽs fuerit, te iuuare poteris, publicando & cõmunicãdo eã sicut uidebitur. Alia hic incurrẽtia pro nũc reticenda censemus, cum nudiusquartus ex medijs, ut ita loquamur, rebus ad te accesserit Reuerẽdissimus

A Cardinalis Aquileiensis per illas partes legatus de latere, & cum eo plures de his omnibus informatissimi. Ex quibus intelligere poteris, quid apud nos agatur, quid'ue de rebus sperandum sit. Vale feliciter. Ex Basilea, Anno M. CCCCXLIII.

Excusatoria taciturnitatis. *Epist. CLXXXII.*

Nicolaus Amidanus, S. P. D. Aeneæ Syluio Poëta præstanti & amico singulari.

CRedo te uehementer admirari, Aenea dulcissime, quod postquam istinc abijsti literarum mearum nihil susceperis: præsertim cum & ego antea pollicitus sæpe fuerim, me crebro ad te scripturum de his quæ apud nos indies agerentur, & tu iã pridem unas ad me literas dederis. Ego, quoniam Reuerẽdissimus Cardinalis sancti Laurentij in Damasco ad serenissimos Romanorum & Poloniæ Reges legatus per hanc sacram synodum destinatus crastino mane à nobis est recessurus, & unà secum Laurentius noster, cui præsentes commisi, iamq; maximas pars noctis effluxit, non possum excusationes meas & silentij causas ad te scribere: præcipue cum multarum rerum plenus sum, quas per literas tecum communicare libenter uellem. Sed quia, prohibente angustia temporis, id efficere ullo modo non possum, malo hoc modicum temporis quod mihi superest in alijs scribendis quàm in excusatione mea consumere. Scio enim quod tu omnibus in rebus grauissimo semper iudicio usus, silentium meum in bonam partẽ
B accipias. Quod si forsitan & culpabilem, et punitione aliqua me dignum iudicaueris, Paratus iam & promptus sum correctionem tuam omnem subire. Quam etsi asperrimam animo tuo forsitan concepturus sis, eam unica Peregalli intercessione leniri posse confido. Quare non est quod Serenitatem tuam multum formidem, quando quidem certissimus sum arma mihi parata, quibus superare te facilime possim. Accipe igitur ex multis hæc pauca. Vale ex Basilea, Anno M. CCCCXLIII.

Commendat causam Frisingensis ecclesiæ. *Epist. CLXXXIII.*

Aeneas Syluius S. P. D. Reuerendissimo in Christo patri & Domino colendissimo Ludouico Cardinali Arelatensi.

REcepi nuper literas tuas admodũ longas, & cũ his fuerunt capitula pacis & ligæ inter Eugenium & Regẽ Arragonũ cõcordatæ. Post hæc significabas recessum illorum Cardinalium ex Basilea, quos abijsse inuitos asseruisti. Cupiebasq; ut omnia Maiestati Regiæ reserarẽ. Sed iam omnia ex Italia erant sibi nota, nec latet Regẽ nostrũ plerosq; principes esse, qui magis sua quærunt quã illa quæ sunt Iesu Christi, nonnulli tamen mirantur in quorum numero meipsum pono, quur Gallici, qui propter regimẽ Siciliæ partẽ alterã sequebantur, nũc illa perdita in pristina sententia perseuerant. Cum dici solet effectũ tolli cessante causa: sensissemus nos Gallicorũ mentẽ si Ioannes Offenbur-
C gensis literas in Franciã deferendas diligenter misisset. Sed timeo ne fuerit piger in republica, qui solet in priuata diligẽtissim9 esse. Scripsit nuper Serenitas Cæsarea sacro Cõcilio in fauorem Henrici uiri optimi & literati, ut eũ Frisingensi ecclesiæ præficeret episcopum. Existimaui tantum principem exauditum iri: præter spem accidit, ut preces eius reiecti fuerint. Interim electus est per capitulum siue iure, siue iniuria Cardinalis Sancti Martini. Is recursum ad uos habebit confirmationis causa: rursus scribit Cæsareum culmen, ut supersedere uelitis, confirmationemq; differatis. Ego itidem suadeo & precor itidem propter bonum sacri Concilij, ne spernatis hanc petitionem sicuti primam: debetis enim hunc tantum principem ad quem cæteri omnes oculos dirigunt, quique nec muneribus nec precibus ad aliquã iniustitiam mouetur, uobis & Concilio fauorabilem facere. Ne irritãtes suã Clementiã cogatis eum iter flectere. Scis præterea, quantum apud eum possit magnificus Caspar Cancellarius, qui si uobis fauerit, nihil est quod alios timere habeatis. Allicite igitur hunc uirum & beneficijs deuincite, maxime hoc tempore quãdo conuentus Nurenbergensis instat, qui per totã Christianitatẽ est uulgatus, quando & Carnaial & alij instant, ut Rex se pro altera parte declaret. Et Cardinalis sancti Angeli apud Vngariã pro uiribus dominũ suũ tuẽt, quãdo Eugenius nec cõgregari aliud Cõciliũ, nec fieri declarationẽ uult nisi pro se fiat: nec enim ambigo, qn Rex Arragonum

gonum aliter respondisset in factis Ecclesiæ nisi per ipsum fuisset perturbatus. Videbitur in breui conuentum fieri, ad quem si Rex non iuerit, prout timetur, saltem mittit plenum mandatum sicut eius literæ in orbem missæ decantāt. Etsi uota uenientiū consonauerint, ad congregationem indubitati Concilij procedetur. Id si nequeat obtineri, declaratio fiet quàm Deus bonam det. Sed ad hoc oportet nos principem hunc affectum habere, eius preces exaudire, & seruitores suos promouere. Maximeq; uobis est opus Cancellarij uotis annuere, ut eius frater obtineat ecclesiā Frisingensem, nam si cōfirmatio Cardinalis non maturetur, aderunt uiæ quæ uestram partem iuuabunt plurimæ: & uos postea in conuentu Nurenbergensi maiorem fauorem habebitis. Et præsertim si eo miseritis Oratores qui potestatem habeant Regiæ Maiestati complacere, non autē uerba dare, quæ uentrem nō implent. Quod autem suades ut facta Ecclesiæ Regi commendem, ego non sum tanti. In eo tamen gaudeo quod hunc principem religiosum uideo, & nullius mali auidum. Electores essent in hanc rem hortandi qui consultores sunt & membra imperij, non Aeneas qui uermiculus est, & cuius uerba in fumum transeant. Vale & me ut soles inter seruitores ama. Ex Gretz.

Offert operas suas in causa Frisingensis Ecclesiæ. *Epist.* CLXXXIIII.

Franciscus Quadratius aduocatus consistorialis Aeneæ Syluio, S. P. D.

RECEPI, mi Aenea, literas tuas longo tempore expectatas, quibus perlectis ex earū principio percepi nil aliud, nisi te credere me falsa persuasione usum, uersutijsq; uacare. Ha, mi Aenea, si cæteros uersutos appellas, qui cum ueritate nituntur, uersutus ero, & in hanc partem uersutias traxi. In præsentiarum autem cum & uatum numero aggregatus sis, nō uersutias sed Deliæ scientiā me captasse excogitare debes, quæsiui ego illa ipsa Poëmata quæ minime reperire quiui, credo Deliam omnia traxisse, quæ ut primum affuerit, lyram reassumam, tuamq; gloriam laureæ immortalem reddam. Cæterum mi Aenea, licet tua Epistola in causa quàm nosti, nihil lucri afferret, ego tamen quàmprimum uidi literas regis serenissimi, à nemine promotas, expeditioneq; rei pro Cardinali futuram, ac tres sacras disputationes pro eo in unum concurrisse, pro serenissimo rege memet licet irrequisitus opposui, causamq; sic peroraui ut ibi effectum sit, ut expeditio, quæ celeris credebatur, retardationem sortiretur indies, & post factum totaliter hic impedimentum est, usq; ad aduentum literarum confirmationis factæ per Metropoliticum. Si rationes assignatæ in literis Regis ueræ sunt, electio & confirmatio nihil opitulātur, omnia ruunt. Quā rem copiosius & seriosius scribo Caspari, cuius negotium agitur. Idcirco mi Aenea, etsi indicta causa nullum lucrum est, tamen restiti sine lucro, quia non omnia lucrum petunt. Sed illud uetus prouerbium te mihi excusatum reddit, Neptunum Naiades petunt. In futurum, sis memor tui Francisci, qui te ad animam diligit. Deum testor quàmprimum ingenium reassumam, tibi insultum dabo. Recommissum me uelim Regiæ Maiestati serenissimæ, cui me ut Romanum indies offer, & strennuo militi Caspari cui ad plenum scripsi, necnon eximio artium & medicinæ Doctori Iacobo Cæsareo medico, Vale & me ama ut soles. Ex Basilea, Anno M. CCCCXLIII.

Commemorat operas suas & Italas nouitates. *Epist.* CLXXXV.

Marianus Sozimus Aeneæ Syluio, S.P.D.

OLIM nullas ad te dedi literas, quia nec intellexi aliquem de te recta uia uenientem. Tuas tamen ex Gregorio frequentes salutationes accepi, à quo etiam intellexi felices successus tuos, qui mihi gratissimi & iocundissimi extitere, feliciores q; milies expecto. Cæterum hic Ludouicus qui Serenissimum Imperatorem accedit, tui cognitionem asseruit habere, quare quædam tibi exponenda cum eo contuli. Tu igitur fidem adhibebis, meiq; amore & contemplatione, si illi officiosus esse potes, id agas exoro. Ego isto anno lecturæ renunciaui, quoniam aliquando uiuere non semper legere institui: tu uero cogitabis & operam dabis his quæ ab isto Ludouico mei ex parte erunt exposita. Post tui ultimum discessum tres filij masculi mihi nati sunt, ex quibus, duos habeo, & indies alium expecto. Super Decretalibus commen-

A commentarios edidi, & XXIIII tractatus composui: & nouissime opusculum de fortibus ad Reuerēdissimum Cardinalem Nicenum transmisi, quæ omnia, si tempus concessum fuisset, ad te dedissem, sed dabo quàmprimum potero. Postremo nil aliud superest, nisi ut ualeas, & nostri memor existas. Noueris clarissimum Regem Arragonum, & uictoriosissimum ducem Nicolaū Picininum pro sacratissimo domino nostro Eugenio totam Marchiam & patrimonium recuperasse, Firmo atq; Esculo duntaxat exceptis, partemq; Romandiolæ, plures enim ab eo conductores defecerunt, ex his quos fidelissimos arbitrabatur: sanctissimus dominus noster XVI Calend. Octobris hinc iocundissimus & lætissimus abijt, eritq; Romæ infra paucos dies. Vale ex Senis.

Exhortatur ad responsum rescribendum, *Epist.* CLXXXVI.

Adam de Mulin Anglicus Apostolicæ sedis Prothonotarius *Aeneæ Syluio Poëtæ, S. P. D.*

AMantissime socie, modico iam superiori tempore delatus ad me præsentium perlatorem dulcissimas epistolas tuas libentissime recepi, earumq; extingētiam pro uirili mea sum secutus, ita quod Regia Celsitudo impræsentiarum bene inclinata est, habitoq; auisamēto sui magni Cōcilij, id plene spero fiet, de quo animus tuus cōtentus erit. Aperui mentem meam latori huius, cuius grauitas & industria plenam uendi-
B cāt adhiberi sibi fidem, quàm mei ex parte sibi quæso dare uelis, & nomine meo ab eo dignāter recipere Bursulam paruulam, quam tibi mittit de manu sua laboratam, uirgo nobilis neptis mea. Optime mi Aenea, significare quæso digneris mihi Adæ tuo, si quid in Anglia tibi gratum fiendum erit, & ante omnia accommoda mihi sæpe epistolas tuas quas potero ad tui memoriam in conspectu principis ostēdere, quoniam tali adiutorio dignæ sunt. Rogo & iterum rogo mihi sæpe scribe & uale fœlix, optime & antique sotie. Ex Londonijs, Anno domini, M. CCCCXLII.

Agit gratias pro consiliariatu, *Epist.* CLXXXVII.

Bartholomeus episcopus Conetanus, S. P. D. Aeneæ Syluio Senensi, *Poëtæ clarissimo & amico præstanti.*

DVlce mihi admodum et suaue est, uir clarissime, quod ualeas, dum modo recte ualeas, quando te apud tuum Cæsarem honore primum & commodis non carere existimem, sed apud eum indies te ob ingētes uirtutes tuas & doctrinam magnipendi sciam & intelligam. Scripsissem ad te crebrius nisi prouolutus uisitationi episcopatus Gebennensis, quam ob grauem meam penuriam, ut uiuerem, sumpsi inuitus. Cū enim, ut solent uisitatores, ipso in exercitio per eam diocœsim currerem discolus, nō potui nec crebrius, nec plus scribere ad te, cui in scribendo ac omnibus ferme more ferreo
C stringor. Scias itaque me ualere, cum omni familia quanquam misere, suscepisseq; consiliariatus regij, ad quas tu tantopere laborasti, mihi quidem charas & gratas, & inter res alteras chariores. Et ea propter Cæsari tuo primum qui tanta in me humanitate usus est, tibiq; ac Iacobo, qui & initium, & inceptæ rei finem præbuisti, ago gratias indefessas, non recusans si modo possim, uestris honori & commodo prebere uices. Restat aliud, ut communi rei nostræ tractandæ nunc admotis calcaribus, totis uiribus te exhibeas in medium pro ueritate neminem extimescens. Potes enim nunc, quo gratulor rei nostræ apprime fauere, & uales ad Cæsarē & omnes suos. Idcirco tanquam fortis athleta ac certatori medium campum occurras, & ut res successerit, ne certum reddas. Etsi, ut gliscimus, successerit apud Regem & suos, rem meam quæ tua est singulari affectu commendatam suscipies, ut sic uideam te alterum esse in re mea, quemadmodum & in tuis agerem indefessus. Vale & me ama ut ceperas licet absentem & insudes gratificari tuo humanissimo Cæsari. Ex Gebennis tertia die Octobris, Anno M. CCCCXLIII.

Refert quomodo ab imis ad altiora conscendit. *Epist.* CLXXXVIII.

Aeneas Dei gratia episcopus Senensis, domino Petro Noxetano equiti *& comiti Palatino amico singulari, S. P. D.*

PVpugerunt cor meum literæ tuæ quas nudiusquartus ex oratore Florentino accepi, lachrymasq; meis ex oculis non paucas excusserunt. Nam & tristes uidebantur, miseriā quandā præseferētes, & manu tua scriptæ, nescio quid latētis energiæ ad cōmiserationem prouocandā amplius attulerunt. Videbar cum illas legerē teipsum uidere & alloqui, cui præfero neminē, & quē ante sex annos nō uidissem: Legi ergo scripta tua nō sine lachrymis, quas partim iocunda recordatio mutui amoris, partim cōmiseratio tuarū aduersitatū prouocauit. Lachrymas nobis aliquādo insperatū gaudiū, aliquando inopinatus mœror extorquet: utrunq; in causa fuit. Nam suauis epistola tua nō speranti mihi reddita est, quæ absentē charissimum amicū præsentē reddidit: sed te præter opinionem mœstū atq; afflictum ostēdit. Itaq; cum primū tuæ manus caracteres inspexi, obortæ larc hymæ testimoniū lætitiæ præbuerūt. Cū tuā cognoui calamitatē mœrori meo astipulatæ sunt, neq; enim cum flente amico nō flere, & cum dolente nō dolere fas fuit. At postquā melius ad me redij, cū animaduerterē te respōsum exigere, statui satisfacere desiderio tuo, imo uerius meo. Nam quomodo fieri potest ut ego scribenti amico nō rescribam, qui neq; his responsionem soleo negare, qui me oderunt. Multa sunt Petre amantissime, in tuis literis responsione egentia, quibus capitulatim annotatis, & tibi & mihi quā breuius potero morem geram. Ais ergo in primis permolestū tibi fuisse, quod me alloqui Florētiæ nequiueris. Credo equidē, & eo mihi acerbius fuit, quo magis præter spē tuo colloquio sum priuatus. Acceperā nāq; Bononiæ te Roma reuersum Florentiæ moram agere, atq; ideo spe plenus iter acceleraui. Cū ueni Florētiā, didici ex Roberto Martello cōmuni amico te ualetudinis causa in uilla lanari. Scripsi ad te si cōmodo tuo posses, in urbem redires, dum mādata Cæsaris apud magistratū ciuitatis exequerer. Demoratus sum illic biduo, sed neq; tu aduenisti, neq; rescripsisti qcquā. Venissem ad te in uillam, nisi putassem oneri me futurū homini, qui cum cōiuge ac liberis secessisset. Abij ergo rursum. Postea cognoui Martellū, cui literas credidi, nō fuisse in reddēdis illis ut promiserat diligentē. Senis aūt mansi apud necessarios meos dies octo, neq; me tuus homo conuenit, quē dicis à te missum q me alloqueretur. Cū essem Romæ paucis quæ ad me scripsisti abūde respōdi. Et iterū post respōsum alteras ad te literas dedi, quas cōiecto tibi fuisse non redditas, qui nullā earū mentionē facis. Existimaui deniq; cum redirē in Germaniam te mihi nullo modo eripi posse, quin Florentiæ cōueniremus. Vale dixi Romanæ curiæ & collectis sarcinulis, Senas repetij eo animo ut ordinatis ecclesiæ meæ rebus ad Imperatorem, qui me reuocauerat, quā primū redirem teq; in transitu Florentiæ uiserem: Sed quæ cōsilia hominum certa, quæ cogitationes ratæ? obsistit uotis meis charitas patriæ, quæ diutino afflicta bello, pacis egena, quietis auida, Alfonsum Regem Arragonum me petere hortata est ab eo ut salutē sibi impetrarē. Fredericus quoq; Imperator q cum nouisset iniusto bello Senensis, circunuentos esse, mutato reuocationis meæ proposito de cōponendis Tusciæ rebus mihi mandatū dedit, utq; Romā & Neapolim me cōferrem ea de causa iussit. Ego quāuis in me nullū esset in tanto negotio momentū, patriæ tamen non misereri nō potui, neq; Imperatori non obedire licebat. Redij Romā, ibiq; mensibus quatuor sum retentus antequā hinc daretur exeundi facultas: nunc hic mēses duos ago: Nescio quis erit rerum finis: scio quid uellem, uideo quod nollem. Semper illud Vergilianum ante oculos mentis meæ uersatur, Bella horrida bella. Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno. At quæ iam uis hæc syderum tam iniqua? quæ fatorum diritas? cum quiesceret omnis Italia patria mea quietem habere non potuit, quinque male bellum Senenses ducunt. Et quæ ciuitas tam opulenta est quæ non exhauriatur, exinaniatur tam diutino belli malo? Nemo tam robustus est quem non atterat continua febris. Dicat aliquis: Dabit Deus his quoq; finē. Scio enim neq; tempestas est quā non sequitur tranquillitas. At multi pereunt, priusquā positis uentis sternatur æquor. Omnium rerū uicissitudo est. Fateor, sed nos interea patimur. Verum hæc mora nō solū

patriæ

A patriæ causa mihi molestissima est, sed ea quoque ratione quod cum pacem quæro, neque illam, neque te inuenire possim, fero tamen patiēter, quod sine mea culpa accidit: te quoque pro sapiētia tua idem facere uelim. Sed pergo ulterius. In tuis literis dicis te omnibus in rebus erga me ueræ amicitiæ officio functum. Confiteor istud, neque ego me amicum habuisse unquā scio qui te uerior aut sincerior fuerit. Nam etsi solent res secundæ immutare homines, te tamen nulla fortunæ amplitudo mutauit. Fuisti Aeneæ tuo semper idem. Nescio quid de te alij dicant, ego te mihi alterum Scipionem, alterum Piladē, atque ut nostris utamur exemplis, alterū Ionathā sum expertus. Quæcunque uolui ex Romano Pontifice, te adiuuante, sum consecutus. Fores tuæ quæ prē magnitudine negotiorū quibus destinabantur sæpe Cardinalibus obseratæ fuerunt, non mihi tantum uerū & internuncijs meis omni tempore patuerunt. Cūque ego me satis à Nicolao Papa euectū superque satis existimarē, nihilque ultra peterem, tibi nullus in me collatus honor sufficiēs uidebatur, quāuis episcopus ab illo creatus essem, & inter principes Ecclesiæ sederē. Cardinalatum quē ego mihi neque arrogabā, neque optabā quidem Aeneæ tuo cepisti quærere. Cum tu ipse credo coniugio alligatus id consequi non posses, me unū à te dilectum esse, qui eò proueheretur, quo tua te uirtus extulisset nisi matrimoniū cōtraxisses. Arbitrabaris igitur, quantū sentio, honorē quo ego fungerer tuum esse, & te dici Cardinalē si tuus Ae-

B neas rubeo pileo donaretur. Effectum est igitur tua opera, ut imperatori à Nicolao promissū sit. Nam & is me promoueri optabat inter primos qui creandi Cardinales essent, Aeneam nullo pacto præteritum iri. Idque Nicolaus ipse Cæsari affirmauit & mihi. Idem quoque duo uberrimi testes Imperatori suis literis asseruerūt sancti Petri & sancti Angeli Cardinales, quorū scripta & quidem signata Imperator ipse mihi restituit. Sed obijt ille promissi plenus. Credidit plus sibi uitæ superesse, ut aiunt Poëtæ plus statuimus. Deceptus est, non decepit pius & optimus pater. Quē pro sua integritate nō ambigo cœlicolarū choris annumeratū. Iamque non cum Ioue illo quē summū cæca dixit antiquitas, sed cum Christo maximo & singulari Deo nectaria pocula siccare, & de genimine uitis in regno patris bibere, sessurū in iudicio, cū XII Apostolis, XII tribus Israël iudicaturū. At quāuis promissa irrita sint, in uanumque tui conatus ierint, non sum tamen minus obnoxius. Voluntatem, non factum metior, teque ut ipse dicis, amicitiæ sanctæ legibus omni tempore satisfecisse nō eam inficias. Sed quorsum hoc mi Petre? nunquā te accusaui, nunquā de te male sensi. Quid igitur? an tu forte ingratū me iudicas qui non sum tui memor? qui cū fortuna à te recesserim? Nā cur te ius amicitiæ seruasse dixeris, nisi illud me uiolasse contendas? Nolim Petre ita de me opineris, & ipse leges amicitiæ inuiolatas custodio. Sed times fortasse ne modo in uestrā beneuolentiā peccare incipiā, nec sequar alios qui tua ope magni potētesque facti nūc te persequūtur. Pessimū genus hominum,

C genimina uiperarū, semen diaboli. Sed late patet uitium. In Deum Christū qui nos creauit, ingrati sumus, quid miri est si homines fallimus? Ferre nos oportet quos Deus ipse sustinet. Non sunt omnes accepti beneficij memores. Magna pars hominum eos perijsse expetunt, ex quibus beneficia consecuti sunt. Sic enim se uinculo solui quo tenerentur. Neque id falsum omnino est quod Sigismundū imperatorē frequenti sermone usurpasse ferūt. Pecuniæ uel gratuitum mutuū multos immeritos fecere. Pauci quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad ethera uirtus, benefacti memores extitere: Inter quos ego meum nomen dare, haud dubito. Nam etsi multa me uitia occuparunt, diua tamen mihi cooperāte gratia ingratitudinē semper odiui, hisque totū me dedi quos mei amantes noui. Nunc tu me illis annumeres qui te post causam reliquere? Dispar est illorū & mea ratio. Illi tum primū te colere atque obseruare cœperūt, cum primus esses in apostolico palatio: pinguedinē mellis tanquā muscæ sequebantur: amicum Pōtificis non Petrum amauere: officio non homini alludebant. Mutati sunt te mutato: abierunt ubi cessauit stillare fauum, non sunt iniurij, nihil est quod illis imputes. Quæsiuerūt in te magnū secretariū, & cū nō inuenissent, alia de nocte. Ludus hic fortunæ est, & huius mūdi cōsuetudo. At ego te dilexi, antequam palatiū ingredereris, Dilexi pauperē, dilexi diuitē, quomodo nō diligam ad priora reuersum? quamquam nec ista priora sunt, nec tu pauperes. Cur me tuus casus

Sss alienaue-

alienauerit cum tuus ascẽsus te minime trãmutauerit? Nihil apud te Petre uariatũ est: solida & incorrupta charitas quæ tibi me semel coniunxit, nunquã dissoluta beneuolentia est. Sum hodie qui olim fui, nihil est imminutus amor, nihil ignoro, nihil immemori de tuis erga me officijs narras. Omnia sunt ante oculos ueteris conuersationis illius cum è Plumbino soluentes, Corsicam circuiuimus: cum nos pene in Affricano tẽpestas littore illisit. Subit adhuc recordatio quo tædio inter nautas apud Spediam, & in portu Veneti pernoctauimus cum sentinæ correpti, sub dio dormire maluimus quàm sub tecto, quãuis horrida sæuiret hyems. Vidimus unà Genuam, Ligurum Metropolim: Superauimus Appenninũ, ac transmisso Pado Philippum illum inclytum Longobardorũ ducem apud Mediolanum ducem adiuimus: Transmisimus cœlo uicinas Alpes, & formidabilem pontum & Lucrinum lacum, & campos Heluetiorũ: Venimus Basileam & sub dominio Cardinalis tui, qui tunc sanctæ Mariæ inuiolatæ cognomine fuit, nunc sanctæ crucis appellatur. In Concilio magno fuimus: quàm dulcis conuersatio nostra fuit? quàm suauis in omni fortuna societas? nihil mihi graue te comite uidebatur. Memini adhuc Petre cum simul uno cubiculo dormiremus, quoties mihi ad multã noctem uigilanti, ac nunc unum, nũc alterum Poẽtã legenti subridens dixeris: Quid te maceras Aenea? doctis æquè, ac indoctis fortuna cõsulit. At cũ Dominico, quãuis esset is benignus & optimus pater, cũ paupertate eo tempore premeretur perseuerare minime potuimus, disiuncti aliquot annis fuimus, sed iterũ nos fortuna coniunxit apud Nicolaum sanctæ crucis uenerandũ patrẽ, & omniũ opinione sanctissimum. Quid cum è Florentia rursus Mediolanũ petiuimus, & superato Iouis mõte per lacũ Lemannũ Tonomũ uenimus, memorandãq; illam Repalliæ heremũ introiuimus, in qua dux Sabaudiæ Amedæus detulit, habitu cultuq; sancto cuipiã heremitæ simul quẽ uiri decẽ equestri ordine sequebãtur, qui seculo renũcians, promissam barbam & hispidũ paliũ, & retortũ bacillum mundanis opibus prætulerat. Inde Basileã rediuimus, Coloniã Agrippinã petentes: per Belgas Atrebatum uenimus, ibi cõuentus ille maximus celebratus est: In qua pace Galliarum cõstituta, Philippus Burgundiæ dux à Britãnis, q̃ nũc Anglici appellãtur, ad Regẽ Franciæ defecit. Viximus ibi sicuti & alibi cõcordibus animis, nec nos lucelli cupido disiunxit: quãuis ambo idem officiũ, idẽ lucrum sectaremur. Inde ego in ultimam Britanniam, quæ hodie Scotia dicitur, missus sum: q̃ in itinere multa pericula aduersa: quippe qui duodecim dieb. in profundo Oceani fui, terris nusquã apparentib. ac ui tẽpestatis in ultimã ad Septentrionẽ Noruuegiã actus, uix tandẽ bonitate Dei destinatũ iter tenere potui. Sed nihil mihi grauius uidebatur, quã q̃d carebã cuius cõsolatione in omni aduersitate leuari solebã. Reuersus ex Britãnia, te Basileæ cõueni, neq; ibi diu mansimus, per Sueuos, Rhenos, lacũ Brigantinũ & Tridẽtinas Alpes Bononiã, indeq; Mediolanũ repetiuimus Cardinalẽ nostrũ, sicuti qui de pace Italiæ inter Senatũ Venetũ & Mediolanensem principem acturus erat. Illic tertio disiuncti sumus, & tu quidẽ Romanã curiã secutus es, ego Basileam reuersus in Cõcilio pluribus annis perseueraui. Et licet inter Romanum Pontificẽ & Basiliẽsem synodũ graues inimicitiæ malignæq; lites intercidissent, & tu Põtificis, & ego synodi partes sequeremur, nihil tamen beneuolẽtiæ nostræ detractũ est, publicã illã finim9: Cuius rei epistolæ nostræ ultro citroq; missæ testes sunt, in quib. noster amor expressus est. Itaq; nõ dubito te cõfessum habere dum latuimus, dum fuimus ambo pauperes, incõcussam stetisse amicitiã nostrã. Tolerant enim se facile tenues, neq; miseriam cognoscit inuidia. Cum uero ditatus es, atq; in te unũ quantũ potest fortuna ostendere uoluit, unusq; palatium apostolicũ gubernasti, scio non arguis me leges amicitiæ reliquisse. Quis enim lætã amici fortunam deseruit? Illud uereor, ne me tibi cum multa posses, obsequentem adulari crederes. Est enim omnis beneuolentia suspecta potentibus. Minime igitur oblitum me tui fuisse dices, cũ felix habebaris. Sed accusas me forsitan, quia post euersam potentiã tuã te obseruare desierim: imo uero nihil est à me prætermissum, quod boni amici esset, qui ut primum cognoui Nicolaũ Papam, quo cum creueras, naturæ debitũ persoluisse, mox ex noua ciuitate Austriæ ad te scripsi, bonoq; ut esses animo iussi. Nam etsi pontificẽ maximum fortuna tibi abstulisset, Fredericum

A tamen Imperatorē reliquisset, apud quem, si uelles, locū te dignū inuenires, quoniā is te maximū faceret. Idq; nō ex meipso, sed ex ore Cæsaris astruebā, receptū esse, qui ita me scribere iussisset, cū te illi cōmēdassem. Nescio an huiusmodi literæ tibi redditæ fuerint: nam de illis nihil significas. Cum ueni Florentiā quæsiui de te diligenter, ut supra relatū est. In Roma uero beatissimo Calixto Papæ de te dixi, quæ de uiro bono & amico optimo dicenda fuerunt: Et ubicunq; de te sermo habitus est, tuas partes egregie defendi: quāuis pauci me corā te accusarim, siue quia graue est innocentē criminari, siue quia sciunt omnes tuū honorē à me tangi, tuamq; lædi quoquo modo famam, me minime passurum esse. Persuade igitur tibi Petre amantissime, dū spiritus hos regit artus, animū erga te meū immutari non posse. Nāq; neq; tu cōmittes ut mutari oporteat, neq; is sum qui quinq; & uiginti annorū amicitiā sine causa dissoluā. Nec me turbatū fugientē uidebis, quocunq; me in statu fortuna tenuerit. Is ero erga te qui fui cum essemus Basileæ: Neq; tu dum Petrus eris, Aeneas esse desierim. Neq; plura in accusationem tuam dixerim. Sequar alias epistolæ tuæ particulas. Ais te putare quæ cum Nicolao Pontifice de me cepta sunt, apud Calixtū perfici debere, id est, in Cardinalatus ordinē me susceptū iri. Idq; cupis, & quia futurū speras gaudes, meq; rogas, postquā id factū sit, unū ex tuis necessarijs uti Capellanū admittā: Fortasse omnia quæ scribis huc tēdūt: Amico uoluisti satisfa-
B cere: Et quia non es ea potētia qua olim fuisti, scribis multa ut impetres pauca. Opinaris enim quæ prius uno uerbo obtinuisses, nunc uix pluribus obtineri posse. Hoc fortassis apud alios ita usu euenit, apud me tua tanta est autoritas quanta omni tempore fuit. Respōdebo tamē ad hæc aliquid. Cardinalatum ego nō quæro, nō expecto, quamuis Cæsar mei causa solicitus sit. Si tamē, quod nequaq̄ opinor, id honoris sors aliqua ad me detulerit, non est quod roges hoc aut illud. Non minus tibi quàm mihi mea domus obediet. Quod aūt arbitraris in fundamētis apud Nicolaū factis ædificiū superducēdū esse, falleris mea sententia. Lōge enim aliter præterita docent. Nouus Rex, ut in prouerbio, nouā legē edit. Nam quotus successor inuētus est, qui prædecessoris amicos dilexerit, quippe adeo nostros antecessores odimus, ut certissimum argumentū putetur: Hunc Pontifex amauit, qui nouissime mortu9 est. Igitur huic odio est, q̄ uiuit. Et creasset hūc Cardinalē ille, si uixisset amplius: nō igitur inter eos nominabitur, qui modo creādi sunt. Quod si fuisset aliqua causa quæ me in eum ordinē assumēdū suaderet, hæc satis est, ne assumat quoniā ex illorū numero fui, quorū dignitas apud Nicolaū amplificanda credebatur. Quod aūt mei honoris augmentū cupias, haud est apud me dubiū. Quis enim amicus est, & amici gloriam non expetit? At ego mi Petre, si hanc dignitatē expectē, demens sum, qui maiora meis humeris imponi onera exoptem, quā illi ferre queant? Videarq; non dico erga fortunam, sed erga magnificētiam Dei ingratus, q̄ lōge magis honoratus, quā par
C sit, non qescam. Etenim mi Petre, superos oro, ut sileam de maximo Deo à q̄ est omne datum optimū, et omne donū perfectum, qd est quod ego de lege fortunæ aut fatorum quærar? Nam quē domum egredientē meliori flatu quā me fortuna prosecuta est? Nam quamuis annos *VI & XX* natus, cum darē Iuriciuili operā, exorto bello patriam & studium coactus sum relinquere, accessi tamen grande illud Basiliēse Cōciliū, inueniq; gratiam in oculis patrū: Scriba in synodo fui, & literarū abbreuiator, & unus de duodecim uiris, qui magistratus illic quasi cēsorius habebatur. Neq; enim sine duodecim uiris ad cōsultandū de rebus cōsiliaribus, quisquā admittebatur, & admissi qui nō inuenirentur idonei, his iubentibus cōmouebantur. Erant in Cōcilio quatuor conuentus, qui deputationes appellabantur, de fide & pace, de reformatorio, de cōmunibus præsidentes. Hæ suos singulæ singulis mensib. elegerūt. In deputatione fidei, in qua eram inscriptus, sæpe præsedi. Inter collatores quoq; beneficiorum bis sum electus: Legatus ab ipso Cōcilio ad cōplures principes missus. Cum Pōtificatū Amedæus dux Sabaudiæ suscepisset, Felix nūcupatus, in secretarium sum ab eo accitus. Nec diu post uocatus ad Fredericū Imperatorem prothonotariatus officiū ab eo sum adeptus (sic Germani Secretariū appellant) dum legationes Cæsaris obeo, uniuersam ferme Germaniam circuiui. Dissidebant Theutones cum Eugenio maximo Pontifice. At neq; illi, neq; Felici obedientes, neu-

trales uocabantur. Cōcordia pluribus in conuentibus agitata est, q̃bus iubente Cæsare semper interfui. Bis cum tractatu pacis ad Eugeniū ueni, tertio nationis illius Apostolicæ sedi obedientiam attuli. Secretariatus & subdiaconatus honorē ab Eugenio, & mox illo defuncto, à Nicolao suscepi. Cuius conclauis cum eligeretur, cum cæteris principū legationibus custodiæ præfui. Lapsum est postea breue tēpus, in quo me Nicolaus Tergestinæ ecclesiæ nihil tale merentē præfecit episcopū, quadriēnioq; abinde decurso, Senēsis urbis, unde mihi origo est, Pontificatū ad me detulit. Cæsar uero à quo in consiliariorum ordine susceptus essem, Neapolim me petere iussit. Quo in loco matrimonium inter ipsum Cæsarem & Leonoram Portugaliæ Regis sororem, Alphonsiq; neptem contraxi, eandemq; Imperatricem, anno post nauigio uectam è Pisis ad Imperatorem Senis agentem conduxi, cum id mihi uni cōmitteretur. In coronatione Cæsaris quæ Romæ celebrata est, nosti quæ meæ partes fuerint. Quippe qui me sæpius Imperatorio nomine apud Romanum Pontificē, & publice & priuatim loquentē audiuisti. Reuersio in Germaniam, legatio mihi Apostolicæ sedis per Bohemiā & omnes prouincias Austriæ ducum cōmissa est. In cōuentu Germanorum qui Ratisponæ habit9 est, quo & Philippus Burgundiæ, & Ludouicus Bauariæ duces, & alij quàmplures principes & Reguli conuenerunt de salute Christianæ reipublicæ agentes, imperatorias uices tenui. Simili modo & in Franckfordiēsi Cōcilio, ubi & Germanos aduersus Turcos decernere bellum dicta oratione suauimus, quāuis postea negligentia & inscitia eorum qui cuncta se decere putant, Germani tepuerūt. Mortuo Nicolao Calixtū successorem eius, quem nunc imperatorio nomine tanquā successorem uerum Christi uicariū recognouimus. In hisce nos honoribus Petre uersati sumus: Nec tamē intelligimus cur adeo diuina pietas nostram prauitatem extulerit, non doctrina, non uitæ bonitas hæc meruit. Cognoscimus imperfectum nostrum, & nosipsos sæpe cogitantes non extollimur quidē, sed magis erubescimus & confundimur, qui pro tātis beneficijs non sumus grati. Respicimus aliquādo retro, & q̃modo multi uiri nobilibus ornati natalibus, uirtute & doctrina præstabiles, abiecti & incogniti iaceant consideramus. Fateor, quāplurimi sunt qui opibus & honoribus antecedunt, sed multo plures sequuntur: Pluribus cōmisceri quā inuidere possum. Et illi quidem qui me dignitate præcedūt, etiā uirtute superant: Ego his qui sequuntur, nulla ratione sum melior. O quot uiri sunt qui non cētum aureos annuis ex beneficijs ecclesiasticis haurire possunt, Iuris diuini atq; humani interpretes, quorū nō essem dignus corrigiam calciamēti soluere. Atq; ego ignarus, hebes, atq; uitiorum mole pressus atq; iniquitate circundatus, qui aliquo beneficiolo cōtentus extitissem, uel minimo, iam annuos mille aureos possideo: quodq; magis mirere, dum Germaniam petij, episcopatum in patria consequor. Magna hæc mi Petre, in quibus non mea solū paruitas, sed magna uirtus quiescere possit. Apud tres episcopos & totidem Cardinales dictandarum epistolarum officium exercui. Hi tres quoq; Pontifices maximi secretariorum collegio me ascripserunt, Eugenius, Nicolaus & Felix, quamuis hunc adulterum dixerit. Apud Cæsarem non secretariatus modo, sed consiliariatus & principatus honore auctus sum. Neq; ego ista fortunæ imputo, quamuis nescio causam, sed ipsius rectori & dominatori omniū Deo, cuius est in quæcūq; uoluerit usum uasa formare. Neq; humanæ corruptioni subijciūtur, quæ libera sunt, eiusq; libertati gratias agere docet, q dat omnib. abūdāter & nō improperat. An nos igitur tanta miseratione præuenti Cardinalatū anxij expectauimus? atq; hūc quoq; nobis honorē deberi putabimus? Vtinā dignitati quā cōsecuti sumus, pares inueniamur, & ita quod superest æui, traducamus, ne quã possit in nobis ingratitudo notari. Porrò Cardinalatus fastigiū maius existimam9, quā nostris humeris cōmitti debeat. Vtinā ea dignatio his credatur, q afferri illi potius, quā ab ea recipere gloriā possint, quales nos esse nullo pacto cognoscim9. Restat ultimo loco de cōsolatione aliqd dicere, quādo & te illius egentē ostendis. Duo fuerūt, ut scripta tua edocent, quæ te cōturbauerunt: mala ualetudo tua, & obitus Nicolai Pōtificis, quo cum ipse cecidisti, qua in calamitate constituto, nemo tibi amicorum affuit. Aegritudinē corporis & onerosam tibi & molestissimā fuisse nō miror: Vix enim quisquā reperitur, qui

A qui non morbo succũbat, doloribusq; uincatur: belle quidem tum multi cum ualent re-
cta consilia ægrotis prebent, ac ipsi si doleant mente excidant. Ita natura comparatum
est, uerbo quàm multi philosophantur, reipsa admodum pauci. Vtcunq; sit, non opor-
tuit uitam optare diuturnam nisi & senescere uellemus. Cum senio autem circunsilit a-
gmine facto morborum omne genus, quorum si nomina quæras: Promptius expedi-
am quot amarit Hippia mæchos. Parati ergo ad hæc esse debemus, & nunc ilium, nunc
capitis dolorem expectare, & ad omnia mala nosipsos armare, quibus contribules no-
stros affligi cernimus: Si quid minus accidat in lucro deputare. Cum uero dolor incipi-
pit, nō ab amicis, sed à nobisipsis solatia expetere. Nihil habent certi qui sunt in aliena
potestate, quæ nosipsi possumus, nutui nostro nunquam desunt. Tibi ergo cum ægrota-
res, à teipso & consilium expetendum, & auxilium requirendum fuit, quæ te uideo non
neglexisse cum Deum tibi affuisse consolatorem dicas. Optimus hic proculdubio &
certissimus in omni ægritudine medicus, qui non corporis tantum, sed mentis morbos
expellit. Estq; Deus, si Senecæ credimus, quisq; sibi. Namq; dum nobisipsis recte con-
sulimus, mentem nostrā diuinitas incolit. At tu quanquā corpore uales, non tamen ad-
huc mentis ægritudinem posuisti. Est uulnus adhuc animi recens, & amissi regni fortu-
nam mœrens. Mōstri simile mihi est, te uirum qui multa legeris, & mundi uices sis con-
B templatus, idcirco angi, quia blandus fortunæ uultus tibi mutatus sit. Cogitare te opor-
tuit quāprimum ascenderes. Neq; enim fortuna quemq; extollit, de quo reijciendi po-
testatem non sibi reseruet. Hac cōditione ascendimus, ut cum illa uelit è uestigio descen-
damus. Nunc longũ tenet uua comas, nunc populus umbras inquit ille. Caduca omnia
sub luna: quanto altius extollimur, tanto periculosius cadimus. Volubilis rota fortunæ
est, nemo illi clauum affixit. Inconstās & infidelis hera fortuna, nulli perpetuo bona est.
Alexandrum illum Macedonem, quem mundi dominũ fecerat, in ipso iuuentutis flore
ueneno extinxit. Pōpeius Magnus cēties uicies semel octuaginta tria hominum milia
fudit, fugauit, occidit, in deditionem accepit: Naues octingentas quadraginta sex pira-
tarum depressit aut cepit: Castella autem oppida mille & quingenta triginta octo in fi-
dem recepit: Terras omnes à Meoti ad rubrum mare subegit. Sed huic quoq; Fortu-
na (quamuis Seni) abstulit caput. Cæsarem dictatorem in senatu trucidauit, quamuis e-
ius ductu undecies centena nonaginta duo milia uirorum in prælijs interijssent, nō cō-
paratis illis qui bellis ciuilibus interierunt. In Caio Mario quantum Fortuna luserit, nō
ignoras, quem modo uictum apud Minotauros expectare supplicium, modo uictorem
truci uultu quantū neces imperaret legisti. Magna de Lucio Marcello est opinio, quasi
fortuna huic uni semper arriserit. Fuit enim bis consul, dictator, magister equitum, ele-
phantes primus ex primo Punico bello duxit. In triumpho primarius bellator habitus,
C optimus Orator, fortissimus imperator, auspicio suo maximæ res gestæ, magno hono-
re usus, summa sapientia, summus senator pecuniam magnam bono modo inuenit, libe-
ros multos reliquit, clarissimus in ciuitate fuit. At is orbam luminibus egit senectā, ma-
missis incēdio cum paladium raperet ex ede Festæ: memorabili casu, sed euentu misero,
ut Plinius ait. Huius quoque nepos Metellus Macedonicus fortunati nomen habuit,
qui à quatuor filijs illatus est rogo, uno prætore, tribus consularibus, duobus triumpha-
libus, uno censorio. At hi in flore dignationis suæ à Catino Labione tribuno plebis, quē
è senatu Censor eiecerat, è capitolio ad Tarpeiam raptus est, ut inde præcipitaretur. Sed
intercedente altero tribuno alumnæ ereptus alieno beneficio postea uixit. Sed Octauia-
num Augustum fortasse obijceres, qui uictor orbis annis sex & quinquaginta impera-
uit, qui super Garamantas & Indos pertulit imperium. Exemplum hoc unicum huma-
næ felicitatis esse uidetur, his qui eius secreta ignorant. Sed multa huic aduersa apud a-
uunculum in magisterio equitum, repulsam tulit contra petitionē eius prælato Lepido:
in prælio Philipeo fuga notatus est, & in palude triduo latuit. Vita eius sæpe insidijs peti-
tam est: luxit liberorum mortes, & adulterium neptis ac filiæ: afflixit eum rebellio Illiri-
ci, pestilentia urbis, uaria clades, fames Italiæ, quadriduanam inediam sustinuit, mori-
endi cupidus hærede non suo filio uita excessit. Et ut ad nostra redeamus, Saul regno

potitus, uictorijs clarus, ad extremum insaniæ, & in prelio uictus serui manu qua percutiatur supplex orant. Ab ouium custodia uocatus ad regnum Dauid, post claras ex hoste uictorias à filio pellitur, cõtra quẽ sumptis armis non satis intelligit uincere uelit an uinci. Dicat aliquis Salomonem sapientem ac pacificum, Regem perpetuo fortunæ afflatu beatum, qui usq; ad mortem quieto trãquilloq; regno potitus est. Sed neq; hic regnare sine fratricidio potuit, & amicorum sæpe neces impetrauit, ac postremũ quoq; cõcubino seruitio pressus, dijs alienis atq; ipsis dœmonibus sacrificauit: In qua re miserrimũ eum uel suo iudicio nemo dubitauerit. Aeuo nostro unũ omnes felicem Philippũ Mariam Mediolanensem ducẽ iudicauimus, qui non Florentinos modo, sed Venetos & uniuersam Italiam contriuit, & Regẽ Alphonsum, fratresq; cum uniuerso procerũ comitatu nauali prelio superatos captosq; domi suæ uidit. Verum hic ante obitũ Ianuã amisit, agri magna parte mulctatus, adeoq; Venetorum armis attritus est, ut uix Mediolani se se tueretur. Et quamuis ultra citraq; montes Regũ auxilia imploraret, nulli tamẽ opem sensit, amisso uiso, Rege quem captiuum habuerat, hærede instituto, decessit. Francisco Fuscaro duci Venetiarum diu adulata fortuna est, sub quo supra quinq; & uiginti annos senatus ille populusq; Venetus mirum in modum auctus Brixeam, Bergamum, & maximam partem Galliæ transpadanæ in suam ditionem redegit. Sed gloriam eius obfuscauit, felicitatemq; obrupit filius ob turpem causam bis in exilium actus. Hæc cum tibi notissima essent Petre non debuisti, uel dolere, uel admirari, si & tecum suam consuetudinem fortuna seruauit, quæ iure suo ueteri, & in omnes ætates præscripto usa est. Nihil de tuo tibi abstulit, quod suum erat repetijt: potentiam quã ad tempus concesserat, in eo, quẽ statuerat, termino subtraxit Quid obsecro est quod de fortuna conquераris? Quid tecum illa dure egit? Nicolao Papæ uitam eripuit: At moriturũ eum iampridẽ noueras. Illo mortuo, & tua potentia mortua est: At Nicolao cadente sciebas te stare non posse. Nihil tibi aduersi accidit, quod non præuideris. Præter spem uero, si recte iudicas, non pauca bona tibi fortunæ beneficio, siue ut melius loquamur, diuina miseratione relicta sunt. Ex palatio saluus exijsti, collegisti sarcinas tuas. Secretariatus officio cũ coniuge, cum liberis absq; ulla contumelia dimissus es. Hoc tu beneficium non ponderas, quod tanto maius est quanto rarius accidit. Etenim quot memorantur qui potentes in palatio, post obitum pontificis, non maximas calamitates inciderint? Nepotẽ Bonifacij noni mendicare panem nostra ætas uidit, quem ut æditus in lucem fuerat, in calatis rosarum obtulerant patruo. Martino quinto fatis functo, qui fuerunt apud eũ potentes, alij bonis omnibus excussi sunt, alij in carcerem rapti, alij in exilio missi, alij in crucem sublati, alij alio modo necati. Neq; ego crediderim omnes qui Martino placuerũt, pena fuisse dignos. Sed ita mos inoleuit, odio habetur successori quisquis antecessori acceptus fuit. At te Calixti Clementia conseruauit, qui de te sinistre credere noluit, quamuis essent qui te accusarent, non pauci hostes, id est, Mimi tui. Corona tua & quidẽ preciosissima hæc est, Petre, quod integer creditus, intactus abijsti. Hanc tu laudem ad posteros pene solus transmittens, nomenq; tui minores ex te clarum habebunt. Vnus enim ex palatio pontificis omni iudicio existimatus es, qui saluus euaderes. Fateor non tanta tibi erunt lucra quanta fuerunt Nicolao uiuente? Neq; iam tibi assurgẽt homines quocunq; ieris. Sed ego tibi satis pecuniarũ esse arbitror, si ad ueritatem non ad opinionem uitam ducere uolueris. Quærendæ pecuniæ nullus est finis qui uulgo uiuant: Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Si uolumus esse diuites, non pecuniæ adijciẽdum est, sed cupiditati detrahendũ. Cum Propheta dicendũ est: Diuitias & paupertates ne dederis mihi, sed tantũ uictui meo tribue necessaria. Nõ habes opes Cosmi, at Marcelli habes. Non eris Florentiæ primus, at uel Lucæ, uel Senis esse potes tuoq; cũ Horatio. At precor integra cũ mente non turpẽ senectam degere nũc cithara carẽtem, Nec uero tu tibi subtractos honores dixeris. Adulationes illæ non honores fuerunt. Potentiæ tuæ non tibi detexit turba caput: sæpe manum tuam osculata est, quæ tunicam illam optauit. Fumus ille ac uentus fuit, qui cũ fortuna non cum uirtute decurrit. Ah quid illa tua potentia miserabilius fuit quàm te tantopere amisse doles? Recogita obse-

A ta obsecro quo ex loco sis delapsus: non tu ex paradiso delitiarum cum primo parente in terram ærumnosam descendisti, sed uerius ex procelloso mari tranquillum portum enauigasti. Nam quid est Romana curia his qui summã tenẽt, nisi turpissimum pelagus uentis undiq; durissimisq; tempestatibus agitatum? Auaritiæ ibi atque inuidiæ procella uix quẽquam intactum præterit: laudant in faciem, à tergo Ciconia pinsit. Quis telã enumeret quæ in potentes iaciuntur? Tot tibi rhetia mi Petre, tot insidiæ tendebãtur, ut mortuo Nicolao iure dicere posses: Laqueus contritus est, et nos liberati sumus: Nam obitu illius carcerem exiuisti. Nam curiam miseram reliquisti nõ potentiam, seruitutem posuisti non gloriam, bellum effugisti non pacem. Eras enim mancipium Nicolai, nulla tibi edendi, nulla dormiendi certa hora fuit. Non comites alloqui, nõ exire in lucem poteras. In aëre tetro, in puluere, in calore, in fœtore latebas: Nunc quauis libertate donatus, ex tuo arbitrio uiuis. In hac uita nemo mortalium felix: Bene atq; indulgenter cum eo agitur, qui uere dici non infelix potest. Nam quotus est cuius non plura mala quàm bona inuenias? cuius lætitiam nõ superauit mœror? nemo uiuit qui feliciter oportet. Quã multos afflixere imperia? quã multos perdidere diuitiæ & ultimis iniecere supplicijs? Moriẽdum est tandem nobis uel inuitis. Duo nobis ex hac luce migrantibus itinera occurrũt. altero cœlum petimus, altero inferos: Illic cum dijs, hic cum sceleratis deputamur: Illic

B regnum, hic supplicium expectamus. Iter eligere licet dum uiuimus. Ex uitæ merito patet uia, post mortem nulla merendi facultas. Et nos ergo, amantissime Petre, dum uita comes est ad opera pietatis exerceamur. Absint uoluptates, illecebræ, odia, simultates: Absit auaritia & bonorum in mensa cupido: satis nobis Deus ipse, super quã satis elargitus est. Nec tu mihi Cardinalatum cupias, nec ego tibi optem potentiam curialẽ. Nimis enim potentes & honorati fuimus, tu apud Roman. præsulem, ego apud Imperatorem. Nam si uirtutum ex æquo quæ uocãtur bona distribuantur, nõ tu mediũ eius quod obtinuisti accipias, nec ego quartã partẽ ei9 quod mihi diuina bonitas elargita est cõsequar. Vale ex Neapoli Nonas Maij, Anno M.CCCCLVI. Indictione quarta Põtificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri domini Calixti Papæ tertij, Anno secundo.

Quæ sequuntur epistolæ, Aeneæ Senensi tituli Sanctæ Sabinæ Cardinali scriptæ sunt.

Grates refert de promotione ad Cardinalatum, CLXXXIX.

Diuo Imperatori Friderico Augusto Domino suo, Aeneas sacrosanctæ *Ioannæ ecclesiæ tituli sanctæ Sabinæ presbyter, Cardinalis & episcopus Senensis, S. P. D.*

C

Vod iam dudum optasti procurastiq; Cæsar in persona mea, nunc demum completum est. Habes tota quod mente petisti. Nam quod sanctæ memoriæ Nicolaus Papa quintus tuæ mansuetudini sæpe pollicitus est, beatissimus Pontifex Maximus Calixtus tertius impleuit. Qui non meis meritis (nulla enim me uirtus honore dignum effecit) sed sua incredibili bonitate quæ usque ad indignos protenditur, et tua potissimum intercessione his diebus ad Cardinalatus ordinem cum quinq; alijs uenerabilibus & magnæ autoritatis episcopis me prouexit. Intelligo quãtum debeo tuæ Sublimitati, & unde persoluere possim debitum non intelligo. Conabor tamen dum spiritus hos regit artus, ita me gerere ut omnes intelligãt ad hanc me dignitatem tuo fauore & ex tua curia prouenisse, meq; Theutonicum magis quàm Italicum Cardinalem esse. Tuum erit nihil mecum remissius agere quàm prius. Nam ego pro tua maiestate, pro sacro imperio, pro inclyta domo Austriæ, pro tuis quibuscunque charis nullos usquã labores, nullas curas effugiã. Nihil enim unquã tuæ mansuetudini negabitur, q; mea opa effici possit. Vale ex urbe, die XXII. Decemb. An. M. CCCCLVII.

De eodem, Epist. CXC.

Serenißimæ Imperatrici Leonoræ Augustæ Dominæ suæ, Aeneas sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Sabinæ præsbyter Cardinalis & episcopus Senensis, S. P. D. D

NOn meis meritis quæ nulla sunt, sed tua ac consortis tui Diui Friderici Romanorum Imperatoris Augusti intercessione, ad Cardinalatus honorem superioribus diebus pietas apostolica me prouexit. Multa extant tua in me beneficia, sed hoc maximum est, quod hac dignitate me dignum iudicasti, & ut illam consequerer nihil omisisti. Quando & summo Pontifici & sacro collegio & auunculo tuo Regi Aragonum potentißimo me sæpius commendasti. Habes igitur apud sedem apostolicam hominem tuæ magnitudini deditißimũ, qui pro te tuoq; splendore gloria amplitudine omni tempore curiosus erit. Neq; enim ullus me unquã grauabit labor, quem tua causa susceperim. Tuæ Maiestatis deinceps erit ita me uti, quemadmodum ingentia quæ mihi contulisti beneficia deposcunt. Vale ex urbe Romana, die quo supra.

De eodem, Epist. CXCI.

Serenißimo & potentißimo principi Ladislao Vngariæ atq; Bohemiæ Regi, Aeneas Cardinalis Senensis, S. P. D.

QVod me summus Pontifex his diebus ad Cardinalatus ordinem accersiuerit, intercesione magna ex parte factum esse non ambigo: cum sæpenumero & literis & nuntijs apostolicæ pietati me commendaueris. Scio igitur me obnoxium quo ad uiuam & facultas adsit, tuis omnibus desiderijs morem gerere. Neq; id negligã quidem. Nam si quid est quod noua dignitas mihi credita, uel tuæ amplitudini, uel subditorum tuorum utilitati conferre posit, ad tantum negabitur quantum ipse requirere postposueris. Nec mihi res ulla iocundior fuerit quã tuæ uoluptati complacuisse: tuisq; regnis et reliquis principibus usui aliquando fuisse. Ex urbe Rom. die XXII. Decẽbris, Anno M. CCCCLXII.

Promotionem suam amico notificat, Epist. CXCII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Iacobo Picholomæo, S. P. D.

DIuinæ bonitati cuius consilia nobis imperscrutabilia sunt, uisum est honores augere nostros, atq; in corde summi Pontificis ponere ut nos ad Cardinalatus ordinẽ assumeret, & ita factum est. Scimus tibi id futurum gratum. Illud nobis tamẽ molestum est, quod nos impares tanto muneri cernimus. Vtcunq; sit fratrem ista latere nolumus. Tu Deum rogabis, ut qui dignitatem tribuit, id quoq; præstet per quod dignitati satisfaciamus. Insuper quoniam illustris dux Mutinæ semper nobis amicus fuit singularis, ut nos sibi commendes rogamus: & quæ possumus aut in futurũ poterimus excellentiæ suæ pleno offeras ore, quia nos sibi pleno corde cupimus complacere. Et hanc Cardinalatus dignitatem si quid habet utilitatis, magis suam esse uolumus quàm nostram. Vale cum consorte & liberis. Ex urbe Roma, die XXII. Decembris. F

De eodem, & se totum offert, Epist. CXCIII.

Aeneas Cardinalis Ioanni Cardinali sancti Angeli, S. P. D.

QVod annis tã plurimis Reuerendißime Pater, tuo filio cõcupiuisti quesiuistiq;, nunc demum completum est: summa cũ concordia sacri collegij Calixtus Pontifex Maximus, ad Cardinalatus ordinẽ me uocauit atq; assumpsit. Scio quanto altius euectus sum quàm merui: Sed ita suasiones tuæ precesq; Cæsaris effecerũt. Nõ sum ego qui gratias agere possum tuæ erga me charitati: nam quid præstare tanto domino seruus posit? uoluntas mea iamdudum tua est, quecunq; postmodum accessere, illa sequuntur. Fui tuus cum essem pauper presbyter: neq; me manu tua episcopatus eripuit. Sum tuus etiam Cardinalis. Habes in collegio complures amicos & me seruum: nisi me ueluti mancipio utaris nihil in me culpæ fuit, sed uelut emancipatus filius aut manumissus seruus, non minus agam quàm par fuerit. Vale optime ex urbe Roma, die XXII. Decembris, Anno M. CCCCLVII.

De

A *De eodem, Epist. CXCIIII.*

Aeneas Cardinalis Alphonso Regi Aragonum, S. P. D.

SEnui qui modo quocunq; peculium augent, Rex serenissime ac potentissime, infideles damnandiq; fuerint, nisi dominis suis rationem lucri reddiderint. Eam ob causam cum hodie Maximus Pontifex Calixtus tertius me uel minus merentem ad Cardinalatus honorem prouexit, peculiumq; meũ adauxerit, officij quoq; mei esse putaui id tuæ Maiestati cuius sum mancipium quamuis inutile tamen fidele notum efficere: Vt si quid est in ea dignitate mihi credita uel decoris uel utilitatis, id totum tuum esse noueris: ad me labor tantum molestiaq; suscepti officij pertinebit: In quo tanto magis affligendũ me scio, quanto indignior hoc muneris sum consecutus. Ex urbe Rom. die XXIIII. Decembris, Anno M. CCCCLVI.

Auxilio amici sperat onus impositum congruius ferre, Epist. CXCV.

Aeneas Cardinalis Ioanni Cardinali Papiensi, S. P. D.

SI qua mihi uoluptas est ad Cardinalatus honorem esse assumptum, inde tantum est quod tua dignatio mihi collega & pater & Dominus traditus est, quo cũ uiuere dulcissimum erat. Nũc tui labores præmia susceperunt: nũc tuæ uirtuti quod suũ erat creditum est. Scio quid lucri acceperit sacer senatus ex tua promotione. Magnũ lumen Romana suscepit ecclesia. Tua nobilitas, tua doctrina meam ignorantiã & ignobilitatẽ obteget: Sub scuto tuo indignus ego securus militabo. Veni igitur, sitibundi expectamus omnes reditum tuum. Iam satis Alemania, Galliaq; & Vngaria te tenuit: Italia nunc ipsa mater orbis Roma te perfrui uult. Nisi redieris cito et ipse Tybris maledicet absentiæ tuæ. Nõ fuisti in bello et uicisti: Scies quæ pugna facta est cum redieris. Nulli unquã Cardinales ægrius quã nos collegiũ intrauere. Iam enim rubigo cardines ita obduxerat. ut uerti ostium & aperiri non posset. Arietibus & omni Machinarum genere usus est Calixtus Pontifex ut ualuas aperiret, domumq; arte non modica belli seratas, postes portasq; refregit. Vale ex urbe Romana, XXVI. die Decembris, Anno M. CCCCLVI.

Promotionem suam notificat amico singulari, Epist. CXCVI.

Aeneas Cardinalis Nicolao Distio legum Doctori, S. P. D.

QVamuis cognoscimus nosipsos impares dignitati Cardinalatus ad quã uocati sumus: quia tamen amicis omnia communicare solemus, quæ nobis accidunt siue secunda siue aduersa sint: & nos te inter amicos habemus præcipuum, hoc te latere nolumus, ut si quid est in ea dignitate nobis credita uel honoris uel utilitatis, itemq; dedecoris uel damni, id tibi nobiscum commune esse non nescias. Nam nos legem amicitiæ quãuis altius euecti, nullatenus præterire intendimus. Nec nobis Cardinalatus aut tuam alterius cuiuspiam beneuolentiã minorabit. Datum Romæ, XXVII. die Decembris, Anno M. CCCCLVII.

C *De eodem, Epist. CXCVII.*

Aeneas Cardinalis Nicolao Cardinali sancti Petri ad uincula, S. P. D.

PLacuit altissimo & domino nostro Papæ Calixto per hos dies me longe immeritũ ad Cardinalatus ordinem assumere, uestroq; sacro cetui aggregare. Scio quantum ponderis subiui: nec uideo quo pacto creditæ mihi dignitati satisfaciam, nisi fortasse tua reuerendissima paternitas ad curiam rediret. Tunc enim instructus ab ea securius in hoc procelloso mari nauigarem. Precor igitur si preces seruitoris audiendæ sunt, ut iam demum in patriam redeas. Nam Cardinali sola Roma patria est. Etiam si apud Indos is natus fuerit, aut recusasse pileum oportuit, aut certe receptum Romæ gestare, & matri omnium sedi consulere. Neq; illa excusatio idonea est: Non audior recta monens: Mutantur enim tempora, & qui olim contemptui fuit, nunc præcipue honoratur. Veni igitur obsecro ueni: neque enim tua uirtus est quæ inter niues & umbrosas clausa ualles, languescere debeat. Scio cõplures esse qui te uidere, audire, & sequi cupiunt, inter quos me semper auditorem discipulumq; obsequentem inuenies. Ex urbe Romana, die XXVIII. Decembris, Anno M. CCCCLVII.

Promotionem

Promotionem suam amico notificat. *Epist.* CXCVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Varadiensi episcopo, S. P. D.

QVod ex Nicolao Pontifice Maximo magnopere efflagitasti ad nostri honoris augmentum, iam nunc Calixtus successor eius executus est. Is enim proximis quatuor temporibus exactis, ad Cardinalatus ordinem nos assumpsit. Qua de re longè magis tuam paternitatem lætari quàm nosipsos non dubitamus. Neque ab re quidem. Nam nos parum gauisi sumus ex hac promotione, cum intelligamus honorē non merenti creditum, ignominiam potius esse quàm decus. Tua uero dignatio quæ me pluris existimat longe quàm ualeo, non mirum si amicum libenter audit subleuatū. Vtcunque sit, id sibi persuadeat tua amicitia uolumus, quod re ipsa comperiet nos suos esse: Nec aliam ob causam magis cupide hanc dignitatem Cardinalatus accepisse, quam ut sibi aliquando in aliqua re digna morē gerere possimus. Datum Romæ, die XXVII. Decembris, Anno M. CCCCLVII. D

Nouitates. *Epist.* CXCIX.

Aeneas Cardinalis Senensis Senatui Senensi, S. P. D.

QVæ credimus expedire ut uester senatus intelligat, non tacebimus dum poterimus honeste literis aut nuntijs committere. Nunc quod significemus hoc est: Rex Aragonum grauiter ægrotauit, deinde conualuit. Nobis relatum est eum recidiuasse, nescimus an uerum sit id. Comes Tolocenus pridem mortem obijt, quæ res non nihil nouitatis paritura uidetur. Nam comes Euersus hæreditatem petit: Abbas ursinus contra nititur: Comes Vrbinas bellum fertur indixisse Malatestis. Hæc ad alios pertinent. In rebus uestris hæc sunt. Orator ducis Mediolani communicato nobiscum consilio, enixe communitatem uestram summo Pontifici commendauit. Quod habuerit ab eo responsum scietis. Dominus Ribias pro custodia montis acuti petit aureos trecentos: Dicit enim se tenuisse famulos plures pro custodia. Cui cū diceremus non fuisse necessarium, replicauit, penitus oportuisse pro securitate pascuorum, at quid significet ipsi intelligitis. Nunc de nouo Reuerendissimus Cardinalis de Vrsinis petit à sanctissimo domino nostro aureos trecentos, quos mutuauit sibi tempore exercitus. Papa uero respondit illos pertinere ad rationes uestras. Scitis quid in hac re agere debeatis, nobis consultissimum uidetur, ut Oratores uestros hic habeatis, qui loqui aperte ualeant, nobis non licet omnia. Iuuabimus tamen Oratores ipsos cum fuerint, summa fide, uestræque reipublicæ quantum facultas tulerit nunquam deerimus. Datū Romæ, die XXIX. Decembris, Anno M. CCCCLVII. E

Refert grates, & agere spondet. *Epist.* CC.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Pichio Senensi, S. P. D.

SCientes quantum pro nobis conatus es in magistratu tuo illo Capitaneatus populi, reprehensibiles fuerimus nisi nosipsos gratos ostendamus. Sed hoc modo præstare non possumus. Quippe qui non uerbis sed rebus reddendas esse gratias non ignoramus. At si quando facultas se obtulerit cognosces nos tui amantes esse, & accepti beneficij memores. Nunc non est aliud quod scribamus, nisi quod pro republica uestra censemus, expediens apud hunc Pontificem Oratores uestros commorari: Quia multa indies occurrunt ponderosa & uestram ciuitatem tangentia. Scis quia non omnia nobis licent, sed Oratoribus uestris fideliter assistemus. Ex urbe Romana, die XXIIII. Decembris, Anno M. CCCCLVII. F

Indignum officij se agnoscens exorat Deum pro uita quæ tantæ dignitati par sit. *Epist.* CCI.

Aeneas Cardinalis Senensis A. Bindio Senensi, S. P. D.

CRedimus, ut scribis, promotionem nostram tibi iocunditati fuisse: Ita enim exposcebat uetus amicitia nostra. Nos autem ex hac dignitate nescimus tristari an lætari debeamus. Nam sublime decus non merenti traditum, oneri potius quàm honori est. Venit in mentem illud Apollinis præceptum, quod iubet ut nosipsos cognoscamus. Consideramus imperfectum nostrum, & dum hinc paruitatem nostram, inde altitudinem dignitatis adeptæ metimur, horrescimus & trepidamus. Nam quanto altior est ascensus, tanto periculosior casus. Inter hæc tam anxiæ

mentis

A mentis dubia nullum occurrit nobis aliud remedium nisi ad Deum ipsum recurramus, & ei supplicemus ut qui dedit honorem, & ipse conseruet, & nos eam uitam ducere donet, quæ tantæ dignitati par sit. Tu uero de nobis persuadeto tibi quoniam illi erga te sumus qui semper fuimus, & amicitiæ iura incomminuta seruabimus. Vale & amicos illos nostros Metropolitanos nostro nomine saluere iubeto: Anthonium Panormitam, Matthæũ Malseritum, Bartholomæum Macium, Matthæum Ioannem, & reliquos, quibus nos offerto, & dato. Ex urbe Rom. die XXVIII. Decemb. Anno M. CCCCLVI.

Amicitiam non abstulit dignitas adepta, sed aucta constans est. *Epist.* CCII.

Aeneas Cardinalis Senensis Leonardo Beneuolenti Senensi, S. P. D.

SI quicquam amicitiæ nostræ detractum arbitraris quoniam aucti honore uidemur, longe falleris. Nam ueram amicitiam nulla dignitas tollit. Sumus qui fuimus dum pedibus simul peteremus Romam. Si potuisset adijci beneuolentiæ nostræ aliquid, Cardinalatus noster profecto addidisset. Sed plena quæ sunt uascula, nihil amplius admittunt, nos igitur erga te idem erimus uita comite: Nec de te aliter arbitramur. De domino Dominico præposito nepote tuo sumus memores, et quia breui Senis uenire nõ possumus, cogitabimus quomodo rem illã hic diffiniamus, erimusq; illi fauentes quantum fert æquitas, quæ comes amicitiæ inseparabilis est. Vos uiri Senenses more uestro B prouidi fueritis, si hac in curia sedulo habebitis Oratores: Quibus & nos magna fide assistemus. Vale Laurentium nostrum iube saluere, & nos sibi offerto, & dominum Galganum pari modo, quia scribere non possumus omnibus. Ex Roma, die XXIX. Decembris, Anno M. CCCCLVII.

De eodem, & seruatum locum pro suo aduentu pollicetur, *Epist.* CCIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Nicolao Pistoriensi Doctori *utriusq; iuris,* S. P. D.

NIhil nobis est dubij te, ut scribis, nostra promotione lætatum esse: Quis enim amicus amici honorem non libenter intuetur? Scis quo te loco habemus, et quanti te facimus. Quid ni ergo læteris nos auctos dignitate esse cum tu unà creueris, si modo creuimus: etenim nobis nondum liquet an lætari an flere potius debeamus ad tantæ dignitatis culmen euecti. Nam quid miserius est quàm id officij gerere cui nequeas satisfacere? Onus grauissimum & humeris nostris omnino impar subiuimus, nisi miserator Dominus qui dedit honorem, & retinendi facultatem præbeat. Intelligimus quantum imminet præcipitium, atq; idcirco de nobisipsis nescimus iudicium. Vtcunq; sit, nostra erga te beneuolentia nũquam minuetur, nam qui te dileximus in Episcopatu, in Cardinalatu magis ac magis amabimus. Famulos quos polliceris recipere non possumus supra quàm nostra ferat facultas onerati. Tibi uero semper erit in domo nostra seruatus locus, si saltem dignaberis apud nos esse, & nos illi sumus qui tibi usui possumus esse. C Optamus mulam aliquam perquiras pro nobis, & requiras precium antequàm emas, ut tibi per Bancum de Miraballis pecuniam mittamus. Vale & dominum Ambrosium ac dominum Alexium nostrum iubeto saluere, nosq; illis offerto & dato. Sileucio amplius dicito ne omnino fidei renuntiet, quamuis indies indignos ad maiores assumi dignitates aduertit, ut nobis modo factum est, nam diuina potentia tunc potissime demonstratur cum subleuat quæ sunt minima, & consilia eius nostra non possunt ingenia attingere. Iterum uale. Datum Romæ, die XXIII. Decemb. Anno domini M. CCCCLVII.

Offert se promotorem quantum possit, *Epist.* CCIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Alexio episcopo Clusino, S. P. D.

COgnoscimus ex his qui Senas ad nos uenerunt promotionem nostram tibi iocundam fuisse, idq; multis signis monstratum esse. Multa hactenus tibi debuimus pro tua erga nos solita charitate, sed nũc magis ac magis obligamur. Erimus itaq; tui semper memores, & quamuis dignitas nobis credita parum merentibus oneri potius quàm honori sit, Si tamẽ in ea boni aliquid erit, id commune nobis cum tua dignatione futurum est, atque ita cupimus persuasum esse. Vale ex urbe, die XXIIII. Decembris, Anno M. CCCCLV.

Confidis

Confidit in Deo qui dignitatem dedit, in sufficienti uires tribuat. *Epist.* CCV.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni episcopo Grossitano, S. P. D.

SI cui promotionem nostram placuisse credimus, id profecto de tua Reuerēda paternitate non dubitamus. Scimus enim quia nos solide amas, & propterea nostri honoris augmētum ueluti tuam gloriam ducis, neq; falleris. Minime enim honorari possumus quin particeps nobiscum sis, nos tamen ignoramus an hæc dignitas nobis credita Cardinalatus decori sit, cum impares sumus tanto muneri. Confidimus in Deo qui dedit ut uires tribuat ad conseruationē huius status. Vtcunq; sit, tibi ipsi persuadere uolumus, nos erga te esse qui olim fuimus ad emolumenta & honores tuos omni tempore uolentes. Tantum rogamus ut si qui sint qui episcopatum Senensem desiderent, id ex capite coneris detrahere, quoniam uiui non intendimus ecclesiæ Senensi dulcissimæ matri & sponsæ nostræ renuntiare. Vale Ex Roma, die XXIX. Decembris, Anno M. CCCCLVII.

Cohibet ulteriorem promotionem, quia mauult pauper amari, quàm diues odiri. *Epist.* CCVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Petro Cardinali sancti Marci, S. P. D.

REfero gratias humanitati tuæ quæ se tā benigne obtulit in materia camerariatus sacri collegij: Voluntatem pro facto suscipio, At cum intelligam id alteri officium haberi, supplico ne ulterius rem promoueas quia nulli reuerendissimorum dominorum meorum, uel grauis uel iniuriosus esse uolo. Maloq; pauper amari quàm diues odiri. Spero tamen tuo auxilio & sanctissimi Domini nostri clementia ita mihi aliquando prouisum iri, ut honeste uitā traducere possim. Ex urbe, die. XXIX. Decembris, Anno M. CCCCLVII.

Nouitates de terræmotu, cometa, & Turcis. *Epist.* CCVII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Diuo Friderico Cæsari, S. P. D.

AVdies ex latore præsentium quàm mirabilia et incredibilia damna fecerit terræmotus in regno Apuliæ. Nam multa oppida funditus corruerūt: Alia magna ex parte collapsa sunt. In Neapoli omnes ferè ecclesiæ et maxima palatia ceciderūt plusquàm triginta milia corpora oppressa ruinis traduntur, populus omnis habitat in tentorijs. Rex Aragonum, qui aberat, audito nouo incidit in febrem, & colicam passionem, ferebatur curatus, nunc dicitur recidiuasse, & uita eius in periculo esse creditur. Quod si moriatur tantus Rex (quod absit) non frustra cometam uidimus. Quod Turci fugati & magna ex parte cæsi fuerunt, gubernator Vngariæ & frater Ioannes obierunt: Comes Siciliæ interfectus occubuerit: Et præfectus urbis comes Taglotonus uita functus sit. Sed uelit pietas diuina tantum Regem adhuc diutius terris concedere, cuius obitus magnam Italiæ & Hispaniæ partem conturbaret. Datum Romæ, die XXVIII. Decembris, Anno M. CCCCLVII.

Pollicetur se promotorem in requisitis. *Epist.* CCVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Mariano Sozino Senensi, S. P. D.

PRomotionem nostram ad Cardinalatus ordinem iam te accepisse nō ambigimus: aucti honore præter merita sumus: Pondus longe maius impositum nobis est, quā ferre possumus. Siquid tamen est in hac dignitate nobis credita quod tibi tuisq; conducere queat, nisi libere nos requisiueris, amicitiæ nostræ ueteri iniuriam feceris. Nam beneuolentia quæ uera est, superueniente quouis bonorum cumulo, plus augeri quàm minui consueuit. Nos te tuisq; rebus deinceps ita utemur, quemadmodum olim soliti sumus. Tu si erga nos secus feceris, hominis officio fungeris, haud recte de amicitia sentientis. Vale ex urbe, die XXX. Decembris, Anno M. CCCCLVII.

Promotionem

A *Promotionem suam notificat,* *Epist.* CCIX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Magistratui Baliæ, S. P. D.

NOn mea uirtus quæ scio quàm tenuis est, sed bonitas summi præsulis Calixti & intercesßio Diui Cæsaris Friderici ad Cardinalatus honorē hodie me prouexit. Nō est cur ex hoc meus turgeat animus. Nam dignitas minus merenti credita oneri potius est quàm honori. Itaq; non ueluti iactabundus collegio uestro promotionē meam significo, sed quia dignum existimo quæcunq; mihi obueniunt, uobis nota efficere. Nam si quid erit in hac noua dignitate mea uel honoris uel emolumenti, id totum desugat dulcisßima patria uolo. Ad me nihil nisi labores molestiæq; pertinebunt. Datum Rom. die XXVII. Decembris. Anno M.CCCCLVII.

Congratulatur promotioni, *Epist.* CCX.

Franciscus Pychonius Aeneæ Cardinali Senensi, S. P. D.

GRatulor Italiæ & reipublicæ Christianorum, & nostræ ciuitati, quibus ob tuā promotionem bene euenisse putaui. Cōmune est bonum, & cōmunis de te est omnibus lætitia. nunquam fuit huic ciuitati tantus animorū consensus in idem gaudiū: Hæc diuinitus instituta credendum est: Nam de sua Ecclesia Deo cura est. Videt quanB ta est hominis, id est tuæ Reuerēdisßimæ paternitatis præstantia, cui benigna est mens hominum deorumq;. Ego quanto gaudio afficiar non possum literis explicare: quandoquidem uincit gaudium magnitudinem omnium epistolarum. Domini de Balia elegerunt me oratorem, necdum me mittunt: spero tamen ante festa natalis iter arripere. Interea rogo tuam Reuerendisßimam Dignitatem, digneris me auditorem tuum eligere: Potes apud te hominem me peritiorem inuenire, hominem uero deditisßimum tuæ Reuerendisßimæ Paternitati, ut ego sum, qui te tuaq; omnia diligat, inuenire nec in Italia nec in Germania poteris. Recommendo me tuæ Reuerendisßimæ Paternitati. Ex Senis, die XXII. Decembris. Anno M.CCCCLV.

Notabiliter de eodem, *Epist.* CCXI.

Georgius Lollius doctor Aeneæ Cardinali Senensi, S. P. D.

GAudeo Reuerendisßime pater, domine mi, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ talem uirum in sacro admisit senatu per quem res sua summa in agendo industria, & optimo in prouidendo Concilio gubernetur. Gaudeo Reuerendisßimæ dominationi tuæ, cui maximis in negocijs labor, & summis in periculis fortitudo, innumeræq; ac ingentes uirtutes partim debitis honestantur præmijs. etsi non ignorem labores cum gloria augeri: Lætor patriæ quæ tantum gloriæ assecuta est quantū ferre petere decuit. C Quod etiam ad summum reipub. maximè profuturum non dubitat, præsertim in hac tam maxima temporum difficultate. Gaudeo lætorq; omnibus bonis quibus uehementius adauctam esse bene agendi auiditatem quis non putet? Cum uirtutes extolli, præmijs adornari uidetur. præcipue literarum studijs dedit, cum talem præ se studiorum suorum ducem intueantur? Lætor summopere mihi ipsi, cui tota ciuitas gaudet, uniuersus populus lætatur, singuli ciues congratulantur: Cateruatim domum uentitant quasi hæc omnia ipse sim adeptus, & id quidem iure. quid enim maius hoc in seculo assequi possim quàm summa gloria extolli eum, qui me ab incunabulis usq; seu à teneris unguiculis semper atque unice dilexit? Cui magis quàm genitori sum obnoxius, nisi reus sim summæ ingratitudinis. qui crimine apud Persas nil olim detestabilius. Etsi nō ignorem fortem & constantem Reuerendisßimæ dominationis tuæ animum huiusmodi in rebus minime efferri, sed inconcussum geri, ut magnanimum decet: onus autem quodcunq; pro Christi religione, & sacrosanctæ ecclesiæ statu æquo animo ac libenti subire: hoc tamen totum ut tibi bonum felix faustumq; sit Deum immortalem oro obsecroq;: Sitq; Reuerendisßimæ dominationi tuæ semper propitius. Ego aūt & sibi Reuerendisßimæ D. tuæ commendatus optime ac feliciter ualeo. Senis XX. Decembris, Anno M.CCCCLVII.

Promotionem suam notificat, *Epist. CCXII.*

Aeneas Cardinalis Senensis, Petro Noxetano, S. P. D. D

QVod cepisti apud Nicolaum pontificem maximum, nunc diuus Calixtus consumauit, sacro collegio Cardinalium sumus aggregati immeriti & indigni quidem. Sed nunc ostentant principes suam potentiam, cum ex infimis sublimes faciunt. Quod aduertens Alexander Macedo, in Asia hortulanum quendam ad regni fastigiũ euexit. Et nos igitur summus dominus noster erexit ex puluere, fecitq́ cum principibus Ecclesiæ sedere. In qua re si quid boni est, id commune tibi nobiscum esse uolumus. Nam si quando te Basileæ dileximus nũc maxime amamus, hoc te scire uoluimus. Vale ex urbe Roma, die XXVIII. Decembris, Anno M. CCCCLVII.

Se offert usui tanquam frater, *Epist. CCXIII.*

Aeneas Cardinalis Senẽsis Ioanni Campisio episcopo Placentino. S. P. D.

AVdisti ex alijs opinamur, nos Cardinalatus ordinẽ adeptos. Et quamuis indigni hoc honore sumus, id tamen tibi gratum esse confidimus. Quis enim amicus est & amici exaltationem non querit? At pro meritis dices, amicum amici dignitatem expetere. Istam amicitiam Stoicorũ fortasse sententia dictauit. Amicitia nostra ex mera prophetia est, & pingui quadam Minerua res metitur suas. Vtcunq́ nobiscum actum est, nostram promotionem tibi dulcissimam fuisse confidimus. Cum ad nos nuncium eius delatum est, uellemus id primi enunciasse patri amantissimo. Sed nulla literarum uelocitas est, quæ famã imitari possit. Audisti ex alijs nobis Cardinalatus creditam dignitatem, audi & nunc ex nobis, & persuade tibi nos eos esse erga te, qui Papiæ, Mediolani, Basileæ, Romæq́ fuimus, & nobis pro ueteri amicitia tanquam fratre amantissimo utere. Ex Roma, die XXVIII. Decembris, Anno M. CCCCLVII. E

Refert grates congratulatori, *Epist. CCXIIII.*

Aeneas Cardinalis Senensis Comiti Iacobo Piccinino, S. P. D.

ILlustris & magnifice comes, amice charissime, accepimus humanissimas literas tuas, quibus de promotione nostra ad Cardinalatum congratularis. Offers officia & operas tuas ad beneplacita nostra, & teipsum efficis nobis commendatum, rogans ut negocia tua cum frequentius requiramur, gratioso fauore exequamur. Respondebimus breuiter huiusmodi argumenta tractanti, qui facta magis quàm uerba requirit. De gratulatione, quam sincero ex animo prodire non ambigimus, gratias agimus, idemq́ pro tuis oblationibus dicimus, sentientes nos propterea tuæ magnificentiæ plurimum obligatos. Honori tuo & commodo, ubi per nos aliquid agendum occurrat, bono animo fauebimus. Vellemus inter te & Senenses eam uigere beneuolentiã, quæ inter eos claræq́ memoriæ genitorem tuum olim uiguit. Sic enim liberiori & promptiori animo & loqui & scribere, & subuenire alter alteri ualeremus. Datũ Ro. die XVIII. Ianuarij, M. CCCCLVII. F

De consolatione super morte, *Epist. CCXV.*

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Miraballio equiti *Neapolitano,* *S. P. D.*

NOn scripsimus tibi statim cum audiuimus dilectissimum filium tuum mortem obijsse. Neq́ enim consolari magnificentiã tuam poteramus, ipsi consolatione indigẽtes. Nihil enim minus me afflixit prudentis & ornatissimi uiri raptus, quàm te eius parentem. quippe tu filij mortem (ut natura iubet) grauiter & acerbe tulisti. Nos & illius obitus & tuus mœror non mediocri dolore affecit. At nunc paululum ad nos reuersi, & humanarum rerum conditiones animo reuoluentes, arbitramur te pro tua sapientia finem luctui posuisse, neque amplius uelle angi super his quæ mutari non possunt. Omnibus una conditio posita est, tandem mori: lex naturæ est immutabilis & ineuitabilis, quæ licet unum quàm alterum serius apprehendit, bono tamen uiro nunquam tempestiuior putãda est, qui ex tenebris transit ad lucem, & ex laboribus ad quietem, ex miseria ad felicitatem. Cum ergo filius tuus uitam mundam atq́ optimam duxit, congaudere illi debemus, qui terrena & transitoria pro cœlestibus atque æternis

A permutauit. Oramus igitur ut questibus & lachrymis modum ponens, tibi & reliquis filijs tuis hilaritatem sumens consulas: neq; enim nobis & ipsi proli tuæ quicquam gratius aut acceptius præstare potes quàm tuam uitam cũ iocunditate & lætitia traducere. quod certe facies cum cogitabis diuinam pietatem de donis innumerabilibus cumulasse. Nam & uitam longam, & opes amplissimas, & regum gratiam, et sobolem dectissimam, et nomen bonum et inter omnes Italos atq; externos maximam reputationem Deus ipse magnus & misericors cum sapientiam ante donasset liberaliter elargitus est. Datum Romæ, die *XVIII.* Ianuarij. Anno domini *M.CCCCLVII.*

Congratulatio super promotione amici, *Epist.* CCXVI.

Pogius Florentinus Aeneæ Cardinali Senensi, S. P. D.

Cum audissem, pater mi reuerendissime, te factum esse sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalem, gauisus sum sane maiorem inmodum, pro ut amor in me tuus & mea erga te obseruãtia postulabat. Id uero maxime mihi fuit uoluptati cernere eã dignitatem (quæ maxima est) in te collocatam, quæ non ambitu uel gratia sed uirtutum studijs quæsita esse uideretur. Accedit ad cõsolationem meam & summã iocunditatem quod uir eloquentissimus optimisq; artibus eruditus, fructum eloquentiæ & doctrinæ B sit (quod perraro accidit) consecutus. In quo gloriari quodãmodo mihi merito uideor, posse nostri quondam ordinis uirũ, hoc est eloquentiæ studijs & dicendi exercitio præstantem eo in statu esse collocatũ, ut suæ doctrinæ æmulos extollere, & eis præsidio atq; ornamento esse possit. Magnum profecto eloquentibus uiris suffragium ex hac tua dignitate propositum esse uidetur, cum sint habituri ueluti certum refugium, in quo illorum desideria conquiescant. Ego quidem primum tua, tũ uero mea, tũ eloquentium omnium causa gratulor & exulto te tam in insigni loco positum, non secus ac si aliqua mihi prospera fortuna accessisset, & illum mihi diem illuxisse felicem puto, quo declaratus es Cardinalis, cum palam factum sit locum esse probitati & doctrinæ & nõ semper neglectam iacere uirtutẽ. Quod uero ad me attinet, magnum rebus meis existimo esse fructum. Scio enim te maiori animo ac promptiori diligentia curaturum quæ ad me pertinent, quàm hi quorum mens & uoluntas remissior est in doctis uiris subleuandis. Sentiant alij quod uelint, uirum doctissimum & ornatum uirtutibus necesse est doctos diligere ac bonos. Nõ mihi tamẽ tãtũ arrogo, ut profitear me doctrina & uirtute prædi tum esse: id dicam dedisse me operam quoad facultas tulit ut non in postremos essem reijciendus. Nolo (ut plures solent) cõmorari in tuis laudibus aut meritis enumerãdis, ne uidear (quod uitium procul abest à meis moribus) adulatoris officium assumpsisse. Hoc tamen profitear tantæ dignitatis tibi gradum tanq̃ tuarũ uirtutũ præmiũ fuisse tri- C butum. Vale & Pogij tui memor. Florentiæ, die *IIII.* Ianuarij. Anno *M. CCCCLVII.*

Suadet fœdus inire cum summo Pontifice, *Epist.* CCXVII.

Aeneas Cardinalis Senensis Magistratui Baliæ, S. P. D.

Decreuerat per hos dies sanctissimus Dominus noster certum oratorem suum ad uos trãsmittere, qui uobiscum ad ea intercedat, per quæ pax uestræ ciuitatis & securitas libertatis & regiminis uestri solidari posset. Et quantum eius mentem capere potuimus, sua sanctitas aliena non esset ad certam uobiscũ intelligentiã habendã, per quam & uestra erga eũ deuotio & sua in uos protectio confirmaretur, augereturq; Ad quã rem etiã nos suã pietatẽ hortati sumus. Veretur tamẽ ipse Pontifex Maximus, ne suus orator frustra de his apud uos ageret, quæ res non esset apostolici sedi honorifica, atque ideo suspendit illius missionem. Quod si uestræ magnificentiæ ad hoc animatæ sint, cupiamq; ueram & efficacem habere intelligentiam cum ipso summo pastore, idq; nobis significauerint, speramus ita efficere quod orator prædictus ad uos trãsmittetur, & ad effectus prædictos operas suas interponat. Nos autem aduertentes animo quantas superioribus diebus uestra respublica passa est calamitates & ad ea sedulo intẽden-

tes per quæ uestrum regimen patriæ uestræ (ut quidem putamus) saluberrimum confo-ueat & stabiliatur, nihil arbitramur utilius quã hoc tẽpore ciuitatem uestram cũ omnibus bonam amicitiam & uicinitatem, cum summo uero pontifice specialem habere intelligentiam, qua ille uos ut filios tueatur et uos eum ut patrem reuereamini. Super qua re uestrũ responsum præstolamur. Datum Romæ XXII. Ianuarij, Anno M.CCCCLVII. D

De eodem, & credita reposcit, *Epist. CCXVIII.*

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Bichio ciui Senensi, S. P. D.

VIdebis quæ scribimus magistratui Baliæ: cogita super illis, & nobis rescribe. Nos salutem uestri regiminis in eo consistere arbitramur, ut cum uicinis omnibus bonam amicitiam tenentes, cum summo pontifice specialem intelligentiam habeatis. Etenim uos cum Papa patre omniũ specialiter colligatos nemo infestabit. De alijs aũt uestrum sit cogitate. Præterea non habebunt locum rebelles uestri, unde quouis pacto uos offendant si Papæ uniti eritis. Verum hæc cogitari nullo modo queunt, nisi res pecuniaria à uobis absoluatur. Suademus ne cum illo, qui uobis libertatem tutatus est, & in futurum tueri potest, et uult si uos uolueritis, de pecunia modica contendatis. Nos insuper scientes tibi commissam esse expeditionem crediti nostri, commendamus eam rem amico optimo & singulari quem scimus nobis non defuturum. Ex urbe, XXII. Ianuarij, Anno M.CCCCLVII.

De eodem, *Epist. CCXIX.* E

Aeneas Cardinalis Senensis, Christofero Gabrielis ciui Senensi, S. P. D.

SCribimus magistratui Baliæ aliqua quæ credimus ad utilitatem reipublicæ pertinere. Ea uidebis et intelliges. Scimus magistratus uestros omnia melius intelligere per sese quàm nos cogitare possumus: tamẽ ut hi qui patriæ nostræ tenemur consulere, cogitauimus quæ credimus esse salubria eidem. Rogamus examines omnia & quæ uobis meliora uidentur nobis significes. Nos enim ubi uidemus patriæ uestræ & præsenti eius regimini posse bene consulere, non deerimus. Insuper quia tibi commissa est & aliquibus alijs expeditio nostræ crediti, petimus ut tanquã amicus noster (de quo plurimũ confidimus) operas tuas impartiaris cum effectu ut nobis fiat, satis quia multis urgemur oneribus. Datum Romæ, XXII. Ianuarij, Anno M.CCCCLVII.

De eodem & petit responsum, *Epist. CCXX.*

Aeneas Cardinalis Senensis Leonardo de Beneuolentibus *ciui Senensi, S. P. D.*

SAepe simul locuti sumus de Republica Senensi. Fuitq; nostra (si recte meminimus) sententia expedire ciuitati Senensi, cũ uicinis omnibus pacem habere illisq; morem gerere, ubi sine detrimento magno id fieri posit. cum Papa uero omnium patre amplius atq; amplius sese intelligere. Nam Papæ colligatos nullus Italiæ potentatus uexare audebit. Secus si alterius principis aut populi uestra respublica fœderibus implicetur, perseueramus nos eo ipso in proposito, atq; ideo dominis Baliæ super ea re scribimus. Fac, rogamus, ut responsum detur. Namq; si uestros animos ad eam rem uolentes inuenerimus, arbitramur salubrem rem procuratum iri ciuitati, & patriæ uestræ & potissime regimini præsenti, aufereturq; uestris hostibus nocendi facultas. Verum difficile est de his aliquid tractare, nisi res pecuniaria componatur, & quæ Papæ & quæ Piccinino debetur. Nec nobis aut honorificum aut utile uidet uestris magistratibus cum eo de pecunia contendere, qui ciuitatẽ ipsam uestram de morte reuocauit ad uitã. De proposito tuo curabimus ea fieri quæ digna sũt. Iamq; capitulo uestro scripsimus, responsũq; præstolamur. Datum Romæ, die XXVI. Ianuarij, Anno M.CCCCLVII. F

Congratulatur promoto optans salutem plurimam, confisus de patrocinio, *Epist. CCXXI.*

Borcius dux Mutinæ Aeneæ Cardinali Senensis, S. P. D.

CVm primum nobis nunciatũ est Cardinalatus dignitatem ad te, Reuerendissime pater esse delatã, maximũ in modũ gratulati & gauisi sumus. Nam cũ tua uirtus, doctrina, morũ elegãtia, & uitæ sanctimonia nobis iam pridẽ cognita et perspecta esset,

A esset, eã tibi iure optimo deferri cupiebamus. Agebat huiusmodi desideriũ nostrũ mutua charitas & singularis beneuolentia qua inuicem obstringimur. Itaq; certo teneas maiorem etiã quam declarare possumus, ex tanto munere uoluptatem cepisse. Sic ipse Deus noster à quo omnia bona procedunt, longæuum te faciat, præstetq; ut eo bene beateq; semper usq; ad extremum perfrui possis. Referente clarissimo Iurisconsulto domino Iacobo nostro intelleximus quàm pleno cordis affectu, tua Reuerendissima dominatio nobis afficiatur: Et quod de ea deq; statu suo omniũ quantumuis amplissimo non minus quàm de nobis ipsis ac nostro disponere possemus. Et ita hac spe & fiducia freti de cætero in his quæ nobis Romæ semper tractanda erunt, ad tuam Reuerendissimam dominationẽ, ut ad dominum & præsulem, in quo summam fidem & spem locauimus, audacter recurremus. Quod uero reliquum est, tuæ Reuerẽdissimæ dominationi nos nostraq; omnia plenissimis manibus offerimus, ita ut eius uti & abuti possit pro sua uoluntate & arbitrio: quod quanto liberius id fecerit Reuerẽdissima D. tuæ, sciat nobis tanto gratius esse futurum, Datum die XV. Ianuarij. Anno. M.CCCCLVII.

Denunciatur promotio utrorumq; amici, *Epist.* CCXXII.

Priores & gubernatores ciuitatis Senarum Borcio *duci Mutinæ, S. P. D.*

B NVncium hodierna die nobis allatum est, quosdam nuper Cardinales esse designatos immortalis Dei gratia: inter quos unum esse Reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Aneã ciuem & episcopũ nostrũ dignissimum. Quem uirum iam dudum cognouimus integerrimis moribus, summa probitate, mirificiq; uirtutibus & doctrina præditũ, natumq; claris parentibus & ex modesta & antiquissima familia nostræ ciuitatis Quod quidem non modo urbi nostræ uerum uniuersæ reipub. salutare admodum faustumq; fore existimauimus. Idcirco cum omnia quæ accidant communia nobis esse cum tua illustrissima dominatione arbitremur, significandum duximus congratulandum quoq; eidem illi dominationi tuæ, quam perpetuo felicẽ esse uehementer cupimus. Ex Senis die XIX. Decembris. Anno M.CCCCLVII.

Pollicetur diligentiam super commendatis, *Epist.* CCXXIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Iohani Frunt protonotario Coloniensi, S. P. D

ACcepimus literas tuas quibus rẽ tuæ præposituræ nobis efficis cõmendatã. Amamus te & semper loco fratris amauimus: Nec mõ de nostra mente decidisti, nec decidere potes dum fruimur aura. Obtulimus procuratori uestro nostras operas: Siquid erit quod ille nobis expetierit haud quicquã frustrabitur, si mõ res erit quæ
C uires nostras non superet. Cupimus te uidere atq; amplecti aliquãdo (si Deus dederit) antequàm hac luce migremus. Ex ueteribus enim ueris ac solidis amicis quos Basileæ dileximus pauci tecum supersunt, & uita nostra instar rapidi abit Non possumus tenere lachrymas cum priscæ beneuolentiæ nostræ mentio incidit. Itaq; iam uale & Reuerẽdissimo domino Coloniensi commendatos nos effice: nam sui sumus. Tilmanno præposito sancti Florini & Iohani Polart nostro nomine salutes dicito, simulq; Ioanni Vuinderos nosq; illis ad quæuis beneplacita offerto. Iterum uale.

Grates refert de congratulatione promotionis suæ, *Epist.* CCXXIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Anthonio Petri Collensi, S. P. D.

TAm iocũdæ fuerunt nobis literæ tuæ quibus de suscepto Cardinalatus honore cõgratularis, quã tibi gratã respõsionẽ nostrã esse cõfidimus. Nihil nobis dubij est & Anthonio & tibi nostrum omne decus summopere acceptũ esse. Sed utinã dignitati satisfacere possumus, & ita nobis Deus agere uitam tribuat, ne munus quod nobis splendori est ex nobis polluatur, quandoquidem impares sumus qui hoc gradu debeamus. Speramus (si Deus annuerit) æstate proxima patriã reuisere: Tumq; et Anthoniũ et te illic conuenire & amplecti quos amamus & amabimus dũ præsenti fruimur aura,

 neq; uera

necq uera beneuolētia superuentu dignitatis auferet. Rogasti ut rescriberemus: fecimus nō inuiti, & manu propria quod iam nobis perrarū est, breuem hanc epistolam exarauimus. Sumus in scribendo breues: In loquēdo longiores erimus. Vale & nomine nostro Anthonium ualere iubeto. Ex urbe die XXII. Februarij. Anno M. CCCCLVII. D

Petit moniales pro se Deum exorare ut collato honore digne præesse possit. Epist. CCXXV.

Aeneas Cardinalis Senen. Dorotheæ sanctæmoniali suæ *consobrinæ, S. P. D.*

CHarissima soror & filia in Christo amātissima lætati sumus in tuis literis quas tua uice uidemus. Cōsolatur nos tua uita Deo (ut cōfidimus) accepta. Perge & seruito Deo qui seruos suos sui regni consortes facit. Congratularis nobis pro dignitate Cardinalatus. Graue pondus accepimus, & magis quàm nostri queant humeri ferre. Tu ancilla Dei fac quod dicis, roga Deum pro nobis. Idem quocp ut reliquæ sorores tuæ faciant exhortare. nisi enim diuina opituletur gratia, non est quod tantam ferre sarcinam ualeamus. Confidimus in tuis orationibus & aliarum personarum Deo dedicatarum. Priorissam tuam ut nostro nomine salutatam reddas uolumus, quam sanctam esse uirginem & matrem accepimus, & optimè filias suas in monasterio gubernare. Placet Deo, placet ciuitati & nobis, perseuerate. Omnis breuis est uita. Et quamuis est labor esse inclusum, non sunt tamē passiones huius seculi quæ cōparari possent ad futurā gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Gregorius Lollius frater tuus & noster nobiscū est, & bene habet: noli eius causa te afflictare. Bene uale. Ex Roma die XXII. Februarij. Anno M. CCCCLVII. E

Expedire scribit oratorem apud sanctissimum haberi, & in carceratum emancipare, Epist. CCXXVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Magistratus Baliæ, S.P.D.

REtinuimus tabellarium uestrum in hanc usq diem, ut (si possemus) rei uestræ melius consuleremus, & circa negotia tritici, & circa montē Acutum. sed non potuimus aliud obtinere quàm pridem, imò nescimus unde procedat sanctissimus dominus noster qui prius ait uelle pecunias ex pascuis prouenientes conuerti in solutionē castri custodiæ. nunc mutatus est necp audire uult uerbum. Itacp (sicut in alijs literis uobis scripsimus) utile uidetur nobis mitti huc aliquem Oratorem laicum, qui audacter loqui possit. Nam sua Sanctitas statim nos tacere iubet cum de hac re loquimur. Et dignū est nobis obedire. Oratori uestro aliter eueniet, cui nos etiam assistemus. Et profecto quanto plus hæc materia montis Acuti differtur, tanto peius est. Speramus si mittetis Oratorem, fortasse dominus de Vrsinis contentabitur de pascuis, si tamen præueniatur solutio eorum. Alioquin de bursa Papæ nihil extrahetur: in mora periculū est multis respectibus. Videbitis quæ scribit dominus noster in breui suo, & de pascuis mutatū est ut præfertur. De tritico nō est mirum si haberi nequit. Nam nec per usum subditi ecclesiæ triticum (ut petebant) habere potuerunt, et Franciscus Venerio ob rem frumentariam male administratam in carcerem coniectus est, itacp desperata est huiusmodi materia. Scripsimus nuper de domino Gregorio: Facietis nobis rem gratissimā si eum absoluatis ab impositis sibi calumnijs. necp dignum est ut ad relationē nepharij hominis & in tortura loquentis ac de auditu asserentis, non de uisu, uir bonæ famæ Doctor insignis, & ciuis non ex ultimis dehonestetur. Tunc si cætera deessent, illud suffragari deberet, quod noster frater est, & uiuit nobiscū, qui uere reipublicæ, nō uulgariter seruiuimus & in futurum (si uita comes fuerit) possimus aliquando prodesse, quod fecimus & faciemus omni tempore animo uolenti. Mittimus uobis Quitantiam Papæ per suum breue nobis directum, & comitis Iacobi per publicum instrumentum. Superest ut de futuris solutionibus in tempore prouideatis. Datum Romæ, die XXII. Februarij. Anno domini, M. CCCCLVII. F

A *Notificat suam promotionem, & offert sed ad beneplacita obsequiosum.* *Epist.* CCXXVII.

Aeneas Cardinalis Senensis Theoderico archiepiscopo *Coloniensi,* S. P. D.

SCio semper me charum & acceptum fuisse Dignationi tuæ postquam Germaniã incolui, à quo tempore iam IIII. & XX. anni decurrerunt. Plurima enim beneficia, plurimosq; fauores impendisti mihi, sed non ualui rependere uicem. Quid ego uermiculus contra tantum principem præstare poteram? Non fui tamen ingratus (siquidẽ gratia etiam solo animo impenditur) colui ego Dignationem tuam, amaui, obseruaui supra ceteros nostri seculi principes, & cum aliud nihil possem nomen tuum quocunq; diuertebam, et si non paribus uirtuti tuæ, at saltem quibus poteram laudibus extollebam. Nihil est quod ultra tũc principi de me optime merito exhibere quirem. Nunc fortasse & si minimum est quod ualeo, aliquid tamen plus Dignationi tuæ conferre quã prius licebit, quando Cardinalatus honorem non meis ullis meritis, sed diuina charitate & summi præsulis beneficentia sum assecutus. Atq; hoc est quod his literis tuæ Dignationi notificare libuit. nam ego qui tuus clericus, præsbyter, & episcopus fui, tuus quoq; B Cardinalis esse non desinam. Vtatur me igitur Dignatio tua, neq; mihi ullo in tempore ullo in labore ignoscat, nam tunc me uiuere iuuabit, cum pro te, tuis consanguineis, amicis, beneuolis exercebor. Datum Romæ, XXIII. Februarij. Anno M.CCCCLVII.

Consiliatur amico quomodo consequatur notabile commendatum monasterij, *Epist.* CCXXVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Roderico Cardinali sancti Nicolai, S. P. D.

TRine iam mihi redditæ sunt literæ tuæ suo more suauissimæ, & ab amantissimo pectore prodeuntes, prioribus respondi non ut debui, sed ut potui. Quis enim tam uisceratæ charitati satisfacere possit? Scio quid debeo, facio quod ualeo. Ad ultima scripta propero, non repeto quod beneuolentia ultra citroq; posset. meus animus tuus est: dabunt aliquando testimonia non uerba, sed opera. Summo pontifici non desino de charissimo sibi nepote, cum se offert occasio, loqui: nec prætereo intactam cancellariam. nihil adhuc solidi est manet, arbitror, alta mente repositum cõcilium. Non omnia prodit senex quæ facturus est. cum negat, tũc maxime cupit. Non cessabo cum licebit, iterum atq; iterum perloqui. Fama hic est uacasse episcopatum Tulensem. Episcopus eius loci monasteriũ commendatum habuit, cuius animus ualor mille & quingẽtorum aureorum esse fertur sub ditione ducis Burgundiæ. Dominus noster id tibi commenda C turũ se ait. Rothomagensis eius rei promotor fuit. Ex usu erit illi scribere & rogare eum ut rem peragat. Quod si feceris noli me quoquo mõ nominare, atq; hæc secreta sint: Ita enim expedit. Intellexi quæ scribis de presidatu Fabriani. Rogo uelis hortari ciues eius oppidi, ut ex nunc eligãt Bartolomæum Massanum illum Doctorem & affinem meũ, neptis meæ uirum pro sex mensibus sequentibus amicum magistri Simonis. Electio enim solet fieri post introitum potestatis noui inter duos menses. Itaq; utile fuerit præuenire. Scio illos cõplacituros Dignationi tuæ. Summus pontifex bene ualet. Datarius (ut fama est) thesaurarius creabitur, & Bartholomæus Regnatius protonotariatus dignitatem assequetur. Cardinalis Papiensis infra biduũ aduenturus fertur. De Neapolitano nihil est certi cum Rex ille non omnino cum pietate apostolica cõsonet. Florentini arbitrali domini nostri sententia in XVIII. milibus aureorũ damnati sunt, dominis Gambatritis ob certa, quæ illis oppida abstulerunt. Nihil plus noui est. Commendamus nos tibi cui seruire præsto sumus. Ex urbe die XXII. Februarij, Anno M.CCCCLVII.

Refert grates clero suo per procuratorem suum de charitatiuo subsidio, & præcipit satagere ut detenius emancipetur. Epist. CCXXIX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Francisco Picholomeo, S. P. D.

ACcepimus tuas literas triplicatas. Ad priores respondimus, quibus de locatione episcopatus mirari uideris. Nihil est quod inde commouearis. Nos clero nostro nunquam oneri fuimus, nec uolumus esse: Quippe qui plebem, non modo clerum, affectu colimus singulari. Non disponemus, ut putamus, de illo regimine ante aduentum uestrũ. Et tunc faciemus ut bonum pastorẽ decet, qui non commendat oues lupis. Placet quod fecisti cum clero: sumusq; de ducentis ducatis contentissimi, scientes inopiam in qua estis. Placet quoque differre ad tempus exactionem mediæ partis. Volumus ut nostro nomine ipsi clero gratias agas, & dicas nos semper futuros ad ea quæ illis conducant, paratos. Miramur capitulum in facto præpositi non aliter de nobis quàm scribat, fidem adhibuisse: nec scimus an uelimus hoc onus iudiciale accipere, & strepitum illum audire. Cupimus Leonardo Beneuolenti hæc ipsa referas. In facto Gregorij laudamus diligentiam tuam, utq; cõtinues hortamur, donec bonus assit exitus. Nam Gregorius, ut uidimus ex copia citationis, prorsus est innocens. Ait enim qui eũ criminatur, Anno domini M. CCCCLIIII. mense Aprili, locutum esse Gregoriũ cum aliquibus in sancto desiderio. Iterum eodem mense paulopost fuisse in domo omnimo de bellantibus. Iterum eodem mense paulopost fuisse, ut audiuit accusator, ipsum Gregorium in domo oratoris Veneti, & ibi scripsisse cum alijs cum Iacobo Piccinino. Vides cum non ponatur dies mensis, rem protendi uerisimiliter ad XV. & XX. diem Aprilis antequã scriberetur Piccinino. At Gregorius quarta mẽsis die ex Senis abijt ad Regem Aragonum: accusator insuper de audito loquitur. Ista non cohærent. Præterea uelis hominem innocentẽ iuuare, & potissime nostro intuitu, imo iussu. Tibi enim præcipimus ut prælatus tuus ne quo pacto hanc defensionem prætereas. Scimus uiros magnificos Ioannem Gucci, & Franciscũ Luctium, & Christoferum Nantis amicos esse nostros, nobisq; fauere. Hos autẽ alios adito, & cura hanc causam pro nostro desiderio terminari, quandoquidẽ nos semper ad ea tẽdimus quæ sunt illi regimini utilia & honorifica. Vale ex Roma, die XXIII. Februarij. Anno M. CCCCLVII. De nepte nostra dicito, cum parentibus nos manus lauimus.

Gratanter suscipit carmen de eius præconijs compositum. Epist. CCXXX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Lodosio Crebello Mediolanensi, S. P. D.

ACcepimus carmen tuum, Lodusi nobis amantissime, non sine animi singulari uoluptate, quamuis nobis plura tribui uis quã debita sunt. Scimus imperfectum nostrum & quàm procul ab eo simus homine, quem describis non ignoramus. At si peccare erga nos aliquem oportet, malimus laudando quàm uituperando metas ab illo transgredi. Fecisti quod amantes consueuere. Dixisti de nobis non quæ modo sciebas, uerumetiam quæ uoluisses esse uera. Permittimus omnia dilectioni tuæ. Nesciebamus ante hos dies ubi locorum esses, uel quæ te fortuna teneret: nunc certiorati sumus & tuis scriptis & ducalis oratoris uerbis, esse te optimo loco apud illustrissimũ & magnanimum ducem Mediolani ab eoq; diligi: Id est supra modum nobis gratissimũ. Videmus enim tuæ uirtuti quã semper magnifecimus, suum locum esse tributum. Dignus est ille cui seruias. Nam cui hoc tempore honestius famuleris quàm ei qui totius Italiæ splendor esse & decus singulare omnium iudicio existimatur? Perge oramus, & illi ut tua probitas te hortatur, indefesse tuos præbe labores: neq; enim sinet ille tuam uirtutem iacere. Cum autem facultas aderit nos illius excellentiæ cõmendatos efficies, qui pro singulari munere feremus, si quando aliquid accidat in qua sibi seruire ac prodesse possimus. Vale ex urbe, die XVII. Februarij, Anno M. CCCCLV.

Amicitiam

Amicitiam suam notificat, & se commendari exorat principi, Epist. CCXXXI.

A Aeneas Cardinalis Senensis, Stephano de Curte, S. P. D.

EXpectauimus, insignis eques, post nostrā ad Cardinalatum assumptionem, duos mēses si forte aliquid nobis scriberes. Videbat enim nobis à te scribēdi initiū sumēdū, ne gloriabūde nouā dignitatē nobis creditā significare uideremur. Nescim9 quid factū sit, nullæ ad nos tuæ literæ allatæ sunt, nec de te quidq audiuimus. Fatemur nos uictos esse silentio tuo, neq; posse tandiu tacere quàmdiu ipse taces. Fortasse tibi æquius uidet nos ante scribere debuisse. Credim9 tibi, & ab optimo singularią; amico non ægre uincimur. Habeto igitur has literas quibus non promotionē nostram (quam per multorum cognouisti literas) sed animum nostrum erga te illum esse scias qui semper fuit. Amauimus te unice in episcopatu: Amamus & in Cardinalatu non minus: tu nosti naturam & mores nostros: non tumemus nouis honoribus quos nobis oneri cognoscimus: horrescimus, cum eo loco nos euectos cernimus quē uiris clarissimis debitum intelligimus. Veremurq; ne gradus nostra uirtute altior ad ruinam nobis sit, atq; ideo si unquam amicis eguimus, nunc potissime illorum nobis copia necessaria est. Et quoniam te ueracem & amantissimum experti sumus, non possumus te pro ueteri consuetudine non colere & obseruare. Cupimusq; idem erga nos te agere & B eundem esse modo qui fuisti hactenus. Expectamus tuas literas quibus de tua fortuna, & tui principis optima ualetudine atq; felicitate certiores nos efficias. Gratum autē nobis fuerit si nosipsos domino duci comēdaueris, & quanta sit nostra in eum deuotio demonstraueris. Si enim quisquā est principum Italici nominis, cuius prosperitati faueamus, is unus est cuius ingenti uirtute & clarissimis rebus gestis nostrū seculum illustrabitur. Cumq; ille in hac curia plurimos habeat seruitores, nobis quidem circumspectione, doctrina, autoritate præstantiores, at fide & effectu qui nos erga eum superet neminē. Atq; hoc te illi nomine nostro dicere & affirmare optamus. Vale, Ex urbe die *III* Februarij, Anno. M.CCCC LVII.

Congratulatur promoto ex uirtutibus enarratis è merito, Epist. CCXXXII.

Andreas Contrarius Venetus Aeneæ Cardinali Senensi, S. P. D.

POstquam mihi Neapoli allatum est, Reuerēdissime pater & domine, sacrosancto collegio te associatum, sane (ut debui) cōgratulatus sum Ecclesiæ Dei. Dehinc ut tui amantissimus atq; obseruantissimus maximo gaudio ita me Deus amet, atq; incredibili lætitia affectus sum. Tu enim, Reuerendissime pater cum pro uiribus de sacrosācta Romana ecclesia, nūc publice nūc priuatis semper benemeritus sis, profecto nūc egregiæ tuæ uirtutis præmia cum ingenti laude & gloria pulcherrime es consecutus. C Præsertim cū semper ea de te omniū esset opinio, pro tuis amplissimis atq; maximis in rempublicā Christianam meritis & officijs, pro gloria rerū à te gestarū: pro tua sūma integritate, constantia, religione, sanctimonia, prudentia, doctrina, eloquentia, & (ut uno uerbo perstringā) diuinarū atq; humanarū sciētia, ut ab omnibus sūmo sacerdotio dignissimus habereris. Non scribo hæc temere: noui animū, noui ingeniū, noui cōsilium tuum, nēpe quāti te fecerit uir ille diuinus Nicolaus quintus Pōtifex maximus. Qui quidē cū esset (ut ita dicam) spectator personarum, ut omnibus notū est, mirum in modum delectabatur suauitate ingenij tui, probitate, uirtute, innocētia atq; incredibili sapiētia: ut te nō solū dilexerit, uerū etiā amauerit ardētius. Argumēto sunt suis in rebus maximis & grauissimis ad mūdi Reges & principes tot clarissimæ legationes, quibus quidē pro repub. pro Ecclesia Dei ac pro totius Christiani populi pulcherrime, integerrime atq; sanctissime functus es. Quid dicā de illustrissimis atq; inuictissimis orbis principibus, scilicet Friderico Cæsare Augusto Romanorū Imperatore, atq; Aragonū Rege incly to Alphonso, quorū alteri tuis præstantissimis rebus gestis quàm charus, quàm iocundus, quamq; gratissimus fueris, quippe amplissima atq; maxima ista tua fortuna atq; dignitas declarat. Alter uero sæpenumero multis audientibus ita regiè, ita honorifice, ita generose, ita magnificè atq; splendidè de te loquit, & quidē cum summo omniū fauore

atq;

atq; assensu,ut & mihi dictu fortassis & tibi suasu difficile esset. Sed quid ago? respub. sane cum impræsentiarum congratulatione utendum esset abundantia quadam amoris mei erga te,ut tibi animus meus multo notior atque illustrior esset, hoc tempore facere non potui quin parum de tuis laudibus scriberem. Verum consultius eas in aliud tempus differamus. Deindeq; ne longior sim,Excellentiam tuam oro,ut postquam,fauente Deo immortali, ad tantæ dignitatis culmen euectus es, hoc est ad apicem Cardinalatus, quàm humanissime, quemadmodum superiori parte solebas,me animo complectare. Is enim sum,Reuerendissimè pater & domine,qui pro mea uice,fide,charitate ac beneuolentia uehementer cupio excellentiam uidere tuam & alloqui quod breui spero me consequuturum. Valeat Excellentia tua. Ex Neapoli pridie Idus Ianuarij. Anno M. CCCCLVII. D

De eodem, Epist. CCXXXIII.

Bartholomæus Factius Aeneæ Cardinali Senensi, S. P. D.

ET literas meas, Reuerendissime pater,Dominationi tuæ à legato Senēsi redditas, & congratulationē meam tibi gratam extitisse lætor,teq; existimare magnæ mihi uoluptati fuisse dignitatis tuæ ascensionem. Ego enim nullum meum in te officiū sine magna reprehensione uideor mihi posse præterire. Tanta est enim tui erga me amoris magnitudo, ut quamuis maxima tibi optare amplitudini tuæ seruire debeam Habere te multos existimo qui Dignitati tuæ faueant, quiq; te in amplissimo statu cupiant: E Sed certe non concedam ut eorum quisquam tibi aut uehementius affectus aut honoris tui cupidior sit. De quo plura ad te scribere uereor, ne dubitare uidear animum in te meum Dominationi tuæ non satis exploratum esse. Pollicitationes tuas mihi gratissimas fuisse scito,præsertim quod eas ab optimo animo profectas scio, ac pro his Dominationi tuæ gratias ago. Vbi opus fuerit et opera tua libenter utar, et quid agi uelim præscribas. Expectamus Regem breui ex Apulia Beneuentū iam profectum. Ego ad urbem redij, quamuis de terræmotu nonnulla adhuc suspitio sit. Librum quem de uiris illustribus scripsi Regi dedicaui, ac tradidi. Inquo opere ut aliquando uidebis, si non quantū uirtutum tuarū magnitudo postularet, at quātum ingenij mei paruitas potuit, quantumcunq; res ipsa passa est, tibi à me tributum cognosces. Siquid uero est quod à me agi Dominatio tua cupiat, iube. Vale pater Reuerendissime, & domine mi præcipue, Ex Neapoli.

Iniuste damnatum excusat, Epist. CCXXXIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Bartholomæo *Massano, S. P. D.*

INtelleximus eximie Doctor & fili noster amantissime, quæ ad nos scribis de fratre nostro Gregorio, non tuo ex indicio prodijsse, sed alium quempiam ut ad nos ea scriberes, suasisse. Respondebimus tamen tibi breuiter. Gregorium nos iniuste damnatum, non arbitramur modo, sed scimus. Si tamen pœna ea esset quæ tolerari ab eo posset, suaderemus collum summitteret et fortunæ nouercanti cederet Sed quid tibi uidetur ducentos aureos soluere & uiginti annis relegari? Quo argento Papiam Gregorius petet omni ære uacuus, et nihilominus auro mulctatus. faciet quod sibi libuerit, impossibilia nō suadebimus. Quod si patria idcirco nobis indignabitur, si populi Senensis fauore priuabimur, si maledictis & obprobrijs subijciemur, non erit hoc primū: Sufficit nobis cōscientia nostra: Scimus indigna nos esse passuros. Et id quidē uerū est: Omnes qui pie ac iuste uiuere uolūt, persecutiones patiuntur. Seruiuimus hactenus patriæ magnis in rebus & fideliter & utiliter: non meremur hæc præmia, fratrem nostrū in domo nostra manentē, uirum bonum atq; innocentissimū de re publica optime meritū tam atroci sentētia opprimi. Putabamus, etiam si noxius idē fuisset, ob nostra tamē in patriā merita, eundē nobis cōdonari: & tu bone uir, times ne popularem aurā & plebis rumusculos admittamus. Vtent̄ arbitrio suo Senēsi: Nūqd in nobis causam inuenient cur nos oderint? Si Gregorius ius suū apud Romanū Pōtificē prosequatur, & auxiliū petat, op F

pressus

A pressus uir est, ætatē habet, pro se respondebit. Nos nihil male eū agere arbitramur, quæ iudiciali uia suā innocentiā, ostendere conatur. Scripsimus Baliæ & ciuibus pluribus, nihil ualuere preces nostræ: patimur, nec propterea populo indignamur. At si populus cōtra nos ipse mouetur, Deus inter nos disiudicabit. tu (ut uideris) Senis perseuerare uis, procul à proposito de quo olim locuti sumus. et ad Stephanū scribis. Vincat tuus sensus & tibi habe delicias Senenses, nos Romæ etiam sine te tuisq; uiuemus. Nunc proficisci tur ad uos Episcopus Aretinus legatus papæ. Iube eū in domo nostra recipi, & sibi cuncta ministrari pro persona ac iumentis dū ibi manserit. Vale ex Roma, die IIII. Martij, Anno M.CCCCLVII.

Demandat procuratori ut legatum summi Pontificis prouisum recipiat, & audacter illi assistat, Epist. CCXXXV.

Aeneas Cardinalis Senensis Bartholomæo procuratori suo, S. P. D.

VEnit in præsentiarum ad ciuitatem Senensem Reuerendus pater dominus Angelus Episcopus Aretinus sanctissimi Domini nostri legatus pro nonnullis rebus arduis. Et inter cætera etiam de Gregorio nostro uerba faciet. Volumus igitur ut eam in domo nostra recipias, sibiq; & familiæ suæ, iumentisq; honestas ac decentes ministrare studeas expensas dum sibi manserit, & ita secum te & cum suis habeas, ut in reditu eius optimam de te relationem habeamus. Tu quoq; et Vicarius noster sibi in agē- B dis assistetis, ita tamen ut non meticulose (ut soletis) sed ardenti animo, & audaci mente causam iustissimam Gregorij tueamini, & ita nostro nomine ipsi Vicario dices. Scripturas insuper, de quibus scripsisti, nostras per ipsum Episcopum ad nos remittere poteris. Cogitauimus de tritico Sonitillæ, utile uidetuur id adhuc non alienari, nisi aliud scripserimus & ita illi præsbytero iubebis. Datum Romæ, die IIII. Martij, Anno CCCCLVII.

Scribit ne affectionem taciturnitas diminuat, Epist. CCXXXVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ludouico Cardinali sanctorum IIII. coronatorum, legato Bononiæ, S. P. D.

NIhil scripsi Reuerendissimæ paternitati tuæ ab ea die de qua hinc recessisti usque nunc. Nihil enim erat scriptione dignum. Fuit tamen animus meus erga Dominationem tuam, semper intentus, memorq; suauissime conuersationis nostræ: nec modo quicquam est quod magnopere memorandum sit. Sed uincendum fuit silentium, ne taciturnitas affectionem diminutam significaret. Cupio nosse qui sint tuæ Reuerendissimæ Dominationis successus. Neq; ego quicquam audiam libentius quā pro uoto cuncta tibi succedere. Hinc quod scribam, nihil aliud est nisi sanctissimum dominum nostrum bene optimeq; ualere, & reipub. pro sua consuetudine utiliter præesse. Siqua sint in quibus Dignationi tuæ aut uoluntati utilis esse possem, cupio pro imperio C tuo me utaris ad mandata paratissimum amicum Ambrosij nostri Ioannem de Apannochijs digneris commendatum habere, qui ambo tui sunt, nec plura. Recommendo me iterum atq; iterum tibi. Ex Roma, die VIII. Martij, Anno M.CCCCLV.

Nouitates refert, & dire cum captiuo egisse reprehendit, Epist. CCXXXVII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Magistratui Baliæ Senensis, S. P. D.

QVæ de Iacobo Piccinino scribitis, accepimus etiam aliunde, sed absq; fundamento, neq; putauimus dignam rem esse quam scriberemus. Nunc quoq; non arbitramur futurū hocipsum, sed accepimus aliquos ex comitiua illius uenturos in auxilium comitis Euersi contra Vrsinos quàmprimum herba uireat pazalia, & nescimus, quis alium peditum ductores multi sunt. dies cassi sunt, non à Capitaneo, sed ab ipso domino nostro, cum nimis multa peterēt. An hi sunt qui cum Luca Sclauo territorium uestrum inuadere conentur ignoramus. Vtile est opportune prouidere & reipublicæ bene cōsulere. Nos Papā alloquimur (ut petitis) & responsum significabimus. Gaudemus de aduentu Leonardi oratoris uestri, quem uirum & solertem & circunspectum nouimus. Vtilis erit eius mora in hoc loco. De Gregorio nostro longe aliter, quā nos, sentitis. Non eñ misericorditer sed seuere & dire secū egistis. nec satisfacit quod dicetis: mensem datū ad purgationem, siqui uelint se innocentes ostendere nisi id fieret

in loco

in loco tuto. Videbimus tamen quomodo respondebitis Oratori apostolico, & si quid ualent dicta Papæ & preces nostræ. Datū Ro. *VIII.* die Martij, Anno *M.CCCCLV.* D

Commendatoria cum clausula Credentiæ, Epist. CCXXXVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Sacræ Imperiali Maiestati, S. P. D.

REuertitur ad maiestatem tuam uir bonus & honore dignus Henricus Senftleben Sublimitati tuæ & imperio sacro deditissimus, mihi autem singularis amicus, & qui iussu tuo promotionem meam magna fide exacta, ac singulari prudentia prosecutus est. Non est cur eum tuo culmini commendem, quem scio acceptissimum. Is referet quæ apud nos aguntur omnia, & habet in mandatis exhortari uice Oratoris Serenitatem tuam in expeditione contra Turcos. Persuadeo mihi eam rem tuæ Gloriæ persuasam esse. Nam profecto nihil est quod nomini tuo autoritatiq; augustali magis cōueniat, quàm pro defensione fidei catholicæ & Christiana salute arma & scutū sumere. Cum omnes in tuam Maiestatem oculos ita intentos habeant, ut ea proficiscentē profecturi, ea quiescenti quieturi uideantur. Scribo hæc pro fide qua tuo solio sum astrictus, nihil hæsitans omnia in partem recipi meliorem. Verum Serenissime Cæsar, cum ego tuo munere ad Cardinalatus honorem assumptus sim, nihilq; magis mihi in hoc officio incumbat quàm ea regere quæ putem gloriæ tuæ conducere, Reliquum est ut de meo statu cogitare digneris, ut habeam unde uiuam. Nam ego hactenus fui diues satis, & quanquam pauca possideam, erant tamen illa dignitati meæ sufficientia. E
Nunc uero pauperrimus sum, & iam primum quid sit miseria experior. Tua sublimitas absq; damno suo inopiæ meæ consulere potest, si patitur aliqua beneficia ex suis territorijs me impetrare, quemadmodū præfatus Henricus latius Mansuetudinem tuā alloquatur: Cui precor in his quæ nomine meo dixerit, plenā digneris fidem & benignas aures adhibere. Ex Roma die *VIII.* Martij, Anno *M.CCCCLVII.*

Decima & indulgentia prædicatur contra Turcos, Epist. CCXXXIX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Iohanni Cardinali sancti Angeli, *S.P.D.*

PErsuaues & (ut optaui) per longas epistolas tuas redditas nobis *XI.* Ianuarij die cōgnoui, quas conscribis de conflictu Turcorum: illum, scilicet non sine cura & diligentia tua diuinitus datum: Nec ego secus quod arbitrabar, quamuis scripserim dignationem tuam mea opinione ægreferre, quod ubi gesta res est, non interfuisti: non est quod his addā aliquid. Doleo obijsse illum Christiani exercitus ducem Vayuodam, siue (ut aiunt) Humatem. Nam morte illius spes quoq; nostra interijsse uidetur. Nil enim reliqui Christianorum principes cogitare uidentur. nemo opponit pro nostra salute manum. Pontifex maximus clamat, & non auditur: minatur & non timetur. Et quod sua Beatitudo potest, non sufficit tantæ bellorum moli. Rex Portugaliæ aduenturus fertur. F
Sed timeo ne aliorum desidia illius diligentiam impediat. Quid enim solus agat ex ultimis terrarū & Occidentis finibus in Græciam, Asiamq; profecturus, nisi data opera ut Theutones, Bohemi, Hungari communi animo copias parent, non intelligo quid alij acturi sunt. Hæc dixi patri optimo. Papiensis Cardinalis ex Alemania decretaq; sibi prouincia reuersus, ait Theutones ad expeditionem inclinatos esse sua opera, si modo conuentus agere permittantur. sine cōuentibus nihil putat eos acturos. Cardinalis Neapolitanus prope diem ingressurus creditur cum Rege Aragonum: non est ea sinceritas quam negocia nostra requireret. Ex Francia multa referūtur, quæ mihi pro nugis sunt. Rex uester Castellæ in Granatam ducturus copias dicitur. Patitur & decimas & indulgentias in suis regnis prædicari, medietatem pecuniarum inde prouenientem sibi in id bellum recipit: Alteram medietatem contra Turcos Papæ largitur. Domino sancti Marci Cardinali commissum est, ut de uacatione Ecclesiæ Pragensis se informet, ut ille præficiatur in Archiepiscopum Datarius papæ. Hæc habe ex nobis, & dilige tuum Aeneam ut soles. Tuam omnem familiam cum dignatione tua optime cupio ualere. Ex urbe *VIII.* die Martij, Anno *M.CCCCLVII.*

Se offert

A *Se offert promotorem,* *Epist.* CCXL.

Aeneas Cardinalis Senensis, Vlrico episcopo Burcensi, S. P. D.

REuertitur ad te Henricus Senftleben, utriusq; nostrum amantissimus. Non est cur multa scribamus: ipse nostra erit epistola, qui nouit animi nostri secreta. Qui fuimus olim erga te, illi ijdem semper erimus, nec obliuiscemur unquã suauissimæ consuetudinis nostræ, nec immemores erimus tuorum erga nos meritorum. Cupimus, si qua sunt quæ tibi grata possumus, ne nobis ignoscas. Cõfide, in hac curia nullum habes qui maiori affectu tua negotia sit acturus quã nos: quãuis plurimi sint tui amantes qui plura quàm nos possunt. Sed quid agimus? Iniuriam Henrico facimus dum tot scribimus: Ipsi omnia committimus. Illud tantum addimus, ut nos diuo Cæsari et modo & semper commendare uelis, cui omnia debemus cum ab eo omnia habeamus. Datum Romæ, die quarto Martij, Anno M. CCCCLVII.

Se gratum referi obsequia præstare, *Epist.* CCXLI.

Aeneas Cardinalis Senensis Diuæ Leonoræ Imperatrici, S. P. D.

NIhil est Serenissima Augusta quod nunc aliud uelim, nisi mansuetudinem tuã bene ualere & pro suo desiderio felicitate potiri. Ego qui cõsortis tui diui Cæsaris rogatibus ad Cardinalatum, nil meritus, sum uocatus, debeo tanti doni tantiq; boni
B omni tempore memoriam tenere: & ita facio quidem, atq; idcirco & sibi & tibi sæpius scripsi & nunc scribo, scribamq; frequenter, ut opera mea fidelissimi mancipij omnibus in rebus utamini. Nam beatum tũc me existimabo cum uestris negotijs exercebor. Nil aliud his literis uolui. commendo me Sublimitati tuæ, quàm ut diuina pietas ad uota dirigat feliciter obsecro. Ex urbe Roma, die x. Martij, Anno M. CCCCXLVII.

Hortatur bona Christianitatis consulere, & Imperatorem ad id inducere, *Epist.* CCXLII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Vnguardio imperiali *Camerario,* S. P. D.

REuertitur ad Cæsarem uenerabilis uir Henricus Senftleben: Cui Papa nonnulla commisit Cæsareo culmini referenda super expeditione contra Turcos ducenda. Velis suadere Cæsari ut circa rem illam animum intendat suum: quoniam ita gloriæ suæ competit. Omnes enim in suã maiestatem oculos direxere, & nisi sua maiestas aliquid agat, timendum est ne Christiani plaga affligantur. Insuper aliqua nostro nomine dicet tibi Henricus. Velis ei benignas aures & fauores, ut speramus, gratos impertiri. Datum Romæ, die x. Martij, Anno M. CCCCLVII.

Cupit scire quomodo ualeat, *Epist.* CCXLIII.

Aeneas Cardinalis Senẽsis Ioanni Nihili Astronomo Bohemiæ, S. P. D.

C EX Henrico Senftleben intelliges quæ apud nos aguntur: Et quid Roratus somniet in ecclesia Pragensis, & quæ in tua dispẽsatione acta sunt. Nos tui commodi semper erimus auidi æque ac tu ipse. Perge nos amare ut soles. Si quid Henricus nostro nomine ex te petierit, assistito sibi et facito pro nobis ut cõsueuisti. Vale ex Roma, die x. Martij, Anno M. CCCCLVII.

Promotionem suam notificat, & se commendatum haberi exorat, *Epist.* CCXLIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Dionysio Cardinali Strigoniensi, S. P. D.

QVæ fuerit mens mea, quis ante hac animus erga te non ignoras, nam semper Dignationem tuam optimi patris & benignissimi domini loco ueneratus sum: Ita tua bonitas merebatur. Verum si unquam fui tuus uel filius uel seruus, nũc me potissimum id præstare oportet, quando ad eum ordinem sine meritis sum uocatus, in quo tu iure optimo iamdudum sedes. Placuit apostolicæ pietati me Cardinalium collegio nil merentem aggregare. Sentio quantum & tuæ Dignationi & cæteris Reuerendissimis patribus debeo. Precor igitur meam uoluntatem amplectaris, & me ueterem seruitorem, iam factum nouum mancipium tuum intelligas. Imperes mihi omni tempo

re, si quid est in quo tibi obsequi possim. nam mihi uoluptas erit quotiens uidero in tuis aut in tuorum amicorum negotijs me posse exerceri. Cupio insuper serenissimo Regi et domino cõmuni aliquãdo me commendes, ut sit memor sua maiestas quæ deuotio fidei erga se mea: quia omnibus meis scriptis & uerbis ubicunq; fui, ius suum in regno Vngariæ contra Polonos tueri sum conatus. Valeat optime Dignatio tua cui me humilime commendo. Ex Roma, die x. Martij, Anno M. CCCCLVII.

Pollicetur gratitudinem promotionis suæ, Epist. CCXLV.

Aeneas Cardinalis Senensis Varadiensi episcopo, S. P D.

SCripsimus nuper de nostra ad Cardinalatum assumptione, quã tua promotione factam non ambigimus, quantum tibi teneamur id etiam tunc diximus: nõ est cur modo iam dicta repetamus. Nos in hac dignitate constituti quantum Vngariæ regno, quantum regiæ personæ, quantum Dignationi tuæ debeamus, ante oculos semper habebimus. Tuum erit opera uolũtarij hominis uti: nobis in tuis negotijs exerceri uoluptas. Interea rogamus Regiæ Sublimitati nos commendes, studeasq; ut de nostra promotione summo Pontifici & sacro collegio gratias agat, cum pro nobis sæpius scripserit. Vale optime, & nos ut soles ama, nam nos Dignationem tuam uti patrem colimus, & obseruabimus. Ex urbe Romana, die XI. Martij, Anno M. CCCCLVII.

Hortatur ut Rex Bohemiæ grates referat summo Pontifici & Cardinalibus de sua promotione, Epist. CCXLVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Nicolao Listio, S. P. D.

GRatissimæ fuerunt nobis literæ tuæ quas de nece comitis Ciliæ ad nos scripsisti, nõ quod mors illius nos lætificaret, neq; enim alicuius malo gaudemus, sed quod rem gestam ex ordine narrasti, quã prius cõfusam accipiebamus. Ecce quã uana est huius seculi pompa, quàm caduca gloria, quàm breuis potentia. Cecidit qui suo nutu maxima regna rexit. At qui sanguinem sitiuit, in sanguine perijt. Percussit gladio alios, & ipse gladio percussus interijt. Non potest ueritas nostra mentiri quæ ait, gladio ferĩẽtes gladio perituros. Sed ignoscat illius animæ Deus, & regno Vngariæ consulat ne dissidijs agitetur. Scribimus domino Procopio aliqua de archiepiscopatu Pragensi, fac ut ipse ad nos rescribat: Res enim in periculo est. Insuper cupimus des operam ut Regia Maiestas sanctissimo domino nostro, & sacro collegio gratias agat de nostra promotione, quod ad suas preces nos extulerint. Cupimus etiam aduertas ut quando scribitur de negotijs Vngaricis domino nostro & Cardinalibus, ita efficias ut uideamur quod sumus ipsi, scilicet Regi etiam affectissimi, nam sunt quidam qui nos superare nituntur tanquam magis regij sint quàm nos. Putamus tamen suam Maiestatem non esse oblitam nostræ erga se deuotionis ac fidelitatis, & eorum quæ sibi puero scripsimus, & quomodo contra Polonos omni tempore ius suum defendimus. Impar fuerit si noui recẽtesq; locum nostrum inuaserint. Hæc rogamus agites cum Reuerendissimis dominis nostris Strigoniensi Cardinali & episcopo Varadiensi, quibus nos commendatos reddas. In Ecclesia Coloniensi fecimus quæcunq; potuimus, ut plane referre poterit nũtius ad causam missus. Iterum uale. Ex Roma, die X. Martij, Anno M. CCCCLVII.

Postulatur ecclesiæ Pragensi sponsus dari, Epist. CCXLVII.

Aeneas Cardinalis Senensis Procopio Cancellario Bohemiæ, S. P. D.

PErraro sunt literæ ad nos tuæ: uellemus frequentius scriberes, qui te unice amamus, & tuas epistolas ueluti Apollinis oracula ducimus. Scripsimus tibi quid egerimus in re Bohemica, neq; à te responsum habemus. Interea tuus Roratus, homo multiuolus & magniuolus ex Bohemia procurauit offerri postulationem ad Pragensem ecclesiam cuiusdam Datarij apostolici, boni quidem uiri sed Cathelani & sermonis Bohemici prorsus ignari. Postulationem attulit Lucas tibi notus monachus quem Lucrifasium appellare soles. Impediuimus hucusq; promotionem huius rei, ne rei nostræ nocumentum inferret. Timemus ne diutius impedire possimus: Nam Datarius plurimos fauentes

A res habet: Et Roratus die nocteque hos illos adit, suadens nil regno esse utilius quàm promotionem hanc fieri. Velis de his & regem et gubernatorem commonefacere, ut sciant quibus in terminis res sunt: Et an ista placeant eis nos certiores facito. Nam Regi & regno uestro seruire præsto sumus. Cupimus des operam ut Rex de nostra promotione summo Pontifici & sacro collegio gratias agat, idque quàm primum. Et quotiens aliquid emergit, ut nobis scribatur, quia Maiestati suæ semper erimus ad seruiēdum proni & uoluntarij. Ex Roma, die x. Martij, Anno M. CCCCLVII.

Spondet facile obtinere quod præstare potest. *Epist.* CCXLVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Troster Theutonico, S. P. D.

INgrata est nobis æque ac tibi quæ te fortuna exagitat. Vellemus tibi quietum esse locum in quo tibi & musis uiuere posses, & aliquādo nobis: nunc tamē quod apud Archiepiscopum Saltzburgensem diuertisti, speramus rem tuam meliorem futuram, neque enim ille est qui suos amicos iacere sinat. Dabitur tuæ uirtuti præmium: & post tenebras sequitur aliquando lux. Cupimus ipsi archiepiscopo commendatos nos efficias, & offeras quæcunque possumus ad eius nutum parata. Tu uero siquid uides posse nos tibi præstare, scito illud facile obtentum: & persuade tibi te nobis charissimum esse. Ioannem
B quoque Lauterbacensem nostro nomine saluum esse iubeto. Ex Roma, die XIII. Martij, Anno M. CCCCLVII.

Literæ Credentiarum. *Epist.* CCXLIX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ladislao Vngariæ atque Bohemiæ *Regi Serenissimo, S. P. D.*

NOnnulla meo nomine referet Maiestati tuæ uenerabilis Henricus Senftleben, Decanus Vratislauien. quæ concernunt partim regnum tuum Bohemiæ, partim meipsum. Rogo ut illi plenam Credentiæ fidem præstare digneris, et in agendis eum fauorem de tua Sublimitate mihi persuadeo. Postremo meipsum Regiæ Mansuetudini & do & commendo. Ex Roma, die x. Mensis Martij, Anno M. CCCCLVII.

Congratulatur promotioni suæ in Cardinalem. *Epist.* CCL.

Fredericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Au*gustus, & Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ dux & comes Tirolis, Aeneæ sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinali, episcopo Senensi, principi ac consiliario nostro charissimo, Salutem.*

EX literis Henrici Senftleben cōsiliarij nostri Vlrico episcopo Gurcen. etiam principi ac consiliario nostro pridem ex urbe destinatis, accepimus paternitatem uestrā nuper in proximis quatuor temporibus, per sanctissimum dominum nostrum Pa-
C pam ad dignitatem Cardinalatus promotam extitisse: de quo profecto lætitiam & consolationem habuimus ualde singularem, præsertim cum id multo iam tempore desiderauimus, & summopere expectauimus. Gaudeamus enim nos uoti nostri compotes effectos, ac tot preces & scripta nostra non usque quaque incassum porrecta fuisse. Quanquā paternitas uestra huiusmodi gradum in ecclesia suis etiam meritis & laboribus pro sede apostolica multipliciter perspectis digne fuerit consecuta. Optamus itaque ut ea dignitas uobis felix fausta ac longo tempore duratura existat. Sperantes per hanc apertam esse uiam paternitati uestræ ad maius aliquod fastigium, domino concedente, conscendendi quemadmodum & sæpius sumus augurati. Nec dubitamus eam quidem dignitatem in primis sanctæ Romanæ ecclesiæ & uobis plurimum decoris & ornamenti, nobis uero & sacro Romano imperio ac inclytæ domui nostræ (cui in minoribus semper fructuose & utiliter præfuistis) non mediocriter commodum & utilitatem allaturam, cum id longe magis efficere poterit. Confidimus enim ac pro certo tenemus paternitatem uestram, in ea dignitate et loco, ea quæ personam nostram, statum atque dignitatem nostram, & sacri imperij, nec non dictæ iam domus nostræ ac nostrum ac nostrorum honorem, commodum, atque utilitatem respicere uidebuntur, pro sua solita in nos fidelitate & consuetudine, nec non singulari prudentia uestra tam apud sanctissimum dominum nostrum, quā

etiam sacrum collegium, cui modo scripta est, diligenter promoturam & ubicunque opus fuerit optime defensuram. Rogamus aut & hortamur paternitatem uestram quatenus licebit nos suis literis nobis semper iocundissimis crebro uisitare nec suum circa nos officium intermittere uelit. Et nos pro occurrentibus singulis ad uos tanquam patronum & promotorem negotiorum apud apostolicam agendorum continuo recurremus, Paternitatem uestram bene ualere, & optimis successibus prosperare desiderantes. Datum in Grætz, die dominica XXX. mensis Ianuarij, Anno M. CCCCLVII.

Constantiam suæ amicitiæ refert, *Epist.* CCLI.

Aeneas Cardinalis Senensis Bartholomæo Factio Genuensi, S. P. D.

IOcundissimæ fuerunt nobis literæ tuæ quibus amicitiam inter nos apud Neapolim contractam ex tuo latere affirmas inconcussam solidamque, permanere. Idem tibi persuadeas uolumus ex parte nostra fieri. Neque enim sumus qui more adolescentulorum nunc amemus, nunc odio habeamus. Non sumus in contrahenda amicitia faciles, at neque postquam contracta est illam leuiter dissoluimus. Dileximus te postquã nouimus quanti esses, neque decepti sumus in eo quod de te iudicium fecimus. Itaque par est, amorem erga te nostrum dum uixerimus duraturum, quando & tua uirtus te minime relictura est. Quod scribis in eo quem de uiris illustribus æui nostri composuisti libro datũ nobis esse locum, non meritis nostris sed tuæ charitati ascribimus. Et in hoc quidẽ consitemur imbecillitatem nostram, non tam inuiti supra meritum laudamur quàm uituperamur. Ita enim natura comparatum est, ut nulli laus onerosa uideatur: nos enim librum cum uolueris, cupide uidebimus, legemusque. Nunc quod tibi aliud scribamus nihil se offert. Cupimus Anthonium Panormitam illustrem poëtam, & Matthæum Malfericum Iurisconsultum egregium, etsi quando Candidum Oratorem præstabilem offenderis, nostro nomine saluos dicas. Charissimum quoque fuerit si quando maiestati Regiæ nos commendaueris, quam præ cæteris nostri seculi potestatibus & ueneramur & colimus. Ex urbe Roma, die XXV. Martij, Anno M. CCCCLVII.

Gratissimus est de amicitia Regis adepta, *Epist.* CCLII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ludouico Putio Magistro de *Montesio,* S. P. D.

QVamuis ex uulgato sermone & rebus Hispanicis ad nos scribis, plurimum tamen oblectant nos literæ tuæ: multum enim salis in illis, multum beneuolentiæ ad nos ostenditur. Scimus nos amari à te, & id quidem nobis est iocundissimum, diligimur enim à magno & probato uiro, & ab ipso quem nos pro sua ingenti uirtute proque suis in nos meritis & amamus & obseruamus unice. Quod refers de charitate erga nos regia, quamuis responso egeat, responsum tamen non inuenit: nam quid nos uermiculi dicamus cur tanti Regis gratiam adepti sumus. Superat hoc non uerba solum, uerum etiam cogitationes. Vtinam possimus aliquando unà saltem in re monstrare, quantum nos illis excellentissimo Regi debere fatemur. Verum cum sciamus nihil esse in nobis cur ab eo culmine diligamur, petimus rogamusque ut tu hanc nobis gratiam conseruare studeas. Et si enim indigni sumus quos primus nostri seculi Rex amet, nollemus tamen non amari, & tantum bonum perdere. Quod suades eius Maiestati sæpius scribamus, parebimus consilio tuo. Et nunc quidem cum his, literas nostras habebis, quas Regiæ Mansuetudini nostro nomine restituas, eique nos & commendes simul & des: nam mancipij loco nos semper habebit. Nepoti tuo nobili & modestissimo uiro quotiens ab eo requisiti fuerimus, nunquam deerimus, nec minus in eis curiosi erimus quàm tuipse. Vale optime. Ex urbe Romana, die XXV. Martij, Anno M. CCCCLVII.

De morte

A *De morte comitis Ciliæ & præstigio Cometes,* *Epist.* CCLIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Alphonso Aragonũ Ceciliæ Regi, S. P. D.

SI Maiestati tuæ rarius scribo, nihil obsecro uel negligentiæ uel aduersæ uoluntati ascribatur. Cupio siquidem frequentes literas meas in manus tuas dari, nam sic potentissime memoriam mei tua mansuetudo tenacius apud se haberet. Verum materia quã ego scribere uellem non occurrit: quæ occurrit hanc scribere nolo: neq; enim tutum est omnia mandare literis, & hoc præsertim tempore quo nec qui uia recta incedunt, careãt suspitione. Cæterorum quæ hac in curia geruntur, sunt quàm plures qui tuæ Sublimitati ea conscribunt: Et nonnulli quidem multo plura & secretiora quã ego nouerũt. De Germania tantum est, sic arbitror, quod æmulante nullo significare possum. Curabo igitur quoties illis ex regionibus ad me aliqua referantur nota digna, ne per me tuam Maiestatem lateãt: nunc uero quæ habeam paucis explicabo. Vlricum Ciliæ comitem apud Albamgræcam, quã uocant alij Albam, occisum iampridem accepisti, hoc oppidum nostri Belgradum uocitant: apud ueteres Taurinum dictum inuenio, qui Fauum flumen misceri Danubio apud Thaurinum tradunt, in quo loco nunc Belgradum iacere constat. Occisorem comitis non est ambiguum, Ladislaum fuisse filium Ioannis Humatis, eius qui sæpe Turcos debellauit. Et hoc anno superbiam Mahometis apud eundem locum confregit. Creditum est non minus filium profuisse reipublicæ Christianæ in occisione comitis quam patrem in profligatione Mahometis, cum Mahometes & Comes hostes religionis essent: Ille externus, iste domesticus. Memorabilis hic annus est, quo Turci debellati sunt, & magnus comes magni Regis gubernator obtruncatus est. Cometes qui uisus hoc anno est, opinioni quæ de se fuit abunde satisfecit. Apud Thaurinũ namq; quæ dicta sunt patrauit: Terram in regno tuo suprà auditum antea sic horribiliter mouit: Impletisq; ciuitatibus seditiones excitauit, maxime apud Senam urbem, unde non parua ciuium pars exclusa est: Pestis multis in locis debachata, magnam populi partem & præsertim in Vngaria deleuit: Caritas annonæ non Italiam modo, sed Germaniam, Græciam & orientis plurimas regiones afflixit. Sed maiora sunt quæ astrorum periti uel uates timenda prædicant, quos ut Deus ipse mẽdaces arguat optandum est. Sed ut ad Germaniã redeam, morte comitis apud Austriã cognita, non parua de hæreditate eius controuersia suborta est. Quæ fuerunt illi bona sub corona Vngariæ ad Regem Ladislaum sine contentione pertinent. Quæ sub imperio iacent, multi sibi pertinere asserunt: alij ab intestato, alij ex testamento hæredes se dictitantes, ut Albertus & Sigismundus Austriæ duces, tum Michaël comes Magdeburgen. et Vlricus comitis Georitiæ filius. Sed potissimum ius ad Imperatorem spectare uisum est. Conciliũ prælatorum Baronumq; & ciuitatum Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæq; & Marchiæ, Sclauonitæ haberi placuit apud Gretzium Baioracum. In eo auditi sunt omnes, qui comitis Ciliensis hæreditatem ad se dixerunt pertinere. Deniq; diffinitum est oppida, castella, arcesq; quæ comitis Ciliæ sub imperio fuissent, in manu Imperatoris tradi. Tum si quis ius in illis sibi competere dixerit, ab eo petendum esse: atq; hoc pacto præfecti urbium locorumq; quorumcunq; possessionẽ Imperatori tradidere. Ita multo melior hodie Cæsaris cõditio est, quã pridem fuit, quando non solũ ab hoste liberatus est pessimo, sed & quæ fuerunt illi uires sibi accesserunt. Hæc uolui scribere Serenitati tuæ, haud ignarus cũcta ei esse gratissima quæ ad gloriam Cæsareæ Maiestatis cedunt. Imperatrix ipsa Augusta optime ualet. De apparatu contra Turcos in Vngaria cum nihil certi habeam, nihil scribo. Sanctissimus tamen dominus noster & germanos & Vngaros nunc literis, nunc nuntijs excitare atque urgere conatur. Mihi non magna spes fuerit, nisi uiderim Celsitudinem tuam classe instructa in magnæ illius memorandæ nauis puppe armatam, signũ profectionis contra Turcos dare. Nam reliquis orbis principibus, etsi uolũtas est, non adest facultas qua Græciam inuadere possint. Tuæ Sublimitati si uoluntas affuerit, nihil deerit: neq; plura modo tuæ mansuetudini dedo, à cuius mandatis nunquam discedam. Ex Roma *VI.* Calendis Aprilis, Anno *M. CCCCLVII.*

Regi Neapolitano petit commendari, *Epist.* CCLIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Soletio electo Barthi-
nonensi, S. P. D.

QVamuis raro præsentia tua fruamur, eius tamen memoria apud nos dulcissima est, quotiens eius consuetudinis quæ inter nos Neapoli fuit, recordamur: quod quidem sæpe contingit: neq; enim obliuisci possumus amicitiæ suauissimæ, quæ & lucrum est quod ex Neapoli reportauimus: existimamus enim magni tuam beneuolentiam nos esse consecutos, cupimusq; ea ut perpetua sit, quamuis non aliter credere debeamus, cum uera sit amicitia nostra ex honesta conuersatione nata. Amicitia uero quæ desinere potest, ut Hieronymo placet, nunquam uera fuit: sed de hac satis. Cupimus nos aliquando Regiæ Mansuetudini commendatos efficias. Sui enim non minus sumus, quàm illi qui ex Aragonia uel Cathelania nati sunt: quamuis quoddam naturale ius eos Regiæ Maiestati obnoxios teneat, nos beneficia quæ ab eo recepimus obligauerint. Verum illorum aliqui fortasse absq; scelere se nihil Regi debere dixerint, nos absq; ingratitudine, quod est uitiorum pessimum, id dicere non ualemus. Sciat per te Clementia Regia nos fateri debitum & cupidos esse id persoluere, etsi obligatio maior est quàm per nos dilui possit. Insuper dominum de Montesio amamus ardenter, qui nobis amicissimus fuit. Rogamus ut illi nostram operam ad quæuis eius beneplacita offeras. Postremo si quid est quod tui causa efficere ualeamus, scis nos esse quibus uti pro uoluntate possis. Ecclesiam Barthinonensem confidimus tuam esse futuram. Etsi modo aliquid subest impedimēti, tempus omnia donat. Vale ex Roma, die XXVI. Martij, Anno M. CCCCLVII.

Reprehendit consolari nolentem super morte filij, *Epist.* CCLV.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Miraballio equiti
Neapolitano, S. P. D.

REferunt qui ex Neapoli ad nos ueniunt, magnificētiam tuam adhuc mœstam esse & consolationem nullam accipere de morte filij: id nobis molestum est. Rogamus ne temet affligas: non est super ea re dolēdum quæ amissa nequit recuperari. Sunt tibi alij filij, uirtute, fama, honore præstantes. Isti tibi in terra seruiunt: in cœlo ille locum parat: age, cogita: quid est huius mundi gloria? Caduca sunt omnia quæ in terris acquirimus: nihil stabile, nihil certum, nemo sibi horam uitæ promittere potest, nemo de crastino habet notitiam, fugit ætas, fugit omnis terrena uoluptas: nihil habemus nisi præsens & id momentaneum est. Quid igitur tristamur si priuamur momentaneo bono? Dicimus hæc sapienti uiro, & qui ista optime nouit libet tamen dicere homini amico, & bene de nobis merenti. Precamur ne deinceps in hac re scribere cogamur: quod tunc fiet cum magnificentiam tuam hilarem atq; iocundam esse audiuerimus, alioquin non possumus tacere, cū tua mœstitia nostra sit molestia. Cupimus te indulgere bonæ ualetudini, & uiuere animo læto. Sic enim & nos & reliquos amicos tuos consolaberis. Albericum filium tuum optamus bene ualere. Alexander Florentiæ bene ualet uir magni precij uerus tuus filius, in quo tui mores expressi sunt. Vale ex Roma, die XXV. Martij, Anno M. CCCCLVII.

Refert grates congratulatori promotionis suæ, *Epist.* CCLVI.

Aeneas Cardinalis Senensis Vrbano episcopo Sabinen. S. P. D.

EX Aladia ad nos tuæ literæ deuenerunt, quibus de nostra ad Cardinalatum uocatione congratularis. Nota est bona erga nos tua charitas: Scimus te nos amasse ab eo tempore quod Viennæ simul uersati sumus usq; hodie absque simulatione: nec nos minus te dileximus & diligimus. Itaque si quid honoris nobis accessit, & tibi aucta dignitas est, quando inter amicos ueros omnia esse communia decet. Tu itaque deinceps Cardinalatum nobis creditum, & tibi communicatum, pro nostra inuicem charitate iudicabis. Quod speras amplius de nobis, rogamus ex cerebro tuo procul amoueas: nam quod huc euecti sumus plus est quā meruimus. Et utinā nos geramus (auxiliante Deo) ne dedecori dignitati simus. Liberationem tuam audiuisse, priusquā capturā,

A uoluptati fuit, nam si prius te captũ accepissemus, nõ caruissemus grandi molestia, nũc euasisse te periculum dulce est, & aliquando suaue tibi fuerit meminisse laboris. Vale & nos ama ut soles. Ex Roma.

Laudat industriam, & nouitates rescribit, *Epist. CCLVII.*

Aeneas Cardinalis Senensis Roderico Cardinali sancti *Nicolai, S. P. D.*

QVod nihil tuarum literarũ iampridem acceperim, causam esse arbitror ingentes ac grauissimas occupationes tuas, & illarum terrarum pericula. Ego tamẽ gaudeo quod in aduersis & arduis rebus tua uirtus elucet, nam qui ex agro Piceno ueniunt, tua cura, diligentia, studio, & singularissimo ingenio ex grauissimo discrimine seruatam prouinciam aiunt. In senatu Apostolico magnifice summi sacerdotis uerbis tua dignatio commendata est. Senatus ipse omnis se obnoxium probitati tuæ fatetur, cum tua opera ciuitas Esculana saluata sit: qua perdita, non Marchia solum, sed omne patrimonium beati Petri ibat pessum. Perge igitur, incumbe communi curæ, intende neruos pro cõseruatione rerum ecclesiasticarum, ut facis. Hinc enim gloria, hinc sempiternum decus, non tuæ solum dignationi, sed uniuersæ Burgiorum familiæ redundabit. Protonotarius tuus allocutus me est, tuamq; erga me charitatem mihi quidem notissi-B mam conatus est amplius atq; amplius inculcare. Sed ita mihi persuasus est amor tuus, ut persuaderi magis non posit: ait ille cupere dignationem tuam huc reuerti: utinam id detur & quàm celerius. Etenim utilissimus esset reditus tuus. Consolareris grandæuum illum Pontificẽ patruum tuum, qui assiduis curis intentus nullum habet leuamen. Præsentia autem tua in primis lætificaret eum, neque enim sine dulcedine quadam mentis & animæ suo sanguine sanguis hæret. Exinde partem curarum susciperes, nec oporteret illum omnia solum subire onera. Curia quoque uniuersa tuo aduẽtu exultaret habens hominem ad quem posset, urgente necessitate, recurrere, nam modo multi frustrantur non ualentes aditum habere Pontificis: quamuis audientiæ die nocteq; sua sanctitas sine intermissione intenta est. Nescio quid deliberabitur de tuo reditu: Ego quidem si quid in rem potero, non ero deses. Scripseram usque huc cum tuæ mihi literæ redditæ sunt eloquio plenæ suauissimo. Mirabar prius non te scribere, nunc demiror in tanta rerum mole qua premeris id ocij fuisse, ut ad me dare literas potueris. Sed nihil est amanti difficile: Omnia uincit amor: nullus grauis labor qui non leuissimus ei uidetur qui ex amore operatur. Intelligo igitur non esse uanam opinionem meam, qui me amari à te arbitror, & mihijpsi prorsus suadeo: sed de hoc fortasse nimis inter ueros amantes. Quæris quæ apud nos nouitates, eas rescribam & dicam breuiter quod audio. Iacobus Piccininus ad Pontificem misit, qui se purgarent in Esculanis insi-C dijs nihil à se prodijsse. Pontifex respondit id magno Regi Arragonum suadendum esse, qui eius expromissor fuit. Sunt qui putant comitem Iacobum uelut indignabundum (nam ei stipendia negata sunt) aliquid noui patraturum incendij. Alij referunt eum ad Maiestatem Regiam profecturum, siue ut se expurget, siue ut aliqua exquirat in rem suam. Vtcunq; sit, uigilandum est, ne quid detrimenti ager Ecclesiæ patiatur. Inter comitẽ Euersum & Vrsinorum dominũ feruet discordia. Concordia sæpius agitata in lucem non prodijt. Nocte ante hanc diem tertia transiuerunt copiæ comitis Euersi per hanc urbem, deceptis portarum custodibus. Præmiserunt enim quatuor uiros qui se Germani tui illustris capitanei famulos dicerent, sumptis uestibus quæ fidem facerent ad morem eorum qui capitaneo seruiunt: & hi intromissi capitis custodibus, ianuas aperuere uehementi exercitui comitis Euersi. Hæ autem copiæ profectæ sunt ad oppidum cui Monticello nomen est, illud cum arce feruntur occupasse. Non habemus rem compertam: Sæpe enim plura referuntur in hac urbe quæ ab ipso uero procul sunt: Et id quidem uitium late patet apud omnes gẽtes. De Turcis hæc ferũtur: Dispotus Rasciæ senior mortem obijt: filij eius ad Turcos defecere: Turci magnas parant copias rursus Vngariam inuasuri. In Vngaria non est paratus exercitus, nec auxilia expectatur ex Alemanis qui cito illuc pergere possint. In Gallia & super Rhodanũ

triremes fiunt, breuicꝫ armandæ creduntur, ut in Turcos eant. Rex Portugaliæ in proposito perseuerat: nescio tamen quid facturus sit, ubi uiderit paucos secum principes ituros. Dominus noster pro suo more feruet desiderio exterminandi Mahometicam superstitionem, & quæ ab eo pendent summa cura prosequitur. De beneficijs sum curiosus, & tibi & mihi consulam. Sed decipimur & fallimur falsis rumoribus. Is qui nuper apud Nurenbergam obijsse ferebatur, proximis diebus hic fuit, & mecum pransus fuit. Similiter & Tullensis episcopus, qui apud nouam ciuitatem Austriæ defunctus uita affirmabatur, ad ducem Burgundiæ incolumis redijt. Ero tamen attentus si quid uacet: sed tua dignatio habet optimum procuratorem dominum nostrum sanctissimum. Et puto iam tibi aliqua monasteria commendanda esse per curatorem cuiusdam Proto notarij de Monte Ferrato ad quandam Abbatiam, ditissimam. Spero etiam cum Rege Arragonum, si uera sint quæ feruntur, concordia fiet dignationi tuæ admodum utilis. Nec plura modo. Commendo me dignationi tuæ cui cupio complacere omni tempore. Ex Roma die *I.* Aprilis, Anno *M. CCCCLVII.* D

Refert summum Pontificem bene ualere, *Epist. CCLVIII.*

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Cardinali sancti Angeli, *S. P. D.*

QVamuis nihil modo scriptione dignum offeratur, ne tamen sine meis literis ad te nuncij ex hoc loco pertingant, scribam pauca ex his quæ apud nos aguntur. Summus sacerdos corpore & mente ita ualet, ut ante complures annos. Animus illi ad exterminationẽ Mahometicæ sectæ magnus est & ardens. Nihil ab eo prætermittitur ex his quæ suo arbitrio pendent. Vtinam principes eius desiderio satisfacerent. Sed quid Germani, Galli, Hispani, Vngari, Poloni faciant tu melius quàm ego nosti. Italia ipsa pace fruitur, duobus tantum in locis fremunt, apud Genuam Liguris caput, & circa nos inter comitem Euersum & familiam Vrsinorum. Quæsita concordia nondum est inuenta: Sũmi tamen pontificis sapientia hanc rem optimo sedabit termino. Comes Iacobus Piccininus his diebus delatus est ad Pontificem tanquã Esculũ furto uoluerit occupare. Is sese multis argumentis purgat, nondum tamen Põtifici fidem fecit. Timor est ne quies Italica turbetur, nimis enim diu quieuimus, & à nostro more procul fuimus. Hæc est Italia. Cupio Dignationi tuæ ita bene esse ut cupis. Scio duram esse prouinciam tuam, neque aliud ab initio putaui: nunquam iudicio meo res Vngarica bene à Turcis defendetur, nisi & Imperator unum sapiat. Pereant qui dissidij sunt autores. Hæc uolui scripsisse. Vale optime ex urbe Roma, Calend. Aprilis, Anno *M. CCCCLVII.* E

Suadet Regem Bohemiæ postulare ut Cancellarius suus ecclesiæ Pragensi episcopus præficiatur, *Epist. CCLIX.* F

Aeneas Cardinalis Senensis Nicolao Lisco Volaterano, S. P. D.

SCripsimus ad te iam pridem: Itidem Procopio Cancellario de re Bohemica: exinde sperauimus nonnihil in eo negotio fieri posse: nihil audiuimus. Miramur & feremus molesto animo tot nos incassum subijsse labores, perijsseꝗ salutiferũ & necessarium opus. Fortasse ita Deo placitum est. De Pragensi ecclesia multi sermones habiti sunt, admittenteꝗ Roratu nostro causa commissa fuit Cardinali sancti Marci, ut plebi Bohemicæ Datarius Papæ præficeretur episcopus. Et ille quidem uir bonus & doctus, & quem dignum hoc honore putamus: nobis tamen non est uisum ad talem ecclesiam quenquam promoueri nisi consulto Rege, ideoꝗ quoad potuimus differre promotionem conati sumus. Tu hæc Procopio dicito, & curato, ut respõsum habeamus: uellemus Regia Sublimitas pro ipso Cancellario instaret: Arbitramur enim non frustra conaretur? Quæ nobis de comite Ciliæ scripsisti, cognouimus & communicauimus non sine tua laude. Plurimum optamus sæpe ad nos scribas, & nihil subticeas de Turcis, & de rebus alijs cognitione dignis. Apud nos timor belli est futuri. Credimus tamen summi præsulis sapientia obuiam ibit. Rogamus Procopium Regiæ maiestati nos efficiat commendatos. Tu uero Reuerendissimis dominis Strigoniensi

A gonienſi Cardinali & Varadienſi epiſcopo commendabis: Ex urbe Roma Cal. April. Anno domini M. CCCCLVII.

Admonet commiſſa diligenter exequi, *Epiſt.* CCLX.

Aeneas Cardinalis Senenſis Henrico Senftleben, S. P. D.

CRedimus te ad curiam Cæſaris incolumen perueniſſe: idq; cupimus. Rogamus igitur imperatoriæ Maieſtati nos commendatos efficias. Cæſar enim eſt quem in terra unice colimus, & illi præ cæteris, qui uiuant, obligati ſumus: loquere ſecum de rebus commiſsis diligentiæ tuæ. Maxime autem horteris ſuam excellentiam ad bellum cõtra Turcos gerendum, excitandoſq; Germaniæ populos, quoniam ipſe primus eſt quem Chriſtiani reſpiciuut. Hic enim rumor eſt non non ſine autore certo, magnas apparare copias Turcorum dominum, ut rurſus Vngariam inuadat. Quod niſi Theutones præſidio fuerint, actum de regno illo non dubitatur. Hæc agito cum Reuerẽdiſsimo patre noſtro epiſcopo Gurcenſi & ſingulariſsimo amico præpoſito Friſingenſi, q̃s noſtro nomine iube bene ualere. Rem Varinienſem curabis pro tua prudentia expedire: Neſcimus quomodo ad aures procuratoris dilata eſt Prutenorum: ille tamen non oſtendit ſe credere, mora periculoſa eſt. Nos ſi difficultas eſſet in reſeruatione, propterea quia in Cardinalatu ſumus, offerimus Apoſtolicas literas obtinere, quibus reſeruatio
B auferatur: quemadmodum & plures alij fecere Cardinales in Gallia & Alemania. Reliqua committimus prudentiæ tuæ. Vale optime. Ex Roma, die IIII. Aprilis, Anno M. CCCCLVII.

Offert operam ſuam quoad poteſt, *Epiſt.* CCLXI.

Aeneas Cardinalis Senenſis Vlrico epiſcopo Gurcenſi, S. P. D.

QVæ ſunt apud nos nouitates ſcribimus Cæſari: non repetimus quæ illis in literis uidebis. Precamur nos Cæſareo culmini commendes, eiq; contra Turcos expeditionem ſuadeas. Ita enim expoſcit Chriſtianæ religionis neceſsitas. Dilationem à creditoribus tui prædeceſſoris obtinuit Henricus Senftleben, ſicut ab eo relatum tibi non ambigimus. Si qua amplius ſunt quæ cupias ex nobis, tantum aderit uoluntas quantum ſinet poteſtas. Scimus enim nos tibi eſſe obnoxios, & cupimus aliquando partem debiti perſoluere. Vale ex Roma, die IIII. Aprilis, Anno Domini M. CCCCLVII.

Petit Cæſarem induci ad bellum contra Turcos, *Epiſt.* CCLXII.

Aeneas Cardinalis Senenſis Vlrico Ridrer, S. P. D.

HEnricus Senftleben tuus & noſter apud te eſt, & quæ ſunt apud nos ſcitu digna, tibi expoſuit. Non eſt cur fatigemus aures tuas, cum poſt eius abitum nihil noui emerſerit ſcitu dignum. Rogamus ut exhorteris Cæſaream maieſtatem ad
C bellum contra Turcos. Ita enim ſuus honor & reipublicæ Chriſtianæ ſalus expoſcit. Nam Turci ut fama non uana eſt, proxima æſtate rurſus Vngariam ſunt inuaſuri. Si qua ſunt quæ cupias ex nobis, ſcis nos eſſe tui amantes, & cupere uoluntati tui morem gerere. Velis nos magiſtro cameræ commendatos facere: Et Hartongũ noſtro nomine ſaluum dicere. Ex urbe, die IIII. Aprilis, Anno domini M. CCCCLVII.

Nouitates Italiæ ſcribit, *Epiſt.* CCLXIII.

Aeneas Cardinalis Senẽſis, Diuo Frederico Imperatori, S. P. D.

QVæ nunc ſcribam pauca ſunt. Fama hic eſt, Diſpotum Raſciæ ſeniorem obijſſe mortem: filios eius ad Turcos defeciſſe, iamq; Chriſtianis inſidiari, ſi ita eſt credimus non latere Maieſtatem tuam. Accipio illorũ ſororẽ eſſe in caſtro Ciliæ, quæ fuit uxor comitis. Cauendum eſt ne mulier fraternam labem ſequatur. At puto Sublimitem tuam id nõ negligere. Quia tamẽ aliqui iuſſerunt me hoc ſcribere, non fuit cõſilium ut reticerem. In partibus motus eſt futuri belli: & multa eius rei ſigna ſunt: Deus melius conſulat. Ciuitas Senenſis diſcordijs ciuilibus agitatur. Rex Aragonum ſuo more uenationibus operã dat, fuitq; (ut aiunt) in periculo proximis diebus, ne per aprũ interficeretur cum cecidiſſet, in quo ſedebat, equus. Rex Portugaliæ uẽturus cum claſſe affirmatur

menſe

mense proximo, quod mihi nō fit uere simile, cum nec terrestris per Vngariam paretur exercitus, nec ex Italia classis alia paranda putetur, nisi apostolica. Indignemus Dei auxilio si bene optamus nostras res dirigi. Commendo me tuæ Sublimitati ad eius mandata promptissimum. Ex Roma, die IIII. Aprilis, Anno M. CCCCLVII. D

Informat amicum de gestis in rebus suis, *Epist.* CCLXIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Hinderbach, S. P. D.

EX fratre tuo credimus te nosse quæ hic aguntur: nos rem tuæ præpositurae accepimus apud dominum nostrum: de præbenda Ratisponensi, facimus quæ poterimus. Sed durus est aduersarius tuus, & fauorem habet Cardinalis Zomerensis, quem nosti dominum esse immutabilem, nos tamen ut amicum decet, tuas preces iuuabimus. Nouitates quæ apud nos sunt scribimus Cæsari: uidebis literas nostras, non est cur laborem sumamus inanem. Vtinā annus iste præterito & quietior sit & melior, mendacesq; Vates & Astrologos faciat, quorum iudicia raro aliquid boni præsagiunt, nos ea tempora optauerimus, quæ aduersa sunt Prophetarum & Astrologorum iudicijs. Cupimus amicos nostros Iacobum de Lodrano nobilem equitem, Ioannem Nihili Astronomum præstabilem nostro nomine saluos dicas. Imperatrici autem Augustæ nos humillimē commendatos facias, cui parere & uoluntarij, & accincti sumus, quotiens nobis aliquid imperauerit, quod in nostra fuerit facultate. Vale ex Roma, die V. Aprilis, Anno M. CCCCLVII. E

Preconia Regis Arragonum enumerat, *Epist.* CCLXV.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Soletio, S. P. D.

PErgratæ fuerunt nobis literæ tuæ quibus bonam ualetudinem tuam & animum tuum erga nos eum esse qui prius fuit, abunde intelleximus. Illud quoq; nobis iocundissimum fuit, quod Regiam Maiestatem paruitatis nostræ memoriam tenere, & nos amare asseueras. Nihil est enim quod magis cupiamus, quàm inter seruitores suos connumerari: quandoquidem ipse Rex unus est qui nostrum exornat seculum. Vnus autem inter principes doctus est, & terrarum cultor, unus liberalissimus: unus qui domi belliq; magnus æuo nostro uideri possit: unus denique qui religioni indefesse seruiat. Quod si animum ad perdendum Turcorum perfidiā intenderet, ut sæpe professus est, non modo qui nunc uiuunt Regibus præferendus erit, sed omnes procul dubio antecedet quos prisca secula inclytos commemorant uiros. Est igitur nobis dulcissimum, cum tanti Regis seruitores simus & credimur. De re tua non minus cupidi sumus quàm tuipse: imo uel tanto magis quanto tu per humilitatem tuas uirtutes extenuas, nos per ueritatem illas magnificamus. Scimus enim quæ sunt merita tua, & quæ tibi debeantur præmia, & quæ possunt tibi dignitates committi. F Quia si aliquando, ut speramus, res tua in medium adducetur, audient Cardinales quale de te iudicium faciamus. Nullus tamen est qui probitati ac doctrinæ tuæ non sit affectus. Illud solum impedimento est promotioni tuæ, quod alia negotia non componuntur. Atque ita fit ut utile per inutile uitietur, quod leges abhorrere solent. Putamus tamen his rebus breui modum imponi, & honori tuo consultum iri. Suadendum est Sublimitati Regiæ, ut in promotionibus ecclesiarū ea media cōplectatur quæ tolerari possunt. Valde autem conducit Christianæ rei hos duos principes esse charitate coniunctos. Et qui dissidium quærunt, neutrum amant. Audimus libenter quæ scribis de uoluntate regia erga Senenses. Alterum uero quod subnectis, ut Senenses ipsi cauti sint, neque seipsos implicent malis, quibus, cum uelint, explicare nequeant, salubre consilium est. Sed nos multum illi reipublicæ timemus, tum quod ciuilis discordia populum exagitat, tum quod præsidia quærunt qualia fugienda essent. Sed ipsi uiderint, nos patriæ, & si bene uolumus, illi tamen consulere non possumus, quia nobis non creditur. Cardinalis sancti Angeli scribit Turcum proxima æstate in Vngariam maiori conatu quàm prius uenerit, rediturum. Non esse Vngaros ad resistendum potentes, nisi extrema habeant auxilia. Petit classem Apostolicā augeri & infestare maritimas

Turcorum

A Turcorum oras: nostro iudicio Regis opus hoc magis quàm Papæ fuerit: nec plura modo. Rogamus Sublimitati Regiæ iterum atque iterum nos cõmendes. Et dominum de Montesia singulatem amicum nostris uerbis saluere iubeas. Ex Roma, die v. Aprilis, Anno domini M. CCCCLVII.

Recitatmetum de Turcorum feritate, *Epist.* CCLXVI.

Aeneas Cardinalis Senensis Alphonso Arragonum
Regi Siciliæq́, S. P. D.

HAc ipsa die Rex inclyte ac potentissime, allatæ sunt literæ ex Vngaria summa Põtifici, omnemq́ curiam conturbarunt. Referunt enim Mahometem Turcorum dominum cum Soldano Aegypti, cum Caramanno Ciliciæ, cum Tartaro Scythiæ inito fœdere, coactis ingẽtibus copijs rursum ad Vngariam properare Albã, quod alij castrum Belgradum uocant, summis uiribus obsessurum. Iamq́ iter accepisse: nec dubium est, quin diebus quindecim cum toto exercitu ante oppidum sese collocet. Ferunt quoq́ iurasse eum, etiam si Asiæ maiorem partem amissam audierit, nõ sese retro abiturum. Hæc Albenses legato Apostolico scribunt, pleni metu. Quippe quibus sola spes de cœlo est: neq́ enim tam securi homines Dei, quin humanum expectent auxilium. Incredulum est mortale genus, neq́ illud ponderat quod scriptum est in sacris B eloquijs, Maledictus homo qui confidit in homine. Sed miserandum illis est, si semel diuinitus liberati, rursus pietatem diuinam tentare uerentur. Percussit de cœlo Deus hoc anno Turcos: neq́ enim humana uictoria fuit, quæ apud Albam parta est. Voluit experiri Deus quidnam Reges agerent, cæteriq́ Christiani populi rectores: profligauit hostes, occidit qui ferociores uidebantur. Abstulit innumerabiles machinas: spatium dedit, quo si uellent Christiani populi sese accingerent, redituroq́ Turco armati occurrerent. Sed quanto magis indulget Deus, tanto negligentiores sumus abutentes otio. Ecce redit hostis & nemo est qui laboranti Vngariæ opem ferat, & uereor ne Vngaria pessum eat, & nobile illud regnum hostilis gladius euertat. Quod si Deus tulerit, cadit murus nostræ religionis, & itinere plano per Carnos & forum Iulij in Italiam Turcorum turmæ decurrent. Ad hæc accedit filiorum olim gubernatoris Vngariæ captura, qui per Regẽ in arce Budensi deprehensi custodiuntur. Cumq́ his non parui nominis Prælatus interceptus est Ioannes Varadensis episcopus. Feruntq́ & alijs plerisq́ nobilibus inclyta uincula. Incomperta est adhuc causa, sed uero simile est necem comitis Ciliæ hoc peperisse. Infelices Christiani, quos tanta cecitas exagitat, ut nec prementibus hostibus domestica deponant odia. Surgat igitur tua Serenitas, & quod potuerit huic periculo remedium adhibeat. Cæteri principes in tuam Sublimitatem cuncti fere contorquent oculos, eam ipsam quicquid egerit secuturi. Neque C enim Rex est in orbe Christiano, apud quem plus autoritatis quàm apud te sit, qui regnorum potentia, rei militaris peritia, experientia rerum multarum, & incredibili sapientia cæteros Europæ principes antecellit. Hæc per me ad tuam Mansuetudinem fide dicta sint, Datum Romæ, die septima Aprilis, Anno M. CCCCLVII.

Refert noua Regi scripsisse, *Epist.* CCLXVII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Soletio, S. P. D.

SCribimus aliqua de Turcis Sublimitati Regiæ, quæ cupimus sibi offeras legasq́. Nisi enim ipse laboranti Christianæ religioni opem ferat, id imminet discrimen ex quo uix alius liberare non possit. Nunc opus est arte, ingenio, & uiribus uti. Nec apud eum nisi inueniamus, ibi perquirenda sint ignoramus. Vale ex Roma die septima Aprilis, Anno M. CCCCLVII.

Aequo animo fert Fortunæ ludum, *Epist.* CCLXVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Hinderbach, S. P. D.

AD nos de statu curiæ Cæsaris nouitas peruenit. Ita se humanæ res habent, nunc iacemus, nunc in alto sumus: Deo laus qui Cæsarẽ omni periculo liberauit. Dolemus ui-

mus uicem Gurcensis episcopi, nostri amici optimi, commiserati sumus & Vnguodio, cui non dubitamus admodum nocere diuitias. Facta sunt hæc quæ fieri potuere: executoriales missæ literæ, & modo nuncius Apostolicus eò pergit sacræ theologiæ professor Laurentius Rauarella, quem tibi commendamus si eum uideris. Ambrosio nostro diximus quæ misisti. Expectabit adhuc aliquantulum: Etsi molestum fert tādiu suspensum teneri. De præposito Bartescadēsi expectabimus quid agas. Cupimus, si quod monasteriorum uacare contigerit, id nobis significes, ut tādem aliquid cōsequi possumus, quo leuior fiat nostra paupertas. In causa præbendæ tuæ uexamur maxime ob dominū Zamorensem, qui tuum aduersarium tuetur. Iuuamus tamen te quoad possumus. Vale & senatui Tergestino episcopoq; ac præposito Pisini nostro nomine salutes dicito. Ex urbe Romana die IIII. Iulij. Anno domini M.CCCCLVII. D

Nouitates Italiæ, Epist. CCLXIX.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Cardinali sancti Angeli, S.P.D.

SCripsi nuper, Reuerendissime pater, & domine mi colendissime, non paucas literas dignationi tuæ, nescio an potuerint ad te penetrare cum audiuerim, & te postea dimissa Vngaria Bosnam petiuisse. Nunc pauca subijciam, & casui mea scripta cōmittam, nam quæ litteræ tot montes, tot flumina, tot barbaras nationes nisi casus inopinatus pertrāsire iubeat. Scripsisti mihi de Pragensi ecclesia tuo more paucissima uerba, sed præter consuetudinem mordentia. Dicis enim nos hic omnia bene expedituros: nec dubium est quin sermo tuus ironicus fuerit: non dicā amplius, etsi opinor, quorsum ea uerba tendant, me non ignorare. Ego pro mei animi libertate semper aperte cum dignatione tua sum locutus: Et ita faciam si quando redieris, quod Deus breuissime concedat cum sospitate & honore. Tunc si quid erit quod mihi uelit tua paternitas obijcere, audiam patienter: Et uel obiecta purgabo, uel petam ueniam, nisi quod pleriq; agunt, alta mente arcanum tuum includere uolueris. Et de hoc satis. Audiui ut dictū est de tuo transitu: credo fuisse urgentem causam. Sed doleo armis plenam esse Vngariam quibus non in Turcos, sed in se Barones eius terræ depugnēt. Illud quoq; molestissimum est, quod inter imperatorem & Vngariæ Regem uetustæ contentiones reuirescūt. Mallem tua studia huic morbo mederi, & quæ sunt in uisceribus nostris auferre mala conari potius, quàm quæ cutem attingunt. Sed cuncta optime nouit prudentia tua, cuius iudicium nunquam meo postposuerim. Venio ad res Italicas. Dominus noster bene ualet ad cruciatam totis intentus animis. Apud Esculum latrones cum Iosia & Octauiano arcem munitissimam ecclesiæ occupauere. Legatus adductis eò copijs omnes in deditionem accepit. Vrsini cum comite Euerso contendunt, & Columnenses, qui hactenus quieuere, nouissime se bello miscuerunt. Rex Aragonum cum Genuensibus bellum gerit. De pace nullum uerbum. Dux Mediolani quiescit, & Veneti, quāuis nuper nonnulli ciues in exilium acti sunt, & aliqui manus amiserint. Senenses intestino morbo laborant. Piccininus Regis homo est, nec putatur hoc anno arma sumpturus. Ex Rheno audiuimus aliqua quæ non placent: nescio an erunt uera: Papa nuper interrogauit cur non impedires: respondi, ut soleo, libere, suam Sanctitatem cum esset in Hispania, Italica negotia curare non potuisse: tuam Reuerendissimam paternitatem in Bosna ualde à Rheno distare. Camerarius legatus Orientis duos Papæ nepotes in uincula cōiecit, qui Cyprum populati fuerant. Quæ scribam alia non habeo. Ex urbe, die IIII. Iulij. Anno M.CCCCLVII. E F

Pollicetur rogatum operam dare. Epist. CCLXX.

Aeneas Cardinalis Senensis Illustri principi Ludouico *Duci Bauariæ, S. P. D.*

REdditæ sunt nobis literæ tuæ humanitatis & beneuolentiæ plenæ: quibus rogas ut illustri principi Ruperto nepoti tuo ad consequendam ecclesiam Ratisponensem nostros fauores impertiamur. Reducisq; nobis ad memoriam claræ memoriæ genitoris tui erga nobis charitatem, & tuam illam quam simul habuimus in noua ciuitate con-

A te consuetudinem. Vidimus libenti animo epistolam tuam, & mirati sumus subscriptionem propriæ manus. Scribis enim optime, quod est in tanto principe ualde laudabile. Recordamur quotiens in curia Cæsaris suaues habuimus sermones insimul, & cum de lapide inuisibilitatis inqsitionem faceres. Tenemus memoriæ in ditione tua possedisse nos ecclesiam Hispacensem, & fuisse à genitore tuo benigne tractatos. Scimus quàm nobilissima est inclyta domus Bauariæ, & quā illi sedes Apostolica tenetur. Intelligis uti confidimus, nos non esse ingratos: de nepote tuo sunt egregia testimonia, quia tamen commissarij sumus in causa huius ecclesiæ Ratisponensi non possumus aliud dicere, nisi quod inuenies nos ueram relationem fecisse, & paratos esse nunc & in futurū ut tuæ uoluntati morem geramus. Datum in urbe Romana die quinta Iulij.

Refert bella Italiæ. *Epist.* CCLXXI.

Aeneas Cardinalis Senensis Nicolao Missio Vollatriano, S. P. D.

AVdiuimus uario relatu inclytum Vngariæ Regem Viennā redijsse. Et nobis placet pro quiete illius regis, ut sit extra turbinē Vngariæ. Dolemus tamen regnū illud inter se diuisum esse, ueremurq; ne Christiani inter dissentiones Turcis aperiant ianuas. Deus meliora permittat. Nos in Italia magnis etiam affligimur malis. Rex Arragonum cum Genuensibus bello implicitus est. Magnam Romani agri partem Vrsini & comes Euersus uastant. Senenses dissidium indies augēt, nouiq; indies ciues aut plectuntur, aut in exilium aguntur: nec uidemus quo pacto quiescere possint.
B Aiunt Cancellarium ad uos ex Bohemia redijsse, dicito illi multas nostro nomine salutes. Commendamus tibi Laurentium Rouarellam nuncium apostolicum, qui has tibi restituet: non fuit in Austria prius. Commonito eum atque instruito in agendis. Si non est dimissus episcopus Varadiēsis, pro eo uerbū faciet, & literas affert, quarum nos promotores fuimus pro ueteri amicitia, & quia innocentem esse confidimus. Vale ex urbe die quarta Iulij, Anno M. CCCC LVII.

Commendatur nuntius Papæ captos redimendos. *Epist.* CCLXXII.

Aeneas Cardinalis Senensis Henrico Senfleben, S. P. D.

DOminus noster sanctissimus mittit Laurentium Rouarellam, qui has literas secū affert ad Serenissimum Vngariæ Regem: Non fuit homo alius in Austria: Necessaria erit ei instructio & directio tua. Commendamus eum tibi: bonus uir est, doctus Theologus. Cura eius erit ut captiui Imperatoris dimittātur, Varadiēsi relaxetur, & pax, si fieri potest, illas demum partes inspiciat. Ab eo intelliges Italicarum rerum, & huius urbis statum: plus mali quàm boni audies. Neq; enim Italia quiescere consueuit, uosq; Germani didicistis mores nostros, & non modo uicinos, sed fratres atq; ipsos parentes bello premitis. Nihil est usq; tutum. Damnosissimum est quod Austriæ inclyta domus in seipsa dissidium habet. Deus illos principes aliquādo meliori respiciat oculo, & quos fecit maximos faciat amicissimos. In causa Varimensi expectamus quid sequatur, quia ibi multū spei collocauimus: alioquin ad mēdicitatem redacti sumus. Sed si quid in partibus illis uacat, quod obtineri posse confidas, uelis nobis significare: Gratias agito Regiæ Maiestati pro literis missis Papæ regratiando de mea promotione. Bene uale. Ex Roma die quarto Iulij, Anno M. CCCC LVII.

C

De eodem. *Epist.* CCLXXIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Nihili, S. P. D.

QVæ scripsisti de curia nostri Cæsaris iā pridē noueramus. Fuit nobis res permolesta, agimus Deo gratias, qui personam Cæsaris custodiuit. Credimus Imperatricem animo conturbatam esse, eiusq; compatimur adolescentiæ, quæ ad calamitates in Germaniam uenit perferendas. Putamus tamen eam ipsam sibi consulere, & & consolationes quærere. Conflictiones Vngariæ didicimus: omnia sunt ad Turcorū potentiam augendam: ferenda sunt quæ Deo uolente fiunt: ille ex malo bonum elicit. Si dabitur aliquando facultas, cogitabimus de te non aliter quā de nostro fideli & singulari amico. Laurentium Rouarellam qui cum præsentibus ad te ueniet, nuncium Apostolicum tibi commendamus, ut assistas ei & consulas si qua ex te quæsierit. Tu

quoque si aliquod monasterium uel præposituram bonam uacare perceperis, fac nos quàmprimum certos. Potes per Venetias mittere literas: illinc enim frequentes ad nos currunt tabellarij mercatorum: quærēda suffragia sunt. Vale ex Roma, die *III.* Iulij Anno *M. CCCCLVII.*

De eodem, & consolatur super morte amici, *Epist.* *CCLXXIIII.*

Aeneas Cardinalis Senēsis, Procopio Rabensteyno, S. P. D.

EX Vienna tuas accepimus literas cum Bohemiam peteres: Nescimus an redieris. Audiuimus insignem fratrem tuum & amicum nostrum singularem Ioannē equitem extremo die functum. Credimus te turbido & amarulento esse animo. Nam & nos tali socio priuati non dolere uehementer non possumus. Sed quid agamus? trita est hæc uia: aut non nasci oportet, aut natum mori. Nos parentes præiere, fratres, sorores, amici: pauci admodum sunt, cum quibus iam uiuere delectet. Nam ætate graues, parare nouos amicos nescimus, & ueteres, paucis demptis, mors abstulit. Nec modo aliud expectamus, nisi aut eripi nobis eos quos amamus reliquos, aut nos auferri ab illis. Atque quandocunque dies illa uenerit nō erimus inuiti ut olim, quibus ad maiorem amicorum cumulum erit eundum. Credimus te ista etiam meditari, nec egere consolatione, ideo præterimus hæc. Accepimus turbulentas esse res Germaniæ, neque Imperatori bene esse cum Rege Vngariæ, dolemus. Nam res pessima est, & noxia non modo Austriæ sed uniuersæ reipublicæ Christianæ. Deus meliora permittat. Cupimus de rebus Bohemicis fieri certiores: sed & quid sperandum sit. Laurentium Rauarellam qui has ad te defert, cupimus tibi commendatum esse: frater est Archiepiscopi Rauennatis tibi amicissimi: consilium tuum optabit in rebus agendis. Ne desit sibi, rogamus, prudentia tua. Vale & Nicolaum nostrum pro tua consuetudine commendatum habe. Ex urbe die *III.* Iulij, Anno *M. CCCCLVII.*

Petit ad possessionem episcopatus Varimensis per procuratores suos induci, pleris que captans beneuolentiam Regis, *Epist.* *CCLXXV.*

Aeneas Cardinalis Senensis, Casimiro Regi Poloniæ, S. P. D.

CVm uacaret nup ecclesia Varimēsis, cōuenientes Canonici eius in Glogonia maiori, & cogitātes de futuro Pōtifice, uota sua in me direxerūt, postulātes à summo Pōtifice ut ecclesiā illā mihi cōmitteret. Ideque fecerūt serenissimi principes domini Imperator, & Rex Vngariæ atque Bohemiæ cōsanguinei & affines tui. Annuit beatissimus Pōtifex, precib. eorū, & summo Cardinaliū cōsensu ecclesiā illā mihi cōmendauit. Mittā prope diē procuratores meos ad serenitatē tuā cū literis apostolicis, quib. precor ut ad possessionē capiēdam necessarios, uelis impertiri fauores. Scio enim quia fine tua opera parum proficerent, cum iam Pruscia in manu tua pene tota esse feratur. Intelligā me magno munere donatum à tua mansuetudine, si mei procuratores, ut nō ambigo, tuis adiuti præsidijs, ecclesiæ possessionem consequantur. Facies rem gratissimam summo Pontifici, & sacro collegio, simulque Imperatori & Regi Vngariæ, quos non dubito Maiestati tuæ pro me scripturos esse. Ego uero conabor nocte dieque omni studio & diligentia tuæ Serenitati me gratum ostendere, atque ita efficere ut mihi profuisse tuam Clementiam non pœniteat: Iamque pro mea uirili in sacro collegio honorem tuum tutare cœpi. Namque cum ageretur de culmine ecclesiæ pro qua scripseras, erantque qui omnino illam committendam esse dicerent procuratori magni magistri ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum, ego prorsus restiti, meaque suasione factum est, ut res suspensa sit, cum tuæ Maiestatis præconia, simulque genitoris tui & Germani qui pro fide Catholica in bello contra Turcos obijt, clarissimas uirtutes retulissem. Quibus auditis sedes Apostolica, quæ prius inclinata erat ad promouendum procuratorem ordinis, mox sententiam mutauit, decreuitque supersedere, ut interea temporis aliquid de concordia & pace illarum partiū tractari possit, & medio tempore rectorē aliquē siue administratorem illi ecclesiæ dare, qui tuæ Serenitati merito displicere non debeat. Verū ego pro ea qua tuo culmini

A culmini deuotione afficior, audeo suadere, idq; utile arbitror, ut tua Serenitas simul cum illis de terra Prusciæ Oratores suos ad sedem Apostolicam mittere quantotius studeat, uiros præstabiles & autoritate insignes, qui offerentes uiam iuris ac concordiæ cum aduersarijs coram sanctißimo domino nostro censuras ecclesiasticas in terra Pruscie quomodolibet fulminatas, aut tolli, aut suspēdi petant. Spero enim eo modo res magnifice ad honorem tuæ Sublimitatis & illarum partium tranquillitatem conduci posse, cū sanctißimus dominus noster ad hæc optimæ sit inclinatus, & multi sunt in sacro collegio Cardinales Reuerendißimi, qui maiestati tuæ sunt affectißimi. Inter quos est Reuerendißimus dominus Rhotomagensis. Ego uero minimus inter omnes nihil omittā ex his, quæ ad augmentum status & gloriæ pertineant tuæ Sublimitatis. Cui me humili me recommendo. Ex Roma die ultima Augusti, Anno M. CCCCLVII.

Recommendat illis ecclesiæ Ratisponensis prouentus. *Epist.* CCLXXVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Otthoni & Ludouico Bauariæ ducibus, S. P. D.

OBtinuistis tandem ecclesiam Ratisponensem Reuerēdo patri Ruperto filio & nepoti uestro commendari. Satisfactum est desiderio uestro. Merebatur inclyta domus uestra exaudiri in suis precibus. Nec talis est ecclesia Ratisponensi, quo uel B probitati, uel nobilitati eiusdem Ruperti satisfaciat. Duo tamē obstabāt petitionibus uestris, ætas scili et promouendi minor, & capituli ipsius ecclesiæ desideriū à quo erat alius electus non indignus neq; ignobilis. Sed cum reperisset pietas domini nostri electionē ipsam minus Canonicam esse, & hinc Ruperti merita libraret, prætulit nobiliorem. Nec putauit in ætate momentum esse faciendum, quam tantæ domus claritas communisset. Est igitur uestrum recognoscere hoc beneficiū ab ipso domino nostro sanctißimo: Qui etsi fecit quod debuit, honorandus est tamen, iuuandus & extollendus qui hoc tempore nobilitatis cultor & conseruator existit. Verum cum ecclesiam Ratisponensem, quæ olim florētißima fuit, & à progenitoribus uestris fundata magnis opibus abūdauit, iam pauperem, ac penè ruentem & undiq; laceram esse intelligamus, Nobilitatem uestram rogamus obnixe, ut postquam ad manus uestras redijt, & caro uestra illi præest, ita efficere uelitis, ut palam omnibus fiat, uos non uerbo, sed opere ipsius ecclesiæ protectores & aduocatos existere. Sit uobis commendata cleri libertas: date operam ut distracta & impignorata bona ipsius ecclesiæ absque grauamine cleri recuperentur: Sit ipse Rupertus ouium suarum non lupus, sed pastor: sit Canonicorum & aliorum clericorū non tyrannus, sed pater. Meminerit quia iubet Apostolus, ut non dominemur in clero, sed tā quam forma facti gregis ecclesiæ præsideamus. Nouerit non se ecclesiæ, sed ecclesiam sibi commendatam esse. Commendamus deniq; etiam Excellentiæ uestræ uenerabilem C Henricum de Habsperg, cuius electio non suis demeritis, sed propter omissas iuris solennitates reiecta est. Dignus est certe cui Rupertus, & qui res suas gerunt, non insultent, sed compatiantur, non iniurientur, sed faueāt potius, & ipsum ament. Est enim uir bonus, cuius nobilitati ingenui correspondent mores. Etenim manifesta est nobis eius probitas. Nam licet multa in eum quæsita sunt testimonia ad eius famam denigrandam, nemo tamen repertus testis est, qui eius honori detraxerit. Passus est uir bonus non modicam iacturam. Venit Romam cum grauibus expensis: fuit hic ea parte anni quando est ardentior & periculosior aër, & perpessus est complures labores, & tandem succubuit. Prosequebatur causam suam, quesierat honorem quem sibi debitum existimabat: Fecit quod cæteri mortales agunt. Nam quis est qui electus in episcopum alicuius ecclesiæ non conetur electionem suam tueri, & à summo Pontifice confirmationem suam obtinere. Qui episcopatum quærit, inquit Apostolus, bonū opus quærit. Verum ea usus est modestia, ea grauitate in suo iure prosequendo, ut nullius unquam honori detraxerit, nullius famæ preiudicauerit, nullius personam in discrimen adduxerit: Idem fecere, & qui cum eo missi sunt capitulo: Testes nos sumus coram quibus causa agitata, tantum est. Quamuis in electum ipsum, & eligentes non-

nulla crimina obijcerentur per procuratores Ruperti, ipse tamen electus,& sequaces, nihil aliud quæsiuere quàm se purgatos atq; innocentes ostendere: De Ruperto nihil unquam repræhensione dignum dixere, sed tam ipsum quàm progenitores suos,& Excellentias uestras, ipsamq; Bauariæ domum cum magna ueneratione, cum summa reuerentia, et singulari quadam Maiestate nominauerunt. Quibus ex rebus iustum, et supra quam iustum esse putamus, ut eundem Henricum,& qui cum eo uenere, commendatissimos suscipiatis, eisq; fauentes ac consilijs assistentes,& auxilijs, quod est ueræ nobilitatis, erga eos ostendatis, quæ uicisse contenta, non insultat uicto, sed uictum sæpe iacentem eleuat,& in partem felicitatis assumit. Hæc pro nostra erga uos charitate,& inclytam domum uestram affectione dixisse uolumus: quamuis sciremus Nobilitatem uestram, quod scripsimus, per seipsam id fuisse facturam. Datum Romæ, die quarta Septembris, Anno M. CCCCLVII.

De eodem, Epist. CCLXXVII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Otthoni & Ludouico Bauariæ ducibus, *S. P. D.*

ANnuit sanctissimus dominus noster precibus uestris, ac Ratisponensem ecclesiã Reuerendo patri domino Ruperto filio & nepoti uestro commendauit. Voluisset Apostolica pietas eam ecclesiam multo maiorem & ditiorem fuisse, & talem quæ nobilitati & moribus ipsius Ruperti satisfaceret. Sed qualiscunque est, recipi debet alacri animo,& habendæ sunt ingentes gratiæ eidem domino nostro, qui ualde libere desiderio uestro studuit complacere. Commendamus igitur excellentiæ uestræ ecclesiam ipsam & clerum eius, quamuis certi sumus fundationem progenitorum uestrorum in manibus uestri sanguinis constitutam, felicibus incrementis augendam esse. Insuper quia uenerabilis uir Henricus de Habsperg, qui fuit electus à capitulo, in prosecutione iuris sui modestissime se habuit, idemq; fecerunt qui cum eo missi fuerunt ad confirmationem electionis petendam, dignum censemus ut eos benigne recipere & tractare uelitis, non permittentes eis aliquam inferri molestiam uel iniuriam. Nam cum ipsi tàm de de præfato Ruperto quàm de uobis & inclyta domo Bauariæ cum summa semper ueneratione locuti sint,& prosequendi ius suum honestam modestiam habuerunt, nõ esset propterea iustum eos iacturæ aliquid ferre. Scimus hæc per se nota esse Prudentiæ uestræ, ideo non plura scribimus. Tantum rogamus, ut si qui sint qui eos in conspectu uestro criminari uoluerint, tanquam litigando in hac curia honori uestro detraxerint, nolite illis credere, sed nobis potius fidem præbere coram quibus est causa agitata,& qui uobis scripsimus. Datum Romæ, die VII Septembris, Anno M. CCCCLVII.

Grates refert de promotione,& efflagitat iterum promoueri, Refert etiam nouitates urbis, Epist. CCLXXVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Imperatori Frederico, *Salutem plurimam dicit,*

ACcepi superioribus diebus literas tuas super negotio concernente Reuerendum patrem episcopum Lauriensem. Introduxi ad sanctissimum dominum nostrum nuntium tuum: obtinui literas fieri secundum desiderium Maiestatis tuæ, quas idem nuntius apportabit. Supplico Serenitati tuæ digneris ita facere, ut capitaneus in Vorchtensteyn non sit nimis onerosus illi ecclesiæ Lauriensi, quia reuera multum exorbitat & grauat clerum. Tua Maiestas semper pia fuit & sacræ religioni affecta: Continuetur in hac sua gloria tua pietas, nec patiatur à suis officialibus uexari clerum, quẽ semper misericorditer tractauisti. Hæc dico, quia cupio semper honori tuo bene consultum esse. Accepi & alias literas quas in facto Ratisponensis ecclesiæ transmisisti, Ruperto fauentes: iam ille promotus erat ad ipsam ecclesiam, quia reperta fuerat electio capituli inualida. Causa mihi commissa erat,& ego in consistorio relationem feceram.

A ceram. Postquam dominus noster considerauit scripta quæ prius tua Maiestas miserat, fundata super electione Canonica, nō dubitauit, quin ea reperta inualida, promotionem Ruperti commendares, quod ego etiam ita putaui futurum, & ita complacitū est illi nobilissimæ domui. Insuper gratias ago Maiestati tuæ pro literis sanctissimo domino nostro & sacro collegio super facto Variensis ecclesiæ in meum fauorem missis. Nunc cum idem dominus nostrer ecclesiam illam mihi commendauit, supplex oro, ut digneris literas opportunas, in bona forma scribere ad Serenissimnm Poloniæ Regem, subscribendo illas manu propria, ut maior uideatur affectio: rogantes eum ut procuratoribus meis possessionem ipsius ecclesiæ assignari faciat. Veniet enim infra paucos dies unus ex procuratoribus ipsis ad Serenitatem tuam pro literis accipiendis, quem cupio celeriter expediri. De nouitatibus harum partium hoc tantummodo scribere possum. Rex Arragonum maximam & potentissimam habet in mari classem, minatur Genuēsibus. Sed & alijs quàmpluribus terrorem incutit. Comes Iacobus Piccininus cum exercitu regnum Apuliæ exiturus ex prope diem. Dicit se contra Sigismundum Malatestam arma sumpturum: sunt tamen qui Senensibus, & qui ecclesiæ Romanæ timendum putant. Vrsini & comes Euersus inter se contendunt, nec finis potest inueniri discordiæ. Cardinalis de Vrsinis, quasi Papam timeret, ex urbe iam pridem recessit, B & inde simultates nō paucæ exortæ sunt inter ipsum & Romanū præsulem. Missus est tamen modo per collegium Cardinalis sancti Marci, qui eum Apostolicæ pietati recōciliet. Nescio quis fructus sequetur. Non sumus sine periculo intestini belli, si Vrsinorū domus implicata remanserit. Ex Oriente nouitas allata est fratrem Cardinalis Portugalēsis ueneno perijsse in Cypro, qui regnaturus eò profectus erat, ac filiam Regis duxerat. Turcorum classis Mithelenam insulam conatu uexatura fertur, sed auxilio illi erit legatus Apostolicus cum triremibus suis, & Rhodiensi manu. Aliam quæ scribo non habeo. Commendo me humilime Sublimitati tuæ, ad cuius mandata semper ero paratus. Ex Roma, die XI. Septembris. Anno M.CCCCLVII.

De eodem. Epist. CCLXXIX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ladislao Regi Vngariæ, S. P. D.

QVæ scripsisti mihi super negotio Vratislauiensis electi, curaui atq; diligēter peregi, quamuis res esset difficilis & pecuniaria. Gestus est mos tuæ serenitati, & remissa est electo magna pecuniæ pars. Laboraui ut satisfieret desiderio tuo circa Ratisponensem ecclesiam, & obtenta est tua uoluntas. Præfectus est enim illi ecclesiæ illustris princeps Rupertus Bauariæ dux consanguineus tuus: fui ego in ea causa commissarius, & quemadmodum debui, conatus sum eam relationem facere, quæ cum ueri C tate eidem Ruperto utilis esset. Feci id libenter, quia intelligebam me Sublimitati tuæ, simul et inclytæ domui Bauariæ complacere, & ecclesiæ illi bene consulere, nec de hoc plura. Verum Serenissime Rex, cum tua pietas digna fuerit domino nostro Papæ pro me scribere, atque instanter supplicare, ut ecclesia Varinensis mihi commendaretur, idq; iam factum est, rogo & supplico ut cœptum continuans beneficium, Serenissimo Regi Poloniæ sororio tuo urgenter scribere digneris, pro possessione ipsius ecclesiæ meis procuratoribus danda, quemadmodum Henricus Senftleben Decanus Vratislauiensis tuæ Sublimitati latius declarabit necessarium esse. Idem etiam Celsitudini tuæ nouitates harum partium, quas sibi scribo seriosius exponet. Nec aliud imprræsentiarum nisi quod me tuæ Sublimitati iterum atque iterum commendo, ad eius semper mandata paratum. Ex Roma, die XI. Septembris, Anno Domini M.CCCCLVII.

Hortatur uice sua promotiones principum ad Regem Poloniæ impetrare. Epist. CCLXXX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Henrico Senftleben, S. P. D.

SCripsisti nobis his diebus frequentes literas pro quibus gratias agimus tibi, qui ueri & optimi amici officium imples. Intelleximus illarum disturbia partium. Dole-

mus principes uestros non tam se beneuolentia, quàm sanguine contingere: Cuius rei causam non ipsis ascribimus, sed illis quorum uoces prę cæteris audiuntur. Infortunium est hoc nostri temporis, ut tunc potissime diuisi simus cum expediret maxime esse unitos: sed dabit Deus his quoque finem. Pro electo Vratislauiensi laborauimus diligenter, & tandem confecimus quod petebatur. Nam tria milia ferme ducatorum remissa sunt. In qua re intelliges ex Vuẽceslao quæ fuerint partes nostræ. Rogamus uelis esse cum Maiestate Regia, & ab ea literas opportunas impetrare ad Serenissimum Poloniæ Regem & alios, ut opus esse putabis, duplicatas. Nam ipse Vuenceslaus offert se iturum nomine suorum dominorum in Poloniam, & nos statim mittemus Bartholomæum Canonicum Variniensem cum literis procuratorijs opportunis: & necessarium est quod ambo habeant literas regias: Nam nos eisdem ducibus per hos dies non paruum obsequium fecimus, qui pugnantibus fere cæteris Cardinalibus, sanctissimo domino nostro suasimus consanguineum eorum Rupertum ad Ratisponensem ecclesiam promouendum esse, cum essemus cõmissarij & alterius electionem inuenissemus non ualere. Mittimus tibi literas Credentiales, quarum uigore poteris eis supplicare, ut tibi assistant ad regias literas impetrandas. Procopio & Nicolao scribimus quos arbitramur suos fauores non negaturos. Cardinalem sancti Angeli uellemus apud se esse, ut eius summa prudentia lites Australicæ componerentur. Rogamus ut nostras literas sibi transmittas. Et denique cures ut uenientibus dictis Vuenceslao & Bartholomæo literæ quæ necessariæ sunt in promptu habeantur. De nouitatibus harum partium pauca sunt quæ scribere possumus: Eaq; sunt huiusmodi ut supra in literis Imperatoris. Vale optime ex Roma die septima Septembris, Anno *M. CCCCLVII.*

Petit patrocinari ut promotio Regis impetretur, *Epist. CCLXXXI.*

Aeneas Cardinalis Senensis, Procopio Cancellario Bohemiæ, S. P. D.

QVamuis raro nobis scribis, ex Nicolao tamẽ simulq; Henrico Senftleben intelligimus te ueterem erga nos beneuolentiam retinere, & omni officio ueri amici satisfacere: Non repetimus quæ pro nobis fecisti: sunt enim plurima, nec nos hi sumus qui referre gratias ualeamus. Illud tamen quod possumus facimus, redamamus Magnificentiam tuam, & animum habemus paratum omnia facere quæ tibi grata sunt & nobis possibilia. Id ostendemus si quando pro uenerabili Germano tuo præposito Vicegradensi aliquid acciderit, quod sibi utile futurum putemus, & in nostra potestate consistat. Interea rogamus te, ut perseueres in officio charitatis, & tui Aeneæ semper memineris. Insuper quia mittemus propediem procuratores nostros cum literis Apostolicis ad capiendam possessionem Variniensis, ecclesiæ saltem haberi poterit, rogamus amicitiam tuam, ut eas literas impetrare uelis à Regia Maiestate quas Henricus prædictus dixerit opportunas. Nam tantum pondus huiusce rei consequendæ in serenissimo Rege ipso Vngariæ atque Bohemiæ consistit, & qui cœperit perficiat. Erimus in æternum suæ Maiestati et tibi obligati, quippe qui ecclesiam eam suo & tuo fauore obtinuerimus. Conati inquam semper sumus nos gratos ostendere. Credimus Cardinalem sancti Angeli iam apud uos constitutũ esse: Quod si ita est, cõmenda nos suæ dignitati tanquã patri uenerabili dignissimo. Quæ sunt apud nos noua scribimus ipsi Hẽrico tibi communicanda. Feruet Apostolica mens desiderio exterminandi Turcos, sed principes Christiani inter se dissidentes, pium propositum prorsus deserunt. Deus meliora præbeat, quod speramus. Vale optime. Ex Roma, die *XI.* Septembris, Anno Domini *M. CCCCLVII.*

Hortatur concordiæ Imperatoris & Regis Vngariæ intendere, *Epist. CCLXXXII.*

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Cardinali sancti Angeli, S. P. D.

BReues more tuo scripsisti ad me nuper epistolas. Vidi eas libenter, quia significabant te ex Bosna reuersum prope Vngariam degere, ac bene ualere quod prę cæteris mihi iocundissimum fuit. Spero hæc scripta mea repertura esse in Austria personam tuam, inter mitiores gentes. Vtinam ita fiat: Nam præsentia tua futurum

opinor

A opinor ut principes illarum partium prorsus componantur. Ait enim Cardinalis Papiensis, se cum anno superiori ageret in Austria omnes lites inter Imperatorē & Regem Vngariæ adeò attenuasse, ut parum ad integram concordiam superfuit. Composuisset omnino partes ipsas ut est opinio, nisi coactus fuisset Nurenbergam ascendere. Existimo igitur haud dubie Dignationem tuam fide debito terminaturam quod ille infectū reliquit: si tamen ita est ut compositioni tam parua, ut referunt, res defuerit. Vtcunq; sit, elaborandum est eo negotio: Nec minus erit composuisse Imperatorem & Regem quàm Turcum deleuisse. Et ego quidem hanc coronam tuæ Dignationi auguror & opto. Nouitates harum partium, non dubito, intelligis ex aliorum literis: ex me tamē hæc pauca habe. Rex Aragonum maximam habet in mari classem Galearum supra xxx. magnarum onerariarum septem, minorum nauigiorum quàm plurium. Dicit se iturum in Cathaloniam ut inde fortior redeat contra Turcos. Inde factum est ut Rex Portugaliæ aduentum suum suspenderit. Genuenses hanc Regis classem contra se armatam putant, simulq; cum eis Florentinis, & Senenses timent: certitudo nulla est quid tandem Rex intendat. Comes Iacobus Piccininus cum exercitu circiter duorum milium bellatorum exiturus bellum fertur. Territat ecclesiam simulq; Senenses, cum se contra Sigismundum Maletestam profecturum minatur. Vrsini & comes Euersus adhuc inter se litigant. Cardinalis de Vrsinis iam pluribus diebus è curia recessit, ueritus ne quid
B sibi sinistri accideret, cum Papa exercitum misisset aduersus fratres eius. Nunc Rex Aragonum Vrsinorum familiam in suam protectionem recepisse fertur. Timor est ne Romanus ager nouis inuoluatur litib. Missus est Cardinalis sancti Marci ex parte collegij ad ipsum dominum de Vrsinis ut si possibile est controuersiæ componantur. Dominus noster sanctissimus iterum duas galeas cum pecunia ad legatum mittit in Orientem, facit pius pater quod potest, sed relinquitur à principibus, nec solus potest tanti belli molem sufferre. Imperator Turcorum contra Mitylenam missurus classem fertur nō modicam, sed dominus insulæ spe legati fretus & auxilio Genuensium nauale bellum instupidus manet. In Albania dicunt Scanderberchium magnalia perpetrasse contra Turcos: quod si uerum est, melius tua paternitas Reuerendissima, quæ per id temporis prope fuit, exploratum habuit: Cupio ut tandem redeas, nec uelis triennium complere, nisi principes contra Turcos excitari posse confidis. Recommendo me Dignationi tuæ ad eius mandata semper paratum: Ex Roma, die XI. Septembris, Anno Domini M.CCCCLVII.

Petit auxilio esse ut promotiones impetrentur. *Epist.* CCLXXXIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Nicolao Listio, S. P. D.

C GRatæ fuerunt nobis literæ tuæ quibus Germanica negotia nobis significasti, utinam melius se res haberent. Sed ferenda sunt quæ nobis tempora dantur. Faxit Deus ut principes illi uestri aliquando concordes sint, ne qui sunt sanguine proximi odio disiungantur. Gaudemus Procopium conualuisse, & nostri memorem esse. Cupimus nos suæ magnificentiæ sæpius efficias commendatos. Scribimus Regiæ Maiestati & sibi de literis necessarijs ad obtinendam ecclesiam Varinensem. Rogamus in ea re tuo more sis uigil, & ita efficias quemadmodum Henricus Senftleben expetierit, qui conditiones illius patriæ nouit, & noster est fidelissimus amicus. Ab eo scies quæ sunt hic noua. Fluctuamus & nos more hominum nauigantium. Frater tuus Vulteras repetijt. Italia multis in locis peste laborat, sed potissime Sena. Nam quæ bello afflicta fuit & caritate annonæ, nunc quod tertium erat, morbo languescit. Vale & nobis sæpius scribe. Datum Romæ, die XI. Septemb. Anno Domini M.CCCCLVII.

Pollicetur pecuniam concedere pro redimendis literis, *Epist.* CCLXXXIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Vlrico Ridrer, S. P D.

REcepimus literas tuas quas reddidit nobis Iacobus Imperatoriæ Maiestatis nuntius. Agimus tibi gratias pro literis scriptis in facto ecclesiæ Variniensi, scimus enim te eas dictasse & expediri fecisse. Nunc opus est ut alias iterum expediri facias ad serenissimum Regem Poloniæ et alios prout opus fuerit: latius te admonebit procurator noster quem statim mittemus ad possesionem capiendam. Super facto Laurionensi expediuimus literas iuxta desideriũ Maiestatis Imperatoriæ, quas ipse Iacobus secum apportabit. Rogauit enim nos ut concederemus sibi pecunias: Concessimus primo sex aureos. Et deinde iterum rogauit nos, ut alias sibi pecunias mutuaremus pro reditũ necessarias: Fecimus sibi illas per Bancum cõcedi, & obligauimus nos pro eo intuitu Maiestatis Imperatoriæ, cui debemus omnia. Voluissemus quod ipse habuisset aliqua scripta uel Maiestatis eiusdem uel tua. Libentius sibi subuenissemus, tamen quia nuntius Imperatoris, noluimus eum derelinquere sicut ab eo intelliges. Rogamus des operam cum eo postquam redierit ut nobis satisfaciat. Intelleximus de dispensatione tua: erimus cum correctore, & uidebimus quid faciendum sit: Scito quod literæ nullæ possunt obtineri gratis ab isto Papa, nisi pro persona Imperatoris. Si uis quod exponamus pecunias pro te, scribe nobis & libenter id faciemus, quamuis pauperes simus, adhuc tamen pro te inueniemus centum aureos cum opus fuerit. Habebis cum præsentibus literas ad Ioannem Hinderbachium, rogamus eas sibi mittas ubicunq; fuerit. Et nos Sublimitati Imperatoriæ cõmendes ad cuius mandata paratissimi sumus. Ex urbe, die XI. Septembris, Anno M. CCCCLVII. E

Significat concordiam factam, & exorat auxilio esse pro possessione assequenda, *Epist.* CCLXXXV.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Hinderbachio, S. P. D.

LAborauimus diu tui causa aduersus aduersarium tuũ super præbenda Ratisponensi & deinde peperimus tibi pacem. Obtinuimus nanq; præbendam prouisi Ratisponensi dari domino Humanno ut tibi quies esset: Et ita factum est. Hoc scribimus ad consolationem tuam. Rogamus ut nos Imperatoriæ Maiestati commendes, & iuues nos ad possessionem habendam ecclesiæ Variniensi. Vale optime. Ex Roma, die XI. Septembris, Anno M. CCCCLVII.

Credentiarum literæ, *Epist.* CCLXXXVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ludouico Bauariæ duci, S. P. D.

VEniet ad Excellentiam tuam uenerabilis uir Henricus, & aliqua nostro nomine referet. Cui rogamus ut plenam Credẽtiæ fidem præstare uelis, & in his quæ uice nostra petierit, benignum impertiri fauorem, quemadmodum de tua erga nos charitate plene confidimus. Ab eo etiam scies negotium ecclesiæ Ratisponensi, pro tuo desiderio expeditum esse. In qua re fecimus quod uires nostræ potuere, ut honori tuo satisfieret. Ex Roma, die undecima Septembris, Anno M. CCCCLVII. F

Literæ commendatoriæ, *Epist.* CCLXXXVII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ludouico duci Bauariæ, S. P. D.

SIgismundus Schretel bonæ indolis adolescẽs primus huc uenit in causa ecclesiæ Ratisponensis, primusq; literas tuas nobis reddidit. Institit die noctuq; diligentissime laborans ut desiderio tuo satisfieret. Cum res sit ad uotum expedita, dignus est qui digno fauore tractetur. Rogamus igitur ut Ruperto administratori Ratisponensi consanguineo tuo eum commendare uelis, atq; ita efficere ut de primo beneficio uacaturo & conuenienti sibi omnino prouideatur. Reddes enim mercedem condignas suis laboribus, & nobis singularem complacentiam facies, qui eum iam pridem nouimus, & pro uirtute diligimus. Datum Romæ, die XI. Septembris, Anno M. CCCCLVII.

Contra

A *Contra negantes autoritatem summi Pontificis à Christo institutam esse, Epist.* CCLXXXVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Martino Mayer, S. P. D.

SVnt nonnulli nationis tuæ homines parum pensi habentes, quibus Romani Pontifiscis autoritas neque necessaria esse uidetur, neque à Christo instituta. Contra quos hanc epistolam scribere & tibi transmittere decreuimus, ut si quando tales homines te adierint, habeas ex nobis quo gladio eorum temeritatem confodias. Nam quando eos non solum scripta iura reuellunt, & autoritas ecclesiæ longe lateq; diffusa sed ipsa [redacted]inuariabilis adeo fixa est, ut n[redacted]pro sternimus: Cum Christianis nobis questio est, qui euangelium recipiunt, & Christum filium Dei pro nostra salute incarnatum & passum fatentur. Hi nobis haud quaquam negabunt sacramenta in ecclesia ab ipso filio Dei instituta, quibus ad salutem nostram utimur, baptismi, confirmationis, eucharistiæ, pœnitentiæ, ordinis, matrimonij, & unctionis extremæ: quorum unum, quod est principalissimum, scilicet ordinis, aliorum duorum quæ potissima esse uidentur, eucharistiæ ac pœnitentiæ mysterium in se conti-
B net. Nam sacerdotes hac potissimum causa sunt instituti, ut purgantes per pœnitentiam homines à peccatis suis, & in gratiam Dei redeuntes, idoneos faciant ad corpus Christi participandum: Deinde corpus Christi consecrantes, illud eis administrent. Videmus autem natura ita comparatum esse, ut omnis potestas quæ ad principalem aliquem ordinata est effectum, inferiores ordines sibi subseruientes habeat, quod maxime in artibus apparet. Nam arti quæ formam Materialem inducit, aliæ subseruiunt quæ materiam disponunt: Et rursus ars illa quæ formam inducit, alteri seruit ad quam pertinet finis perfecti operis. Nam qui ligna cedit, arti nauifactiuæ deseruit: Et hæc rursus gubernatoriæ, illa uero militari, uel œconomicæ quemadmodum ad diuersos ordinantur fines. Cum ergo potestas ordinis in eum finem constituta sit, ut purgatis hominibus corpus Christi ministret, palam est inferiores ordines ei deseruire, ea præparantes quæ ad hoc opus necessaria sunt. Et infimi quidem ordines sacerdotali deseruiunt, populum præparantes. Ostiarij quidem arcendo infideles à cætu fidelium: Lectores instruendo catechumenos, elementa fidei tradentes, propter quod eis scriptura ueteris testamenti legenda committitur: Exorcistæ uero eos purgant, qui per dœmoniorum uexationes à sacramentorum perceptione impediuntur. Atque ita hi tres ordines disponendi populi curam habent. Est & quartus Accolitorum ordo, cui uasa non sacra credita sunt, in quibus sacramenti materia præparatur. Subdiaco-
C ni uero ministerium habent super uasa sacra, & super dispositione materiæ nondum consecratæ. Diaconi uero ulterius procedunt, administrant enim atque contingunt materiam iam consecratam, Christi sanguinem populo dispensantes. Subseruiunt autem hi ordines sacerdotali etiam præparatione populi. Nam Diaconis committitur euangelica doctrina præparanda populo: Subdiaconis epistola: Accolitis luminis commissa est cura, quod ad solennitatem doctrinæ proculdubio pertinet. Atque ita hi sex ordines ad septimum referuntur, qui sacramentalis appellatur. At cum ordinum horum collatio cum sacramento quodam perficiatur, sacramenta autem ecclesiæ dispensatores requirunt idoneos, necessarium est superiorem aliquam potestatem esse in ecclesia altioris ministerij, quæ ordinis sacramenta dispenset. Hanc autem maiores nostri episcopalem appellauere, quæ quamuis in consecratione corporis Christi sacerdotalem non excedat, superat tamen in his quæ ad regimen populi pertinent. Nam & ipsa sacerdotalis potestas ab episcopali deriuatur. Et quæ sunt ardua circa populi curam, episcopis reseruantur. Nec sacerdotes ipsi dum corpus Christi conficiunt, rebus alijs utuntur quàm per episcopum consecratis ut altari, calice, uestibus. Est igitur manifestũ summam regiminis quod in populo Christiano geritur, ad episcopalem

episcopalem pertinere potestatem. Verũ quamuis populi per diuersas diocœses ac ciuitates distinguantur, sicut tamẽ una est ecclesia sponsa Christi, ita et unum oportet esse populum Christianum. Et sicut in uno populo speciali unus requiritur episcopus, ad quem summa rei deferatur, ita & in toto populo Christiano pernecessarium est unum esse totius Ecclesiæ caput, unum præceptorem atq; magistrum ad quem maxima quæq; & difficilia referantur. Cumq; ad unitatem ecclesiæ conseruandam illud potissimum requiratur, ut una sit omnium fides, circa ea uero quæ fidei sunt quæstiones uarias suboriri contingat, unum esse principem unumq; caput oportet, et supremum iudicem qui quæstiones ipsas dissoluat. Alioquin sententiarum diuersitas Ecclesiam ipsam diuideret atq; solueret unitatem. [redacted] Et nos quidem palam uidemus omnes qui tempestate nostra peregrina inuenerint dogmata, & errores prædicant, illud in primis sibi usurpare, ut Romanæ ecclesiæ autoritatem & principatum diffiteantur. At cum Christus Deus noster sponsam suam Ecclesiam tam feruenti amore dilexerit, ut sanguinem suum pro ea effuderit, crucis tormẽtum perpessus, Nequaquam credendũ est eum in his quæ necessaria sunt Ecclesiæ nõ opportune consuluisse, cum de synagoga per Esaiam dicat: quid ultra facere debui uineæ meæ & non feci? Itaq; cum necesse sit ad perfectum regimen unum præesse à quo cæteri dependeant, minime dubitandum est quin ex ordinatione Christi unus Ecclesiæ præsit. Et nos hunc Romanum præsulem appellamus: uulgus Papam nominat. Insuper cum Ecclesiæ regimen ab eo institutum sit, per quem reges regnant & legis conditores iusta decernunt, non est ambigendum quin Ecclesiæ regimen optime sit ordinatum. Optimum autem multitudinis regimen illud est, quod ab uno regitur. Id autem ex fine patet: Nam finis optimi regiminis pax est, & unitas subditorum: Vnitatem autem quæ pacis est nutrix, nemo dubitauerit longe melius ab uno seruari quàm à pluribus: tanquam optimo præsit unus. Huc accedit quod in Apocalypsi Ioannes ait, se scilicet uidisse Hierusalem descendentem de cœlo. Et Moysi mandatum est, ut omnia faceret secundum exemplar ei monstratum in monte. Quibus ex uerbis quid aliud colligimus, quàm militantem in terris Ecclesiam, instar esse triumphantis Ecclesiæ in cœlo. At cum in illa unus sit dominus, dicente eodem Ioanne rursus in Apocalypsi, ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus, quis non intelligit Ecclesiæ militantis unum esse principem oportere? Recte igitur Oseæ primo scriptum est: Congregabuntur filij Iuda, & filij Israël pariter, & ponent sibimet caput unum. Dominus quoque apud Ioannem ait: Fiet unum ouile & unus pastor. Et ad Ephesios doctor gentium Paulus: Soliciti, inquit, sitis seruare unitatem spiritus in uinculo pacis: Vnum corpus & unus spiritus sicut uocati estis una spe uocationis uestræ. Vnus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Sed dices fortasse, unum caput, & unus pastor Ecclesiæ Christus est, qui est unus & unius Ecclesiæ sponsus, & hic cuncta gubernat, nec opus est alium adhibere pastorem. Vana est argumentatio tua: Nam cum omnia ecclesiastica sacramenta Christus ipse perficiat: Ipse est enim qui baptizat, & peccata dimittit, ipse est enim uerus sacerdos qui sese obtulit in ara crucis, & cuius uirtute corpus eius quotidie consecratur, possemus dicere minime necessarios sacerdotes: quod quantæ sit absurditatis nequaquam te latet. Scimus enim Christum cum ex hoc mundo transiturus esset ad patrem, cum corpore affuturus erat, elegisse ministros per quos sacramenta fidelibus dispensaret. Eadem enim ratione necessarium fuit aliquem eligere, cui uniuersalis Ecclesiæ curam committeret, quod fecit. Dixit enim Petro ante ascensionem suam: Pasce oues meas. & ante passionem, tu interim confirma fratres tuos. Et rursus Petro ait: Tibi dabo claues regni cœlorum. Quibus uerbis palam ostendit potestatem clauium per Petrum ad alios deriuandam, ut Ecclesiæ seruaretur unitas. Nec fas est dicere hanc dignitatem Petro datam ad successores eius non deriuari. Nam Christus Ecclesiam usque ad finem seculi duraturam instituit, secundum illud

Esaiæ

A Esaiæ IX. capitulo. Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, & confirmet, & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & usq; in sempiternum. Nā potestas apud eos qui cum Christo uixere, ita instituta est, ut ad posteros deriuaretur pro unitate ecclesiæ usq; ad finem seculi. Et hoc est quod ipse saluator ait Matthæi ultimo: Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Itaq; liquet unum esse Pontificem, qui præsit Ecclesiæ uniuersæ. Et hic post Christum Petrus fuit: illo autem uita functo, successores eius usq; ad Calixtum tertium Christi uicariatum tenuere. Nec potest dici aliam quampiam ecclesiam hoc prærogatiuo gaudere. Nec ipsa quidem Hierosolymitana, in qua fuit officina nostræ salutis, & cui Iacobus frater domini magnus præfuit apostolus. Nam Christus cum uicarium suum Petrum elegit, ei loco hanc dignitatem cōcessit, quem Petrus ipse suo sanguine consecraret. Hierosolymitanam autem ecclesiam quamuis Nicena Synodus ab omnibus honorandam esse uoluerit, saluum tamen esse decreuit ius Cæsareæ Palestinæ, quæ tūc eius erat Metropolis. Romana igitur ecclesia, ut sacri canones aiunt, caput omnium est, quæ principis apostolorum & doctoris gentium sanguine dedicata, ibi apud se cœleste regnum habere meruit, ubi terrenum usq; ad summum creuerat imperium. Nam sicut Romulus & Remus initium ibi mortalis imperij fecere, ita Petrus & Paulus cœleste regnum fundauere.

B *Præconizat scripta eius, Epist. CCLXXXIX.*

Aeneas Cardinalis Senensis, Episcopo Honetensi, S. P. D.

Literis tuis & lætati & oblectati sumus. Lætati quidem, quod tempora nostra claris florere ingenijs, & uim eloquentiæ passim crescere atq; ad exteras penetrare nationes animaduertimus. Oblectati autem quod in epistola tua multum leporis, multumq; salis inuenimus. Et cum omnia quæ scribis grauia dignaq; Philosopho proculdubio sint, tum nobis illud præcipuam quandam exhibuit uoluptatem, quod in exemplis Petro & Moyse, quibus impugnabaris, quasi armaturis tuis quibus & defendereris & aduersarium tuum ferires uti nouisti. Est enim simile hoc illi quod de Vergilio legimus, qui cum crimini sibi daretur, quod Homeri uersus operi insereret suo. At hoc, inquit, quod uituperatis, laude præcipua dignum est, tanquā ego clauam ex manu Herculis arripuerim. Hoc itidem & nos de tuo ingenio dicimus. Perge igitur & florentes eloquij tui uires sæpe exerce: Sic enim erit inter disertos Oratores non uulgare nomen tuum. Vale quanti es. Ex urbe tertio Octobris, Anno M. CCCCLVII.

Offert à se uersam epistolam D. Chrisostomi ad Cyriacum episcopum exulem, Epist. CCXC.

C
Ad patrem reuerentia cultuq; dignissimum dominum Aeneam Syluium, episcopum Senensem & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ presbyterum, Cardinalem bene meritissimum Leodrisius Cribellus, S. P. D.

Existimo dignissime præsul, ingentem iam esse literarum aceruum earum quæ ex omni Italia Germaniaq; & ab optimo quoque uiro studio congratulandi per hos menses ad tuam dignitatem sunt conscriptæ. Et quamuis uirtutes alias, alia merita, spes etiam in futurum uberiores singillatim & facile & uere, ex magna copia, ut cuiusque animus tulit (etsi non ijsdem uerbis) annotauerit, eandem tamen seriem, eandemq; uoluntatem uidere uideor omnes imitatos esse. Quo numero cum & ipse fuerim, ab amplitudine tua non ab ingenio meo uires capiens, statui impræsentiarum, nouo ac diuerso schemate felicitatem tibi tuam & diuinæ Maiestatis propitium numen ante oculos ponere. Hæc est epistola Ioannis Chrisostomi, qui cum ex Pontificali throno suo pulsus, & exilio damnatus esset amiciq; exinde sui suæq; sanctitatis & eloquij diuini cultores mærore & cruciatibus afficerentur, ad Cyriacum episcopum & ipsum exilio damnatum hanc epistolam luctus & miseriarum primo, deinde consolationis plenam scripsit. Quam ego dum è Græca Latinam fecissem, statui præstantissimæ

Dignitati

Dignitati tuæ ea potissimum causa dare, ut intelligas quanto meliore conditione tecum diuina pietas agat: Illum enim uirum sapientia & sanctitate primarium, inimicorũ fraus potentiaq; pessundedit: tu omnium aduersantium inuidiam mirabili ingenio & uitæ candore superasti: Ille ex patria crudeliter pulsus est, tu à remotis regionibus, quamuis ibi etiam feliciter degeres, felitius tamen in patriam es reuocatus: Ille de throno suo eiectus est, tu ad maiorem sublimatus es: Illius ruina suos omnes miserabili calamitate inuoluit, tua uero felicitas tum cæteris omnibus amicis & clientibus tuis, tum mihi maxime perennis lætitiæ materiam præbuit. Itaq; leges hæc diui Chrisostomi scripta non ingratis oculis. Sed ita tamen ut scribentis grauitas interpretis nouitate non lædatur. Tua uero Reuerendissimam paternitatem diutissime bene ualere precibus precor, cuius grauissimi præcones, Nicolaus Archemboldus, & Scenacortensis nõ in hoc clarissimo senatu tantum, sed in omni Italia primarij uiri eidem sese summo affectu cõmendant. Mediolani XVI. Kalendis Septembris. D

Ex humilitate se indignum Cardinalatu confert. Epist. CCXCI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Leodrisio Cribello, S. P. D.

AFfecerunt nos haud modica uoluptate, præstãs uir & amice singularis, literæ tuæ quas ex Mediolano XVII. Kalendis Septembris ad nos scripsisti: legimus Ioannis Crisostomi epistolam, quam ex Athica Romanam fecisti. Nesciebamus te ante Græci sermonis gnarum esse: prius translationem hanc uidimus quã te Græcè doctũ audiremus. Tanto te magis extimamus, quanto magis est duas linguas quàm unam nosse. Nõ est nobis iudicium de Græcis. At quod Latinè scriptũ est ex Græco uersum, si quid est quod sentimus, admodum laudabile est, tersum, suaue, nitidum. Gaudemus te huic doctrinæ profectum, ut laudari ab omnibus tua scripta debeant. At quod de nobis iudicium facis, longe maius est, quàm nostra exigant merita: noscimus nosipsos nec fallimur cum laudamur. Quod ad Cardinalatum euecti sumus, diuinæ miserationis est non nostræ uirtutis. Nec omnia consilia Dei humana potest inuestigare cogitatio. Sæpe ad nostram ruinam tendunt, quæ nos quasi felicia uel cupimus uel admiramur. Neq; dignitas Cardinalium tantum in se boni habet, quantum præ se ferre uidetur: & quidem nobis qui tantæ gloriæ impares sumus, instar est potius miseriæ quàm felicitatis. Itaque probe ad nos epistolam de exilio militis misisti, ut solamen nostræ calamitati afferres aliquod: egemus enim consolatione non parua. Nam sicut præstantissimi patres inter uiles exulant homines, itaq; & ignari nostriq; similes quasi à patria fugati sunt cum cætui admiscentur probatissimorum: Idq; nobis accidit in sacrum collegium accersitis, in quo trementes uiuimus. Faxit Deus ut si non implemus opiniones hominum, at saltem ne confundamus eos qui de nobis bona prædicant. Viri præstantes & æuo nostro singulares Nicolaus Arcemboldus & Scenacortensis dum nos commendant, faciunt magis quod se decet, quàm quod meremur. Stephanus Cacia Nouarien. ad quem scribebas, diem obijt. Nos loco suo tuas legimus literas. Amauit te ille & amat proculdubio in paradiso uiuens. Non enim perit anima cum à corpore abit, neq; uiri boni & Stephano pares ad inferos migrant, dum satis funguntur, sed recta uia cœlum petunt ei seruituri, eoq; fruituri à quo receperunt esse. Ex urbe Romana, die XXII. Octobris, Anno Domini M. CCCCLVII. E F

Spondet commendato proficere. Epist. CCXCII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Nicolao Arimboldo, S. P. D.

MIlle annis si tacuisses nihil ad me aut de me scribens, nihil tamen de nostro erga te amore diminuissemus. Neq; enim nos latet quocunq; in statu simus nos charos esse & amatos in mente tua: Accepimus modo literas tuas quibus amicum Comarium nobis commendas. Erit nobis curæ causa sua, & intelliget, si opus fuerit, tuas commendationes sibi fuisse utiles. Hic Cardinalatus quem sine ullis meritis cõsecuti sumus, nulla in re nobis uoluptati est, nisi ut aliquando prodesse possumus amicis nostris inter quos tua probitas præcipuum habet locum. Tuum est igitur ut opera nostra confidenter

fidenter utaris. Cupimus tibi consortiq; & liberis bene esse. Vale optime, & nos quan-
A do facultas sese exhibet domino duci commendatos effice. Ex Roma, die XXII. Octobris, Anno M. CCCCLVII.

Praeconizat scripturae ornatum, *Epist.* CCXCIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Pogio Florentino, S. P. D.

RVre datas Pogi amantissime literas tuas accepimus, quae nobis & iocunditati & uoluptati fuerunt. Neq; enim est alius quisquam hominum cuius scripta libentius quàm tua legamus. Est enim in eis & dicendi ornatus, & sine quo sacrificium ueteres fieri noluerunt, debiti salis condimentum. Gaudemus te bene ualere, & inter rusticandum philosophari: Vtinã & nos par uita teneret. Sunt qui aegre ferunt inter rusticos uitam agere, ex quibus nihil queant discere. Nobis autem molestum est inter eos uersari, quos nihil docere possumus. Tedet semper discere, & magistri uoces omnibus horis auribus inculcari nostris. Quod si alterum eligendum est, auditores libentius quàm doctores feremus. Nam si pueris molestum est semper audire, quid senes agant? Poëta insignis in operis sui initio: Semper ego, inquit, auditor tantum, nunquam ne reponam, uexatus toties rauci Theseide Codri. Multi sunt hodie & Codri & Trasones quos audire inuitè cogimur, & nihil discentes discere. Nos igitur te felicem dicimus qui apud eos
B aeuum traducis, qui te planè sapientem fatentur, & audiunt percupide. Quamuis alio in loco si fueris idem tibi accidat necesse est, cuius etiam apud patres nostros nomen laudatissimum fuit. Ad oblationes tuas nihil modo respondemus, cum prioribus literis & quo te loco habeamus, & quales erga te sumus abunde à nobis scriptum fuerit. Credimus te arbitrari nos & tibi & tuis esse deditissimos, quod si eo es animo nihil falleris. Nos omnia de te nobis persuademus. Vale ex urbe Roma, die XV. Calendis Decembris, Anno M. CCCCLVII.

Refert nouitates Italiae, *Epist.* CCXCIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Cardinali sancti Angeli, S. P. D.

EX Buda iterum literas tuas accepi, pater colendisime, ex quibus didici non comperto conuentu Australes Reges Dignationem tuam cum Laurinum uenisset, retrocessisse. Non est mihi dubium quodcunq; facis optimo consilio fieri. Turbines illarum partium nondum esse sedatos, & publica & priuata causa moleste fero. Sed nouit Deus (sine cuius nutu nihil agit) quid rei Christianae expediat. Quod redeas in Germaniam Pragamq; petes, & probo & laudo. Quod times in re Bohemica, credito nihil, ego tentabo, sileo & silebo quàmdiu uolueris, non tamen adulabor. Non sum in opi-
C nione tua ut scandalizari Teuthones illa in re putem. Sed quamuis mihi non persuadeas, non tamen plus mihi quàm tibi credo. Cedo & captiuo ingenium meum, & ubi non est ratio, autoritati consentio. Illud tamen uaticinor: Nunquam uel tua dignatio uel mea paruitas Bohemiam ex integro apostolicae sedi unitam uidebit. Atq; ego, utinam fallax sim uates, & inueniar in hac prophetia ignauus. De rebus nostris nihil est quod scribam memoratu dignum. Vrsini cum comite Euerso, sicut heri & nudiustertius, bello sese agitant. Cõcordia saepe quaesita nunquã inuenta est. Cardinalis eius familiae abest neq; se tutum Romae arbitratur. Apostolica pietas eo est uultu, quo fuit dum abijsti. Praefectus urbis è grauissima febre cõualuit, Piccininus è regno Neapolitano cum copijs suis in agrũ Picenum profectus Sigismũdo Malatestae bellum intulit, castellaq; nonnulla ei ademit. Genuenses à Regis classe admodum opprimitur. Legatus Marchiae indies expectatur Cancellariam intraturus. Quae scribam non habeo plura. Commendo me Reuerendissimae Dignationi tuae rogans, ut si Regem Vngariae adeas, apud eum causam ecclesiae meae Varniensis adiuues. Nam is cum Rege Poloniae plurimum potest.

Refert grates de rescriptis, materiam scribendi quærens. Epist. CCXCV. D

Pogius Florentinus Aeneas Cardinalis Senensis, S. P. D.

CVm quærerem aliquod epistolæ argumentũ, pater et domine mi Reuerẽdissime, nihil sanè occurrebat, quod aut mea scribere, aut tua scire maxime interesset. Et tamẽ cum scribere cupiam recurram ad illud quod teipsum credere arbitror, me penitus tuum esse tibiq; satisfaciendi cupidum, si qua in re mea tibi cura, studio, opere, diligentia opus esset: quamuis hæc mea pollicitatio inanis esse uidetur, cum rure habitem, ubi nec mihi quidem uideor satisfacere posse, nedum aliis meam operam polliceri. Recessi iam dudum cum familia ab urbe, declinandi morbi gratia. Vbi suffultus libris, inter hos rusticos aliquid mihi sapere uideor: legens tamen sæpius, mitigo solitudinem, quæ hoc tempore uidetur esse salubris: sed legendo assequor ut minime uidear esse solus, sed in præstantissimorum uirorum cœtu, quorum uocibus melior fio, & ab inani appetitu remotior. Verum quod in primis scribi oportuit, postremum erit. Ago tibi gratias quãtas possum maximas pro literis, quibus meæ epistolæ tam eleganter, tam humaniter, tam amice respõdisti, atq; adeo suauiter et beneuole, ut ne filio quidem parens aliquis tanta charitate ac beneuolentia scribere potuisset. Hæc scripsi paucis, tecum loquendi materiam quærens, ne forte mea taciturnitate antiquæ erga me beneuolentiæ obliuiscaris. Vale diu & felix, & me, ut soles, ama. Die tertia Nouembris, rure. E

Conqueritur de odio Cancellarij imperialis, & petit promotiones per Cancellarium Austriæ committi, Epist. CCXCVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Friderico Imperatori, S. P. D.

ACcepi literas à Bartholomæo Canonico Varniensi procuratore meo, qui scribit mihi se circa negotium meum benignissimum & humanissimũ habuisse responsum. Nam, ut retulit sibi Henricus Riedrer, tua Maiestas literas requisitas ad serenissimum Regem Poloniæ mei causa scribi iussit. Fecit tua Clementia, ut consueuit erga me seruulum suum, cuius auxilio atq; fauore ad Cardinalatum eleuatus sum. Sed seruauit etiam suam in me consuetudinem Cancellarius Vlricus, qui rogatus & interpellatus multis uicibus quas iussus erat literas expedire contempsit. Expectauit procurator meus sex diebus, & tandem sine literis tuæ Maiestatis recessit. Ob quam rem negotium meum magnum patietur detrimentum, cum uidebor tuo fauore priuatus. Nescio cur me ille adeo persequatur. Nam si ego illam ecclesiam non obtinuero, non tamen aliquis amicus suus eam adipiscetur. Supplico igitur ut tua Clementia per aliam Cancellariam literas requisitas expediri iubeat: Et deinceps si quid occurrat mea causa scribendum, in Cancellaria Austriæ dignetur Mansuetudo tua id committere expediendum. Nam ego Vlrici gratiam inuenire non possum, nescio sua an mea culpa. Ego his diebus suum consanguineum apud Pontificem Maximum adiuui, & cum illi deesset pecunia, in domo mea alui, donec expediretur. Deus sibi meliorem mentem præbeat. Noua istarum partium hæc sunt: Vrsini & comes Euersus adhuc bello se uexant. Comes Iacobus Piccininus Sigismundum Malatestam armis lacessit. Rex Aragonum Genuenses classe premit, et in Riparia Genuæ plura oppida ui et tractatu cepit. Papa sospes est, & in rem contra Turcum feruentior indies assurgit. Ex oriente certum est nuntium allatum Turcos apud Mitylenam bello uictos fugatosq; esse. Alia non occurrunt. Facio me commendatum Sublimitati tuæ, ad eius semper mandata paratum. Ex urbe, XXII. Decembris, Anno M. CCCCLVII. F

Excusatoria quod præposituram non impetrauerit, Epist. CCXCVII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Nihili, S. P D.

ACcepimus literas tuas quibus rogas præposituram Brumensem tibi impetremus. Voluissemus non præuentam amicitiam tuam, fecissemus pro te quod nostræ uires potuissent: Nam te sincere amamus, & fratris habemus loco. Sed iam circiter menses tres elapsi sunt, quod dominus Vinceslaus Behemus, cum esset orator domino

rum

A rum de Rosis, eam in nostra præsentia à domino nostro petiuit, & Papa nobis commisit ut adueniente tempore sibi ad mentem deduceremus. Itaque non poteramus fidem non seruare. Heri ea præpositura Vinceslao collata est, quamuis Maiestas Regia reseruari illam postulato cuperet. Rogamus igitur ut æquo animo feras quod factum est. Nos deinceps curabimus pro uiribus tuæ uoluntati morem gerere, si quid occurrat in quo possimus tibi adiumento esse. Nam certe anxij sumus pro tua uirtute tibi non esse prouisum. Si obtineremus Variniēsem ecclesiam, ibi aliquid pingue tibi concederemus. Sed res longa est atq; perplexa. Agimus tibi gratias quod nouitates illarum partium nobis sæpenumero scribis, idq; ut sedulo facias rogamus. Datum Romæ, XXII. die Nouembris, Anno M. CCCCLVII.

Arguitur de negligentia, *Epist.* CCXCVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Hinderbachio, S. P. D.

ACcepimus ex literis Bartholomæi Canonici Varinien. procuratoris nostri literas in causa nostra petitas quamuis à Cæsarea Maiestate concessas, non tamen obtentas fuisse: quoniam Cancellarius eas expedire suo modo neglexisset. Ob quam causam Bartholomæus quamuis sex diebus expectasset, sine illis recessit. Et licet Hartongus illas ad Nouam ciuitatem deferre debuisset, nihil tamen factum est. Non miramur B de Cancellario, ille enim erga nos seruat suam consuetudinem, sed miramur te passum esse res nostras in manus illius peruenisse, qui nosti et nos & illum. Poteras insuper cum eius procrastinationem uidebas, Cæsarem accedere, & rei nostræ alio modo consulere. Nos hic nullam habemus curam aliam quàm Cæsari & suis morem gerere, & scimus nos id obnoxios facere, nec cessabimus uita comite. Aequū tamen putamus aliter nos in curia Cæsarea tractari. Et cum non dubitemus principis gratiam nos habere, non possumus non uehementer admirari rem ita nostram esse neglectam. Cæterum cum præterita repræhendi facilius quàm corrigi queant, rogamus deinceps non patiaris, quod nos tangit ad imperialem deferri Cancellariam, & cum nos hic uestri simus, uos illic non sitis nobis alieni. Si uidetur aliqua uia quod adhuc literæ mitti ad Regem Poloniæ possint, facito q̃d amico credis esse utile, et purga moram. Vale ex Roma, die XXII. Octobris, Anno M. CCCCLVII.

Hortatur in rebus suis non ita negligenter agere, *Epist.* CCXCIX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Vlrico Ridrer, S. P. D.

LIteræ Cæsareæ ad regem Poloniæ nostri causa scribēdæ ut ex Bartholomæo sumus edocti, quamuis à Cæsare concessæ benigne, obtineri non potuerunt. Nescimus an uel Vlrici culpa renuit expeditionem, an tua qui homini nobis parum amico expe C ditionem commisisti. Nos certe non sine grandi damno frustrati sumus. Si quid à nobis est propter quod ita debeamus in curia uestra tractari, rogamus nos certiores efficias: Etsi peccatum nostrum est, id emendabimus. Nos certe qui à Cæsare ueniunt, summa eos diligentia prosequimur, ac non solum uerbis, sed etiam pecunijs adiuuamus. Velit deinceps tua amicitia negotia quæ nos concernunt ad aliam deferre Cancellariam, ubi amicos habemus. Et literas nostras Cæsareo culmini legito. Datū Romæ, die XXII. Nouembris, Anno M. CCCCLVII.

Conqueritur promotiones suas à Cancellario neglectas, *Epist.* CCC.

Aeneas Cardinalis Senensis, Vlrico episcopo Gurgensi, S. P. D.

GAudemus de reditu tuo & quod maluisti magnam pecuniam quàm corpus negligere. Si potuissemus tibi esse adiumento, id quidem cupide egissemus: neq; neglEximus quod in nobis fuit, quamuis profuit nihil. Ita nunc res se habet, neq; humana neq; diuina iura pondus habent. Sed putamus adhuc illum daturum pœnas, qui tantum admisit scelus. Nunc quod scribamus non est aliud nisi quod tecum conquerimur, non potuisse nos in curia Cæsarea literas obtinuisse ad Regem Poloniæ commendatiuas. Quod quidem non de Cæsare dicimus, nam sua mansuetudo benigne annuit literas scribi debere, sed Cancellaria impedimento fuit, cuius rector procrastinando nega

uit expeditionem, & procurator noster delusus abijt, non sine damno magno nostro, qui literas Cæsareas nobis admodũ profuturas arbitramur. Rogamus te ut Cæsareo culmini exponere uelis. Et si quis est prouidendi modus rei meæ consulito. Ex Roma, die XXII. Nouembris. D

Etsi se tanta laude indignum sciat, mauult laude quàm uituperio transgredi, Epist. CCCI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Francisco Philelpho, S. P. D.

LIteras tuas Francisce amantissime, et quidem suauissimas accepimus Mediolani ad VIII. Calendas Nouembris scriptas: Cumq; his dulce carmen sale conditum optimo, priores quoq; nobis redditæ fuerant, & uersus impares ex officina tua per iocundi tersiq;, quibus iampridem respondimus. Nunc pauca ad noua scripta dicemus. Ioannes Papa tertius & uicesimus cum plus æquo laudaretur, scio, inquit, me ludi, sed falsa quoq; laus me delectat. Idem & nos dixerimus: non sunt nostræ quas nobis attribuis laudes: Scimus quo pede claudicamus, quem dolemus dentem. Laudari tamen falso quàm uero uituperari malimus. Tibi gratias habemus qui nos immortales facis. Librum tuum iam dudum in Cathaloniam abijsse putamus: Nihil est quod de illo speres. Vacua Bibliotheca est, præter uerbosas leges nihil habet. Xenophontem filium tuũ optimum adolescentem et tuis imbutum disciplinis, in familiã nostram recepissemus et sui et tui causa libenter, si facultates nostræ tulissent. Sed non sunt opes nostræ qui longum ferant famulorum ordinem & curiam splendidam. Viuimus tenui mensa, & inter ultimos haberi Cardinales satis esse putamus. Vale & nos perge amare, quandoquidem id reciprocum sit. Ex urbe Romana, VII. Calendas Decembris, Anno M. CCCCLVII. E

Conqueritur promotoriales literas per Cancellarium neglectas, Epist. CCCII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Henrico Senftleben, S. P. D.

NEgligenter factum est quod literæ imperiales nõ sunt habitæ. Ita illi amici sunt, nos aliter cum eis agimus. Curandum est ne desint. Fortasse ita placet Deo, Regi tamen sumus obnoxij. Scimus Imperatorem non esse in culpa, cuius benignitatem experti sumus: Vlrici ea malignitas est: Cura experiendæ rei tua est. Quodcunq; mandatum procuratoribus nostris dederis, id uolumus ratum esse. Credimus tamen necesse erit paulum eo proficisci, alioquin parum speramus cum te huc rediturum audiamus. Alia quæ modo scribamus, nõ occurrũt: Italia ita se habet sicut heri & nudiustertius. Nepos Papæ adhuc ægrotat, & putatur euasurus. Legatus ex Marchia propediem rediturus expectatur. Vale optime. Ex urbe Romana, die XXII. Nouembris.

Præposituram amico impetrauit, Epist. CCCIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Vuenceslao Bohemio, S. P. D.

SEruauimus quod promisimus, & annuente Deo satisfecimus tuæ uoluntati. Præposituram Brumensem consecutus es, & munere apostolico & nostra potissimum sollicitudine, qui iuuante Reuerendissimo domino Rhotomagẽsi, Cardinalem Papiensem alteri consulentem uicimus. Tuum nũc est ut possessionem assequi studeas, & pro nobis in ecclesia Varmiensi tuas operas impertiaris, in qua re nouæ indies difficultates emergunt. Faciunt domini de Rosis rem nobis gratissimam, si hac de causa ad Regem Poloniæ te miserint. Vale. Ex urbe Romana, die VIII. Calendas Decembris. F

Excusat quare non scripserit, Epist. CCCIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Latino Cardinali de Vrsinis, S. P. D.

QVamuis non scripsi hactenus paternitati tuæ, non tamen minus illi & deditus et affectus fui. Sed causam meæ taciturnitatis tua singularis prudentia per sese optime nouit. Non sunt ea tempora quæ misitationes literarum exposcant. Nec uidi meis literis aliquod afferri posse præsidium rebus tuis: quod si uidissem, etiam cum periculo scripsissem. Ita enim dignatio tua de me merita est. Nunc uero taceo & simul superos oro ut finem aliquando tuis tempestatibus tribuant, & reddant nobis personam tuam, qua non sine incommodo sacrum collegium caret. Nouitates nullas habeo scribendas,

A bēdas, quas nō putē dignationi tuæ notas, nisi forte Germanicas, sed impliciti bello proprio homines non solent externa curare. Hæc scripsi ne perpetuum silentiū meū accusares, quamuis scio tuam circunspectionem ita me suum seruitorem amare, ut nihil in sinistram partem recipiat. Commēdo me iterum atq; iterum paternitati tuæ ad eius mandata paratissimum. Ex urbe die XXVI. mensis Nouembris, Anno M. CCCCLVII.

Consulatur conquerentibus grauamina urbis contra Alemanos. *Epist.* CCCV.

Aeneas Cardinalis Senensis, Theoderico Archiepiscopo *Coloniensis, S. P. D.*

EX literis quas mihi, quasq; sanctissimo domino nostro scripsisti, serenitatem tuam erga sanctā Romanam primamq; sedē plane cognoui, neq; ambigo ubi tua Dignatio sit, ibi nihil cōcludi posse nō iustum sanctūq;. Ago gratias benignitati tuæ quæ palam mihi dignata est aperire quod sentit. Verū qa certificatus est dominus noster in conuentionibus, quæ in Germania fiunt, aliqua tractari quæ hanc sedē concernunt, oro ne tua circunspectio his aures adhibeat, qui nouitates efficere cupiūt ut uel sic emergāt. Namq; si Romanæ sedis autoritas deprimeretur, credito, quia nec tua, nec aliorū episcoporum salua manebit. Audito tamen quæ consulis, ut hic quoq; ea reformentur, quæ odium tuæ nationis pariunt, & ego si mea uox audietur, ad id operā dabo. Nam & hic
B aliqua cōmittūtur, quæ nō laudo omnia. Verū illud salubre puto, ut super grauaminibus quæ uestri allegant, ad Romanū Pontificē recursus habeatur, qui nō negabit assensum iusta petentibus. Mihi ea cura est, ut ea semper quæ nationi tuæ de qua quodammodo unū me puto, & honori & utilitati sint. In rebus aūt quæ tuæ propriæ sunt, ita me habeo, & habebo, quoad uixerim tanquam meæ sint. Scio enim quantū dignationi tuæ debeo, cuius humanitas multis me affecit beneficijs. Cæterum quia præpositura Santensis quæ nūc mihi cōmendata est, in diocœsi ac dominijs tuis sita est, placeat patētibus literis mādare, ut officialibus meis quatenus cōsuetum est, absq; controuersia pareant, ita ut gaudeat ea dignitas se mihi commissam esse, & Cardinalem Senensem apud præsulem Coloniensis intelligat non esse in ultimo loco. Nec alia modo. Commendo me tibi ex Romana urbe, quarta nonas Decembris, Anno M. CCCCLVII.

Petit se Cæsari cōmendatum fieri ob neglectas literas promotoriales. *Epist.* CCCVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Vlrico episcopo Gurgensis, S. P. D.

SVsceptis literis tuis uocauimus ad nos euestigio procuratorem Herdfordensium, cum quo plura locuti sumus. Illud ab eo tandem obtinuimus, ut inde causa illa testamentaria non procedatur nobis inscijs. Et putamus eum quieturum iuxta desiderium tuum, donec aduenlet noster Senftleben. Est enim hic procurator uir bonus & in fortunio tuo cōpatitur: Solum timet ne principales sui eū tergiuersari suspicentur. Nec
C alia modo rogamus, quàm ut nos Maiestati Cæsareæ cōmendes, & nos in gratia eius retineas, quia ipse est cui præ cæteris qui uiuunt, obligati sumus. Displicet nobis nō habuisse nos illam fortunam, ut pro nobis Cæsarea Maiestas Regi Poloniæ scripserit in causa Variniēsis ecclesiæ. Fecit hæc uetus Vlrici consuetudo, qui gratiam Cæsaris nobis impediuit. Id nobis est non damno solum, sed etiam infamiæ. Nam qui nos annis XV. seruisse Cæsari sciunt, nostram paruifaciunt existimationem, cum literas cōmendaticias ex curia eius obtinere nequiuerimus. Deinde rogamus aliter agatur nobiscum qui dies noctesq; Cæsari seruire, & suis curialibus morem gerere studemus. Vale optime. Ex urbe Romana, die sexto Decembris, Anno M. CCCCLVII.

Denegatam dispensationem ut in sacris constitutus nubat, significat. *Epist.* CCCVII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Frunt, S. P. D.

AFfecerunt nos literæ tuæ nō paruo gaudio, uir præstans & amice singularis, quando nude scribis, & interna animi tui pandis. Credimus te uti non insulso consilio, si cum nequeas continere, coniugium quæris, quamuis id prius cogitandum fuerat antequàm initiareris sacris ordinibus. Sed non sumus dij omnes, qui futura prospicere ualeamus. Quando huc uentū est, ut legi carnis resistere nequeas, melius est nubere quàm uri: non tamen hæc Pontificis sententia, ut dispensandū censeat, stat in sua Sere

nitate,nec putat uni concedendum,quod multos in noxium uertat malum, & unum pati pro multis non inconueniens arbitratur. Expectandus est ergo ut tute agas,alterius apostolatus,qui mitior sit. Nescimus tamen an uita tamdiu comes erit: Nam sæpius agni præmoriuntur ouibus. Tu quam de nobis geris opinionem,ut deponas rogamus: neq; enim nos hi sumus,quos arbitraris. Vtinam ita uiuamus, ne Cardinalatũ indigne uideamur adepti.Cupimus nos sæpe Reuerendissimo patri domino nostro Coloniensi facias commendatos, cuius uitam diuturnam cupimus,& suæ dignationi rem gratam facere optamus.Præposito sancti Florini & Tilmanno ut nos offeras petimus,quos inter amicos obseruamus. Nec secus de Ioanne Polart dicimus: Sumus enim omnibus obligati.Vale & procuratores nostros,ut aliquid consequamur adiuua.Datum Romæ,die *VII.* Decembris, Anno *M. CCCCLVII.*

Committit diligentiam profectus sui,& indulgentias impetrauit. *Epist.* CCCVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis,Ioanni Tolner, S. P. D.

QVæ scribis omnia cum uoluptate legimus,aduertentes qua nos animi sinceritate & amore prosequaris. Tua nobis & fides,& prouidentia magno emolumento est.Circa rem præpositur æ expectamus decanum procuratorem.Sed ille fortasse ideo tardior est,quia sperat nouis,quæ cuduntur, legibus sese magnum fieri. Vtinam magnus sit cum reipublicæ utilitate Christianæ.Intelligimus ecclesiam quam nobis pro præpositura dimittere intendit,domum habere ruinosam,quã Palatinus comes ecclesiæ sumptibus reparari uult. Quod si forte redditus plurimum annorum in eam conferantur,id nobis esset onerosum.Rogamus igitur attente ista penses,& cuncta nobis rescribas.Pro ecclesia collegiata impetrauimus septem annorum indulgentias,plures obtinere nequiuimus,& illas ad x. annos duraturas.Si uolunt expedire, poterunt hi quibus ea cura commissa est.Nos quæ possumus cum honestate pro ecclesia Variniensi efficere uoluntarij sumus.Commenda nos episcopo & Decano,ac Ioanni de Pakenstein amicis optimis. Et uale in domino semper.Ex Roma,die *VII.* Septembris, Anno *M. CCCCLVII.*

Notificat animum de se sentientium. *Epist.* CCCIX.

Aeneas Cardinalis Senensis,Ioanni Cardinali sancti Angeli, S.P.D.

ACcepi ex Laurino literas tuas. Scripsisti nos hic omnia bene agere. Putaui id ironice dictum esse: nunc ironiam omnem abfuisse contendis. Cedo, uincentiq; do manum.De re altera Bohemica non est quod modo disputemus, libris non literis esset agenda,& tandem sua cuiq; sententia remaneret.Vellem dignatio tua in Germania potius quàm in Vngaria degeret,Idq; putarem utilius.Res perniciosæ agitãtur, qui cõtra nos sunt gallicanã appetunt sanctionem,qui nobiscũ sentiunt Papatũ ex Apostolica sede requirunt.Tua prudentia multũ utilis est ad obuiandũ priusquã uulnus infligatur.Sunt quidam de hic stantibus qui se omnia uno uerbo modificaturos aiũt,si cum imperio ad partes illas emitterentur.Sed ita est humana cõditio,omnes pluris apud nos ipsos quã apud alios sumus.Cum uerba fiunt de tua prouisione apud pontificem maximum abunde se sua sanctitas tuæ Dignationi necessaria ministrare affirmat. De beneficijs Hispanicis scis,non dubito meam uocem esse tenuissimam,qui nec Senẽsia impetrare ualeo.Noua sunt apud nos sicut heri & nudiustercius.Rex Aragonum classe ingenti Liguribus minatur,& Thuscos territat.Iacobus Piccininus obsidionem tenere fertur contra Pergulam Sigismundi oppidum. Sed metus est maximus, ne Sigismundus & ipse simul conuenientes iussu regis contra Senam proficiscantur diuisionibus laborantem.Nam finito Octobri non est Iacobus amplius Senensibus obligatus. Nec alia modo. Commendo me Reuerendissimæ paternitati tuæ ad eius mandata paratum.Ex Roma,die *II.* Nouembris, Anno *M. CCCCLVII.*

Excitat

Excitat ad satagendum tempore congruo & instanti. *Epist.* CCCX.

A Aeneas Cardinalis Senensis, Procopio de Rabenstein, S. P. D.

PRæsumptio nostra fortasse est, quod tibi in patria inter necessarios, inter dulces amicos constituto literas dantes ab illis te uertere ad scripta nostra confidimus. Sed nos sumus etiam amici, & timemus ne inter delicias tuas obliuioni demur, quod si præsumimus nimis, præsumptionem charitas peperit. Tibi certe non erit facultas, quin uiso epigrammate nostro ad interiora transeas inquirenda: Scis enim quia non frustra solemus scribere. Sed quidem dicis magnum est: Scis quãto labore conclusionẽ in re Bohemica deduximus: scis quot sint aduersantes, & magni & rubri capitis. Nunc tempus est neruos intendas tuos, & operam naues, dum Rex apud te est: cudito ferrũ dum calet, & nobis quàm celerrime scribito qui nũquam in facto illo deerimus. Nescimus an Cardinalis sancti Angeli pater optimus ad te uenturus sit, quemadmodum Papa sibi mandauit, crederemus dignationem tuam utilem esse in tanto conuentu, quod Deus concedat. Rogamus te ut in causa Varíniensi, eos fauores nobis præbeas quos speramus: Nam Luko tibi notus nobis aduersatur, & habet fauorem Regis Poloniæ: Italia satis quiescit. Sed metus maximus est ne finito mense Octobri, Rex Arragonum Hetruriam infestis signis terra mariq; petat. Nam & classem habet ingentem, & Iacobum
B Piccininum cum exercitu misit in Marchiam. Deus meliora permittat. In causa Holonumerensi faciemus contemplatione tui quæcunq; poterimus. Tu autem deinceps curato, ut literæ Regiæ ad Papam dirigendæ in causis episcopalibus ad nos transmittantur, & sic poterimus magis prodesse. Nam causæ illis committi solent, qui literas regias præsentant. Et ita nunc factum est, cum dominus Papiensis illas habuisset. Expedit igitur posthac considerare qui sint illi quibus literæ committuntur afferendæ. Cupimus ut nos Maiestati Regiæ & magnifico gubernatori sæpius commendes. Vale optime. Ex Roma, die *II.* Nouembris, Anno M. CCCCLVII.

Hortatur ut Rex conuersetur fidens his quos longa experientia nouit. *Epist.* CCCXI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Henrico Senftleben, S. P. D.

LIteræ tuæ uicesimoseptimo Septembris scriptæ, hodie nobis redditæ sunt. Cognouimus rerum gestarum apud uos ordinem. Omnia placent præterquàm discordia quæ principes exagitat. Sed post bellum erit aliquando paci locus. Rouarella si commendauit amicum non miramur, ambo gallizant: ardet homo incredibili desiderio, ut Theutonicus uideatur, & Theutonicæ rector. Rex si sapiat his utetur cum quibus salis comedit modium. Cardinalem sancti Angeli probatissimum patrem cupimus Albaniam reuisere, & consulere rebus agendis: mitto sibi literas Apostolicas super facto Variniensis ecclesiæ in fauorem nostrum, & cõtra Lutikonem curato,
C ut sibi quàmcelerrime tradantur, ne nostri procuratores impediantur circa possessionẽ, si quis per mendacia Regem detineret, scribendo quod Papa spem daret pro Lutikone: Commendamus tibi Paulum Legendorff, ut iuues eum in adipiscenda possessione decanatus Glogouiæ maioris, quam sibi conferri fecimus: bonus uir est & omni fauore dignus. Si placuisset tibi Holomunzensis ecclesia, idq; tuis literis intellexissemus, nihil omisissemus ad honorem tuum procurandum, sed uisum est, Reuerentiam tuam non habere in ea re animum, ideo supersedimus, ne credentes placere displiceremus. Hic non sunt noua memoratu digna, nisi quod Piccininus iam est in Marchia, & obsidet locum cui nomen est Pergula Sigismundi Malatestæ. Præfectus urbs ægrotat, sed cõualiturus creditur. Vale optime. Ex urbe Roma, die *II.* Nouembris, Anno M. CCCCLVII.

De eodem, & petit Regis nuptias esse faustas. *Epist.* CCCXII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Rhodæ Secretario Regio, S. P. D.

FAcis probe quod ad nos sæpe scribis. Ostendis enim te nostri amicum, & uoluptate nos afficis ornatissimo dicendi genere. Regiam Maiestatem nihil credimus non iuste, non prudenter agere: tũ quia sua natura in bonum refert, tum q̃a stipatus est

consiliarijs optimis. Cupimus eius nuptias faustas esse & orbi futuras, quales sperantur. Commendasse Rouarellam in suo recessu hominem de quo scribis, nihil miramur, ambo Parisijs studuere, ambo gallizant, sed maior ille rectore se Germaniæ et patrem Regis uideri uult. Regia uero Maiestas si more patrio utetur, illis se credet, quibus cum salis modium edidit & amicitias ueteres præponet nouis. Gaudemus te consecutum esse beneficium, & iam denique obligatum ecclesiæ: uidebimus te proculdubio magnum si uixerimus. Es enim apud eum Regem qui tuæ uirtuti debita non denegabit præmia: tantum perge ut cœpisti, & ab optimo Regis latere nunquam discedito. Cui si nos aliquando commendaueris, facies quod de tua erga nos charitate nõ dubitamus. Datum die III. Nouembris, Anno M. CCCCLVII. D

Commendat se foueri in causa Variniensis episcopatus, *Epist.* CCCXIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Nicolao Listio, S. P. D.

CRedimus te miro perfrui gaudio in Bohemiam reuersum. Rogamus ne diuitiæ Pragenses memoriam tibi nostri auferant, sed cures potius, quomodo res inchoata concordiæ suum teneat cursum, & nobis rescribas persæpe. Causam quoque Variniensis ecclesiæ, tanquam tuam tibi commendamus: neque enim nobis sine te frugifera erit: stude ut frequentibus literis ex curia Regis procuratores nostri ad possessionem capiendam missi iuuamẽ habeant, & confundãtur tuo patrocinio, qui nobis aduersi sunt: E
Videbis q̃ scribimus magnifico Cancellario: Cura ita fieri, ut cupimus, ne plus apud Regem uideãtur ualere, qui iuniores sunt in eius gratia. Credimus te plane intelligere, quæ dicimus. Nostra Italia nunc quiescit, soli Genuenses cum Rege Aragonum lites habent, & Sigismundus Malatesta contra quem missus est Iacobus Piccininus, sed magnus timor est ne Sigismundus ipse cum comite Iacobo conueniens aduersus Hetruscos nostros incendium uertat, & regia classis Thelamonem aggrediatur. Nam id iam homines augurari uidentur. Cætera apud nos quiescunt. Vale optime & Serenitati Regiæ simulque gubernatori nos aliquando commenda. Ex Roma.

Petit creditum restitui, *Epist.* CCCXIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Vlrico Riedrer, S. P. D.

MIramur nõ esse reuersum eum cui mutuas dedimus pecunias, cum in causa Laurinensi ab Imperatoria maiestate fuisset missus. Si quid de eo audiueris, uelis procurare, ut nobis fiat satisfactio. De tua dispensatione faciemus cum domino correctore quantum erit nobis possibile: quia cognoscimus nos esse obligatos in omnibus morem gerere uoluntati tuæ quantum facultas adest. Fuisset tamẽ necesse ut alias cum de prioribus dispensationibns notitiam non habeamus. In causa Variniensi credimus iam te expediuisse nuncium nostrum: si quid fiendum deinceps est causam illam amicitiæ tuæ commendamus. Gaudemus Reuerẽdum patrẽ dominum Gurcensem, libertati F
restitutum esse: Sed dolemus graui eum pecunia mulctatum: suæ sapientiæ fuit æquo animo tolerare huius mũdi consuetudinẽ, in quo nihil est certi. Cupimus tandẽ pacẽ esse inter Cæsarẽ et Regẽ, quã Deus ipse largiatur. Nos hic alia nõ habemus noua, nisi quod Rex Arragonũ comitẽ Iacobũ Piccininũ cõtra Sigismundũ Malatestã misit: sed multorum opinio est illos duos duces inter se cõcordiam habituros, iunctis uiribus contra Senam ituros. Nescimus de futuris iudicare. Classis magna Regis Tyrrenũ nauigat æq̃r: & dum Genuensibus minatur, Genuenses & Florentinos simul territat: reliqua omnia quiescũt. Hæc Imperatoriæ Maiestati significare poteris, nosque sibi cõmendare ad eius semper mandata paratum. Datum Romæ, die II. Nouembris, Anno M. CCCCLVII.

Creditum repetit ut fideiussoria liberetur, *Epist.* CCCXV.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni hinderbach, S. P. D.

ACcepimus literas tuas quæ nobis gratissimæ fuerũt. Congaudemus tibi bene succedere, utinam & pacẽ in cõmuni haberes. Expectamus fratrem tuum ut quãcito redeat, & Ambrosio satisfaciat, qui nos sæpe in causa pecuniaria molestat. Expectamus tandẽ aliquid grati audire. Cõmendamus tibi ecclesias nostras in Gretz, & in Hirningæ ut tuo fauore iuuetur, & nobis denique utiles esse possint. Similiter & Iacobũ

A nostrum Sucher tibi commendamus in agendis suis. Cupimus ut nobis sæpe scribas, & nos imperatoriæ Maiestati commẽdes. In præpositura tua usq; modo nihil sentimus aduersi, si quid senserimus erit nobis amici cura ut dicitur. Alia non occurrunt. Vale optime. Ex Roma, die *11.* Nouembris. Anno *M. CCCCLVII.*

Congaudet redempto ex uinculis & se totum pollicetur, *Epist.* CCCXVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Vlrico episcopo Gurcensi, S. P. D.

QVamuis permolestum nobis est quod audiuimus de magna pecunia tibi imposita, gaudemus tamen quod carcerem euasisti, & tandẽ libertas parta est. Si qua sunt quæ tui causa facere possumus, habes nos in omne desideriũ tuum, & pronos & uoluntarios: & illi sumus in amicitia qui semper fuimus. Rogamus ut æquo animo feras fortunæ nouercantis impetum, quia hic est mundi cursus, & is recte utitur eo qui minus mouetur aduersis. Vale optime. Ex Roma ut supra.

Pollicetur promotionem, *Epist.* CCCXVII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Nihili, S. P. D.

IOcunda sunt nobis omnia scripta tua, quibus Germanica negotia patefacis: quãuis non ea sunt quæ uellemus. Deus aliquando finẽ imponet diutinæ calamitati, & consanguineos Reges non sinet inter se odijs ampliorib. deflagrare. Italia nostra non minus quàm Germania discors est, ubi semper aut uiget bellum, aut belli metus instat. De

B beneficijs postulati Holomunzensi, non uidemus quid pro te fieri posset, cum postulato reseruata petantur ob ecclesiæ tenuitatem. Curauimus conferri tibi iam pridem Canonicatum Vratislauiense, quod tibi Vuenceslaus exposuisse debuit. Si Varinienfem consequimur ecclesiam, erimus tui in primis memores, & dices nos te proculdubio amauisse. Vale & serenissimæ Imperatrici commendatos nos facito. Datum Romæ, die *11.* Nouembris.

Excusat se de gestis contra Varadienses, *Epist.* CCCXVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Trœster, S. P. D.

SCripsimus tibi per Nicolaum Creul quid fecerimus in re Varadiensi patris optimi. Respondisti nobis omnia bene se habuisse, fuit nobis id gratum. Sed accepimus postea Rouarellam uerbis suis omnia in honorem alterius transtulisse, quæ nosipsi feceramus, & pomposum illum, uentosum ac fumo plenum, quẽ optime nosti omniũ rerum autorem dixisse credimus patrẽ illum sapientẽ non plus credere quàm necesse sit: & optime nosse quæ sit natura Gallorum, quos necesse est cacumina petere, ut inde clamantes melius audiantur. Sed ista quorsum uelint prorũpant dilabanturq;. Nos quod fuimus id erimus erga Varadienses. Tu cura ut ualeas & nobis quã sæpissime scribas, cuius literas scimus ueraces esse. Datum Romæ eodem die quo superiores.

C *Commiseretur & compatitur mœrenti super morte amici,* *Epist.* CCCXIX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Andreæ Vicecomiti, S. P. D.

ACcepimus hodie literas tuas, antea uero nullas. Obitum Reuerendi patris episcopi Nouariẽsis unà tecum deploramus: Deus illi misertus sit, & locum pacis dederit. Vellemus audire de te meliora & omnia tibi ad uotum succedere. Nam te loco fratris amamus, cuius nobis amicitia quondam dulcissima fuit, & nunc gratissima recordatio: Miramur magnificum Scaraumam non te fraternis oculis intueri. Scribemus sibi, & pro uirili nostra hortabimur, ne carnem suam deserat. Laudamus magnificum Alexandrum qui tibi non deest, & nomini suo satisfacit, cuius est esse liberalem. Nos si quando pinguior fortuna respexerit, non dabimus eleuationi Andream nostrum, cui & pro sua uirtute tenemur, & quia ex illo domo natus est, cui debemus omnia pro beneficijs quæ inde accepimus. Vale.

Dispensationem super bigamia obtinere non potuit, *Epist.* CCCXX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni de Lisura, S. P. D.

NOn potuimus dispensationem pro amico obtinere super bigamia. Difficilem hanc rem summus Põtifex arbitratus est, pro eo quia contra cõcordata uexari dicebatur. Fecimus uerbũ domino nostro, mandauit sua sanctitas ut uocato iudice causæ

præci-

præciperemus, ne ulterius procederetur. Iudex erat Bernardus de Busco quē nosti: uocauimus eum & uoluntatē summi Pōtificis notam sibi fecimus. Is pariturum se ait, ubi constiterit illum contra cōcordata uexari: & nunc id discutitur. Quantum nostræ facultatis erit non uiolabitur cōcordia nationis, pro cuius honore semper pugnabimus. Per Vigandum Secretarium Maguntini misimus tibi alphabetū, & nunc duplicabimus, si forsitan illud non recepisti, poteris scribere mentis tuæ conceptum, & consulere ecclesiæ necessitati. Notum est nobis acumen ingenij tui multumq; tuo iudicio deferimus. Labore tuo nostroq; quietem consecuta est ecclesia nostris diebus apud Germanos. Faxit Deus ne lacerari uideamus quod aliquādo resarciuimus. Multa rumor affert, & Germanos fieri Gallos imitatione, contēdit. Nobis illa uia salubrior esse uidetur, qua patres nostri ambulauere. Si noua tentabūtur itinera, nouaq; pericula inueniētur, nec facile sua in diocœsi quisq; Pōtifex papatum habebit, & sunt qui quærunt, & eius rei causa nigrū in cādida uertunt. Sed tu bene uale. Audies uocationem oratoris principum quæ hic facta est. Vtinam ea aliquid boni pariat. Datum Romæ tertia die Nouembris.

Pollicetur se Germanicè proficere, Epist. CCCXXI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Tolner.

ACcepimus literas tuas pro quibus gratias tibi agimus, qui nostris in rebus fideli solicitudine uteris: grauamus te, sed non potest fieri quin amicorum utamur opera. Et nos aliquando si Deus dabit, aliquid pro te faciemus: Expectamus Cyriacum, qui ueniet in facto præpositurae, & quantum in nobis erit, concordabimus cum decano, quia postquam promissum est, nolumus retrocedere. De præbenda Vormacensi scripsimus, ut Petro morem gereres, habita aliqua recompensa, nescimus quid ille fecerit tecum. Idem quoq; de præbenda collegiata sentire cupimus, quomodo se habuerit ille cui promisimus cedere. Quod nouissime accepta sit alia præbenda nomine nostro non placet. Volumus esse in pace cum istis paruis beneficijs, nec intēdimus si possumus cuipiam esse molesti. Beneficia quoq; contra concordata nolumus acceptare, id est monasteria: & utinam possemus facere etiā sine præpositura, quia nolemus illi nationi quouis modo displicere: sed necessitas urget, si statum tenere debemus cōuenientem, & reputamus nos esse Germanos, q tāto tēpore illi nationi seruiuim9. Quod si natio illa nos ꝓrsus excludere uult æq̄ feremus animo, nec nimiū beneficiū amplius in illa quæremus, q̄d de benignitate illorū prælatorū nō arbitramur esse. Vale ex Roma quarta nouēbris.

Magnifacit xenia ex amore mittentis, & mallet facto quàm uerbo gratus esse. Epist. CCCXXII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ludouico beatorum quatuor coronatorum Cardinali legato Bononiensi, S. P. D.

ET oliuas & tutera quibus me honorare uoluisti cupidissime accepi, tum quod hoc genus alimenti hic rarū & preciosum est, tum quod id genus alimenti ex amantissimo, & mihi præcipuo & benefactori singulari uenerit. A quo quæcunq; uenerint, non possunt mihi non esse gratissima: & xenia quidē tanto acceptiora sunt, quanto qui mittit amantior est. Qua ratione nō potuissent munera tua apud me esse iocundiora quàm sunt, quoniam & me amari à dignatione tua non uulgariter sum expertus, & ego tuæ Reuerēdissimæ paternitati tanquam patri optimo & domino benignissimo sum affectus. Vellem autem ea in me facultas esset, qua possem me gratum ostendere, non uerbo sed facto. Scio tamen prudentiam & mansuetudinem tuam ex me nihil amplius expectare quàm possim, & in redditionem beneficiorum animi tantum inspicere promptitudinem. Sed ne multis dignationem tuam morer, quod semel dictum est, id nunquā indictū erit. Nosti quæ fuerūt inter nos uerba dū ageretur de mea ad Cardinalatum promotione: nunquam ex animo meo illa cadet, nec unquam id committam ut tanti beneficij immemor dici possim. Quod si non scribo ad tuam Benignitatem, nō minor est mea deuotio, nec minus amo. Id tua reuerendissima paternitas experietur, si qua in re mihi possibili mea opera uti dignabitur. Nec plura modo. Datum Romæ, die *VIII* Martij, Anno *M. CCCCLVII.*

Excusat

Excusat quod contra commendatum sententiam protulit iustitia exigente. *Epist.* CCCXXIII.

A Aeneas Cardinalis Senensis, Latino Cardinali Vrsino, S. P. D.

REdditæ fuerunt nobis literæ tuæ quibus Gundissalui familiaris tui causam commendas. Legi tua scripta non sine iocunditate, cum plena essent charitatis & beneuolentiæ. Illud autem molestum fuit quod desiderio tuo morem gerere non potui. Nam iudex in causa constitutus, solũ uerũ sequi debui, neq; fas fuit ad dexteram uel ad sinistram declinare: quoad tamen licuit partem familiaris tui iuuare nõ destiti. Accersiui ad discussionem negotij tres ex Rota uiros præstabiles, quos partes ipsæ delegerũt, cum his fuit & auditor meus, & Ioannes de Cæsarinis non indoctus legũ interpres, uiderunt hi registra, & pluribus inter se diebus de meritis causæ consultarunt. Postea coram cõstituti retulerunt familiari tuo haud quaquam ius competere. Idq; præter unũ omnes affirmauere. Volui & ipse cognoscere causam ne lippis oculis iudicarem. Neq; his contentus, seorsum aduocaui aliquos iurisconsultos, & deniq; nemo fuit, qui Gundissalui partes tuendas diceret. Eapropter interpellatus pro sententia feci quod iudicis fuit. Si tua Reuerẽdissima paternitas iudex fuisset, haud aliter sese habuisset quàm ego. Vnum quod potui non obmisi. Induxi autem partem aduersam ad expensarum dimissionem, si familiaris tuus non appellauerit. Hæc acta sunt per me in causa Gundissalui. Doleo
B non fuisse ius pro eo: secutus sum iudicia collectorum auditorum. Scio dignationem tuam non plus ex me uelle quàm ferat honestas. De reliquis quæ apud nos aguntur non scribo paternitati tuæ, quia nihil hic fit quod te fugiat. De Germania credo audiuisti Mathiam Vaiuodæ filium in Regem electum Vngariæ, annis XVIII. natum, quamuis in Bohemia esset captiuus: sed quinquaginta milibus aureis redimitur. Bohemiæ regnum adhuc pendet, & status Austriæ ad Bohemiã aspirat, simulac dux Saxoniæ Gulielmus, & gubernator regni Georgius, Dispotus Rasciæ mortuus est. Cardinalis Auinionensis reuersurus breui creditur. Vtinam idem faceres, cum tuo honore & commodo tu ipse posses. Ex Roma, die IX. Martij, Anno M. CCCCLVII.

De morte diui Ladislai Regis, *Epist.* CCCXXIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Roct, S. P. D.

CAlamitatem illam lugubrem deplorandamq; Regis Ladislai mortem, aliorum officio tuæ Dignationi innotuisse autumo. Ob quam rem pro tua erga ipsum deuotione iam plene inueterata, incredibili te dolore affectum esse certũ scio. Nunc autem cum de Praga, ad quam infausto totius orbis auspicio cum Regia celsitudine concessi, Viennam remigrassem, putaui mihi de hac re ad te aliquid scribendum esse: conantem tamen id facere suspiria, lachrymæ & singultus ita impediunt, ut mihi ex ea
C morte conceptus dolor non modo renouari, sed augeri uidetur. Quid autem potissimũ in hac publica clade explicem nescio. Magna est uarietas sermonũ quo genere mortis fatum obierit. Ego uero etsi scio nemini prorsus me cedere oportere habitudine notitiæ huiusce rei: qui quã creberrime apud Regem etiam ægrotantem sim uersatus, tamẽ silendũ potius esse duco hoc tẽpore quã loquẽdum, cum sciã rem illam indies magis clarescere. An adolescentẽ Regem robustissimũ nullũ prorsus uel doloris indiciũ sentientem, cum quo die Lunæ ꝑtereunte mortem, usq; ad noctis horam tertiã summa, postrema, & facili lætitia fui XXXVII. horarum interuallo aliquod genus mortis naturalis ꝓsternere potuisset: ante quẽ uel minimus quisq; ex eius familia, neq; post eum ullus, etiã eorum qui ei ægrotanti quotidie astetimus, aut aliorum quispiã minime feris, hoc genere mortis interijt. Sed reprimam ego me ne dolori nimiũ indulgere uidear. Scio Procopium & Nicolaum tuum aliter ad te scripsisse, quibus certe nihil cedo huius rei notitia. Nam neuter eorũ Regẽ ægrotantẽ alias uidit. Et ut quisq; optime de Bohemis sentit, ita hanc rem maxime dissimulat. De hoc satis. Ego hic ago dies admodum molestos, ita et legati illi qui omnem Franciã petierunt pro regio Thalamo. Legati illi qui infelici homini Franciã petierunt, pro regio Thalamo ad nuptias sepulchrũ cõperierũt. O inanes nostras cogitationes. O caducã fallacẽq; spem: Ex tãto & tã magnifico nuptiarũ apparatu

& splendo

& splendore, tam incredibilem mœrorem subito interuenire posse quis credere quiuis set? Sed illam cladem qua totus orbis perculsus est, in salutem mutare nequiuimus. Et tantum de publico detrimento. De priuatis rebus nihil est quod de magnopere tuæ pietati scribere queam. Ea quæ mihi nunc scribis de electo Holomunzensi, curare ut mihi mos geratur, magna uoluptate percepi. Deus faxit ut sedulitas tua uoto potiatur. Dux Albertus hic agit expectans portionem hæreditatis ex regia morte ad se deuolutæ, satis modestus est in petitione sua quantum ad se pertinet. Cæsar in noua ciuitate expectatur. Post hæc de ipsis componendis Cardinalis sancti Angeli aget & meditabitur. Quoniam Sigismundus dux in itinere esse dicitur, ego rationibus meis ita perspiciam ut regia morte non omnino attenuatus aut fractus uidear. Quæ dum confecero, non patior id tuam dignationem diu latere, quàm immortalis Deus diutißime incolumem conseruare dignetur: in quam etiam spes mea nititur. Ego ad ecclesiam meam me recipiam, donec turbationum Australium euentum serenitas illuxerit, ego quoq; emergam, Viennæ die xx Decembris, Anno M. CCCCLVII.

Hortatur circa plura de diligentia & solicitudine, Epist. CCCXXV.

Aeneas Cardinalis Senensis, Henrico Senftleben, S. P. D.

GRatißimæ fuerunt nobis literæ tuæ quibus regium in Bohemia transitum significasti, & nuptias excellentes in Praga futuras. Retulimus singula sanctißimo domino, qui mox literas scribi iussit ad Cardinalem sancti Angeli legatum, mãdans ei ut euestigio Vngaria posthabita ad Regiam maiestatem se conferat, eius nuptias honoraturus. Mittimus tibi literas ipsas siue breuia sunt, rogantes ne graueris quantotius ea sibi transmittere, quia pondus habent in se non modicum. De Roram nostro fecimus uerbum apostolicæ pietati, negat ipse dominus noster decimarum aliquas bullas illi concessas esse. Laurentio Rouarellæ bene à te consilia & auxilia præstita sunt, eum charitati tuæ magis magisq; commẽdamus. Rem Vratislauiẽsis episcopi opportunæ absoluimus, sicut ex Venceslao cognosces: Restat episcopum ipsum nobis in agendis nostris fauorabilem fore. Audies ex Bartholomæo Canonico nostro quid actum sit in ecclesia Variniensi. Rem totam suis commisimus humeris ut ab eo finis habeatur, qui dedit initium. Gaudemus te de reditu cogitare. Sed prius cupimus negotium nostrũ episcopatus absolui, quàm redeas: quod facile fiet, si quemadmodum fama est, Rex Poloniæ ad Pragã se contulit. Cura inter cetera, ut ea obligatio habeatur in qua magnus magister Prusciæ antecessori nostro in quinq; milibus florenorũ, q̃s mutuo receperat sese obnoxiũ fecit, queadmodũ Bartholomæus p̃fatus plene instructus est. Noua alia hic nõ sunt, nisi q̃d inter Vrsinos & comitẽ Euersum heri Treugæ usq; ad annũ p̃mãsuræ indictæ fuerũt, & ab utraq; parte receptæ quod saluberrimũ & reb. agendis apprime cõducit. Inter Regẽ Arragonũ & Sigismundũ Malatestã concordia tractatur, quæ si quæreretur ut spes est, res Italicas admodum quietabit. Vale ex Roma, die prima Octobris.

Admonet promotionem Regis sponsi exigere ad Regem Poloniæ ut episcopatum Varinensi consequatur. Epist. CCCXXVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Nicolao Liscio, S. P. D.

IOcundæ fuerunt nobis literæ tuæ, quibus Regiam Maiestatem in Bohemiam transituram esse cognouimus, præclaras ibi nuptias peracturam. Vtinam omnia p̃isimo illi & Serenißimo Regi ex sentẽtia cedant. Credimus conueniente secum potẽtißimo Rege Poloniæ, & aduenientibus principibus, ut fama est compluribus, in eo cõuentu aliquid tractari debere q̃d religioni Christianæ saluberrimũ fiat. Legatus Apostolic⁹ sicut sibi mandatũ est ad uos si cõualebit prorsus se cõferet, quo cũ sapiẽter erit de re tibi nota tractãdũ, nam ei nõ omnia quæ alijs placẽt. Rogamus rẽ nostri episcopat⁹ Variniẽsis si rex Poloniæ affuerit curandũ suscipias, nam uerbo uno sublimitas nostri Regis eã absoluet. Stude ut magnificus Cancellarius hoc ipsum cordi habeat: nihil est enim quod dubitemus fieri non posse, in quo sua magnificentia neruos intenderit suos. Commẽda nos probitati suæ, eiusq; bonæ ualetudini cõsule. Nam eius sanitas et nostra & multorũ prosperitas est. Cõmenda nos etiã ueteribus amicis, & præsertim Varidiẽsi, si affuerit gubernatori

A bernatori dominis de Rosenberg & dominis de Cleua, similiterq; Selenchoni & alijs illius regni proceribus quorum commoditatibus semper studere proni erimus & uolũtarij. Bellum quod in foribus urbis huius accusabas tamdiu mansisse, heri per inducias annales sublatum est, interea pax integra componetur. Turbidæ fuerunt res nostræ hactenus, nunc serenescunt & uiæ securæ fiunt. Iacobus Piccininus in Marchiã petit transitum, Sigismundo Malatestæ illaturus bellum. Sed hoc quoque incendium extinguere annititur Pontifex maximus, q̃d si pro spe fecerit tota ferme Italia cõquiescet, & ad tutandum contra Turcorum perfidiam, ueram Christi religionem liberius intendere poterit. Hæc Procopio et Cardinali si assit, cõmunicata esse cupimus. Tu uale pro tua consuetudine nostri memor. Ex urbe tertio Calendas Octobris.

Indignatur Papa episcopo Herbipolensis propter pecuniam sublatam, & Heslçr iniuriatum, Epist. CCCXXVII.

Calixtus episcopus seruus seruorum Dei Theoderico archiepiscopo *Moguntino, S. & A. B.*

EX literis tuis quas in fauorem uenerabilis fratris nostri Iohannis episcopi Herbipolensis nuper ad nos misisti, plane percepimus fraternitatem tuam de gestis ipsis episcopi aliter instructam esse, quàm ueritas ipsa requirit: nunquam enim tua moderationis integritas tam efficaces apud nos preces pro eo porrexisset, si facta ipsius aperta tibi cognitaq; fuissent. Intoleranda nanq; & detestanda prorsus est eius præsumptio, qui pecunias autoritate apostolica collectas, & apud fideles manus reconditas, autoritate propria uiolentur eripere, & in usus suos conuertere non erubuit. Et cum nostro nomine ad restitutionem ipsarum pecuniarum requireretur, non solum mandata nostra contempsit, sed in nos quoq; probra iacere & maledicta conferre non dubitauit: nuncijs quoque nostris quos honorare tenebatur, minas inferens, eos ex territorio suo non tam recedere quàm fugere compulit, cum nostra & apostolicæ sedis requirerent. Nec est cur sub colore charissimi in Christo filij nostri Regis Cypri illustris excusationẽ protendat: tanquam ad illum ex ordinatione nostri prædecessoris dictæ pecuniæ pertineant. Scimus enim abunde quod cum ipso rege sit agendum, nec quisquam est tam parum habens ingenij, qui Romanum pontificem de talibus pecunijs liberã habere dispositionem ignoret: quæ cum ita sint, tolerauimus tamen iam septem mensibus episcopi contumaciam & rebellionem, expectantes non sine mansuetudine, si forsitan ad cor reuersus cum debita humilitate errorem suum recognoscẽs opportune satisfaceret: sed quanto mitius secum agimus, tanto duriorem eius contumaciã experimur. Miraremur certe si quisquam alius episcopus eo modo erga nos se haberet. Sed multo magis in isto miramur quẽ nosipsi promouimus. Et nisi fallimur, primus episcopus est quẽ

C nos in pontificatu nostro pronunciauerimus. Dolemus tales esse primitias nostras, eũ potissime nobis infestum esse quem nostri honoris præ cæteris cupidissimum esse decebat. Omittimus iuramentum ab eo nobis præstitum, & uerba quæ sui procuratores nobis de eo fecerunt, cum præsulatum commisimus, longe aliter sese habet quàm ut putauimus, uel nobis de ipso persuasum fuit. Verum quamuis pro tanta & tam notoria dicti episcopi rebellione merito ad ulteriora procedere, & conuenientis animaduersionis in eum censuram extendere deberemus, ut tamen precibus tuis quantum cum Deo possumus deferamus, & quanto maior est dicti episcopi contumacia, tanto clementia nostra lucidius ostendatur, mandauimus in causa ipsa sic pedetentim procedi, ut posset interim, si uelit tua fraternitas dictum episcopum ad debitam satisfactionẽ inducere. ipse uero sese corrigens cum camera nostra, sicut tenetur concordare. Quia autem causam aliam dilectum filium Ioannem Hesler & liberos eius concernentem, ad partes Alemaniæ remitti petis, non est quod tuo desiderio concedere ualeamus. nosti enim, ut arbitremur, quàm dure quamq; acerbe sæuitum esse dicitur per dictum episcopũ in Scultetum, uxorem, & liberos. Quos postquam diris carceribus mancipauit, & aliquãdiu grauioribus afflixit molestijs, uix tandem cum promissione ut ad mandatum suum redirent, extra territorium suum dimisit, bonis omnibus excussos pauperes & miseros,

nulloq; nisi amicorum leuamine sustentandos. quibus quam difficile sit in partibus illis cum tali episcopo iudicialiter contendere, non ignoras. Sed agitur causa ipsa coram iudicibus Rotæ nostræ inter graues & optimos iuris interpretes, qui tam pauperi quã diuiti iusticiam ministrare consueuerunt, apud quos non potentia uel gratia sed sola ueritas ualet. Si iusta est episcopi causa, poterit per procuratorem idoneum se defendere: si minus, tolerandum erit iudicium quod rite, proculdubio in hoc negocio statuetur. Nos autem fraternitatem tuam exhortamur ut permissis consideratis ipsi episcopo ea suadeas quæ sibi ad salutem & honorem cedant, nec uelis eius opera qualiacunq; sint ita tueri, ut illi magis erranti quã nobis & apostolicæ sedi recta monenti fauere uidearis. Datũ Romæ, die XV. Octobris Anno. M. CCCCLVII. Dictata per Ro. Aeneam. D

Literæ Credentiarum. Epist. CCCXXVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Iodoco electo Vratislauiensi, S. P. D.

COmmisimus aliqua paternitati tuæ referenda nostro nomine Bartholomæo canonico ecclesiæ nostræ Varniensi super rebus ecclesiam ipsam & antecessoris nostri bona concernentibus. Rogamus igitur ut sibi in his quæ nostro nomine dixerit, plenam Credẽtiæ fidẽ & in agendis opportunum fauorem præstare uelis, sicut de tua erga nos singulari charitate plene confidimus. Nos ad beneplacita tua omni tempore parati & uoluntarij sumus. Ex Roma, die Octobris XV.

Laudat diligentiam Legati, & mandat concordiam inter Imperatorem & Regem Vngariæ conari. Epist. CCCXXIX. E

Calixtus episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Ioanni Cardinali *sancti Angeli apostolicæ sedis legato, S. & A. B.*

EX literis tuis Diaci. XVII. Iulij datis, intelleximus te in partibus illis moraturũ per aliquod tempus, ut quid Turci agant quid'ue parẽt facilius intelligas, ac nobis & filio charissimo nostri Regi Vngariæ quàm celerrime significes: Intelleximus & antea quæ gesseris in regno Bosne. Laudamus opera tua & omnia per te gesta prudenter & accurate recognoscimus. Commendamus quoque circumspectionem tuam & animi constantiam ac bonitatem, quæ dum Christi Dei nostri negocium agit, nec labore frangitur, nec timore deijcitur, neq; periculo ullo à sancto proposito detinetur. Multa tibi debet apostolica sedes, & quidem pro singulari uirtute tua, proq; grauibus laboribus quos perpessus es, scimus nos plurimum tibi obligatos, conabimurq; uita comite pro tuis meritis personam tuam honorare. nunc tamen necesse est ut perseueres in sancto opere, personamq; tuam à labore cœpto non retrahas, sed pro tua excellenti prudentia in his continues, qui salus ecclesiæ ex te deposcit. Cumq; ad res fidei contra Turcos prospecte dirigendas maxime necessarium sit, ut charissimi in Christo filij nostri, Fridericus Imperator Romanorum, & Ladislaus Vngariæ atq; Bohemiæ Rex inter se conciliati, in Turcos arma conuertant, sitq; modo quædam dieta inter eos indicta ad pacẽ tractandam, in qua dilectus filius nobilis uir Ludouicus Bauariæ dux tanquam mediator futurus asseritur, utile nobis uidetur & quodammodo necessarium, ut & tu quoq; eo te conferas in tam sancto opere, nostro nomine tuas partes adhibiturus. Eapropter mandamus tibi ut nisi alia causa magis necessaria in Vngaria te retineat, ad Imperatorẽ & regem præfatos, gressus tuos quantotius dirigas, eos ad pacem ducere coneris, & omnia facias quẽ tibi uidebuntur ad reconciliationẽ ipsorũ principũ necessaria. Etenim uidetur rebus agẽdis omnino cõducere, q̃d tu dictos principes adeas, siue per ipsum ducẽ ante tuũ aduẽtũ pax cõcludat, siue nõ, nãq; si pacẽ factã inueneris, q̃d Deus, ꝑ suã misericordia largiatur, habebis expeditã uiã qua principes ipsos ad ducendũ cõtra Turcos exercitũ efficaciter inuitare possis, & alia multa sunt in Alemania gerẽda, quæ tuã præsentiã exposcũt. Sin uero, q̃d absit concordiã nondũ factã inueneris, laborãdũ tibi erit totis uiribus ut eã perficere possis. Nisi enim principes ipsi depositis inter se discordijs ad cõmune bonũ unanimes fiant: non uidemus quid per Vngariã cõtra Turcos patrari possit laude dignum aut existimatione. Verum quia sæpe ocurrunt in quibus personaliter adesse non uales, & tamen tuam diligentiam exposcunt, misimus ad te dilectum filium Laurentium Rouarellã sacræ theologiæ professorem, & subdiaconũ nostrũ quem F

mittere

A mittere possis ad ea loca quæ tuipse adire non uales. Is enim sicut in mandatis à nobis habet, quicquid iusseris exequetur, & à tua uoluntate nullatenus deuiabit. Insuper ut intelligas quæ nūc in partibus Rheni per electores imperij tractatur, facimus tibi copiā literarū nostrarum quas Imperatori trāsmittimus, ut secūdū scripta nostra & tuam singularē prudentiā eo te melius gerere ualeas, quo fueris de singulis occurētibus plenius informatus. Datū Romæ, die XVI. Octob. Anno M.CCCCLVII. Dictata per Aeneā.

De liberatione habita respondere pollicetur, Epist. CCCXXX.

Calixtus episcopus seruus seruorum, Dei charissimo in Christo filio nostro *Carolo Regi Francorum illustri, S. & A. B.*

AVdiuimus ea quæ dilectus filius Nicolaus Parui secretarius tuus ex parte tua seriose nobis exposuit, super nonnullis negocijs uenerabilē nostrum Vuilhelmum episcopum Ratanensem, & quendam Ioannem de Albiest militem Nouatensis diocœsis, ac nonnullos officiales tuos concernentibus. Intelleximusq; plane desiderium tuum eo intendere, ut præfatus miles simulq; dicti officiales tui à nonnullis excomunicationis & alijs censuris ecclesiasticis per dilectū filiū Ioannem Tinctoris causarum sacri palatij nostri auditorem & capellanum nostrum, ad instantiam dicti episcopi fulminatis absoluantur, & nihilominus aduersum dictum episcopum eam committatur super nonnullis excessibus, quæ ab eo siue eius procuratore in personis executo-
B rum quarundam literarum nostrarum petitionem tuam, uenerabili fratri nostro archiepiscopo Turonēsi directarum commissi & perpetrati dicuntur, uoluimus pro nostra informatione etiam ipsius episcopi procuratores qui dicerent intelligere, & consideratis omnibus hincinde relatis, quāuis causa nobis perplexa uideatur ac difficilis, Serenitati tamen tuæ quæ de nobis & apostolica sede plurimum merita est, complacēdum duximus quemadmodum secretario tuo præfato plene respondimus. Datum Romæ, IIII. Calendas Decembris, Anno M.CCCCLVII. Dictamen Aeneæ.

Hortatur rationibus notabilibus ad concordiam cum Imperatore, & excusat se de rumoribus aggrauationis Germanicæ nationis, Epist. CCCXXXI.

Calixtus episcopus seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio Ladislao Regi *Vngariæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

INtelleximus nō sine graui displicētia mentis nostræ & amaritudine cordis, quod adhuc inter charissimū in christo filium nostrū Fridericū Romanorū Imperatorem Augustū & tuam Serenitatē, non solū discordia sed apertum bellum perduret, & hincinde subditi uestri uexātur & lacerāt. Que res tāto molestior nobis est quāto maius exinde Christianæ reip. detrimentum resultat. Est profecto res detestabilis, quod uos qui una ex familia nati estis proximi sanguine, fratresq; patrueles tātis adinuicem odijs feruetis,
C ut etiam armis decertetis. Dolendum est quod opulentam & nobilem patriam uestrā nunc ferro, nunc igne dissensio uestra deuastat, & illas uires inter uos consumitis quas deberetis in hostes fidei pro tutela Christianæ religionis effundere. Et quamuis Imperatori præfato tanquam primo inter seculi principes aduocato ecclesiæ & protectori fidei catholicæ potissime incumbat, pace in suo imperio, procurata totis conatibus in eos militaria signa transferre, qui nomini Christiano insultare nituntur: Tibi tamen non minor cura esse debet ad hostes fidei propulsandos, & maxime Turcos qui regno tuo Vngariæ latissimo, & quondā florentissimo non solum uicini sunt, illiq; molestias indies inferunt, sed etiam non paruas eius prouincias sibi usurpauerunt. Dolemus certè & angimur uehementer, cum indies ex illo regno Christianos capi & in Barbaricam deduci captiuitatem accipimus, miramurq; te non maiori studio teneri pro defensione ipsius regni quam uideamus, qui dum in Austria cum patruele tuo contendis præfati regni curam postposuisse uideris, tanquam plus doleas unam tibi per Christianos uillam auferri, quam si per Turcos una prouincia surripiat. Certe illud palam est quod cum tu & dictus Imperator inuicem discordes estis, & domestico bello impliciti non solum Vngaria, sed tota fere Christianitas in periculo ponitur. nam quomodo Gallici & Hispani uel Anglici contra Turcos exercitum ducere curabunt in remotis agētes, quādo uos qui prope estis, & quorum potissime res agitur, inter uos diffidentes nihil cogitare

uidemini, super his quæ Turcorũ perfida gens aduersus Christianos indies molitur. D
Est igitur super quam dicere possumus periculosa hæc uestra discordia, nec uidimus quin mala infinita prorumpant, nisi quàm celerrime tu & imperator præfatus simul conciliemini. Audiuimus tamen unum quod nobis consolationi est, dilectum filium nobilem uirum Ludouicum Bauariæ ducem in Austriam descendisse, concordiam inter uos tanquam communem amicum practicaturum, nos autem dilecto filio nostro Ioanni Cardinali sancti Angeli apostolicæ sedis legato, qui iamdudũ pro salute regni tui Vngariæ, proq; communi Christianorũ utilitate non sine magnis laboribus & expensis ibidem cõmoratus est, literas dedimus, ut ad Imperatorem & tuam Serenitatẽ confestim se conferens, omne studium suum ad id conuertat, ut tandẽ lites uestræ tollãtur & penitus sopiantur, redeatq; ea inter uos beneuolentia quam propinquitas uestra requirit, & nos desideramus. Interea dilectus filius Laurentius Rouarella sacræ theologiæ professor, nũcius & subdiaconus noster, simul cũ dilecto duce ad eam pacem pro uiribus se agitabit. Velit igitur tua Serenitas ad ea quæ pacis sunt animũ inclinãdo ita se habere, ut iam deniq; finis imponatur domesticæ dissentioni uestræ, nec uelis audire eos qui fomenta suggerunt dissentionum, sed modos quoslibet idoneos perquire, ut in Austria cæterisq; tuis dominijs pacificatus ad defensionẽ Vngariæ prædictorumq; Turcorum exitiũ insurgere possis, & ita efficias ut Imperator tuam erga se charitatem intelligens, unà tecum uocatis ex Alemania subsidijs exercitum pro tutela fidei & regni tui salute ducere inuitetur. E
Insuper quia nõnullos per Germaniã rumores esse audiuimus, tanquã nos nationem ipsam diuersis modis aggrauemus, mittimus copiam literarum nostrarũ quas imperatori dirigimus, tam super pace tecum habenda, quã super rumoribus huiusmodi, ut si forte ad aures tuas oblocutiones istiusmodi peruenerint, habeas ex nobis unde Serenitatem & innocẽtiã nostram tueri atq; ostendere possis: hæc scribimus tibi pro ea charitate qua personam tuam prosequimur, qui postquam te hic Romæ in minoribus constituti uidimus, & tuam indolem adhuc in ætate tenera cõsiderauimus, ab illo tempore personam tuam singulari quodam affectu dileximus, & existimantes te pro magno aliquo Christianitatis bono ad maxima reseruari, de bona ualetudine tua ac felici statu semper curiosi fuimus. Tuum nunc est quæ à nobis scribuntur, bona mẽte recipere, & spem quam de tua probitate cõcepimus adimplere. Datũ Romæ, Anno M.CCCCLVII. Dictamen Aeneæ.

Consulit meliorem esse pacem certam, quàm desperatam uictoriam. Epist. CCCXXXII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Sigismundo Malatestæ Salutem plurimam dicit.

FVimus hoc mane cũ sanctissimo domino nostro dũ Cancellarius tuus audiretur, & intelleximus quæ dicta sũt tã per sanctitatẽ domini nostri, quã per ipsum Cãcellariũ super cõtrouersia, quæ inter serenissimũ Regẽ Aragonũ & te est, circa quã rẽ F
etiã seorsum dominus noster nobiscũ locutus est. In sũma uidemus ipsum dominũ nostrũ affectũ esse statui tuo, uelletq; ei sẽper bene cõsultũ esse. Oportet tamẽ suã Sãctitatẽ habere respectũ non modicũ ad prefatũ Regem Aragonũ, & habere oculũ ad terras ecclesiæ, & ideo necesse est ut prudenter se habeat, nec potest sẽp omnia facere quæ uellet. Quibus ex reb. cõsideratis omnibus pro directione rerũ tuarũ ad euitãdũ pericula q̃ possunt emergere, uidetur nobis cõsultũ esse quod tu de summa pecuniarũ quas Regia Maiestas à te petit. offeras illã quantitatẽ sine ulla dilatione persoluere quæ liquida est. De parte aũt alia, super quã prætẽdis nõ teneri, præbeas mẽsam in qua dicta pecunia parata sit, ad requisitionem Regis casu, quo sanctissimus dominus noster decerneret te obligatũ esse, et affirmes te uelle stare determinationi domini nostri. Et hæc uidetur nobis uia rationabilis, nec putamus alio modo rẽ bene sopiri posse. Rogamus ut cõsideres omnia & recipias cõsilia eorũ, qui te amãt, nec uelis pro modica pecunia te in periculo ponere, quia nõ est paruus aduersarius tuus, nec res bellica sẽp ex opinione succedũt. Melior est multo certa pax quã desperata uictoria. Scimus te nõ libenter audire cõsilia, quia tamẽ periculũ prouinciæ timemus, nõ possumus facere quin ea quæ nobis uidentur utilia significemus. Tuũ est in bonã partẽ recipere quæ à nobis sincera mẽte scribuntur. Datũ Romæ sexto Calendas Decembris.

Petit

Petit adiuuari ad consecutionem episcopatus Varinienſis, Epiſt. CCCXXXIII.

A Aeneas Cardinalis Senenſis Iacobo Lodonio medico, Salutem plurimam dicit.

HAbuimus ex Ferraria literas tuas, libẽtius te uidiſſemus pro charitate qua ſumus tibi affecti. Det Deus ut aliquãdo ſimul reperiamur. Faceremus libenter omnia quæ poſſemus pro tuo honore & utilitate, ſed non uidemus modo commoditatem, tempora enim mala ſunt, ſed ſi quid occurrat nõ erimus immemores. Rogamus ut commendes nos Imperatoriæ Maieſtati, & iuues latorem præſentiũ ad expeditionẽ ſuã in facto noſtræ eccleſiæ Varinienſis, quam ſi obtinere poterimus, non erit quin utilitas tibi redundet. Salutes ex parte noſtra Vlricum Ridrer, & Vualterum Zebinger ac cancellarium imperialem, & alios amicos noſtros. Dolemus multum de captura epiſcopi Gurgenſis, & Ioannis Vngnad, & aliorum, utinam poſſumus eorũ liberationem procurare, nihil omitteremus ex nobis poſſibilibus Ioannem Hinderbach cupimus noſtro nomine ſalutari, ſimulq; dilectũ filium noſtrũ Fridericũ cum coniuge tua honeſtiſſima. Vale in Chriſto optime noſtri memor, & amans ut ſoles. Datum Romæ, *VII.* Calendas Decembris.

Emittuntur plura apoſtolica ſcripta contra murmurantes de grauamine nationis Germanicæ, Epiſt. CCCXXXIIII.

Aeneas Cardinalis Senenſis, Laurentio Rouarellæ Salutem plurimam dicit.

B ALatore præſentiũ recipies quatuor bullas apoſtolicas, & unum officiũ transfigurationis. Ex bullis unam reddes Imperatori ſimul cũ officio & breui ſibi directo. Alias bullas curabis mittere tribus principibus electoribꝰ ſimul cũ breuibus ſuis. Extant & aliæ tres bullæ apoſtolicæ ſimul cũ duobus officijs ac tribus breuibus. Officia dirigẽtur Regi Vngariæ ac domino legato: Bullæ quoq; eiuſdẽ: tertia uero Strigonieñſi, ſed hæc omnia mittimus per aliũ nũciũ q poſt biduũ recedet. Si te inueniat in curia Regis Vngariæ aſſignabit tibi ea, ſin aũt nõ tradit per ſe ipſũ Regiæ Maieſtati, quæ ſibi dirigũtur, alia uero curabit trãſmitti archiepiſcopo & legato. Nec alia circa hæc. De negocijs Rheni multa referunt nõ bona propter quæ neceſſariũ erit ut quàmprimũ cũ cõſilio Imperatoris & cũ literis ſuis partes illas te trãsferas, & labores iuxta cõmiſſionẽ tibi traditã. Interea bonũ eſt ut procures quod Imperatoria Maieſtas ſcribat archiepiſcopo Magdẽburgenſi ſimulq; Rigenſi, & in primis Treuerenſi, & Saltzburgenſi, ut ſi quærãtur ad aliquã cõuẽtionẽ in factis eccleſiæ non conſentiãt, ſed ad ſeipſã omnia referãt quæ quæruntur, et ſuadeat ut ſi qui ſũt q nouitates quærãt, illis nõ aſſentiãt, quia periculum eſt in mora. Habebis mox alias literas domini noſtri q plenius de hac materia ad te ſcribet, & intelliges rei grauitatẽ ac periculum. Bonũ eſt etiam laborare apud ducẽ Bauariæ Ludouicũ, ut ſcribat Palatino Rheni cõſanguineo ſuo, nec ſe implicet cõuẽtionibus eorũ qui
C cõtra ſedẽ apoſtolicã aliquo modo moliũtur, perſuadendo ſibi quod multo facilius filij principũ promouebuntur per ſedẽ apoſtolicã, quàm per capitula uel ordinarios. Et hoc bene cura in auribus principũ cõculcare, quia ueritas eſt. Vale & ſcribe ſæpius quomodo tibi ſuccedat. Datum Romæ, *VIII.* Calendis Decembris.

Hortatur ad excuſationem grauaminis Germanicæ nationis, Epiſt. CCCXXXV.

Calixtus epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, Dilecto filio Henrico Leubing notario *noſtro, S. & A. B.*

INtelleximus ueridico relatu nõnullos eſſe principes Germanicæ nationis, eccleſiaſticos & ſeculares qui de nobis & de noſtra curia murmurantes, nationẽ Germanicã nimium per nos grauari prætendunt. Id faciunt more hominum qui ſæpe bonum quod habẽt nõ cognoſcũt, nec ſub alicuius regimine quantũcũq; optimo quieſcere poſſunt. Scimus te deuotũ eſſe ſanctæ ſedi apoſtolicæ, & noſtri honoris cupidũ, nec placere tibi ea quæ præter ordinẽ fiunt. Ea propter mittimus tibi copiã nõnullarum literarum quas chariſſimo in Chriſto filio noſtro Friderico Romanorũ Imperatori ſemper auguſto ſuper hac materia direximus, ut intelligas planiſſime mentẽ noſtram. Et habeas ex nobis quomodo his reſpondere poſſis q nobis detrahũt. Hortamur etiã pro zelo quẽ geris ad Romanã eccleſiã, ut ſũpta opportunitate uenerabili fratri noſtro archi epiſcopo Magdẽ

burgēsi, q ſicut accepimus ad nouitates mutat̄, quæ Impatori præfato ſcribimus, aut lite ris aut uerbo cōmunices, ipſumq; horteris ne pegrinas ſequat̄ opiniones, ſed more prædeceſſorū ſuorū in ſolida ſanctæ ſedis apoſtolicæ doctrina cōquieſcat. Idem etiā facies apud dilectū filiū nobilem uirū Fridericū Marchionem Brandēburgenſem, ſacri Romani imperij electorem, & apud alios ubi uideris eſſe neceſſarium. In qua re non ſolū nobis, ſed ipſi Deo, cuius res agitur, plurimū cōplacebis. Datū Romæ, Dictata per Aeneam. D

Hortatur audire ſuo nomine loquentem, *Epiſt.* CCCXXXVI.

Calixtus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto Ladiſlao *Regi Vngariæ illuſtri, S. & A. B.*

Audiuimus ea quæ dilectus filius Vuenceſ laus canonicus Vratiſlauiēſis, tuo nomine nobis expoſuit, & quātū cū Deo potuimus, & ut ſēper in animo gerimus, deſiderio tuo ſatisfecimus. Diximus eidem quanto deſiderio cupiamus te cū chariſſimo filio noſtro Friderico Romanorū Imperatore reconciliatū, ad ea tendere quæ pro defenſione fidei catholicæ, & tui regni Vngariæ tutela neceſſaria eſſe uidētur: Et quāto cū ardore cupimus regnū illud Bohemiæ ſub tuo regimine extirpatis, hæreſū dogmatibus ad unionē uerā ſanctæ matris Eccleſiæ reuerti, ſuper quibus rebus uelis ipſū Vuenceſlaū noſtro nomine loquētē audire, & ſicut de tua in cōmune bonū affectione cōfidimus, nos tandem in præmiſſis conſolari. Datum Romæ, Calendas Decembris, Anno *M. CCCCLVII.* Per Aeneam dictata. E

Excuſatoria grauaminis Germanicæ nationis, *Epiſt.* CCCXXXVII.

Calixtus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto filio Nicolao Cardinali *ſancti Petri ad uincula, S. & A. B.*

Cōſiderauimus diligēter ea quæ nobis ſcripſiſti ſuper practicis quas nōnulli principes ac prælati in partibus Rheni tenere dicuntur in negocijs eccleſiæ: perpendimus quoq; cōſiliū tuū ſalubre & optimū eſſe. Ea propter ſcripſimus chariſſimo filio noſtro Frederico Romanorum Imperatori ſemper auguſto, ſicut per copiam præſentibus inſertā uidebis, cuius tenore perlecto habebis ex nobis quō his obuiare poſſis, qui noſtrū & apoſtolicæ ſedis honorē cōfundere nituntur. Hortamur igit̄ ut ſcripta noſtra ubicunq; neceſſariū eſſe uideris, publicari & mentis noſtræ ſerenitatē ſicut teneris, & de tua in comune bonum affectione non dubitamus, manifeſtari procures. Datum Romæ. Per Aeneam dictata.

Murmur grauaminis Germanicæ nationis reſeratur, & notabilibus rationibus eneruatur, *Epiſt.* CCCXXXVIII.

Aeneas Cardinalis Senenſis, Martino Cācellario archiepiſcopi Mogūtini, S.P.D.

FVit nobis epiſtola tua non minus iocunda quàm grata, ex qua ualetudinem tuam ſimulq; coniugis tuæ bonā eſſe cognouimus, & natū tibi eſſe filiū quem archepiſcopus Mogūtinus pro ſua benignitate de ſacro fonte leuauit, quod tibi & honori eſſe & utilitati nō dubitamus. Faxit ut Deus filius ſuperſtes ſit, & tuæ uirtutis hæres atq; doctrinæ. Audiuimus deinde quæ uir probus & modeſtus Vigādus eiuſdē archiepiſcopi ſecretarius tuo nomine nobis expoſuit, quæ duo principaliter fuere: primo enim quæ enim quæ fiunt apud Moguntinū de ſanctiſsimo domino noſtro & ipſius curia indies querelæ narrauit ex ordine: Secundo retulit quo animo ſit idem Moguntinus contra Romanā eccleſiā & ipſum ſanctiſſimū dominū noſtrū, & quō ad obuiandū peruerſorū hominum machinationibus neceſſarium tibi uidetur, intelligentiam quandam fieri inter ſanctiſsimum dominum & ipſum archiepiſcopum: Intelleximus etiam per quæ media eādem intelligentiam recipiendam eſſe putas. Sunt non parua quæ nobis ſignificas, neque illotis attingenda manibus. Facis nobiſcum ut amici cum amicis ſolent: libere atq; aperte loqueris, & cōfidēter quod geris in animo patefacis. Id uero ex amore fieri cognoſcimus, teq; ueteris amicitiæ memorē antiquū ſeruare morē animaduertimus. Cum ſimul in Noua ciuitate degeremus, nihil tunc tarduum fuit, nihil tam abditum atq; ſecretum quod alter noſtrum non communicaret alteri: Facis probe qui lōgo licet locorum interuallo diſiunctus, nobis nihil putas reticendum eſſe. Faciemus & F

nos

A nos idẽ erga te: aperiemus tibi omni ex parte animũ nostrũ, atq; (ut amicitiæ nostræ cõuenit) summa cũ libertate loquemur. Considerauimus igitur in primis q̃ dicuntur contra summũ Pontif. apud Germanos fieri murmura: Nec miramur siquidẽ nullus unq̃ locũ beati Petri tenuit, q non latrantiũ dentib. impeteretur. Nec magnũ putamus si qs detrahit Calixto, cũ magistro eius sciamus detractũ fuisse Christo. Verax est enim Saluator ipse, nec poterit ueritas nostra mẽtiri qa nõ est discipulus super magistrũ, nec seruus maior domino. Germani tamẽ (si uerũ fateri uelint) similiterq; reliqui Christiani nihil habẽt cur de Calixto murmurare possint, nisi q̃d eum Põtificẽ tradidit nobis Deus q̃ digni non fuimus. Neq; enim huius sanctissimi præsulis mores plebi suæ conformes existũt, q cũ diuinã in terris agat uitã, angelis potius debuit præfici quã hominibus. Nihil pius pater q̃d suũ est quærit, cogitatus suos omnes iactauit in domino, honorẽ Christi Saluatoris nostri, defensionẽ fidei, decus ecclesiæ, salutẽ plebis toto conatu, toto studio, tota mẽte perqrit. Nisi fuisset exacta ipsius solertia et incredibilis ad cõmune bonũ, iam Turcorũ feritas nõ Vngariã modo ꝓtriuisset, sed ipsam quoq; Alemaniã infestis armis petens, Christianis omnib. terrorẽ simul ac laborẽ incussisset. Nam si uicti apud Vngariã & ꝓstrati sunt magni Turcorũ exercitus, non est cui post Deũ alteri gratias quã Calixto Christiani debeãt. Ipse enim solus fuit qui torpẽtibus ac pene dormiẽtibus Christiani orbis principibus legatũ in Vngariã misit, Vngaros cũ Turcis induciarũ fœ B dera quærẽtes, ꝓhibuit, labentes animos erexit, copias cõgregauit, bellũq; illud cõmittere suasit, in q̃ primũ ætate nostra Turcorũ dominus turpissime fugere uisus est, & salus Christiano populo parta. Tacemus quæ gesta sunt in oriente per classẽ applicamus, & quæ in Albania, & alijs q̃pluribus locis ipsius Domini nostri pecunijs ꝓ tutela fidei indies gerunt. Nihil aliud sua Sanctitas in animo gerit q̃ suo tẽpore, ita inimicos saluiferæ crucis humiliare, ut tandẽ uocatus à domino creditã sibi ecclesiam in statu securo ac tranqllo relinquat. Ob quã rẽ nescimus ꝓfecto quid sibi uelint, qui tã sanctũ præsulẽ & tantũ de cõmuni utilitate solicitũ calumniari præsumũt. Nã quod aurũ à uobis extorqueat, iniqua est ꝓrsus accusatio: Nihil enim præter cõsueta iura recipit, nisi fortasse sponte sua nonnulli in classem cõtra Turco offerãt, q̃s paucissimos esse cõstat. Vtinã tot essent q tãtæ rei ac necessariæ optime subuenirẽt. Ecclesiarũ electiones canonicas qui dicũt à sanctitate contẽni, aut ecclesias Metropoliticas seu cathedrales in Alemania reseruari lõge à ueritate recedũt. Nulla electio reiecta est, quã constitit fuisse canonicã: põtificalis ecclesia in Alemania nulla reseruata est, specialiter à domino nostro cõtra cõcordata uestra, nec est eius ꝓpositũ neq; fuit hactenus quicq̃ agere. Et q̃uis nemo imputare possit si sua Sãctitas dignitates principales in collegiatis ecclesijs siue primas post pontificiales reseruauerit, neq; enim cõcordata in hoc aduersantur, nõ tamẽ inuenient facile reser C uationes beneficiorũ, nisi pro Cardinalibus aut aliquibus fortasse maximis uiris ab eadẽ Sanctitate emanasse. Itaq; nescimus quo uultu, quo ore, qua denique audacia præsumant aliqui sãctissimo præsuli nostro detrahere, tanq̃ nationi uestræ onerosus existat, q profecto nõ tantũ nationi Hispaniæ, unde sibi origo est, quantũ Germanicæ effectus esse uidetur, & qui diuinitus nobis datus est, ut hoc periculoso tẽpore ab infideliũ incursione maximeq; Turcorũ impetu orthodoxam Christi religionẽ non solũ tueretur, sed etiam eleuaret & propagaret. Laudamus igit̃ & omni honore dignũ reputamus Archiepiscopũ Moguntinũ, q reiectis malignãtiũ insidijs, apud ipsum dñm nostrũ sanctamq; sedem Apostolicã omniũ fideliũ matrẽ atq; magistrã permanere decreuit. Facit quod doctũ, q̃d prudentẽ, q̃d bonum prælatũ decet, qui peregrinas respuens opiniones, in solida Sanctæ Romanæ ecclesiæ doctrina, & in ipsa Christi petra pedes figit. Facit modo q̃d fecit dũ aliàs eadẽ quererent, quæ modo tẽtant. Nũq̃ enim Eugenio, sanctæ memoriæ summo Põtifici defuit, q̃uis multi ex Germanis in illũ desæuirẽt, nouit omnia noster Põtifex, eiusq; ꝓbitati miro modo afficitur, nec unq̃ eius nominis absq; singulari laude meminit, ita ut certissimi sumus nunq̃ ipsius petitiones in conspectu huius præsulis uanas fore, quæ dignæ audiri uideãtur. Cæterũ q̃d secũdo loco secretarius antedictus exposuit, nobis alienũ uisũ est q̃d ex uiro docto, ex iuris interprete, & magnis uersato causis

prodire debet: nouisti enim Romanum præsulem unicum esse principem cui omnes obedire tenentur, Petri & Pauli locum tenere, qui sedet in apostolico throno, Christi D uicarius est qui Romanæ præsidet urbi: non est igitur cur se cuipiam intelligentiæ nomine uel fœderis obliget, neq; subditorum est cum dominis suis fœdera quærere: nec tamen fortasse ita loqueris ut Romanorum præsulem ex intelligentia quæras obligare, quod nosti quantum iura permittant: Sed aduertimus quæ petis intelligentiæ iam magna profecto, et quæ nos aliquantulum de tua compulerint admirari. Scimus quia cum amico omnia confidenter agis: Idem & nos facimus: Vtimur respondendo ea fiducia qua tu interrogando es usus. Equidē indigna putauimus quæ nomine archiepiscopi peterētur, nec arbitramur eos bene agere, qui archiepiscopo ea petenda suadent: quamuis nec suæ menti quæ semper modestissima fuit, talia credimus esse persuasa. Suæ nanq; Dignationi id satis esse debet, ut antecessoribus suis æqualis existat. Neq; illa quærit quæ ante cētum annos nullus obtinuit archiepiscopus. Rectū & laudabile fuit propositum eius, si neq; Romanum pontificem minorem, nec se maiorem suis antecessoribus esse uelit. Illud quoque attente considerabit quisquis ecclesiæ Moguntinæ præfuerit, ut neque Romana sedes conculcetur, aut quouis modo damnetur. Certum est enim quia languente capite, nequeunt membra consistere, neq; possunt riuuli non arescere fonte siccato. Salus ecclesiarum omnium profecto ex Romanæ sedis præcellentia & summa autoritate dependet. Quibus ex rebus non essemus ausi ea quoquo modo aperire domino nostro quæ nobis pro intelligentia contrahenda significasti. Sunt enim eneruatiua apostolici iuris, & non minus profecto præiudicij præ se ferentia. Et illa præsertim quæ de confirmationibus pontificalium ecclesiarum attigisti: non ignoras, ut credimus qualis sit ipse dominus noster, quanta est in eo circumspectio, quanta omnium rerum notitia, quanta grauitas atq; constantia. Etsi enim omnes laudandi sunt, quos nouimus Romani præsules, hunc tamē omnibus præferendum putamus, qui cum uitæ mundissimæ sit & omnia gerat commendatione digna, tum uero his conditionibus præditus est, ut falli non queat. Est enim ætate grandæuus. Versatus est in arduis & magnis negocijs: Doctrina ea præfulgent, cui similis nemo est, qui audierit in antecessore fuisse. Itaque non facile decipiendus, qui tum multa per ætatem uiderit, tamen conscientiæ lumen cum rerum magnarum experientia coniunxerit. Rideret nos sua Sanctitas si quid ei proponeremus doctissimis eius auribus quoquo modo indignum, atque ob hanc causam non præsumpsimus ea sibi referre quæ tuo nomine exposita sunt. Neque enim enim sua pietas eos probare solet, quo res minus iustas sibi proponunt. Verum ut ad grauamina nationis uestræ redeamus, si quid est quod emendatione egeat, laudamus id sanctissimo domino nostro significari. Nec dubitamus, quin sua Sāctitas debito modo prouideat. Illud autem nobis exploratissimum est, archiepiscopum scilicet præfatū F in optima reputatione apud sanctissimum dominum nostrum esse, fauoremq; sibi & opportunū præsidium ab eo nunquam defuturum certo scimus aduersus omnes qui sibi molesti fuerint. Quod si eorum Oratores huc uenerint, recipiētur profecto benigne & humaniter tractabuntur, nec duras inuenient apostolicas aures in his quæ concessu digna petierint. Quod uero dicis serenissimum Imperatorem & ipsum archiepiscopum si se cum sancta sede apostolica intellexerint, facile impedituros aduersantium machinamenta: Id quidem credimus, & ita factum esse nouimus in superioribus annis. At cum Imperator præfatus cum sanctissimo domino nostro unanimis sit, nec unquā ab huius sanctæ sedis deuotione declinauerit, curandum est ut ipse archiepiscopus idē agat. In qua re cum multa tua consilia possint, rogamus ut in hoc tuos intendas neruos uelisq; doctrinæ tuæ nomen in defendenda Romam ecclesiæ autoritate potius q̃aum impugnanda clarum facere. sic enim & Moguntinæ ecclesiæ recte consules, & tibi & tuis amicis utilitates crescēt, & accumulabuntur honores:

Datum Romæ, XII. Calendas Octobris,

Anno M. CCCCLVII.

Destinatur

Destinatur Legatus apostolicus ad nuptias Ladislai Regis, *Epist.* CCCXXXIX.

A Calixtus episcopus seruus seruorũ Dei, Dilecto Iohanni filio Cardinali *sancti Angeli, S. & A. B.*

EX literis quæ de partibus Austriæ ad curiam nostram indies deferunt, intelligimus dilectionem tuam cum literæ illæ scriberentur, adhuc fuisse in Vngaria, de qua re plurimum admirati sumus, cum iam pridem tibi scripsimus ut ad partes Alemaniæ te conferes, eam discordiam pro tua facultate sedaturum, quæ inter charissimos filios nostros Fredericum Romanorum Imperatorem, & Ladislaum Vngariæ & Bohemiæ Regem uersatur, quæ quantum periculosa sit & quantum reipublicæ Christianæ damnosa, pro tua singulari prudentia non ignoras: Nescimus quæ te res tamdiu retardauerit, cum non lateat non minus utile fore dictos principes adinuicem reconciliare quã Turcorum perniciosis obuiare conatibus. Si quidem noxiora multum sunt intestina bella quàm externa, & frustra his qui foris sunt resistimus, si alijs qui intus sunt, uulneramur. Itaque uoluissemus te quàmprimum recepisti literas nostras, ad Imperatorem & Regem præfatos iter arripuisse, quod quidem fuisset nostro iudicio expeditissimum. Verum cum nouissime nobis relatum sit, dictum Vngariæ ac Bohemiæ Regem circa festum sancti Martini proxime futurum, decreuisse Bohemiam petere, ut sibi sponsam suam charissimi filij nostri Caroli Regis Franciæ natam conduci faciat: & cũ
B eadem ibidem solẽnes nuptias celebret, pro qua iam fertur Oratores misisse: Committimus tibi & harũ serie mandamus, ut omnibus alijs post habitis ad ipsum Regem quã celerrime te conferas, eiusq; nuptias tam sui quàm dicti Regis Franciæ consideratione, nostro & apostolicæ sedis nomine, ut dignum est, tua præsentia honores. Erunt enim, ut fama est, hæ nuptiæ plurimum excellentes, ac magnificæ tam respectu personarum inuicem contrahentium, quàm principum qui conuenturi eo dicuntur: cum nõ solum dilecti filij nobiles uiri Bauariæ & Saxoniæ duces, Marchionesq; Brandeburgenses cum coniugibus, etiam charissimus filius noster Casimirus Rex Poloniæ, simulq; consors eius Regina earundem nuptiarum celebrationi asserantur interfuturi. Consideramus autem quod in tantorum conuentu principum multa tractabuntur, in quibus erit tua præsentia nedum utilis sed etiam necessaria, per quos religio nostra contra Turcorum impetus defendatur, commode tractare: Et cum sint ibi nonnulli male de fide catholica sentientes, eorum malitia ne quid in tanta congregatione nocere possit, opportune obuiabis. Quibus ex rebus necesse est, ut eidem congregationi prorsus interesse cures, & ita nos dilectioni tuæ iterum atq; iterum committimus & mandamus, responsum tuum super his quàm celerrimũ expectãtes, Datum Romæ, die prima Octobris. Per Aeneam dictata.

C *Hortatur Legatum quàm celeriter nuptias Regis adire,* *Epist.* CCCXL.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Cardinali sancti Angeli, S. P. D.

COgnosces ex literis sanctissimi domini nostri quàm necessaria sit præsentia tua in nuptijs, quas serenissimus Rex Vngariæ celebraturus est in Praga. Ob quam rem quamuis non puto necessarium Dignationem tuam adhortari, ut quàm celerrime eò se conferat, quia tamen eius rei utilitatem non solum animo percipio, sed manibus quodammodo, ut ita loquar, palpare uideor, non possum facere quin tanquam seruitor & filius tuus ea scribam, quæ honorẽ tuũ cõcernere animaduerto. Sane quãuis pietas domini nostri id iudiciũ de tua dignatiõe faciet, quod de uiro prudẽtissimo et optimo habendũ est, quamuisq; omnia quæ per te facta sunt miro modo cõmendet. Illud tamẽ plurimũ admiratur quod dissidẽtibus inter se serenissimis principibus Romanorũ Imperatore & Vngariæ Rege nõ statim te ad sedãdas eorũ discordias, sepositis alijs negocijs, præparauisti, cũ certũ sit illis inter se cõtendentibus, nõ solũ nobilẽ illam Austriæ prouinciã cõturbari, sed etiã Turcis uiã præberi qua facilius ad Christianitatis inuasionẽ prorũpere possint. Videt igitur mihi admodũ expediẽs q̃d tua dignitas ad præfatas nuptias iter suũ acceleret, quæ ut extimat mẽse Ianuario, aut tardius Februario celebrabũtur. Erit cõuẽtus ille celeberrimus, in q̃ duo Reges & tot principes cõparebunt. Non

dubito

dubito quin magna ibi tractentur, & ut arbitror, quin principaliter agitabuntur in eo loco ea negocia: nanq; cum lites Imperatoris & Regis nondum compositæ sint, erit cura illorũ principum in primis illas sedare. Inter Poloniæ Regem & fratres sanctæ Mariæ Theuthonicorum agetur de concordia. Bohemi de suis articulis curiosi erunt. Illi qui sunt in Rheno et res nouas contra sedẽ apostolicã practicare nitũtur, non omittent per Oratores suos ex conuentu aliquid attentare. Postremo etiam de defensione fidei contra Thurcos, ut mea fert opinio, inter tantos proceres sermo fiet. Magna sunt hæc & profecto tuam præsentiam merito exigunt. Itaq; tanquam seruitor tuus suadeo ne quo pacto ei congregationi absis: quod esset & inhonestũ & incommodũ apostolicæ sedi: quod si interfueris complacebis proculdubio non solum Regi Vngariæ, sed etiã Regi Franciæ cuius filiæ nuptias honorabis, obuiabis malis quæ per nonnullos procurantur: Et multa bona opera procurare poteris tam pro pace Christianorum quàm pro defensione fidei cõtra inimicos crucis Christi: Piũq; sanctissimi domini nostri desideriũ hoc potissimum modo adimplebis, et rem facies tua uirtute dignam, duabusq; maximis nationibus Galliæ & Germaniæ simulq; duobus maximis principibus, hoc est Imperatori & patruelis sui, & Regi Franciæ in filiæ suæ honoratione rem gratam faciẽs, demulcebis capita. Datum Romæ, die prima Octobris, Anno domini M.CCCCLVII. D

Scribit se bene ualere, nec superfluis curis angi uelle. *Epist.* CCCXLI. E

Aeneas Cardinalis Senensis, Petro Noxetano, S. P. D.

SI non scribimus ad te sæpius, id facit negociorum multitudo quibus destinamur, simulq; tua humanitas qua non ueremur abuti. Extant apud nos scripta tua quibus satis esse dicis, si quater tibi scribamus in anno. Hoc nos pigros reddidit: dabimus et sex & octo epistolas in annos singulos amicitiæ tuæ: nunc hæc prima sit anni huius, quæ nos bene ualere & animo & corpore intelligas, quamuis multa indies emergunt, quæ conturbare cuiusuis hominis mentem queant, sed nolumus affligere cor nostrũ, quando nihil est quod mœsticia nostra reipublicæ prosit. Faciemus quod nostris subest uiribus, reliquum Deo relinquimus, cuius est & nos perdere si uelit, & saluare hanc ipsam mundi machinam, quam de non esse in esse produxit, cum dubium non est ei curã esse operum quæ suæ fecerũt manus. Hæc tibi pauca scripsisse uoluimus, rogãtes ut tu quoque læto animo id uitæ traducas quod superest. Optamus te aliquando uisere atq; amplecti. Bene uale. Ex urbe Romana Octobris.

Negat se altiorem gradum ambire, & collaudat poëticæ metrificantem.
Epist. CCCXLII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Francisco Philelpho militi & *Poëtæ, S. P. D.* F

CArmen tuum, insignis eques & optime poëtarum, accepimus, simulq; literas maturo scriptas eloquio. Fuerunt utraque iocũda ab amico missa & condita salibus. In carmine plus aliquid est quàm nobis conueniat, nunquã id somniauimus quod tibi de nobis polliceris, neq; grandia hæc sine præsagio uel fatum uel somniorum solent euenire. nostra sors maior est uirtute nostra, stulti sumus si uolare altius ambigamus. Sed inest tuis uersibus incredibilis suauitas, quæ nos etiam adulando delectauit. Quod quæris de Parallelis Plutarchi, uanum est, perierunt omnia, nemo est qui de his loqui norit, naufragiũ passæ sunt literæ & quidẽ apud Rhodum, ubi neq; reliquias relegere nautas licet. Tu si more tuo sapias, admisso libro nõ adijcies ut animum crucies. Apud Reuerendissimum Cardinalem de Columna, uidimus & legimus Forsiadam tuum, opus tersum & dignum quod Priscis poëmatibus annumeretur. Et tu Francisci ducis gestas res decantare dignius eras, ut illius uirtuti tua musa debebatur. Si tamen dignis ille te præmijs prosequitur, & egere uetat, si secus hortamur fistulæ ut cæram amoueas, nam magis illi tua taciturnitas quã sibi tenacitas detrimentum præstabit. Vale & nos ama ut soles.

Ex urbe, die XXV. Octobris.

Mœstus

A *Mœstus ex morte amici consulatur his medijs, Epist.* CCCXLIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Campisio episcopo *Placentino, S. P. D.*

SI non scribimus sæpe Dignationi tuæ das ueniam, non ambigimus. nā & nos Vegiō poetæ ignoscimus quamuis nūquā nos adierit, nec nobis quicquā scripserit postquā Cardinalatū suscepimus. Sumus memores legis nostræ quādo cōmendas no bis aliquos huc uenietes, & si non respōdemꝰ, operas tamē nostras illis offerimus: estq; nobis iocundissimū literas tuas legere, & illas audire que à te uenientes bonā ualetudinem tuā nobis enunciant. Cupimus te aliquando hic uidere etsi parum spei super aduentu tuo habemus, quando iam sedem elegisti & uitæ simul & mortis. Nos modo quod scribamus non habemus, nisi obijsse Stephanum Catiam Nouariensem cōmunem amicum, quo cum magna pars amicitiæ à nobis abijt. Afficit nos incredibili mœrore suus obitus: illud tamen consolationi nobis fuit, quod fortē eum in transitu cognouimus nunquam enim eiulauit, nunquam uerbum admisit non Christiano uel sapientem uiro dignum, ecclesiasticis sacramentis deuotissima mente susceptis, ad extremum usq; anhelitū intellectum & uerba prudentis hominis retinuit. Sepultus est apud hospitale sanctæ Mariæ Theutonicorum, die XI. huius mensis. Vale optime & amici animā in orationibus tuis recōmendatam habe. Datum Romæ, XX Octobris, Anno M.CCCCLVII. B

Mortem amici denunciat, Epist. CCCXLIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Scenæ, Salutem plurimam dicit.

STephanus noster Catia Nouariensis communis amicus animam creatori reddidit. Hæc scribimus, ut non doleas amici obitū, qui more christiano & ut sapientē decuit, ordinatis rebus suis ex hac luce migrauit. sed ut congaudeas illi ad meliorem uitam profecto, nobisq; compatiaris tali orbatis societate, cogitesq; aliquando de nobis qui hoc in pelago sine uelis remisq; nauigamus, & fluctuantes ab ipso naufragio non longe absumus. Vellemus hic esses & rerum nostrarum cursus intuereris. Sed quid querimur, ferenda est fortuna quam Deus mittit, neq; enim dubitandum est quin Deo sit cura huius mundi, quem suæ condidere manus: si curat, igitur quæcunq; accidunt, aut uolente illo aut permittente fiunt. hoc nos consolatur & æquo iubet animo expectare tempus, in quo & ad Stephanum & ad reliquos qui nos præcesserunt, amicos euocemur. De re tua audiuisti quæ sit pōtificis sententia: nō est quæ modo, alia quæras. Deus ipse operam ferat Ioāni Caimo optimo uiro & amico tuo nostroq;, diximus de scutifero nos esse facturos quod tua iuberet amicitia, nec mutauimus opinionem: rogamus te C principi simulq; Nicolao Azimboldo nos commendes, cuius benignas literas his diebus accepimus, nec dubitamus eum pro ueteri consuetudine nos amare. Vale optime Ex Roma, die XX. Octobris, Anno M.CCCCLVII.

Pollicetur operas suas amico, & concordatis minime derogare, Epist. CCCXLV.

Aeneas Cardinalis Senensis Martino Mayer, S. P. D.

SCribimus tibi non sine fiducia singulari literas breues, nō scimus dare inania uerba. Amamus ex corde amicos & his adulari nescimꝰ. Crede optimo corde loquimur: si facultas assit, nunquam deerimus uotis tuis, & id certo certius habe, quia uetus amicitia nostra solida est. In facto ecclesiæ Romanæ illud tibi dicimus quia, non læditur caput sine membris, nos hic curabimus ne concordatis derogetur. Deinceps non credimus nationem uestram habere causam querelæ, si pacta seruentur. De gratia nostra siue reseruatione scripsimus, & nunc repetimus: non est animus noster uexare quenquam occasione illa, nec intendimus concordatis per gratias nostras in aliquo derogare. Vale & nos ut soles ama.

Ex urbe, die XX. Octobris.

Denunciat

Denunciat desiderijs amici satisfactum, Epist. CCCXLVI. D

Aeneas Cardinalis Senensis Theoderico archiepiscopo *Moguntino, S. P. D.*

EX Vigando secretario tuo accepimus literas Dignationis tuæ. Cognitis his quæ cupiebas, mox adiuimus sanctissimum dominum nostrum qui læto animo uotis tuis annuit. Nouit sua pietas quo animo, quæ'ue opera tua dignitas superioribus annis Romanam adiuuerit ecclesiam, & ubi occasio detur monstrabit se diligere tuam uirtutem. nos autem in quacunque re poterimus, erimus semper & uoluntarij & proni desiderijs tuis morem gerere. Datum Romæ die uicesima Octobris.

Pollicetur sexingentos florenos amicæ pro dote, aut ingressu religionis, Epist. CCCXLVII.

Aeneas Cardinalis Senensis Iacobo Picholomæo, S. P. D.

LIteris tuis quas de Montamia & Andrea filijs tuis nepotibus nostris ad nos scripsisti, respondimus semel & iterum, nescimus an nostra scripta in manus peruenerint tuas. Ideo hæc pauca repetimus, ut non putes mente nostra excidisse quod illic immobiliter sedet. De Montamia ob res quæ gestæ sunt, difficile est rectum ferre consilium. Intelligimus enim eum monasterium abhorrere, matrimonium autem reperire sua conditione dignum difficile est: nos igitur relinquimus tibi hãc prouinciam ut sibi persuadeas quod in rem suam sit prudens. Si essemus pecuniosi, & more quorundam Cardinalium abunderemus, daremus illi & uirum & dotem. At cum tenuis sit conditio nostra uoluntatem potestas impedit: utcunque sit ex paupertate nostra sexingentos illi aureos spondemus, quamcunque uiam ingrediatur. Scriptoriam apostolicam Andreæ tuo, & si optamus acquirere tamẽ non ualemus: nemo enim est qui absque mille aureis eã consequi potest. Oportet igit̃ illas ingredi uias: nos ubi poterimus nõ deerimus necessitati tuæ. Et si Deus dabit, ut possessionẽ Variniẽsis ecclesiæ cõseq possimus, ita nos geremus ut intelligas nos amãtissimi fratris locũ tenere. Datum Romæ xx. Octobris. E

Refert mortẽ amici, & se cõmendari orat, Epist. CCCXLVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Latino equiti Ciprio Salutem *plurimam dicit.*

DVabus epistolis tuis gratias nobis egisti super his quæ tui causa fecimus. Cognoscimus nos nec pro debito, nec pro uolũtate satisfecisse, sed tua benignitas parua pro magnis accipit. Gaudemus obtigisse tibi desiderium tuum: nam & tua uirtus maiora meretur. Afficitur tibi summus Pontifex & desiderijs tuis, ubicunque poterit faciet satis. Amicus tuus & noster Stephanus Cacia, cuius sine lachrymis non possumus meminisse creatori Deo animam reddidit: rogamus te ut eius nepotes apud illustrissimum ducem cõmendatos habeas, quibus beneficia sua collata sunt. Et nos etiam unã præposituram tenuem obtineamus: uelis nos Principi & consorti eius commẽdare, qui ad eorum beneplacita semper inueniemur attentissimi. Datũ Romæ, xx die Octobris. F

Concordatis ecclesiæ operam dare promittit ne uiolentur, Epist. CCCXLIX.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Lesure, S. P. D

AMauimus probitatem tuam ante promotionem nostram, & nunc potissime colimus obseruamusque. Inuenimus enim in te & ueritatẽ & prudentiam. Credimus plene illud esse scilicet aliquos qui uulnerent, ut medendo lucrentur: sed non patietur caput sine dolore damnoque membrorum. Mittimus tibi cum præsentibus alphabetum quod optasti, quod signatum recipies: poteris illo uti & nobis quæ grauiora erũt, significare: habebisque responsa ex nobis quæ res ipsa exiget. Decet bonos uiros curare ne unitas Ecclesiæ magno parta labore, iterum scindatur. De concordatorum obseruatione soliciti sumus, damusque operam ne uiolentur. Amideus pro quo scribis, si inueniet̃ fuisse in possessione tempore concordatorum habebit pacem, idque dominus noster nobis cõmisit inquirere. Vale optime, & scribe nobis frequenter, nam literis tuis quasi persona tuemur. Ex Roma, xx. Octobris.

Excusat

Excusat se cōtra concordata ecclesiæ fecisse. Epist. CCCL.

A Aeneas Cardinalis Senensis Petro Knorren Doctori, S. P. D.

GRatæ fuerunt nobis literæ tuæ quibus nouitates germanicas significasti, & dietarū institutiones. Scimus nos esse tibi charos qui omnia ut amico cōmunicas. Estq; nobis non parua uoluptas te tenere memoriam ueteris amicitiæ: uellemus nationem tuā uti sano consilio & non repēte ad nouitates prorūpere: multo labore parta est pax ecclesiastica, facile rumpetur si uolueritis. At erit non nobis solum dānosa, sed etiā uobis. Cum uolueritis resarcire non poteritis leuiter. Quod nobis dicis imputari de reseruationibus ac pensionibus, nescimus quid id sibi uelit: nisi fortasse de uno monasterio prope Constantiam quod impetrauit protonotarius de Lapide, de quo nobis pēsio centum florenorum assignata extitit: id ille aiebat placere principi patriæ, nec erat contra concordata cum electio ibi canonica non fuisset. De alia pensione nunquam nos intromisimus. De reseruationibus est uerum quod habemus bullam pro duobus milibus florenis. Credebamus nationē illā nō ægrè ferre, si nos q in ea nutriti sumus tantum in beneficijs haberemus. Et nihilominus diximus papæ, & scripsimus archiepiscopis Mogūtino, Treuerēsi & Coloniensi nos illa bulla nullatēus uti uelle, ubi cōcordatis cū natione aduersaretur. Itaq; nescimus cur nobis aliquid imputari posset. Cōmendamus B tibi unionem Ecclesiæ ut facias quemadmodum consueuisti, quia nihil pace melius. Contra Prutenos sedes apostolica usa est suis armis, restat ut uestris utamini. Si qua in re natio ipsa grauetur, potest recurrere ad sedem apostolicam. Credo non spernētur preces suæ. Fuimus locuti sanctissimo domino nostro de iuramēto tuo. Sanctitas sua uiuæ uocis oraculo nobis dixit, quod iuramentum illud suspendebat ad effectum ut posses Romanæ ecclesiæ utilius seruire Et ita poteris affirmare te nō esse obnoxium iuramēto Age igitur ut consueuisti, nos semper inuenies paratissimos ad ea quæ tibi grata sint & inclytæ nationi utilia. Cupimus ut nos commissos facias principi Marchioni Alberto, cuius eximiæ uirtuti omnia debemus. Vale ex Roma, die *VII.* Nouembris.

Captata beneuolentia petit amicum suo nomine audire. Epist. CCCLI.

Aeneas Cardinalis Senensis Francisco duci Mediolanensi *illustri, S. P. D.*

QVamuis in curia serenissimi Imperatoris & alijs in locis ubi moram traxi semper honoris & gloriæ tuæ cupidus fuerim, illisq; pro mea uirili consulere studuerim, ut testes sūt magnificus eques Scena de Curte, & alij quos tua Excellētia ad Imperialem Maiestatem & Romanam curiam aliquādo trasmittiti fateor, tamen me nunquam aliquid egisse propter quod præsumere debeam gratiam, quantumcunq; mi C nimam ex tua mansuetudine deposcere: sed audaciam petenti quàm mea non præstant merita, tua liberalitas & in omnes beneficia concedit: quæ cum uel ignotis prodesse solet, mihi, ut existimo, non claudet aures: neq; ego illam implorare auderem nisi me necessitas urgeret: Sed cum uocatus ad Cardinalatus honorem eos non habeam redditus, qui huic dignitati cōueniant, cogor ad eos recurrere quos pro sua singulari bonitate mihi bene uelle arbitror. Inter quos Excellentiam tuam ueneror. nam & amici quos Mediolani habeo, hæc mihi & literis & nuncijs indies confirmant. Quibus ex rebus cōmisi præfato Scenæ integerrimo amico meo, ut aliqua meo nomine mansuetudini tuæ exponat. Cui precor & benignas aures impertiri, & preces suas quas uice mea attulerit, bono animo exaudire uelis: nā & opus pietatis exercebis & me seruitorē tuum magis ac magis obligatū habebis. Ex Roma quarto Nonas Decēbris. An. *M. CCCC LVII.*

Instruit de mente sua apud principem exequenda. Epist. CCCLII.

Aeneas Cardinalis Senensis Scene de Curte, S. P. D.

RAphaelem Capinum nobilem adolescentem (quem ad nos misisti) recepimus in familiam nostram, & tui causa & sui libenti animo: nam & nos tibi obnoxij sumus, & in omnibus morē gerere cupimus: & ipse præ se fert modesti & prudētis indolem iuuenis. Vtinā hi simus qui uirtuti suæ satisfacere possimus. Quod promittis te apud illustrissimum ducem procuraturum nostri causa, non est apud nos dubium:

nouimus animum erga nos tuum & amicum uerum te esse non ambigimus. Si bona principis mens in ea re fuerit, tua non deerit opera. Ita nobis persuasum est. Scribimus Excellentiæ suæ literas quarum exemplaria cum præsentibus ad te mittimus. Si putas reddendas esse, reddito, si minus, utere cõsilio tuo & rem nostrã pro tua circũspectiõe curato: nos tantum uolumus quantum licet. Pauperes nati sumus, & in hanc usq; diem uiximus tenues: nunc si aucta est dignitas, non tamẽ accreuerunt opes, Confidimus in bonitate summi, ut qui nos nunqam destituit, neq; in Cardinalatu deseret, quando nõ hi sumus qui maria montesq; cupimus: Satis nobis fuerit non egere. Quod illustrissimi ducis auxilio futurum confidimus, & tua solicitudine. De maxima illa concubina non est quod mirere: lata est Romana curia, & omnium rerum capax boni & mali apud nos uersantur: hic superbia & humilitas, hic auaritia & largitas, hic luxuria & frigiditas, hic libido & cõtinẽtia, hic summa uirtus & summũ uitium: Sagena hæc est in mari missa omnium genere piscium plena. Triticum adhuc simul & palea in area est, & magna fatuitas & summa sapientia simul habitant. Quid mirum si opera aliquando præclara efficimus digna laude, aliquãdo sic agimus ut repræhẽdi uel à minimis ualeamus.

De palatio Budensi: & aliquid contra Basiliense cõcilium, *Epist.* CCCLIII.

Ambrosius Camaldulensis Reuerendissimo ac sacratissimo Imperatori *Sigismundo semper augusto fidelitatem & subiectionem.*

HAbeo gratias ingentes Maiestati tuæ clementissime princeps, quod priusquàm Pannonia discederem, pulcherrimi & magnificentissimi omnium, quod unquam uiderim, spectaculi me esse participem uoluisti. Inspeximus summa cum admiratione præcipuoq; stupore ædificatum abs te palatium, tantaq; occurunt singulariter miranda, ut quod magis mirari, quod primum prædicare debemus, non occureret. Tam multa ad se trahebant atq; in se rapiebant obtutum affectumq; nostrum. Deniq; structuræ moles tam uasta est, ut nullam toto orbe maiorem reperire posse arbitremur. Eius omnia membra adeò magnifice, tam decenter instructa sunt, ut ad gratiam nihil possit accedere: singulæq;, ut dictum est, partes secum de pulchritudine & magnificentia certare uidentur, ut quod primum admiremur non occurrit, nisi quod simul omnia inspecta excedunt omnem admirationem, uixq; arbitremur Persis illam formosissimam regiam, de qua tam multa prædicantur, huic tuæ conferendam. Transimus ad contuendum peripatum illum spaciosissimum, perspectum omnino mirabilem plenumq'ue uoluptatis. Neq; his contenti, piscinas quoq; & hortos circuire, plena occurrebant oculis. Pauca de multis quæ me mouent, in unum congressi, execratione digna, tuæq; Serenitatis oculis legenda subiecti. Equidem cõsideratis scandalis qui indies ex huius perpetuatione concilij prodeunt, huius sententiæ sum ut pro firmo & rato habeã, nihil à tua pietate posse fieri uel Deo gratius uel acceptius, seculo uel ecclesiæ matri utilius q̃ huius eneruationẽ abominationis, p uiribus moliaris. Et oro ne tua me pietas temeritatis arguat ita sentientem: Nam si ex abundantia cordis os loquitur, ego istam sententiam ex alto cordis eructo. Deus autem noster omnipotens Serenitati tuæ quæ ad pacem sunt, inspirari dignetur, annosq; tuos benedicere, religiosissime princeps & auguste pijssime. Ex Vienna. Anno M.CCCCLVII.

Commendat causam suam, & spondet operas suas in reciprocum, *Epist.* CCCLIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, S.P.D. Gumforto iurisconsulto ac serenissimi *domini ducis Mediolani secretario.*

EX Leponsijs hac præterita hyeme super re præpositurae meæ literas ad te dedi, ut illustrissimo principi duci Mediolani pro me loquereris te rogans, obsecrans, nihil exinde responsi à te suscepi: quod non tibi sed tuis occupationibus imputo. Scripsit autem mihi paucis ante diebus quàm moreretur Mediolanensis antistes de te a erga me optima uoluntate, dixitq; tuum esse consilium ut Cæsaris literas ad ducẽ impetrarem. Factum est ut ambo suasistis. Literas defert uir urbanus & tuus meiq; amantissimus Laurentius de Rotella cõcanonicus meus Tridẽtinus. Is te alloquitur, & meam agitabit

A agitabit causam. Precor illi consilio & auxilio ut sis, utq; reprobes quod epistolis de te mihi præfatus repromisit antistes. Habeo in te quicquid spei habeo: Fiam uoti compos, si me iuueris: Sin deseras, nil est quod sperem. Scio mores curiæ uestræ & aliarum: Nemo aliquid obtinet nisi magnis fultus amicis. Ego & si iustitiā prosequar, nisi te habeā ad quem recurram, habeo neminem. Nec te quo iure teneā, uideo, qui nullis beneficijs mihi obligaris. Sed confido in tua humanitate, similiterq; studia & officia quibus dediti sumus paria, fiduciam præbent ut opera, consilio, autoritate, & gratia tua amice utar. Ego si quid intelligam aut ad uoluptatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, etiā nō rogatus faciam nec ad me unq̄ pro te uel pro tuis frustra scribes, si modo q̄d petieris, in mea fuerit potestate. Vale et spē meā imple. Ex urbe *VI*. Idus Iulij.

Excusatio precum non exauditarum, Epist. CCCLV.

Aeneas Cardinalis Senensis, præposito Spirensi, S. P. D.

ACcepimus literas tuas quibus rogas ut ius nostrum in præbenda ecclesiæ maioris Vormaciensis in nepotem tuum transferre uelimus. Complacuissemus certe tibi, cui libenti animo tāquam singulari amico & homini uirtuoso gerimus morē nisi præuenti fuissemus. Scripserunt enim nobis Decanus & cantor Vormaciensis qui negotia præpositurae nostræ gerūt, de uacatione præbendæ huiusmodi, multūq; suaserūt ut ius nostrum illi dimitteremus, qui per capitulum ad posessionem quamuis de facto B erat admissus, cui iam præposituram nostram arendauerant. Deinde etiam supuenerūt literæ illustris principis comitis Palatini pro eodem dictam præbendā petentes, quibus inducti animum inclinauimus ad cōplacendum præfato possessori, siue ut rectius dicamus, intruso. Nam quamuis spreti fuerimus à capitulo, quia tamen natura litigiosi nō sumus, decreuimus bonum pro malo rependere. Rogamus autem te ut æquo animo feras, si hac uice precibus tuis non annuimus, cū sicut prædiximus, aliorum scripta præuenerint: deinceps si quid occurrerit q̄d tui causa facere posśimus, non erimus requisitioni tuæ q̄quo modo aduersi, sed quantum uires nostræ tulerint, & tibi & amicis tuis conabimur rem gratam facere. Datum Romæ, die *XXII* Iulij. Anno *M.CCCCLVII.*

Annuit precibus, & petit se excusare de grauamine Germanicæ nationis, Epist. CCCLVI.

Aeneas Cardinalis Senensis Decano Vormaciensi, S. P. D.

COgnouimus quæ scripsisti de præbenda quæ nuper uacauit in ecclesia Vormaciensi. Suades ne nos de illa intromittamus, & ius nostrum possessori tradamus, cū neq; utile nobis sit dictā præbendā obtinere secundū statuta ecclesiæ, neq; dispensari aduersus ea consuetum sit multum tribuimus consilio tuo, & crede quia non est mens nostra grauare ecclesiam illam, nec litigiosi sumus, ut uelimus supra modum contendere. Nos si eam præbendam obtinuissemus, non propterea uiolare statuta uestra C uoluissemus, aut aliquod uobis afferre grauamen, sed iuxta consilium tuum fecissemus, & confidimus quod non fuisset capitulum uestrum de nobis male contentum. Verum utcunq; res se habet quamuis consiliarius Palatini nullum ius habeat in prædicta præbenda, & nobis spretis in ea se intruserit, tamen quia uir nobilis est & illustris, Palatinns pro eo scribit, tuq; plurimum id suades, & Ioannes Tolner etiam hortatur, erimus contenti trāsferre ius nostrum in prædictum consiliarium, si cum eius procuratore, qui hic est conuenerimus: & deniq; confide quoniam ecclesiam uestram iuuare atq; extollere, non deprimere, aut quoquo modo lædere intendimus. Verum quia capitulum ecclesiæ sancti Andreæ animo deliberato nobis spretis & literis nostris cōtemptis, ad possessionem præbendæ per nos acceptatæ alium intrusit, intendimus experiri de iure, quis sit potior. Itaq; rogo ne mireris si litē pro parua re ingredimur, quia contemptū potius quàm præbendam animo metimur, quā etiam si obtinuerimus alteri eiusdem nationis resignabimus. Postremo scribit nobis Ioannes Tolner querimonias factas esse apud aliquos Germaniæ prælatos de reseruationibus Cardinalium, quas habēt in partibus illis: nescimus an ꝓpter nos & gratiā nostrā is rumor fiat. Nos quidē supra *XXIIII.* annos in Alamania seruiuimus: & semper honorem illius nationis pro uirili nostra promouimus, & nūc ad Cardinalatum quamuis insufficientes, uocati, id conamur, id studemus, id tota

mente quærimus, quod illi nationi utile decorūq; esse putamus, cum nonnullis aliquando uehementer contendentes, ita ut in sacro collegio nos magis Germanū quā Italum esse dicant. Quibus ex rebus nō sumus arbitrati Germanicæ nationi futurū odiosum, si beneficia in ea pro duobus milibus ducatorū in annuis redditibus obtineremus. Et quā uis in bulla reseruationis nostræ fiat mētio de monasterijs, nūq̄ tamē intentio nostra fuit ad ea monasteria literas trahi quæ per cōpactata reseruari non posset: & ita sanctissimo domino nostro diximus, adijciētes q̄d ꝓ nullo monasterio unq̄ litigaturi essemus, sed solum id reciperemus quod cū bona gratia principū, in quorū territorio esset, habere possemus. Itaq; nō existimamus aliq̄s prælatos occasionē habere ut de nobis cōqueri possent. Quapropter rogamus te qui soles cum pluribus cōuersari, ut mētem nostrā omnibus declares, & præsertim archiepiscopo Moguntino, apud quem non dubitamus nos haberi cōmendatos, cū & nos sui statius & honoris quantum uires nostræ ferunt, semper defensores sumus. Datum Romæ, die XXII. Iulij, Anno M. CCCCLVII.

Frustra conatur impetrare, ut clerus communitatis Senensis, pro confirmatione studij uniuersalis contribuat & auisat de exercitu congregato, Epist. CCCLVII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Baliæ Senensi, S.P.D.

QVæ ornamento, splēdori, gloriæq; isti ciuitati uestræ, patriæ nostræ esse possent, nunq̄ tædio nobis esset aut quærere, aut si in potestate nostra esset, exhibere. Ea propter cū nuper nobis scripsissetis, ut pro studio legū aliarūq; facultatū in urbe uestra reformando, Sanctissimo domino nostro uerba faceremus, utq; clerus uestræ ditionis ad eā rē certā pecuniæ quantitatē cōferret impetrare conaremur, fuimus euestigio cū eodē sanctissimo domino nostro Oratore uestro spectato uiro Leonardo ad id accersito perorauimus causam, ut arbitrati sumus oportere, sed nō exorauimus. Quomodo aūt pietas domini nostri ad eā rē respōderit, nō ambigimus Leonardū ꝑfatū collegio uestro significasse. Itaq; nō est cur plura circa hæc dicamus. Illud adijcimus, q̄d nosse Magnificētias uestras nō inutile arbitramur: Hodie literæ ex Neapoli aduenerūt, q̄bus certior fama fit, Comitē Iacobū Piccininū ab inclyto Rege Aragonū pecunias nō paucas accepisse, q̄b. copias suas instruere possit ad regni metas exire. Ferūt eū aduersum Sigismūdum Malatestā arma moturū instante Vrbinate comite. Sed mille sunt hominū insidiæ, nec sagitta semper eo tēdit quò directa uidetˀ. Sapiunt Magnificētiæ uestræ & q̄d ex usu fuerit, cogitabūt. Nos pro debito nostro hæc reipub. uestræ significāda putamus, cuius trāquillā quietē indesinenter optamus. Datū Romæ, die XXII. Iulij, Anno M. CCCCLVII.

Petit pro captiuo ut benefacta cū malefactis pensatis, liberum emittant, Epist. CCCLVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Baliæ Senensi, S. P. D.

ACcepimus literas uestras quibus cognouimus quæ de comite Iacobo Piccinino & eius transitu suspicamini. Fuimus sæpe cū spectabili oratore uestro de eadem re locuti, & eadem uidebātur nobis formidanda quæ uobis, si homo ille regnum exiret. Nūc scriptis uestris commoniti statuimus de re illa certiorem Pontificem facere. Sed cum podagra nos impediret ne præsentiam domini nostri accedere possemus, scripsimus quæ nobis uidebantur Apostolicæ Maiestati, & rogauimus ut Oratori uestro audientiam præberet, qui latius loqueretur. Placuit id Clementiæ suæ, Oratoremq; uestrum mox post scedulam nostram audiuit, & ita semper omnibus respondit, quemadmodum de patre optimo & diligentissimo conseruatore uestræ libertatis sperandum erat. Scribet omnia seriosius senatui uestro Leonardus Orator, itaq; non est cur nos ea repetamus. Sumus & erimus soliciti in his quæ uestræ reipublicæ tranquillitatem respiciunt. Postremo quia Franciscum patricium in uinculis coniectum accepimus, uirum fama clarum & qui ornamentum ciuitatis uestræ non parum hactenus fuit. Rogamus in eius iudicio benefacta cum malefactis pensare uelitis, & hominem in uita relinquere, quis suis scriptis uestram urbem illustrauit, & in futurum splendorē ei maximum adijcere potest. Quod si feceritis omnes collegium nostrum commendabunt, in quo plus beneficij quàm iniuriæ recordatio ualuerit. Datum Romæ, die XXIIII. Iulij, Anno M. CCCCLVII.

Captat

A *Captat beneuolentiam, & offert commendatum nepotem suum, Epist. CCCLIX.*

Aeneas Cardinalis Senensis, Episcopo Tridentino, S. P. D.

REdeunte in Alemaniam Nicolaum Creul capellanũ nostrũ & cõpatriotã, tamen cum Tridento trãsiturus sit, noluimus sine nostris ad te literis dimittere, qbus intelligas nos ueteris amicitiæ et q̃modo simul ad sacros ordines ꝓmoti fuimus, memores esse, cupidosq; magnopẽ aliqñ aliqd agere q̃d tibi gratũ existat. Reliqua de nostra erga Dignitatẽ tuã uolũtate, & de statu Romanæ curiæ, idẽ Nicola9 plenius referet, cui uelis tãq̃ nobis plenã Credẽtiæ fidẽ ꝑbere. Insuper qa nepos noster Frãciscus gratiã expectatiuã habet in ecclesia tua, rogamus ut in euentu uacationis alicuius præbendæ auxilio sibi esse uelis ad obtinendã possessionem, quemadmodũ de tua erga nos beneuolentia & amicitia ueteri plene cõfidimus. Datũ Romæ Calendis Augusti. Anno M. CCCCLVII.

Refert noua Italiæ & urbis Romanæ, Epist. CCCLX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Nicolao Cardinali sancti Petri, S. P. D.

REuertit̃ ad partes Germaniæ Capellanus Nicolaus Creul, quæ in agendis suis Dignationi tuæ quantum ualeo cõmendatum efficio: Diu nihil noui de tua Dignitate accepi: Puto eam bene ualere quando in contrariũ nihil accipio. De prælatis Germaniæ & dietis eorum multa hic dicunt̃ nõ bona: tuã Dignationem nihil latere opinor. Nisi tua circũspectio illis obuiet rebus, nescio quis alius occurrere possit. Ego tamen te in B hac curia præsentẽ potius esse uellem, quamuis parum est quod Cardinales reipublicæ consulere possint. Sed iuuaret me sæpe in præsentia tua esse, & pro ueteri more dulces miscere sermones. Fortasse aliquando non tederet Dignationem tuam in curia moram traxisse. Quis sit status harum partium non dubito per familiares tuos Dignationi tuæ scriptũ esse. Referã tamẽ paucis quomodo res se habeat. Dominus noster in primis bene ualet: Roma quoq; præter solitũ hucusq; sana esse uidetur. Obijt Cardinalis Neapolitanus in curia potius medicorum quã aëris grauitate. Vrsini & comes Euersus adhuc inter se armis contendunt, quæ res facit ut annus uberrimus sterilis uideatur. Huc accedit indignatio quã Põtifex cõtra Vrsinos accepit: tractatur cõcordia nescio quã facilẽ habebit exitũ. Comes Iacobus Piccininus qui hactenus in regno fuit, nũc suscepta à Regẽ Aragonum magna pecunia exiturus regnum dicitur, & contra Sigismũdũ Malatestã quem Rex odit arma moturus, qui cũ profecturus est comes Vrbinas. Alij arbitrãtur hæc fingi cõtra Malatestas, ut improuisi Senenses inueniant̃. Quicqd egerit Piccininus si regnũ exierit arbitrantur omnes totam Italiam rursus in arma ruituram. Atque hoc modo geretur bellum contra Turcos: nec melius in Germania res se habent, quando Imperator & Rex Vngariæ, sicut nosti, inter sese acerrima contentione depugnant: Deus Ecclesiæ suæ melius consulat. Commendo me Dignationi tuæ ad eius mandata C omni tempore paratum. Ex Roma Calendis Augusti, Anno M.CCCCLVII.

Commendatoria singularium amicorum, Epist. CCCLXI.

Aeneas Cardinalis Senensis Archiepiscopo Saltzburgensi, S.P.D.

NIcolaus Creul Capellanus noster dilectus uẽturus est Dignitatẽ tuam, quã rogamus in agendis suis comendatum habere uelis. Ab eo intelliges Romanæ curiæ statũ, & quomodo res Italiæ sese habeant: Itaq; non est opus de his aliquid scribamus. Non sumus immemores beneficiorum quæ à Dignatione tua percepimns dũ in Germania essemus, & quomodo in Salzburga sæpius à tua Dignatione gratanter accepti & honorati fuimus, ob quã rem erit nobis semper cura ut tibi & ecclesiæ tuæ pro nostra possibilitate uicem rependamus. Insuper quia duo sunt in tua curia nobis à longo tempore dilecti Ioannes Lauterbachius & Ioannes Troster, uiri boni & fidelissimi, eos Dignationi tuæ q̃ad possumus efficimus cõmendatos, reputaturi nobis impẽsum qcquid in eorum personis boni per te collatum fuerit. Datũ Romæ, Cal. Aug. An. M.CCCCLXII.

Gratulatur de liberatione Episcopi Varadiensis, cuius nomine Regi scripsit, & ab apostolico scribi impetrauit, Epist. CCCLXII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Troster, S. P. D.

FEcisti probe q̃d nobis ex Vngaria Viennaq; singula scripsisti, quæ tũ gerebãt. Audiuimus inuiti illarũ partiũ tribulationes, uelit Deus ut tandẽ principes inclytæ domus Austriæ inter se recõcilient̃. Illud aũt libẽter intelleximus, q̃d de episcopo Varadi-

ensi uiro optimo significasti, cuius innocentia libertatē cōsecuta est. Nihil profecto hoc tempore nobis iocūdius significari poterat: Tu de nobis sibi omnia uera dixisti: Nā cū audiuimus capturā eius, uehementer ꝓbatissimi patris fortunio cōmoti fuimus, scripsimusq; mox Regiæ Maiestati qui nobis de patre sincero & optime merito testificāda uidebāt. Rogauimus etiā pontificē Maximū ut literas ad Regē daret qbus relaxationem episcopi peteret, easq; bis obtinuimus. Primas ꝑ casualē quendā tabellariū misimus: Secūdas uero per Laurētiū Rouarellā destinauimus qui nūcius Apostolicus ad Regē profectus est: que q̄uis tardè hinc uenerint testimoniū, tamē præbebūt nostræ in episcopum charitatis. Postremo quæ suades fecimus: Congratulatorias eñ epistolas eidē episcopo & misimus & mittemus. Itaq; nō est cur uerearis officiū nostrū requiri posse. De rebus curiæ nostræ supersedimus scribere, cū Nicolaus noster Creul te cōuenturus sit, ex quo cuncta uel minima quæ in Italia gerunt̄ abunde cognosces: Reliquū est ut bene ualere studeas Archiepiscopoq; fideliter seruias, apud quē tua obsequia nō erunt sine præmio. Nos autem semper tui memores erimus. Vale & si Iacobus Lotronus istic est, mille ei salutes nostro nomine dicito. Ex urbe Roma Cal. Aug. Anno M.CCCCLVII.

Familiaris ut bene ualeat, *Epist.* CCCLXIII.

Aeneas Cardinalis Senensis Ioanni Lauterbachio, S. P. D.

EX Nicolao nostro Creul tibi amicissimo cognosces quæ apud nos geruntur, & quo nos in te animo sumus. Nā quemadmodū te iampridē dileximꝰ, ita & nūc amamus, cupimusq; tibi bene esse: & si quādo aliqd pro te facere possemus, nō esset in nobis mora: Cōfidemus tibi bene futurū apud Archiepiscopū Salzburgēsem, qui ꝓ sui singulari uirtute seruitijs tuis debita præmia non negabit. Vale igit̄ & nos eidē Archiepiscopo ita offeras ut intelligat nos sibi cōplacēdi cupidos esses, Datū Romæ Cal. Aug. Ann. M.CCCCLVII.

Consolatoria super morte filij, *Epist.* CCCLXIIII.

Aeneas Cardinalis Senensis domino de Rosenberg, S.P.D.

MAgno mœrore affecerūt nos literæ amicorū qbus clarissimū & spectatissimū filium tuū Heinrichū diē clausisse extremū cognouimus. Doluimus certe illū in flore suæ iuuētutis ex hac luce migrasse, cū multa & pro domo tua & pro inclyto regno Bohemiæ facere poterat: tum uero istud molestissimū fuit quod senectuti tuæ & baculum & solamen ereptū esse uidebamus. Sed cum cogitamus animi tui sapientiā, non dubitamus quin consolationem ipse rerum mortaliū usus tibi præbeat. Frequēter accidūt hæc, sæpe filij patres in morte præcedunt, raro est senex qui plures ex suis filijs nō præmiserit. Toleranda sunt hæc, nec dolere cōsilium est, ubi dolor nihil affert præsidij: Acquiescendū est diuinæ uoluntati, omnia Deus in usum meliorē conuertit, nihil ipse perperā, nihil temere agit. Ille sapiens homo est, qui ea uult quæ uelle Deū nouit. Nos filiū tuum in eo statu, in eo tēpore uocatū à Deo nō ambigimus, in q̄ illi melius fuit exuisse hominem. Itaq; quāuis nō dubitamus magnificentiā tuā, quieto esse animo, & ea uelle quæ Deus uoluit, tamē pro nostro officio rogamus ut hæc humana æqua mēte feras, & q̄d restat æui cū reliquis tuis filijs dulciter ac suauiter traducas. Id erit nobis supra quā dicere possumus, acceptū. Diligimus enim sumopere personā tuā, nec obliuioni dare possumus quāta nos charitate in Vienna quōdā cōplectabaris, & deniq; semper nobis ante oculos est humanitas illa atq; urbanitas, quā nobis & Procopio Rabensteyno ostēdisti in Crūmenauu: ita enim nos ardēti charitate, &, ut aiūt, euiscerata dilectione suscepisti, ut omni tēpore nos & tibi et natis tuis, et his q nascent̄ ab illis, obnoxios esse putemꝰ, et hoc quidē ostēdemus si unq̄ sese facultas obtulerit. Reliq̄ referet Nicolaus Creul capellanus noster dilectus quē tuæ Magnificentiæ cōmendamus, cui tanquā nobis Credentiæ, fidem plenam adhibere uelis. Datum Romæ Calend. Augusti, An. M.CCCCLVII.

Post Regiam Maiestatem recommendatam, refert grates Episcopi Varadiensis, de emancipatione, *Epist.* CCCLXV.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ladislao Regi Vngariæ, S. P. D.

CVm superioribus diebus Ioannes Varadiensis Episcopus apud Budā in uincula cōiectus esset, idq; tuo iussu factum diceretur, ægre id mihi duplici de causa fuit. Nam & præsulis integerrimi ac mihi amicissimi infelicitati cōpatiebar, et honorē tuum

parumper

A parumper obnubilari dolebam, cum episcopum de tua Serenitate optime meritum et doctrina præditum singulari tua Sublimitas in carcerem retrusisse affirmaretur. Scripsi itaque mox Excellentiæ tuæ quæ mihi in ea re facienda uidebantur, pro gloria tua, quem admodum fideles famuli benignis dominis suis consulere aliquando solent. Scripsit etiam sanctissimus dominus noster semel atque iterũ Varadiensem pontificem & uirtute & nomine optime præditum intellexisset, non poterat ei (cum indigna ferret) non opitulari. Nescio an huiusmodi literæ tuam Sublimitatem adierint. Illud nũc relatum est, quod tuam hanc curiam gaudio repleuit non sine præcipua & ingenti laude tuæ Sublimitatis. Nam cum episcopus idem non tuo motu, sed aliquorũ potentum impulsu, quibus non facile resistere poteras, in captiuitatem ductus affirmaretur, nunc illud plane dicitur quod innocentem prælatum quem alieno impulsu cœperas, tua sponte solummodo relaxasti, ex qua re patefacta est animi tui innata probitas, & episcopi innocentia liquefacta. Quippe sanctissimus dominus noster, totusque Cardinalium cætus rectitudinem animi tui & singularem prudentiam magnis extollunt præconijs. Ego uero qui eundem episcopum iamdudum uirum probatissimum esse cognoui, eique singulari amicitia sum coniunctus non solum laudo circumspectionem & beneficentiam tuam, sed gratias quas possum tuæ Serenitati ago pro salute homini amicissimo restituta, intelli-

B gens non me minus ea de causa tuæ gloriæ obligatũ quàm ipsum episcopũ. Eram etiã ante seruitor Sublimitatis tuæ multis de causis obnoxius, sed accedente hoc beneficio, nihil est quod iam mihi reliqui sit, quin totum quod possum Maiestati tuæ debeam. Ex Roma Nonis Augusti, Anno M.CCCCLVII.

Captat beneuolentiam & capellanum suum commendatum faciat, *Epist.* CCCLXVI.

Aeneas Cardinalis Senensis, Electo Vratislauiensi, S. P. D.

REuertitur ad partes istas dilectus capellanus noster Nicolaus Creul, Canonicus Vratislauiensis, tibi iam pridem notus, ab eo senties quæcunque apud nos geruntur, & quis animus noster erga te sit, qui & tibi & domui tuæ nobilissimæ tanto magis afficimur, quanto indies præsentis tui fratrum & tua erga nos merita magis recolimus. Itaque non erimus in scribendo longiores. Tantum Dignationi tuæ Nicolaum commẽdamus: Rogantes si qua sunt quæ per nos tui causa fieri possint, ita de nobis cõfidas quemadmodum ueri amici inter se consueuerunt. Datum Romæ Nonis Augusti, Anno M.CCCCLVII.

Mere familiaris, *Epist.* CCCLXVII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Henrico Senfleben, S.P.D.

C PEr Nicolaum nostrum canonicum Vratislauiensem qui nunc in Alamaniam reuertitur, non putamus necessarium esse multa scribere. Ita enim repente facturus est iter, ut multi eum præcessuri sint. Visitabit enim quocunque in loco suo ex more compatres atque commatres; Nec dubitamus eum cum ad te uenerit, quin uoluntates Italicas melius referre quã ab eo discere ualeas. Itaque parcimus uerbis. Tamen rogamus ut in re illa Varadiensis ecclesiæ si quid ei committendum uidetur, id pro tua prudentia facias. Est enim Vratislauiam petiturus, ut ait, & à nobis habebit literas ad episcopum illum Credentiales, ut si opus fuerit eis uti possint. Reliqua ex eo audies quem fortasse licentiatum in decretis habebis. Vale & amicis nostris nos effice commendatos. Datum Romæ Nonis Augusti, Anno M. CCCLVII.

Refert noua Italiæ & se quantulus sit in toto pollicetur, *Epist.* CCCLXVIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Ioanni Cardinali sancti Angeli, S. P. D.

QVæ superioribus diebus apud nos gesta sunt, ea iam per alias literas tuæ Dignationi significaui. Nunc subijciam quæ secuta sunt, exinde scies quod sperãdum sit, quid'ue timendum communi Christianorum causæ. Dominus noster sanctissimus nonnullam aduersus Vrsinos indignationem induit, adeo ut etiam nepotem suum ecclesiasticæ militiæ ducẽ contra illos miserit, castrumque sancti Gregorij ab eis extorserit: nũc cõcordia tractat. Expectamus exitũ rei pacemque magnopere cupimus: Nã bella huic ciuitati caritatẽ annonæ non paruam inducunt. Fuit ipse sanctissimus dominus noster his diebus aliquantisper ægrotus, nunc diuino munere conualuit, cuius pru-

dentia non est dubium, quin reipublicæ salubriter consulat. Nepotes eius qui Patriarcham legatum in orientem secuti fuerant, atque ibi ob quædam malefacta cōprehensi, nudiusquartus rediere, utque se crimine purgent, patriarcham criminantur: sed domino nostro & sacro collegio cognita est illius legati integritas, atque cōstantia, nec sinistri quicquam de eo facile creditur. An autē nepotes ipsi culpabiles sint, ut legati nuncij tradunt, id alij inuestigēt. Ego & accusatores & excusatores eorū æquis auribus accipio. Rex Arago bellū habet cōtra Ianuēses acerrimū, & nūc una nunc altera pars naues in mari perdit, sed ipsa Ianua miro afflicta est, quæ non regis tantū, sed etiam suorum exulū armis premitur. Permus dux eius magno uir animo & manu promptissimus, miseros ciues territat, qui se non alio modo quàm morte imperium positurum affirmat, et nunc hunc nūc alium ciuem ad necem rapit, qui suis consilijs aduersatur. Rex autem per hos dies, ut fama est, insigne oppidum, Scarlinum nomine, in Thuscia lucratus est, si uerum est quod hodie mercatoribus scriptum ferunt: Id erat in potestate domini Plumbanensis. Ob quam rem sunt qui arbitrantur non quieturum Regem, nisi & Plumbini dominio potiatur. Quod si obtinuerit, locū habebit opportunissimum, unde Senensis, Florētinos ac Ianuenses, cum uelit, lacessere possit: atque utinam non ex hoc pax Italica conturbetur, hoc est Italia. Quæ autem in Germania gerūtur, optime nouit Dignatio tua. Cupio scire ubi locorum atque gentium sis, quid agas, quam bene ualeas, & quæ spes sit rebus agendis. Sunt enim qui Dignationem tuam ægrotantem se reliquisse affirmant, quæ res mihi molestissima est. Ea propter suadeo, hortor, & obsecro ut sanitatis curam geras, curesque ut aliquando reuertaris huc lætus & sospes, quod omnes amici tui maxime cupiunt. Ego uero nihil magis desidero quā te in domo tua Romæ sæpe uidere, & alloqui, ac pro ueteri consuetudine, mansuetudine tua & benignitate perfrui. Non offero me Dignationi tuæ, aut familiæ tuæ uel amicis aliquid apud summum pontificem procuraturum. Nam & minimum est quod possum, & Dignatio tua potentissimos Cardinales habet, qui eius negocia fidelissime gerunt: Itaque non est cur mea indigeas opera. Ego tamen quantulus sum, & tuus semper fui & ero. Ex Roma Nonis Augusti, Anno M.CCCCLVII.

Excusatio contra murmur grauaminis Germanicæ nationis, Epist. CCCLXIX.

Aeneas Cardinalis Senensis, Martino Mayer, S. P. D.

IOcundæ nobis fuerunt literæ tuæ: quas in causa decani Moguntini ad nos scripsisti, erant in eis plures partes quibus breuiter respondebimus. Congaudes de nostra ad Cardinalatū promotione nō est ea res nobis dubia: siquidem noster honor tuus honor est, & hāc dignitatē nō minus tibi creditam quàm nobis esse, æquum est te arbitrari, quando inter nos uera est & stabilis amicitia quæ iubet inter amicos omnia æstimari cōmunia. Quippe si quando aliquid occurrerit in quo uel tibi uel consanguineis aut amicis tuis prodesse possumus, ostendemus nos memores esse ueteris beneuolētiæ & dulcis usuræ quam simul in multis locis habuimus. Quæ scripserunt nobis principes electores, & tu etiam pro decano Moguntino non obaudiuimus: nam etsi præposituram Vormaciensem apud nos libenter retinuissemus, concordauimus tamen cum procuratoribus eiusdem decani de permutatione, ut tam dictis principibus quàm tibi & ipsi decano quem iamdudum cognouimus & amauimus, rem gratam faceremus: damus nunc operam ut literæ expediantur opportunæ. Illud aliquātulum durū est, quod in calce literarum tuarum scribis querelas, scilicet, magnas fieri de Romana curia, quæ nationem Germanicam multis incommodet modis. Quatuorque capita tangis. Vnum est quod decreta Constantiēsis & Basiliēsis conciliorū cōpactaque nationis minime obseruentur: & quamuis in hoc articulo omnia contineri uideantur, tamen specificas quod electiones canonicæ factæ non confirmētur, quod magna uis pecuniarum ab his qui beneficia consequuntur extorquetur: quod sub colore indulgentiarum & decimarū uarijsque modis ex Alamania pecuniæ hauriuntur: & denique subiūgis de gratia nostra quā obtinuimus de beneficijs in commendam habendis, quam insolitam esse asseueras. Cogimur ad hæc nō nihil respondere: & in primis quidem fatemur quod scribis inclytam,

scilicet nationē uestrā olim fuisse florentē & suis uirtutibus Romanū imperiū meruisse. Adijcimus tamē & illud excellentissimam beati Petri sedē postq̃ ille martyrio coronatus est, semper Romæ fuisse in qua q sederunt, uicariatū Christi tenuere, clauesq; ligādi atque soluendi penes se habuere, siue Græci, siue Itali, siue Germani aut ex alia gente fuere: nec unq̃ regni cœlestis introire ianuā potuisse, q Romanorū pontificū autoritatē cōtumaciter contēpsere, nec hodie illis gloriandū esse q autoritate ꝑpria leges sibi cōstituūt, qbus ꝑ suo libito Romanæ sedis iussiones spernere possint. Hos em̄ catholica ueritas nisi resipuerint ante obitū, ignis æterni mācipio sine intermissiōe deputat. Fatemur insuꝑ aliquādo in Romana curia quā regūt homines, aliqua fieri quæ digna essent emēdatione, nec dubitamus ipsos Romanæ urbis præsules etiā in quantū homines falli, errare, labi ac decipi posse. Sed ut ad querelas tuas ueniamus, dicimus tibi dignum esse ut cōpactata cū uestra natiōe seruētur: Idq; semꝑ ꝑdicauimus et in futurū ꝑdicare nō omittemus. Siqdē nationi tuæ à qua plurimū sumus honorati, nō minus q̃ nostræ afficimur. Verū cū dicis decreta Basiliēsis cōcilij nō custodiri, idq; putas iniuriosū esse natiōi, indignā dicimus esse q̃relā tuā. Propter decreta enim Basiliensis cōcilij inter sedē apostolicā & nationē uestrā dissidiū cœpit, cum uos illa prorsus tenenda diceretis, apostolica uero
B sedes omnia reijceret. Itaq; fuit deniq; cōpositio facta, in qua nos imꝑatorio nomine interfuimus, eā certā legē dedit, deinde inuiolabiliter obseruandā, ꝑ q̃ aliq̃ ex decretis cōcilij ꝑdicti recepta uidentur, aliqua reiecta. Itaq; nō iuste agis, si ꝑ omnia seruāda esse decreta cōtendis. Sed uenio ad electiōes quas passim cōtēni refers, hoc nos nō inuenimus ita esse ut asseueras: nam postq̃ ex Alamania huc uenimus, plures ecclesiæ cathedrales eiusdē nationis uacauerunt, in quibus uel postulationes factæ uel electiones fuere. De postulationibus nihil est q̄d obijci possit, nā illæ ex gratia pendent etiā uetusto iure, liberūq; est pōtifici maximo eas admittere uel reijcere. Electiones aūt si canonicæ fuerint, compactatorū uigore confirmationē merentur, nec repelli possunt, nisi de utiliori persona. Romanus pōtifex de consilio fratrum suorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinaliū duxerat ꝓuidendum, sed neq; hic est aliqd q̄d reprehendi merito possit. De tēpore dicimus quo Romanam curiam sequimur. Neq; enim (iam biennio tantū est q̄d hic sumus) ulla electio huc allata est, quæ rite & canonice facta cōperta sit. Nam Traiectēsis electio de qua magni rumores habiti sunt, in personā excommunicatā ceciderat: Aliæ uero alios defectus habuere. Itaq; uides non esse cur uestra natio circa electiones iustā querelam habeat. Quod deinde subiungis extorqueri multū auri ab his qui dignitates uel alia beneficia assequuntur, non est cur de hac sede conqueramini, sed potius de cu-
C piditate & ambitione uestrorum hominum, qui currentes pro episcopatibus inuenientes competitores, his quibus palatium patet, certatim pecunias offerunt. Illi uero qui alloqui Pontificem possunt, non sunt omnes similes angelis, sed quales in Almania, Galliáq; multos reperias, recipiunt enim quod offertur, non extorquent: Romanus aūt præsul solus in thalamo suo nunc hos nunc illos audit, & illos promouere solet qui magis commendantur, nec scit nec etiam arbitratur pecuniæ causa hos aut illos commendatione præferri. Nec sibi plus auri datur quàm concordata permittant: nisi fortasse aliquādo occasione expeditionis contra Turcos, aliquando super annata recepit, quod sibi profecto non fuit in tanta necessitate negandum: Habes ergo in hac parte responsionē nostram. De pecunijs indulgētiarum miramur fieri querelam: Nam illæ postquam collectæ fuerant, profecto Romani pontificis arbitrio non alterius erant distribuēdæ. De decimis quoq; credimus non esse indignum quod refers. Nam si aliæ nationes pro expeditione contra Turcos habenda decimas exhibent, non uidemus cur etiam Theutones non contribuant. Laudamus tamen in ea re debitos adhiberi modos. Cæterum cū tota quæstio de pecunia uertatur, dicimus hanc uetustissimam esse querelam, quæ nunquam auferri potuit, semper enim sunt homines pecuniarum auidi, & quodāmodo insatiabiles, qui cum multa lucrari uelint, exponere aliquid sacrilegium putant: nec ulla gens est, quæ animo æquo ex regione sua asportari aurum ferat. Vngari Alamanos ea potissimum causa detestantur, quod in regno suo negociantes multum auri

asportant,

asportant. Eadem querela est Polonorum, eadem Anorum In Alamania quoq; quam plures gentes reperiemus, quarum altera incusant alteram quasi argenti sui extortricẽ: nec curiæ uestrorum Pontificum accusationibus carent. Pater itaq; longe lateq; hoc genus querelarum. Verum quia dicis Germaniã uestram quõdam ditissimam fuisse, nunc uero prorsus exhaustam & omni ære uacuã esse, nos contra sentimus, illudq; audacter dicimus, nunquam Germaniam ditiorem fuisse quàm hodie: nunquam ornatiorem: nunquã armis potentiorem, si uni domino paruerit. Nãq; si legamus uetusta tempora, inueniemus Germanos olim ritu uixisse barbaro, uestibus usos laceris. Venationi tantum & agrorum culturæ dedisse operam, feroces quidem homines & belli appetentes, sed argenti prorsus inopes, quibus quippe nec uini usus erat. Ipsaq; Germania intra mare & Danubium, rursusq; intra Rhenũ & Albim continebat, nunc uero quantũ transgressa sit suos limites, nõ ignoramus. Nã plus ferè est q̃d extra nacti estis in Gallia, Rhetia, Notico, Vindelico atq; in ipsa Scythia seu Sarmatia, quã quod intus habuistis. Quid memoremus nobilissimas urbes uestras & splendidissimas: ditissima templa, opulentissimos principes ac prælatos: certe non uidemus prouinciam esse quæ computatis omnibus uestram superet: Quod si resurgeret aliquis illorum Theutonum qui tempore Iulij Cæsaris uixit, Germaniam peragraret. ut Arionistis, profecto diceret non esse eam terram, quam olim uiderat, negaretq; suam esse patriam, cum uinearum & arborum fructiferarum consitiones, uestitus huiusmodi, urbanitatem ciuiũ, splendorem urbium, tantamq; nitidam politiam apud uos cõtueretur. Verum hanc mutationẽ quis fecit in uobis nisi religio Christi? Cultus quippe Christianæ religionis à uobis barbariem omnem expulit, atq; ita expoliuit, ut iam Græci ipsi barbari, uos autem recti Latini appellari mereamini. Cultum autem salutiferæ religionis si uerum fateri uultis, Roma uobis & apostolica sedes dedit, quæ prædicatores ad uos mittens, idolorũ relinquere cultum, & uerũ Deum colere docuit. Plus est hoc Martine quàm aurũ & argentũ: plus est quod accepistis q̃ quod datis: Itaq; decet uos accepti beneficij memores esse, q̃d quidẽ tantũ est ut nullo posit thesauro cõpensari. Transimus modo ad eã epistolæ tuæ partem quæ nos concernit: Dicis nos & alios plerosq; sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales insolitas apud nos reseruationes habuisse, indeq; multos exoriri rumores. Nos & Metensem olim Cardinalem, & alios nonnullos similibus usos gratius compertũ habemus, & ab illis literarũ nostrarum formam extraximus. Repræhendis quod hæ literæ cõpactatis aduersari uideantur: dicimus nihil in eis esse contra ea quæ concordata uocantur, nisi fortasse illud recenseatur, quod etiam monasteria reseruari uidentur, in quibus electioni locus esse debet. Nos de hac parte abunde satisfecimus domino nostro. Duo enim diximus eius Beatitudini. Primum quod nullius monasterij electionem impedire uellemus: Alterum quod nullum monasterium acceptaturi essemus contra uoluntatem eius principis in cuius ditione situm esset: & ita procuratoribus nostris dedimus in mãdatis. Quod si putas etiã collegiatarũ præpositurarũ electiones cõfirmandas esse, neq; debuisse nos earum reseruationes acceptare, longe falleris: nam concordata ipsa dignitates primas post pontificales & in collegiatis ecclesijs principales apostolicæ sedis dispositioni permittunt, in alijs autem beneficijs inferioribus habet ipsa sedes suos menses. Quod si super huiusmodi beneficijs ac dignitatibus reseruationes obtinuimus, accepimus à summo Pontifice quod nobis concedere potuit sine cuiuspiam iniuria. Sed arbitraris fortasse beneficia quæ in Germania sunt, Germanis potius committi debere quàm extraneis: nec nos aliter sentimus. Sed cum nos iam annis supra XXIIII. Germaniam incoluerimus, non reputamus extraneos existimari debere: cumque Imperatori ipsiq; nationi longo tempore, summa fide, magnis laboribus seruierimus, & nunc ad Cardinalatum recepti, ea curemus quæ nationis ipsius honori atque utilitati conducant, & ita prorsus agamus ut nationi Germani potius quàm Itali putemur, Non iudicauimus tribus illis prouincijs Moguntinæ, Coloniensi, Treuerensi, indignum uideri aut graue censeri, si annuo duo milia ducatorum in eis obtineremus, ex illis beneficijs quæ sedes apostolica conferre haberet. Putauissemus

A tauissemus etiam maiora in eadem natione, cui semper seruiuimus, sponte offerri: sed non sumus nos insatiabiles, contentamur eo quod pro debiti status conseruatione sufficiat nec plura circa hoc. Quod autem operas tuas ad id offers ut gratiæ nostræ fructũ consequamur, agimus tibi gratias qui partes amici non negligis. Idq; rogamus ut interueniẽte casu opportuno prorsus efficias. Scis quæ sit mẽs nostra & quomodo gratiam nostram restrictam esse uolumus: Si qua præpositura uacauerit aut ecclesia parochialis magni redditus, uelis ita efficere ut ad complementum gratiæ nostræ peruenire possimus. Denique requiris an aliquid dicendum faciendum'ue sit circa eam partem qui nationem uestram & apostolicam sedem concernit. Respondemus futurum esse ad principes electores nuncium apostolicum Laurentium Rouarellam, cum eo poteris super hac re plenius loqui, sibiq; cuncta communicare qui pro sua circumspectione nõ ignorabit, qua uia sit in talibus incedendum. Nobis tamen illud consilium uideretur, quod prælati & principes uestri si qua in re grauamina sibi non digna inferri putant, Legatos suos ad Romanum pontificem mittere non postponerent, et qui sunt illa in quibus grauarentur, exponerent, peterentq; debitam fieri reformationẽ. Nam sedes ista pro sua insita mansuetudine uestris uotis (qua quidem ratione subnixa essent) nunquam denegaret assensum. Nos autem etsi parum ualemus, studia tamen nostra semper in eo dirigemus, ut inclytæ nationi Germanicæ dũ æqua postulauerit, mos geratur. Vale optime, archiepisco Moguntino cui pro ueteri noticia sumus affectissimi, effice commendatos. Ex Roma die, VIII. Augusti, Anno. M. CCCCLVII.

B

Congratulatur episcopo Varadiensi è uinculis emancipato, Epist. CCCLXX.

Aeneas Cardinalis Senēsis, Episcopo Varadiensi, S. P. D.

QVantum de captiuitate tua indigna & acerba doluimus, tantũ modo de liberatione gauisi & summopere exhilarati sumus. Quippe non solum Dignationi tuæ cuius bonitas ac innocentia magnifice patefacta est, uerumetiam serenissimo Regi Ladislao cõgaudemus, cuius beneficentia & animi rectitudo indies magis ac magis elucescit. Nanq; sicut nobis relatum est, cum persona tua in arce Budensi retenta fuit, minime animus regius ad eam rem inclinatus erat, sed seduxerũt eum eorum consilia quæ tuæ uirtuti inuidebant: nec Rex adhuc iuuenculus & in regno nouus magnis consultoribus aduersari audebat: cessit furori, loco, & tempori. Illud tamen cauit ne quid in corpus tuum æmuli tui molirentur. Sed nunc quæ sua mens fuerit aperte liquet. Nam qui alieni consilio atq; importunitate Dignationem tuam in carcerem coniecit, idem suapte ingenio libertatem tibi restituit. Ob quam rem nemo est qui non in-

C telligat capturam tuam ab æmulis tuæ probitatis, liberationem uero ac salutem à solo Rege processisse. Est igitur quod & tu Serenitati Regiæ quemadmodum hactenus fecisti, ita & in posterum summa cum integritate seruias: Nos autem & cæteri qui te amamus, gratias referamus, quod nos quidem minime negligemus. Eramus hactenus occupati ut liberationem tuam literis apostolicis & nostris, procuraremus, quas bis regio culmini transmisimus, quarum primas mox intellecta nouitate transmitti curauimus: Alteras uero Laurentius Rouarella nuncius apostolicus secũ attulit. Cui etiam uerbo procuratio tuæ salutis nobis annitentibus commissa fuit. Sed intelligimus eum tuam Dignationem iam restitutam libertati inuenturũ, quod quidẽ gratissimũ est. nã & regratiari Regi quàm supplicare longe est præstantius, & honor tuus maior proculdubio redditur, cum non precibus sed innocentiæ libertatem tuam concessam esse manifeste liqueat. Rogamus igitur deinceps bono animo sis & iocunde uiuas. de nobis uero tanquam de ueteri & fideli amico fiduciam obtineas, sciens quod uotis tuis, quæ quidem nostra in potestate fuerit, nunquã deerimus. Vale & Reuerendissimis patribus Strigoniensi & sancti Angeli Cardinalibus apostolicæ sedis legatis, si quando cum eis conuenies, memoriam nostri facito. Datum Romæ, die. X. Augusti, Anno M. CCCCLVII.

Excusatoria

Excusatoria de grauamine nationi Germanicæ illato, & precatur pacem cum Ladislao inire, & contra Turcos gladium uibrare. Epist. CCCLXXI. D

Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei, Charissimo in Christo filio, Friderico Romanorum Imperatori semper augusto, S. & A. B.

QVamuis apostolicæ sedi sicut placuit altissimo, præsidentes, ea nos semper cura tenuerit, ut inclytæ nationi Germanicæ pro nostra possibilitate cōplaceremus, & omnibus illic ad nos concurrentibus, faciles ac benignas præbeamus aures: Nuper tamen sicut nobis relatum est, nonnulli ex uenerabilibus fratribus nostris ac dilectis filijs nobilibus uiris Romani Imperij electoribus, & alij pleriq; principes ac prælati nationis eiusdem, dieta quodam sine conuentu inter se celebrata, Oratores suos ad te miserunt, qui de nobis, deniq; curia nostra non paruam querelam facientes, inter cætera exposuisse feruntur, quod nos diuersis modis nationem ipsam aggrauantes, quæ inter te nomine nationis & antecessorem nostrum, felicis recordationis, Nicolaum papam V. concordata fuerunt, minime adimplere aut obseruare curemus. Quibus ex rebus & si non dubitemus Serenitatem tuam pro sua erga Romanā ecclesiam eximia deuotione, illorum querelas acriter ac debite confutasse, dignum tamen putabimus super his quæ nobis obijciuntur sinceritatem & innocentiam nostram tuæ Sublimitati perspicuam ac manifestam efficere, ut si quando posthac silices querimoniæ ad tuas aures deferantur, habeas ex nostris literis quod murmurantibus ac detrahentibus hominibus respondere atq; obijcere possis. E Equidem cum nos omnes Christiani orbis nationes benigne quātum cū Deo possumus, tractare curemus, præcipue tamen Germanicos principes ac prælatos singulari quadā charitate & præcipuo ꝓsecuti sumus affectu. Neque enim nos latet quo fauore amplectendi sunt ecclesiarū præsules, & seculi principes honore præueniēdi, ut illos fratrū, & istos filiorū loco sua cuiq; dignitate seruata, habere debemus. Sunt euangelia sacra semper ante oculos mētis nostræ sanctorūq; patrū decreta sedulo in animo uoluimus. Nouimus quid episcopis liceat, quid principes deceat, qd officio summi sacerdotis incūbat. Neq; cordi nostro quicq̃ tenatius hæret, quàm ita sacros canones obseruare, ut idonei ministeriorū Christi dispēsatores inueniamur. Nota est omnibus apostolicæ sedis autoritas, manifesta cuiq; primæ sedis dignitas, uulgata per orbē uicarij Dei potestas, cui dictū est à domino. Pasce oues meas, & q̄dcunq; ligaueris super terrā, erit ligatū & in cœlis: & reliqua quibus in euangelio, Romani præsulis eminētia diuinitus declarat̃. Quibus ex rebus enim est, cur aliquis opera nostra criminari possit, tanq̃ latius euagemur q̃ nobis liceat, aut tanq̃ in alienā messē falcē mittere uideant̃, cū non huius aut illius ꝓuinciæ scilicet uniuersi orbis p̄sulatū in apostolicæ sedis specula cōsecuti sumus. Quæ cū ita sint, scimus tamē eos q uocati sunt in partē solicitudinis nō esse turbādos, suamq; cuiq; iurisdictionē, nisi forsitan abutatur, seruandā esse nō ignoramus. F Ea propter ita nos gerere in hanc usq; diē curauimus, neq; de nobis cuiuis homini querela cōpetere possit, nec putamus aliquos esse qui se læsos aut spretos à nobis dicant, nisi fortasse aliqui fuerint, qui desideria sua non recte metiētes, tūc se contēptos ac grauatos arbitrantur, cum petitionibus eorum iniustis non annuimus. Sed audiuimus rumorem esse tanq̃ nos aurū ex natione tua, supra quā deceat, extorqueamus. Iniuriantur profecto nobis, & à uero longe recedūt, qui talia dicūt: nihil unq̃ nostro nomine ab his extortū est, q̄bus beneficia cōtulimus, ut illi garriunt: Nihil exactū, nihil petitū, præter annatā uetusto iure debitā. at si q cōtra Turcos pecuniaria nobis subsidia obtulerūt, nō recusauimus nec recusare quidē debemus, pro tāta Christianæ religionis necessitate. Pecunias aūt huiusmodi & alias undecunq; uenientes, nō usurpamus nobis, nō recōdimus in archa, non exponimus in iocalibus, nō consumimus in delicijs, scilicet in defensionē fidei cōuertimus, & in oppressione perfidæ Turcorū gentis ad nostrā exterminiū semp intētæ. Innumerabiles sunt & intolerabiles nobis quas indies subimus expēsæ: nūc in Oriente legato classis nostræ, nūc in Albaniā Scāderbechio fortissimo Christi athletæ indefessoq; bellatori, nūc Legatis & Oratoribus in diuersas mundi partes emissis, nunc istis nunc illis per Græciā & Asiā laborantibus, ne destituti periclitarētur, pecunias mittimus:

A timus: nec fuerunt inanes huiuscemodi sumptus. Licet enim nobis in domino gloriari, qui per ministros suos, torpentibus ac penè dormiētibus cunctis fermè Christianis principibus, nobis tantummodo instantibus atque urgentibus Turcorū superbissima cornua & insolentissimas acies apud Vngariam confregit, magnumque illum & potentissimum exercitum prostrauit, qui sibi non Vngariam modo, sed Germaniam totam, Galliam atque Italiam proterere, legemque Christi funditus euertere promittebat. Itaque liberauit dominus populum suum præsulatu nostro, plebemque suam ex ipsis quodamodo faucibus crudelissimi siue immanissimi draconis eripuit: Nunc quoque classis nostra Rhodū tuetur, Cyprum, Mitylenem, Chium, & omnes in Oriente Christiani nominis insulas, quæ sine tali præsidio haud quoque Turcorum nauibus indies incursantibus resistere potuisset, quodque laudabilius est ac diuino nobis munere concessum, non tantum quas diximus insulas, legatus noster sua prudentia & armorum robore tutatus est, sed alias plerasque Turcorum domino seruientes, ad apostolicæ sedis deuotionem obedientiamque redegit, nouissimeque non pauca eorundem Turcorum nauigia ad oppugnandas Christianorum insulas exeuntia, potenter inuasit, debellauit, in potestatem recepit. Nec Albania ingruentes Barbarorum impetus proximis diebus inclinare potuisset, nisi nostrarum interuenissent pecuniarum auxilia, quæ Schanderbechio misimus. In his B nos rebus pecunias consumimus: in his profundimus quicquid undecunque corradere possimus auri uel argenti: honorem Dei non nostrum quærimus: pro salute populi nobis commissi laboramus, non pro priuata utilitate nostra. Curamus ne nostro tempore Christianum nomen spurcissimi Turcorum pedes conculcare possint. Sed non sunt hæc onera quæ nos soli portare queamus, uel sedes Apostolica ualet per seipsam tolerare, facimus tamen quod possumus, & quiescentibus alijs qui nobis auxilio esse deberent, instamus, acceleramus, urgemus, nihil omittimus ex his quæ facultates nostræ permittunt. Necessaria nobis detrahimus, ut incumbēti necessitati pro parte nobis possibili subueniamus. Quæ cum ita sint, audient tamen nonulli parum quidem religiosi, & ad commune bonum minus intenti, nos redarguere, quod ab his pecunias recipimus, qui promouentur, quamuis sponte ablatas in classem contra Turcos emissam. Quod quàm iniquè agunt iam plane prospicis. Sed aiunt plerique concordata, de quibus mētionem supra fecimus per nos minime obseruari, affirmantes electiones Episcoporū aliorumque prælatorū nos paruipēdere, ac prorsus abijcere, quod pari modo, neque uere, neque iustè nobis obijcitur, neque enim electiones prælatorū in Germania factas quouis pacto contemnimus, neque ex cōcordatis omnes passim electiones cōfirmare tenemur, sed illas tantūmodo quæ Canonicæ experiūtur, quod quidem à nobis diligenter custoditū est. Nunquā enim aliquā electionem reperimus esse Canonicam. Viros aūt quāplures C illis ecclesijs siue monasterijs præfecimus, in quibus electis etiam minus Canonice prætendebantur. Quod si aliqui sunt qui confirmationem petentes non obtinuerint, sunt autem paucissimi, sciant se idcirco ex sua petitione cecidisse, quia nec Canonica fuerat eorū electio, nec promotio ecclesijs ad quas uocabantur, fuisset utilis. Potestate autem illa, quæ nobis ex diuino atque humano iure simulque concordatis, ex prædictis competit, prouidendis ecclesijs de persona magis idonea, etiam si Canonica in illis electio facta reperiatur, adhuc non sumus usi, nec uti proponimus, nisi ex magna & urgētissima causa. Super reseruationibus autem cæterisque beneficiorū prouisionibus, & quibus similiter accepimus quærelas coram tua Serenitate fuisse propositas, non sumus memores aliqd à nobis esse concessum contra concordata prædicta. Quod si quid tale factū est, ut sæpe in multitudine literarum ac negotiorum aliqua transeunt, neque bene gesta, neque bene reuisa, non est intentioni nostræ aut ordinariorū mensibus derogare, aut concordatis ipsis contrauenire. Quinimo quamuis liberrima sit Apostolicæ sedis autoritas, nullisque debebat pactionum uinculis coërceri, ex mera tamē liberalitate nostra, ex zelo quem gerimus ad pacem, ex charitate qua te tuamque nationem prosequimur, concordatis ipsis locum esse uoluimus, nec patiemur ea temere uiolari, dum Romanæ sedis gubernacula retinebimus. Si quid præterea est, quod ipsi nationi molestum uideatur, ex his quæ pro

deunt ex nostro solio, idq; fortasse dignum emendatione censetur, possumus enim & nos, ut homines aliquando labi atq; errare in his maxime quæ facti sunt, non decet episcopos, aut alios quosuis mortales super Apostolicam sedem autoritatem sibi uendicare, aut illos imitari quoquo modo, qui pessimo more detestabiliq; exemplo in perniciem ecclesiasticæ hierarchiæ, in confusionem mystici corporis Christi, in animarum suarum ruinam, leges sibi constituunt, per quas licitum sibi esse arbitrantur Apostolicæ sedis mandata contemnere, ac pro suæ uoluntatis arbitrio ecclesiastica disponere, spiritualiaq; negotia. Nam qui talia præsumunt, alieni sunt, Deum patrem suum appellare non possunt, qui matrem ecclesiam recognoscere nolunt, sed tanquam membra, uel putrida, uel arida, à reliquo corpore recidi debēt. Nulli enim permissa facultas est, ut contra Romanam ecclesiam omnium fidelium matrem ac magistrum recalcitrare possit, uel se ab illius imperio subtrahere. Cōmendandus est una in domo pascalis agnus, manere oportet in archa regnante diluuio, cui cura est ne pereat. Vnus Deus, una fides, unum baptisma. Vnus Christi uicarius in terris est, qui cœlos bene merentibus aperit, claudit autem malignantibus. Si quis autem arbitratur secum non bene agere Apostolicam sedem, recurrere ad eum debet, grauamen suum exponere, remedium petere, nūquam pia mater filiorum desiderio deerit, quod uiderit ad salutem eorum pertinere. Et tu ergo serenissime imperator, si quid arbitraris tuæ nationis prælatos habere, quod per nos emēdari debeat, admone eos, hortare et urge ut ad nos uenientes, suas nobis necessitates exponāt, grauamina referant, desideria proferant. Nam uotis eorum quæ à rationis tramite nō discordent, tanto libentius annuemus, quanto confidentius eos ad nos recursum habere uidebimus. Cæterum quia charissimum in Christo filium nostrum Ladislaum Vngariæ ac Bohemiæ Regem illustrem nondum recōciliatum tibi esse percepimus, sed adhuc inter te atq; ipsum lites esse feruntur peringētes, quamuis non dubitamus pro tua te sapientia ea duntaxat, seu quærere, seu uelle, quæ sint æquitati ac iustitiæ consona, quia tamen discordia uestra tanto magis nos angit, quanto magis Christianæ reipublicæ damnum resultat, Serenitatem tuam rogamus, ut ante tuos ponas primum, cum quo cōtendis, & ubi contendis, quia cum carne tua, cum sanguine tuo, cum fratre tuo, & in domo tua, in agris paternis, in hæreditate auita bellū geris, in quo nec perdere, nec uincere tutum est. Cōsidera quod tu Imperator es, aduocatus ecclesiæ, protector fidei Catholicæ, primus inter seculi principes, primus qui arma pro defensione religionis nostræ induere debeas. Considera quod tu ille es, in quem omniū Christianorum oculi coniecti sunt: qui si (quemadmodum tibi ex officio incumbit) aduersus imperia Turcorum gentem arma promoueris, uniuersos ferme reges ac principes ut te sequātur, prouocabis, labentemq; rem Christianam magnifice subleuabis. Sin uero domi manseris alijs occupatus curis, nemo erit qui bellum Christi gerere uelit, erisq; tu ipse causa, cur nostro tempore fides Catholica negligatur. Intellexisti quæ fecerunt Turci superioribus annis, ut Cōstantinopolim Orientalis imperij caput, ac totius Græciæ columen inuaserunt, ut urbes quā plurimas incenderunt, ut Christianum sanguinem effuderunt, ut altaria euerterunt, ut sanctorum reliquias pro canibus obiecerūt, ut imagines Dei nostri gloriosæq; matris eius, aut lanceis effoderunt, aut sputis lutoq; deturparunt. Scis quæ nunc cogitant, quæ parant, quæ moliuntur: nullum illis studium ardentius, nulla cura propensior est, quàm ut ea agunt per quæ possint Christianam gentem funditus perdere: uincula, uerbera, neces, fidelibus omnibus comminantur. Prope est eorum gladius, & adesse festinant tempora, & tu interim ac patruelis tuus arma, quæ merito in hostes fidei uerterentur, contra subditos & uasallos uestros exercetis. Dices fortasse quieuissem nisi me magna necessitas impulisset, sed paratæ fuerunt insidiæ mihi, hæreditas meo in periculo posita est, coactus sum arma pro defensione capescere, inuitus pugno cum sanguine meo: Possibile est, quod ais nihil inficiamur, age sint uera quæ refers omnia, sit iustissima tua causa, at iustius est pro Christo pugnare & maior necessitas est hæreditatem Christi quàm tuam defendere. Si tua perit, est adhuc ubi salueris: Si perit Christi hæreditas (quod tamē nullo pacto futurum putamus) & tuam hæreditatem præire oportet, Christianæ reipublicæ fundamen-

A fundamenta corruere. Cogita igitur de communi periculo prius, & maiora minoribus antepone: Exquirito omnes uias, quibus cum patruele tuo quantum sanguine iungeris, tantum dilectione & affectu sincero copuleris, nec illi imputes, quoquomodo quæ per alios ætati teneræ subgeruntur. Audiuimus dilectum filium nobilem uirum Ludouicum Bauariæ ducem inter te & ipsum patruelem de pace acturum in Austriam descendisse. Credimus & dilectum filium nostrum Ioannem Cardinalem sancti Angeli Apostolicæ sedis legatum, quemadmodum sibi scripsimus, eisdem tractatibus inter futurum. Age flecte animum & amplectere bona mente concordiā: noli omnia quæ tibi debentur exquirere: esto contentus his quæ potes obtinere: nec graueris pro bono pacis de tuo iure pauca dimittere. Deus pro cuius causa pacem accipies, maiora tibi retribuet. Commendabunt omnes tuam sapientiam quæ furori temperantiam, arrogantiæ humilitatem, duriciei mansuetudinem, tenacitati largitatem obiecerit. Sit finis aliquando ciuilis & intestinæ discordiæ, ut tandem cum patruele tuo recōciliatus, & tu & ipse cæteriq; Germanicæ terræ proceres, quorum consueuit in armis esse inuicta uirtus, unitis iam uiribus ac concordibus animis in Turcos militaria signa feratis, infelices Christianos qui per Græciam captiui merentur, à iugis seruitutis eximatis, ac regiam ciuitatem quæ de Constantino Cæsare nomen habet, quàm turpiter pridem amissa fuit, tam gloriosè recuperetis. Hæc scripsimus tuæ Serenitati non sine fiducia singulari, pro ea qua tibi &
B inclytæ nationi tuæ ingenti Charitate sumus affecti. Tuum est ut hæc tam bono animo recipias quàm sunt à nobis optimo corde prolata. Datum Romæ apud sanctum Petrū pridie Calend. Septemb. Anno M. CCCC LVII. Dictata per Aeneā Cardin. Senensem.

Excusat ratione se preces non posse exaudire, *Epist.* CCCLXXII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Bartholomæo Etensi artium & medicinæ Do- *ctori Physico Archiepiscopi Moguntini, S. P. D.*

REddidit nobis Vigandus literas tuas quæ gratissimæ fuerunt tuam bonam ualetudinem indicantes. Voluissemus petitioni tuæ morem gerere, sed nos non decet cōtra primarias preces Imperatoris aliqd attentare, quia illas impetrauimus & sæpe defendimus, & Imperatoriæ Maiestatis honorē tueri debemus, qui ab illa promoti & magnificati sumus. Si qua alia in re possemus tibi complacere, esset id nobis uoluptati. Vale ex Roma, die XXVIII. Octobris, Anno M. CCCCLVII.

Certiorem reddit amicum largum esse animum sibi complacendi, *Epist.* CCCLXXIII.

Aeneas Cardinalis Senensis, Nicolao Arzimboldo, S. P. D.

QVamuis raras ad te literas dederimus, nam hæ secūdæ sunt, postquam Cardinalatus honorem consecuti sumus, nihil tamen minus te amamus & reueremur. Est indelibilis memoria illius dulcissimæ consuetudinis, quam simul Florētiæ ha
C buimus. Recordamur quanto fauore nos Mediolani dum legatione Cæsarea fungeremur, prosequebaris. Neq; obliti sumus eorum quæ Romæ in coronatione Imperatoris unà agitauimus. Quæ omnia suauissimam mihi reddunt recordationē tui nominis. Ad hæc accedunt amplissima in me merita Casparis Schlick Cancellarij Cæsarei, quæ suis necessarijs & amicis mirum inmodum nos obligatos tenent. Hæc scribimus semel pro multis uicibus, ut scias nobis animum esse complacendi, & tibi & tuis omnibus. Nam quotiens tuo nomine requireremur, totiens in memoriam charissimi amici non sine uoluptate quadam reuocamur. Ex te aliud nihil petimus, nisi ut nos ames ex ueteri consuetudine, & illustrissimo principi duci Mediolani cōmendatos efficias: Cuius clarissima uirtus omnem inuidiam superauit. Vale ex urbe Roma IIII. Nonas Decembris. Anno M. CCCCLVII.

Respondet Francorum Regi super materia episcopatus Tornacensis, *Epist.* CCCLXXIIII.

Pius Episcopus seruorum Dei Charissimo in Christo filio Carolo Regi *Franciæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

QVæ ad nos de conditionibus Tornacensis ciuitatis tua Serenitas scripsit, non diffitemur ita esse ut scribis, abundans enim multitudo populi est in regni tui cōfinibus, quæ mansit in tua & progenitorū omniū seculis multis, præbetq; tibi opportuni-

portunitate loci cõmoda permulta & magna. Quod uero adiungit ecclesiam ipsam promissam tibi in personã Cardinalis Constãtiensis fuisse, in eo uel tua Maiestas informata uere non est, uel qui de ea nos cõpellarunt, respõsa nostra interpretati bene nõ sunt. Viuentium beneficia cuiquã promittere mos noster non est, nec fuisse in hunc diẽ (adiutore Deo) meminimus. Recordamur Oratoribus dixisse cum uacare illã cõtingeret, rem facturos de qua contentari merito posses, daturos autem cui uelles eam ecclesiã, nec diximus unquam, nec cogitauimus. Adueniente tamẽ obitu translati episcopi, facere Maiestati tuæ rem gratam in animo gessimus, per obitum nõ uacauit. Senex grandæuus incõmoda multa perferre in ea ciuitate nõ ualens, precatus est illuc robustiorem trãsferri. Fuit iusta & pia eius petitio. Raræ uel nullæ supplicationes huiusmodi à sede apostolica solent repelli. Si doles hominẽ duci Burgundiæ subditum illic esse præpositũ, minor culpa hæc nostra est quã fuerit prædecessorum nostrorũ, qui plures Burgundos illic statuerunt: Nos rem nouam non fecimus, ueterem & usitatã sumus secuti. Hoc quoq; ad trãsferendum Tullensem proniores nos fecit, quod sicut Serenitas tua intelligit, tota Tornacẽsis diocœsis sub dominatu est Burgundorũ, nec putamus uideri inconueniens posse, si ex dominio illo daretur episcopus, intra cuius limites maior est & amplior iurisdictionis illius pars. Nam quod tua Serenitas quærit, & his & alijs rebus se cernere cõmoda regni tui & cõsanguineorũ tuorũ nobis parũ cordi esse, in hoc credimus euenire tibi q̃d nobis: ut enim tu cõplaceri tibi à nobis sæpe nõ putas, sic nos sæpe exaudiri à te uota nostra non cernimus. Non tamẽ propterea de tua in nos uolũtate sinistrum aliquod credimus, cogitamus semper causas tibi aliquas esse propter quas nõ fortasse posses quæ uolumus. Accusamus necessitatem mente, & animo æquissimi sumus. Par officium à te requirimus, charissime fili, nec uellemus quotiens tibi obtemperatũ non est, totiẽs de animo nostro iudicium faceres. Meminimus in gratiam tuã multa fecisse, honore tuo multa multis dedisse. Si semper nõ dedimus, nõ semper esse Apostolica sedes potest ut uult. Multa illã circunspicere oportet multa metiri. Ita semper actiones suas dirigere, ut reddere illarum rationem Deo & hominibus possit. Postremo quod nobis denũcias te permissurum nõ esse ut idẽ Tullensis Tornacẽsis ecclesiæ præsit, Nihil in hoc aliud respondemus, nisi Maiestatẽ tuã sane intelligere quod Regẽ Catholicũ deceat. Et nos constanter sperare te, si factum nostrũ diligẽtius cõsiderare uolueris, nihil dissimile à claris progenitoribus tuis esse facturum, quos nõ minus ueneratio in Ecclesiam Dei, & obedientia in sanctam sedem apostolicam quã cætera gloriosa facta, illustrarũt. Ipsam aũt trãslationem cum facta solenniter sit, mutare sine repræhensione non possumus. Vnum à te petimus charissime fili, ut detractorib. sedis Apostolicæ semper nõ credas, multa illorũ passionibus tribuas, pro certo habeas nos Serenitatem tuam amare: illi cum possimus, obsequi cupere, nec prætermissuros unquã occasionem aliquam esse, in qua tuæ bonitati placere cum Deo possemus, quod si in aliquo præiudicatum tuis iuribus putas, parati sumus tuæ Celsitudini iusticiam cum omni benignitate administrare: Datum Romæ IX. Decembris, Anno LX. Pontificatus nostri, Anno tertio.

Ad eundem in eadem causa, Epist. CCCLXXV.

Pius episcopus seruus seruorum Dei charissimo in Christo filio Carolo

Regi Franciæ illustri, S. P. D.

NIsi tua signata manu & tua fuisset impressa sigillo, nunquam tuã putauissemus epistolã quã tuo nomine Michaël Secretarius tuus nouissime ad nos detulit. Multa enim continet quæ à tua prudentia & tuo scribendi more uidentur aliena. Sed neq; portitor, neq; signum, neq; subscriptio patitur ut tuas literas esse dubitemus, quæ tanquam abs te missæ redditæ sunt, eas ob res cogimur respondere, & nostram excusare innoocentiaiam. Neq; enim nos sumus, qui uel tuam Serenitatẽ, uel alium quempiam odio persequamur, aut odij causa quicquam agamus. Nos quidem tuam mansuetudinem semper amauimus, semper magnificauimus, semper obseruauimus, cũ propter maiorum tuorũ gloriã & magnifica gesta, tum propter modestiã & religionẽ quas in te sitas didicimus. Neq; sane unq̃ in animo nostro fuit quicquã agere q̃d tibi aut incõmodũ esset

A esset aut molestũ, sed aliter tibi persuasum est, ut scripta tua ostendunt tam nobis quã sacro collegio, nostro directa. Ignoscat his diuina bonitas qui talia suggerũt, quorum magnum est peccatum, summa iniquitas, mala mẽs, malus animus. Illorum est qui tuam excellentiam aduersus nos irritare aut cõmouere nituntur: similes illis sunt qui filium tuũ à te alienarunt: illi enim carnalem patri filium abstulerunt, hi uobis spiritualẽ auferre nituntur. Sed minime obtinebunt si tuam cõstantiam & moderationem retinebis, & nostris uocibus auscultabis quæ non tam nostræ sunt quã Dei & filij eius Christi, cuius uicariatum non nostris meritis, sed sua dispensatione in terris gerimus. Audi ergo nos fili, & in charitate accipe quæ ad tua scripta respondemus. Scribis de Tornacensi ecclesia, ad quã trãslatum esse Tullensem episcopum haud æquo animo fers, putasq́ tibi iniuriã factam, quod preces tuas nõ exaudiuerimus quas pro Cardinali Cõstantiæ ad nos porrexisti, & plurima subiungis, quæ paulò post capitulatim attingemus. Sed priusquã hoc agimus, rem gestam accipe: sic enim et tua & nostra causa melius cognoscetur. Fuerunt Oratores tui uel bis, uel ter priusquàm uacaret ecclesia Tornacensis, dixerũtq́ nostrum antecessorem ecclesiam ipsam dispositioni suæ reseruasse, ut contingente uacatione illi prouideret de persona tibi accepta: petieruntq́ ut nos idem efficeremus, cum tuæ solennitatis plurimum interesset in ea ciuitate quæ tua esset. Episcopum præsidere tuæ Maiestati fidum & acceptum. Idem egere nobiscum ducis Burgundiæ Legati non semel, sed
B iterum atq́ iterum, dicentes diocœsim Tornacẽsem fere totam & redditũ maximam partem in potestate ipsius ducis consistere, ad quẽ magnopere pertineret episcopũ Tornacensem eum creari qui sibi amicus & charus esset, propter magnas & opulẽtas Flandriæ ciuitates uicinas Anglicis, in quibus status sui robur continetur: adijcientes retroactis temporibus, maxime à LXX. annis citra nunquam in ea ecclesia præfuisse, q non ex charis ducis Burgundiæ fuisset: & quod unus aliter promotus ab Eugenio tandem translatus extitit ad ecclesiam Narbonensem, cum pace illic potiri non posset. Intelleximus rem utcũq; arduam atq́ perplexam, nec uel tuis, uel ducis Oratoribus quicquam certi promisimus, sed negãtes nostri moris esse pro aliquo nominatim ecclesiã cathedralem reseruare respondimus contingente uacatione nos ecclesiæ illi ita prouisuros ut nulli causa querelæ merito esse debeat. Cumq́ tui Oratores pro Constantiensi Cardinali reseruari ecclesiã peterent, Burgundi uero pro episcopo Traiectensi diximus, à parte nulli duas ecclesias cõmissuros prout ipse efflagitabant. Hæc sunt promissa nostra, hæc acta uobiscum sunt ante uacationem, eratq́ nostrum desiderium, ut nunquã hæc uacatio nostro tempore intercideret, cum uideremus absq́ turba & molestia huic ecclesiæ prouideri non posse. Verum nobis Senas ex Mantua reuersis reddita sunt authentica scripta & mandata, per quæ Tornacensis & Tullensis episcopi ex iustis causis desiderabant inui-
C cem ecclesias suas designare, & ad alterutra transferri. Admisimus nos resignationes, & translationes fecimus de fratrum nostrorum consilio. Deinde cum Viterbij essemus, antequã translationes prædictæ effectũ sortitæ fuissent, nũciatus est nobis obitus episcopi Tornacensis, cõmisimus causam, ut fit uni Cardinali, & facta est relatio in cõsistorio, libere & grauiter omnes fratres nostri sententias suas dixere: placuit omnibus Tullẽsem episcopũ ad ecclesiã sic uacantẽ transferri: nihil sine consilio & matura sine deliberatione fratrum egimus, omnia eis aperuimus, quæ uel tui uel alij Oratores in hac causa exposuerant, quanquã per sese cũcta nossent, fecimus hanc translatiõnẽ suadentib. fratribus quorũ aliqui affirmauerunt Tullensem olim episcopũ tuæ Serenitati & fidelem acceptũ esse, ac per eius medium tibi ut duci Burgũdiæ cõplacitũ iri. Cumq́ pater ille antiquus, qui multis annis cũ laude Tornacensi administraret ecclesiæ, in extremis uitæ sponsæ suæ de hac persona prouidendũ esse censeret, non uidebatur eius uel uotũ, uel consiliũ spernendũ. Fecimus ergo hanc prouisionem, nec uidimus aut fratres nostri uiderũt pensata loci & temporũ qualitate utilius posse ꝓuideri. Quod si hæc tuæ serenitati nõ placet, nõ est tamen quod ea in tuam contumeliã facta esse diiudices, cũ nos te amemus & honoratum semper esse uelimus. Sed iam ad partes tuæ epistolæ reuertamur eisq́ quoad possumus satisfaciamus. Dicis in primis te nunquam cessaturum quousq́ tua deprecatio ex

auditur. Non oportebit te diu contendere si ea petieris quæ cum honestate cōcedere ualeamus: est enim lucrum nostrum cum tibi cæterisq; Regibus iusta petentibus complacemus. Dicis te loqui de re tui dominij. Iurisconsulti duplex dominium tradunt, Alterū directum, alterū utile. Ciuitas (ut aiunt) utroq; iure ad te pertinet: diocœsis directo tantum. Nam utile ducis est quod multipluris faciunt, nec tua Excellētia episcopatibus hactenus uim fecit, qui in ducatu Burgundiæ uacauerunt: quamuis asseras, & uere asseras principatum illum, sicut & Flandriam à tua corona dependere. Dicis te instare pro Cardinali, pro persona digna & benemerenti. Nihil contra personam eius dictū est: Laudamus hominē, & quouis honore dignum censemus, cui Cardinalatus insignia misimus, rubrum pileum. Quamuis ægreferimus, si uerum est, quod aliqui retulere, eum scilicet, in tua curia non uti Cardinalatus insignibus, quasi non acciperetur cum honore decenti, quod si ita est, decet tuam Excellētiam quæ dicit se Cardinales amare, in hac re ita prouidere, ne dignitas Cardinalatus in tua curia minor uel abiectior, quàm in alijs uideatur. Dicis non decere Cardinalem pati repulsam. Non patietur si ea petierit quæ absque alterius iniuria cum Dei beneplacito cōcedi possunt. Dicis ecclesiam fuisse reseruatam, & rem hāc prædecessore nostro Calixto præcōcessam. Cum Calixtus obijt, omnia eius promissa interierunt: si uixisset in hanc diē tibi mos gestus esset, nunc de eo nihil possumus iudicare, sciunt docti reseruationes suas ad nostra tēpora non extendi. Dicis tuos Oratores impatienter à nobis auditos fuisse & uacuos remissos. Si legati nostri ita in tua curia benigne uiderentur & audirentur sicut tui in nostra, multo frequentius quàm faciant nuncij nostri ad te accederent. Sed tui quotiens uolunt die noctuq; nos adeunt, & quæ uolunt dicunt: nostri uix pluribus in mensibus copiam habent, nec à tuis curialibuss benigne uisuntur. Quanquam tua Maiestas in omni audientia modesta est, & perhumana. Nescimus quis ille est, qui se dicat à nobis impatienter auditum. Duo Cardinales ex tua natione interfuerunt, quando ultimum in hac re Oratorem audiuimus: Rothonagensis, & Auinionensis, ipsi testari possunt, quia usque in finem omni cum mansuetudine hominem audiuimus. Quanquā respondendo aliqua eius uerba parum moderata repræhendimus: Remisimus illū uacuū in petitione tua, sed plenū in suis. Nā gratias quas à nobis petiuit, cūctas intuitu Serenitatis tuæ cōcesimus, libētius tuas quā suas audiuissemus, sed rei difficultas nō patiebatur. Ille cum satisfacere tibi non posset, satisfecit sibi, & immemor acceptæ gratiæ nos criminatus est. Dicis neq; Adrianū Caroli magni, neq; Leonē, Otthonis ita intercessiones renuisse, ut nos tuas repulimus, & quod nemo consecrabatur episcopus nisi laudatus & inuestitus à tuis prædecessoribus. Quid fecissent illi duo Romani Pontifices in hoc casu nescimus, q̄d fecimus ipsi scimus, & facti nostri rationem reddere possumus. Carolus & Ottho Romani imperatores fuere, & hoc priuilegium à Romana sede obtinuerūt q̄d refers propter ingētia merita, & q̄a ita tēpora poscebāt & Arrianorū aliorūq; hæreticorū factiones quas imperatoris malleo conterere oportuit: Sed cū priuilegiū uergeret ad noxā, reuocatū est, & successores illorū Imperatorum illi renunciauerunt in cōuentu Vormaciēsis. Nā sicut Ezechias serpentē æneum à Moyse erectū in hæremo abstulit, idq; conflauit, quoniā idolatriā inducebat. Ita & priuilegia auferenda sunt, quæ propter utilitatē publicam concessa inueniūtur esse damnosa. Subiungis quod neq; Calixtus, neq; Nicolaus, neq; alius simile aduersus te agere attentasset eius quod nos fecimus. De mortuis non est nostrum iudicare, quid facturi fuissent in humanis agentes, nos certe aduersus te nihil ex proposito egimus, nec tibi aduersi sumus, neq; acta nostra attentata dici debēt, quæ fiunt in senatu Apostolico, in loco quem dominus elegit in prima mūdi sede, in beati Petri adiutorio, in ipsius saluatoris tribunali. Videant ne ipsi attentores sint qui nobis resistunt, & decreta nostra impugnant, & Apostolicis aduersantur mandatis. Dicis præter spem tibi euenisse, quod in re tam honesta aduersantem Romanum Pōtificem &c. Vide quid dicas, si tu id uis quod Papa non putat faciendum, non Romanus Pontifex tibi aduersatur, sed tu ei aduersaris, & patri ac magistro tuo cōtradicis, cuius est de honestate iudicium longe magis quātuum. Dicis si tandem ita fiet ut ceptum est, te non ab re putaturum aduersus te conceptum

ptum

A ptum ordium. Absit à tua bonitate ista hæc cogitatio: quæcunque agemus in iustitiæ trutina suspendemus, & nos nonnunquam aut odium aut gratia ex tramite recto deturpabit. Mitte has suspitiones, neque his aures adhibeto, qui pessimum uirus tuis auribus instillare conantur. uelis cuncta pensare, neque hominibus suæ rei affectatis neque etiam tibipsi credito. Audi uiros Deum timentes, & an liceat tibi iudicare sedis apostolicæ iudicia, plene, cognosces & intelliges, nihil nos in tuam ignominiam aut molitos esse aut moliri uelle. Adijcis tandem bona & digna bono Regi uerba. Absit, inquis, inter quos decreta patrum pacem & charitatem seruari uolunt, scintillam crescere dissidij. Idem uotum nos facimus, nec nostra culpa inter te nosque unquam suborietur dissidium. Faxit diuina pietas ne castam tuam & piam mentem delatores eludant, & ne tibi falsa pro ueris ostendant. Dicis te obsequentissimum & obedientem sanctæ sedis Romanæ filium. Hic petimus ne moleste pauca feras patris uerba: audies uerba charitatis & fidei, neque mouearis, si amaritudinis aliquid habent, dulcia fient & suauissima si bono corde audientur. Dicis te filium obedientem. parce fili si hoc parum pernegamus: si filius obedientiæ es, cur pragmaticam sanctionem tenes atque defendis? Eugenius te hortatus est ut illam dimitteres qui non est secundũ Deum, Idem petijt Nicolaus, idem rogauit Calixtus: tres Romani pontifices sancti ac uenerandi patres modo nuncijs & legatis nunc literis te rogauere, ut pragmaticam relinqueres magni in ecclesia dissidij ac mali, tamen B nunquam audiuisti in hac parte uocem ecclesiæ Romanæ. Vbi ergo tua obedientia? ubi religio? plus regni tui aliquibus prælatis quã Romanæ fidei auscultasti. loquimur cum fiducia sine felle, sine arrogantia: amor in te noster loqui urget. Deus in terris per filium suum Iesum Christum crucifixum apostolicam sedem erexit, & primum ac summum tribunal esse uoluit: nulla potestas est quæ huic æquari possit. hæc de omnibus hominibus ac dignitatib. iudicat, eam solus iudicat Deus. Non est de grege dominico qui Romanum pontificem suum esse pastorem negat. Audi quid dicat Dominus: qui non colligit mecum, dispergit. Certe cum Christo non colligit qui cũ uicario eius non seminat. Pragmatica sanctio quam tui subditi obseruant, non est ex apostolico semine, quippe quæ neque autoritas apostolica, neque consilij generalis alicuius autoritate firmata est. Nam & si decreta aliquorum consiliorum in ea inserta sunt, & pontificum sanctiones, nihil tamen ita repertum est ut promulgatum fuit, sed uel additiones factæ sunt, uel mutilationes, quod prælatis tui regni facere haud quaquam licuit, & sine damno animarum suarum illis uti non possunt. Tacemus quod multa laicalibus manibus pragmatica concedit, quæ neque humana neque diuina iura permittunt. Patere hæc dici fili, neque inuitus audias ueritatem: tui aliquando antecessores pragmaticam ferme similem ordinauerunt: uidentes id sine sede apostolica facere non posse, abstinuerũt. Sequere uestigia maC iorum tuorum, & dimitte hanc pragmaticã quam Christianissimi tui antecessores ignorauerunt: & si quid est quod reformandum sit in ecclesiastico regni tui statu, consule apostolicam sedem quæ tuis honestis desiderijs nunquam deerit, atque hic modo filium te obedientẽ & obsequentissimum appellare uerissime poterimus, simulq; tibi consules & regno. Dicis te nunquam preces porrexisse nobis nisi honestas. Mutantur tempora & negandas reddunt multis ex causis, & multa faciem honesti habent quæ diligentius inspectã iniustitiam continent. Addis te ad iniuriam recepturum nisi quæ postules, impetres, iniurius eris ipse, si sine causa te passum iniurias dixeris, & præsertim ab ea sede quæ mater est iustitiæ et æquitatis. Postremo per amicitiam, per charitatẽ, per pacẽ quam erga te seruare debemus, multopere rogitas, ut precibus tuis annuentes, Tornacnesem ecclesiam Cardinali Cõstantiẽsi cõmittamus, & Tullensi episcopi translationẽ reuocemus. Nõ egemus tot adiurationib. aut tot precib. nostrapte natura tibi morẽ gereremus, si res ipsa ferret (sed audiuisti quomodo res gesta) iã Tullẽsis translatus est ex cõsilio uniuersi senatus apostolici, et suæ ecclesiæ alter pfectus, quomodo fiet quod petis sine iniuria. Iã uero uetũ est ut parti qsitũ ius sit: id sine causæ cognitione auferri nõ debet. Quod si (ut Oratores tui dixere et literæ tuæ sonãt) piudiciũ tibi factũ putas, et hãc trãslationẽ iure

æstimas reuocandam, iudicium tibi rectum æquumq; afferimus. Causa hæc de maioribus est & ad sedem Romanam pertinet, persuade tibi, & nullatenus dubites: si causa cognita inuenerimus ita esse ut arbitraris, facile obtinebis ab hac sede quæ uoles: Nihil enim magis optamus quàm tuæ Serenitati per iustitiam complacere. Hæc ad tuas literas, ad ea quæ Secretarius tuus exposuit, non censemus respondendum. Ea enim dixit quæ de tua mente nullo modo esse putamus. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno incarnationis dominicæ *M. CCCCLXI. VIII.* Calendas Aprilis, pontificatus nostri Anno *III.* D

Hortatur Burgundiæ ducem, Oratoribus principum Asiæ uotiuum præbeat auditum de Passagio contra Turcos conanter,
Epist. CCCLXXVI.

Pius episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio nobili
Duci Burgundiæ, S. & A. B.

INualescente magno Turco fidei Christianæ aduersario, & infinitos pene Christianos Saluatoris nostri Iesu Christi sanguine in crucis patibulo abunde effuso liberatos in suam seruitutem redigente felicis recordationis prædecessores nostri, maxime Nicolaus quintus et Calixtus tertius curā assumpserunt, ne Turcus iste præualeret pro uiribus prouidendi, & quia sperabant in Europa posse tantum efficere, quod Reges & principes Christiani se uoluntarios & fideles Christi milites in hoc necessario tempore ostenderent, quisque eorum ad Asiam et Orientis partes misit dilectum filium Lodouicum de Bononia, fratrem Ordinis minorum de obseruantia regulari, ut is pro sua prudentia rerum locorum hominumq; notitia Christianos Orientis, & alios Christianorum amicos excitaret, ad faciendum similiter arma contra Turcum. Nos autem cum in prædecessorum prædictorum labores diuina ordinatione successimus, Mantuam accedentes, simili spe ibidem Christianorum exercitum aduuandi, eundem fratrem Ludouicum misimus cum instructionibus opportunis Christianos & amicos Christianorum concordandi, & ut in Turcos eos uires coniungerent incitandi, data ei spe nos in Europa nullatenus defuturos. Accedens frater Ludouicus omnia sibi per nos commissa diligentissime & prudentissime est executus, qui ut optimam illorum Regum & principum obedientiam & deuotionem quam habent ad hanc sedem apostolicam, intelligere possemus, curauit secum aduenire dilectos filios Michaëlem Imperatoris Trapessundarum Nicolaum Regis Persarum, Costopam ducis Georgione Mannethē Assenbech Soldani Mesopotamiæ Morathum Verbrecht in Armenia dominum, Oratores & nuncios, qui nobis literas attulerunt suorum dominorum exprimentes fauorem ad præsumptuosissimi Turci destructionem, & simul motiuam nostrorum desideriorum executionem. Quoniam uero talium Regum & principum conclusiones ad honorem Dei & fidei nostræ tuitionē tendunt, ideo uolumus tuam Serenitatem participem fieri, ipsisq; iniunximus ut cum præfato fratre Ludouico nuntio & Oratore nostro ad tuam ueniant Celsitudinem, & singula quæ nobis uerbo & scriptis responderunt, plene referant. Desideramus itaq; à tua Excellentia ut tam ipsum Ludouicum quàm ipsos Orientalium Oratores etiam nostra contemplatione ad tuam admittas audientiam, & suorum dominorum ad ea quæ Christi sunt deuotionem attente consideres, attendatq; tua nobilitas, quod non minus quàm Orientis Reges, obligatur ad similia & maiora in cōmunis hostis destructionem pro uiribus impendenda, & de hoc nos ac ipsos simul & totam ecclesiam ratam & consolatam reddes, eosdemq; quantotius ad nos remittas uotiue expeditos. Commisimus autem dicto fratri Ludouico ut nostro nomine Celsitudinem tuam reddat certiorem, nos in omnibus Mantuæ ordinatis pronos & paratos sine defectu futuros quantum ad nos attinet, quinetiam ultra quæ ibi conclusa sunt, & nos cōcernunt omnia nobis possibilia in Dei laudem adijciemus. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno incarnationis, *M. CCCCLX.* Idibus Ianuarij, pontificatus nostri anno *III.* sic signatum A de Hirspato.

E

F

Hortatur

A *Hortatur contra Turcum agere bellum, & refert quanto auxilio potentissime Hierusalem obtinere, & eum Regem terræ sanctæ constituere, Epist. CCCLXXVII.*

Illustrissime dux Burgundiæ, Ego Dauid Imperator Trappessundarum post plurimam salutem, libenter ad te scribo de his quæ hic apud nos occurrunt, ut cum certior factus pro tua religione et amore erga fidem nostram possis deliberare quid tibi agendum sit. Nuper enim ego & reliqui Christiani principes, qui in istis summis regionibus fœdus atque ligam iniecimus inter nos, bellum gerendi contra Turcos, & ego filiam Cathoianis fratris & prædecessoris mei uxorem dedi Asembech, qui filius fuit Carailuch potentissimi principis. Et hoc feci ut ipse firmus sit & fidelis in liga quam nobiscum fecit, & ut perseueret in bello gerendo contra Turcum qui tenet Constantinopolim cum quo bellū iam gerere incepit, multasque illi regiones & oppida pugnādo cœpit quæ prope confinia sua erant: nunc uero reuersus est in patriam suam. Itaque nos & ipsi parati sumus & expectamus aduentum uestrum contra infideles, quemadmodum dominus Papa ad nos scripsit, & per suum Oratorem nobis significauit, quod uos Latini principes debeatis inire concilium in ciuitate Mantuana ut faceretis exercitum contra infide-
B les. Quod si facietis, nos parati sumus. Ego cum XXX. biremibus & cum XX. milibus hominum. Asambech promptus est exire ad bellum istud cum quinquaginta milibus hominum ad bellandam & subigendam Bursiam & totam Nataleam. Quapropter rogo illuminatissimam dominationem tuam ut placeat tibi dare aliquod principium huic bello ex partibus Vngariæ. Nam si uos aliquod impedimentum etiam paruum Turco inferetis, ut ipse ad diuiuersas partes distrahatur, nos adeo ipsum urgebimus ex latere nostro, ut facile destrui & debellari possit. Et si dominatio tua deliberat ad hoc intendere & uenire, & aliquem tuorum mittere, nos omnes Orientales principes promittimus tibi præstare omne auxilium, opem, & quicquid in nobis erit ad recuperandam Hierusalem, & te illius Regem cōstituemus. Et ut scias qui simus, qui cōfœderati sumus, & hoc tibi promittimus. Ego in primis qui paratus sum (ut dixi) cū XXX biremibus. & XX. milibus hominum: Georgius Rex Persarum promptus est cum LX. milibus hominum: Gorgora dux Georgianæ paratus est cum XX. milibus equitum. Bendiam Rex Mirigreliæ cum suo filio promptus est cum LX. milibus hominum quod illi facile erit: Rabia cum suo fratre & suis baronibus cum XXX. milibus hominum. Natio Githorum & Aranorum, promittunt militare sub uexillo Georgij Regis Persarum. Dardebech dominus Armeniæ minoris cum X. milibus hominum. Asambech affinis meus (ut dixi) infidelis
C promisit nobis dare transitum, & personaliter uenire cum quinquaginta milibus hominum. Sunt etiam nobiscum confœderati duo alij infideles domini, Caromanus & dominus Sinoppi, qui continue quærunt quomodo possint se uindicare de Turco Cōstantinopolitano, & terras suas recuperare. Aliud impræsentiarū ad Dominationē tuam non scribo, nisi quod cōmendo tibi Michaëlem de Algeorij Baronē et Oratorē meū quem ad te mitto, cui fidem plenam super istis rebus adhibeat, qui uerbis omnem intentionem et deliberationem nostram exponet. Iterum te oro ut ne permittas hoc nostrum pium negocium et inceptum frustra fieri, quoniam à Deo factum credimus. Ego ex illo tempore quo amicitiam contraxi cum hominibus tuis, qui ad has partes peruenerunt, semper mihi agnitus es, tuique honoris, et dignitatis fautor semper fui eroque. Vale in Christo. Data Trapessundæ in palatio nostro residentiæ. Anno Domini M.CCCCLIX. Die. XXII. Aprilis.

Assertio

Assertio præmissorum, & declarat ligam Orientalium principum contra Turcum, Epist. CCCLXXVIII.

Illustrissime dux Burgundiæ, Ego Gorgora dux Georgianæ *mitto ad te plurimam salutem.*

QVoniam intellexi te esse fidelissimum Christianũ, & desiderasse semper aliquid agere quod honori & amplitudini esset sanctæ fidei nostræ sicut tui fecerunt antecessores, ideo multum desidero tuam habere amicitiã. Nam ego Christianus sum, & pro defensione & amplitudine illius sanctissimæ fidei mori cupio, nec quicquã libentius facio quàm bellum cum infidelibus gerere, maiorum meorum uestigia & consuetudinem imitando. Post enim obitum patris mei multa cum illis bella gessi, & sæpissime gratia Dei de illis uictoriam habui, multas ciuitates ipsorum debellãdo cœpi, & nisi his superioribus annis bella quædam inter me & aliquos principes Christianos finitimos meos orta fuissent, maiora profecto cõtra infideles gessissem. Sed impræsentiarum quantum mandato domini, uidelicet Ludouici nostri patriarchæ pacem feci cum omnibus Christianis finitimis meis, omnino decreui omnem meam facultatẽ & uires omnes adhibere contra Turcos, & quemadmodũ promisi domino patriarchæ nostro, ego personaliter cum XX. milibus equitum ad hoc bellum contra infideles aggrediar, quod ut facilius fieri posit, non solũ pacẽ sed fœdus & ligam feci cum omnibus principibus Christianis qui in istis sunt regionibus, ut communibus copijs Turcum, qui tenet Constantinopolim, inuadamus. Confœderati enim sumus ego & Georgius Rex Persarum, Dauid Imperator Trapessundæ, Bendian Rex Mirigreliæ, Rabia dux Anocasie: Bedebeth dominus Armeniæ minoris, & alij domini Orientales. habemus etiam nobiscum in nostra confœderatione III. potẽtes principes infideles, qui Turci Cõstantinopolitani sunt inimici, Caramanum, scilicet & Asmailberch filium quondam dispendiarij, & Assembech filium quondam Carailuci, qui Assembech cum confinia habeat ex ista nostra parte cum Turco Constantinopolis promisit nobis dare aditum, ad inuadẽdum Nataliam, & nobiscũ personaliter uenire cum omni sua potentiã, & in primis capere ciuitatẽ Bursiæ, ut illã possideat pro se, & potiatur, omnes nos capitulis & pactionibus cõclusimus cum hac scilicet conditione, ut ipse sit super amicissimus christianorum. Et si uos Latini principes & populi uenietis ad recuperandam domum sanctam Hierusalem ipse debeat præstare uobis omne quod potuerit, auxilium & fauorem. Quamobrem nos hæc omnia pacem ac ligam ex parte nostra fecimus, quæ à quingẽtis annis citra in his nostris regionibus non sunt audita: idq; fecimus persuasi, tùm autoritate domini patriarchæ nostri, tùm literis domini Papæ quib. ad nos scripsit, se & omnes principes Latinos in ciuitate Mantuæ debere conuenire, & ibi congregato concilio in exercitum præparare contra infideles. Nos uero quia id uehementer cupimus, ut possimus uos unà nobiscum unire ad hanc rem perficiendam, mittimus nostros Oratores cum domino patriarcha nostro, ad uos omnes principes Latinos, & præsertim ad te, quoniam accepimus te & omnes de domo tua diu multumq; desiderasse terram sanctam recuperare, & ut possitis ex ipsis nostris Oratoribus intelligere quem animum habeamus omnes ad hoc negocium fidei, & quid per nos actum sit hoc tempore. Cupimus etiã & rogamus ut nostros Oratores certiores faciatis, ut ipsi postea referre possint an parati sitis & prompti sumere hoc bellum iustissimum, ut sciamus quo tempore ad arma progredi debeamus. Hoc unum uobis pollicemur in una æstate debellare & auferre totã Nataliã, & quicquid dominus Othonianorũ, id est ipse Turcus Constantinopolitanus possidet ex nostro latere. Alteram uero partem dominij sui quæ Græcia est, quam mare Euxinum diuidit, uobis expugnãdam relinquimus, quod uobis facile erit: nã ipse Turcus in medio positus duorũ exercituũ cum resistere minime poterit, cito succumbet, & nomen suum è terra delebimus. Quas ob res te ante omnes alios principes Latinos oro, ut super hoc uelis cogitationem & curam suscipere, & non sinas hanc commoditatem quam uobis offerimus præterire, nec dedigneris nos imitari qui omnibus rebus postpositis fidei utilitati intendimus & uacamus. Quod si hanc rem (quod absit) neglexeris, nihil à nobis actum esset.

A esset, nam hac conditione nos obligati sumus ad hoc bellum, si uos domini Latini unà nobiscum eritis, Alioquin soluti sumus ab ista liga & confœderatione. Omnia enim nostra Concilia & rationes dependent à literis domini Papæ, per dominum Patriarcham ad nos allatis, quas ueras esse præposuimus. Et finaliter hoc uno considerato, quod si hoc tempore cum à nobis sitis adiuti nihil facietis, hic iniquissimus Turcus interim tantas uires & animos sumet, ut quando ipsi resistere uolueritis, nullo modo poteritis, & omnes nostri conatus, si uos non respondeatis, inanes forent, eritq; ferè impossibile iterum nos in istis regionibus tam pronis uoluntatibus uniri sicut nunc sumus. Multa essent dicenda quæ per meum Oratorem poteris agnoscere, cui fidem indubitatam præstare poteris, habeasq; eum oro cōmendatum. Vale in Christo. Data in Carceche, Anno M. CCCCLIX. Nouembris.

Assertio prædictorum, *Epist.* CCCLXXIX.

ILlustrissime dux Burgūdiæ, Ego Georgius Rex Persarum te plurimum saluto, & ut intelligas quæ res gestæ sunt impræsentiarum per nos in Oriente, istas literas ad te scribo. Scias igitur me omnes principes Christianos qui moramur in istis regionibus fecisse inter nos pacem & fœdus ac ligam, & coniurasse inuadere cum omni nostro conatu & potentia Turcos: sed præsertim illos qui sunt in Constantinopoli, quoniam sunt
B Christianorum inimicissimi. In qua quidam liga nos singuli apparatum & copias nostras obtulimus. Ego promisi personaliter exire cum XL. milibus hominū: Dauid Imperator Trapessundarum obtulit & paratas habet XXX. biremes cum uiginti milibus hominum: Bendian Rex Mirigreliæ omnem suam potentiam exhibuit: Gorgara dux Georgianæ personaliter ueniet cum XX. milibus equitum: Rabia dux Anocasiæ cum suis fratribus & baronibus promisit nobiscum, & ipse ueniet cum omni sua potentia: Berdebech dominus in Armenia minori pollicitus est ad hanc nostram expeditionem XX. milia hominum. Sunt etiam in dicta liga, & alij populi Githiarani & Sasoni, & tres domini potētes Turci, qui promptissimi sunt mouere bellum domui Othonianorum, hoc est Turco domino Constantinopolis, quorum est unus Taramānus, alter Ismailbech filius quondam stipendarij, tertius Aliembech Rex Mesopotamiæ filius quondā Carailuci, qui & potens & capitalis inimicus Turci Constantinopolitani est paratissimus adimplere omnia quæ promisit. Quæ quidem omnia supradicta inter nos capitulis, pœnis, & alijs uinculis promisimus, rataq; fecimus hac, scilicet conditione adiecta, si uos Latini uos mouebitis, & nobiscum unà eritis ex uestris partibus bellum Turcis inferendo: alioquin si uos non intenditis hoc bellum suscipere, nos ad exoluenda ea quæ promisimus, nullo modo sumus obligati. Quamobrem rogo ut omnibus rebus postpositis, uelis ad hoc bellum intendere, nec te distrahant, aut diuertant à tam sancto proposito
C alia quæcunq; sint obstacula, quemadmodum ego feci, qui si difficultatibus quæ mihi occurrebant, intendere uoluissem, nunquā domino Patriarchæ nostro paruissem, cuius opera & mandato hæc nostra liga & concordia inter nos facta est. Nunc uero licet in quibusdam rebus temporalibus mihi damno hæc concordia fuerit, tamen contentissimus sum illud peregisse, cum spirituale à Deo præmium propter hoc expectem. Impræsentiarum aliud ad te non scribo, quoniam mitto ad te Oratorem meū unà cum domino Patriarcha nostro, cuius uerbis fidem adhibeas, quoniam ex ipso omnia poteris cognoscere, habeasq; eum commendatum, & ut des illi tuas literas responsionis te oro, ut possim intelligere tuam sententiam & opinionē. Vale in Christo. Data in castris nostris prope tentorium. Anno M. CCCCLIX. die V. Nouembris.

Oratio Legatorum Orientalium principum ad ducem Burgundiæ ad bellum contra Turcum congregandum, *Epist.* CCCLXXX.

ECce Magi uenerunt ab Oriente ad stellam quā uiderunt in Occidente. Si hodierno die, Christianissime princeps, de priuatis rebus aut parū necessarijs essem apud tuam dominationem uerba facturus, non auderem profecto sine animi commotione quadam aut fortitudine dicere. Non enim ignarus sum quanta tuæ Celsitudinis diui-

na

na ſapientia toto terrarum orbe celebrata ac diuulgata, & meæ tenuitatis minime ſum oblitus. Cæterum quotiens breuis huius orationis noſtræ neceſsitatem & publicam ſanctiſsimæ religionis utilitatem mecum conſidero, totiens animi timorem atq; formidinem abijcio. Vellem noſter religioſiſsime princeps, ut dignitati ac magnitudini rerũ de quibus impræſentiarum agitur, par eſſet oratio & ingenium. Sed quoniam neceſsitate muneris mihi iniuncti id recuſare non potui, fretus incredibili benignitate ac ſapientia Dominationis tuæ, quæ acumine ingenij ex paucis multa percipere ſolet, utcunq; potero dicam. Et dicam breuius quàm tanta res dici poſsit, quid ſcilicet afferant, quid petant hi clariſsimi Orientalium principum Oratores, quos apud dominationem tuam aſtare uides, & tuam præſentiam auguſtiſsimam intueri. Magnificus dominus Michaël de Alguri Orator ſereniſsimi domini Dauid Imperatoris Trappeſſundarum excellẽtiſsimus conſul, Nicolaus Orator Georgij Alexandri magni Regis Perſarum diligentiſsimus in rebus agẽdis, Mahometus Mahometiſta Orator Aſſerimbrech Turcumani Regis Meſopotamiæ infidelis ſtrennuus miles: Cuſtodam Orator bellicoſiſsimi Gorgoræ ducis Georgianæ literatiſsimus: moratus Vautberch Armeniæ minoris Orator: Et in primis religioſiſsimus pater & dominus, dominus frater Ludouicus patriarcha Anthiocenus, Orator ſanctiſsimi domini noſtri Papæ, qui quoniam ab ineunte ætate in regionibus Orientis uerſatus ſit, tanto uſu rerum diuinarum & humanarum pollet, ut conſilio & autoritate ſua (qua plurimum ualet) apud illas exteras nationes effecerit, ut omnes uniuerſalem pacem & unitatem amplecterentur, & huius legationis potiſsima cauſa fuerit. Sed quia propter moram diuturni temporis quo apud illas gentes uerſatus eſt, non recte tenet uſum & cõſuetudinem Latini ſermonis, licet in alijs linguis ſit peritiſsimus, & ipſi Oratores ſint Latinæ linguæ penitus expertes, idcirco uoluit & mãdauit ut ego uice omnium mea uoce Latinè eorum ſententiam explicarem. Mihi uero cauſam aduentus eorum ad D. tuam diligentius conſideranti, nimirum illud euangelicum dici poſſe uidetur. Ecce Magi uenerunt ab Oriente ad ſtellã quam uiderunt in Occidente, non aurum, non thus, non myrrhã (quæ caduca ſunt) afferentes, ſed alia quedam multo maiora deferentes, pacem ſcilicet & unionem cum occidentalibus denuntiantes, Chriſtianos ad communem fidei noſtræ defenſionem & amplitudinem exhortantes, & te ad decus & ad gloriam & immortalitatem tuæ domus illuſtriſsimæ exuſcitantes: Ad ſtellam in quam ueniunt occidentalem, hoc eſt ad tuam D. quæ cum fidei lumen Chriſtianiſsimũ ſemper extiterit, tum uero iſtis diebus tanto ſplendore effulſit, ad orientem uſque choruſcans, tum fama peruulgatiſsima omnium gentium & nationum, tum prædicatione R. D. patriarchæ ut orientales principes & nationes illuminans, noua conſilia inire, nouaſq; res moliri pro amplitudine ſanctiſsimæ fidei Chriſtianæ docuerit, & Oratores ſuos clariſsimo lumine ad tuam uſq; præſentiam auguſtiſsimam perduxerit, & (ut ſperamus) ampliſsimo lumine uniuerſum orbem illuſtrabit. Non enim caſu aut repentino quodam cõſilio uel temeritate aliqua ducti, hi Oratores ab illuſtriſsimis principibus eorum & populo miſſi ueniunt ad D. tuam, ſed matura deliberatione & diuina diſpoſitione ducuntur. Nam quemadmodum Magi illi ab oriente ad ſaluatorem noſtrum Deũ uerum & autorem religionis Chriſtianæ peruenerunt, initium ipſius ſurgentis fidei ſignificantes, ſic ex eiſdem regionibus principes ad te Dei noſtri uerum imitatorem, pium, pacificum, & religioſum principẽ, patronũ & cõſeruatorem illius ſanctiſsimæ fidei confugiunt, proclamant, & inuitant, ut pro uetuſta conſuetudine tua unà ſecum non ſolum illam tuearis, quæ à Barbaris ignominoſe uexatur & laceratur, ſed exonerare & amplificare uelis, et domum ſanctã Hieruſalem à fœdiſsima infidelium ſeruitute liberare, quemadmodum eam ſuperioribus temporibus religioſis uiris coli inhabitariq; curauiſti. Nã licet nonnulli principes Chriſtiani, pace eorum dixerim, regio nomine Hieroſolymitano ſoleãt inſigniri, tu tamen ne uerbis ſed re illum titulum iampridem tibi attribuiſti ac uendicaſti, tum aſpera contra infideles gerendo bella, tum Chriſtianos homines ibi degentes ac commorantes opibus annuiſq; ſumptibus ſuſtentando. Sed cum hæc luce meridiana clariora ſunt, & in ore omnium gentium & nationum uerſentur, non ero impræ-

ſentiarum

sentiarum in his exponendis occupatus. Veniam ad sanctã piamq; deliberationẽ prin-
A cipum Orientalium, qui superioribus annis, tum propter antiqua odia quæ inter se exer
cebant, acerrima gererent bella, tum autore & persuasore R.D. patriarcha pacẽ & unio
nem expetiuerunt, fœdus ac ligam omnes icerunt, & tum contra cæteros christianæ re-
ligionis inimicos, tum maxime contra truculentissimũ & immanissimũ Turcum Con-
stantinopolitanum christiani nominis inimicissimum, admirabili quodam cõsensu con-
iurauerunt, quàm facile se deliberat uros hoc tempore pro comperto habẽt, si modo ex
istis occidentis partibus bellum uel paruum illi moueatur. Cogitantes igitur ipsi princi-
pes diu multumq;, ad quem potissimũ occidentis principẽ pro tanta re peragenda mitte
re deberent, occurrebat in primis illustrissima D. tua, quæ multa pro fide & christiano-
rum utilitate cõmuni, clarissima sanctissimaq; facinora peregit. Itaq; cõmuni omnium
utilitate attinet sententia, postquam rem maturè inter se examinauerunt, cõmunibusq;
copijs maximum exercitũ comparauerunt, nonnullisq; principibus infidelibus. Turci
tamen Constantinopolitani inimicissimis, secũ adscitis, ac confederatis, decreuerunt tan
dem mittere suos oratores cum literis & nuncijs ad omnes principes occidentis: sed in
primis ad illustrissimam potentissimamq;. D. tuam tanquam ad autorem & principem
huius belli felici auspicio gerendi. Mãdaueruntq; ipsis Oratoribus, ut primo denunciẽt
tibi quid ipsi principes in oriente perfecerint: Deinde te orent & protestentur ut cum sis
B sacri baptismatis fonte renatus, & Christi Saluatoris nomine insignitus, & inter christia
nos principes maximus ac potentissimus, tantæ commoditati tibi diuinitus oblatæ dees
se nolis, imo ad defendendum & amplificãdum christianum nomen cum summa laude
& gloria nominis tui te promptissimum ac benignissimum præbeas. Hæc magnanime
princeps, oblatio non est profecto contemnenda, nec ullo pacto negligenda, in tãta præ
sertim animorum gentiũ omnium orbis terrarum cupiditate, atq; ardore belli suscipien-
di, contra impijssimos hostes Saluatoris nostri Iesu Christi, & uiolatoris gentium. Ve-
rum, quia Christianũ nomẽ è terra delere & penitus extinguere omni conatu uiribusq;
nituntur, nec aliud commodius tempus expectare oportet, ecce remotissimæ gentes à
nostro climate se offerunt, orant, obtestãturq; (quod nunquam auditum nec lectum su-
periori tempore ausim affirmare) teipsum eligunt Orientales, inter tot principes occi-
dentis, te omnes principes, te omnes populi & nationes occiduarum partium sequen
tur, te deniq; omnes Christiani sitibundo pectore & accincti armis expectãt: tantũ prin
cipio opus est. Adeo enim Christianorum omnium animi quos audiuimus ad hoc iustis
simum bellum suscipiendum sunt parati atq; inflammati, ut si principium aliquod fiet, in
gens & incredibilis hominum multitudo confluet ad militandum sub fortissimis signis
ac uexillis illustrissimæ. D. tuæ. Quid dicã de sanctissimo nostro pontifice Pio .II. homi-
C ne (ut omnibus perspicuũ est) ingentis animi ac sapiẽtiæ, qui pro suis in republica Chri-
stiana meritis, nunc in terris pro altero colitur Deo, profecto dies noctesq; nil aliud co-
gitat, nil aliud molitur nisi quo modo, qua uia, quibus medijs Turcum ipsum immanissi
mũ aggredi possit. Cuius quidem rei testimonio sunt & clarissimæ legationes, quas ut
primum pontifex maximus declaratus est, ad omnes orbis terrarum principes & natio
nes diligentissime misit, & ipse præter ualetudinem suam asperrimo hyemis tempore di
missa urbe Mantuam se contulit, quo facilius ibi celebrato concilio, comparatisq; singu
lorum principum & populorum copijs, contra conatus impij Turci insurgeret. Princi-
pio itaque opus est: Qui igitur hoc principiũ faciet, non principiũ tãtum sed totam rem
perfecisse uidetur. Sed hec & huiusmodi, illustrissime princeps D. tuæ pro tua singula-
ri sapientia consideranda relinquo. Reuertar nunc ad Oratores nostros, nihil ipsi postu
lant, nec pecuniã nec subsidiũ regionum suarum, sed ut tu, quem Occidentales sequen-
tur ex Vngariæ oris atq; confinijs Turco Constantinopolitano bellum inferas. Ipsi ue-
ro orientales ex alio latere Turciæ (quam Nataliã appellant) ipsum urgebunt adeo ue-
hementissime, ut uirtute duorum exercituum ex diuersis lateribus pressa ceruice, ma-
nus uictas præbere cogatur. Sed de hoc satis: Nam quod ipsi petant, quid offerant, quid
quid polliceantur, quam etiam res sit facilis, si modo aliquid principium iaciatur, satis

certioratam D. tuam & literis & uerbis arbitramur. Itaque ne idem sæpius recensendo aures tuas in rebus arduis occupatas uidear obtundere, illa consulto prætereo. Illud uero quod proprium est huius orationis nostræ & uotum ac desiderium omnium Christianorum, minime prætermitto, orare, scilicet & obsecrari ut animi tui religionem & pietatem erga Deum nostrum (quam semper in pluribus difficilibusq; rebus ostendisti) nunc gloriose princeps, pro fide, pro salute omnium Christianorum animum ostendas: suscipe patrocinium fidei sanctissimæ: Sentiant & male experiantur hostes crucis, potentiam & felicitatem tuam in re militari. Et ut finem aliquando faciam, cum nullus sit præter te cui huius belli gerendi prouincia sit demandanda, qui pietate, religione, quam non minus fortuna & potentia quàm sapientia, & ingenio atque magnitudine excellis, qui denique rei militaris gloria omnes facile superas, qui scis paci imponere finem, & parcere subiectis, & debellare superbos. Incumbe oramus per immortalem Deum ad hoc suscipiendum, defende religionem & fidem Christianam ab incursibus Barbarorum: Vindica sanguinem tot Christianorum humi sparsum, & quod magis dolendum, animas tot fidelium Christianorum in spurcissimam ac fœdissimam sectam Mahometi prolapsas atque in posterum inuenturas ad fidem sanctissimam reuoca, barbaricum impetum ac rabiem inauditam, quam ritu ferarum omni humanitate sublata, in Christianos truculentissimè sæuitum est, compesce atque contere. Neque eo animo quo aduersus alios hostes pugnare soles, sed cum indignatione quadã atq; ira, uelut si seruos tuos contra D. tuam repetere uideres. Vlciscere etiam aliquando princeps iustissime, tantam ignominiam immissam Christiano populo & Saluatori & Deo nostro, qui ut nos redimeret, præciosissimum ac sanctissimum sanguinem effundere non dubitauit, in direptione inclytæ olim urbis & nunc infelicissimæ Constantinopolis. Expugnata enim, & in seruitutem redacta ipsa urbe, quæ fœdissime ac crudelissime gesserũt truces canes, quanta cædes & cruor manauerit, dictum incredibile est. Homines partim trucidati, partim acerbissimo seruitutis iugo subacti sunt: templa Dei religiosissima polluta, & tetro Mahometi ritu fœdata: sanctorum statuæ in frusta diuisæ. Imagines uero parietibus depictæ partim luto, partim stercoribus deturpatæ, & in primis ipsius beatæ Mariæ Virginis & matris, ut fide digno testimonio accepturus es, imago, per hoc nefas ignominiose tractata, altaria diruta, reliquiæ martyrum porcis obiectæ, sacerdotes occisi, matronæ & puellæ ipsæq; sacræ uirgines raptæ. Nobiles urbis inter uina & epulas ipsius Turcorum ducis crudelissimè iugulati: simulacrum Saluatoris nostri in crucè pendentis, in derisionem atque contemptum sputo, luto ac fœditate iactatum. O fides, o pietas, quis hæc crederet? Sũt tamen et hæc, & multo nephãdiora in opprobrium fidei nostræ ab illis canibus gesta, nec quicquam augendæ crudelitatis confictum est causa, sed sic se res habuit, ut ut ab his qui tantis facinoribus interfuerunt, fideliter est relatum sanctissimo D. nostro summo põtifici, et sacro collegio Cardinalium. Sed quid uetera recensemus? quasi desit aliquid indignum recenter et nudius tertius ab ipsis perpetratum: quotidie de Christianis triumphant, nouas uillas oppidaq; nanciscuntur, non enim contenti sunt uictoria miserrimæ urbis Constantinopolis, ubi contra ius fasq; superbe imperant, crudeliter dominantur, sed in nos nephanda dictu moliuntur, noua consilia in pectore suo uolutant, ut proprium sibi constituant imperium, leges commutant, et sua sanciunt, omnia iura diuina et humana peruertunt, atque contaminant, Christi uero cultores et eius morte et sanguine redempti, ad decus et ad libertatem nati, et animo quo uicti esse solent, quàm turpissimè per uim per arma sub seruili atque intollerabili iugo premuntur. Quas ob res inuictissimè princeps, si contra furorem et rabiem insurgas, primum à Deo immortali cuius res agitur, supra quàm humana lingua dici posit, mirum in modũ glorificaberis: Deinde amicis tuis, et his qui pro tua Celsitudine te colunt et obseruant, charior indies efficieris: Inimicis uero tuis (si qui fortasse sint) terrorem et formidinem non paruam incuties. Et demum Deo nihil acceptius, nihil in terris præstantius, et maximo Christianissimoq; principi dignius agere posses, quam omnia missa facere, et omni cura et cogitatione de omni republica Christiana bene mereri. Omnes profecto Christi cultores qui sunt,

A sunt, quique futuri erunt, ut grati, ut memores, ut iure optime esse debebũt, gloriæ ac sapientiæ tuæ fauebunt, & quod reipublicæ Christianæ tantum consilij, ingenij tui ostenderis, in tanto ac tam communi bono. immortales atque ingentes gratias habebunt, nomenq; tuum ad sydera tollent. Adde etiam quod si iuxta Philosophorum sententiã omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum est in cœlo definitum locum esse, ubi beati sempiterno æuo fruãtur, quid tibi pijssimo ac Christianissimo principi pro maximis atque amplissimis meritis in rempub. debebitur? Profecto immortalia atque simul perpetua utriusq; uitæ præmia cõparabis. Et stella quæ in Occidente clarissima uisa est, quæ semper in fide christiana resplenduit, Orientales illuminabit, & Oratoribus iter ostendet, & perenni lumine uniuersum terrarum orbem illustrabit per infinita seculorum secula. Amen.

Conatur ducem Burgundiæ instigare contra Palatinum Rheni & episcopum Moguntinum propter trium principum captiuitatem, Epist. CCCLXXXI.

Pius episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio nobili uiro *Duci Burgundiæ, S. & A. B.*

B SCripseramus superioribus mensibus charissimo in Christo filio, Friderico Romanorum imperatori Augusto quàm potuimus accuratius, ut causam defensionis ecclesiæ Moguntinæ amplecti uellet, ac operam daret liberationi uenerabilis fratris nostri Georgij episcopi Metensis, & directorum filiorum Caroli Marchionis Badensis, & Vdalrici comitis Virtenburgensis, qui superiori, æstate rebus aduerse gestis à Friderico comite Palatino Rheni capti extiterunt: Requisiuimus suam Serenitatem ut aggredi uellet hæc opera in quibus & laudem & gloriam sibi parare posset. Rescripsit nobis nuper sua sublimitas, animumq; promptum quidem & optime dispositum demonsttauit. Adiecit autem inter cætera nonnulla de peruerso proposito Palatini prædicti, eumq; accensum contra honorem nostrum & Apostolicæ sedis esse significauit, quodque post inducias Nurenbergæ initas inter ipsos idem Palatinus astu & dolo nonnullis principibus & prælatis ac communitatibus se coniungere & colligare nixus est eo consilio, ut apostolicam imperialemq; dignitatem pro damnabili sua libidine confundere & pessundare posset. Suadet Imperator obuiandum esse tantæ iniquitati, & ad conseruationem utriusque dignitatis præ cæteris unam & expeditam uiam nobis obtulit, qua uia una opera occurri possit malignitati Palatini & complicum, & liberatio episcopi Metensis, aliorumq; captiuorum procurari. Ea est ut nos simul cum ipso Imperatore communi nomine nobilitati tuæ aut dilecto filio Carolo nato tuo, contra Palatinum & Ditherum de Isenberch. & comitem de Katzenellenbogen, & illis adhærentes ac

C sequaces, capitaneatum committamus, literasq; apostolicas cum cẽsuris & pœnis ecclesiasticis ad coërcendum rebelles & hostes, concedamus. Placuit nobis & placet Imperatoris consilium, idq; amplecti animo decreuimus. Sed quia nescimus quæ sit in hac re intentio tuæ Nobilitatis, deliberauimus prius ad te scribere, ut nobis significes quid intendas. Nam si nouerimus tibi cordi hanc rem esse, alacri animo, capitaneatum huiusmodi, ut Imperator censet deferemus. Nobis enim gratum supra modum futurum est, ut Nobilitas tua aut filius tuus onus ipsum assumat: et ut assumere uolet, affectuose hortamur, ac requirimus. Id etiam postulantes, ut super eam rem tuam intentionem nobis notam facias: si eam acceptandam duxeris, nos confestim literas apostolicas ad te transmittemus. Confidentes nihilominus quod propter hoc non deseres religionem Christianam, quin ei contra Turcos (ut sæpe pollicitus es) auxilia opportuna ipse præstes. Erit igitur prudentiæ tuæ examinatis rebus id consilij capere, quod dignum sit tanto principe, & quod tibi et domui tuæ laudem & gloriã afferat. Cæterum ex ipsis Imperatoris literis læto animo accepimus eum decreuisse, nostra præsertim contẽplatione, cõcedere tibi regalem inuestituram, super quo in tui fauorem sæpius ad Celsitudinem suam scripsisse meminimus. Et non hoc facere deliberasse, sed etiam affinitatem tecum contrahere ratione

filij sui & filiæ tui nati, ac tibi uicariatum Imperij in terris Gallicanis ultra Rhenũ concedere statuisse, quod profecto nobis est gratissimum. Idq; Serenitati suæ & Generositati tuæ prosperum & felix esse optamus, ad pacem & perpetuam cõsolationem utriusq; uestrum ac sedis apostolicæ & Christianæ religionis conseruationem & augmentum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum. Anno incarnationis dominicæ M. CCCCLXII. XIIII. Calendas Februarij. pontificatus nostri Anno quinto. D

Hortatur ducem Burgundiæ ut uoto & promissis satisfaciat, & secum bello intersit contra Turcos, Epist. CCCLXXXII.

Pius episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio nobili *uiro Philippo duci Burgundiæ, S. & A. B.*

RVmor ad nos delatus est Nobilitatem tuam, quæ magno & alto animo, Italiam petere cum ualida classe, ac deinde in expeditionem contra Turcos immanemq; beluam Mahometem Christianum sanguinem sine fine sitientem nobiscum proficisci promiserat, mutato consilio domi remanere, certumq; bellatorum numerum qui tuam uicem impleant, mittere. Dubia res nobis est nondum ueritate comperta: nescimus an quod refertur, credere debeamus: fidem exposcit scribentis autoritas, de quo & timor exoritur, qui magnus est & habere se grauia testimonia dicit. Cõcrescat constantia tua, & uotum, & promisso, & honor & ipsa rerum necessitas. nouimus te constantẽ esse ac perseuerantem in proposito: diu meditari soles ac deliberare antequàm aliquod magni decernas, decretum inconcussum seruare. Non est uerisimile quod de profectione tua iam pridem consulto statuisti, nunc mutatum ire. Scimus autem multos & magnos uiros postquam audiuere te uenturum, conatos fuisse tuam profectionem impedire, multasq; tibi uel rationes uel causas exposuisse, cur non esset ueniendum. Inter quos & soror tua nobilissima & charissima, & amantissimus filius tuus (ut relatum est) dissuadentes iter, uerba fecere uehemẽtibus precibus, teneras lachrymas ac suspiria miscentes, nec te tamen flectere potuerunt. Mansisti penes tuam sententiam solidus & immutabilis, sicut annosa quercus Borealibus frustra concutitur spiritibus, aut aspera cautes assiduis incassum agitur procellis, nec loco suo dimouetur. Ita & constans animus tuus eo principe dignus, suasionibus quibuscunq; reiectis, usque in hanc diem propositũ suũ tenuit. Non est credibile perseuerantiam tuam nunc perijsse. Accedit uotum publicè factum, quod sui natura inuiolabile est tanquam Deo debitum. Vouete, inquit scriptura, & reddite. Non est fallendum numen Dei. Si seruanda est hominum fides, quantomagis Deo perstringere uota impune non cedit. Ipse Deus dominus est & iudex, nec decipi potest. tua Nobilitas non consueuit homines fallere, uerax & dicti sui tenax. Nõ est cur credamus te modo in uoto tam solenni, tam publico, tam sancto à tua bonitate recedere ac mutare naturam. Obstant & promissa tua Ferrariensi episcopo nomine nostro ad te misso, facta. Tenes memoria quæ illi dixisti, cum te lectulo decumbentem & ægritudine laborantem inuenit: affirmasti sanitatem cum illo ad te missam, & omnia facturam tuam Nobilitatem pro defensione fidei, missurãq; in breui legatos cum potestate concludendi tam de transitu tuo quàm de rebus alijs ad expeditionem necessarijs. Venere legati tui uiri præstantes, & in cõsilio tuo primarij, qui nos Tyburæ cõuenientes, inter prima colloquia percũctati sunt à nobis, an adhuc profecturi essemus, quod tibi per Ferrariensem episcopum fuerat significatũ. hoc est an personaliter contra Turcos in bellũ profecturi essemus. Respondimus nihil nos esse mutatos, uenturosq; tibi proculdubio futuros comites. Quo dicto subintulere Legati, se habere in mandatis ut affirmarent nobis Excellẽtiam tuam aut uenturam ad nos esse, & in sancta profectione ituram, aut in itinere morituram. Credidimus Oratoribus tuis, & ad huc credimus. Secuta est promissio in consistorio publico facta, asseruerunt Oratores tui in magno conuẽtu Romæ corã nobis, te prorsus uenturum, nec ullo pacto remansurum domi, nisi tale impedimentum interit, quo toto mundo iudice legitimum æstimetur. Vulgata est per orbem fama nobilissimum

lissimum ac potentissimum Burgundiæ ducem statuisse unà cum Romano pontifice
A bellum Turcis inferre, totisq; conatibus defensionem religionis amplecti. Audiuit tota Christianitas hanc tuam promissionem: erexere exinde animos Veneti, atque in Turcos multo quàm prius audatiores effecti sunt. Vngaris spes pulcherrima iniecta est, qui se tandem de immanissimis hostibus ulciscantur, regnumq; suum perpetuum Turcorum molestia liberetur. Græcia tota, omnis Illyricus tractus de libertate cogitare cœpit: Turcorum animos non paruus inuasit metus: Tanta est nominis tui æstimatio. Quis nunc arbitretur Generositatem animi tui post tot promissiones ac spem tanta de re præstanda uelle mutare consilium, tristesq; fideles Christi populus reddere, et lætosq; crucis hostes. Nullum intercesit impedimentum, quod mundus legitimum iudicat. imò nec tu ipse excusatione ullam iudicasti sufficietem, quippe quod neq; seniū neq; debilitate tui obijceres, atq; idcico te remorari conatibus asseruisti. Nunc te ob has causas aut alias remansurum putet, qui excusatum senserit, non excusante mundo. Vbi honor? ubi æstimatio tua remanet? quid dicet populus? Nonne illusos se omnes Christiani censerent? Inclyta Franciæ domus honorē semper cæteris rebus anteposuit, nec tu Frāciæ sanguinis unquam fuisti prodigus. Nunquid aduersus honorem sæpe facere magna subijsti pericula? aut nunc potissime quod hactenus constantissimus, & promissi dictiq; tenax, atque obseruantissimus fuisti. Nihil apud te iuuenem honore charius fuit: non est
B quod modo in ætate matura & cum maxime sapis, honoris contemptorem putemus, cuius nobis sola, uel paucis alijs, relicta est semper uoluptas. Confidimus præterea te pro tua prudentia non ignorare, quàm periculosa sit tua domi remansio, quantum rebus gerendis noceat, quantum Christianos debilitet, quantum robur adijciat hostibus. Nam quia audito aduentu tuo exterriti erant, cognita remansione cornua erigent, & in sanctum Euangelium ferocius insultabunt, nobisque amantissime fili, si uerum fuerit quod arbitrari non possumus, mutati consilij tui fama haud paruam afferet cladem. Nam quod de uictoria belli spem prope certam conceperamus, te nobis deficiente rem dubiam cernimus. Veremur ne tuum exemplum sequentes socij remissiores efficietur, atque quærent cum hoste conditiones, ut est natura mortalium regni quàm fidei tenatior. Nec tua auxilia sine te tuum satis implere officium poterunt, nullus exercitus tuus tantus est quanti tuipse. nihil tantū ualet in bello, quàm autoritas, & sæpe iam uincit opinio. Tu si nobis desis cuius nomen est apud formidandos & apud nostros honoratissimum, facile intelligis quantum rebus gerendis officias. Non est igitur cur opprimeris te consilio mutato, uelle domi manere, qui sæpe dixisti, & si tibi moriendum esset in hac profectione, uenturum te: Tamen quamuis si uenias (ut confidimus) in domino uita longior erit, ut ualidi corporis, & redibis cum gloria domum uictor hostium, Chri-
C stianæ religionis conseruator. In domo timenda est ira Dei. Scis quotiens infirmitates quasi monitiones quædam te inuaserūt: tu te ipsum monitum dixisti fuisse, uide quid agas: caue ne monitiones domini irritas facias, nec præferas humana mandata diuinis. Nos quidem, nisi aliud audiamus, expectamus Excellentiam tuam cum desiderio, & te uenientem percupide uidebimus & amplectabimur, tecum proficiscemur in hostes quibus tota Italia comes erit. Decretum enim nostrum de decimis, uicesimis, & tricesimis, & indulgentijs ab omnibus Italiæ potentibus receptum est, & omnes auxilia pro suis facultatibus promittunt. Nec Florentini desunt uiri prudentia potentes & opibus: quamuis de his aliquando fuerat dubitatum, nunc certum est eos egregie in Turcos de expeditione laturos opem. Nobilis uir Franciscus Sfortia dux Mediolanensis unum ex filijs suis se nobiscum promittit, & cum eo equitum peditumq; ualidum. Successura sunt omnia te uenturo, quemadmodum speramus ex uoto. Quod si Deo permittente, propter peccata nostra tuus aduentus fuerit impeditus nō tamen iter nostrum retardabimus. Et quamuis non fuerit profectio nostra promissa nisi te ueniente, ibimus nihilominus, nec fraudabimus sua spe populum Christianum: faciemus quod promisimus, et ultra quàm promissum est. Nemo dicturus est: hoc promisit Pius pontifex, & non

fecit: Iturum se dixit, & non iuit: Magnifica uerba protulit, & non compleuit. Ibimus autore domino, mare intrabimus, in hostes nauigabimus, pro uictoria nominis Christiani, pro defensione fidei totis uiribus nitemur. Non grauis ætas nos retinebit, non impedita morbis arteticis membra, non parsimoniæ ecclesiæ cura, non pericula maris, non mortis metus. Scimus moriendum nobis esse, nec honestibus unquam uitam finiri posse quàm in exercitu pro Christo Saluatore & eius lege decertãte. Si Christiani principes populiq; auxilio fuerint, neque pro fide laborantes deseruerint, nihil est quod de uictoria desperemus. Si minus, non deerit, ut confidimus, ipse Deus & Saluator Iesus Christus, cuius res agitur. Consueuit enim diuina pietas in se sperantes haud quaquam deserere, cui tam facile est cum paucis quàm in multis uincere, et ibi cœpit diuinũ repetitum præsidium, ubi humanum deficit auxilium. In Deo spem nostrã collocabimus, ipse, si uult, uictoriam nobis elargietur. Etsi aliter Maiestati suæ placuerit, satis erit nobis pro defensione religionis quantum facultatis datum fuerit, eo processisse. Iustus est Dominus Deus, nec ultra quàm possunt homines exigit. Nobis cauendum est ne diuinæ uoluntati aduersemur, & ne populos illusisse uideamur, Cumq; uulgata sit nostra profectio, dabimus operam ut opinioni hominũ satisfaciamus, diuinæq; uoluntati pro nostris uiribus pareamus, tuam Nobilitatem exorantes, ac per uiscera misericordiæ domini nostri Iesu Christi in charitate uera perfecto corde obsecrantes, ut & tuipse idem facias, nec promissis tuis Deo maxime nobisq; factis, deficias. Memineris Domini Dei tui, & quanta susceperis ab eo bona, nec uelis ingratus uideri, nec uerba cuiuspiam pluris perficias quàm Dei mandata. Consule honori tuo & animæ tuæ, nec expeditionem frustrare quàm fideles de te populi habent: noli auferre spem quam nobis præbuisti: consolare nos & uniuersam plebem Christianam, ut Deus & pater Domini nostri Iesu Christi & Deus totius consolationis consoletur te in omnibus aduersitatibus tuis feliciter: Et quod reliquum est temporis in hoc seculo, Deo offer, & consecra, ut tandem in altera uita sui regni participem te faciat. Cupimus super his ut quàmprimum nobis respõdeas. Datũ Senis VIII. Calendas Aprilis. Anno M.CCCCLXIIII. Pontificatus nostri Anno sexto.

Respondet excusationi & minis Palatini. Epist. CCCLXXXIII.

Pius episcopus seruus &c. Nobili uiro Friderico comiti Palatino *sacri Imperij electori salutem.*

QVod te dilectum, de more, filium non uocamus, neque benedicimus tibi, faciunt opera tua, qui & ecclesiæ Moguntinæ bona ad te detrahens aduersus apostolicæ sedis mandata Ditero priuato & anathematizato iungere arma non es ueritus: ea ulterius publica edicta ponere, ne quis literas nostras in tuis tentorijs uel publicare uel exequi audeat, mortem ei comminatus qui contra fecerit: quod nihil est aliud quàm primæ sedis & Iesu Christi uicario rebellare. Quibus ex rebus quamuis nõ à nobis ipso tamen iure excommunicatus es, & extra Christi Ecclesiam factus. Neque dilectus filius appellari potes, neque benedictionis capax haberis, nec tua te tuentur edicta, nec inhibitiones quibus apostolica decreta prohibes ad te deferri. Non flumina, non mõtes, non muri aut aliæ quamuis munitiones excommunicationis ad te aditum impedire possunt, Dei fulmen est apostolicum anathema, qui nulla possunt arma resistere. Tu longam epistolam ad nos scripsisti, ut excusares quod fecisti: sed quãti momenti sint quæ dicis, Deus nouit, & tuipse scis, nec ignoramus, iudicat te conscientia tua. Quæ te causa mouerit Ditero tuo prius inimico auxilium præstare contra iustitiam, omnes intelligũt. Potes multa dicere, sed ueritas in suo loco manebit. Petis ne credamus inimicis tuis, neue causam tibi demus quærendi remedia quibus defendi possis, & arroganter aliqua per minas subnectere uideris. Nos solum operibus credimus & ea quæ palàm uidemus non possumus non credere: tua offensio notoria est, & manifesta rebellio. Si te uolueris emendare, ut bonum filium decet, apostolicis obedire præceptis, utemur pij patris officio

A officio, nec redeũtem filium aspernabimur, quin potius uitulum saginatũ apponemus, sicut in Euangelio erga filium prodigum fecisse legimus bonũ patremfamilias: Quod si perges Apostolicam sedem impugnare, & eius decreta contemnere, senties Romanam esse maiorem ecclesiam, quàm uel tu sis, uel quicunque alius, qui tibi opem offerre uoluerit. Prudens es, & nosti quæ possunt aduersus te fieri, & plane intelligis, quia non potest uinci ueritas, & quod iniuste agenti nulla satis tuta possunt inueniri præsidia. Datum Romæ *VII.* Calendas Martij.

Notificat Parisiensibus se Papam electum & precatur pro se orare, ut digne subministret, Epist. CCCLXXXIIII.

Pius episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filijs, uniuersitati studij *Parisiensis, salutem & Apostolicam benedictionem.*

PIus & misericors Deus noster, uniuersæ conditor creaturæ, quia sapientia fundauit terram, omnia ordinans cœlestia & terrestria, sacrosanctam Romanam ecclesiam ea complectitur charitate, ut per sucessiuam uicariorum suorum mutationem, nulla aduersus eam procella, nullus præualere possit spiritus tempestatis. Sane felicis recordationis. Calixto Papa *III.* prædecessore nostro de huius mortalis uitæ ualle *VIII.* Idus Augusti ad cœlestem patriam euocato, & ipsius funeris ac exequiarum celebratione solenni ac debita subsecuta. Nos unà cum fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ
B Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, Romæ in Apostolico palatio apud sancti Petri Apostolorum principis Basilicã, in quo dictus prædecessor habitauerat, ac debitum naturæ persoluerat, modo ac tempore congruis pro futuri creatione Põtificis curauimus conuenire, nobisque cum eis fratribus sub deliberationis magnæ negocio, quam tantæ rei qualitas exigebat, aliquandiu tractantibus, tandem ipsi fratres licet potuissent in alios maioris meriti consentire, tamẽ sanctispiritus (à quo sancta Romana & uniuersalis Ecclesia Christi sponsa regitur) infusione, ipsorum animos sic afflante, ad personã nostram dirigentes, unanimiter uota sua nos tunc tituli sanctæ Sabinæ presbyterum Cardinalem, nescimus quo occulto & nobis tremendo iudicio, ad celsitudinis Apostolicæ fastigium concorditer elegerunt. Nos autem imbecillitatis nostræ conscij, nostrarũ paruitatem uirium ad tanti oneris sarcinam digne perferendam agnoscentes, postquam diu quid agendum foret cogitauimus, tandem considerantes Romani Põtifices electionem non ab hominibus, sed à diuina inspiratione procedere, cuius non licet resistere uoluntati, sperantesque eum qui ab initio fundationis ecclesiæ infirma mundi elegit, ut cõfunderet fortia, uires suas nobis ad tanta gubernacula subministraturum, cupidi bene agere & prodesse potius, quã præesse, in spiritu humilitatis colla submisimus iugo Apostolicæ seruitutis. Quapropter deuotionem uestram precamur, ut omnipotentem Deum instantius exoretis, à uestrisque omnibus exorari curetis, ut nos per suam gratiam roboret
C & dirigat in agendis. Nos enim pro nostræ erga uos mentis affectu dispositi sumus, in casibus occurrentibus uestrã deuotionẽ specialiũ gratiarũ, prærogatiuis & alijs beneplacitis quãtũ cũ Deo poterimus, cõfouere. Datũ Romæ apud sanctũ Petrũ. Anno incarnationis Dominicæ, *M. CCCCLVIII.* pridie nonas Septẽb. Pontif. nostri Anno primo.

Vocat personaliter congregationi Mantuanæ interesse, aut legitimo impedimento præpeditum Oratores cum pleno mandato illac mittere, Epist. CCCLXXXV.

Pius episcopus seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio Carolo *Francorum Regi illustri, S. & A. B.*

VT persolueremus omnipotenti Deo & fideli populo uim ab infidelibus patienti id cuius causa ad hanc sedem sumus assumpti, de uenerabili fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium cõsilio & assensu per certas nostras literas quas Celsitudini tuæ præsentib. mittimus, omnes Reges et principes Catholicos ad dietam solennem Mantuæ uel Vtini in proximis Cal. Iunij celebrandã, Apostolica uoce duximus conuocandos: statuendo concedente altissimo eo loco eodemque tẽpore ibidem personaliter adesse, impedimentis posthabitis quæ circunstant nos undique. Et si erga ea mens tua fuerit semper ad tuendũ nomẽ sanctũ Dei, et nec Apostolicæ sedis nec

cuiusquam alterius exhortatione multum egueris, tamen quia hæc non solum nobis est cordi, sed dominico gregi in primis necessaria, Sublimitatē tuam hortamur in domino, & per illum sanctum baptisma in quo Christo renatus es, & nomen Christianum geris, requirimus, ut uelis per os nostrum uocatus, abiectis respectibus omnib. qui pro honore Dei nō sunt attēdendi, ad eadē loca & ad diem præscriptū personaliter interesse. Etenim cum uicarius Iesu Christi in terris hoc agat, quem recte uadentem sequi Christianus populus debet, non debent principes terræ grauem sibi ducere laborem ab illo susceptum amplecti. Habitus es charissime fili, deuotissimus princeps fidei, & religionis nostræ præcipuus, nec immerito ob Christianum nomen egregie a progenitoribus tuis defensum. nomen Christianissimi ab illis hæreditarium habes. Accedit potentia singularis, qua ideo omnipotēs Deus insigniri te uoluit, ut esset qui tempore necessario, quale nunc imminent, illam ad protectionem sui gregis conferret. Erit (ut in domino confidimus) aduentus tuus maximæ ad hoc salutare opus utilitatis, non eo solum quod sapienti consilio tuo dirigere tantam molem gloriosissime poteris, sed quia gentes & regna audientes, Christianissimum Regem Francorum relictis sedibus suis ad augendā & tuendam communem causam altissimi Romano Pontifice conuenisse, erubescent ipsi exemplum tuum non sectari, ut pene ob hoc ipsum plus momenti cæteris omnibus allaturus appareas. Pro Deo igitur, charissime fili, pro commendatione æterna nominis tui, pro compassione fidelis populi continuæ feritati Turcorum sanguinem suum fideliter dantis, exaudire clementer uelis pias nostras huiusmodi preces, & fletu, & lachrymis oppressorum nobis impositas: Hæc enim uera sunt opera Regum, hic campus in quo honeste decertare, & triumphum ueræ salutis reportare cum gloria possunt. Cætera fluxa sunt & caduca, uix solidæ laudis, quicquam in se habentia, etiam persæpe ingrata. Quod si casu aliquo quod Deo non placeat, carendum nobis erit tua præsentia, & per Oratores complere hoc munus constituas, requirimus eo casu Celsitudinem tuam, tu cum pleno mandato illos trāsmittere uelis, non ad decernenda solum ea quorum causa uocatus es, sed ad componendam pacem uel indicendas treugas cum illis, cum quibus esset tibi forsan contentio, ut demum placatis utique fidelibus concordius cœptum opus prosequi possimus. Speramus tamen concessurum omnipotentem Deum, ut tua Serenitas potius per seipsum, quàm per Oratores suos sit affutura. Attento quod Mantuanam ciuitatem tui potissimū causa delegimus, ut uel Serenitas tua, quod primum expetimus, uel saltem principes aliqui de latere tuo illuc accedere facilius ualeant. Hortamur quoq; & requirimus, ut per præsentem nuncium uelit sublimitas tua optatum nobis responsum dare. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno incarnationis Dominicæ, M. CCCCLVIII. tertio Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno primo.

Responsio Regis Franciæ, *Epist.* CCCLXXXVI.

BEatissime pater paucis ab hinc diebus Beatitudinis uestræ literas per latorem præsentium suscepimus, earumq; tenorem attente intelleximus. Et quidem in primis persoluendæ sunt ipsi pietatis fonti gratiarum actiones amplissimæ, qui hoc tempore forte tristissimo, ad resartiendas ecclesiæ suæ sponsæ immaculatæ partes labefactas eandem Beatitudinem uocare dignatus est. Attollendum quoque plurimum propositum eius salutiferum & pie exhortationes sincero animo amplectendæ. Verum cum hæc res, qua nulla maior, pro seipsa satis exorare uideatur, & principes Catholicos ad id persuasos nimirum esse credamus, matura & salubri deliberatione Concilij, non parum ægrè conspiciatur cōuocationem solennē prælatorū principū, & aliorum uirorū notabilium ecclesiasticorum, & secularium regni nostri intra dietam asignatā facere, & tunc quæ deliberata cōclusaq; extiterint, per nostros solēnes Oratores debita potestate suffultos. eidē Beatitudini patefacere plane decreuimus. Porro & si in rebus humanis fluxis quidem & caducis perisæpe soleant turbationes accidere, in illius tamen misericordia & pietate sperandum est, qui nescit abesse pie sperantibus in se, quiq; tantā ecclesiæ suæ dedit potestatē, ut quāto grauissimis persecutionibus impiorū sæuius impugnant, tanto

postmodum

A postmodum ipsius miseratione adiuta, potentior consurgit in aduersis. Beatitudinē uestram, cui hoc sanctum propositum pie credimus cœlitus fore inspiratum, ad ecclesiæ suæ felix ministerium dirigat et conseruet is cuius uices in terris geris pius & misericors dominus. Scriptum &c.

Collaudat de collisione pragmaticæ constitutionis, & hortatur contra Turcum belluminire, Epist. CCCLXXXVII.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio Ludouico *Regi Franciæ salutem & Apostolicam benedictionem.*

ACcepimus ex literis uenerabilis fratris nostri Ioānis episcopi Attrebatensis, quanta eum charitate complexus sis, & quàm pium erga nos & Romanam ecclesiam geras affectum, & quàm ad tollendum regno tuo constitutionem illam quæ pragmatica dicta est, uolenti & erecto sis animo. Laudamus Deum & suæ maiestati benedicimus, qui talem tibi mentem dedit. Nam quid aliud dicere possumus, nisi quod Dei beneficio ex maximis periculis liberatus es, & in hæc tempora reseruatus, ut esses qui suscepto regno paterno, sublatis erroribus libertatem sanctæ Romanæ ecclesiæ instaurares, atque restitueres, & maiorum tuorum æquata gloria Christiano nomini quietem fundares. Benedictus dominus qui tuæ personæ custos fuit, et spiritum tuum erexit ut cogitares quæ pia, & omni laude digna sunt. Sic magnus Constantinus, sic duo Theo B dosij, sic Carolus Magnus, & plures ex tuis progenitoribus, immortale nomen & inextinguibilem consecuti sunt gloriam, quia Romanam ecclesiam matrem suam debito sunt honore prosecuti, quorum te uestigijs inhærentem & diligimus totis præcordijs, & laudamus, & omnis te posteritas celebrabit. Illud autem inter cætera commendamus, quod absque conuentu & consultatione multorum pragmaticam auferre constituisti, quemadmodum idem episcopus nobis significauit. Sapis certè & Regem te magnum ostendis, qui non regaris sed regas. Optimus enim princeps est, qui per se recta cognoscit & operatur, qualem te esse confidimus. Nec scriptura, quæ ait, ubi multa consilia, ibi salus multorum multitudinem requirit, sed consiliorum maturitatem & digestionem quæ res in paucis magis quàm in multis reperiuntur. Neq; enim aut honestas, aut iustitia multitudini facile suadetur, quæ uarijs affectibus agitata ad prona frequenter inclinat confusioni, subita est consulentium multitudo, neq; bene res se habet, ubi suffragia numerantur, non ponderantur. Sæpe enim fit ut maior pars meliorem uincat. Facis quæ te decent, qui sciens pragmaticam esse absq; Deo, eam de regno tuo eliminare decreuisti. Nec uis in deceptationem ducere an fieri debeant, quæ tuipse facienda nouisti. Hoc est Regem esse & bonum regem, & quem boni ament, mali timeant. Nam qui per alios reguntur, nec per se intelligunt quæ sunt augenda, contemptui sunt. Pro C bamus igitur & commendamus admodum quæ de tua liberatione circa pragmaticam episcopus Attrebatensis scribit, hortamurq; ut quæ proposuisti in animo, cito effectu facias, neq; cum possis hodie benefacere, cras faciam, dicas. Hilarem datorem diligit Deus: quæ iusta & honesta sunt, nolunt moras. Fac tuam sapientiam sicut nos cognoscimus, ita & mundus omnis quàmprimum cognoscat, neque aliquis dicere possit diu noluit, quia diu deliberauit. Quod si prælati tui & uniuersitas aliquid ex nobis desiderent, te mediatore ad nos recurrant: nam si quis unquam Pontifex fuit Gallicæ nationi affectus, ut multi fuerunt, nos certe inter primos reperiemur, qui nomen & gentem huiusmodi honoremus & diligamus, nec unquam postulatis honestis aduersabimur, scimusq; dignum esse ut fratribus nostris coepiscopis in multis differamus, eosq; honoremus, pariterq; uiris doctis, & qui docti esse cupiūt in uniuersitatibus literarum studia sectantibus subueniendum esse non ignoramus. Ab his enim Catholica fides defenditur, & doctrinæ lumen propagatur. Age igitur fili, perfice quod in animo geris, & confide nos tibi & regno tuo animo concessuros. quæ ratio & honestas suadebit. Cæterum quia regina Cypri ad nos ex regno suo deiecta, & ex terris profecta est, & ad tuam credimus Serenitatem proficiscetur, consilium & auxilium petens, nam regnum eius Soldani Aegyptij gente occupatum est. Et quia (sicut accepimus) Mahometes Tur-

corum

corum dominus Greopin & Trapesunte, & multas alias in Asia ciuitates ac prouincias de nouo sibi subiecit, & in Europam uictor ac tumes eo proposito reuertitur, ut Christianitatem proterat & conculcet, Serenitatem tuam rogamus, & flentes petimus, ut respicias in q statu est Catholica fides, quomodo ex uno latere Turci, ex alia Saraceni urgent. Pone ante oculos lamētabiles Christianorum uoces, qui per Asiam & Græciam in medio nationis peruersæ constituti miserabilibus modis affliguntur: Cogita in quo loco est sacrum domini sepulchrum, quod inspicere absq; Mahometorum uoluntate non possumus. Sancta terra quæ nobis lucem fidei præbuit nunc in tenebris est: totus oriens plenus est spurcitia Mahometica, quæ etiam in Europam suum uirus effudit, inde Græciæ, hinc Hispaniæ parte occupata: nec dies est in qua nō mille Christianorum animæ pereant. Rhodus in periculo & nobilis insula maris quondam dicta Peloponnesus in potestate Turcorum est paucis exceptis locis. Epirus tota ad eos confluxit: Bulgaria, Vualachia & Rauenna ex parte Turcis parent. Vngaria uulnus expectat, quia multis afflicta cladibus non potest tantos belli motus sustinere, nec est qui consoletur eam, timet uictorem Mahometem iam spolijs Orientis & Asiæ uiribus auctum. Timemus sane illi genti, timemus & alijs qui sunt in hostium circumitu: nec nos sumus qui succurrere possumus: uoluimus oculos nostros modo huc, modo illuc, & lustratis omnib. Christianorum prouincijs, nemo regum, nemo principum nobis occurrit, qui tantæ rei subuenire posit, nisi tu solus quem pius Deus sui populi saluatorem (ut confidimus) hucusq; saluauit incolumem, nec permisit in manus te persequentium incidere. Tu Dei ope hæreditarium regnū in pace consecutus es mortuo patre. Philippus Burgūdiæ dux clarus & potens tibi obsequentissimus est, & cæteri duces & comites regni gloriantur, & tibi sine controuersia parent. Ex Anglia (si uolueris) nihil tibi aduersabitur. Hispaniam habes amicam. Omnes per circuitum te uenerantur & colunt, & legationes ex longinquis partibus, ac ex ipsa Italia te honoratum & salutatum ueniunt: Magna est gloria tua: Magnum est Dei donū. Intellexit diuina pietas cogitationes tuas, & multa cognouit in animo tuo proposita esse ad cōmune bonum: nec dubitamus quin cum esses exul quodammodo à regno tuo, tecum sæpe dixeris: O si paterno in solio aliquando sedeam, quanta faciam tibi Deus grata. Certe non patiar tuam hæreditatem Turcorum insania laniari. Audiuit te Deus, & omnia tibi aduersa repulit, planauit iter tuum, & te in aucto regno collocauit excelsum præ regibus terræ. Omnia tibi tranquilla dedit, siqd aliquando intra te Deo promisisti id seruato: si non promisisti (quod non est uerisimile) recognosce beneficia, quæ accepisti à domino Deo tuo, qui te filium Regem creauit, & regnum cum diu ex terris fuisti, summa cum gloria restituit, ostende te gratum diuinæ pietati, & pro tantis beneficijs uicem repende, tolle ut facturum Oratori nostro spopōdisti, pragmaticam constitutionem, & hoc facto, quod non est difficile, erige te totum in exilium Christianæ religionis contra Turcos: Stude ut expeditio aduersus hostes Christi fiat: Exhibe te huius rei ducem & caput. Nec dubita, cuncta erunt tibi prospera, hoc est negotium te dignum: tibi hæc gloria seruata est. Nihil est in quo te laudabilius exercere posis. hæreditaria hæc tibi prouincia est. Nam purgare contra Turcos, & uincere, & terram sanctam recuperare, & fidem saluare, & Romanā ecclesiam honestare, Francorum Regum proprium est, & hæc tu commodissime præstare potes, uera Francorū soboles sapientia, & rerum experientia præditus, in opulento & pacifico & potētissimo regno sublimatus. Omnium oculi in te respiciunt: omnes afflicti te inuocant, & nos præter te non uidemus qui hæc posit præstare. Ideo ad te unum recurrimus Christianæ fidei defensorem. Tu ergo & à nobis & à toto Christianorum populo rogatus, & in primis à Deo commonitus, præpara te huic prouinciæ, ad quam feliciter dirigendā omnia obtinebis à nobis, quæ à iusto & pio Christi uicario & beati Petri successore obtineri debeant. Datum Romæ, die *XXVI.* Octobris, Anno *M. CCCCLXI.* Pontificatus nostri Anno *IIII.*

Responsio

Responsio Ludouici Regis Franciæ, Epist. CCCLXXXVIII.

A Ludouicus Dei gratia Francorum Rex, Tibi sanctissimo & beatissimo patri *nostro Pio Papæ II. Obedientiam filialem & plenos deuotionis affectus.*

DEum solum scientes esse cuius prouidentia bene consulitur rebus humanis, meliusq; regna & urbes religione cingi atque defendi quàm armis & membris: te uicariū Dei uiuentis ea ueneratione prosequimur, ut sacra præsertim in ecclesiasticis rebus tua monita ueluti uocem pastoris audire, illisq; parere prompta mēte uelimus. Quapropter, beatissime pater, & si constitutio quædam in regno nostro, quā pragmaticam uocant, magno prælatorum conuentu, magna temporis deliberatione conclusa fuerit, & iam callum obducta quietum prope fixerit statum, tu tamen tuis ad nos literis illā à regno nostro auferri, explodi, abrogariq; flagitas, nobis quoq; dilectus & fidelis consiliarius noster Ioānes episcopus Attrebatēsis, quem cum potestate Legati de Latere ad hoc nostrum regnum misisti, cōmemorauerit ea ad quæ per ipsum tibi nostro nomine pollicenda, uouenda, & promittenda, nos antequàm regnum suscepissemus religionis instinctus quidā deduxerat, nos nostra promissa exequi, accedente moderatrice rerum ecclestiasticarū tua autoritate, studemus ac uolumus. Et id qdem tanto uolumus animo propensiori, quanto nobis regnū Franciæ florens, & bello uacuū tuetur Deus & protegit. Omnibus itaq; uictimis potiorē obedientiam intelligentes, assensi sumus his quæ B tuo nomine nobis aperta sunt, ipsam scilicet pragmaticā sanctionem, tibi tuæq; sedi esse infensam, utpote quæ in seditione & schismatis tempore, atq; per seditionem sectionisq; à tua sede figuram, nata sit, & quæ dum tibi à quo sacræ leges oriuntur & manant, quantumlibet eripit autoritatē, omne ius, & omnē legem dissoluit. Illud enim exoritur quod idem consiliarius noster nomine tuæ sanctitatis astruxit, ut dum per pragmaticā ipsam summæ in ecclesia tuæ sedis autoritas minuitur, dum prælatis in regno nostro quoddam licentiæ templū per illam perstruitur, dum congruēs unitas ad alia regna conformitasq; tolli uidetur, abroganda sit ipsa pragmatica pellendaq; à regno nostro. Quippe quæ aduersus tuam sedem omnium ecclesiarū matrem ab inferioribus prælatis lata sit, tāquam ut scriptura loquitur: Quomodo si eleuetur uirga cōtra leuantē se, aut baculus qui utiq; lignum est: quæ quidem, beatissime pater, licet plerisq; docti homines cōfutare niterentur atq; diluere, multaq; nos dehortarentur abrogare sanctionem ipsam, te tamen principem totius ecclesiæ te antistitē sacrorum, te dominici gregis pastorem profitemur, & scimus, teq; iubentem sequimur. Tibi & beatissimi Petri cathedræ cōsentimus & iungimur. Itaq; sicut mandasti, pragmaticam ipsam à nostro regno nostroq; Viēnensi Delphinatu, & omni ditione nostra per præsentes pellimus, deijcimus, strepitusq; abrogamus. Et quam qualem'ue ante pragmatice ipsius æditionem circa ecclesiaram beneficio C rum aliarumq; rerum spiritualium dispositionem censuram, moderationem in regno nostro omniq; ditione nostra tui prædecessores Martinus *V.* & Eugenius *IIII.* Romani Pontifices habebant & exercebant, talem eandemq; nostro adiutori beatissimo Petro tibiq; ipsius successori reddimus, præstamus, & restituimus cum summo imperio, cum iudicio libero, cum potestate non coartata. Tu enim cum scias quid autoritate diuinitus tibi tradita, possis, quas per regni nostri & ecclesiarum in eo tranquillitate postulabimus, non negliges res necessarias, poterisq; semper quod optimū fuerit iudicare. Vtere igitur deinceps in regno nostro potestate tua ut uoles, atq; illam exerce: nam ut hominum membra nulla contentione capite uno atq; una mente ducuntur, sic tuis sacris decretis ecclesiæ prælati in regno nostro, & Delphinatu consonantiam et obedientiam plenam refundent. Quod si forte obnitentur aliqui aut reclamabūt, nos in uerbo regio pollicemur tuæ Beatitudini, atq; promittimus exequi facere tua mandata, omnium appellationum aut appellationis obstaculo prorsus excluso, eosq; qui tibi contumaces fuerint pro tuo iussu comprimemus, & refrenabimus. Datum Turonis sub magno sigillo nostro, die *XXVII.* mensis Nouembris, Anno *M.CCCCLXI.* & regni nostri Anno primo. Sic signata per Regem in suo consilio Veroni Soilloit.

Dat priuilegia transeuntibus per terras & dominia principum, ut sint liberi à grauaminibus. *Epist.* CCCLXXXIX. D

Pius Episcopus &c. Francisco Fortiæ duci Mediolanẽsis, S. & A. B.

BEne cognitũ putamus esse tuæ Nobilitati, pium sanctumq; propositum nostrum succurrendi fidei Catholicæ, & populi Christiani tutelæ consulendi. Id unum opus mente agimus, id totis sensibus sumus complexi, & (quod antea inauditũ est) proprium corpus pro salute ouium nobis cõmissarum exponere decreuimus. Inuitauimus Christi fideles toto Christiano orbe, misimus literas cum plenissimis indulgentijs: præmia uitæ æternæ proposuimus sequentibus nos ad hoc certamen diuinum. Quo fit ut confidamus de benignitate Dei quàmplures Christianos undequaq; cõuenturos, qui præsulem Romanum pastorem orbis, patremq; animarum in bella pro defensione sancti Euangelij uadentem, sequentur. Decet nos ad hanc partem pie etiam respicere, & curam gerere, ut qui crucem tollentes iuxta præceptum domini, uias nostras secuturi sunt, humaniter & benigne recipiantur, & ut ipsi bene susceptos se uideãt & cæteri ad id auxilium ueniendũ animentur. Hortamur itaq; Nobilitatem tuam, cui non dubitamus hoc sanctum opus cordi esse, ut in terris & dominijs tuis has facias ordinationes, mandesq; diligentissime obseruari: Primo ut peregrini omnes siue cruce signati fuerint, siue non, qui ad hanc expeditionem uenturi sunt, in omnibus terris & locis tuis omni humanitate & gratia tractentur, & sub grauibus & formidabilibus pœnis nemo præsumat eos dicto uel facto lædere seu molestare. Monetæ eorundem uenientium tam aureæ quã argenteæ & æreæ, expendantur & recipiãtur, uidelicet pro ualore & precio & pondere earum, nec à quoquã possint uel debeant recusari. Victualia cuiuscunq; generis ac panni, & alia utensilia humano usui necessaria, uendantur solito precio, nec carius extimentur, quàm hactenus & consueuerunt. Vectigalia & gabellæ non exigantur ab eisdem, nec passus fluminum aut portarum, seu portuum & scapharum soluere compellantur. Deniq; omni gratia humanitate & benificentia eos tractari facias. Decet enim fideles ad tam necessarium bellum pro Christo uadentes, omni auxilio, ope, & fauore, prosequi. Datum Petrioli diocœsis Senensis. Pontificatus nostri Anno VI. E

Copia cuiusdam breuis ad eundem. *Epist.* CCCXC.

DIlecte fili, intelleximus ea quæ significata nobis tuo nomine fuerunt per dilectum filium Otthonem Oratorem tuum, scilicet nobilitatem tuam iam adeptam esse ciuitatem Ianuensem, quod nobis singularem attulit lætitiam. Quæcũq; enim tuæ generositati prospera succedere intelligimus, non minori gaudio nos afficiunt, quàm si nos ad ipsos spectarent. Oramus Deum immortalem, cuius benignitate tuæ felicitati omnia aspirant, ut noua hæc dominij accesio felix sit & fausta, tibi liberisq; tuis stabilis & diu permanens, ut q̃ potentia tua auctior erit eo, & gloria & felicitas sit amplior, & maiora fidei Christianæ labanti subsidia impendere possis, ac exindè uniuersæ Italiæ totiusq; Christianitatis pacis & quieti consulatur. Nos enim non sine diuino numine hæc tam læta tibi uenire arbitramur, ut qui optimam partem geris ad amplectendum defensionem populi fidelis, opes & facultates habeas, quibus possis ea quæ præclare cõcepisti exequi & adimplere. Cæterum ut proxime tibi scripsimus Florentini lente admodum & cunctanter se habent in executione eorum quæ ex tua declaratione polliciti sunt, hortamur tuam nobilitatem, cui scimus eos merito plurimum tribuere, illos cohorteris & inducas, ut sine dilatione faciant quæ promiserunt: Angustia enim temporis & summa necessitas quæ instat, nihil segniter aut tarde fieri postulat. F

Copia cuiusdam breuis ad episcopum Vintemiliensem gubernatorem Perusij, quemadmodum exigat Steuuram ab illis. *Epist.* CCCXCI.

CHarissime in Christo fili, noscit Serenitas tua, quo mentis feruore, quo ardore animi amplexi sumus tutelam populi Christiani, ut etiam quod prioribus seculis inauditum est, proprium corpus quamuis senio & morbis affectum, pro salute nobis commissi

A commissi gregis laboribus et periculis obiectare non formidemus, sed magno animo pi
um sanctumq; propositum iamdiu publicatum adimplere omnino intendimus. Cumq;
res operosa sit, & nemini dubium esse debeat, magnam molem sumptuum nobis sub-
eundam esse, ad quam nequaquam substãtia nostra est suffectura, quã quantacunq; sit,
cum corpore simul æquo animo exponere decreuimus. Requisiuimus à Christianis o-
mnib. et præcipuè à nostris & Apostolicæ sedis subditis opportuna subsidia. Inter quos
requisiti Perusini polliciti sunt certã pecuniæ & frumenti summã impendere in subsidiũ,
quãuis maiora ab ea ciuitati expectari debuissent, quæ opulẽta et potẽs, & inter alias no
stra & ecclesiæ Romanæ maxima singularia beneficia, & indulta consecuta est, Cõten-
ti tamen eramus eo q̃d polliciti erant, arbitrãtes bona fide eos adimpleturos in tempore
quæ Christo obtulerant. Sed multum nostra decepta opinio est, & cũ tẽpus ad implen-
di promissi instat, cernimus Perusinorũ dicta factis non respondere, ut appareat eos si
mulate nobiscum egisse & uerba dari uoluisse. Cumq; eorũ promissa certis fucatis co-
loribus, & exquisitis uelamentis palliare conẽtur, rem in longũ protrahunt, dum labatur
tempus, ut uel nihil faciant eorum quæ promiserunt, uel parum ac pene nullum fructum
afferant operi. Sed nos non hi sumus qui ueros filios à falsis, & ueram deuotionem à si-
mulata non cognoscamus. Dolemus tamen ut par est, & angimur animo quod Perusi
ni, quorum ut eos decet præcipuum studium in hoc sancto opere futurũ opinabamur,
B non bona fide nobiscum incessisse uideantur, sed nihil agunt. Cum Deo res agitur,
qui falli non potest, & ut est scrutator cordium, præmia diligentibus se in ueritate, pœ
nam uero reprobis statuit. Et quia causa à nobis suscepta talis est, ut pro eius auxilio
Christianos omnes ob periculi magnitudinem non solum inducere, sed compellere e-
tiam merito debeamus, præsertim subditos nostros, & ne Perusini se nobis uerba de-
disse iactent, uolumus ut eis iterum commemores beneficia & priuilegia, quæ à sede
Apostolica præ cæteris ecclesiæ ciuitatibus obtinent, ostendas quantum Deo immor-
tali debeant, qui eos in summa felicitate & quiete locauit. Aperias necessitatẽ fidei Ca-
tholicæ, demonstres fauorem nostrum. Denicq; quum quæ nobis promiserunt obserua-
re uel negligant, uel contemnunt, ne se nos ludificasse gloriẽtur, uolumus eis mãdes no-
stro nomine ut usq; ad medium mensem Maij instantis, quindecim milia ducatorum au
ri de camera soluisse debeãt. Quod si recusauerint, uel distulerint, declares ipso facto, sin
gulares personas ipsius ciuitatis excõmunicatis, & ciuitatẽ ecclesiastico subiacere inter-
dicto. Et nihilominus decernimus & mãdamus, ut personæ dictæ ciuitatis earumq; bo-
na ubilibet cõstituta tam mobilia quã immobilia in nostris & dictæ ecclesiæ ciuitatibus
& terris capiantur, et detineãtur, quæ exnunc huic operi applicamus, & cõfiscamus. Tu
uero hãc rem toto pectore cõplectaris atq; ita te erigas, ut intelligamus te non pati ut bo
C nis uerbis & pollicitationibus possis illudi. Datum Petrioli ut supra.

*Responsio ducis Mediolani, & pollicetur in persona propria contra Tur-
cum ire, Epist. CCCXCII.*

Literas tuas beatissime pater, ut grauissimas & ornatissimas ita ardentissimi deside-
rij plenas Christianæq; reipub. studiosas nõ minori delectatione quã dolore, summa
tamen cũ reuerentia, uti par est, legi atq; accuratissime perlegi. In quibus cũ tam pie
atq; eleganter Christianæ religionis fideiq; Catholicæ calamitatẽ non modo ut literis sat
erat, narratã, uerũ sculptã effigiatãq; aduertere, non potui nõ uehementer dolere & angi.
Nam ò temporum nostrorũ ignominiam singularem: O perpetuam ætatis nostræ infa-
miam: O execrabile apud posteros nomen eorũ qui uiuunt. Hi populi quos Cyrus, uni
uersa Asia subacta, in citeriorẽ Scythiã primus ducere ausus est, qui uerè à Thamari ui-
dua fusi, prostrati, & ad interemptionẽ deleti sunt, Regis capite in utrẽ sanguinis misso,
cum exprobratione illa: satia te humano sanguine quem sitisti. Quos inde post tempo-
rum spatia à Perse maiori cum apparatu, maioriq; exercitu, terra mariq; in Græciam du
ctos, quã quisquã alius quarumuis ante se aut post se ætatum, nationũ, gentiũ duxerit,
Themistocles parua manu uicit, fudit, & in Asiam redire coegit, Alexander Macedo
subegit. Et qui nõ modo à Romanis olim rerũ dominis, uerũ etiam à quibusuis alijs im-

peratoribus,non fecus ac fœminæ fugati,in poteſtatē acti, & pecorū more domiti ſunt, D
eoſdem populos eſſe dixi. Nam etſi Turci illi priſci his ſe populis immiſcuerunt, eorum mollicies & uetus patriæ conſuetudo atq; habitus deſides illos effœminatosq; reddiderunt,ita ut nomen duntaxat Turcorum apud eos manſerit,uirtus mox etiam in ſecūda generatione extincta eſt. Quotiens enim poſtea tempora à finitimis uicti ſunt? Et ne lōga exempla petamus,cum patrum noſtrorum memoria,eius qui hac ætate Turcis imperat auus,ſæpius à Tamberlano fuſus,tandem captus & cathenis nudus iniectus eſt: nūc tandem,prochdolor,non modo in Europam tranſire auſi ſunt,uerum nobiliſsimam illius partem,et apud quam imperium olim fuiſſe ferunt,cum pleriſq; alijs non ignobilibus nationibus occuparunt,diripuerunt,ferro igneq; uaſtarunt, templa Dei ſanctiſsima & uetuſtiſsima prophanarunt,cum maxima non populorum modo, uerumetiam procerum & ipſorum quoque principum immaniſsima ſtrage,cum grauiſsima & ignominioſa nominis domini noſtri Ieſu Chriſti iniuria, uelut Sāctitas tua diſtinctius,copioſius,ſeriosius ſcribit. Errata dehinc mea ex illis cū facile recognouerim,& quod multis me Deus optimus,maximis donis,gratijs, beneficijs auxerit,nullo eū grato ſtudio fuerim proſecutus: Et quod mihi grauius ſuccenſendum fore exiſtimo,cum contumax illi, ut ais, rebelliſq; fuerim,multaq; in legem ſuam ſuperbe deliquerim,quod neque negare poſſum,& facile fateor,nullo ſaltem digno opere ſatisfecerim, dolui quidem, atque uehementer ingemui. E Cum tamen quibus procellis quibusue periculis Petri nauicula agitetur,literæ tuæ me attentum reddiderunt,etſi pleraq; alia,hoc unum uel maxime lenito dolore in ſpem pariter delectationemq; me uertit,quod intelligam te quaſi cœlo ad hanc rem dimiſſo rectore,ad ſalutis portum, & quidem incolumen eam reducemq; fore. Accedit ad hoc potentiſsimi illius principis Philippi ducis Burgundiæ uotum inſuperabile,laudeq; immortali digniſsimum, cuius uirtus, potentia, autoritas ad ſpem ipſam plurimum conferunt. Verum ne epiſtolæ modum excedam,ad eam partem me conferam,unde omnis literarum tuarum uidetur oriri intentio. Hortatur me ſanctitas tua, ac multis & quidem robuſtiſsimis teq; ipſo digniſsimis argumentis,ſuadet pia atq; iuſta arma pro ſalute publica in Mahometem monſtrum ſpurciſsimum capere, magnanimique Philippi imitari exemplum, & uel in primis ſupremam Maieſtatem tuam ſequi, quæ & æternam filij Dei repræſentat, & uices illius gerit in terris. Fateor beatiſsime pater,nullam eſſe ad æternam felicitatem,aut expeditiorem,aut certiorem uiam,aut fama & gloria digniorem,quàm quod ſupereſt mihi uitæ pro nomine & gloria illius exponere,qui humanam induit carnem,& mori elegit quo humanum genus nō mortale modo pro peccato,ſed mortuum factū ad uitā reduceret ſempiternā. Fateor me Philippo maiorem natu non eſſe. Verum rei militaris ſciētia,uirtute,autoritate,felicitate,proprijſq; neceſſarijs,Imperatoriſq; muneribus non mihi modo,ſed omnibus multarū ætatum Imperatoribus præferendum eſſe. F Numera clariſsimas eius uictorias, gentes domitas, nationes ſubactas,populos ſub imperium miſſos,& tandē rerū ab eo geſtarū gloriam ante oculos pone,quarum teſtis eſt Germania,teſtis Gallia,teſtis Britannia,quanquā Sanctitati tuæ longe notiores eſſe quā mihi certior ſim: Et facile inde intelliges eum dignum eſſe,in quem moles tanti & tam ampliſsimi imperij deferatur,& cuius auſpicijs Chriſtiana arma & ſigna militaria moueantur. Humaniſsimū eum atq; modeſtiſsimum principem,& dignitatem tuam clementiſsimam ac ſapientiſsimā ſcio. Sed uereor ne uires meas,pace utriuſq; dixerim,ſupra modum exiſtimantes opinione fallamini. Nolim tamen beatitudo tua dictū,hoc opinentur,quo equū humeris meis fugā onus imponi, quod ne parere tibi fortaſsis recuſem. Parebo enim,ibo quo iuſſeris,& omnia peragā quæ Chriſtianum hominem & tuæ ſanctitatis ſtudioſiſsimum decet,tum ob reuerentiā clauium, timorem Dei & pietatem in proximū,tum quod in tanta quadā indignatione afficior, quod ætas noſtra tāta & tam inſigni ignominia notata ſit. Opinaris ne beatiſsime pater, quicquā uel naturæ meæ cōmodius,uel cōſuetudini aptius quā exercitiū caſtrēſe: præſertim in quo ab adoleſcentia mea educatus ſum,& uſq; ad hanc ætatē uerſatus. Pax mihi fateor,& in primis Italica placet,pro qua ædificanda,cōſeruanda, amplificanda,nullam operam

A operam, nullum studium, nullam industriã aut prætermisi, aut prætermissurus sum. Verum otium tanquã naturæ meæ inimicũ abhorrendũ semper fugiendumq; institui, quo uelut scribis, testaturq; medici, in hanc nouissimã, q̃ me ad exitũ prope inuasit, ualetudinem incidi. Neq; uxoris igitur aut natorũ blandimẽta, neq; delectatio principatus, neq; delitiarum mollities in ociũ me cõpellunt, neq; labores & pericula quibus assuetus sum à capessendo bello hoc abhorrebunt, neq; necessariorum aut amicorũ cõsilia mẽtem ab instituto diuertẽt, quin Christi crucẽ sequar, quin facultates omnes meas, & ipsam quoque uitam pro Christiana religione tuenda exponam. Sed super omnia pro æterna felicitate adipiscenda, quã per Prophetas primũ Deus, inde per filiũ, nunc per te his omnibus proponit, q caput suũ contra blasphematores & inimicos fidei Catholicæ deuouerint. Consueui beatissime pater ab annis etiã minus grauibus fidelia amicorũ & necessariorũ cõsilia, et quidẽ attente, studiose, diligẽter audire, idq; pro priuatis aut publicis negocijs, quod melius arbitratus sum eligere, deliberare, disponere, facere. Nũquã satis apud me ꝓbata est eorũ cõditio, qui cum apud eos summa imperij uel regiminis sit, regi malunt quàm regere. Existimat ne Clemẽtia tua apud me esse quẽquã, qui in eum furorẽ uel dementiã uergeret, qui dignitatis meæ curã, qui salutis publicæ studium, qui felicitatis desiderium dissuadere auderet, aut me tantæ fortassis ignauiæ, uecordiæ, desidiæ, ut tam facile in falsorũ suasorũ sententiã traherer: Deus à me prius hanc mentis stupiditatẽ auertat.
B Neq; status etiam mei iacturã formido. Est mihi, ut tu dicis, uxor uirtute ac rerum experientia prædita, nõ minus dilecta quã desiderata à populis: Est & Galeacius primogenitus meus iam grandis, & supra ætatem prudens: Sunt & Veneti non fœdere solũ mihi, sed amicitia singulari beneuolentiaq; cõiuncti. Florentinos eo loco habeo, quo tu ipse dicis: A Christianissimo Francorum Rege in omnem casum, fauorẽ rebus meis auxilia, subsidia, præsidia, præstolarer. Cum cæteris uero finitimis nullæ mihi contentiones, nullæ simultates, nullæ inimicitiæ sunt. Et super omnia Dei mihi filium spero, pro cuius gloria & nomine pugnaturus sum, optimum defensorem. Itaq; neq; ætas, neq; mollium delitiarum cupiditas, neq; domi rerum mearum metus, neq; pecuniarum defectus, quibus te inueniendis optimã operam nauaturũ existimo, à sanctissimo me desiderio tuo, atq; ab instituto meo diuertent. Vereor tamen beatissime pater, ne circa duo nos breuitas temporis urgeat, & quod ad tantum apparatum terra mariq; disponendũ, quantus huic maximæ expeditionis moli necessarius est, parũ ad Ver usq; primum spacij datum esse existimem, & quod quia plerisq; malis pristinæ ægritudinis reliquijs teneor, quæ nisi quotidie magno studio & diligentia curarentur, in maximum me periculum traherent. Instituerunt medici adhibito magni examinis consilio, balneis illas curare, atq; consumere, pollicenturq; illis me ad salubrem & integram ualetudinem restituere, quod si factum,
C ut spero, fuerit, aliaq; (quod Deus auertat) legitima causa nõ aduenerit, institui quãtum superest mihi uitæ, ꝓ defendenda Christianorũ religione, pro fide Catholica ampliãda pro Dei Euangelio cõseruãdo, pro Mahometis idolatria ex sanctissimis Dei tẽplis iam non solum prophanatis, sed adulteratis, pessundatis, dirutis, expellenda deducere. Nam si Decius pariter, & Decij filius, pro senatus populiq; sui uictoria, si plerìq; alij Romani pro patria, si innumerabiles pene omnium ætatum, gentium, nationum, pro mortali duntaxat gloria sese deuouerunt, quid nobis faciendum, quibus cœlestis gloria ac beatitudo æterna proponitur. Ibimus profecto in expeditionem hanc, & partem nostram pro incorruptibili corruptibilem, pro cœlesti terrestrem, pro æterna mortalem, pro perpetua caducam exponemus. Et quanquã pro tua singulari prudentia magnaq; rerum experientia opportune te desiderasse existimẽ, quæ ad hanc maximam expeditionẽ necessaria sint, tua tamen singulari bonitate & clemẽtia fretus, uelut qui rei bellicæ studiosissimus fui, dicam quid sentio. Primum quod in bellis suscipiendis considerandum est, & magno consilio explorandum, quanta sit inimicorum potentia, quantus & qualis exercitus, quæ sit eorum militandi disciplina atq; industria, qui locorum situs, quibus uel se ualeat exteris præsidijs auxilijsq; tueri, uel impugnare hostem atq; repellere. Dehinc ita se ad bellum parare, ut optima spes de uictoria habeatur. Turcorum quidem

potentiam adeo spernendam, ut quæ ad uictoriam necessaria sunt negligamus, non cen seo, neq; ut ab inferendo bello desistamus timendã. Vide quid capitula istinc ad me trãs missa, dehinc illa eadẽ diligẽtius ac maiore studio à uiris (ut par est credere) inimicarum uirium & facultatum expertis, examinata atq; digesta ostendant. Trecẽta milia militum Turcorum Imperatorem ducturum fore affirmant, plerosq; deinde alios Mahometæ sectæ reges, tum ob eorum perfidiam, tum quod sibi ac rebus suis gentibus, populis, re gnis timebunt, Turcorum ruinam desolationemq; passuros non recte existmaint. Ad quæ literæ tuæ eos populos inermes, effœminatos, imbelles esse respondent: Fateor quo que beatissime pater, maximam eorum partem eiusmodi esse. Verũ in armis bellicisq; expeditionibus uti facile meminisse possumus, multis ætatis nostræ annos cum maxima Christianorum strage uersati sint, arma habent ad eminus comminusq; pugnandũ. Pro eorum lege atque Imperatore non modo parere imperio, sed mori quoque docti atque parati sunt. Habent præterea & ad inuadendum & ad fugiendum equos agiles, corpo raq; eorum agilia. Adde etiam castris sexdecim, ut plures affirmant, pugnatorum milia quos Zanectarios uocant, robur firmamentumq; militiæ phalangis instar armis assue tos, rei bellicæ expertos, diuersarum nationum diuersarumq; gentium mercede condu ctos. Huic sicut non timendo, ita non spernendo exercitui, quales pro adipiscenda ui ctoria uires opponendæ sint, qualesq; exercitus conducendi, Etsi cum Philippo cæte risq; in tuis literis nominatis satis erit gentium Italicarum earum, scilicet quæ in hãc ex peditionem ducentur ad monstrum hoc uirulentum & fœtidum conculcandum, te nõ præuidisse modo, sed prouidisse certior sum. Noui enim sicut acumen ingenij, ita & ma ximarum rerum experientiam, ita singularem ac prope diuinam sapientiam tuam. Itaq; aliarum te nationum Christianarũ principes potentatusq; ad supplendas exercitus, tui uires aut uocasse, aut uocaturum non dubito. Et quanquam commonitiones has præ sumptione certe non carere, quod Mineruam instrui uelim, plane cognosco, fideliter ta men benignitati tuæ dictas pie atq; humane suscipias oro. Si igitur, ut soles, cætera o mnia, ita hæc quoq; recte instituisti, non modo Europa Mahometeam idolatriam de pellemus, uerum Christiana signa in Asiam traducemus, Hierusalem Dei sacrarium re cuperabimus: Iesu nomen fidemq; Catholicã, sanctumq; Euangeliũ in ea loca restitue mus, in quib. per Apostolos tradita olim atq; propagata fuerãt, desideratũ triumphum Romam ad sedem tuam reportaturi. Capitolium quoq; oblitterata laurea barbaricis Orientalium populorum spolijs cingemus, quibus tandem Lateranã Petriq; basilicam exornabimus. Verum quoniã huic expeditioni præsentiam tuam præstaturũ affirmas, cogitanti mihi atq; ipsum accurate pẽsanti, quid utilitatis ad hanc rem gerendam, q̃due detrimenti ea ipsa afferre ualeat, multis hinc atque inde argumentis, & quidem firmissi mis agitata, mens nequit non trahi, in uarias diuersasq; sentẽtias: hoc unum quietem mi hi ipsam speiq; optimæ plenam reddit, quod intelligam rem hanc à te mature, ut eius mos exposcit, grauiter, studiose, diligenter consideratam. Itaq; quicquid à te excogita tum deliberatumue fuerit, id mihi non humano, sed diuino consilio factum esse persua debo. Datum Mediolani *VIII.* Calend. Nouembris, Anno *M. CCCCLXVIII.*

Hortatur rationibus ne uirum prohibeat ire contra Turcum. *Epist.* CCCXCIII.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectæ filiæ nobili mulieri
Blancæ Mediolani ducissæ, S. & A.B.

VIrũ tuũ aduersus impios Turcos arma sumere iubet Deus, hoc enim ei scribim⁹, uide ne obstes. Periculosum est diuinæ uoluntati resistere. Periclitatur Christiana religio: In foribus hostes assunt: prope ad radicẽ posita est securis, nisi uigilamus, nisi forti animo resistimus hosti, actum est de nomine Christiano. Spes magna salutis in tuo uiro sita est, si sumpserit arma & scutum ductoremq; se Christianis præbuerit, libe rabit dominus in manu eius populum suum et immanissimum dracone conteret. Quod si prouinciam hanc recusauerit, nec diuinæ uocationi paruerit, cæteri quoq; se subtra hent, impedieturq; sua culpa Christiani fidei expectata defensio, quod de sua magnani mitate

A mitate haud quaquam putamus, cui magna semper & præclara cordi fuerunt. Teipsam ueremur ne uiri proposito aduerseris, ne retentes ire uolentem, obijciesque more mulierum mille pericula, amantis est ab amato non posse diuelli. Concedimus ista coniugio, nec miramur acerbam tibi futuram eius absentiam, sic maritalis exposcit affectio, sed maior est Christi charitas. Si plus uirum quàm deum diligis, non es Deo digna: In Euangelio hoc legisti. Deo nihil negari potest. Caue ne tui amoris causa uirum à Deo seiungas. Odire hoc esset non amare. Noli esse impedimento his quæ diuina Maiestas ordinat. Recordare quot accepisti à Deo bona, nec uelis ingrata uideri. Deus hunc tibi, quem diligis uirum dedit, audebis ne pro paruo tẽpore reposcenti negare? Concessum in multos annos, in paucos menses concedenti non permittes. Caue ne cœlestem Maiestatem offendas, in cuius manu est uirum tuum auferre cum uelit, nihil ei negandum est qui potest cogere. Siue ueniat coniunx tuus, ut ea faciat quæ iubetur, siue deleat peccata sua hoc itinere, & suæ saluti consulat, eris tu quoque meriti sui particeps, si pro seruitio Dei mariti absentiam æquo animo tuleris. Propone tibi & coniugi moriendũ esse aliquando, & quod ætate prouecti ambo, diu simul in hoc seculo esse non possitis. Fugit uita mortalis, & quasi fumus cito euanescit: quærenda est altera quæ neque molestias habet, neque finem. Illic thesaurizandum est, illuc aspirandum. Si uirum tuum in prouinciam sibi decretam iusseris ire, aut ire uolentem impediueris, & illi & sibi optime
B consules, ambo post hãc uitam cum Christo regnabitis, alioquin & illi & tibi timemus. Hortamur igitur ne uiam uiri impedias, ne absentiam parui temporis inuita sustineas. Redibit, ne dubita, cito ad te gloriosus: gaudebisque & tui & sui causa. Ambo in hoc opere cœlestis uitæ præmia consequimini, & qui fuistis in hoc mundo felices, in altero eritis beati. Pius & misericors Deus in animo tuo ponat, quæ suæ sunt beneplacita uoluntati. Datum Romæ.

Mandat electum episcopum assumere, & nullis aduersis contraire, Epist. CCCXCIIII.

Pius &c. Dilectis filijs, S. & A. B.

COmmissa nobis desuper cũctorum fidelium cura, nos uigilare cogit, ne sathan diuisionis autor aduersarius noster præualeat, & creditas nobis oues, aut mactet, aut dissipet. Hinc est quod causæ ecclesiasticæ libertatis & iurisdictionis conseruandæ contra uos per dilectum filiũ electum Leodiẽsem, dominũ uestrum mota, & ob hoc ecclesiasticum interdictũ positum, offeratisque ut intelleximus ea quæ ad huius differentiæ sublationem opportuna creduntur: Dignum arbitrati sumus, ut uices nostras in ea causa taliter interponamus, quod ecclesia Leodiensis releuetur, & diuinus cultus resu-
C matur, atque inter uos & ipsum dominum uestrum bona pax & concordia fiat & conseruetur. Ob quam rem feliciter peragendam, mittemus de proximo uirum probatũ sufficienti de hac potestate fulcitum. Quapropter uos in charitate hortamur, atque Apostolica autoritate districte præcipientes mandamus, ne per uos aut per uestros seu aliũ quenquam dicto domino uestro electo, seu alijs quibuscunque in hac causa aduersarijs moueatis guerras, aut uia facti contra ipsos quicquam attentare præsumatis, sed uenturum ad uos nostri ex parte expectetis, ne sanguinis effusio, si (quod absit) interuenerit Deum offendat, & causam ipsam difficiliorem desperatamque reddat, Datũ Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die II. Ianuarij. Anno M.CCCCLXIII.

Pœnitet olim composuisse tractatum de duobus se amantibus, Epist. CCCXCV.

TRactatum de amore olim sensu pariterque ætate iuuenes cum nos scripsisse recolimus, Carole fili dilectissime, pœnitentia immodica pudorque ac mœror animum nostrum uehementer excruciant: quippe qui sciamus quique protestati expresse fuimus, duo contineri in eo libello, apertam uidelicet, sed heu lasciuiam nimis prurientemque amoris historiam, & morale quod eam consequitur, edificans dogma. Quorum pri-

mum fatuos atque errantes uideo sectari quàmplurimos: Alterum, heu dolor, pene nullos. Ita impravatum est atque obfuscatum infelix mortalium genus. De amore igitur quæ scripsimus olim iuuenes, contemnite ò mortales, atque respuite, sequimini quæ nunc dicimus, & seni magis quàm iuueni credite. Nec priuatum hominem plures facite quàm Pontificem: Aeneam reijcite, Pium suscipite. Illud gentile nomen parentes indidere nascenti, hoc Christianum in Apostolatu suscepimus. Porrò si, quem de scripsimus Euriali Lucretiæq; amorem, deuoti, ut accepimus, O miseri, O insipientes perlegitis, huc propensius iamiam accedite. Quandoquidem non duorum modo, sed omnium amorem, imo, ut poëtæ fingunt, Deum amoris cupidinem quanto ualemus ingenio, quanto possumus artificio, describemus. Si artem quæris ò scriptorum nostrorum curiosi lectores, plus artis profecto hic, quàm ibi reperietis: Si fructum, si compendium, si ornatum, hic totus est fructus, compendium totum, de ornatu aliorum detur iudicium. D

Vidimus effigiem lasciui nuper amoris
Quæ nimium mentem nouit imago, meam.
Nec barbam malis, nec corpore tegmen habebat
Nudus terga, manus, pectora, crura, pedes.
At humeris alæ suberant & flexilis arcus
Lumina sub tenero cæca supercilio.
Cur puer imberbes nulla lanugine malas,
Cur melius nulla corpora ueste tegat,
Lumine cur careat, pharetram cur gestet & arcum:
Cur habeat pennas, Calliopea refer.
Sic ego. Sic retulit quæsitas ilico causas
Maxima pegasei Calliopea chori:
Qui sapit euitat malesana cupidinis arma,
Et tantum pueros intrat ineptus amor:
Siue quod est puero similis, qui cœpit amare,
Et perit mente, pingitur inde puer.
Pingitur & nudus, nullum seruare pudorem
Et meminit simplex, & manifestus amans.
Pingitur & cæcus, quia nō bene cernit honestum,
Nec scit quo uirtus, quo ferat error amans:
Vel quia quæ peccet, credat secreta latere,
Cuncta nec in sese lumina uersa uidet.
Sic est omnis amans, sic se, sic omnia nescit,
Consilium, famam, fœdera, iura, deos.
Aurea quod curuo torquebat spicula cornu,
Pungere corda ferus significatur amor.
Quòd leuibus uolucres humeris suspendeat alas
Causa est, huc illuc quod leuis errat amans.
Vel quod amor cursum nō semper seruat eundem,
Nunc abijt, & paruus post redit inde moras.
Dixerat, & pressis obmutuit orsa labellis,
Effudi tales protinus ore sonos:
Quam uidi effigiem pharetram gestabat et arcum,
Fax tamen in dextera non fuit ulla sua.
Sed quoniam ueterum finxere poëmata uatum,
Quos ego quid temere commemorasse putem.
Dic, quare nam tædas fertur gestare Cupido?
Dic precor armatas cur habet igne manus?

Quæsitam

A Quæsitam uerbis respondens Musa duobus
Sic leuiter causam reddidit: Vrit amor.
Accipe lasciui quænam sit amoris imago.
Carole Cypriaci gloria magna soli.
Vt melius miserum caueas, dum noris amorem
Et redeas ad te, dum mea metra leges.

NOn insulse igitur, ut est apud Lactantium, quidam Poëta triumphum Cupidinis describens, non modo potentissimum deorum Cupidinem, sed etiam uictorem facit. Enumeratis enim moribus singulorum quibus in potestatem cupidinis ditionemq; uenissent instruxit pompam in qua Iupiter cum cæteris dijs ante currum triumphantis ducitur cathenatus. Eleganter id quidem à Poëta figuratum, sed tamen non multum distans à uero. Qui enim uirtutis est expers, qui cupiditate aut libidinibus uincitur malis, non Cupidini, ut ille finxit, sed morti subiectus est sempiternæ. Stultus autem M. Tullius, inquit Lactantius, qui Caio Verri adulteria obiecit, eadem enim Iupiter, quem colebat, admisit, qui P. Clodio sororis incestum, at illi optimo maximo fuit & soror & coniunx. Quis est ergo tam excors qui hunc regnare in cœlo putet, qui ne in terra quidem debuit? Aspice quoque Philosophos uitæ magistros, moresq; eorum & uitam diligenter inquire, & inuenies paucis exceptis, iracundos, cupidos, libidi-
B nosos, arrogantes, proteruos, & sub obtentu sapientiæ sua uitia palliantes, cum domi faciant ea quæ in scholis arguissent. Mentior fortasse accusandi gratia. Nonne id ipsum Tullius fatetur & queritur in hæc uerba: Quotus quisq; Philosophorum inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo & uita institutus ut ratio postulat, qui disciplinã, non ostentationem scientiæ, legem uitæ putet? qui obtemperet ipse sibi & decretis pareat suis, Videlicet alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ: multos libidinum seruos, ut cum eorum uita mirabiliter pugnet oratio. Hæc Cicero. Qua de re coacti sunt quàm plures, hi uero maxime qui sequuntur in Venerem, inq; libidinosos & molles, immo in brutales Veneris mundiq; amatores taliter exclamare.

Prudentius,

Ha Venus ad nutum trahis omnia numina cœli
Astra moues alioq; rotas errore Planetas:
Accendis gelidam sub fratris lampade phebem
Tu fera, tu cæca, cæci tu ianua læthi
Corpora tu maculas, animas in tartara mergis.
Abde caput tristi iam feruida pestis abysso
Occide prostibulum, manes pete, claudere auerno.
C Inque tenebrosum noctis detrudere fundum.

Architrenius,

Combussit Phrigium Pastorem Pergama Græcos
A ueneris surgens faculis amor, ignis, & ira.
Canduit Alcides Veneris Messiq; fauilla
Hoc sale sal hominum Salomon insulsus amari
Demeruit, morem qui amaro gessit amori.

Iuuenalis

Sunt qui uitia
Herculis inuadunt & de uirtute loquuti
Clunem agitant, ego te ceuentem Sexte uerebor
Infamis Varillus ait: quo deterior te?
Loripedem rectus derideat Aethiopem albus.

Lactantius. Igitur qui docent tãtum nec faciunt, ipsis præceptis suis detrahunt pondus. Quis enim obtemperet, cum ipsi præceptores doceant non obtemperare. Bonum est recta et honesta præcipere, sed nisi & facias, mendacium est. Et est incongruens atque ineptum, non pectore sed in labijs habere bonitatem.

Seneca

Seneca in epistolis. Plerique Philosophorum tales sunt, ut sint diserti in conuitium suum: Quos si audias in libidinem, in auaritiam, in ambitionem perorātes, iudiciū suum professos putes, adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa. Quos non aliter intueri decet quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pixides uenena. Quosdam uero nec pudor tenet uitiorum, sed patrocinia turpitudinis suæ fingunt, ut etiam honeste peccare uideantur. Faciet enim sapiens quæ non probabit, ut etiam ad maiora transitum inueniat: sed relinquet mores bonos, sed tempori aptabit, & quibus alij utuntur in gloriam aut uoluptatem utetur agendæ rei causa. Lactantius institutionum libro tertio: Aristippo Cyrenaicarum magistro cum Thaide nobili scorto fuit consuetudo. Quod flagitiū grauis ille philosophiæ doctor sic defendebat, ut diceret multum inter se & cæteros Thaidis amatores interesse, quod ipse haberet Thaidem: alij à Thaide haberentur. O præclara & bonis imitanda sapientia. Huic uiro liberos in disciplinam dares, ut discerent habere meretricem. Aliquid inter se & perditos interesse dicebat, quod illi sua bona perderent, ipse gratis luxuriaretur. In quo plane sapientior meretrix fuit, quæ sic Philosophum habuit pro lenone, ut ad se omnis iuuentus doctoris exemplo & autoritate corrupta, sine ullo pudore concurreret. Quid ergo interfuit quum Philosophus ad meretricem famosissimam commearet? cum eum populus & riuales sui uiderent omnibus perditis nequiorem? Nec satis fuit ita uiuere, sed etiam docere libidines cœpit, ac mores suos de lupanari ad scholas trāstulit, differens uoluptatem corporis esse summum bonum. Quæ doctrina execrabilis, & pudenda non in corde Philosophi, sed in sinu meretricis est nata.

D (margin, line 2) · E (margin, near "rent omnibus perditis")

Reserat Turco fidei nostræ ueritatem, & collidit errores Mahometi atque sectam suam,
Epist. CCCXCVI.

Pius episcopus seruorum Dei, Illustri Mahometi principi *Turcorum, Timorem diuini nominis & amorem.*

SCripturi ad te aliqua pro tua salute & gloria, proque communi multarum gentium consolatione & pace, Hortamur ut benigne audias uerba nostra, nec prius damnes quàm iudices, nec prius iudices quàm singula diligenter intelligas. Accipe quæ scribimus in bonam partem, & usque in finē patiēter audi. Si bona sunt quæ suademus, amplectere, si mala, respue & in ignē mitte. Neque idcirco epistolam reijcias, quia Christiani hominis est, & eius Christiani qui cæteris præest. Non enim te odio persequimur, neque tuo insidiamur capiti, quamuis nostræ religionis hostis existas, & armis Christianam urgeas plebem: operibus tuis, non tibi sumus infensi: diligimus, iubente domino, inimicos nostros, & pro persecutoribus nostris oramus. Sapientibus & insipientibus debitores sumus, & omnes cupimus fieri saluos, Græcos, Latinos, Iudæos, Saracenos, & omnibus optamus bona. F Sed scimus uera bona neminem assequi posse, qui extra Euangelium degit, & à Christo domino nostro est alienus. Noli autem aures claudere aut oculos auertere, cum Christum nominamus, quem Mahomethea lex, in qua natus es, & uirum sanctum & Prophetam magnum, & uirginis filium, & miraculis clarum dicit. Multa tibi per eum & maxima bona aduenient, si ei credideris, & eius sacris initiari uolueris. Horresces hæc cum principiū accipies: sed audienda est tota lex, deinde iudiciū promendum. Audi, quo tendimus. Multa tibi & tuis progenitoribus cum Christianis bella fuerunt. Multus sanguis effusus est: Multæ urbes deletæ: Sacre ædes incensæ, Raptæ uirgines, Violatæ matronæ. Vastati agri. Scelera perpetrata sunt, quæcunque in mentem uenire possunt, dum Turcus & Christianus uter imperet, gladio contendit. Tibi ut fama & opera ipsa loquūtur, ingens desideriū est Christianos sub iugū mittere: & imperiū Latini nominis obtinere. Et sunt fortasse qui hoc facile suadent, & omnia tuis armis peruia dicunt, & alij tuas uires amplificantes Christianos attenuant: alij in diuisionibus & odijs quæ gentē nostrā excedūt, spem collocāt, haud difficile existimantes eos uinci ab exteris posse, qui domi dissidēt. Nos nō ita ignarū te credimus nostrarū rerū, quin scias quāta est Christianæ gentis potētia, quàm ualida Hispania, quàm bellicosa Gallia,

quàm

A quàm populosa Germania, quàm fortis Britãnia, quàm audax Polonia, quàm strenua Vngaria, quàm diues et animosa et bellicarum perita rerum Italia. Sola Vngaria diu progenitores tuos et teipsum fatigauit. Octuagesimum iam annum aduersus Vngaros Turcorum signa feruntur, & adhuc circa Sanum ac Danubium hærent: una tegens tuasq; uires agitat, quid facias si tibi cum Italis aut Gallis aut Germanis res fuerit amplissimis & robustissimis populis? Fortasse est qui dicat Iustinianum Imperatorem Constantinopoli sedentem misso in Italiam Bellisario, cum parua manu militum perditam Romam & reliqua loca usque ad Alpes recuperasse, nec te Iustiniano minorem esse. Caue ne te fallant adulatores, domestica regum & assidua pestis: facilem principes magna de se loquentibus aurem præstant, atque idcirco sæpe decipiuntur. Rarus est qui non se uero maiorem credat. Iustinianus uniuersæ Græciæ & Illyrici & Asiæ & Lybiæ dominus erat, & Italiam non acquisiuit, sed recens perditam recuperauit, & à Gothis gente barbara, non ab Italis abstulit: nondum amor imperij Romani in mentibus Italis refriguerat, neque ullus erat qui barbaricum iugum æquo animo ferret, cuncti arma pro imperio & pro patria magnis animis susceperunt: nec tam Bellisarius Italis libertatem restituit quàm Itali suum decus uendicarunt. Tui progenitores nunquam aut possederunt Italiam aut uiderunt, nec tibi ius ullum in ea est. Quod si pergas Italiam inuadere, senties tibi cum uiris bellum esse. Fatemur res claras tui maiores B egere, nec tua minora sunt opera, qui Constantinopolim expugnasti, & Peram è regione Ianuensium, Coloniam & Peloponensium, magna ex parte in deditioni accepisti, & in Rastia et in Vualachia non paucum agri adeptus es, et sæpe tuos hostes fudisti, & hoc anno Synopem uetustam urbem Metis Eupatoris patriam, & eius tyrannum cœpisti, & Trapezunte direpta, incolas eius & Imperatorem in captiuitatem abduxisti. Et Ioannem Cassanum prælio congredi ausum superasti. Magna hæc tibi uidentur, nec nos parua dicemus. At Iulius Cæsar cum de uictoria pontica triumpharet, in curru, quo uehebatur, hæc uerba iussit inscribi. Veni, uidi, uici, imbelles eas gentes & parui momenti existimans, quas Pompeius paulo ante domuerat, & tu hac ætate superasti. Alia est Italorum natura, aliæ uires, alia ingenia, alij animi. Nesciunt subesse qui soliti sunt præesse, & nunc tota Italia armata est equis & hominibus plena, nec pecunia caret, quæ neruus belli dicitur. Non pugnabis contra fœminas, aut Italiam, aut Vngariam, aut aliam in Occidenti prouinciam ingressus: ferro hic res geritur non Asiaticis sudibus Calibæus thorax pectora tegit: equi simul & homines tecti pugnant: ordines seruant, nec uano metu pauent. Fortior sit necesse est & manu promptior & animo præstantior qui eos loco depellat. Nec Christiana dissidia desiderio tuo conducere putes, aut in his confidas: unientur Christiani omnes: si quando te audiant interiora C Christianitatis accedere: nec tu melius Christianorum paci consulere potes, quàm ualidis & magnis copijs Christianitatem inuadens: cessabunt priuata odia, ubi publica senserunt, & coniunctis uiribus aduersus communem hostem arma sumentur. Nec tu necesse arbitreris, ad propulsandas tuas incursiones, ad comprimendum tuum impetum, tuasq; uires elidendas, totam Christianitatem uniendam esse, quod fatemur difficile. Sed una ex quatuor nationib. satis fuerit superq; satis tuas copias profligare. Atq; ut de alijs taceamus, quàm plures esse in tuo palatio arbitrantur, qui terram Italiam lustrauerunt, & uires & ingenia noscunt: ipsos audi atque interroga, an æquari tuis uirib. Italia possit: an uinci tuis armis, an tuo imperio subijci. Plus negocij Romanis fuit Italiã acquirere, quàm orbi reliquo frena imponere. Dicet aliquis quod supra tetigimus intestina odia quæ nostrã gentem exagitant, introitũ tibi in Italiam posse præbere: & si unus principum te excludat, alterum inclusurum daturumq; aditũ. Sunt diuisiones sane, & inimicitiæ, & simultates inter Italos plures & graues et periculosæ & utinã nõ essent. Sed nullus est qui dominũ pati nõ Christianũ uelit: omnes in fide orthodoxa mori uolũt: Nulli animus est à religione recedere. Nõ hic inuenies, q̃d tui maiores apud Græcos, q cõtẽdẽtib. de imperio duob. nũc uni, nũc alteri minus potẽti auxilia ministrauere donec ambos ener-

eneruatos & exhaustos eiecere, & sibi principatum arripuere. Aliæ sunt Italiæ potentiæ: aliæ regum oculi: aliæ ciuitatum cõsilia. Venetorum respublica sapientia diues & auro, Christo deuota, ut nostra fert opinio, prius euertetur funditus, quàm hostem religionis in Italiam patiatur intrare atque hæc quidem per sese, quãdo statuerit nullis adiuta uicinis, tuas opes euertet tantum terra mariq; potest. An Florentinæ urbis magnificentiam ignores, & uires & opes, & quantus est in ea religionis cultus, quanta erga Iesum reuerentia, quantus amor? Credis ne fieri possit ut hæc ciuitas Italiam diuersæ religionis hominibus aperiri sinat? Sunt aliæ multæ urbes insignes, multi principes clari & magni. Nihil de regno Siciliæ dicimus, quod armis hac tempestate concutitur: non possumus multa nobis de illo promittere, licet tamen hoc asserere, quod quanquam duo Reges de ipso litigent, & bello decertent, maluerit, tamen uterque regno priuari, quàm tuis auxilijs uictoria potiri. Quod si ad te alter confugerit, totus Italiæ in se odia concitauerit. In Gallia Cisalpina quæ & ipsa pars est Italiæ dux Medionalensis in armis excellit, & potentia par Regibus habetur. Nec paruæ sunt ducis Mutinæ uires, aut Ianuensis, qui Liguribus præest mari. Non contemnendus ducis Sabaudiæ, opulentus est ualidus in Italia principatus. Adest Marchio Mantuanus: Sunt alij complures urbium domini, quibus nihil potest esse molestius quàm nobilem Italiam uanæ superstitionis ritu fœdari. De nobis & ecclesiæ Romanæ ciuitatibus & prouincijs tacemus, quando nostram tibi professionem haud ignotam esse confidimus, quibus sola cura est seruandæ & ampliandæ fidei domini nostri Iesu. Hæc si accepisti ab alijs, gaudemus: ueritatem enim accepisti. Sin minus hortamur hæc discutias, & uerum uestiges, inuenies nihil nos esse mentitos. Non folium Sibyllæ, ut quidam ait, de Euangelij pagina recitamus. Difficile est atque adeo difficile ut impossibile dici queat, te tua in lege permanentem, uoti compotem fieri, si, ut aiunt, Imperium Christianorum desiderat. Dices quàmplurimos tibi Christianos subesse, & de reliquis idem speras: non est par ratio, paucissimi sub tuo imperio Christiani sunt, qui ad ueritatem ambulent Euangelij. Omnes aliquo sunt errore imbuti. Quamuis Christum colant Armeni, Iacobitæ, Maronei, & alia quædam nomina Græcæ à Romanæ ecclesiæ unitate aberant, cum tu Constantinopolim inuasisti, neque adhuc decretum Florentinum acceperant, & in errore stabant: neque de sancto spiritu, neque de purgatorio igne consona rectæ fidei sententes. Pauci fortasse inopes ueri Christiani, necessitate, non uoluntate, tibi obediunt. At urbes Italiæ potentissimas non est tuum cogere, ualidiores sunt quàm tuis queant exercitibus superari. Nosti quæ tibi acciderunt cum Taurinum inuasisti, quod nostra ætas Belgradum uocat. Pauci cruce signati, innumerabiles tuas copias prostrauerunt. Non est de Italis speranda uictoria, quibus aduersa fuit in Vngaris pugna. Quocirca ut eo tandem ueniamus quo nostra festinat oratio, & id dicamus quod ad scribendum compulit, tuamq; gloriam & tuam salutem tibi deniq; ostendamus, adhibe his paucis animum. Si uis inter Christianos tuum imperium propagare, & nomen tuum quàm gloriosum efficere, non auro, non armis, non exercitibus, non classibus opus est. Parua res omnium qui hodie uiuunt, maximum & potentissimum & clarissimũ & te reddere potest. Quæris quæ sit? non est inuentu difficilis, neque procul quærenda, ubiq; gentium reperitur, id est aquæ pauxillum quo baptiseris, & ad Christianorum sacra te conferas, & credas Euangelio. Hæc si feceris, non erit in orbe princeps, qui te gloria superet, aut æquare potentia ualeat. Nos te Græcorum & orientis Imperatorem appellabimus, & quod modo ui occupas, & cum iniuria tenes, possidebis iure. Christiani te omnes uenerabuntur, & suarum litium iudicem facient. Oppressi undique ad te ueluti commune patrocinium confugient, ex toto fere orbe ad te prouocabitur, multi sponte sua sese tibi subijcient, tribunalia tua sequentur, & tributa præstabunt. Licebit tibi surgentes extinguere tyrannides, iuuare bonos, oppugnare malos, nec Romana ecclesia te arguet recta uia uadentem. Eadem erit erga te charitas primæ sedis, quæ in cæteros Reges, & tanto maior quanto eris ipse sublimior. Facile hoc pacto sine sanguine, sine armis

A armis multa poteris nancisci regna. Vladislaus Lituaniæ princeps, Vituldi frater, cum aspiraret ad regnum Poloniæ, essetq; infidelis, ut uoti sui compos fieret, Christianus effectus est, & regnum obtinuit: cuius nunc filius Casimirus regnat: alter filius qui etiam apud Vngaros regnauit, in bello cõtra genitorem tuum gesto superatus occubuit. Quid reris de te fiet Christianis initiato sacris? Magnus erit ad te concursus, & felicitatis genus existimabitur inter subiectos tuos annumerari. Quippe ut arbitramur, si Christianus fuisses, mortuo Ladislao Vngariæ, ac Bohemiæ Rege, nemo præter te, sua regna fuisset adeptus. Sperassent Vngari post diuturna bellorum mala sub tuo regimine pacem, & illos Bohemi secuti fuissent. Sed cum esses nostræ religionis hostis, elegerunt Vngari uiri fortes & fidelissimi, religionem potius cum bello tetinere, quàm ea perdita pacem consequi. Quod sunt in Epiro in Peloponeso, in Macedonia, in reliqua Græcia, in Dalmacia, in insulis Aegei, Carpacij & Ionij maris, quæ tuum Imperium non alia de causa refugiunt, nisi quia alienus es à Christi ritu: & hi modo ad nos modo ad alios recurrunt, opemq; petunt, extrema omnia subituri priusquàm te circuncisum & alienigenam dominum ferunt: & nos eos aliquando argento, aliquando frumento, aliquando rebus alijs subleuamus. Quod si baptizatus esses, & nobiscum ambulares in domo domini cum consensu, nec illi tuum Imperium tantopere formidarẽt, nec nos eis aduersus te ferremus opem, sed tuum potius brachium in eos imploraremus, qui iura ecclesiæ B Romanæ nonnunquam usurpat, & contra matrem suam cornua erigunt. Et sicut nostri antecessores Stephanus, Hadrianus, Leo aduersus Haërstulphum & Desiderium gentis Longobardiæ Reges, Pipinum & Carolum Magnum accersiuerunt, & liberati de manu tyrannica impium à Græcis ad ipsos liberatores transtulerũt, Ita & nos in ecclesiæ necessitatibus tuo patrocinio uteremur, & uicem redderemus accepti beneficij. O quanta esset abundantia pacis? quanta Christianæ plebis exultatio? quanta iubilatio in omni terra? redirent Augusti tempora, & quæ poëtæ uocant aurea secula renouarentur: Habitaret pardus cum agno, uitulus cum leone: Gladij uerterentur in falces, in uomeres ac ligones rediret omne ferrum: excolerentur agri, euelleretur aspera dumus, terra nitesceret, uici repararentur & urbes, resurgerent templa Deo sacrata quæ ceciderunt, emergerent qui collapsa monasteria & plena uiris religiosis diuis omnia laudibus personarẽt. O quanta tibi redundaret felicitas, qui ad æterni pastoris ouile cunctas redigeres oues. quantum te omnes amarent, obseruarent, extollerent, qui communis omnium pacis & salutis fuisses autor. Dicet aliquis, hanc pacem, hanc unionem, hanc communem lætitiã haberi posse sub tua lege. Errat qui hoc censet, multos reges, multos populos unitos esse oportet priusquàm tuam legem ubiq; dissemines, nec si unias corpora, unies animos: sciunt Christiani suam legem sanctam esse, & ueram, & salutarem, nec dimoueri ab ea C possunt. quamuis aliqui aut libidine ducti, aut auaritia tracti, aut uoluptate illecti, aut metu mortis attoniti, aut cruciatu superati, nonnunquam circuncidantur, & in tuos ritus concedant, quorum si corda posses inspicere, intelligeres neminem esse qui libẽter consultoq; recesseris ab Euangelio. Ostendimus supra quantum præcellant Christianæ gentis uires, & quàm difficile sit tot nationes Christũ colentes euincere? Non est qui pacem speres sub lege Mahometea, in qua nõ est salus: difficultates experimẽtis ipse uides, qui etsi multis Christianis hisq; omnino non ueris imperas, minime tamẽ eis tuã legẽ persuadere potes: minus persuadebitur ueris, quæ non in argumentationib. rationũ sed in solo ferro fundata est, & quæ uincere disputando non sperat, ut uinci formidat. Non sunt Christiani qui uel bello superari possunt, uel disputationib. decipi. quãdo & armis excellunt, & rationib. munitissimi sunt nõ solũ diuinæ scripturæ, sed etiam philosophicæ. Impossibile est sub lege Mahomethea unionẽ fieri, sub Christiana facile fieri potest: Et id magna ex parte in tua uolũtate cõsistit. Tu unus si annuas, Turci omnes annuẽt: Nec Syri aut Aegyptij, aut Arabes, aut Lybies aduersabuntur: tecũ quicquid est intra Hellespontũ & Euphratẽ, & quicquid posides in Europa cõuertetur. Quid faciet baculus Aegyptiorũ arũdineus, quãdo Christianũ te uiderit effectũ? Quid imbellis Arabs? qd nudus Afer? Omnib. his Aethiopes imminẽt, Presbytero Ioãni parẽtes, qui Christianus est, nõ

poterunt

poterunt & illis & reliquis Christianis obsistere. Nisi cursum retinere possunt Aethiopes, & congregatam aquam dimittere quæ rumpat aggeres, & totam inundet Aegyptum, atque submerget. Cum sydus apparet Arcturi, Hispani & Siculi facile Mauritaniam inuadunt, & Cathalani cum Ianuensibus. Scis quantum ualeant occiduæ classes: & quantus est terror uel Tirijs, uel Alexandrinis, uel cæteris Orientalibus, quãdo Christianæ triremes ad eos nauigant. Tua certe autoritas & animi magnitudo, & in bellis felicitas apud omnes admirationi est, qui Mahometeam sequuntur legem. Quia si te nobis adiunxeris, breui totus Oriens reuertetur ad Christum: una tantum uoluntas pacare orbem potest. Et ea tua est si ad Baptismi gratiam se conuertat? In te est crudelibus bellis imponere finem, & tantum præstare mortalibus bonum quantum effari non possumus. Quæret aliquis, Quomodo quiescet orbis Turcis ad Christum conuersis? quando nec ipsi Christiani inter se concordes existunt, & multa per Italiam, Germaniam, Galliam, & reliquas prouincias deseuiunt bella. Diximus dissidere inter se nostræ gẽtis homines, non negamus, & plurib in locis ferro contenditur. Diuino olim cõsilio sub Octauiano propter reuerentiam Saluatoris, qui tunc secundum carnem natus est, ea pax in orbe fuit, quæ nec antea nec postea uisa est. Difficile est propemodum impossibile quiescere in terris omnia, ubi homines sunt affectibus subiecti reprobis. Illum ambitio exagitat, hunc cupiditas trahit, libido alium impellit: multa est inter mortales belli materia, sed non sunt tam atrocia inter Christianos prælia quàm inter Turcos & Christianos. Christianus cum Christiano de agri possessione, de Regno, de Imperio, de gloria cõtendit: cum Turco de religione, de libertate, de uita. Inter Christianos qui bello uincuntur, positis armis, nec uitam nec libertatem admittunt, & multis etiam patrimonia dimittũtur: Principes Imperio priuantur, inferiores dominum mutant, reliqua tenẽt. In prælijs quæ geruntur aut cum Turcis, aut cum Saracenis, qui succubunt, si uitam non amittũt, in seruitutem rediguntur, & multi etiam religioni renunciare cogũtur. Hæc acerbissima sunt & immanissima bella, quæ si tollantur, quod in te situm esse monstrauimus, pax maxima exorietur, & uniuersalis quies. Non sunt reliqua bella huic comparata faciem quodammodo pacis habent & ocij: nec illa tam multa erunt, quando unus assit qui solo nutu compescere possit iniurias: qualiter te futurum non ambigimus, si cum tua potentia Christianus efficiaris. Vides ne quantum tibi laudis affert Baptismi lauacrum? quantum cum Christo sublimis & conspicuus redderis? Quis prohibet aquam? quid metuis? Voces fortasse aulicorum times tuorum, quorum non dubitamus dicturos tibi aliquos: quid cogitas? quid agis? quorsum te tua uolũtas trahit? Vis baptizari? uis Christianus fieri? Nescis quod periculũ adis? Omnes te Turci deserẽt, et ubi existimas fieri magnus, fies nullus: & Turcus natus, Turcos deseres, inter Turcos creuisti: Turcorũ te manus extulit: Turci Asiã & Græciã gubernant, Turci exercitib. præsunt, qui si uel minimã famã tuæ mutationis acceperint, e uestigio sumptis armis te deiecto, Imperatorem aliũ substituent, tu nudus & expulsus euaseris, apud Christianos mendicabis panem: Nam quis Turcus est quem suæ religionis pœniteat? moriemur omnes priusquàm nostri prophetæ iugum excutiamus. Non sunt parua quæ isti obijciunt, adhibenda est & huic parti medela, quã nemo teipso melius inuenerit. Nosti tuos homines, & quibus prouincias commiseris: non ignoras quanta sit cuique fides, & quis animus non te latet, non fit sine periculo magnum facinus et memorabile: utilia sunt quæ paruo emuntur: diligentia hic et labore opus est: peruestiganda sunt amicorum consilia, noscenda subditorum ingenia, et his utendum est quos fidos et prudentes uideris. Seruiunt tibi non pauci ex Christianis nati, qui quamuis circuncisi sunt, non tamen Christiani nomen oderunt. His exercitus, his præfecturas reddere potes, qui tui sint amantissimi, et ita regnum ordinare, ut quando uelis præsto sint omnes tui subditi: magna ex parte Græci sunt, et Armeni ut diximus. Iacobitæ qui et si aliquot errores habent, Christiano tamen nomine censentur, nec aliud magis cupiunt quàm te similem eis esse, et illum Deum colere quem colunt ipsi: sperarent meliori esse loco futuros, qui nunc mancipia quàm uilissima sunt. tributa exsoluunt grauia, iniurijs afficiuntur quotidianis, ad bellum ducuntur inuiti, et inermes cedibus

A dibus exponuntur: priuantur liberis & uxoribus: miserrima res est postquam filios educauerunt, eos perdunt, rapiuntur in palatium pueri, circunciduntur, & Mahometeis ritibus imbuuntur. Vident infelices parentes non modo corpora liberorum, uerum animas ire perditum: & angustiati inter tot calamitates, plorare non præsumunt, maiora mala timentes. Nemo horum te diligit, neque enim natura fert, ut eos amemus à quibus patimur mala. Quod si te Christianum cernerent, mirum in modum diligerent, felicitatem tuam cuperent, & omnibus studijs tuam gloriam quærerent, & filios suos & seipsos quàm libentißime tibi donarẽt. Magna est horũ multitudo, & pro sua religione constantia. Quod si prudenter eos tractaueris, nihil tibi de religione Turcorum uerendum erit. Hi medios inter Christianos sese uidentes, tuæ potius uoluntati consentient, fortunas & dignitates seruaturi, quàm mortis periculo se subijciant. Non suademus rem nouam aut insuetam: tritum est iter quod ostendimus. Multi hoc & magni Reges ingreßi sunt. Apud Francos & gentilis & idolatra Christianus effectus est Clodoneus, & simul cum eo regni proceres baptizari non recusarunt. Apud Vngaros Stephanus nostris initiatus sacris, omnem illam gentem Christo acquisiuit. Apud Vesogotas, qui longo tempore in Hispania regnauerũt, & usque in hæc tempora eiusce gentis sanguis imperat, Ricardus Lemulgidi filius suadente Leandro Hispalensi episcopo, Arrianæ renunciauit hæresi, & cum omni gente sua catholica fidem complexus est. Apud

B Longobardos Agilphus suasu coniugis Theudelindæ reliquit idola, & cum omni populo Christianæ sese legi subiecit. Apud Hyberos, qui sunt in Asia, imperante Constantino maiore, Rex gentis cum coniuge & omni nobilitate atque plebe ad prædicationem unius captiuæ mulieris relicto idolorum insania baptizatus est. Sed quid moramur, & non exemplum illud adducimus quod omnium maximum? Constantinus ipse Imperator ac monarcha uiam aperuit, quam tu & tui similes ingredi absque ulla cunctatione possetis. Omnes qui eum præcesserant Imperatores, excepto Philippo, gentiles fuere, Iouem, Mercurium, Apollinem, Herculem, & alia quæ sunt monstruosa nomina, tanquam Deos colebant. Senatui & omni Romano populo stultitia Christus erat. Proponebantur paßim edicta quæ Christianos compræhendi iubebant, nisi sacrificarent idolis crudelibus modis interfici. Nil uilius erat nomine Christiano: Infame genus & maleficium habebatur omnium quæ Christo crederent. Sub Nerone, sub Domitiano, sub Diocletiano crudeliβima in Christianos desæuit persecutio. ac Constantinus acceptis imperij fascibus, postquam persuasus est à Syluestro prædecessore nostro in simulacris dæmonia coli, & unum tãtum Deum esse cum patre & spiritusancto Christum Iesum, & in Euangelica tantummodo lege salutem inueniri, non est cunctatus Christi fidem amplecti. Non dixit senatus mihi aduersus erit, resistit populus, copiarum

C duces alienabuntur, imperio deijciar, sed alto animo iactans in Deo spem suam legem ædidit qua publice Christum coli iußit, & eam fidẽ teneri ab omnibus imperio subiectis, quàm beati Apostoli Petrus & Paulus Romanis tradidissent. Nec propterea sinistri aliquid sibi accidit, sed tunc potißimum excellens & gloriosus euasit, cum in uexillis suis crux domini Iesu apposita resplenduit. Viderat per quietem in aëre signum crucis, & uocem audiuerat dicentem: in hoc Constantine uince, paruit, uexilla crucis erexit, ciuilibus bellis finem imposuit, superauit hostes, barbaros afflixit, imperium ampliauit, pacem subditis dedit, eclesias aperuit, concilia sacerdotum celebrauit, hæreses eliminauit, lucem quàm acceperat ab Euangelio cunctis gentibus communicauit. Magnificus & excelsus super omnes Cæsares inuentus, Græcis & Latinis nostris celebratus, imperauit annos supra xxx. sedem imperij apud Bisantium erexit, & ampliatis ciuitatis mœnibus, multisq; tum publicis tum priuatis ædificijs magnifice constructis, de suo nomine Constantinopolim appellauit: & plenus dierum apud Nicomediam ædito testamento in quo filios imperij successores reliquit, ut Christianum decet, sacris ecclesiæ receptis, è uita deceßit. Quid erat quod ille amplius in terra posset optare? Imperio potitus est, omnium maxima uita ei & longa fuit, et paucum obnoxia morbis: inimicos humiliatos uidit, et quod hominibus dulcißimum esse solet, hæredes amplißimæ fortu-

næ filios demisit: Nec alienum fuerit tantum Imperatorem qui Christianam fidem tantopere ampliauerit, in alio seculo, cum Christo regnare, ut est credere cui seruiuit dum hic uiueret. Quod si omnibus, qui patriam auxerint, iuuerint, defenderint, certum esse in cœlum diffinitum locum, in quo beati æuo sempiterno fruantur, Philosophi doctissimi tradiderunt, multo id certius de illis sperandum est, qui pro lege domini uel seruanda uel augenda summis studijs contenderunt: sicut de Constantino ostensum est, quẽ sicut in terra felicem fuisse didicimus, ita & in cœlo beatum credimus. Eadem proculdubio euentura tibi esse confidimus, si nobiscum sapiens Christum colas, & magnum Constantinum imiteris, quemadmodum Romani cum suo Imperatore Christiani sunt effecti, ita & Turci unà tecum baptizabuntur, eritq; tuum regnum super omnia quæ sunt in orbe, & nomẽ tuum nulla silebit ætas, Latinæ te literæ & Græce & Barbaræ celebrabũt, nemo inter mortales erit, qui te potẽtia aut gloria præcedat. Magna sunt hæc quæ promittimus, maiora quæ sequũtur de regno, de potentia huius seculi. De gloria hæc humana sumus locuti: Caduca hæc & incerta sunt & fluxa: omnes morimur, omnia nata occidũt, & omnia orta senescunt: breuis est humanæ prosperitatis cursus, cito regnum deficit, nulla potentia longa est. Gloria quoque clari nominis quamuis de maximis rebus diu perseueret, finitur tamen aliquando, & cum tempore deficit: Nihil est inter mortales non mortale, conterit omnia tẽpus: esto duret per multa secula nomen, quæ dulcedo post obitum laudis: Aut damnatus est homo in altera uita, & nihil ei prodest fama quæ remansit: aut saluatus est. & ea non æget, beatitudine donatus æterna, quæ omni ex parte plenissima est. Filios ac nepotes præclara maiorum nomina iuuant, & nobis quoque dum uiuimus dulce est talem hæreditatem posse relinquere. quæ sit posteritati solatium. Est id quidem aliquo modo bonũ, sed meliora quærenda sunt. et stabilia bona, quæ nostra sint, neque unquam nos deserant. Philosophi quos Peripateticos uocauit antiquitas, tria bonorum genera posuerunt, & alia esse animi dixerunt, alia corporis, alia externa. Stoici ea duntaxat bona existimarunt quæ animum excolerent. Hæc facit iustitia, prudentia, moderatio, fortitudo, & quæ sunt aliæ in animo dotes: egregiam corporis formam, roboris multitudinem, nobilitatem, clientelas, opes, inter bona non acceperunt, quæ neque sunt in potestate nostra, neque possessori felicitatem præstant. Sed neque ille quatuor uirtutes quæ principales existimantur, tranquillam homini mentem reddunt, nisi aduniantur aliæ tres quas theologicas appellant, & in animo sitæ sunt, spes, fides, charitas. Tristis est, & in anxietate moratur, & torpet, & angitur, & nihil boni operatur, qui spe futuræ uitæ priuatus est. Sine fide impossibile est placere Deo, qui est ultimum hominis bonũ, & finis in quem tendimus. Charitas diuino amore feruet, curiosa est, animæ nostræ & proximo consulit, quem iubet lex, ut tanquam nos ipsos diligamus. Si ergo animi bona cupimus, & moralibus uirtutibus opus est & theologicis. Neque in his ulla est nobis cum tua lege contentio. Alia sunt in quibus discrepamus. Fatebitur tua lex & uitã æternam in altero seculo reperiri, & in his itineribus ad eum perueniri dicet fidem necessariam esse: uerum non eam fidem quã nos recipimus, amplectetur. Laudabit charitatem, sed alia eius officia dicet quàm Christianus. Sine spe non posse bene homini esse fatebitur: sed spei finem longe diuersum à nostro recipiet. pax erit in nominibus, bellum in rebus. Fatescat hæc nunc contentio, & quomodo uera & æterna bona ex fide Christi consequi possis, & animæ tuæ consulere, quæ immortalis est, ostendamus. Et si enim huius seculi quæ dicuntur bona concupiscis, & inter mortales magnus uideri uis, non tamen animæ tuæ oblitum te credimus, nec ex illorum numero cẽsemus, qui cum Epicuro & alijs quibusdam delirantibus Philosophis, extingui animã simul cum corpore putauerunt: nec rursum te sine Deo esse censemus, sicut olim de Callecis in Hispania traditum est, qui nullum colebant Deum. Et de Pythagora quem ferunt dicere solitum esse, non liquere sibi an Deus aliquis esset: Quæ disputatio adeo impia iudicata est, ut ab Atheniensibus autor eius eiectus sit, & libri in quibus ea continebantur exusti. Posidonius scripsit Epicurum nihil de Deo sensisse, sed ea quæ de dijs locutus est, inuidiæ depellendæ causa dixisse. Stultorum hæc est assertio, sicut in Propheta legimus, dixit insipiens in corde suo,

nō est Deus. Haud equidē te adeo rudē existimamus, ut cœlum credas rectore carere,
A & hanc pulcherrimam mundi machinā casu emersisse, & omnia fieri fortuito. Sed arbitramur te Deum nostrum confiteri,& in eum credere,qui cœlum creauit & terram,et omnia quæ in eis sunt:& quod quæ creauit non negligit. Nec te ignorare censemus incorruptibiles esse animas hominum,& cum è nostris corporibus migrant,in alias regiones transferri,& bonas læta sortiri loca, malas ad supplicium rapi, quod non solum in Euangelio nostro scriptum est,& in Prophetis,sed tua quoque lex idem docet: quāuis in hoc mūdo tēporalia quæ putantur bona, casu quodam fortuito euenire nō recte arbitratur. Socrates & Plato & Aristo. Philosophorum principes, de mundi regimine,de immortalitate animarum,de Deo eadem crediderunt,quæ Christiani, quamuis aliqua nouæ legis arcana quæ nondum ædita erāt ignorauerūt. Platonis in epistolis hæc uerba legūtur. Credendū est autē semper ueterib. sacrisq; sermonibus nobis asserentib. animā esse immortalem,iudicesq; habere ac pœnas dare maximas cum à corpore fuerit separata,quod intelligendum cum male uixerit: Non est hic locus apud te altius examinandus,qui pro tua lege Deum esse intelligis,qui omnia uidet,& omnia iudicat,& animas corporea mole solutas,pro suis operibus in alio seculo uel præmia recepturas,uel supplicia non dubitas. Quæ cum sint,stultum cognoscis terrenis rebus ita aliquem inhærere,ut cœlestia negligat,& dum corpori studet,animam perdat. Breue est omne quod
B uiuimus æuum,etiā si Mathusalem,aut etiam Nestoris annos possimus attingere. quicquid æternitati comparatur momentaneum est. Quotus hodie reperitur qui centesimum uideat autumnum? Quotus qui octuagesimum impleat annum? uita hominis, ut inquit Propheta,in ipsis septuaginta annis in potentatibus, aliquando ad octuaginta, protenditur,ulterius labor & dolor. Quotus iterum ex eis qui nascuntur, ad perfectam peruadit ætatē? quàm multi moriūtur infantes? quot pueros extinguūt morbi? paucissimi iuuentutem superant. Angustissima est uita hominis & incerta. mille instant in omnes horas pericula,mile mortis fauces uitæ nostræ insidiātur:minima res cursum nostrū interrumpit. Alieno hic arbitrio sumus,uocat nos Deus quando uult,et ubi uult, & cū minime credimus,tunc citamur:perēptoria monitio est,nec licet prouocare aut cōtra niti,parendum est altissimo domino,& uilicationis ratio reddenda. Sapiunt qui ita uitam instituūt,ut uocati alacri animo abeant,& coram iudice, qui nihil ignorat,impauidi consistant,in die illa tremēda & amara ualde,in qua nihil amplius mereri licet,& omnis spes ac metus ex his quæ acta sunt pēdet,nec supplicare iuuat,neq; negare. Est igitur de anima curandū,quæ post hanc uitam aliam habet uitam in qua uel dolet uel gaudet. Quid prodest homini si uniuersum mundū lucretur,inquit in Euangelio dominus,animæ uero suæ detrimentum patiatur? aut quā commutationē dabit homo pro anima sua? hac ui
C uimus,hac sapimus,hac Deo similes sumus,hæc melior pars nostri est,reb. omnib. præciosior,hæc dimisso corpore in alias regiones ingreditur,corpus in terra iacet,et in puluerem conuertitur,usq; ad ultimū maximumq; iudiciū sensu carebit,tunc uero pro meritis quæ illi cum anima fuere cōmunia,uel ad gloriam uel ad pœnā resurget. Quid Nino prodest latæ per Asiam imperasse? quid Semiramidi? quid Dionysio? quid Herculi ad Indos usq; penetrasse? quid Adanthirso Scithiæ atq; Asiæ iugū imposuisse? quid Nabuchodonosoro ad Gades usq; perrexisse? quid Osiridi dimissa Aegypto,per Syriā & Asiā in Thraciam duxisse copias? quid Agamēnoni Iliū exusisse? quid Cyro Persarum Imperium cōstituisse? quid Alexandro magno illud euertisse? & usq; ad Hyspasim in Oriētem,& ad Iaxartem fluuium septentrionem uersus arma tulisse? quid Hanibali Italiam uexasse? quid Scipionibus Carthaginem deleuisse? quid Pompeio Orientales reges debellasse? quid Iulio Cæsari subacta Gallia Romanum imperium inuasisse? quid Hunorū regi Athilæ Pannoniaq; potita Aquilegiam in Italia subuertisse? quid Tamerlano tot Asiæ Siriæq; urbes incendisse? atq; auum tuum prælio superasse? quid genitori tuo Amirati,sæpe de Græcis,sæpe de Vngaris triumphasse? quid cæteris Regibus atq; Imperatoribus res magnas & claras gessisse prodest,si absque cognitione ueri Dei mortui sunt? & nunc eorum animæ apud inferos cruciantur: laudantur hic & ardent illic. Quæ

 sane

sane uoluptas in cruciatu esse potest? quæ dulcedo gloriæ in doloribus? dura uox est eorũ, qui uel in tauro Phalaridis beatitudinẽ esse dicunt. non bene cohabitant dolor ac uoluptas, nec ullus est in felicitate mœror. In cœlo plena felicitas est, apud inferos plena miseria: cum eo uentum est nihil iuuat gloria quæ præcessit, & fama seculi. Studendum igitur est ut post obitum (qui per omnes se horas infert, certus & incertus) animabus nostris bene consulamus. Præueniendus est pijs operibus dies mortis, & omnes actus nostri ita dirigendi, ut Deo placeamus. Ipse est enim finis omnium & summum bonum, ad quod aspiramus & ipsa beatitudo cuius cupiditas omnibus mortalibus inest: quærendũ est iter ad eam. Id recta fides ostendit, & operatio iustitiæ, quia nec iustitia sine fide, nec fides sine iustitia sufficit: iustus ex fide uiuit, ut scriptum est, & sine fide nemo est acceptus Deo. Tua lex, ut aiunt, in sua quemq; religione saluari hominẽ censet, si alioquin caste iusteq; uiuat, nisi Mahometea traditione relicta ad aliã transierit. Dicunt & in tua lege scriptũ esse (est enim sibipsi sæpe cõtraria) nulli salutẽ patere nisi in ea. Nos cõtra sentimus & certi sumus uiam uitæ soli Christiano, si bene agat, apertã esse. Ait enim ueritas nostra in Euangelio: qui crediderit & baptizatus fuerit saluabitur, qui nõ crediderit cõdemnabitur. Tu ergo si futurum credis seculum, si uis fieri saluus, si animæ tuæ bene consultum cupis, ut fidem Romanæ ecclesiæ extra quam non est salus & baptismum recipias oportet. His duabus clauibus fide & baptismo aperiuntur paradisi portæ, illis tamen qui apposite ad fidem uiuunt: nam sine operibus fides mortua est. Euangelio præbendæ sunt aures & Christi doctrina sequenda quæ nullum fallit. Dicis nolle tuæ legi nostram præponere, aut Mahometem relinquere Prophetam magnum. Rogauimus ab initio ut benigne audires, idem nunc petimus, & nũc maxime attẽtis auribus & pia mente opus est, & iudicio recto quando ad radicem arboris infructuosæ admouemus securim. Audi seriem rerum, nosse historiam fidei, præbe aures uero, cui perraro est in altis ædibus locus. Calistenem Philosophum crudelibus modis lacerum in custodiam rapuit Alexander, qui uera loquens diuinum cultum homini denegauit, & Clitum Philippi laudes commemorantem lãcea transfodit. Timent homines exempla, & uidentes melius adulatoribus succedere quàm recta monentibus, ad nugas se conuertunt, & quæ placeant loquuntur. Anthigonus aliquando unus ex successoribus Alexãdri qui regnauit in Asia, inter uenandum mutata ueste, relictis comitibus, errabundus apud agrestes homines in uili tugurio pernoctauit incognitus, & combibens, de seipso, tanquam de altero percunctatus astantes omnia quæ fecerat mala ab eis audiuit. Mane quæsitus atque inuentus, cum uestem allatam & regium ornatum uidisset, date, inquit, purpurã. quàm ut primum indui, uerum de me, nisi hac nocte, nunquam audiui. Et Augustus mortuo Varo, idcirco seipsum supramodum dolere aiebat, quia nõ esset à quo uerum audiret. Ad pauperes Philosophos relegata est inquisitio ueri, qui propterea sapientiæ amatores uocantur, quia ueritati seruiunt, & nolunt decipi. Turpe est cuiq; homini errare, maxime Regi, qui si per seipsum non satis intelligit, prope habet magistros quos interroget, tantum placeat audire nec pudeat discere quod ignoras. Tria sunt hominum genera, ut inquit Hesiodus, primi & optimi sunt: qui per sese omnia noscunt: His proximi qui recta monentibus auscultant: Tertij prorsus damnandi sunt, qui neque ipsi uident, neque uidentibus credunt. Sed nulla in re periculosius erratur quàm in his quæ pertinent ad fidem, neque utilius inuenitur uerum. Recte ad Antipatrum de Alexandro scribit Arist. monens ne pro tot exercitibus uictorijsq; & subiugatione orbis terrarum glorietur, sed cogitet quod si quis de Deo recte cognoscat, non minori gloria dignus est, quàm ipse pro tantis rebus gestis tantaq; potentia. Et in Ethicis sapientem inquit esse amicissimum Deo: sapiens aũt nemo existimandus est, qui à recta fide est alienus. In his uero quæ sunt fidei neque tuus legifer satis intellexit, neque tu in hanc usque diem satis didicisti. An uero recta monentem audire & sequi uelis, futurus dies ostendet: si uero hæc quæ ad te scribimus audieris, signũ erit ad discendum parati: si feceris quæ monemus eris proculdubio sapiens. Nemo sapiens cõtemnit, nemo odit, nemo est qui nolit esse sapiens. Verum primus sapientiæ gradus est nolle errare & uerum quàm libentissime audire, maxime
in

A in his rebus unde homini est salus, sicut est religio quæ ordinatur ad æternam uitam. Audi ergo uerum circa religionem: Si non scribimus uerum argue scribentes, & despice tanquàm stultos, sed noli falsum dicere nisi cognoueris falsum esse. Et narrabimus breuissime ab initio mundi usque ad obitum Saluatoris Christi nostri legis archana, deinde aliqua de tua lege dicemus, eaque cõferemus adinuicem, & quantum intersit ostendemus. Conabimurque quantum ex alto dabitur lucem tibi ostendere, per quam possis ad eam lucem peruenire, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Cum creasset Deus in principio cœlum & terram, & lucem, & solem, & lunã, & alia sydera, & plantas, & herbas, & uolucres, & pisces, & quadrupedum genus inexterminabile, ut scribitur in Genesis principio, ac reptilia ac alia animantia. Postremo Adam creauit & insufflauit in eum spiraculum uitæ, & posuit eum in paradiso deliciarum, & fecit adiutorium simile sibi, Euam ex costa eius eductam, & data licentia quæ possent cæteros plantationum degustare fructus, ut abstinerent à plantatione prudẽtiæ imperauit: & ambos cum præuaricati essent ex paradiso deiecit, atque in eius humanum genus morte damnauit, iussit laboriosam uitam & ærũnis plenam agere. Ab his propagata creatura rationalis, cum rursus animo rebelli diuinam maiestatem contẽneret, & in uitia quoque prolaberetur, aquarum diluuio deleta est. Noe cum cõiuge & sex alijs animabus in archa saluatus est, & ab his omnes homines qui modo sunt & post diluuium fuerunt, originem

B ducunt. Tres filij Noæ, Sem, Cham & Iaphet redeuntibus aquis in locum suum, humanam gentem reparauerunt, adeo ut traditur priusquam Noe moreretur, quattor milia hominum ex suis & filiorum lumbis exiuisse, ex quibus etiam iniqui emerserunt. Nimbrotes filius Cham & qui cum eo, in contumeliam domini turrim Babel ædificare cœperunt: In ea diuisum est labium uniuersæ terræ & confusione impeditum opus. Secuta est peccatum pessimnm pentapolitana submersio: & Abraham & Loth inuenti religiosi in semine Abraham benedictæ sunt gentes, & circumcisionis pactum cum eo percussum est. fuit enim iustus & placuit Deo in operibus suis, cum filium Isaac diuino imperio immolare non detrectasset: neque Isaac patris uiam deseruit, cui natus est Iacob, qui alio nomine dictus est Israël. Et huic. XII. filij fuerunt à quibus duodecim tribus emanarunt. Is cognito quod Ioseph, quem putabat extinctum, magnus & potens esset in Aegypto, cum reliquis filijs ad eum migrauit, multiplicatum est illic Iudæorũ semen, & in gentem magnam cum creuissent Israëlitæ, surrexissetque Rex alius qui Ioseph & opera eius ignoraret, grauissimis laboribus oppressi sunt, & contumelijs innumerabilibus affecti. Et miserante Deo per manus Moysi & Aaron seruitutem effugerunt, & sicco uestigio rubro mari traiecto per annos XL. cibo cœlesti uitã in deserto egerunt, & circa montem Synai diuinam legem in tabulis lapideis acceperunt. Acquisita est terra pro-

C missionis, sed non tota in manu Moysi. Post obitum eius mirabilia fuerunt opera Iosuæ & Iudicum, inter quos etiam prophetæ claruerunt uiri excellentissimi. Successerunt deinde Reges & alij Prophetæ in populo Dei & non sine cœlesti numine conseruata est gens Hebræa. Et prophetæ quidẽ interpretati legẽ salubria tradidere præcepta, uirtutẽ extollentes, & uitia effulminantes, & multa per illos scripta sunt diuinitus reuelata, quæ de futuris noticiam præbuere. Non tamen pauca perpessi aduersa Iudæi, cum legem domini contemnerent & in traditionibus patrum non permanerent, cœperunt eos Chaldei & in seruitutem redegerunt, & nunc Syri, nunc Arabes, nunc Aegyptij in eos arma uerterunt: multæ fuerunt eorum tribulationes, multæ calamitates ac miseriæ, sed de omnibus liberauit eos dominus, cum ad Deum clamauerunt & tota mente redierunt, quia cor contritum & humiliatum non despicit diuina Maiestas. Hæc, ut arbitramur, communia tibi nobisque sunt, & in Alcorano Mahometeo magna ex parte continentur. Verax igitur & tuo & nostro iudicio lex Iudæorum, uerax Moyses & Dauid & Salomon, & Esaias, & Hieremias, & Ezechiel, & Daniel. Veraces omnes prophetæ domini: uera Iudæorum fides, qui ante Christum in lege manserunt: mendaces omnes gentes quæ coluerunt idola. Notus ante Christum solum in Iudæa Deus. Nihil huc usque contendimus, concedis hæc, nisi fallimur, omnia. In his quæ sequuntur discordia erit. Sed nos in

luce ambulamus, neque offendimus ad lapidem pedes nostros, & ne de cætero tu quoque offendas magnopere cupimus, & ultra ne decipiaris lumen afferimus. Tu creatura Dei es & ouis eius, sed errabunda extra caulas, in alienis pascuis procul ab ouili dominico letiferum carpis cibum, & pestifera aleris herba: nos boni pastoris exemplo qui relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, unam aberrauerat secutus est, te quærimus & in uiam salutis optamus reducere. Dolemus te uirum excellentem, nobilitate maiorum illustrem, gestarum rerum gloria clarum, Imperio magno præditum, & pluribus naturæ dotibus eminentem, non incedere in uijs domini, non nosse mandata eius, non esse in lege sua. Compatimur tibi, & tuorum subditorum infelicitatem deploramus, qui tecum pereunt. Nec te credimus libenter errare, cuius naturam bonam esse confidimus. Ignorantia ueri te retinet, tui te parentes & seipsos per ignorantiam decepere, cum pro genitoribus laberis. Sed timenda est scriptura quæ ait, ignorans ignorabitur. Quod si cæteris in rebus præcipuam curam, exactam diligentiam, summum studium adhibes, ne quis fallat te, circa religionem potentissime curandum est ne fallaris, in qua tanto cautiorem te esse oportet, quanto in ea cum maiori periculo delinquitur. Cæterarum rerum ignorantia hæc quæ sunt temporalia in hoc seculo adimere potest. Religionis error alterius uitæ bona: id est animæ felicitatem eripit, quod nec tibi accidat si nobis aures & fidem præstiteris, facile adiumento erimus. Audiuisti ea quæ de ueteri testamento diximus, nunc de nouo agendum est, in quo plurimum discordamus. Audi quæ subiungimus, sic & tuæ legis tenebras odio habebis, ut speramus, & nostræ lucem amabis. Duo in ueteri testamento uaticinia reperiuntur, quorum alterum illud est, quia non auferetur sceptrum de Iuda, neque dux de fœmore eius donec ueniat qui mittendus est, siue, ut Chaldei dicunt, Messias. Alterum est quod ait: Cum uenerit sanctus sanctorum cessabit unctio uestra. His uaticinijs prædictum est in aduentu Christi Iudæos & regnum amissuros esse, & sacerdotium, sicut & factum est. Regnum quod Iudæorum fuerat, Idumei acceperunt. Regnante namque primo Herode Antipatris filio, genere Idumeo & alienigena, Christus ex maria uirgine natus est Dei filius, uerus Deus & uerus homo, qui sacerdotium Iudæorum ad Christianos transtulit, Petro sibi successore dilecto, in quem pontificis maximi potestatem transfudit. Neque ulterius apud Iudæos pastoralis ouium cura permansit, dicente domino ad Petrum: pasce oues meas, pastor ipse bonus & Pontifex magnus Christus, pastores deinceps & pontifices Christianos non Iudæos esse constituit. Quamuis Petrus & alij plures ex Iudæis non amplius Iudæi, summum pontificium acceperunt, atque in hunc modum Iudaica cessauit unctio, & translatum est sacerdotium. Quo facto & lex ipsa translata est, dicente Apostolo: Quia translato sacerdotio, necesse est ut legis etiam translatio fiat. Deus igitur qui multifariam multisque modis olim patribus in prophetis locutus fuerat, nouissime per filium suum quem constituit hæredem uniuersorum, per quem fecit & secula, allocutus homines nouam legem edidit, & noua dedit præcepta, quibus seruatis uitam merentur æternam. In tempore igitur quod in altissimo Trinitatis consilio æterno fuerat definitum, regnante apud Hebræos Herode, imperante apud Romanos Augusto, quiescente mundo, & aduentum domini mirabili & inaudita prioribus seculis pace honorante. Missus est Gabriel Angelus de cœlo, qui Mariæ felicem conceptionem & sacratissimum partum annunciaret, sed ante præcursor natus est Ioannes, qui pœnitentiam prædicaret & uiam domino præpararet. Concepit Virgo de spiritu, ut prædixerat Angelus, & seruata dignitate uirginitatis, filiũ simul & dominum peperit. Natus est Christus & Saluator octauo Calendas Ianuarias, & in ipsis Calendis circuncisus est, & iuxta uocem Euangelicam Iesus appellatus, qui salutem attulit humano generi. Plurima de infantia Saluatoris scripta sunt, nec dubium est quin omnis ætas signis & miraculis plena fuerit, sed ecclesiæ nostræ grauitas & acre iudicium ea tantum recipit, quæ certa sunt, apocripha prætermittit. Duode-

decimus Saluatoris annus memoriam habet, quia templum ingressus cum legis do-
A ctoribus disputauit, & aliqua ex parte splendorem suæ dignitatis ostendit: Sed circa tri-
cesimum annum fulgor ille plenus emicuit, tunc enim baptizatus est à Ioanne, & Ioan
nem ipse baptizauit, & paterna uox audita est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi
complacui. Conuertit aquã in uinum, & in innumerabilibus choruscauit miraculis. E-
legit sibi discipulos quos uocamus Apostolos, & circumiens regionem & mentes
hominum & corpora sanauit ægrotantium, & faciens ipse quæ docebat toto triennio
prædicauit Euangelium, per Iudæam & uicinas prouincias beatissima uox eius into-
nuit. Quæ uita hominum esse deberet ostendit, & præcepta tum uetera innouauit,
tum noua prioribus utiliora instituit, abdita & obscura quæ erant in ueteri lege multa re
uelauit, & absconsos Prophetarum aperuit sensus, & quæ de se prædicta fuerant palam
exposuit: mysterium sanctæ Trinitatis ostendit, & unitatem in trinitate monstrauit, do-
cens tum patrem, tum filium, tum spiritum sanctum diuinis honoribus prosequẽdum,
& hos tres unum esse Deum. Prædixit non modo mortem suam, uerumetiam ge-
nus mortis, & quod tertia die resurgeret, & quod ascensurus in cœlum rediturus es-
set in fine seculi iudicare uiuos & mortuos. Compræhensus est sicut ipse uoluit, & tra-
ditus Pilato præsidi qui eum neci daret, testes eum citati sunt, nec est inuenta mortis
causa, quia peccatum non fecit, nec repertus est dolus in ore eius. Maximum crimen ob
B iecerunt, quia filium Dei se fecit, & Regem dixit, & propter ueritatem occisus est, cru-
cifixus atque sepultus, & iuxta uerbum suum resurrexit à mortuis. Et XL. diebus cum
discipulis commoratus, cum eos confirmasset & corroborasset, atque in orbem iri ius-
sisset Euangelium disseminaturos, tandem uidentibus illis eleuatus est, & nubes susce
pit eum ab oculis eorum: Ascendit ad cœlum & sedet ad dexteram Dei patris, & in-
de uenturus est iudicare uiuos & mortuos, & redditurus unicuique secundum opera
sua. Interea spiritus sanctus ab eo missus omnia suggerit ecclesiæ quæ necessaria sunt ad
uitam æternam. Hæc nos Christiani firmiter credimus. Hæc est fides nostra, quam cun-
ctis gentibus prædicamus, et impartiri omnibus cupimus: Hæc ab Apostolis & eorum
successoribus per fideles manus immutilata & incorrupta ad nos usq; delata sunt: Hæc
uos Turci & Saraceni magna ex parte negatis. Etsi enim Christum ex uirgine natum,
& sanctum uirum, & Dei flatum, & Prophetam magnum, & mirabiliũ operũ effecto-
rem, & ad huc uiuentem confitemini, Deum tamen & Dei filium esse inficiamini, nec si-
bi, nec sancto spiritui diuinitatem concedit, & trinitatem personarum in diuinis respui-
tis, & Christi mortem deridetis, quem translatum, & alium sibi similem loco suo inter-
fectũ arbitramini, nec eius aduentum in extremo iudicio expectatis, & alia non pauca
Christianæ legis reijcitis & plurima creditis, quæ apud nostros risu digna uidentur, &
C quæ non dimittemus intacta. Et quæ nos credimus non solum ex noua lege, sed ex ue-
teri mutuamur. Vos Mahometi & Alcorano eius fidem tantũmodo adhibetis, & ho-
minem mortuum sine conteste, sine ratione, sine miraculis sequimini: nos uiuo credi-
mus, uiuit enim uestro testimonio Christus, nos Deo præstamus aures, & signis & ra-
tionibus sacris ducimur testimonijs. Quod si nos audies, monstrabimus breuiter nostræ
legis splendidam lucem, & tuæ obscurã caliginẽ detegemus. Sed opus est pijs & atten-
tis auribus, quando fidei sublimitas attingitur, & magni Dei panduntur arcana. Sæpe io
cis & inanibus fabulis te præsentem adhibuisti, & leuiores audiuisti narrationes, non
est cur hæc grauia contemnas, aut ea nosse recuses, ex quibus tua pendet salus. Non
est anima nobilis, cui non insit ueritatis amor: non est homo qui nolit saluus fieri. Au-
di ergo qui generosus es, audi quæ te saluari possunt. Quid est inter Christianos Tur
cosq; controuersiæ, in quo simul contendimus? quæ dissidij causa? Sane non alius di-
scordiæ fons est, nisi quia circa diuinitatem non eadem sapimus, de patre, de filio, de spi-
ritu sancto cõtendimus, hoc est præcipuũ dissidiũ, quo sublato facile omnia conuenient.
Attingemus hæc, et q̃ sit inter nos de diuinitate dissensio, latius exponem9. Nos in Deo
tres dicimus personas, patrẽ & filiũ & spiritum sanctum: uos unam tantum, quam nec

patrẽ nec filium dicitis, sed Deũ tantũmodo appellatis, & hunc unicũ esse dicitis, Creatorem cœli & terræ & omniũ quæ in eis sunt. Nulla est de unitate cõtentio: non latent nos uerba Moysi dicẽtis in exordio legis. Audi Israel, dominus deus tuus unus est. Et rursus in lege scriptum est: Ego sum dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti: nõ erũt tibi dij alij præter me. Et rursus: Ego sum qui sum, & si q̃sierint nomẽ meũ, uade & dic eis, qui est misit me ad uos. Et in cantico Exodi dicitur: Dominus omnipotens nomen eius, q̃ testimonia unum esse Deum, & unum dominum manifeste declarant, & unam potestatem, & unam naturam. Nomẽ fatemur idem quod uos, hæc amicitia est atque concordia uobis unus Deus est. Nam Deus Naturæ, dominus potestatis nomen est nobis unum. Dicitis principium omniũ rerũ esse Deũ, nos idem affirmamus. In quo igitur dissentimus? Multa sunt q̃ de Deo aliter Christiani dicunt, aliter Saraceni seu Turci. Vos Deum corporeum dicitis: nos incorporeum, uos fortuita esse quæ hic in terra geruntur arbitramini, nec curare de his Deum. Nos gubernare eum qui creauit omnia nõ dubitamus. Vos Deum patrẽ in diuinitate negatis, nos patrem & filium cognoscimus. Vos spiritum sanctum ex diuina maiestate reijcitis, nos ponimus, ueneramur. Mittamus alia, hoc aggrediamur in quo plus põderis est. Nos Christum Dei filium dicimus, uos negatis. Cur negatis? sane quia nec uxorem habet Deus ex qua filium procreare posset. Quod si uxor fuerit, filiosq; genuerit, mundus qui unius imperio regitur, in pluros diuisus dominos diu stare non posset. In unitate concordia est quæ seruat imperia: In pluralitate discordia, quæ maxima regna subuertit. Sed quis tam rudis, tam uecors, tam demens Christianus est, qui generare Deum ex connubio & permixtione fœminæ arbitretur? non sumus adeo hebetes Christiani, ut tantum nephas admittamus. Saracenis suaderi hoc posset, qui Deo & corpus, & caput, & manus, & cætera membra cõcedunt. Nos Deum spiritum esse asserimus, incorporeum, immortalem, æternum. & incompræhensibilem, qui dum seipsum intelligit, in mente sua uerbum concipit, quod nos filium Dei esse dicimus, nec aliud est in Deo seipsum nosse atque intelligere quàm Deum esse: nihil etenim in Deo nisi Deus. Deus autem cuius est uerbum, nominamus patrem, & processum ipsius uerbi generationem filij dicimus. Nec ueritas hæc de uerbo Dei apud Christianos tantum illuxit: Gentiles Philosophi ante Christi aduentũ eadem quæ nos asserimus, nonnulli affirmauerunt, si quidem Platonici in suis libris apertissime dixerunt, quod in principio erat uerbum, & uerbũ erat apud Deum, & Deus erat uerbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et reliqua ferme omnia comprobant de uerbo Dei, quæ Ioannes in Euangelio suo tradit usq; ad incarnationẽ uerbi, quam ignorarunt, quia nondum natus erat Christus, & alta legis mysteria absconderat Deus à sapientibus huius seculi, quæ reuelauit paruulis. Quod igitur Platonici uerbum Dei nominant, & Deum esse dicunt, nos filium uocamus ex Deo genitum, & Deum esse fatemur. Nec ruinã mundi ex filij generatione timemus, quando unus duntaxat filius est, pater & filius unũ sunt, una potestas, una uoluntas, una maiestas, nec uerbum conceptum ab intellectu concipiente discordat. Obscura hæc uidebuntur, atsi uoles præsto erunt qui lumen afferant, & apertissima omnia reddant. Et tu solem hunc corporeum cernis, qui noctem abiens efficit, rediens hic à seipso lucis producit radios. Hæc productio generatio quædam est in sole, & radij solis filij solis non inconuenienter uocantur. Quæ similitudo quamuis multifariè est inepta (nam solis plures sæpe uidimus radios, Deo unicus est filius) in eo tamen conuenit, quia una est & solis & radiorum substantia, & una est patris & filij diuinitas atq; essentia. Quamuis comparatio corporalium rerũ nulla satis cum diuinis æq̃parari potest, sed accipe testimonia, & quæ ratione nõ capis, cede autoritati. Vetus testamẽtũ & Iudæis, & Christianis, & Saracenis cõmune est. Eructauit (inq̃t Dauid ex persona Dei) cor meũ uerbũ bonũ, hoc est, q̃d Dei filiũ dicimus, & unigenitũ patris æterni, nõ ex carnali cõiugio, aut humano cõplexu, sed ex corde Dei, id est, ex intellectu ꝓductũ asserim⁹: Et rursus, fili⁹ meus es tu, ego hodie genui te. Hodie dicit, q̃a Deo nec heri præterit, nec cras imminet, sed hodie semꝑ adest, cui p̃sentia sunt omnia. Iterum ante

A ante luciferũ, inq̃t, genui te, ut intelligas, q̃a nõ loquitur de Salomone Dauid, sed Deus pater, de filio Deo, q̃a ante luciferũ nemo fuit. Etenim in lib. Sapiẽtiæ legimus, Sapientiã q̃ Dei filius est, dicentẽ. Nõdũ erãt abyssi, & ego iam cõceptus erã, ante mõtes & colles ego parturiebar. Nunq̃ enim pater sine filio fuit, nec sine patre filius, & hoc est quod in Euangelio inq̃t Ioãnes. In principio erat uerbũ, & uerbũ erat apud Deũ, & Deus erat uerbũ. Quæ mysteria ꝓfunda & alta cũ non intelligeret Arrius, nec Mahometes cõpræhenderet, negare maluit Dei ueritatẽ, quã suã ignorantiã cõfiteri, & suas ineptias imprudenter ingerere, quã aliorũ sapientiã humiliter discere. Stulta hæc & damnosa pertinatia est, Deo enim & Prophetis oportet credere, et si quid est cuius rationẽ nõ capimus, debemus cũ Paulo dicere: O altitudo diuitiarũ sciẽtiæ & sapiẽtiæ Dei, quã incõpræhensibilia sunt iudicia eius, et inuestigabiles uiæ eius. Fatenẽ iuriscõsulti, nõ omniũ quæ à maiorib. suis instituta sunt, rationẽ reddi posse, et tamẽ legi parẽdũ esse, q̃a sine causa condita fuerit, quanto minus arcana Dei licet agnoscere plurimæ sunt occultæ causæ, ad quas nulla potuit curiositas hominũ ꝑuenire: sicut oculi noctuæ ad solẽ, ita & noster intuitꝰ ad ea q̃ sunt diuinitatis. Nõ est ergo mirãdũ si neq; generationẽ filij, neq; spiritussancti ꝓcessionem, neq; trinitatem in diuinitate intellexit carnalis homo uel Arrius, uel Mahometes. Sed illud in eis dãnabile, ac detestabile fuit, q̃d sacræ scripturæ diuinisq; testimonijs non acquieuerũt. Nã q̃d opus est argumẽtis, ubi Deus ipse loquitẽ. De Pythagoricis traditũ

B est q̃d in disputãdo soliti erant dicere. Ipse dixit, ipse aũt erat Pythagoras, tanq̃ eius autoritati non liceret aduersari: quãto minus Deo q̃ uerax est, et omnis homo mẽdax. Sed negabis hæc esse dei q̃ afferimus testimonia. De his posterius asseremus, nũc de spiritusancto agendũ est, cui tua lex diuinos honores abrogat. Non est huiusmodi erroris Mahometes inuentor, Arrij & Nestorij & Macedonij hæc olim demẽtia fuit, quos sacra patrũ cõsilia dãnauerunt, sed eorũ uirus apud Aegyptios & Arabes aliquãdiu latuit, & postremo autore Mahomete & magistro eius Sergio late diffusum est. Ne mouearis dũ uera loquimur, caue ne sequaris cæcos, disce spiritũ sanctũ esse Deũ, et tertiã fore in trinitate ꝑsonã. Diximus paulo ante Deũ patrẽ dũ se cognoscit, uerbũ cõcipere, & filiũ gignere. Nũc quod seq̃tur, Adijcimus cognitioni annexã esse appetitiuam quandã operationẽ, cuius principiũ uolũtas est. Inter operationes uero quas uolũtas ꝓducit, ꝑcipua est amare, adhibe hic aures & mentẽ erige, in Deo perfectã & absolutã fateri cognitionẽ oportet, & amorẽ pari modo, cuius ꝓcessus per appetitiuã operationẽ exprimitur, sicut et uerbi generatio per intellectiuã, et alia est operatio qua intelligit, alia quæ appetit. Intellectiua ex his cõpletur q̃ sunt quodãmodo in ipso intelligẽte: nam sicut sensibilia in sensu, ita intelligibilia in intellectu dicimus esse. Appetitiua aũt cõplementũ accipit secũdũ quendam ordinẽ uel motũ ad eas res quæ abijciuntur appetitui, & occultũ quoddã principiũ

C sui motus habet. Ea uero quæ à principio feruntur archano, spiritus nomẽ acceperũt, nã & uentos spiritus dicimus, & in scripturis procellarũ spiritus appellantur, quia nõ apparet afflationis spiritus initiũ. Respirationẽ etiam & arteriarũ motũ ab intrinseco & occulto principio manantem uocamus spiritum, atq; hoc modo congruenti quadã similitudine quantũ diuina humanis uerbis dicari possunt, diuinus ipse amor à patre filioq; ꝓcedens spiritus dictus est. In nobis duplici ex causa ꝓcedit amor: aliquãdo ex corporea & materiali natura, & is plerũq; immũdus est, & mẽti noxius. Aliquãdo ex ipsa proprietate spiritualis naturæ, cũ bona intelligibilia & rationi cõueniẽtia adamamꝰ, et hic purꝰ est amor et laudabilis et animæ salutaris. In Deo corporalis amor seu materialis locũ nõ habet, sed ille tantũ reperitẽ q̃ simplex est & nitidissimus et purissimꝰ, quẽ spiritũ sanctũ appellamus. Nec nos intellectuali sancto amore q̃cq̃ prosequmur, nisi q̃d intellectu concipimus. Cõceptio aũt, ut diximus, quæ fit intellectu uerbũ est, atq; ita necesse est amorẽ ex uerbo oriri. Amat enim Deus, quod de seipso intelligat, id est, uerbũ q̃d cõcipit, intelligẽdo. Verbũ aũt Dei dicimus filiũ Dei, qui & ipse patrẽ nouit, & amat, atq; ita fit, ut amor ipse cui sanctus spiritus est nomen, ex patre filioq; procedit, fitq; cum patre & filio pariter Deus. Nam sicut diuinum intelligere essentiæ diuinitatis est, ita & amare. & sicut Deus se semper intelligit, ita et se semper amat, et omnia amat, suã bonitatẽ dum amat.

Rursusq;

Rursusq; sicut Dei filius, qui est uerbum Dei in natura diuina subsistens, patri coæternus perfectus & unus Deus est, ita & spiritus sanctus Deus est, patri & filio coæqualis & coæternus. Et quia omne quod subsistit in natura intelligibili apud nos persona dicitur, apud Græcos ὑπόστασις, consequẽs est ut tres personas in diuinitate ponamus, quia tres sunt subsistentes, pater & uerbum et spiritus sanctus. Neq; personas dicimus esse per essentiam diuersas, sed per solas relationes distinctas, quæ ex processione uerbi & amoris proueniunt. Atq; in hũc modum Christiana religio diuinitus illustrata, distinctas tres personas confitetur in diuinis, nõ tres Deos, sicut Mahometes falso opinatus est, sed patrem & filium, & spiritum sanctum esse ab æterno Deum asserimus, nec tamẽ ipsum patrem qui filius est, nec filiũ qui pater est, nec spiritũ sanctũ qui pater est aut filius. Vna est enim patris et filij, & spiritusancti essentia, in qua non est aliud pater, aliud filius, aliud spiritus sanctus, quãuis in personis, aliũ patrẽ, aliũ filiũ, aliũ spiritum sanctũ diuina docente autoritate dicamus. Nec similitudo in his quæ creata sunt, summæ deest trinitatis. Inuisibilia Dei (sicut Apostolus ait) per ea quæ facta sunt, intellecta quæ cõspiciuntur, sempiterna quoq; uirtus eius ac diuinitas. Relucet quippe in anima nostra, et quædam diuinæ trinitatis imago. Est enim anima nostra substãtia quædã incorporea & ratione pdita, & actus quidẽ sine forma organici corporis, quæ dũ corpus mouet et regit, sui meminit, se intelligit, & se diligit, quib. in rebus quædã apparet trinitas, memoriæ, intelligentiæ, & amoris. Tria hæc ad seipsa referuntur, quia nõ est amor sine memoria, nec memoria sine notitia. Nam quis meminit aut amat q̃d nescit? Inseparabilia sunt hæc à semetipsis, & tamen quodlibet eorũ et simul omnia una essentia sunt, et una uita in anima una. Differũt q̃a memoria nõ est intelligẽtia, uel uolũtas, nec intelligẽtia uoluntas siue amor. Quod si diligẽter inspicias, inuenies summæ illius trinitatis atq; unitatis uestigiũ et imaginẽ quandam, quãuis imparem. Quicunq; enim sempiternã & incõmutabilẽ naturã per memoriam reminiscitur, intuetur per intelligentiã, amplectitur per dilectionẽ, profecto reperit in seipso summæ trinitatis imaginẽ: nõ tamẽ omnino similẽ, sed qualẽcunq;, ita ut in similitudine magna inueniatur dissimilitudo. Etsi enim homo meminit, intelligit, et diligit, nõ tamen memoria est, nec intelligẽtia, nec dilectio, sed sunt hæc in eo & in uno substantia, nõ sicut accidẽtia in subiectis, q̃ possunt abesse, sed substãtialiter existunt in anima, & unus homo est qui habet hæc tria, nõ ipse est hæc tria. In simplici uero natura q̃ Deus est, quãuis unus sit Deus, tres tamẽ personæ sunt, ut dictũ est, & ipse Deus est, & tres personæ. Sed illud satis ad rem nostrã est, q̃a tria hæc aliq̃ modo unũ sunt. Reperitur & sub alijs nominib. & alio modo in nostra natura illius summæ et ineffabilis trinitatis imago. Nam mens & notitia eius, & amor, tria quædã: mens enim nouit se, & amat se, nec amare se potest, nisi etiam nouerit se, duo quædam sunt mens & notitia eius. Duo etiam sunt mẽs et amor eius. Cum se nouit mens & se amat, manet trinitas, scilicet mens, amor, & notitia, & hæc tria quãuis distincta inuicẽ sint, unũ tamen esse dicũtur, q̃a in anima substantialiter existũt. Et est ipsa mẽs, quasi parẽs, et notitia eius quasi proles eius, mẽs enim cũ se cognoscit, notitiã sui gignit, & est sola parens suæ notitiæ. Tertius est amor, qui de ipsa mente et notitia procedit, dũ mens cognoscens se, diligit se, nõ enim possit se diligere, nisi cognosceret, amat enim placitã prolẽ notitiã suã, & ita amor quidam cõplexus est parentis & prolis, nec minor est amor parente & prole, id est, mente & notitia, cum tantũ se diligat mẽs, quantũ se nouit, & quanta est. Cõsiderat hæc rationalis homo, et uidẽs tria in una essentia cõcurrere, extendit se ad contemplationẽ creatoris, et intelligit unitatem in trinitate, et trinitatem in unitate. Et unum Deum colit, unam essentiã et unũ principium sicut et Patriarchæ et Prophetæ atq; Apostoli tradiderũt. Sed audiamus tãdem ipsos et diuinæ legis autoritatem, et testimonia in mediũ afferamus, sine quib. omnis est uana argumentatio. Deum patrem omnes sacræ literæ confitentur, et Dei nomen paternitatem ad omnia refert, etsi filiũ dicimus, nõ possumus patrẽ negare: Deo filio adducta sunt testimonia legis, ergo et pater ostensus est. sicut et Saluator ait: Philippe, qui uidet me, uidet et patrem meũ. Nũc de S. Spiritu quod cœpimus prosequendũ est. In Genesi legimus, quia spiritus domini ferebatur super aquas. Quis tũc dominus nisi Deus fuit?

Et cuius

A Et cuius spiritus nisi Dei? Et quomodo Dei spiritus, nisi Deus? Deus est quicquid Dei est. Nec aliud illi immixtum est. Incopositus est, simplex est & purus Deus. In Iob scriptum est. Spiritus domini fecit me, & spiraculum omnipotentis Dei uiuificat me: Dei sunt hæc opera, non hominis, quid facit hominem nisi Deus? aut uiuificauit hominem nisi Deus? Est igitur spiritus domini, propter quod dictum est in Psalmo: Spiritus domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia. Quis spiritus nisi Deus, cui cœlum sedes est, & terra scabellum pedibus eius? Et apud Poëtas, Deum namq; ire per omnes terras, tractusq; maris, cœlumq; profundum, traditum est. Et rursus, est ne Dei sedes nisi terra, pontus, & aër, & cœlum, & uirtus propter quod recte inquit Dauid: quo ibo à spiritu tuo? ostendens non esse locum in quo possit fugere spiritum domini qui est ubiq;. Esse aūt ubiq;, implere & continere mundum, soli Deo tributum est. Deus igitur sanctus spiritus est, qui hæc peragit & futura prænoscit & prædicit, sicut scriptum est: Responsum accepit Symeon à spiritu sancto, quia non moreretur nisi uideret Christum domini. Non est cur Deū negemus, qui Dei efficit opera. Nō igitur solus pater Deus est, neq; solus filius, sed spiritus sanctus cum patre simul & filio Deus est: quia non aduersatur rationi trinitas personarum, in unitate diuinitatis, quemadmodum superius ostensum est. Sed iam Trinitatē ipsam e sacris codicibus demonstremus, & Mosen ante omnes audiamus, cuius hæc sunt uerba, in capite libri quem Genesim nostri uo-

B cant: In principio creauit Deus cœlum & terram: Terra autem erit inanis & uacua, & spiritus domini ferebatur super aquas: Tria cōmemorant, deum, principium, & spiritū: Ideo in Deo patrem intelligimus, in principio filium, in spiritu domini spiritū sanctum. Et accipiatur hoc in loco principium pro filio, sicut in Psalmis de suo filio dicit Deus: Tecum principium in die uirtutis tuæ in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te. Atq; ita in exordio nascētis mundi trinitas ipsa in diuinis personis adducitur. Hic si placeret, interseri posset de Heloim secundum Hieronymum ad Marcellū: tentans diabolus primos parentes, interposito serpente, & suadens ut edant de ligno prohibito, eritis, inquit, sicut dij, scientes bonum & malum, quod proinde accipiendū ac si diceret: eritis sicut diuinæ personæ, quibus ignotum est nihil. Et cum eiecit Adam de Paradiso, inquit dominus: Ecce Adam factus sicut unus ex nobis. Quibus nobis patri, scilicet, & filio & spirituisancto. Sed manifestius eadem trinitas ostenditur cum dicitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cum ait, faciamus ad nostram, plures personas inducit, cum dicit imaginem, unitatem diuinitatis ostendit. Nec solitarius est cum dicit faciamus, neq; alieno à se loquitur, qui nostrā ait. Duo sunt pluralia uerba, faciamus, & nostram, ut uideatur pater cum filio & spiritusancto miscere sermonem, quod nō sono uocis, sed intellectu quæ singularia sunt, quia unus est De-

C us, et una expressa est diuinitatis essentia. Dixerat: creauit Deus cœlum & terram, mox subiungitur, faciamus, & nostram, ut pluralitas in personis intelligatur. Idem & Psalmista canit regius dum ait: uerbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Quid manifestius dici potuit? in conditione cœlorum tres personæ concurrunt, dominus, uerbū, & spiritus, dominus patrē exprimit, in uerbo filiū accepimus, spiritū is quem sanctum uocamus. Et rursus Propheta, ut trinitatē personarū in diuinitate cognoscas, ter Deū ꝓuocat in benedictione. Benedicat nos, inqt, deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuāt eū uniuersi fines terræ. Trina Dei cōfessio: trinitatē exprimit personarū. Et cū subditur, metuāt eū uniuersi fines terræ, unitas aperiatur diuinitatis. In Psalmo quoq; *XLIIII.* multū expresse trinitatē innuit, cū dicit filio: sedes tua Deus in seculū seculi, & postea subdit, ꝓpterea unxit te Deus Deus tuus, id est, pater & spiritus sanctus. Et cū seqtur, præ participib. tuis, mysteriū incarnationis aperit, de quo suo loco ꝓsequemur. Esaias in uisione sua clamātia introducit Seraphin, sanctus, sanctus, sanctus, dominꝰ Deus Sabaoth. Ter sanctꝰ, ad tres ꝑsonas refertur, & semel dominus, & semel Deus dicit, qa unus esset dominꝰ, unꝰ est Deus. Et rursus idē uates ex ꝑsona Christi loqtur & dicit. Dominus meus misit me, & spiritus eiꝰ, dominꝰ meus inqt, id est pater misit me, scilicet filiū, et spiritꝰ eius q̄d est sanctus spiritus. Quis hic nō intelligit trinitatē? nō latuit

Prophe-

Prophetas hoc mysteriũ. Possunt & alia plura huiusmodi testimonia ex ueteri testamen to afferri, quæ trinitatem plane ostendunt, planius tamen locutus est in Euagelio dominus, qui cum in orbem mitteret discipulos, Eũtes, inquit, docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, tres nominauit personas. In nomine dixit, non in nominibus, ut essentiæ unitatem in personarũ trinitate monstraret. Et Ioannes Euangelista, qui de pectore Domini ueritatẽ hausit in epistola sua inquit. Tres sunt qui testimoniũ dant in cœlo, pater, uerbũ, & spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Et Apostolus Paulus, misit, inqt, spiritũ filij sui in corda uestra. Et alibi: Spiritus eius qui suscitauit Iesum habitat in nobis. Et iterũ, Ex ipso, inquit, & per ipsum & in ipso sunt omnia: ipsi honor & gloria. Ex ipso dicit propter patrẽ, & per ipsum ꝓpter filiũ, in ipso propter spiritum sanctũ. Non dicit ex ipsis aut per ipsos siue in ipsis, nec in ipsis, sed ipsi honor & gloria inquit, ut trinitatem simul & unitatem cognosceremus. Atq; his testimonijs & autoritatibus illuminata est desuper Christiana religio. Sũma enim fiducia cõfitetur & prædicat unum esse Deum, qui est causa causarũ, principiũ & finis omnium rerũ, & omnis autor creaturæ & summum bonũ, & nihilominus tres personas in Deo recognoscit, & trinitatem in unitate ueneratur. Cui qui aduersatur, salutis expertem se reddet, et & ambulat in tenebris, & ueritas non est in eo. Tu uero si sapias de tenebris emerges, & candida luce perfusus, sacratissimam trinitatem & cognoscendo coles, & colendo cognosces, nec aduersaberis sacrosancto Euangelio in quo legitur: Verbum caro factum est. Negat tuus legifer incarnationem uerbi: nam cur, inquit, factus est Deus homo, & in ligno crucis passus, qui alio modo humanum genus redimere poterat? Negat tua lex Christi necem, & alium suo loco interfectum existimat, nec Deum incarnatum cognoscit, neq; crucifixum aut mortuum. Nos utrunq; prædicamus, quia factus est homo Deus. & passus est, & propter salutem hominis hæc facta esse testamur. Ait enim de se ipso dominus: uenit filius hominis saluare quod perierat. Constabat primi parentis errato omnes homines culpa teneri: clausa erat Paradisi porta, nec mortalibus patebat in cœlum aditus. Decebat summam Dei bonitatem hominem qui ceciderat, reparare, nec miserum esse perpetuo sinere, qui ad beatitudinem perfruendam creatus fuerat, sed obstabat iustitia Dei quæ pro peccato satisfactionem exigebat, dignus erat infinita pœna, qui maiestatem offenderat infinitam, nec homo tanti erat, ut infinitam posset redimere culpam: stabat hinc diuina iustitia ultionem petens, illic diuina bonitas miserendum esse contendens. Audienda fuit utraque uox, quia uniuersæ uiæ domini misericordia & ueritas. Quare etsi poterat Deus aliter humanæ imbecillitati consulere, est enim omnipotẽs, hic tamẽ cõuenientissimus fuit modus quẽ elegit, ut assumpta humana natura, ipse pœnas solueret. Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus: ueritas de terra orta est, & iustitia de cœlo ꝓspexit: cõiuncta est humanitas diuinitati, ut acciperet de plenitudine bonitatis, q̃d suæ defectũ suppleret infirmitatis. Fuit hic modus saluandi humani generis diuinæ bonitati cõueniẽs, satisfactũ est iustitiæ simul & misericordiæ, satisfactum est amori & odio. Placuit hoc diuinæ potentiæ, q̃ omnem defectũ nostrũ sua uirtute superat, placuit & sapiẽtiæ, q̃ nihil frustra, nihil nõ decenter ac cõuenientissime facit. Et licet necessitate absoluta qua necessariũ dicimus, sine quo aliud esse nõ potest, incarnatio uerbi necessaria non fuit, eo tamen modo quo necessarium accipit, in quo conuenientius & cõgruentius peruenitur ad finẽ, dicere nõ pudet, ad reparationẽ hominis incarnationem filij Dei necessariam fuisse. Ego sum Deus, ego sum dominus, & non est absq; me saluator, ex persona Christi inqt Esaias, qa nõ poterat homo saluare seipsum. Et necessarium fuit ut homo fieret Deus, & Deus homo saluaret hominem propter quod pulcherrime & ad propositũ aptissime inquit, ex nostris ꝓfessoribus unus in hũc modum de misterio diuinæ incarnationis: Suscipitur à maiestate humilitas, à uirtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad dependendum conditionis naturæ debitum, natura inuiolabilis est unita passibili, Deusq; uerus & homo uerus in unitate temperatur, ut quod nostris remedijs congruebat, unus atque idem hominem Deiq; mediator, & mori ex uno, & resurgere posset ex altero. Nisi enim esset uerus Deus, non afferret

A afferret remedium: nisi esset uerus homo, non præberet exemplum. Intelligis quàm conuenienter filius Dei, carnem assumpserit ut Deus, & mortem obiret ut homo. Sed quæris testimonia antiquæ legis: non negabimus, præsto sunt. Ecce inquit Esaias, uirgo concipiet & pariet filium, & uocabitur nomē eius Emanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus. Quomodo nobiscum Deus, nisi quia uerbū caro factū est & habitauit in nobis? Et iterū eiusdē Prophetæ uerba sunt: Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cuius imperiū sup humerū eius, & uocabitur nomē eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. An nō sic mysteriū incarnationis plane ostenditur, & quì tunc futura erant tanquā præterita manifestantur. Puer inquit natus est nobis, quia natus est in humana paruitate: & datus est filius, quēadmodū Ioannes ait: quia sic Deus dilexit mundū, ut filium suū daret unigenitum, datus est Christus ex diuinitate: natus ex humanitate: natus ex uirgine, cuius imperiū super humerū eius. q̄d est imperiū Christi, nisi lignū crucis in q̄ pepēdit, mūdū uicit, aëreas potestates debellauit, & subacto triumphatoq; diabolo regnū suū potēter intrauit. Oportuit enim Christū pati, & sic intrare in gloriā suam, ut habet in Euangelio Lucæ. Imperium igitur super humerum eius fuit, q̄a crucem suam suis gestauit humeris. Quamuis eo fatigato, Simon Cyreneus angariatus sit eam tollere. Dicitur admirabilis propter signa & prodigia quæ fecit lumen cæcis auditū surdis, claudis ambulationem, debilibus fortitudinem, & mortuis uitam restituens.

B Consiliarius appellatur, propter Euāgelica consilia quæ adiecit antiquæ legi. Deus asseritur, ne putares purum hominem natum, nam Deus humanæ naturæ coniūctus est. Fortis quia spoliauit infernū, & portas æreas confregit, & uectes ferreos dissipauit. Pater futuri seculi, quia cœlū apuit electis, & regnū homini præparauit æternum, post hāc uitam in cœlesti Hierusalem princeps pacis, quia nato Christo clausum est apud Romanos tēplum Iani, & mira pax est orta. & gloria in excelsis Deo, cantauerunt angeli, & in terra pax hominibus bonæ uolūtatis. Vnde dicit & alio loco idem Esaias incarnationē uerbi dicēs: Dominus iudex noster, dominus lucifer noster, dominus Rex noster, ipse ueniet & saluabit nos, quod perinde accipiēdū est, ac si dicat: carnē accipiet, & mortē pro nobis subibit. Et rursus: uere tu es Deus absconditus, Deus Israël. Saluator absconditus, inquit, quia in carne latuit saluator Israël, quia sua morte nostram mortem redemit. Et ne putes temporalem esse salutem, saluationis genus addidit. Israël saluatus est inquit in domino, in uirtute domini, & subdit: salute æterna, quā cōsecuti sunt omnes q ex Israël Christo crediderunt. Apertissimū testimoniū est Esaiæ. Sed audi Hieremiam sua sunt hæc uerba: Ecce dies ueniunt, dicit dominus, & suscitabo germen iustū ex semine Dauid, & regnabit Rex et sapiens erit, & faciet iudiciū & iustitiā, & in diebus illis saluabit Iuda, & habitabit Israël cōfidēter, & hoc est nomē q̄d uocabūt eum. Deus iustus noster.

C Considera uerba & attende mysteria. Suscitabo, inquit, germen iustum. idest, Christum sanctum, & iustum, ex semine Dauid secundum carnem, quia ex prosapia regia & de sanguine Dauid Maria mater domini nata est. & regnabit Rex: q̄modo regnabit? Sane quemadmodū ipse apud Matthæū in Euangelio dicit: data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, quod est regem esse. Et sapiēs erit, ait, sapientia, scilicet creata quæ hominis est, & increata quæ Dei est, & quæ est ante secula. Et faciet iudiciū discretionis & iustitiā discussionis nunc discretionis dum elegit ex mortalibus quos uult, & alios suo arbitrio dimittit: & in fine seculi iustitiam discussionis, quando reddet unicuiq; secundū opera sua. In diebus illis saluabitur Iuda, idest quicunq; crediderint & baptizati fuerint salui erunt. Et habitabit Israël cōfidenter in statu ecclesiæ triumphantis. Et hoc est nomē quod uocabunt eum, Deus iustus noster. ut scias quia Christus ex semine Dauid natus est, non solum homo sed etiam Deus est. nec alteri quàm Christo hæc uerba conuenire possunt. Accedat & alius Propheta Baruch nomine. Quid ille ait: Hic est, inquit, Deus noster, & excitabit alius aduersus eum: Hic adinuenit omnē uiam disciplinæ et tradidit illam Iacob puero suo, et Israël dilecto suo: post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est. Docent hæc omnia incarnationem uerbi, & hominem factū Dei filium manifestant. Nunc de morte audi, & eos contemnito qui Christum esse translatum, &

nondum mortuũ, sed incredibili clementia citra diem supræmum iudicij cum omnibus angelis interficiendum putant. O nephandam audaciam, & stulticiam aliis inauditam, dimittimus angelos quorũ substantia incorporea est & immortalis. Christũ interfectũ negant, & aiũt interficiendũ. Ac Dauid ex persona Christi: quæ nõ rapui, tunc inquit exoluebam, quia nõ peccauit & pœnas dedit et pro alieno delicto mortẽ subijt. Quod manifestius Esaias ostendit dicens: Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portauit. Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, et liuore eius sanati sumus. Omnes enim nos, quasi oues errauimus, & unusquisque in uia sua declinauit, & deus posuit super eum iniquitatem, idest pœnã pro iniquitatibus expiandis, omnium nostrum. Et subditur: oblatus est quia ipse uoluit, & non aperuit os suum. Et paulopost: tradidit in mortem animã suam, & cum sceleratis deputatus est: ipse multorũ peccata tulit & pro transgressoribus rogauit. Si uidisset propheta passionem Christi, uix potuisset apertius loqui. Nec Hieremias tacuit tormenta domini, qui eum in ligno crucis ita loquentem inducit: O uos omnes qui transitis per uiam, attendite & uidete, si est dolor sicut dolor meus. Et ipse saluator de se ait: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudẽdum, & flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget. Et iterum: Sicut Moyses exaltauit serpẽtem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eũ nõ pereat, sed uitã æternã habeat. Et ne de morte dubites scribit Euãgelista: Cum accepisset Iesus acetum dixit, consummatum est, et inclinato capite emisit spiritũ. Prophetæ Christum moriturum, & à mortuis surrecturum prædixerũt Euãgelistæ, & obijsse in cruce, & sepultum resurrexisse tertia die, affirmant. Certa res est, nihil ambiguitatis habet ueritati omnia consonant: Resurrexit dominus, ascendit ad cœlum, & uenturus est iterum, & faciet iudicium in fine seculi. Tua lex hæc non recipit, quia non sapit de Christo que sapere oportet. Cuius alterum aduentũ nõ solum Euangelium sed antiqui etiam uates ostenderunt, sicut pauloante de Hieremia diximus. Contestis eius est Daniel dicẽs: Ecce in nubibus cœli quasi filius hominis ueniebat, & usque ad antiquũ dierum preuenit, et sequitur: et dedit eis potestatem, et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ seruient ei. Quibus uerbis ueri doctores iudicium Christi facile inueniũt in fine mundi. Et ipse Christus de se ipso loquitur: Dico uobis, quod uos qui secuti estis me in regeneratiõe cũ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis et uos iudicantes duodecim tribus Israël: Et in actibus apostolorũ legimus constitutũ esse Christum à Deo patre uiuorũ et mortuorum iudicem. Hæc nos de Deo sentimus, hæc et firmiter credimus, hæc salubriter prædicamus, æternam uitam promittentes omnibus, qui Christo credunt et in trinitatis nomine baptizati opera faciunt Euãgelio digna. Quæris quæ sit ista uita æterna? quid agat illic homo? qua uoluptate lætetur: et quam beatitudinem assequatur. Respondemus cum euãgelio Ioannis. Hæc est uita æterna ut cognoscant te uerũ Deum et quẽ misisti Iesum Christũ. Summa ibi felicitas erit uidere Deũ in sua natura, et eius perfrui bonitate, gaudiũ nostræ mẽtis erit. Hac satiabimur, hac implebimur, hinc summa felicitas erit, habere Deũ et Deũ cognoscere. Videmus eñ nũc p speculũ, ait apostolus, tunc facie ad faciem & in Iubilo, teste Iob, in facie domini uidebimus lumen et satiabimur cum apparuerit gloria eius, & erimus sibi similes sicut ait Ioannes: Nec oculus uidit, inquit Esaias, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ promisit dominus diligentibus se. Et Apostolus, non esse dignas compassiones huius seculi dicit, ad futuram gloriam, qui reuelabitur in nobis. Tua lex in alia uita flumina lactis et mellis, et uini promitit, et cibaria delicata, et uxores multas, et concubinas & uirginum coitus, & angelorum in turpibus obsequijs ministeria, & quicquid caro deposcit. Bouis hæc paradisus, & asini potius quàm hominis est. Nam quis mortalis est homini habens faciem, qui per omnem uitam suam corpori seruiat? quis non aliquando in mentis secessum abit? quis non pascit intellectum aliquando & à sensibus recedit speculando. An non est honoris & gloriæ uoluptas multo iocundior & diuturnior quam ueneris?

A ueneris? An non dulcior est bene actæ uitæ laus quàm cibus ipse uel potus? Bibit sapiens atq; edit ut uiuat: tua lex ideo uitam appetendam homini existimat, ut edat & bibat. Sicut in hoc seculo carneus fuit legifer tuus, ita et in futuro studedum putauit: neq; curauit satiare mētē cui omne studiū fuit implere uentrē, atq; in ea re summū bonū esse putauit, quod neq; gētiles philosophi præter paucos admisissent, inter quos summa fuit de supremo bono dissensio. Alij in doloris priuatione felicitatē posuerunt ut Didonius: Alij in honestate uoluptati coniūcta, ut Calypho et Sinomachus: alij in scientia, ut Erilus: alij in sola uirtute atq; honestate, ut Zenō et stoici: alij in bonis animi et corporis et fortunæ, ut Aristot. et peripatetici. Soli Aristippus et Epicurus et eorū schola summū bonū in uoluptate locauerunt, atq; his tua lex conformis est, qui fex omniū philosophorū et fœtidū cenum fuere. Nec tamē illi in eo errore fuerunt, ut hanc felicitatem in altero seculo expectarunt, quibus futuræ uitæ spes nulla fuit mortalem animam existimantiū. Nostri philosophi summū bonū nec in terra nec in sensu, sed in cœlo & in Deo quærendum censent, & eo satiandā mētem existimāt. Et Natura instituit nos ut cœlum aspiciētes, eò uotis omnibus aspiremus. sicut est illud poeticū: Os homini sublime dedit cœlūq; uidere iussit: & erectos ad sydera tollere uultus. Quis nescit finē his præstare quæ sunt ad finem? omnia hæc corporea oblectamenta eo reperta sunt, ut spes hominis cōseruari

B & in suum finem qui est Deus per hæc adduci posset. Quis aut ederet, aut biberet, aut procreandis liberis operam daret, nisi esset in his aliqua delectatio? at hæc non est finis hominis, qui ad Deū factus est, & nisi ad Deum ueniat, nunquam quiescit. Nec per carnales delectationes ad Deum ipsum peruenitur, sed quanto his magis immersus est hō tanto est ab ipso Deo remotior, qui aliquando eo beatior existit, quanto angelicæ diuinæq; naturæ magis ac magis adhæret: Nec curat carnalia desideria qui bonis fruitur spūalibus. Sicut ignis & aqua simul esse nō possunt, sic deliciæ spiritales carnalibus nō cohærent. Trahunt illæ ad se humanam naturā, & totam in se rapiunt, nec sentire sinunt quæ caro appetit. Gustato spiritu desipit omnis caro, ut inquit unus ex nostris. Tua lex in paradiso uoluptates admittit, quas nec Solon nec Lycurgus permisit in terra. Quot fœditates de cibo & potu, & alijs uoluptatibus oriuntur quas in paradiso nephas fuerit nominare: aut enim gignerent sine fine homines, & implerent omnia nūq̄ morituri, aut frustra esset permixtio maris & fœminæ sine fructu, quæ etiam in hoc mundo damnatur. Dicis quid ergo fœminis opus est si non est coitus? Dicimus & nos quid opus est coitu, si non est generatio? propter uoluptatem dices: at hæc fœda uoluptas est & indigna, quæ paradisum nō ingreditur, nam quomodo illic permissa erit hæc turpitudo, quæ hic tanquam obscena prohibetur, & tātum propter sobolem aut euitandi maioris mali causa permititur. Hippocrates diuinæ uir scientiæ, uenereum coitum partem esse quā-

C dam morbi teterrimi existimabat, quem nostri comitialem dixerūt. Quis igitur habens aliquid humani pudoris, ac, ut uerbis cuiusdam gentilis utamur, uoluptatibus istis duabus cōeūdi atq; comedendi, quæ homini cum sue atq; asino cōmunes sunt gratuletur? non sunt hæc quæ pia mens in cœlo requirat. Dicis iterum, non erit plena felicitas in paradiso, si aliquod defuerit oblectamenti genus: ergo, ut existimas, cum uarijs rebus oblectentur homines, saltatione, uenatione, piscatione, ludo, lucro, cantu, cibo, potu, uenere & alijs quàmpluribus, eadē omnia in paradiso tuo requires & cū Vergilio dices: Quæ gratia curruum armorumq; fuit uiuisq; cura, nitentes. Nascere equos eadem sequitur tellure repostos. Vana hæc Philosophia est, quam nulla unquam ciuitas bene instituta recepit. Nos, ut diximꝰ mentis gaudia & spirituales delicias quærimus. Beatitudo nostra quam expectamus in altera uita, est ipsa Dei uisio, qua nihil optabilius inueniri potest. Videbit eñ beatus animus quæ sunt in cœlo, & quæ sub cœlo: qd erit q̄d eius aspectū fugiat qui uidebit uidentem omnia? Quæ nunc uidentur obscura de Deo, de trinitate, de incarnatione uerbi, de processione sancti spiritus, de sacramētis ecclesiæ, de cæteris archanis, tunc aperta erunt & manifesta: nullū deerit oblectamentum, nihil requiret ultra plenus animus, nam quid pleno opus est? nihil illi deest, qui nihil cupit. desideria nostra implebit optimus ac maximus Deus, in quo omnia bona sunt, nec ullum

cupiditatibus nostris relinquet locum. Erit Deus omnia in omnibus, qui sine fine amabitur, sine defatigatione laudabitur. Quæ lingua dicere, uel quis intellectus capere sufficit illius supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei uultũ cernere, incircumscriptũ lumẽ uidere, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Neq; illic beatitudo humani corporis in epulis erit, aut in uino aut in coitu. Ex redundantia beatitudinis animæ glorificabitur corpus ipsum, & similitudinem eius induet. Fulgebit tanquam sol in cõspectu Dei, tenuitati eius nulla resistet materia: leuitas & agilitas infinita spacia in ictu oculi permeabit: nihil erit q̃ amplius lædi posset, inuiolabile erit & impassibile, more animæ. Et ita totus homo exultabit, & dicet cum propheta: cor meum & caro mea exultauerunt in Deum uiuum: Nec frustra erit differentia sexuum aut artus reliqui superfluẽt: resurgent uiri & fœminæ integris membris, & non solum in specie, sed in ipso indiuiduo humanæ naturæ perfectio reintegrabitur. Nec tamen animales operationes aderunt, nec comixtio maris & fœminæ, quia cessabit causa propter quam fuerat introducta. Erit enim completa multitudo hominum à Deo præfinita, nec ullus erit carnalis appetitus, nec pulsabit temptatio inimici, non patebit insidiæ locus cum peruẽtum fuerit ad triumphũ. Pax ibi fiet incõcussa, quies & summa cõcordia uigebit. Vides inter tuam & nostram beatitudinem quantum inter est? Nostra felicitas nobiliori hominis parti, id est animæ respondet, tua uiliori, id est corpori: Nostra mẽtalis est, tua carnalis: Nostra fulgens & nitida, tua obscura et fœtida: Nostra cũ angelis ipsi Deo cõmunis est, tua cum suibus et aliјs pecoribus: Nostram docti omnes laudant, tuã uituperant: Nostra cœlo digna est, tua etiã in terra reprehenditur. Sed dices sacris etiam codicibus cõuiuia reperiri. qui futura uidetur in cœlesti Hierusalem potu ciboq; plena. Inquit enim Esaias: Faciet dominus exercituũ omnibus Apostolis in monte hoc conuiuiũ pinguiũ. Et in sapientia legimus: Miscuit uinum et posuit mensam. Et iterum: uenite et comedite panem meum et bibite uinum quod miscui uobis. Et in ecclesiastico: Cibauit illum Deus pane uitæ & intellectus, & aqua sapientiæ potauit illum. Et dominus apud Lucam: Ego, inquit dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus, ut edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Omnia hæc et his similia spiritualẽ habẽt intelligentiam, quia de mensa ipsa sapientiæ nõ corporalis uel cibus uel potus assumitur, sed mẽtalis, qui suauissimus est ac mundissimus, & hic est quem nos expectamus in futuro seculo. Tanto est igitur nostra dignior quàm tua felicitas, quanto nobilior & diuinæ beatitudini propinquior. Sed attingamus nonullas alias tuæ legis ineptias, quæ tum sacris literis aduersantur, tum philosophicas rationes excludunt. Dicit legifer tuus: quod tetigit eum deus manu sua inter humeros, & usq; ad medullam dorsi eius penetrauit frigus: Quod perinde est ac si corporeum esset Deum affirmet, quia tactus non est nisi per corpus, nos incorporeum dicimus Deum. Ait enim Esaias ex ore Dei: Cœlum & terram ego implebo: quod non posset fieri si corporeus esset, & propterea dicit in Psalmis Dauid: Spiritus domini repleuit orbem terrarum, spiritus inquit, domini, non corpus domini. Et Ioannes in euangelio: spiritus est Deus. Philosophi Deum purum actum dicunt esse, principium omnium rerum, naturæ omnino simplicis, & æternæ. Quod si corporeus esset, esset compositus ex elementis aut alia materia, & posterior suis partibus, neque simplex, neque purus, neque origo rerum. Et creaturas haberet seipso excellentiores angelos, scilicet (Nobiliora sunt enim spiritualia quàm corporea) quod est opinari absurdum, ne dicamus asserere. Nec simul stare potest, ut causa causarum sit Deus sicut Philosophi uolunt, & positus inueniatur: esset enim ab alio compositus, & illum nos potius diceremus Deum qui composuisset, non est igitur corporeus Deus, quia compositus non est. Nec mouemur, quia in sacris literis & caput, & manus, & pedes, & oculi, & digiti, & cor, & uterus & huiusmodi attribuantur Deo, utitur enim spiritus sanctus qui loquitur in scripturis, uocabulis quæ sunt in usu per similitudinẽ quadã, sicut dicit Ezechiel ex persona Dei: ego uisionẽ multiplicaui, & in manibus prophetarũ assimulatus sum eis, Est enim naturale

homini

A homini per sensibilia ad intelligibilia puenire, & omnis nostra cognitio à sensu capit exordium. Atq; idcirco spũalia nobis in sacris codicibus sub metaphora corporalium exhibetur, quodq; ita fit, ut etiam rudes aliquid capiant qui alioquin essent diuinæ sapientiæ minus idonei auditores. Dixit præterea tuus Mahometes: omnium peccatorum causam esse Deũ, et exclamans his uerbis utit̃: O Deus qbus uis bonã, qbus uis malã uiam prebes. Nos mortale peccatũ auersionẽ quandam esse dicimus ab ultimo fine, nec possibile censemus Deum qui ultimus finis est, uoluntatem cuipiam à se auertere, esset enim sibi ipsi contrarius. Et si Deus omnia diligit quæcunq; fecit, ut est illud Sapiẽtiæ, diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti, quomodo consentaneum est, ut peccati causa sit ipse Deus? Cui dixit in psalmo Dauid: Odisti omnes qui operantur iniquitatẽ. Et in Ecclesiastico legimus: omne detrimẽtum erroris odit Deus, contraria sunt amor & odium. Audi ulterius intolerabilem tuæ legis errorem. Si nobis, inquit, aduersa incũbunt, incubuerunt & cæteris. Sunt enim iste dies casus atq; fortunæ. Negat diuinam prouidentiam curare mortalia. Nos de diuina sapientia dicimus, quod attingit à fine usq; ad finem fortiter & disponit omnia suauiter, nec summe Dei bonitati conuenit ea negligere quæ creauit, propter quod inquit per Matthæum dominus, omnes capilli capitis uesti numerati sunt. Addit Mahometes angelos creatos ex flãma ignis,
B & peccare & mortuos esse. Nos cũ propheta dicimus, quod Deus fecit angelos suos spiritus, & creauit eos ex nihilo, Et philosophos nobiscũ sentientes habemus, qui omnes angelos, quos uocant intelligentias, incorporeas esse dixerunt, nec peccatum angelis reperiri posse censemus qui Deũ in essentia uidentem omnia uident, & omnia intelligunt ad suam perfectionem necessaria, nec est in eis ignorantia peccati mater. Nec subiectã coruptioni naturã angelicam arbitramur, qua non est materia quæ separari posit à forma, sed ipsa forma per se subsistit incorruptibilis et immortalis. Origenis præclari et excellentis ingenij uiri, sicut multa extant præclarissima opera, & nonnulli errores peruersissimi reperiuntur, inter quos unus ille est, quod dæmones per Dei misericordiam liberandos esse aliquando à pœnis asserit. Hunc secutus est Mahometes, qui saluandos per Alcoranũ malos angelos affirmat: Nos cum Esaia de omnibus dãnatis siue hominibus siue angelis unam sententiam habemus, quod uermis eorũ non morietur, & ignis eorũ nõ extinguetur. Et saluator in Euãgelio damnatis in ultimo iudicio ignẽ æternũ repmittit, diabolo & angelis eius pparatũ. Quid qd tuus legifer animã humanã portionẽ asserit animæ Dei: sic nonulli philosophi palam tradiderũt, & Manichei secuti sunt. Nos humanã animam ad imaginem & similitudinem Dei factam dicimus, sicut scriptum est in Genesi: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, quod de anima dictũ est nõ de corpore. Quod si anima hominis portio esset Dei, esset utiq; Deus,
C nec esset homo non Deus, qd dicere stultissimũ est, cũ manifestũ sit labi hominis animã à bonitate malitiam, à ueritate in errorem, à gaudio in tristiciam, à spe in desperationẽ, quod est à Dei substãtia penitus alienum. Nec illud uerum est, quod in uestra lege traditur: animas hominum ex materia productas esse omnes. Asserũt enim philosophi ab extrinseco esse homini intellectũ, sed qd innatus sit spiritus uitæ iussu Dei. Et Theologi rationales animas omnes ex nihilo creatas dicunt: & Adam cum factã uidisset fœminam, hoc os, inquit de ossibus meis & caro de carne mea. non dixit anima de anima. Et propheta in Psal. canit: Qui finxit singillatim corda eorum, ponitur enim cor pro anima quia sedes eius in eo est. Et deus sibi animarum productionem reseruauit propter earũ dignitatem, qui per Esaiam ait: omnem flatũ ego feci quod intelligit̃ de flatu spirituali, qui est rationalis anima: Præterimus, quod cœlum ex fumo factum dicitis. Quod si uerũ esset, corruptioni subiaceret. Præterimus, quod Solẽ & Lunam æquales ab initio uirtutis & luminis tuus propheta testatur. Nos dicimus cœlum ex nihilo creatum, & duo luminaria magna fecisse Deum ab initio, luminare maius ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti. Ad illud transimus quod in uestra lege dulcissimũ, & saluberrimum esse putatis: Vxores multas ducere. Quod si Deo placuisset, creato homini ab initio nõ unam tantũ sociã præbuisset, sed plurimas, nec dixit Deus, relinquet homo patrẽ

& matrē & adhærebit uxoribus suis, sed uxori suæ dixit. Nec amicitia inter uirū & uxorem uera esse potest, ubi non est æqualitas, cū uir pluribus misceatur, mulier uiro uni tātum adhæreat cuius est in alias plures distractus amor. Nec propterea numerus homini augetur, quia plures uni nubāt fœminæ, nā totidem uiri priuati cōiugio sine prole decedunt, & præsertim cum mulieres numero pauciores existāt. Iniqua insuper res uidetᷣ & naturali aduersa libertati, unius urbis ciuium alios multiplici matrimonio uti, alios in solitudine degere. Nec ꝑpterea laudanda cōsuetudo, q̄d in ueteri lege plerosq; sanctos uiros pluribus uxoribus fuisse cōiunctos legimus, quia nō id ex lege, aut ex uoluptate fecerūt, sed diuina quadā dispensatione, & ad sobolē procreandā quæ cresceret in cultu Dei. Tacemus de diuortio quod permittitur apud uos contra legē euāgelicā: & de adulterio, & fornicatione, & alijs sceleribus quæ licet antiqua lex detestetᷣ, & noua prorsus abominetur, apud uos tamen cōcessa uidentur. Non est q̄d omnia tuæ legis errata percurramus quando neq; nobis scribendi, neq; tibi legendi satis est ocij. Et tuipse pro tuo ingenio multa intelligis adeo stulta esse, ut nulla possent ratione defendi. Tota de Deo quæstio est huc omnia referuntᷣ, totū in hoc cōsistit, ut Christum Iesum Deū esse credamus: quo concesso, necesse est eius legi obedire, & eius uerbis credere, qui uerax est & mentiri non potest. In eius lege trinitatē, de qua supra diximus, in unitate diuinitatis cōperimus, & incarnationē uerbi, & ꝓcessionē spiritus sancti, & reliqua omnia quæ retulimus usq; ad extremū iudiciū. Quorū aūt Christus Deus sit iā supra ostensum est ex ueteri lege atq; prophetis. Licet etiā ex tua lege mōstrare, quæ prophetā & sanctū uirū fuisse Christū asserit. Si ꝓpheta & sanctus, ergo uerax: si uerax & Deus, nā Deū seipse testatus est dicens: Ego & pater unū sumus, & qui uidet me, uidet & patrē. et si creditis in Deū & in me credite, & alia multa huiusmodi ꝑ quæ diuinitas Christi colligitᷣ, & æqua cū patre & spiritu sancto maiestas. Bene est igitᷣ ut legē nostrā amplectaris, quæ uerax est & salubris à Deo data, & tuā relinquas in qua non ueritas neq; salus, homo illā tullit, peccatis & ignorantia plenus. Intellexisti quanta adducimus ex ueteri lege testimonia, quibus Deus ostenditur, & homo Christus Iesus, & pro nostra salute supplicio crucis affectus. Audiuisti sacro sancti euangelij attestationes, & ipsius Christi uoces quem tua lex sanctum habet. Quid igitᷣ obstat baptismo? quis prohibet aquam? quid moraris? ingredere iam tandē salutis iter cū præcellentibus uiris & magnis imperatoribus ad æternam salutē sub Christo peruenies. Diximus de Cōstantino seniore, & Philippo q rempublicā tenentes in Christū credidere, post Constantinū creati Cæsares idem iter secuti sunt, & in fide nostra dormierunt, excepto Iuliano apostata, qui ex monacho Cæsar factus transiuit ad idola, quæ uitā laxiorē promittebant. Sed ille bello parthico pœnas dedit, & sagitta confossus in incertū missa, coactus est cadēs dicere: Vicisti Gallilæe, sic enim per contumeliā uocabat Christum. Fuerūt & aliqui scismatici & hæretici, qui & si Christiano nomine, nō tamen recta incesserūt uia. Imperatores Christiani nullo errore polluti inuenti sunt: Iouinianus, Gratianus, Iustinianus, Valentinianus, Iustinus, duo Theodosij, Archadius, Honorius, Carolus magnus, Ludouicus, & plures, Franci & Theutonici, tres Otthones, Henrici aliq̄t, & nō pauci sub alijs nominibus. Præterimus alios reges fama claros, qui uel in Gallia, uel in Hispania, uel in Anglia, uel in alijs prouincijs Christianis sacris initiati fuerunt, & in domino mortui ad uitā creduntur migrauisse beatā. Cum his nō est cur te pudeat Christi iugū subire, & sub eo regnare, per quē Reges regnant, & legū conditores iusta decernunt. Multos inuenies Reges qui te colentem Christū honorabunt. Etsi enim aliquando horrebant Reges Christi nomen, & propter idola Christianos persequebantᷣ, postea tamē ꝓpter Christum idola deleuerūt. Honesta hæc societas est, cū qua te uocamus in uiā ueritatis & pacis. Illa nihil dignitatis habet cū qua te tua lex in deuia rapit, nā præter Otthomanorū familiā de qua natus es, et illustres progenitores tuos, quis est qui magnopere laudari inter Saracenos queat? Celebratᷣ Saladinus quidā, & aliqui pauci nomen habent, qui res memoria dignas gessere. At Christianorū excellentissima nomina omnes historias impleuerūt, noti sunt in Syria & in Aegypto, & in Asia, Godefridus, Balduinus, Bohamundus Tancredus, Conradus,

dus, Philippus, & alij admodū multi qui ab extremis Galliarū & Germaniæ finibus, cum ingentis copijs Hierosolymā petiere, iterq; sibi per medios hostes ferro parauere. Hos tibi comites damus, cū his te Christo iungere cupimus, honestiores hi socij sunt quàm Aegyptij effœminati, aut imbelles Arabes. Tua origo (sicut accepimus) Scythica est, inter Scythas multos fuisse uiros in armis claris memoriæ tradit, qui uectigalem Asiam pluribus seculis tenuerūt, & Aegyptios ultra paludes eiecerūt. Non sunt comparādi aut Aegyptij aut Arabes Scythico generi, nō est forti & ignauo æqua societas: Mirandum est tantum potuisse suis fascinationibus Arabes, ut audaces & præstantes Scythas in suam societatem adduxerunt. Quid dicimus societatem? non est hæc societas. seruitus est quando eorum legi subiectus es, quæ utinam lex esset et nō deceptio ac præstigium. Conformior tibi cum Christianis societas erit: fortibus uiris facile amicantur fortes: uirtus uirtuti placet. Pulchra et stabilia sunt inter æquales consortia, si eadē religio est idemq; cultus Dei. Age igitur. Accipe Christianos socios: accipe fidem & baptismum, qui te hic faciet in terris magnū, quo ad uixeris, & post obitum in cœlo beatum reddet. Audisti promissa euangelica, et quomodo cuncta quæ diximus ueteris legis autoritate probantur. Sed times ne te decipiamus, recordaris tui legislatoris, qui as-
B serit legem & prophetas à Iudæis, Euangelium à Christianis esse corruptum, tantumq́ue de ueritate uel noui testamenti uel ueteris remansisse, quantum Alcorano continetur. Exploratum id forsitan arbitraris & uerum esse atque idcirco testimonijs nostris non adhibes fidem, nec baptisari audes, aut in Christum credere. Vtinam tam bonus fuisset tuus legifer quàm callidus: tam uerax quàm uersutus, tam iustus quàm iniquus tota est artificiosa & fraudulēta lex eius. nam qui diuinum sibi abesse auxilium non ignorabat, ad humanas confugit astutias: cupiebat legem edere quæ sibi nomen daret: famamq́ue etiam per flagitia exoptabat, ut Nicostratus ille qui Dianæ Ephesiæ templum incendit: & animaduertentes antiquam & nouam legem, quamuis honesta essent, duram tamen uulgo uideri & seruatu difficilem, fieri posse existimauit, ut innumerabiles populi in suas traditiones concederent. Nam gentiles quamuis laxiori lege tenerentur, quàm Christiani, continentiā tamen, & modestiam, & frugalitatem commendabant, & philosophis auscultabant, uirtutis amatoribus, neq; sinebant suos ciues corrumpi uitijs aut uoluptate marcescere. Creuit igitur secta Saracenorum licentia uitiorum: placuit uxores ducere quot malient, easdemq; dimittere cum displicere cœpissent: habere concubinas quàmplures, & in omne libidinis genus posse prouolui: indulgere uentri cūcta quæ uellet, et ori præter uinum: uniuersis immergi uoluptatibus. Etsi
C enim aliqua ieiunia in lege tua præcipiuntur, id etiam ad irritandam uoluptatem factū est. Nam Saraceni diem ieiunantes, nocte quàm longa est epulantur et bibūt. Nec aliā ob causam uini usus interdictus est: nisi quia noceret in ardenti terra qualis est Arabia: & maior est in frigidis uoluptas poculis. Hoc unum ergo Mahometis inuentum fuit, ut legem propagaret suam. ea præcipiens quæ grata essent auditoribus, & maxime plebibus quæ iumentis similes existunt. nec fefellit eum opinio in hac parte. Placuit noua lex & breui tempore ita coaluit, ut in multis populis, gentibus ac linguis reciperet, cui fundamenta in uoluptate iacta fuerunt. Verum sicut agricola non imprudens postquā uineam plantauit, fossam circumducit & sepem, ne destruatur à feris, ita & Mahometes suam legē cōseruare ac munire statuit. Animaduertit homo sagax duobus modis suum dogma cōuelli posse, atq; cōfundi autoritate, scilicet & ratione. Atq; aduersus hæc duo quæ poterant inueniri remedia nō neglexit, autoritati apposuit, quod pauloante retulimus, antiquam scilicet, & nouam legem deprauatā esse, nec quicquam ueri restare nisi quod Alcoranus haberet: Rationi arma obiecit, iubens ne quispiam de sua lege disputaret, néue rationem quæreret. In eum qui contra niteretur ferro uindicandum esse, atq; huiusmodi uallo suam legem callidus ueterator communiuit. Sed non hic adamantinus murus, neq; ferreus, neque ex uiuo lapide. Fragilis materia est, creta & luto munita domus, facile oppugnabitur, neq; resistet telis nostris. Facile ruunt ædificia in arena fundata, aggrediamur hæc telis tuæ legis munimenta. Corruptionem in primis sacrarū litera-

rum obijcitis. Hoc ei probandum fuerat, qui factum asserit. nobis satis erat negare factum. Libet tecum aliter agere, & apertam tui legislatoris calumniam ostendere. Lex Iudaica quam Moyses & prophetæ tradiderunt, antequam Mahometes nasceretur, pluribus seculis scripta fuit, & multis in locis promulgata, & in alienas translata linguas, nec fuit unus interpres sed plurimi, Rogāte Ptolemæo Philadelpho LXX. presbiteri legem interpretati sunt & consona dixerunt. Aquila etiam & Theodosion & Symachus, & alij uetus testamētum traduxerunt. Facta est antiqua lex & Græca. & Latina multis ætatibus antequàm tua promulgaretur. Impletæ sunt omnes bibliothecæ Moysaica & aliorum Prophetarum traditione. Alexandriæ, Romæ, Athenis, Carthagine, Syracusis, Toleti, Lugduni, & in omnibus locis quæ insignia essent, siue apud Græcos siue apud Latinos. Vetus testamentum ex Hebraica ueritate traductū, & habebatur & publice legebatur. Quis ille Iudæus tam potens fuit qui corrumpere legem ubique gentium potuit? Nondum natus erat Christus cum. LXX interpretum æditio facta est, quo tempore nulla erat causa corrumpendæ legis, cum nulla esset cum Christianis nondū natis de lege cōtentio: Nec propter alios oportebat Legi aliquid detrahere, qui legem non acceperant, nec propter se qui talem acceperant & laudabant. Siqua corruptio interuenit, in ea potuit interuenire quæ apud Hebræos remansit, non in ea quæ inter Latinos & Græcos diuulgata est, & per infinitas diffusa prouincias. Quanquā nec Iudaica corrupta est, quæ usq; in hanc diem cū Græca & Latina traditione concordat. Difficilis ac pene impossibilis fuisset corruptio in tot manibus. Mahometi leue fuit unum codicem corrumpere & illum tanquam uerum his tradere qui sibi ab initio crediderunt. Quod si multi sunt hodie apud uos codices unius continentiæ, non tamen idcirco ueritas in eis est. Ab uno enim qui falsus erat, emanantes omnes falsitatem continent, quia non defluunt ex amaro fonte dulces riuuli. Quærimus ex te magne princeps, si, te iudice, duo rationum codices afferantur, quorum alter ex altero transcriptus existat, & in eo de quo est facta transcriptio. Sempronius mille debere talenta scriptus est. in exemplari duo millia, cui potius fidem dabis? an non exemplo magis quàm exemplato? Hebræi parentes antiquæ legis existunt & apud eos exempla legis habentur, apud alios exemplaria. Rursus ex te quærimus: quatuor inueniuntur rationum libri apud quatuor negociatores, Seium, Gaium, Titum & Semproniū. In eo quem Sempronius producit, creditor ipse, Lucij in centum talentis scriptus inuenitur: in alijs debitor, cui credes? Quid respondebis? an non tres libros uni præferes? Certe non dubitabis præferre. Si ita iudicas soluta questio est. Quatuor libri uetus habent testamentum. unus est Hebræorum, alter Gentilium, & tertius Christianorum, ultimus Saracenorum qui à cæteris discrepat. Mendax enim est, nam reliqui conformes inueniuntur. Nam & Græci, qui gētiles erant ante Christi aduentum, & latini ante Mahometem uetus testamentum non alio modo habuerunt quàm nos hodie habemus. Hoc fortasse inficiari posses, quia non reperiūtur hodie gentiles qui bibliothecas habeant ueteres. Sed interroga Iudæos inuenies uera esse que dicimus: & adhuc extat Iosephus Hebræus, qui translationem antiquæ legis in manu Ptolemæi quem nominauimus, gentilis hominis attestatur factam: ex qua postea traductiones emanarunt, quæ usque in hanc diem perseuerant & Hebraicæ ueritati concordant. Stulta est igitur Mahometis fictio & turpis inuentio, nec quicquā habet uerisimile, nec tam cōfutatione quàm irrisione digna est: Quod dicimus de ueteri testamēto idem licet de nouo intueri, quod nec ab uno scriptū est, nec in una lingua, nec in uno loco, nec in uno tempore, & tamen una sentētia est, & unica cōcordia. Quod Græci habēt, hoc Latini, hoc Hebræi, hoc Syri, Armeni, hoc omnes barbari Christū colētes: Quāuis hæretici aliq ad tuēdos errores suos corrūpere nōnullos codices ausi fuerūt. Quid ages? qd dices? cui fidē adhibebis? an soli Saracenoꝝ an Latinoꝝ an Græcoꝝ an Hebraicæ? Multo antiqor est Christiana lex quàm Saracena. Audita est in omni terra Euāgelij tuba, sicut scriptū est: In omnē terrā exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ uerba eorū. Vulgata est & recepta lex Christi per totū Romanū imperiū, priusquā tuus legifer pdiret in lucē. Et idē Euangeliū qd nūc habemus,

A habemus, omnes gentes suscepere. Nec fuit maioribus nostris aut facultas corrumpendi rem adeò uulgatam, aut necessitas cum non esset Mahometes cum quo de fide contenderent. Corruptio ei necessaria fuit qui nouam legẽ edere uoluit, ueteri & nouæ contrariam: Nec dubium faciet iustus iudex, quin Christiano maior fides adhibenda sit, uel Christi legi quã Saraceno. Ipse enim conseruator est suæ legis & manet in traditione patrum. Saracenus ab ea recessit & inuẽtiones sequitur nouas, quas sui maiores ignorauerunt. Euangelia apud nos quatuor recepta sunt, quæ summa diligẽtia, uigenti studio, et acri discussione sancti patres in generalibus cõcilijs non prius amplexi sunt quàm esse uerissima multis modis recognouerũt: Nõ est igit̃ q̃d tuus legifer de corruptiõe sacrarũ literarũ possit obijcere. De ciuitate domini, quæ est Ecclesia, inqt in Psalmo Dauid: Fundauit eã in æternũ. Non esset fundata in æternũ Ecclesia, si fundamentũ eius, quod est euangeliũ, uiolari aut corrumpi potuisset. Nec uerum fuisset quod ait propheta Baruch. loquens de lege Dei. Lex quæ in æternum. Nec illud staret, quod dicit: In æternũ permanet uerbum tuum, & in seculum seculi ueritas tua. Nec Esaias uera fuisset de Christo locutus dicens: Super soliũ Dauid & super regnum eius sedebit, ut confirmet & corroboret illud in iudicio & iustitia usq; in sempiternum. Nos Gabrieli angelo credimus, qui de Christo Mariæ uirgini sic ait: Dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris

B eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Quomodo regnat Christus in domo Dauid nisi per fidẽ? Quomodo per fidẽ, nisi per Euangeliũ? Quomodo per euangeliũ in æternũ si corruptũ est euangeliũ? mendax lingua, falsa calumnia. Ego uobiscũ sum, inquit dominus, usq; ad consummationẽ seculi. Et Oseæ prophetæ uerba ad ecclesiã cõferuntur: Sponsabo te mihi in fide usq; in sempiternum. Et ad Petrũ uicariũ suũ inqt Saluator. Tu es Petrus, & super hanc petrã, ædificabo Ecclesiã meã, & portæ inferi nõ præualebũt aduersus eã. Et iterũ: Rogaui ꝓ te Petre, ut nõ deficiat fides tua. Præualuissent portæ inferi & defecisset fides Petri, si falsum esset Euangeliũ quod sequimur. Sed manet fides magni pastoris in ecclesia Romana, quæ nunquam inuenta est errasse neq; errabit in æternũ. Magistra est enim & mater omnium fideliũ & disciplina ueritatis. Caue Mahometes, caue magne princeps, ne sequaris errorẽ Porphirij Siculi, qui tuæ legi cõsona dixit. Is ex Christiani sinu ad idola transiens, ait se deos cõsuluisse quid de Christo sentirẽt, & illos respõdisse, Bonũ uirũ fuisse Christũ, sed peccasse discipulos eius, qui diuinitatem ei attribuerãt, quã sibipse nunq̃ arrogasset: hoc deorũ testimoniũ est idolorũ, quæ tu dæmonia esse non dubites. An nõ intelligis fraudem? an nõ uides tui legiferi & dæmonũ esse unũ argumentũ? unam collusionẽ? unam fallaciã? & Christo diabolũ inuidere eiusq; gloriæ & maiestati detrahere. Cuius consilio atq; suasu tua lex ædita est, Euangelicæ atq; Mosaycæ contraria. Dices pari modo Christianam legem Mosaycæ

C aduersari: Nam quæ iussit Moyses, plurima uetat, & permittens quæ ille uetuit. Nescis antiquæ legis archana quæ diu grauida fuit, nouam in utero gerens & cum statutum diuino consilio tempus uenit, eam peperit: Vidit Hieremias per spiritum legem hanc nouam cum ait: Ecce dies uenient dicit dominus. & feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël. Post dies illos, dicit dominus, dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deũ. Nouum fœdus inquit, quia baptismus circũcisioni successit: & legẽ meã inquit, scribam in corde eorum, quia uetus lex in tabulis lapideis scripta fuit. Noua per charitatem in corde hominũ radicata: & ero eis in Deũ, q̃a nouæ legis autor, & ꝓmulgator Christus Deus & homo est, antiqua ꝑ Moysen innotuit tantũ homini, & aduenięte ꝑfecto, euacuatũ est imperfectũ, nec amplius in ꝑpucio nobiscũ Deus, sed in corde pascit̃, dicẽte Apostolo: Licet circũcidamini, nil ꝓdest uobis. Nec ulterius cerimoniæ legis habent locũ. uenit enĩ ille de quo loquit̃ in Deuter. Moyses ꝓpheta: De gente suscitabit te Deus, ipsum sicut me audies. Et subdit: Ponã uerba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia uerba quæ ꝓcepero illi. De Christo hæc ꝓpheta locutus est, ex ore Dei, q̃d uerũ erat os, in cui⁹ aduẽtu legata et cerimoniæ defutura erãt, sicut apud Matthæũ scriptũ est: Lex et ꝓphetæ usq;

ad Ioannem. Sacra enim quæ ueteres obseruabant, annunciatiua erant uenturi Christi, quæ in eius aduentu completa cessauerunt, & alia instituta sunt, uirtute maiora, ueritate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Et sicut sacerdotium mutatum est, sub cuius administratione lex erat, ita & legem mutari oportuit. Non est igitur aduersa ueteri noua lex quæ in eius uentre cõclusa erat. & adueniente Christo & euangelij luce clarescente, patefacta circumcisioni & alijs ceremonijs antiquitus obseruatis sicut præfinitum erat, finẽ imposuit. Est autem Christiana lex tanto dignior quàm Iudaica, quanto nobilius est oraculum Dei quàm hominis. Cognoscis iam (nisi fallimur) ueritatem & maiestatem nostræ legis, nec utilitatem ignoras, incipisq; de tua diffidere & ardes desiderio disputandi, uelisq; latius cuncta discutere. Sed obstat legifer tuus, & inquirere uerum prohibet, & interminatur & clamat: non est mea lex quæ disputationi subijcienda sit: Caue ne quid loquaris, arma sunt in manu tua, dum mihi credis, multum imperij adeptus es: qui non audiunt meam uocem, gladio conterendi sunt: Ensis meæ legis dignitatem tuetur. In Arabia ortus eius fuit, ex paruo principio quantum creuerit uides. Aegyptum adieci meæ legi, & Syriam, & Mesopotamiã, & Libyam, & Numidiã & Mauritaniam, & partem Hispaniæ, & diuitem Asiam, & doctam Græciã, & fortem Thraciam, & nobilem Macedoniam. Sunt & aliæ quãplurimæ regiones sub imperio meæ legis, quæ armis nõ uerbis quæsitæ sunt. Muliebre est uerba uerbis reuellere, uiri ferro decertant: si non fuisset uera mea lex, non dedissent superi imperio nostro, nec non dominationi nostræ tantos successus atq; prosperitates. Amat nos Deus, & legis odorem sentiens gratulatur, & sternit iter uictorijs nostris. Scis quàm feliciter sæpe in hostes pugnasti, & modo in ponto & sæpe in Græcia. En fili, quid cogitas, quid moliris: tot triumphis sub mea lege illustratus, Christum sequeris, cuius cultores strauisti totiens, & ad internetionem usq; cecidisti? Caue ne meam linquens, legem relinquaris à Deo. Credimus his te uerbis non parum commoueri, & aliquem inesse in tua mente timorẽ. Sed audi quàm inanis est timor. Omnis qui malũ facit, inquit in Euangelio ueritas, odit lucem. Fures noctu domos perfodiũt, & in obscuro adulteri latitant, nõ adhibent testes, qui peccant, nolũt deprehendi mendaces. Cum his sentit tuus legifer. Veretur ne disputando suæ legis uanitates innotescant: Veretur ne pudenda sua detegantur: Prohibet disceptari uerbis, armis defendi suam legem iubet, nec aliũ iudicem quàm ferrum deposcit: Multumq; gloriatur de suæ legis incremento: Diximus cur creuerit. plebes uoluptas allexit: Neq; inficiamur multas tuæ gentis uictorias partas & ingentia cõfecta bella. Et tuipse in prælijs clarus euasisti: Vicisti hostes non paucos & triumphasti sæpe, fuisti tamen etiam aliquando uictus. Parua Christianorum manus tuas ingentes copias, ut ante diximus, apud confluentes, Sanum ac Danubium paucis ante annis deleuit, non milites ueterani, non duces in bellis ante probati, non uiri nobiles, armis potẽtes & eqs, sed pauci cruce signati, ex agris collecti, inermes & nudi, fide tantũ armati, ferro fulgentes & auro tuos fuderunt exercitus. Quod si uictoria ueritatem legis ostendit, hoc uno prælio satis admonebare, in quo multi fugerunt paucos: Tuæ uictoriæ nihil mirabile habent, ad quas nunquam sine grandi tuorum prærogatiua uentum est. Sed quid agimus, non his argumentationibus stat recta fides, uici, fudi hostes, imperium teneo. Si sic licet arguere, uera fuit sub Alexandro magno tot uictorijs illustrato, & sub eius successoribus religio: qui & in Græcia, & in Asyria, & in Syria, & in Aegypto, & in Libya, & in Perside, & in Scythia, & in Indis regnauere, imperio per arma quæsito. Vera etiam Romanorum fides usq; ad priorem Constantinum, qui orbem sibi ferro subiecerant, & omnes domuere quas adiere gentes. Scimus tamen & Alexandrũ & eius hæredes Romanos & qui sub eis erãt, Iudæis exceptis, idola coluisse, alij Iouem, alij Martem, alij Mercurium, nonnulli Solem & alia sydera, multi etiam, ut Aegyptij animalia bruta colebat: quis nescit, inquit unus ex poëtis, Volusi Bithume, qualia demẽs Aegyptus portẽta colat, crocodillon adorat. Et q̃d stultius fuit, et alliũ et porros et cepe inter numina posuerũt. Præclaræ tamẽ Aegyptiorũ uictoriæ memorant. Sicut de Osiridi, ꝓditũ est, q̃ uictũ pagrauit orbẽ, ergo et deos Aegyptiorũ recipiemus, et ueram

A ram eorum religionem fatebimur quia uicerunt: Non: non, sic ratio suadet, neq; sic Iudæi sensere, quæ uicti ab Assyrijs, & ab Anthiocho, & à Romanis, & in seruitutem ducti, nō tamen uictorū leges de his acceperunt, sed uicti & angariati & mille modis oppresi in sua lege manserunt. Nec nos Christiani cū prælio superamur, aut alijs calamitatibus affligimur, legem nostram aut relinquimus aut accusamus, sed arbitramur piū Deum, nos tanq̄ filios propter peccata quæ committimus, uerberare, quia non paremus euangelio, nō seruamus legē nostrā, neq; manemus in traditione sanctorū patrū, sed uicti fragilitate aberramus, & labimur ut homines. Ipse uero lapsos corrigit, & plagis multis nostras iniquitates emēdat. Cognoscimus errata nostra, & cōsiderātes quæ fecimus, minorē esse pœnā quā delictū nō ignoramus. Si cadimus in bello, si amittimus regnū, si iugo seruitutis opprimimur, dicimus cū Daniele ꝓpheta: Deū esse in cœlo qui reuelat mysteria, mutat tēpora, & trāsfert regna ut uniuersi cognoscāt, q̄d dominatur excelsus in regno hominū & cui uoluerit, dabit illud. Nouimus Deū, & Iudæos, & Christianos posse cū uelit, & uoluisse aliquādo: alterius sectæ hominibus subijcere, propter offensas populi, qui eum ad iracundiam prouocauit: sed cōuersi ad eū nō desperamus misericordiam cōsequi. Quāuis enim irascitur Deus, ut inquit propheta, non tamen obliuiscitur misereri. Pius est et benignus, nec deserit clamātes ad se. Absit autem ut propter

B uictoriā meliorē esse credamus religionē uictorū. Sic enim fatendū esset, omnes qui uicerūt Hebræos, melius de Deo sensisse quā ipsi uicti, quod neq; tu diceres neq; tuus legifer qui defensionē suæ traditiōis in armis collocat, & omne genus rationationis effugit, maximū iniquitatis indiciū. Non sic beatus Petrus, qui donatus à Christo domino cœlestis regni clauibus, & pastor constitutus gregis Christiani, paratū se ait rationē omnibus reddere de ea q̄ erat in ea fide. nec aliter suos auditores edocuit beatus Laurētius martyr. Mea nox inquit, obscurū non habet, sed omnia in luce clarescūt. Et in euāgelio, nō ꝓbat dn̄s eū qui lucernā accēdit, & sub modio ponit, sed sup candelabrū eā esse uult, ut luceat omnib. q̄ sunt in domo, et prædicari uerba sua super tecta iubet: de seipso dixit: Ego palā locutus sum mūdo. Deceptores & pseudo prophetæ in angulis prædicant & uolunt occulta esse, quæ dicunt, at iuramenta taciturnitatis exigūt. Sicut Romæ accidit in his qui bachanalia celebrant: In occulto enim deo suo sacrificantes, nullum flagitium libidinis omittebant. Quod si alia non essent aduersus tuam legē iudicia, hoc unū sufficere potuit, quia prohibuit eius lator in disputationē uenire. Sciebat non æqua esse neq; uera quæ tradiderat. Videbat ueterem & nouam legem cōtra se stare, intuebatur philosophorū acutissimas ratiōes sibi aduersas esse, nec sperauit in cætu hominū aut in scholis uirorū excellentiū sua deliramenta posse defendi. Animaduertit homo sagax & ingeniosus in malo, gentiles qui deos colebant, damnatos esse, & iam prope modum ex-

C terminatos, nec Iudæis locum esse, quorū lex translata esset cum sacerdotio ad Christianos. Cumq; statuisset nouam legem, idemq; sibi nomē daret, sperauit quod modo euenit, iratum Deum Christianis, qui sua legis mandata transgrediebantur aduersus transgressores uictoriā concessurum, atq; idcirco suæ legis defensionem in armis collocauit, quam alioquin hominibus gratam propter licentiam uoluptatum non ambigebat, diaboli hoc fuit inuentum, antiquus hanc uiam suæ nequitiæ serpens excogitauit, qui cum uidisset sese procul eijci ex Christiana religione augescēte, idola deleri, nec amplius deorum multitudini locum esse, sed unum tantum deū adorari cum patre & spiritusancto Iesum Christum Heraclio imperante, Mahometis spiritum excitauit, eumq; sibi ministrum elegit hominem uanum, prius idolatram, fortuna pauperem, mente superbum, natione Arabē, cōsilio usus quorundā Iudæorū & Christianorū peruersorū, inter quos fuit Sergius spiritu ambitionis inflatus legē tertiā edidit, ex ueteri & noua conflatā, multis ineptijs extrinsecus adiectis. Legē diximus, quia ipse legē uocat, nos blasphemiam rectius appellabimus. Rugasti frontē, auertisti oculos, horruisti, turbatus es, subiratus es, dum hæc dicimus. At si ueritatis amicus es, audienda est ueritas, neq; tu legifer si tibi amicus est, ueritatem interdicet, quæ tanto magis amica est, quanto salubrior, & homini ab ipsa natura conuenientior. Audi uerum, & disce quomodo sit appellanda lex.

Legem dicunt esse philosophi quod ratione præcipitur. Et sunt qui nil aliud legem esse affirmãt, quã rectã rationẽ à diuino numine ductã. Quicqd igitur rationi aduersum est, legis nomine caret. At tuus legifer ratiocinari de sua lege prohibet, & solũ arma illi suffragari uult, non est igitur dicenda lex, nisi ex illis quarũ conditores apud Esaiam dominus maledicit. Docet nos Dauid cognoscere legem domini, dũ ea quæ propria sunt exponit. Attende & uidebis an Mahometea lex de cœlo & à numine tracta diuino, an aliũde. Lex domini, inquit propheta, immaculata, cõuertens animas, testimoniũ domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Immaculata est lex domini, quia mala quæq; excludit, neque libidinem neq; turpitudinem ullam admittit. Sic apud eundem prophetam: eloquia domini casta dicuntur: Et apud Iob legitur: non inuenietis in ore meo iniquitatem, nec in faucibus meis stulticia personabit. Et Apostolus, lex sancta, inquit, & mãdatum sanctum, & iustũ, & bonũ. At quomodo Mahometea lex immaculata, quæ stupra & adulteria et omnes libidinum maculas ac fœditates admittit? Dices quia ieiunia quædam præcepit, & orationes, & elemosynas: Non damnamus hæc, absit ut ea mala dicamus. Inuentorem eorum Mahometem esse negamus, absque Mahomete sciebamus hæc esse bona. Ieiunauit Helias, ieiunauit Christus: orare & frangere esurieti panem suũ, & egenos & uagos in domum ducere, multo antiqus est quã tuæ legis inuentum. Multi nos legislatores ad opera pietatis inuitarunt: Verum adulterari, fornicari, seruire uentri, & in scœno uoluptatum iacere, solus tuus legifer inter bona collocat: Solus Mahometes est qui turpia docet, & flagitia præcipit. Quãuis hæreticorum more ut facilius decipiat bona simul & mala comiscet. At lex quæ domini dicitur ut inquit propheta, animas conuertit ad ultimum finem At lex Mahometea non conuertit ad Deum, sed auertit ab eo. Dicit enim dominus Deus: Estote sancti, quia ego sanctus sum. Mahometes, uxores, inquit, ducite et cõcubinas quot placet, nam ego quadraginta uirorũ in meis lumbis uires habeo, & uxoribus atq; ancillis permisceor plurimis. Quid de testimonio fideli? Cũ data est Moysi lex domini in monte Synai, fulgura & choruscationes apparuerunt, & signa de cœlo, quæ testimonium legi præbuerũt. Lex Christi mirabilis admodum multis confirmata est dicente ipso: Si opera non fecissem, in eis quæ nemo alius fecit, peccatum scilicet infidelitatis non haberet. Et propterea de ueteri, quæ conuertit ad suum creatorem, ad summũ bonum, & noua lege inquit Dauid: Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Et in euangelio Lucæ circa finem legimus: Illi autem profecti prædicauerunt ubiq; Deo cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. At Mahometis legem quæ signa quæ miracula probant: Audiamus eũ. Non sum missus, inquit nisi in uirtute gladij: & qui non susceperit meam prophetiam, occidantur, aut reddat tributum precium pro infidelitate sua. Quid hoc? nunquid manifeste negat se miraculorũ uirtute carere & ficta falsaq; esse omnia signa demonstrat, quæ tui legis doctores in populis prædicant: Non habet igitur tua lex testimonium, nisi in armis: Sed id non est fidele, ut ante docuimus. Ad ultimũ transeamus, & quomodo sapiẽtiã præstet paruulis, id est populis tua lex animaduertamus. Sapientia (ut antiq tradiderunt) diuinarum & humanarum rerum scientiam continet, estque admodum sapida & dulcis, dum amorem diuinitatis mentibus nostris instillat, propter qd inquit Psalmographus: Quã dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Tua lex neque de Deo sapit, neq; de cœlestibus, neq; terrena satis intelligit, quæ putat superis curæ nõ esse. Magna olim & floridam in Alexãdria Philosophorum schola fuit, & multi per Syriã & Asiã uiri doctissimi claruerunt, quorũ nomina ad nos usq; peruenerunt. At postquam lex Mahometea cursum habuit paucissimi nominant, qui naturæ archana perscrutati excellentes euaserint quia nõ præstat paruulis sapientiã tuus propheta, aut tua lex, cuius fundamentum uoluptas est, & tutela gladij: Inter nos uero liberalium artium studia admodum florent: Legitur publice philosophia: auditur in scholis theologia: Nullum doctrinæ genus prætermittitur: Gymnasia literarũ in pluribus Italiæ ciuitatibus clarissima reperiuntur, nec trãsalpes in Hispania, in Gallia, in Germania, in Britãnia collegia desunt uirorũ excellentium, qui sapientiam præstant paruulis. Est enim ingens Christianorum cura ut in

A docti erudiantur & ueritatē intelligant in nostra lege, quæ nunquā mentita est, diuinitus cōpræhensa. At legifer tuus non modo mentitur, sed leuiter, sed indocte, sed imprudenter, sed insipide mentitur, & sibijpsi sæpe contrarius est, quemadmodum suæ legis inspector plane intelliget. Innumerabiles sunt eius ineptiæ & aniles fabulæ, & pueriles nugæ, de quibus libet hoc loco pauca referre, quæ de cæteris iudicium præbeant. Exponens Mahometes capitulum Alchorani, quod dicitur filiorum Israel, in hanc sententiam loquitur: Sit laus ei qui seruum suum ab oratorio, quod est Heicarata, ipsa est domus Mesche, usq; in oratorium sanctæ domus Hierusalem nocte una transtulit, circa quam benediximus Deum. O uos homines, audite & intelligite, cum abij à uobis, uenit ad me Gabriel sero post psalmodiam uespertinam, quæ ultima est, & ait: O Mahometes, iubet Deus ut se adeas, cui respondi, & ubi eum uisam? & ait Gabriel: ubi ipse est, & iumentū ilico adducit, magnitudine inter asinum & mulum, elberahil uocans, humanæ uocis capax. Et una non amplius hora iter egi annorum quinquaginta milium: & ait Gabriel, ascende animal, & ito ad sanctam domum. Ascendere uolentem fugiebat iumentum, & iussum est stare, quia Mahometes ascensurus esset. Nunquid accersitus est, inquit, & respondente Gabriele, accersitum esse: non sinam addidit, nisi pro me Deum roget: obtulit preces Deo meo pro iumento, quod me insidente suaui gressu incessit, ponens ungulam pedis anterioris in Orizonte sui uisus, & minori spatio quàm ictus impletur B oculi, ad sanctam domum perueni. Comes aderat Gabriel, qui duxit me ad domum sanctam in Hierusalē, & uicinam rupem, dixitq;, descende, quoniam ex rupe in cœlum ascendes, & colligato illic iumento, portauit me humeris suis in cœlum, & cum applicuissemus ad cœlū mundi, & ad portam eius, pulsauit Gabriel, & quæsitū est, quis esset? et respōdit Gabriel, ego sum: & iterū quærenti, quis tecum adest? respondit, Mahometes, & subdidit Ianitor, nunquid uocatus? Et ait Gabriel, uocatus: & aperta est porta, & uidi angelos, & bis genua flectēs oraui pro eis. Et accepit me rursus Gabriel, & uexit ad secūdum cœlum, & fuit distantia inter cœlū & cœlum, quantum est iter quingentorū annorum, & sicut in primo cœlo, ita in hoc cœlo pulsatū extitit, & responsum pari solennitate ad septimum usq; cœlum procedit, æquam cœlorum distantiam ponens. Et ait in septimo cœlo uidisse se angelorum populū, & longitudinē angeli cuiusquā instar mundi fuisse, & aliquorum mille uicibus extensiorē, & inter eos unum aliquē inuenisse, cui septies centena millia essent capita, & in quolibet capite totidē ora, & in quolibet ore linguæ totidem, quæ septingentis mille milibus ideomatibus laudabāt Deum. Et rursus alterum angelū ostendisse qui fleret, & quæsiuisse causam fletus, & cū ille dixisset culpas esse, oraui pro eo: & tunc cōmendabat me Gabriel alij angelo & ille alij, donec fui in cōspectu Dei, & tribunali eius adhæsi, tetigitq; me manu sua Deus inter humeros, & frigi C ditas manus eius peruenit usq; ad medullas dorsi mei. His nugis atq; deliramentis implet Mahometes aures populi. Sed audiamus alterā fabulā. In libro cui titulus est de doctrina Mahometis, duo angeli nominantur Arathes & Narathes, quos ille asserit iussu Dei in terram descendisse, ut genus humanū regerent atq; instruerēt tribus mādatis acceptis. Primum, ne quenquā occiderent: Alterum ne quid iniuste decernerent: Tertium ne uinum biberent. Cum aliquandiu rexissent & animo ex toto orbe ad eos iudicia deuoluerentur, mulier quædā decenti forma, & omniū pulcherrima aduersus maritū suum causam habens iudiciū ab eis petijt, atq; ut fauentes haberet iudices, ut apud se prādium habeant, multis precibus inuitat. Non abnuūt angeli, paratur splendidū cōuiuiū, epulas & pocula mulier ipsa ministrat, apponūtur fercula multiplicia, & cum his uinū: quod cū angeli recusarent, instante sæpius muliere, & multas obijciente blanditias, tandē biberūt & inebriati uino in hospitā incaluerunt, eiusq; cōcubitum postularunt. spōdet mulier ea cōditione ut alter eorū ascensum in cœlo ostēderet, alter descensum, placet conditio illa. Vt iter didicit, mox in cœlum relictis atq; irrisis angelis, quam Deus recognitam inter sydera collocauit, cui Lucifer est nomen. Angeli ad iudicium euocati, catenis ferreis in puteo profundissimo religati sunt, usq; in diem iudicij permāsuri, cum elegissent in hac potius uita quā in altera plecti. Hæc est sapientia Mahometis quam docet paruulos, hæc

eius theologia: hæc doctrina diuinitus reuelata. Mira hominis audacia, ne dicamus stultitiam seu dementiam. Quot sunt in his fabulis deridenda somnia? Non obiurgamus iumenti uerba, quando & Asinam sacræ literæ locutam produnt, & gentiles bouem. Sed quid est quod una hora iter quinquaginta milia annorum pergitur? metire hæc & diligenter cogita, an corpori nondum glorificato id possit accidere, quo iuit? ubi fuit? quid circuiuit? non adhuc cœlũ ascenderat, quibus in locis tantum spacij peragrauit? nec iumentum eum tulit, quis tulit eum? unde uenit? quomodo uenit? nihil horum dixit: quid peccauerat iumentum ut precibus egeret? cui non est lex alia nisi naturæ & illi paret, qd ostiarius in cœlo collocatus rogamine Mahometis egebat? an non satis felix erat? fortasse altius cupiebat ascendere, tanquã non sit illic perfecta omniũ beatitudo, & regnet adhuc ambitio. Distantiã cœlorũ ostẽdit, & spherarum quanta sit crassitudo demõstrat, quingentorum annorũ iter ex cœlo in cœlum ponitur, & patere spissitudinem. Quid hoc? quis credat? gentilium fabulis simile somnium est. Aiunt illi Dionysiodorum quẽdam Geometriæ scientiæ nobilem in patria senectam diem obijsse, propinquos funus ei duxisse, ad quos pertinebat hæreditas, hos consecutis diebus cum iusta peragerent, inuenisse in sepulchro eius epistolam Dionysiodori nomine ad superos scriptã, quæ diceret eum à sepulchro ad infimã peruenisse terram, esseq; illuc usq; quadraginta milia stadiorum. Nec defuerunt Geometræ (ut Plinius ait) qui interpretarentur, significare epistolam à medio terrarum orbe missam: quo deorsum à summo longissimum esset spatium, & ibidem pilæ medium, ex quo consecuta cõputatio est, quæ circuitũ terræ, id est totius pilæ ambitum ducenta quinquaginta quinq; milia stadiorum pronunciauit. Sed harmonica ratio quæ cogit rerum naturã sibijpsum cõgruere, eodẽ Plinio teste, addit huic mẽsuræ stadiorum septem milia. Eratosthenes huiuscemodi rerum solertissimus indagator, uniuersum terræ ambitum, ducentorum quinquaginta duorum milium stadiorũ prodidit. Hipparchus stadiorũ paulominus uiginti quinq; milia adiecit. Reperiũtur & aliorum sententiæ admodum dissonæ, neq; in hanc usq; diem mortali cuipiam satis exploratam, credimus terræ mensuram, cuius neq; septentrionem, neq; meridiem uersus cogniti fines sunt. At tuus legifer maiora concepit animo qui tanquã cœlum ascenderit, quingentorum annorum itinere distare cœlum à cœlo prodidit, quoniam tanta esset crassitudo spherarũ: Hoc idem asserit Rabi Moyses Hebræus genere, Philosophus, qui apud Aegyptios claruit. At Philosophi quos nostri probant, non ita sentiũt, nec Ptolemæus Alexandrinus Astronomorũ facile princeps de crassitudine lunaris spheræ, cum tua lege concordat, in qua iter annorum sexaginta nouem & aliquorum mensium ac dierum posuit milibus passuum, uiginti quinq;, seu stadijs ducentis pro qualibet die computatis. Alij uero Astronomi qui hæc diligenter indagauerũt, spheram solis plus quã sex centis uicibus superare Lunam tradiderunt, rursusq; Martis spherã quãuis Sole altior est, & longe maiorem habet ambitum, spissitudinem tamen multis uicibus superari. Improbum humanæ mentis ausum, uerum ita subtili argumentatione compræhensum, ut pudeat aliquos non credere, plurimi hæc incerta respuunt. Tuæ legislator fortasse credendum fuerit, non quia illuc angelo bono deferente cõscenderit, sed quia cum peruerso ceciderit, quod si hac de causa fidem expetit, credimus, alioquin cũ sacra scriptura dicimus: cœlũ sursum, & terrã deorsum, & cor Regis inscrutabile est. Sed alia percurramus. Angelos se uidisse affirmat, eosdemq; corporeos: Si mundo maiores angeli sunt, necessariũ est aliquam eorum partẽ extra mundum esse. At Philosophi mundi circunflexu omnia contineri dicunt, neq; quicq̃ exterius esse. Tuus legifer quando aliquid solito plus adbibit, sopori deditus quicquid somniauit pro uero retulit, & omnia sibi licere putauit, quo errore & angelos corporeos, & peccare, & egere ueniam, & se rogasse pro eis dixit. Simili somnolẽtia tactum se super humeris affirmauit manu Dei, cuius gelu usq; dorsi medullas penetrauerit, quæ omnia superius confutata sunt. Quis illud patienter audiat, quod angeli Dei uino inebriati, specie mulieris decepti, cõcubinatum eius appetierint? quæ iter in cœlum edocta ad cõspectũ magni Dei peruenit, & honorifice accepta inter astra locum obtinuerit, angeli pœnas dederint, atq; idcirco uinum homini interdictum

quod

quod tanti mali causa fuerit? Commemorat hæc tuus legifer, & tanquã ex penu Dei re
A cepta hominibus inculcat. Vide quã grauiter, quã uere, quã perite loquitur: Poëtarũ figmenta quæ pueris leguntur, inter archana legis inserit. Pueri nostri nõ sine risu audiũt, cum raptæ in cœlum fœminæ referũtur, & in astra cõmutatæ, quæ maior & minor Vrsa uocantur, pigri circa sarraca Bootæ lucentes. Credimus pro tua sapientia te iam paruifacere atq; cõtemnere tuæ legis figmenta. Sed miraris uehementer quod indies aliqui relicto dogmate Christiano ad tuum migrant, & asserentes iniquam legem nostrã, amplexi tuam circunciduntur, & tuis initiantur sacris, & qui trinitatem prædicabant, nunc detestantur, & qui Christum cruci affixum colebant, & laudabãt, nunc derident. Sunt qui hoc agũt non dubitamus. Sed quinam homines? sane aut libidinis serui, aut ambitionis, & quibus nullus erat locus in nostra lege: Spreti à nobis & eiecti tanquam uilia & inutilia mancipia ad te transiuerunt, nec tamen illos inextinguibilis conscientiæ uermis rodere cessat. Quod si posses eorũ introspicere corda, intelligeres proculdubio eos aut uitæ futuræ spem nullam habere, aut admodum esse anxios, quia frontem aquæ uiuæ reliquerunt Christum Iesum, & nesciunt quo pacto redeant, maius suum peccatum existimantes quàm Dei misericordiam. Sed quid miraris, si ad opes consequendas, ad uoluptates exhauriendas, nonnulli tuæ legi sese subijciunt, non est hoc nouum nec dignum admiratione. Idem quoq; & Saraceni faciunt, qui sæpe ad uos migrant. Illud est mirabile, illud
B stupẽdũ, illud magnopere celebrandũ, quod tot milia populorũ Christiano insignita nomine, sub tuo imperio degũt, grauia tributa pendunt, nunc liberis priuantur, nũc coniugibus opprimuntur, durissima seruitute lacerantur, uexãtur mille modis, nec tamẽ Christianæ legi renunciant. Quod si tuam acciperent, mitius ferrent imperium, fierent liberi, honores & opes sperare possent, sed malunt tolerare seruitutis iugum, & in squalore ac miseria uiuere quã Christũ negare. Hoc stupendũ est & diuinũ opus, & quod te præcipue mouere debet nõ quod pauci à nostra lege aberrent, sed quod tam multi in ea perseuerent, & quod tanta sit uel in aduersis cõstantia, miraculum est: facit hoc bonitas legis, & securitas æternæ uitæ quã nemo sapiens præsenti postposuit. Quid tu hic dicas? quid contra hiscere, aut nutare poteris? Vera est Christiana lex, ex utero recepta Mosaicæ, ex Prophetis, ex diuinis oraculis: Deus autor eius est: filius Dei eam tradidit, ex ore Dei manifestata est, pura est & nitida, & immaculata, & sancta, perfecta ex omni parte, nullã habet rugã, nusquã deficit, nusquã claudicat in ea qui quærit inuenit, qui petit accipit, & pulsanti aperitur. Ipsa est fons clementiæ, iustitiæ culmen, pietatis speculum, mansuetudinis & misericordiæ plena, pro ea martyres innumerabiles sunt occisi, senes, iuuenes, pueri, matronæ, uirgines, scientes beatos esse mortuos qui moriuntur in domino. Præterimus signa & prodigia quæ certitudinem Christianæ legis ostentant. Quis uiros com-
C memorare queat ex Christiano genere diuini & humani iuris excellentissimos professores, uera mundi lumina, scientiæ fontes, qui usq; ad mortem in fide Christi perseuerantes, præclara uolumina ediderunt, quæ tanquã sydera quædam doctrinæ humanas mentes illustrant. Et quæ nam ullo in loco lex est, quæ alterum habeat Augustinum, alterum Hieronymum, alterum Ambrosium, alterũ Gregorium. Et ne Græcos prætereamus, quæ religio uirum unquam habuit, qui Origeni comparari posset? quamuis hic in plerisq; locis errauit. Quis Ioanni Crisostomo exæquabitur? quis magno Basilio? quis Cyrillo? quis Eusebio? quis Gregorio Nazanzeno? Non sufficiet dies, si numerare pergimus illustres nostræ legis doctores siue uiuos, siue mortuos: quamuis non sint mortui, sed nunc maxime uiuunt, & tanquã stellæ in firmamento lucent, qui fidem sacratissimæ trinitatis elucidarũt, quid dicemus de religiosis domibus, in quibus angelica ducitur uita? & pro peccatoribus assidue effunduntur preces domino? nec unquam cessant diuinæ laudes & psalmodiæ. Benedictus Mirsiensis apud nos multorum monachorum doctor & pater extitit: apud Græcos magnus Basilius: secuti sunt Bernardus abbas Clareuallis, & Bruno qui Carthusiam instituit: quotidie sanctorum uirorum apud nos augetur numerus: ædificantur noua monasteria, & sancta renouantur instituta. Quos fructus edidit Seraphicus Franciscus eximius paupertatis amator in umbra (quæ pars est

Italiæ) natus. Quot eum discipuli secuti sunt? Quot sub eius regula sancti floruerũt? Anthonius Pataui iacet miraculis clarus. Bernardinus Senensis in Aquila, quẽ nostra ætas quasi alterum Paulum prædicantem audiuit. Nicolai Lyritani extant opera quæ omnes admirãtur. Dominicus in extremis Hispaniæ natus horis quasi alius uesper emicuit, qui nouum quendam sanctum & nitidum uiuendi morem suis auditoribus tradidit, & prædicatorum instituta regula uniuersum illustrauit orbem. Multi ex discipulis eius clarissimi euaserunt, Sed præcipua est magni Alberti fama, qui nullum doctrinæ genus ignorasse creditus est. Nec minor eo Thomas Aquinas fuit in literis, & si maior extitit sanctitate. Claruit & meo seculo sub eadem regula Vicentius Hispanus, quem noster antecessor inter sanctos Christi confessores retulit. Et in ordine diui Augustini Nicolaus Colentinas paulo ante inter cœlestia relatus sanctorum agmina. Noua indies prole florescit nostra religio: Quod si non desunt peccatores diuinam prouocantes maiestatem, non desunt etiam conciliatores uiri sancti Deo accepti, & uirgines immaculatæ precibus asiduis diuinã iram auertentes, nec timemus ruinam tantis adiuti patrocinijs. Tu ergo princeps nobilis, qui non es rationis incapax, neq; ingenij obtusi, collige que diximus, & conserua in mente tua, & consule tibi & tuæ genti, & noli esse incredulus, sed fidelis: Relinque tenebras & lucem sequere, intellige quo pede claudicat tua lex, & quantis scatet erroribus, & quàm procul à ueritate recedit, & quod non est in ea salus, nouæ & antiquæ legis inimica. Intelligis quàm solida est Euangelica doctrina, quàm uera, quàm sancta, quàm munda & immaculata, & quod ea tantum iter in cœlum ostendit, & non alia. Intelligis si uerba nostra memoriæ tenes quod trinitas in unitate, & unitas in trinitate colenda est, neque altera contradicit alteri. Intelligis quonam modo pater sibi filium æqualem genuit, & quomodo à patre & filio sanctus procedit spiritus, qui est charitas & amor, & simul colendus est, & Deus est. Et quod filius pro nostra salute incarnatus est, mortem tulit & spoliato inferno tertia die resurgens, quadraginta diebus cum discipulis conuersatus ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, uenturus in fine seculi iudicare uiuos & mortuos, quo facto mali perpetuo pœnã ignis subibunt, boni æternam beatitudinem consequentur, non in carnalibus desiderijs, aut impudicitijs, non in cubilibus, sed in dulcedine mẽtis, & in charitate Christi, quæ superat omnem sensum. Ante omnia uero monstratum est, non posse te assequi inter christianos gloriam & potentatum, quem uideris optare, maxime apud Europeos & occidẽtales populos, dum tua in secta perseueraris. Quod si uelles Christianis initiari sacris, magnam tibi spem fecimus, & potentiæ & gloriæ. Memento igitur uerborum nostrorum, & accipe fidele consilium, sume baptismum Christi & lauacrum spiritusancti. Amplectere sacrosanctum Euangelium, & illi te totum committe. Sic tuam animã lucrifacies, sic Turcorum populo bene consules, sic tuæ cogitationes adimpleri poterunt, sic tuum nomen in secula celebrabitur, sic te omnis Græcia, omnis Italia, omnis Europa demirabitur, sic Latinæ te literæ, sic Græcæ, sic Hebraicæ, sic Arabicæ omnes barbaræ celebrabunt: sic nulla ætas de tuis laudibus conticescet, sic pacis autor & fundator quietis appellaberis: sic te Turci animarum suarum repertorem, & Christiani suæ uitæ conseruatorem uocabunt, Syri, Aegyptij, Libyci, Arabes, & quæcunque sunt aliæ gentes extra Christi caulas, aut his auditis, tuam uiam sequentur, aut tuis & Christianis armis paruo negocio domabuntur. Et si noluerint in nostra lege te socium habere, experientur dominum in sua: Nos te iuuabimus, & omnium eorum asistẽte diuina gratia legitimum principem constituemus. Hæc sunt quæ tibi cum baptismo præmia promittuntur: His te bonis diuina pietas procul dubio cumulabit obsequentem Euangelio. Quod si respueris consilia nostra, peribit tanquam fumus gloria tua, & tu more hominum reuersus in cinerem totus morieris Christus regnabit in æternum, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Oratio

A Oratio Pij Papæ II. habita in conuentu Mantuano sexto Calendas Octobris. Anno Domini M.CCCCLIX. Epist. CCCXCVII.

CVm bellum hodie aduersus impiam Turcorum gentem pro Dei honore ac salute reipublicæ Christianæ suasuri simus, Bene est uenerabiles in Christo fratres, ac filij dilectissimi, priusquã uos uerbis aggrediamur, diuinitatem ipsam, cuius in primis auxilium expetendum est, paucis in hunc modum affari. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem populi tui. Respice super hanc familiam tuam, pro qua dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentum, & crucis subire tormentum, Miserere plebis tuæ, & ne des hæreditatem tuam in perditionem, quàm prope modo instare uidemus. Surrexerunt enim iniqui & imperij, qui te non nouerunt: Venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem pomorum custodiam: Vineam tuam exterminauit aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Nos quamuis hoc in loco tuo ut arbitramur, ad tuendam religionem tuam conuenimus, nihil tamen possumus nisi ades & præsidium affers: nihil sine te ualet humana fragilitas. tua est potestas, tuum imperium, tua omnis uirtus. Tu fundasti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: Idem est tibi uelle B quod posse: Nihil est quod tuæ ualeat resistere uoluntati. Adiuua nos in te uno sperantes, & te solum Deum pura mente colentes. Fac nobiscum signum in bonum, & mitte nobis auxilium de loco sancto tuo. Da nobis cor ut faciamus uoluntatẽ tuam, & in præceptis tuis ambulemus. Scimus quia non dees tu domine Deus, opem tuam simpliciter implorantibus, sed nosipsi desumus nobis. Frigent pectora nostra, ingere calorem, ingere flammas, ure corda & renes nostros ut tu tantum igne succensi, quæ tibi sunt placita meditemur, ac fœdam & peccatricem Turcorum gentem (si tua uoluntas est) de Christianorum finibus eijciamus. Vos autem magnanimi & generosi proceres, qui adestis, ne claudite precamur aures, ne diuertite mentem: Aperite Deo interiora uestra qui mox uolentibus uobis in animas uestras illabetur, & uos sibi templum atq; habitaculũ faciet. Audite nos sua uice loquentes: Verba nostra uerba Dei sunt, qui filij sui Iesu Christi quamuis indigni, uices in terris gerimus, ipse nos fari iubet, ipse in ore nostro uerba posuit, ipse nos bellum suadere in Turcos imperat. Non uos hodie Cardinales aut episcopos aut minoris ordinis sacerdotes sermone nostro compellabimus, quos constat armis ineptos esse, & piaculum ac sacrificium fuerit, nisi per seipsos in causa fidei quæ sunt ab eis expetenda, hoc est aurum & orationes sua sponte obtulerint. Vos illustres duces, uos Marchiones, uos comites, uos Regum ac principum Oratores, uos fortes & exercitatos in bellis uiros uerba nostra commonfacient, uos tangent, uos requirent C quibus datum est, arma sumere non inter uos dimicetis, sed ut Ecclesiam, ut religionẽ, ut fidem Christianam à barbarorũ & infidelium incursibus defendatis. Potestas enim, ut inquit Paulus, gladium portat, ad uindictam malorum, laudem uero bonorum. Videtis in quo statu, in quo discrimine sumus, & quantum à Turcis urgemur, premimur, infestamur: non ignoratis, nisi arma sumentes eorum impetum retunditis, haud dubium quin lex Euangelica & omnis nostra religio pessundetur. Audite igitur uiri fortes, atq; attentas aures adhibete, bellum suasuro quod hodie nobis nimis incumbit. Tria ut nostra fert opinio principaliter explicanda & suadenda sunt. Primum est, ut causas iustas atq; urgentes ostendat propter quas pugnare oporteat. Secundum, ut facultates adesse doceat belligerandi, & certam quodammodo uictoriæ spem faciat. Tertium ac postremum, ut magna secuturos præmia uictores patefaciat. In his hodie nobis elaborandum est, atq; in his tota nostra consumetur oratio. De causis belligerandi primum dicere oportet, quæ duæ sunt præcipuæ & maximæ. Prima est ut susceptas iniurias ulciscẽtes, res amissas recuperemus. Altera ut futura (quæ prope imminere uidemus) pericula euitemus. Ostendamus quæ nam sunt illa quæ amisimus, quas nobis & Deo nostro iniurias intulerunt Turci. Inflicta Christianitati uulnera, illatas contumelias, iniustam

notam facile cognoscitis, si quæ fuit olim Christiana religio, & quæ nūc sit omnino æsti mabitis. Cognoscite hoc rogamus, & quantum gloriari possitis animaduertite. Sacro- D sanctum Euangelium quod, ablatis idolorū spurcitijs, Saluator noster mundo inseruit, non unum dūtaxat terræ angulum aut unam prouinciam, sed uniuersum ferme orbem impleuit, quemadmodum regius Propheta multis ante seculis de beatis Apostolis futuris præuiderat, dicens: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Per hos enim Euāgeliū mundo innotuit, quos ex piscatoribus Saluator ipse prædicatores effecerat, dicens: Venite post me, faciam uos piscatores hominum. Nec uana promissio fuit: Piscati enim sunt Apostoli, non sibijpsis, sed Christo domino uniuersum ferme orbem. Omnes Reges, omnes populi in eorum, seu retia, seu sagenas inciderunt. Impletum est enim illud Danielis uaticinium, dicentis: Omnes Reges, omnes tribus, omnes linguæ seruient ei. Verius Christo quàm Augusto Vergilianum istud attribui potest: super Garamantos & Indos Profert imperium, iacet extra sydera tellus, Extra anni solisq; uias ubi cœlifer Atlas Axem humeris torquet stellis ardentibus aptum. Nam circa tempora Constantini magni, natum ex Maria puerum, Indi simul & Hispani colebant. Nec Septentrio nec Meridies Christum ignorabat. Vox Romani præsulis tanquam Iesu Christi uicarij maria, & terras penetrabat. Pax alta per omnes & trāquilla quies Christianos ibat: iacebat Pardus cum Agno, & Leo E cum Vitulo accubabat: Gens sancta, gens electa, populus acquisitionis Christiani habebantur. Tributa ex gentibus accipiens, & in capite populorum positi. Hæc fuit olim ô Christiani maiorum uestrorum gloria: hoc imperium: hæc autoritas. Nunc quo nos Turci & Saraceni redigerunt, paucis animaduertite, docebimus. Indi quamuis Christiani feruntur, & Armeni per Asiam dispersi, & pariter Aethyopes, in multis tamen uersantur erroribus & ignorantes, quam nosse debuerāt Christi legem, ignorantur à domino. Quid reliquum est Asiæ atque Affricæ? Christi nomen atque legem inpacato prosequitur odio. Cœpit hæc calamitas sub Heracleo Cæsare. Nam cum aperta esset omnibus uia salutis per Christum Dei filium, qui annis antea circiter sexcentis mortem nostram moriendo destruxerat, inuidens humano generi diabolus, & nimium dolens Christum ubiq; regnare, pseudoprophetā excitauit in Arabia Mahometum nomine, sceleratum hominem, qui se Dei nuncium ementitus cōtrarium Euangelij legem condidit, de qua paulò post suo loco dicemus. Degenerauerat iam apud Græcos imperium & Romana uirtus sub aliud translata cœlum elanguerat, quæ res Christianas opes paulatim euertit. Manserunt tamen in Asia complures Christiani usque ad tempora Pipini Francorum Regis, qui anno ab hinc circiter, de magno nomine apud Germanos & Gallos regnauit. Tunc uero digressi a Scythia Turci, Cappadociam, Pontum, Bithiniam, Troadem, Ciliciam, & omnem minorem Asiam occu- F parunt, & nostra negligentia potentes facti non solum ueros Christianos ex Asia pepulerunt, sed transmisso nauibus Hellesponto Macedoniam, Thraciam, Atticam, Boëtiam, Phoadem, Achaiam, Acharnaniam, Epirum, Pormam, & utramque Misiam armis inuasere, & in Aegeo ac Ionio mari Cyclades & alias quàmplures insulas subijcientes hos Christianis ad Orientis terminos posuere: Ad Meridiem barbari ex Affrica, non solum inferi maris insulas, sed ipsa quoque Italiæ littora classibus infestant. In Occidente magnā Bethicæ partem quàm Granatam uocant, Mauri occupant, & Hispanos agitant Reges. Ad Septentrionem gelidamque arcton Luctuani, Polonis contermini magna ex parte ritu gentilium uiuunt. Veteres Vngari ad ortum Thanais iacentes, & Tartari cum quibus Liuonij pugnant, Christum prorsus ignorant, & ultimi Nortuuegij populi cum semiferis hominibus bellum gerunt. Hi sunt termini uestri ô Christiani, sic circundati estis, sic in angulum coartati potentissimi quondam domini & orbis possessores. En quantum imperium amisistis? quot nobiles urbes? quot ditissimas prouincias perdidistis? Inter quas etiam Iudeam neglexistis, terram nobilem, terram sanctam, terram lacte & melle fluentem,

A tem, terram in qua primi nostræ fidei flores apparuere. Heu pudor, heu dolor, fons & origo nostræ salutis Syon ad hostes defecit. Templum illud Salomonis fama clarum, in quo dominus totiens prædicauit, Bethleem in qua natus es, Iordanem in quo baptizatus est, Thabor in qua transfiguratus, Caluariam in qua crucifixus ipsius crucis possident inimici: sepulchrum domini gloriosum, lectumque illum purpureum crocos spirantem & suauissimis fragrantem odoribus, in quo propter nos & uitam nostram obdormiuit in domino, nisi hostes uelint, inuisere non potestis. At Saraceni Mahometem habent in potestate, in qua si uera est fama, falsi prophetæ cadauer in arca ferrea conditum, ui magnetis pendet in aëre. Vos uero infelices ac miserrimi Christiani sepulchro Dei uestri & urbe clarissima Hierosolyma priuati estis. Tacemus Alexandriam, Thebas, Memphin, ac omnem Aegyptum: tacemus Anthiochiam in qua primum Christianorum nomen est auditum: tacemus Ephesum & alias apostolicas sedes in Asia perditas: Tacemus septem Ecclesias ad quas Ioannes scripsit Apocalypsim. Hierosolymam noui ac ueteris testamenti matrem in hostium esse potestate, satis flere & dolere non possumus: pro qua recuperanda nullus labor euitari deberet, nullum declinari bellum. Nam si pro repetendis rebus istam belli causam ueteres putauere, quis unquam iustius induit arma quàm uos Christiani? quibus tot urbes, tot prouinciæ sunt ereptæ, tot adempta regna, tantum ablatum imperium.
B Iudæi cum fœderis arcam amisissent pro recuperatione nullum belli periculum uitauere. Græci ob raptam Helenam decennale bellum gessere. Carthaginenses propter fines paululum ampliandos cruentissima prælia cum Cirenensibus commisere, pro quibus etiam Phileni fratres interierunt. Romani sæpe sociorum causa sumptis armis in pugnam exiere. Reuoluite historias nullum unquam bellum tot causas habuit, quot uobis aduersus Turcos occurrunt. Sed quid ad nos uetera dicat aliquis, tolerauerunt hanc infamiam proaui nostri, cur nos illis meliores sumus? cur tanta gloriæ cupiditas ut maiorum iniurias nostro sanguine uindicemus? Esto patres uestri negligentes fuerint, honoremque suum parui fecerint: An propterea uestrum negligetis, & duplici notari turpitudine hæreditaria: scilicet uestra patiemini, an potius magnificis operibus detersa progenitorum infamia gloriosum nomen acquirere conabimini? Sed negligamus, si sic libet, antiquam ignominiam, uetusta damna, nec nos urgeat quod nos pupugit anos: Transeat omnis Asia, omnis Africa, Europam saltem inspiciamus & nostri temporis rationem reddamus. An parum nostra ætate, nostra culpa perditum est? Constantinopolim Orientalis Imperij caput & Totius Græciæ columen, non patres nostri sed nos ipsi amisimus: Qui dum torpentes in ocio domi sedemus, usque Danubium & Sanum Turcorum arma penetrare permittimus.
C Capta est nobilissima urbs regia culpa nostra, quàm Pausanias primus condidit, Constantinus magnus instaurauit, & in æmulationem antiquæ Romæ amplificauit & magnificauit. In ea gentis Imperator & ipse Constantinus nomine interemptus est: turba ingens trucidata: templa Dei magni polluta sunt. Inter quæ nobile opus Iustiniani sanctæ Sophiæ uocatum, tetro Mahometis ritu fœdatum est. Beatæ Virginis matris domini & aliorum sanctorum imagines deletæ sunt: altaria dirupta: reliquiæ martyrum porcis obiectæ: sacerdotes occisi: matronæ & puellæ ipsæque sacræ uirgines ad libidinem raptæ. Nobiles urbis inter uina & epulas ipsius Turcorum ducis iugulati: Saluatoris nostri simulachrum in cruce pendentis in derisionem atque contemptum præcedentibus qui dicerent: hic est Christianorum Deus, in castra delatum. sputo, luto, atque omni fœditate iactatum. Noua sunt hæc & sub oculis nostris gesta. Hæc fiunt & tamen excitari non possumus: cum uitulis marinis, cum Druso dormimus, letargum patimur, qui tot contumelijs agitari e somno surgere non uellemus. Heu furias, heu artes demonum, pugnare potius inter se Christiani uolunt quàm Turcos adordiri. Ciuilia bel-

la magis cupiunt quàm externa & sæpe paruis de causis cruentissima committunt prælia. Pulsatus modo uillicus, modo seruus, magnos traxit in arma Reges. In Turcos D
qui Deum nostrum blasphemant, ecclesias nostras diruunt, & omne Christianum nomen perdere satagunt, nemo audet arma sumere. Omnes in arcum prauum dati sumus: declinauimus omnes: simul inutiles facti sumus, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sed cogitabitis melius, uiri prudentes, & fortem induentes animum, recuperare quæ sunt amissa, & acceptas iniurias uindicare conabimini. Ac tantum de priori belli gerendi causa sit dictum. Nunc alteram attingamus, hoc est, ut futura & prope imminentia nostris ceruicibus mala euitemus. Possent fortasse aliquo modo tolerare præterita, si finis malorum esset, & non maiora impedirent discrimina. Sed quo pacto sperare quietem ab ea gente possumus quæ sanguinem nostrum sitit? Quæ occupata Græcia in Vngariam, id est in uiscera nostra gladium adegit? Iuuenis est aduersarius noster, ætate florida, robusto corpore, animo uasto, tumido cursu uictoriarum, quas sibi nostra negligentia peperit: uanus est, deceptus est si quis arbitratur adolescentem quieturum esse, auro abundantem, armis assuetum, & damnandi cupiditate inflammatum. Ponite hanc spem, nunquam ille arma deponet nisi aut uictus aut omnium uictor extiterit. Proxima illi quæque uictoria, gradus erit alterius, donec subactis occidentalibus Regibus, deleto Christi Euangelio, Mahometicam legem ubique gentium inferat: Neque arbitremini longam moram priusquàm uos adeat. Nam E
uicinæ illæ gentes tot bellis attritæ nisi opem fertis, amplius carpere non audebunt. Soli fideles Vngari perseuerant, non tamen diu stabunt nisi adiuti. Et hi quidem muri loco uobis ad Orientem remanserunt, quo diruto, neque Theutones, neque Bohemi, neque Poloni satis tuti erunt. Non asperi montes, non alta flumina iter impedient. Nihil erit uicta Vngaria Turcis inuium, nihil insuperabile orbis imperium quærentibus. Per Caruos & eorum Iulij terrestribus copijs facilis in Italiam patebit transitus. Nauali exercitui ex Vallana, quam Turci possident, unius noctis nauigatione Brundusium patet: & in superiori parte, & inferiori aperta est Turcis Italia. Vtinam mendaces & falsi prophetæ simus in hac parte. Sed credite nos folium recitare Sibyllæ: Venient, uenient Turci nisi obuiam imus, & auferent nobis locum & gentem. Non timent hæc fortasse Hispani & Galli, neque Theutones qui Rhenum accolunt, neque Anglici oceano circunfusi. At prudentes reipublicæ gubernatores, bellum foris quàm domi malunt, & remotissimam laudant militiam. Perniciosa & funesta sunt quæ gerimus in nostris laribus bella. Romanis urbis domitoribus nulla suscepta calamitas durior quàm in Italia fuit: Nec illi Annibalem felicius quàm in Affrica uicerunt. Credite nobis proceres, credite nobis. Non est cur amplius dissimuletis: non est cur amplius differatis arma sumere. Si agros uestros, si focos, si li- F
beros, si uxores, si libertatem, si fidem ipsam in qua baptizati & renati estis retinere cupitis, bellum nobis credite, bellum geratis oportet. Neque nobis bellum iniustum suademus, qui eius locum tenemus de quo scriptum est: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Nec plura de primo ac principali membro. Audistis uiri præstantissimi ac nobilissimi quas ob causas in Turcos pugnare oporteat. Nam & susceptæ iniuriæ id exposcunt, & in futurum Christianorum indemnitate consulendum est. Nunc quod erat secundum nostri ordinis membrum, id est an possitis hoc bellum gerere, & an uictoria speranda sit, animaduertite. Cum Christianis nobis sermo est, qui diuitem Italiam, nobilem Galliam, fortem Hispaniam, bellicosam ac populosam Germaniam incolunt: his arma, his equi, his homines, his pecuniæ abundè suppetunt. His uires longe maiores quàm Turcis assunt. Audimus tamen nonnullos esse qui Turcos supra modum extollunt, nec superabiles putant tot præliorum uictores. Nos magnas esse Turcorum opes fatemur, sed multo minores quàm fama ferantur, neque nostris quouis modo comparandæ. Illi enim etsi omnes conatus adhibeant, supra tamen ducenta milia hominum non educent. Sed quos homines? imbelles atque inermes

mes ex Asianis & Græcis mixtos. Nostis quanti faciat Asianos, Remus ille Vergilia
A nus, cuius sunt uerba: O uere phryde neque enim phryges ite per alta Dindyna ubi assuetis biforem dat tibia cantum. Timpana nos buxasque iuuant Berecinthia matris Deæ: Sinite arma uiris & cedite ferro. Græci quoque illustres quondam animæ haud quaquam uigorem antiquum retinent. Degenerauerunt ferme omnes qui Turcis parent, neque in armis neque in literis pristinum referunt spiritum. Ceciderunt omnia cum imperio: Non stant simul fortia pectora & seruitus, qui fortes uiri in castris Turcorum militant ex Christianis sunt ad summam quadraginta milia, nigre atque infelices animæ, quæ ubi uos armatos uiderint, furijs agitatæ suorum scelerum & ultorem Deum ante ora cernentes, ferrum stringere non audebunt. Reliqua turba in prælio nulli est usui, nisi cede sua fatiget hostes. Percurrite gesta maiorum: Asiana bella muliebria putauerunt. Alexander magni Alexandri propinquus cum bellum gereret in Italia, Frater meus, inquit in Asia cum fœminis pugnat, mihi autem cum uiris certamen est. Iulius Cæsar cum de poticibus gentibus triumpharet, quæ Asiam incolunt, in curro suo hæc uerba iussit scribi. Veni, uidi, uici, ac si solo aspectu superandos diceret Asianos. Gotfridus & alij qui secum in Asia militarunt parua sæpe manu innumerabiles hostium copias deleuerunt: ac ipsos Turcos tanquam pecudes mactauerunt. Sed arbitramini fortasse meliores hodie Turcos esse, uicta Græcia quàm olim fuerint. At
B quales sint pugna Thaurinensis ostendit, anno ab hinc tertio gesta. Thaurinum uocauere prisci oppidum ad confluentes Sanum & Danubium situm. Hoc æuo nostro alij Albam, alij Beldradum uocant propter situm, non magni momenti castellum, id cunctis uiribus suis Turci expugnare adnixi sunt. Pugnatum est interdiu noctuque summa contentione. Erant Christiani milites qui oppidum tuebantur, pauci cruce signati, non nobiles aut diuites, non bellis assueti, non armis tecti, sed rudes, incompositi, agrestes. Et hi tamen Turcos uicere, non tam ferrum quàm fidem hostibus opponentes. Ab his tumidus ille Turcorum Imperator insuperabilis antea creditus, & terror gentium appellatus, in acie uictus, ab obsidione deiectus, castris exutus, turpem arripere fugam compulsus est. Quid Ioannis de Himiad uictorias referamus? Quid Georgij Albani triumphos commemoremus? cuius conspectum nunquam ferre Turcorum acies potuere. Vnus nobis exemplo sat est, Ioannes Vintimilius, qui cum trecentis militibus in Epirum profectus suppetias nepoti ferens, supra decem milia hostium fudit, strauit, deleuit. Hi sunt hostes uestri o Christiani. Cum his uobis hominibus pugnandum est, qui neq; ferire, neque feriri, nisi in terga nouerunt. Quanquam & si fortissimi essent, & bellacissimi, in Deo tamen sperandum erat, qui causæ suæ nequaquam deesset. An non scriptum est: in Deo faciemus uirtutem & ipse ad nihilum de-
C ducet inimicos nostros. Orabat Moyses in monte & populos uincebat in acie. Sol retinuit cursum suum, ne uictoris Iosuæ retineret cursum. Madianitarum plenissima & munitissima castra cum trecentis uiris dissipauit Gedeon. Ammonitarum numerosum exercitum cum paucis militibus superauit Iephte. Superbissimos Philisteos solus humiliauit Sampson. Nec in manu fœminæ cum Deus uoluit, uictoria defuit. Potentes in armis Cananeos exterminauit Delbora. Sisaram interfecit Ihael. Et Holofernem obtruncauit Iudith. Multa sunt huiusmodi in ueteri lege. Nec noua magnificis caret exemplis Constantino magno pugnam timenti, signum crucis in cœlo monstratum est, & uox diuinitus audita quæ diceret. In hoc Constantine uince. De Theodosio pijssimo Imperatore illi sunt uersus. Omnium dilecte Deo qui militat æther. Et coniurati ueniunt ad classica uenti. In Britannia quæ nunc Anglia nuncupatur, ut autor est Beda, barbarorum ingentes copias pauci admodum Christiani & inermes alta uoce canentes Haleluia, deleuerunt. Non est abbreuiata manus domini quamuis elongata est à nobis misericordia sua propter peccata nostra, sed propiciabilis est dominus Deus noster & multus ad ignoscendum, si redierimus ad eum, & ipse ad nos redibit. Facile per obedientiam placabimus, quem per contumaciam irritaui

ritauimus: qui ut primum nos uiderit humiliato corde, mox odium in nos conceptum uertet in hostes, & nobis uictoriam mittet. Hanc Deam esse ueteres putauere quam Iupiter mitteret. Illam uero tanquam Regi deorum obtemperantem ad eos ire quos iusserit, & in eorum parte consideret. Ad hoc uerum est, sicut ait Augustinus. Non de illo Ioue quem deorum Regem pro sua opinione finxerunt, sed de illo uero Rege seculorum quod mittat non uictoriam quæ nulla est substantia, sed angelum suum, & faciat uincere quem uoluerit. Sicut in castris Assiriorum accidit Ezechiam Regem obsidentibus, in quibus Angelus domini centum & octuagintaquinque milia hominum una nocte interfecit. Hæc uictoria, id est hic Angelus, omnibus proculdubio de cœlo mittitur, qui pro causa Dei recto & magno animo pugnant. Verum cum in eo hoste nobis pugnandum est, qui Deo nostro prorsus aduersatur, libet hoc loco pauca de Saracenorum lege referre, quàm Turci sequuntur, ut confidentius pugnam ineatis, quo fœdiores ac magis impios cognoueritis. Sceleratissima est Mahometea lex, quæ non solum Christi diuinitatem respuit, sed innumerabilibus aliis scatet erroribus. Namque ut prætercam deliramenta & ineptias illas, quibus Angelos corporeos de flamma ignis creatos intertinos affirmat, & Origeni consentiens dæmones aliquando saluandos tradit, & cœlum de fumo factum, & Lunam æque splenduisse cum Sole, sed uolitantis Angeli Gabrielis ala tactam fulgorem amisisse. Quis illud tollerare queat quod mundum, cum Democrito sentiens, fortunæ casuique submittit, & diuinam prouidentiam aufert; Quid quod sacrosanctam Trinitatem respuit, & impossibile ait Deum habere filium. Et quamuis Christum ex Virgine natum consentit, iustum & sanctum hominem, qui cunctas curauerit ægritudines. Deum tamen esse cum Arrio negat, nec pro nobis obiisse censet, sed sublatum à Deo in fine seculi moriturum, & tum denique surrecturum, Iudæos autem aliū sibi similē crucifixisse delirant. Nec Sancti spiritus dignitati gloriæque consentit, quem creaturam cum Nestoreo Macedonioque mentitur. Et omne fidei meritum auferens, in sua quemque secta saluari hominem perhibet. Alioquin recte uiuentem, nisi à sua lege abierit. Et quia non constat inter se mendacia, alio loco neminem saluari asserit extra legem à se traditam. In qua beato Paulo contradicens. Circuncisionem seruari præcipit. Et uini tantum consuetudinem prohibens, cæteras uoluptates indulget, stupra & adulteria cum captiuis & emptis mulieribus admittit: Vxores plurimas, & cum his diuortia passim concedit. Nec concubitus naturæ aduersos inhibet. Postremo homo bestialis futuræ uitæ beatitudinem sola carnis uoluptate metitur. En sapientem hominem qui se Dei Prophetam audet nominare, temerator antiquæ legis, corruptor nouæ, prostitutor animarum, uerus procurator orci, & primus Sathanæ satelles, cuius auditores inferni mancipia sunt, quales Turcos esse non dubitamus, aduersus quos armis contendere sacrificium Deo fuerit & acceptissimum spectaculum. Cæterum quia diuinitatem Christi, ut diximus Imperia Saracenorum & Turcorum secta prorsus excluditur, non ab re fuerit hoc in loco maiestatem eius & gloriam in medium afferre, cunctisque palam facere Christum quem colimus, & cuius causa bellum suademus, uerum Deum esse, sibique thura deberi & diuinos honores. Aggrediamur igitur hūc articulum: semper enim conandum est ut ueritas magis atque magis elucescat. Agemus autem pingui Minerua non more philosophorum, quos uix illuminatissimæ possunt intelligere mentes: ut quisquis cum proximo suo loquitur, ita & nos hodie uobiscum loquemur. Cupimus enim etiam à piscatoribus intelligi, qui fidem à piscatoribus accepimus. In primis autē illud assumimus, quod omnes fermè concedunt, Deū scilicet unum esse à quo omnia condita sunt, & gubernantur uniuersa. Docent tantā uiri sapiētes, mūdi machinā & tantū rerum ordinem, quantū in mūdo cernimus stare nō posse, nisi & unus esset rector omnib. imperās. Recipimus igitur cōfessa maiorum, qui mūdialis machinæ rectorē & quidē unū esse fatētur, eūque Deū uocāt, quo nihil maius, nihil melius, aut inueniri aut excogitari queat: hunc nos Christū esse luce clarius ostēdemus, ad q̄d efficiēdū tutissima et apertissima uia ex miraculosis eius. operib, patet. Nā

A & ipse interrogatus à Iudæis an Christus esset? Loquor uobis, inquit, & non creditis mihi, opera quæ ago facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. Facessant igitur dialecticorum sylogismi, & oratorum inductiones, ipsa nobis Christi opera, Christi diuinitatem ostendant, religionisque nostræ fidem confirment facta non uerba. Ponatur igitur ante oculos nostræ mentis homo, qui uocatus ad nuptias aquam in uinum conuertat, quocunque iter faciat ægrotos solo uerbo sanitati restituat, mutorum linguas in eloquium soluat, Claudis gradiendi facultatem tribuat, Cæcis lumen, surdis auditum præbeat, paralyticorum membra consolidet. Respersos elephantiæ maculis repurget, ac non solum uires imbecillis adijciat, sed ipsos quoque mortuos in sepulchro quadriduanos tanquàm somno solutos ad uitam reuocet, secreta & cogitationes hominum intelligat, futura prænunciet, dæmonia eijciat, super aquis siccis pedibus ambulet, uentis imperetur atque mari. Postremo uolens iuxta sermonem suum prius habitum, captus à iudæis, crucifigatur, interficiatur, sepeliatur, & tertia die resurgens, tractandũ palpandũque corpus suũ discipulis offerat, edat & bibat cũ eis, & tandem post quadraginta dies uidentibus illis in cœlum ascendat. Quid hic post tot signa dicemus? An non interrogatus à discipulis Ioannis. Tu es qui uenturus es an alium expectamus. Interrogatores ipsos ad miracula remisit. Certissima quippe diuinitatis argumentatio est miraculorum ostensio. Quod si nonnulli Philosophorum naturã ipsam Deam esse putauerunt, cur nõ magis Deus ille credendus est, qui naturæ dominum se habuisse miraculis patefecit. Dicat fortasse aliquis Moysen, Heliam, Helizeum, cæterosque Prophetas & ipsius Christi discipulos, signa & portenta fecisse, ac naturæ cursum retinuisse, non tamen fuisse Deos. Verum est id quidem, sed neque illi Deos sese dixerunt. Mentiri enim & miracula facere supra naturam quæ Christus fecit, nulli est datum. Sicut apud Ioãnem testatur cæcus à domino liberatus. Scimus inquiens, quia peccatores hoc est mendaces Deus non audit. & Nicodemus Rabi. Scimus, inquit, quia à Deo uenisti? Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi esset cum eo Deus. Ad hæc quæ retulimus, & alia quàm plurima de Christo miracula sacrosancta quatuor Euangelia tradunt, quatuor uberrimi testes affirmant. Accedunt epistolæ doctoris gentiũ Pauli & actus Apostolorũ. Ex quib. palam fit ea signa Christum fecisse, per quæ naturæ dominus ostenderetur. Fuit igitur cum Deus & ipse uerax: neque enim mendacib. Deus coniungitur. Si uerax Christus, igitur & Deus, qui de seipso dicit in Euangelio. Ego sum uia ueritas, & uita. Et qui uidet me, uidet & patrem. Et rursus: Ego & pater unum sumus. Et alio loco: Pater clarifica me ea claritate quam habui apud te priusquàm mundus fieret, quibus uerbis se Deum esse manifestissime testatus est. Quod si quis Euangelio non credit, non uidemus cur Moysi credat, & alijs antiquæ legis scriptoribus. Credunt Græci Herodoto, C Thucydidi, Pollibio, Xenophõti, Diodoro: Credunt Romani Liuio, Salustio, Trogo, Cornelio, Suetonio. Credunt & alij suis historicis. Cur nos non credimus nostris? Quã quam illi minime cum nostris comparandi sint, illi enim nullius autoritate recepti sunt. Sanctum Euangelium multa patrum consilia prius approbauerunt, quàm legẽdum ecclesijs traderetur. Ad cuius robur etiam martyres accedunt. qui pro testamẽto domini sua corpora tradiderunt, & lauerunt stolas suas in sanguine agni. Inter quos etiam uirgunculæ magno miraculo non expauere supplicia. Accedunt & sanctissimi doctores qui cum essent perspicacissimi, nequaquam Euangelio credidissent, nisi ueram eius historiam cognouissent. Sicut apud Græcos Dionysius Areopagita, Ioannes Chrisostomus, Gregorius Nazanzenus, Cyrillus, Athanasius, Magnus Basilius, & alij quãplures. Apud Latinos quatuor doctores fama illustres, Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & ultra illos Ciprianus carthaginensis, Isidorus Hispalẽsis, Hilarius pictauiẽsis, Eusebius Versalẽsis, pximi æuo nostro: Thomas Aquinas & Albertus magnus natione Sueuus, & alij pene innumerabiles q fide Christi diuinitate nõ more philosophorũ q sibipsis aduersantur, sed omnes uno ore loquũtur: ut sine Deo putanda non sit tanta unitas atque concordia. Confert & multũ Romanorũ autoritas, qui cũ essent

sapientis

sapientissimi atque potentissimi quondam domini & orbis possessores, collum Euangelio nunquam submisissent, nisi aut rationibus uicti, aut miraculis tracti. Quis præterea uiros fortes eosdemque prudentes Hispanos, Gallos, ac Germanos Euangelium suscepisse crediderit, nisi magnis rationibus persuasos? Sane cum lex gentium mollis esset, Christianorum durior, nemo hanc subire uoluisset, nisi autorem eius Deum esse didicisset. Sed illud omnem ambiguitatem excludit, omnem titubationem auertit, omnem credendi moram expellit, quod multis seculis priusquàm Christus carnem indueret, natiuitas eius ex uirgine sanctimonia uitæ, miraculorum patratio, legis æditio, captiuitas, tormentum, perpessio, crucifixio, mors, resurrectio, in cœlum ascensio, & reliqua quæ de ipso legimus, ita in prophetis scripta reperiebantur, sicut postea gesta sunt. Legite Esaiam, Hieremiam, Danielem, Ezechielem, Dauid, Salomonem, & alios prophetas, quæcunque de Christo iam facta commemorant euangelistæ eadē diuino afflati spiritu. Prophetæ futura prædixerunt Deum & hominem in Christo recognoscentes. Nec Sibyllarum cōtemnenda est autoritas, quæ longo tempore ante natiuitatem dominicam uaticinatæ ut Firmianus & Augustinus affirmant, plura de Christi deitate cecinerunt. His coniungitur honestissima lex Christi omni ex parte uenerabilis ac modesta. Nam quid aliud episcopus docet quàm cœlestem agere mortales in terris uitam. Iubet enim nos Deum colere, festos dies sanctificare, proximos quasi nosipsos diligere, pauperum misereri, uiduas & pupillos atque omnes imbecillos protegere, infirmos & in carcere clausos uisitare, mortuos sepelire, castis nedum manibus sed etiam oculis esse, adulteria, stupra, fornicationes, iurgia, lites, ebritates fugere. Primos in cœnis accubitus & omnes mundi pompas, omnes blandicias deuitare. Reges ac parentes honorare, magistratibus ac sacerdotibus obedire. Postremo thesauros ueros ipsamque felicitatem non in terra, sed in cœlo quærere. Hæc lex Christi est, hoc præceptum, hoc testamētum eius. Coniūgite nūc omnia simul. Christus ex uirgine natus, castissimam uitam ducit, signa & miracula facit, naturæ imperat, legem perfectissimā edit, quæ orbis consensu recipitur, Deum se dicit & hominem, prophetæ, martyres, & doctores sibi astipulantur. Quid hæc inferunt simul iuncta, nisi uerum esse testimonium Christi de seipso? & ipsum uerum atque indubitatum esse Deum. Mahometem Arabicum, falsum, mendacem, perditum, ac omnino respuendū qui hæc negauit. Verus igitur Christus, deus uerus: uerus Deus & homo Christus Iesus, qui cum patre & spiritu sancto in personarum trinitate colendus, misertus humani generis, primi parentis culpa, ut iam primi damnati, ut nos redimeret, ex arce cœlesti & altissimo dei throno splendor æternæ gloriæ, figura substantiæ Dei, moderator orbis, iudex futuri seculi ad nos descendit. Neque rapinam arbitratus est se esse, æqualē Deo, sed formam serui accipiens, exinaniuit seipsum factus obediens usque ad mortem mortē autē crucis. Neque ista sine supplicijs atque tormentis, sed dorsum suū, ut inquit Esaias, posuit ad flagella: Maxillas suas ad palmas: Genas suas à fœditate sputorū nō auertit. Speciosus forma præ filijs hominum, speciem atque decorem amisit, ductus est tanquam ouis ad uictimam & inter latrones deputatus est. Diuiserunt sibi uestimenta eius & super uestem suam miserunt sortem. In siti sua potatus est aceto, & spineam coronam posuerunt super caput eius. Non fuit dolor sicut dolor suus: à planta pedis usque ad uerticem non erat in eo sanitas, nec tamen eiulatus emisit. sicut agnus coram tondente siluit. O homo, o Christiane, o qui fidelis uideri uis. Et cur ista Christum tulisse existimas? Iustus erat & dolus inuētus nō est in ore eius. Cur tot supplicijs subijcitur innocens? Pro te doluit homo. Peccata tua ipse portauit homo. & tu suo liuore sanatus es homo. Bonus pastor animam suam posuit pro suis, & mortem tuam morte sua redemit. Et quas tu illi gratias reddis? Quid facis? quid cogitas ut gratus inueniaris? Turci nomen suum blasphemant, altaria sua diruunt, legem suam, hæreditatem suam perdere conantur, & tu domi iaces in ocio. O Reges, o Duces, o uiri potentes surgite iam tandem & Christi Dei uestri religionem ac honorem defendite, quādo nec opes nec uires uobis quàm Turcis minores sunt, & certissimi estis pugnaturis uobis pro lege domini diuinum auxilium, implorantes minime defuturū. Nec plura de secundo & principali articulo. Tertium & ultimum

ultimum modo si placet quàm breuissime absoluamus, hoc est quæ præmia consecuturi
A sint aduersus hostes fidei pugnaturi. Audite adhibete aures fortissimi milites, magna sunt & inæstimabilia bona, quæ huius honestissimum belli uictores adipiscemini. In primis quæcunq; in hoc bello acquiretis, arma, equos, uestes, argentum, aurum, seruos, ancillas, agros, urbes, prouincias, regna, iuste & licite pro nostra distributione possidebitis, & ultra hoc clarissimum nomen & famam æternam cum ueris illustribus consequimini. Sunt hæc quidem more gentium expetenda. Nec maiora quæsiuere Romani, Græci, Barbari belligerantes. At uobis o proceres præmia longe maiora promittuntur. Nam regni cœlestis possessio & Christi hæreditas uobis offertur, & hæc quidem non solum uincentibus uerum etiam fortiter occumbentibus. Nam quod prædecessores nostros Vrbanos, Eugenios, Innocentios, Alexandros atque alios fecisse constat Christianos omnes cruce signabimus in hanc expeditionē ituros, & pugnaturis pro lege domini plenissimam omnium peccatorum suorū ueniā largiemur, & apostolicis clauibus paradisi portas aperiemus. Omnibus inquit Orator, qui patriam iuuerint, auxerint, defenderint, certum est esse in cœlo diffinitum locum, in quo beati æuo sempiterno fruantur. Verius & certius hoc illis promittitur, qui religionem Christianam & orthodoxam fidem tuebuntur, & aduersus impios Turcos inuictis animis bellum gerent. Festinemus igitur ad hoc bellum in quo morientes ueram inueniemus uitam.
B Non hæc quam uiuimus uita est, sed potius mors, quæ fugit uelut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Sicut lilia & flores deficimus. Leuissima res est, quæ hominem extinguit. Bestiolæ minime nobis insidiantur & paruuli serpentis morsu aranei nonnunquam ictu perimus. Anacres poëta acino uuæ passæ, & Fabius senator in haustu lactis uno pilo strangulatus est. Nihil fragilius humana uita quæ tum incerta, tum breuissima. Aeuum nostrum, ut quàm longissimum sit, teste Dauid in ipsis septuaginta uel octuaginta finitur annis. Quid amplius nisi labor & dolor. At esto Nestoreos uiuas annos, & Matusalem impleas ætatē, quid tibi postquàm cursus peractus est? Breue est quicquid finitur & stultitia est in his spem ponere quæ prætereunt. O homo moriendum est quisquis es, & hæc relinquenda quæ sunt in terris charissima. Nemo natus non moritur. A morte mortales appellamur. Nemo nostrum nouit an horam uicturus sit, & tamen hæc terrena diligimus, quæ mox relicturi sumus, quin potius transitoria pro perpetuis commutamus? & hoc Turcense bellum aggredimur per quod possumus immortales fieri, & ad illam ciuitatem Hierusalem peruenire, quam summus rerum opifex mira pulchritudine & artificio inenarrabili molitus est: In qua Deum ipsum facie ad faciem uidebimus, & ipsius bonitate fruemur: in qua sanctos intuebimur angelos, & omnium spirituum beatorum ordines quasi conciues & contubernales habebimus: in qua nihil nos latebit eorum quæ ubique fiunt. Liberatus enim hac terrena com
C page animus, omniū rerum scietiam non ut sensit Plato recuperabit, sed ut Aristoteli & nostris placet doctoribus, consequetur. Illic nihil timebimus, nec planetæ neque cometæ nobis formidabiles erunt, quos perhorrescunt Reges. Sedebimus (ut propheta testatur) in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. Inueniemus Sabbatum sine uespero: id est, requiem sine fine, renouabitur ut aquila iuuentus nostra, quæ nullo senio, nulla temporis longitudine corrumpetur: satiabimur apparente gloria Saluatoris nostri, quem sine fine uidebimus, sine fine amabimus, sine fatigatione laudabimus. O igitur nobile bellum, o felix præmium, o expectabilem pugnam ex qua siue uincimus siue uincimur, semper Reges euadimus, & cum Deo nostro triumphantes lucidas paradisi sedes quærimus, pro quibus consequendis Stephanus protomartyr lapidibus cæsus est, Petrus & Andreas in cruce suspensus. Paulus securi percussus, Bartholomæus uiuens cute nudatus, Sebastianus sagittis confossus, Laurentius flāmis exustus. Sed non hæc ex uobis uiri fortes, supplicia requiruntur, minori precio cœlum promittitur, pugnate tantum fortibus animis pro lege domini, & omnia consequimini, de quibus scribit Paulus. quia nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,

quæ promisit dominus diligentibus se. Ostulti, & tardi ad credendum in his quæ sacræ promittunt literæ digito Dei reuelatæ atque conscriptæ: o si adessent nunc Godefridus, Baldeuinus, Eustachius, Hugo magnus, Boëmundus Tancredus & alij uiri fortes, qui quondam Hierosolymam per medias Turcorum acies penetrantes armis recuperauerunt, non sinerent profecto tot nos uerba facere, sed assurgentes, ut olim coram Vrbano secundo prædecessore nostro, Deus uult, Deus uult, alacri uoce clamarent: uos taciti finem orationis expectatis, nec hortamentis nostris moueri uidemini. Et fortasse sunt inter uos qui aiunt: Multa hic pontifex loquitur, ut nos mittat in aciem, & corpora nostra hostium obijciat gladijs: sacerdotum hic mos est, alligant alijs onera grauissima quæ ipsi digito nolunt attingere. Nolite ita putare filij, nemo patrum uestrourm memoria in hac sede sedit, qui pro fide Christi maiora fecerit, quàm nos iuuantibus uobis, & domino fauente, facturi sumus. Venimus huc, ut uidetis non parum debiles, neque sine periculo nostri corporis, neque sine damno terrarum ecclesiæ, plus defensionem fidei quàm patrimonium beati Petri fecimus & quàm ualetudinem & quietem nostram. Accreuerunt expensæ mirum in modum: redditus autem apprime diminuti sunt. neque ista gloriabundi referimus: tædet pudetque nos plura facere non potuisse. O si quæ fuerant iuuenili in corpore uires, hæ nunc adessent, non iretis sine nobis ad bellum, neque periculum sine nobis subiretis. ipsi ante signa procederemus: ipsi crucem domini portaremus: ipsi uexillum Christi perfidis hostibus obijceremus beatosque nosipsos arbitraremur, quibus datum esset pro Iesu mori. Et nunc si censetis, non recusabimus ægrotum corpus, fessamque animam in hanc felicem expeditionem Christo deuouere. Per castra, per acies, per medios hostes si suadetis lectica uehi generosum putabimus, nec magnifica uerba ignauo prosequemur animo. Consulite quid magis Christianæ rei conducat. nihil aduersabimur de corpore nostro, de persona, de pecunia nostra. Vestrum iudicium amplectimur: Metimini uires apostolicas: æstimate quid temporalia, quid spiritualia simul conferant, & quod uobis uidetur humeris nostris onus imponite, nihil recusabimus. Duos habet Ecclesia thesauros, spiritualem alterum, materialem alterum, utrunque liberaliter erogabimus, & illum qui nunquam exhauriri, & hunc qui nunquam impleri potest. Impræsentiarum tamen nihil aliud ex uobis petimus, nisi ut bellum contra Turcos gerendum decernatis, de pecunijs conquirendis, de ducibus eligendis, de classibus instruendis, de sede belli, de tempore expeditionis, postea disseremus. Neque difficilis consultatio erit, quando nec arma, nec equi, nec naues, nec pecuniæ, nec fortissimi milites, nec peritissimi duces Christianis desunt. Adsit tantum communis uoluntas huius honestissimi belli gerendi. Quam ut mentibus uestris inserat ille rogamus, qui cum patre & spiritusancto sine fine regnat Iesus Christus, Amen.

Bulla de profectione in Turcos: Et de prærogatiuis eiusdem passagij, Epist. CCCCXII.

Pius episcopus seruus seruorum Dei, Vniuersis & singulis Christi
Salutem & Apostolicam benedictionem.

EZechielis prophetæ magni sententia est: Venientem gladium nisi annunciauerit speculator, animarum, quæ perierint, sanguinem de manu eius requirendum fore. Quod ueriti sanctæ memoriæ prædecessores nostri Nicolaus V. & Calixtus III. ab eo tempore quo Turcorum effrenata rabies Constantinopolim expugnauit, uenturum ad interiora Christianitatis hostilem gladium clamare non cessauerunt, commonere Christianos principes ac populos, quanto in periculo esset nostra religio, nisi occurreretur hostibus priusquam amplius inualescerent: Suasere ut arma sumerent, defensionem catholicæ fidei subirent, furentibus bestijs obuiam irent, nec sinerent immanem draconem Mahometem fideles deuorare animas. Videbant ferocem illius animum occupata

A cupata Constantinopoli minime quieturum cuius inexplebilis esset dominandi cupiditas. Nec dubium quin Orientali subacto Imperio ad Occidentale aspiraret. Annunciata est in tempore futuro calamitas, sed non fuit credita. Non fuerunt auditæ sanctorum pastorum uoces, utiles admonitiones, surda pertransijt aure Christianus populus. Vngari tantum sub Calixto uigilantes, arma sumpserunt, qui de tuendo regno soliciti, dum suos fines obseruant, custodiunt nostros. Ex ipsis Vngaris ac Theutonibus & alijs uicinis non pauci: quamuis magna ex parte pauperes & secundum seculum ignobiles, inclyti uero in conspectu Dei crucem domini assumpserunt, & magno in hostes spiritu perrexerunt, quorum potissime ausibus apud Albam Græcam, quam nostri Belgradum uocant, Turcorum ingentes copiæ profligatæ fuerunt, & Mahometes ille terribilis ac ferox turpem arripuit fugam. Nationes aliæ tanquam nihil ad eos Turcorum facta pertinerent, in suis sedibus quiete manserunt. Nos deinde (sicut domino placuit) quamuis indigni tanto munere, Calixto successimus, qui mox in apostolatus initio Mantuanum conuentum indiximus, in quo de communi utilitate, de communibus Christianorum consilijs ageremus. Venit in mentem quod per Esaiam scribitur: Super montem excelsum ascende tu qui Euangelizas Syon, exalta in fortitudine uocem tuam qui Euangelizas Hierusalem, exalta noli timere. Dictum id nobis putauimus: Satisfecimus (ut arbitramur) præcepto: Affuimus

B in tempore præfinito non sine sumptu & labore graui: Ostendimus fidelibus Christianis uulnera sua, & quæ passi fuerant, & quæ passuri uidebantur, nisi seipsos aduersus Turcos defenderent. Clamauimus, quasi tuba exaltauimus uocem nostram: Audiuit omnis ecclesia, sed non exaudiuit uerba nostra. Non fuit plus ponderis nostris quam prædecessoris uocibus: Frustra conati sumus: Incassum abiere labores Interea quantum creuerunt Turcorum uires difficile dictu est, auditu miserum. A mari Pontico usque ad amnem Sanum, & ab Aegæo pelago usque ad Danubium nobilissimas interiacentes prouincias suæ possessionis fecere. Transiuerunt & ipsum Danubium, Vualachiæque magnam partem occupauerunt. Penetrauerunt & Sanum, atque agros Vngariæ longæ lateque uastauerunt. Hoc anno Bosnam inuaserunt, uniuersumque regnum sibi subiecerunt, & insulam Lesbon. Quanta uero crudelitate in subactis urbibus ac prouincijs usi sunt, horret animus dicere. In Constantinopoli Græcorum Imperator obtruncatus est, & caput eius hasta suffixum per castra delatum. Fastianis principibus eruti sunt oculi. In Lesbon multitudo puberum palo transfixa. In Bosna Regem qui salutem pactus sese dederat cum patruo suo, Mahometes ipse humano sanguine insatiabilis, sua manu (ut fertur) iugulauit. Quis nobiles uiros? quis sacerdotes commemorauerit ad cedem raptos? senes ac iuuenes in plateis immanissime trucidatos? Vbi-

C que cruor cæsorum uisus, ubique morientium gemitus auditus, nulla reuerentia matronarum, nulla uirginum. Fœdum relatu est quantum hoc genus hominum in libidinem sit immersum, Cui omnes abominationes gentium pseudopropheta quem uenerantur, indulsit. Quid de sacrosanctis ecclesijs dicemus? Templum illud sanctæ Sophiæ Iustiniani opus toto orbe memorabile, Mahometis spurcicijs reseruatum est. Reliqua sacraria aut diruta sunt, aut polluta. Altaria disiecta atque protrita: imagines sanctorum deletæ aut luto fœdatæ. Nulla Saluatoris Christi aut gloriosissimæ matris eius statua sine singulari probro dimissa. Simulachrum crucifixi per derisionem in castra delatum, saxis & luto petitum & tandem in cæno relictum. O Domine Deus, uenerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt morticina seruorum tuorum escas uolatibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem eorum & non erat qui sepeliret. Quamuis non potest lædi tua maiestas, nec tua gloria minui, decet tamen seruos tuos: decet nos miseros Christianos, quæ tuam uelut in contumeliam fiunt, totis conatibus auertere atque ulcisci. Non tulit Phinees adulterantem Sambri, sed zelo incensus domini, Madianitæ scortum & illum interfecit. Vidit Matathias sacrificantem idolis hebræum, & doluit, & contremuerunt

runt renes eius, & accensus est furor eius secundum iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram. Sed quis est zelus noster? quæ cura religionis? Blasphematur sancta Trinitas, conculcatur Euangelium, sacra nostra prorsus abijciuntur, Christianum nomen funditus eradicatur, & subticemus. Nemo est qui pro communi salute assurgat. Stat mater Ecclesia dolens, & gemens, & non est qui consoletur eam. Et quid dici de nobis potest infelicibus Christianis nisi propheticum illud? Facti sumus opprobrium uicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt. Maiores nostri Hierosolymam perdidere & omnem Asiam & Libyam. Nostro tempore Græcia est amissa, & Europæ maxima pars. In angulum orbis redacta Christianitas est. Dei & domini nostri Iesu Christi sepulchrum nisi Saraceni uelint, uidere non possumus: Quæstus causa nobis illud ostendunt. Patriarchales sedes ueneratu dignissimæ Constantinopolitana, Anthiocena, Alexandrina & Hierosolymitana iugo seruitutis oppressæ à Saracenis occupantur aut à Turcis. Non sine dedecore & ignominia Christiani nominis Romanam ecclesiam matrem omnium fidelium ac magistram, quam beati apostoli Petrus & Paulus suo martyrio dedicarunt, nunc nobis eripere Mahometes interminatur, & faciet nisi tandem excitemur à somno, & conatus eius studemus eludere. Ve nobis Christianis principibus: ue nobis ut qui nati sumus uidere contritionem populi nostri, & contritionem sacræ religionis. Videmus fratres nostros in manus inimicorum rapi, diuersis excarnificari supplicijs, & non mouemur. Videmus indies Christianorum prouincias ab infidelibus inuadi, & non angimur, sed in domo quiescimus. Quot iam regna ab Euangelio sunt aliena? quæ gens iam non hæreditauit terram domini, & non obtinuit spolia eius? Siue orientem respicimus, siue meridiem, siue in arcton uertimus oculos, omnis Ecclesiæ compositio ablata est. Ancillam uidemus quæ fuit libera & domina gentium: Ecce sancta nostra & pulchritudo nostra, & claritas nostra magna ex parte desolata. Coinquinauerunt eam Turci & Saraceni, & aliæ fœdissimæ gentes. Quid nobis adhuc uiuere, nisi cogitamus de tanta infamia surgere, ac pristinum recuperare decorem: Commouemur uehementer dum talia mente uoluimus, angimur, cruciamur. Nec animo possumus esse quieto, nisi principes Christianos pro tutela sacræ religionis aduersus impios Turcos arma sumere uideamus. Pastoralis officij nostri esse, quis nescit dominici gregis curam gerere? cui eius loco successimus, qui dictum est à domino: Pasce oues meas. Oues Christi fideles populi sunt, his consulere nos oportet, has protegere & totis conseruare conatibus, ne luporum aut aliarum bestiarum morsibus pereant. Sed quid agat infelix pastor, ubi luporum innumerabiles turmæ gregem inuadunt? iussiq; canes insurgere, latrare, ac defendere caulas, obaudiunt ac diffugiunt. Hæc impræsentiarum conditio nostra est. Turci tanquam lupi & immanes bestiæ ouile dominicum, id est Christianam plebem lacerare conantur & lacerant. Vocamus in auxilium principes tanquam custodes Christianæ plebis. Aures claudunt, nolunt audire uocem pastoris, post sua quisque desideria pergit. Quid agemus? soli'ne lupos, hoc est Turcos aggrediemur? Non sunt uires nostræ quæ tantam uim ferre queant. Nimium creuit Turcorum potentia. Nec potest eorum imperium deleri nisi Christianorum magno conatu magnisq; classibus & exercitibus. Non habet apostolica sedes unde ista conquirat, nisi Christiani Reges Christianiq'ue populi opem offerant. At hoc eis hactenus suadere non potuimus. Conuentum fecimus: legatos misimus. Omnia tentauimus quæ uisa fuerunt ad excitandos animos pro tempore necessaria. Non profecimus. Quomodo nunc proficiemus? Quid ergo? Negligemus ne fidei defensionem? Minime quidem. Pastor bonus, inquit in Euangelio ueritas, animam suam ponit pro ouibus suis: Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidit lupum uenientem & dimittit oues & fugit & lupus rapit & dispergit oues. Admonemur his uerbis quidnam agere debeamus. Extrema omnia tentanda sunt pro salute domini gregis. In grauioribus morbis grauiora adhibent remedia medici: Idem

&

A & nos facere conuenit: non decet pastorem suas oues relinquere. Occurrere lupis oportet etiam si sit anima pro grege ponenda. Pastor bonus imitandus est dominus noster Iesus, & optimi praeceptoris uestigijs inhaerendum, qui uerbo quod docuit opere adimpleuit. Alios hactenus exhortati sumus defensionem fidei suscipere, atque in bellum ire, missuri legatos & alia facturi quae nostrae facultates sufferre possent, mansuri pro necessitatibus Ecclesiae apud septa ouium quae restat nondum expugnatae. Nunc maiora promittemus, & quando aliter excitare Christianorum torpentia corda non ualemus nos ipsos periculis obiectabimus, nostrumque caput aduersus Turcos offeremus in bellum, & quantum nobis Ecclesia Romana & patrimonium beati Petri ministrare poterit, tantum pro fide catholica protegenda exponemus, & profundemus in hoc itinere. Nec soli proficiscemur in hostes, Clarissimo genere natus & amabilis Deo princeps, Philippus Burgundiae dux in hanc expeditionem uenturum se offert, non sine delecta militum manu, & exercitu ualido. Potentis & clari Venetorum ducis Christoferi Mauri ingens & formidanda classis superioribus mensibus in Graeciam nauigauit, totamque fere Peloponnesum ui atque armis eripuit hosti, Isthmumque peninsulo qui sex milibus passuum inter duo maria patet, undecim (ut aiunt) diebus excitatis muris ac turribus clausit: memorabile factum, & inter praeclara ueterum opera numerandum. Haec eadem classis (ut promissum est) nobis non deerit. Spondent quoque & caeteri Italiae potentatus pro sua religione, & in commune bonum affectione, praecipua tam sancto digna ope auxilia. Fauente nobis altissimo, maritimum bellum feliciter absoluemus, quoniam non sunt Turci pares in pelago Venetis. Ex altera parte in terra pugnabunt Vngari genus hominum in bello ferox, & iam Turcos uincere didicerunt. Inclytus Rex gentis Matthias iam coronam & pacem in regno consecutus, ingentes poterit deriuare atque in prelium ducere copias. Haec nobis certissima sunt belli praesidia: Cum his ibimus: cum his Dei praelium decertabimus. Erunt & Albani nobiscum, & multi per Graeciam (ut speramus) & alias hosti subactas prouincias à Turcis deficientes, castra nostra sequentur. Christiani enim sunt, oderuntque Mahometem. Hosti parent coacti metu, qui non est diuturnus magister officij. Vt primum spes libertatis affuerit, aduersus insolentes dominos cornua erigent. Nec deerunt in Asia metus, ut sunt in omni gente atque in omni prouincia male pacati homines, & nouitatum cupidi, qui tempus expectant. Non erit facile Turcis tot locis occurrere. Difficile defenditur quod undique à multis oppugnatur. Quod si quis innumerabiles hostium copias esse dixerit, nec putauerit in castris fidelibus parem numerum cogi posse. Respondemus multum inter se distare homines, & alios natura imbelles esse, alios feroces. Virtus spectanda magis est quàm numerus. Non est in multitudine exercitus uictoria belli. De coelo fortitudo conceditur. Tam facile Deo nostro est in paucis uincere quàm in multis. Nostra causa Dei est, pro lege Dei pugnabimus, ipse Deus conteret hostes ante faciem nostram. Audimus susurrare aliquos. Non desunt qui murmurantes aiunt. Quid ages in bello senex, aegrotus, sacerdos. Non est bellare tuum, nec potes nec debes ferire gladio, qui loco eius suffectus es cui praecepit dominus ut gladium in uaginam mitteret. Reges tuo iussu tenentur enses exerere, tuum est iusta bella gerentibus benedicere. Fatemur, non conuenit nobis offendere sanguinem, quando per alios possumus iustitiae fideique necessitati subuenire, quod si religio in periculo est & absque nostro non potest ferro defendi, non est nobis uetitum quod Samueli & Heliae legitur fuisse permissum. Sed nec est hoc propositum nostrum ut gladio pugnemus in bello. Nam quo pacto strinxerimus ensem, qui uix manum ad benedicendum populum possumus eleuare. Oratione pugnabimus non ferro: precibus adiuuabimus praeliantes non brachijs: Erimus in alta puppi, aut in aliquo monte propinquo dum praeliabitur, & nostris benedicemus,

(Margin letters: B beside "rabile factum"; C beside "tum inter se distare")

hostibus uero maledicemus, quemadmodum de Moyse legitur in bello Amalechitarum, quo orante uincebat Israël, cessante orare succumbebat. Orabimus & nos D sine intermissione pro bellatoribus nostris. hoc præstare poterimus, hoc sedulo faciemus. Cor contritum & humiliatum non despiciet dominus. Possemus & hoc ipsum domi manentes facere nec minus ualerent preces, sed non est sola orationis causa quæ propriam sedem relinquere cogit, &. in bellum trahit. Vt alios excitemus pergimus: Exemplo nostro quàm plurimos inuitare studemus. Sequentur & nos uenerabiles fratres nostri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quemadmodum ad hoc ipsum, qui ualidi sunt, sponte se obtulerunt. Sequentur & episcopi complures & alij minoris ordinis sacerdotes & clerici, non oraturi tantum, uerum etiam pugnaturi cum res ipsa postulauerit. Expertas quoque bellorum & robustissimas militum cohortes & fortia pectora iuuenum ex agris Ecclesiæ ducemus ad prælium, qui nobis oratione pugnantibus ferro pugnent. Ibimus extenso dominicæ crucis uexillo. Sacratissimum Christi corpus præcedet & sanctorum reliquiarum arcula. Saluatorem in bella uadentem sequemur: Ipsi cohærebimus: ipsi preces assiduas porrigemus, ab ipso salutem implorabimus. Miserebitur nostri (ut arbitramur) pijssimus Iesus, nec populum suum in hostiũ manus uenire permittet, cuius preciosissimus sanguis in ara crucis effusus à maligno nos hoste liberauit. Et quis erit Christianorum tam feri, tam lapidei, tam ferrei pectoris, qui audiens Romanum E pontificem beati Petri successorem domini nostri Iesu Christi uicarium, æternæ uitæ clauigerum, patrem ac magistrum uniuersorum fidelium, cum sacro senatu Cardinalium clerique multitudine in bellum pro tuenda religione, libens domi remaneat? Et quæ poterit excusatio quenquam iuuare: senex, debilis, egrotus in expeditionem pergit, & tu iuuenis sano ac robusto corpore domi delitesces? Summus sacerdos, Cardinales, Episcopi prælium petunt, & tu miles, tu baro, tu comes, tu marchio, tu dux, tu Rex, tu Imperator in ædibus proprijs ociaberis? Siccine peruerti hominum officia patieris? ut quæ sunt Regum, Sacerdotes agant, quæ nobilitati conueniunt, subire clerum oporteat. Necessitas ire nos urget, quia non possumus alio pacto pro diuinæ legis defensione Christianorum animos commouere. Vtinam hoc modo commoueamus. Non pergimus in bellum tanquàm nostri sit officij, sed quoniam aliter consulere fidei non ualemus. Nescimus an hoc sufficiens remedium erit. Mandauit dominus beato Petro ut titubantes fratres sua conuersione confirmaret dicens: Ego rogaui pro te Petre ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quod Petro dictum est, & nobis dictum intelligimus. Confirmare fratres qui titubant debemus. Confirmabimus uos fratres & filios (ut speramus) hac profectione F nostra, & ita non præualebunt portæ inferi aduersus Ecclesiam Dei nobis commissam. An denegabitis nobis auxilia uestra? & caput uestrum, patrem ac magistrum in hostes proficiscentem, fideles Christiani relinquetis? En quanta gloria uobis erit crucem domini cum sacratissimo corpore Iesu, ipsumque Romanum præsulem sine uestris præsidijs in hostem pergere. Noscite Reges ac Principes officium uestrum. Idcirco gladium geritis ut Ecclesiam fidemque tueamini, atque ut malos & iniquos homines debita pœna coërceatis. Et qui nam homines peiores quàm Turci reperiuntur? qui fidem sanctæ Trinitatis abijcientes, & Saluatorẽ Christum uerũ Deum esse negantes, abominabilem Mahometis cõplexi legem in omnia scelera prolabuntur, & iam maximã orbis partẽ suis nephandissimis abusibus fœdauerũt, & legẽ conantur Euangelicã dissipare. Aduersus hos gladium dedit uobis diuina maiestas. In hos illum exercere debetis ac diuinam ulcisci contumeliam. An non pudet tandiu, tam fœdam gentem, tam turpiter in Christianos esse grassatam? An bellũ nõ satis iustũ, nõ satis necessariũ esse putatis, aduersus nationes quæ cõuenerũt disperdere uos & sancta uestra? Accingamini iam tandem, & quoniã sine nobis ire

non

A non uoluistis, ite nobiscum, sumite arma & scutum, & uenite in auxilium nostrum, imò uero uestrum & uniuersæ reipublicæ Christianæ. Exemplũ de Philippo recipite, quem ne domesticæ deliciæ (quibus prouinciæ suæ plurimum abundant) nec suorum preces, nec itineris longitudo aut difficultas, aut senectus ipsa ex proposito suscipiendi contra Turcos belli usque in hanc diem deijcere potuerunt, neque fauente domino, in futurum deijcient. Imitamini hunc nobilissimum principem: mementote professionis uestræ, quam in baptismate subijstis: Cogitate quantum Deo tenemini, & quantum proximo: Reddite uicem pro susceptis beneficijs: Estote grati altissimo qui uos creauit ex nihilo, nec animalia bruta aut lapides, sed homines rationales esse uoluit. Et cum primi parentis culpa damnati essetis, ac mancipia facti dæmonum, misit filium suum in similitudinem carnis peccati, qui morte sua mortem uestram deleret. Stupenda & inextimabilis charitas, ut seruum redimeret, filio suo non pepercit. Dominus Iesus in cruce pro nobis inter latrones pependit: Innocens agnus cum sceleratis deputatus est: Speciosus forma præ filijs hominum euerberatus, laceratus ab impijs, deformis apparuit: A planta pedis usque ad uerticem non erat in eo sanitas, neque species, neque decor. Sic placuit patri qui propter peccata nostra tradidit illum. Propiciatorem enim proposuit eum per fidem in sanguine suo. Iniquitates nostras ipse portauit, & liuore eius sanati sumus, qui cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. O crudelis Christiane, ò ingrate, ò mentis inops, potes ne ista audire, & non animo cõmoueri? & non cupere pro illo mori, qui pro te mortuus est? De honore illius agitur, qui te de diabolica seruitute preciosissimo sanguine suo redemit: De Christi nomine disceptatur: de fide Catholica, de baptismo, de cæteris ecclesiæ sacramentis, de sacrosancto Euangelio. Aduersus hæc omnia Turci militant. Hæc euertere ac prorsus delere conantur, & tu nihil contra moliris. Quid agis iners? redde te gratum Deo, & cogita quonam pacto creatori redemptoriq; tuo aliqua ex parte satisfacias. Et quoniam peccator es, redime tuas iniquitates hac tam sancta & salutifera profectione. An diuitias bonitatis domini, & patientiæ & longanimitatis eius contemnis? An ignoras quoniam bonitas Dei ad pœnitentiã te adduxit? Caue ne secundũ duriciam tuam & impœnitens cor, iram tibi thesaurizes in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuiq; secundum opera eius. Cõuertere, & agito pœnitentiã ab omnibus iniquitatibus tuis, & non erit tibi ruina. Propterea expectat dominus ut misereatur tui: proijce præuaricationes antiquas, & fac tibi cor nouum, & spiritum nouum, & ueni, milita pro domino, ne morte moriaris æterna. Cogita de proximis tuis & fratribus Christianis qui uel sunt in captiuitate Turcorum dura seruitute pressi, uel captiuari indies atque in seruitutem rapi uerentur. Si homo es, humanitas te trahere debet, ut opem

C feras homini, indigna ferenti. Si Christianus, pietas Euãgelica qua iubemur proximos tanquam nosmetipsos diligere. Cõsidera proximorum tuorum Christifideliũ ærumnas, in quos Turci desæuiunt. Filij è cõplexu parentum, & infantes ab uberibus matrũ eripiuntur: Violantur uxores in conspectu uirorum: Senes tanquam inutiles occiduntur: Iuuenes tanquam boues aratro iunguntur, & terram uomere uertunt. Miserere fratrũ tuorum: Affer opem iam dura ferentibus. Quod si nihil horum te trahit, at saltem de tua salute cogita. Nec te tutum idcirco existimes, quia mansionem fortasse procul à Turcis sortitus es. Nemo tam remotus est quin reperiri queat. Si uicinum dimiseris in periculo, qui ante te proximus est igni, dimitteris & ipse similiter à uicino qui retro te habitat. Tales oportet nos esse in alios, quales ergo nos illos cupimus inuenire. Nolite auxilia Gallorum sperare Theutones, nisi & uos Vngaris, Nec uos Galli Hispanorum, nisi Theutonicis opem fertis. Qua enim mensura mensi fueritis eadem remetietur & uobis. Nec propterea sibi quispiam blandiatur, quoniam principatu polleat aut regno. Constãtinopolitanus Imperator & Trapezũtius, & Rex Bosnæ & Rasciæ domini, & alij quàmplures principes capti & crudeliter occisi, quid sit expectandum

dum edocent. Nihil tam contrarium Mahometi quàm nomen regium: Orientis adeptus imperium, ad Occidētale festinat. Nouam erigere monarchiam conatur: uni Turcorum imperio, & uno Mahometeæ legi cuncta submittere studet. Si potestis talia ferre principes ac populi Christiani manete domi, nec iam de subuertenda formidabili Turcorum potentia cogitate. At si seruile iugum horretis, si contumeliam Dei & proximi tolerare nequitis, si pudet semiuiros Asiaticos Græcorum gentem (quod nunquā antea fecerunt) subegisse, eoq; superbiæ prorupisse, ut Europam sibi totā breui tempore parituram sperent. Si cor uirile uobis est, cor nobile, cor altum, cor Christianum, sequimini uestigia patris uestri, sequimini castra nostra: Venite in auxilium fidei: Venite in auxilium fratrum uestrorum. Opponite uos murū pro domo Dei: Cogitate de uestra salute, de uestra gloria, nolite pmittere, ut sine uestris auxilijs proficiscamur in Turcos. Mittite subsidiarias acies: iuuate Christianum exercitum. Quanto fortiores ibimus, tanto citius (auxiliāte domino) cū uictoria reuertemur. Nec putetis insuperabiles Turcos esse. Vinci & possunt, & sæpe uicti fuerunt. Quantū ualerent arma Turcorum Belgradus ostendit. Minor est Turcorum potentia quàm fama feratur. Imbellem atq; inermem multitudinem ad prælium ducunt, quam tanquā pecudū gregem dissipare licebit. Nec ipsa Turcorū agmina grauioris armaturæ usum didicere: Raras loricas, rariores thoraces induūt. Nec galeas more nostro lucentes ostendunt: raro teguntur corpora ferro: Acinate utuntur & arcu: Parma se protegunt, & galeis pilosa quadam materia duraq; contextis. Quod si Latinas inciderint acies, rigētes chalibe, ferratasq; hastas, et cathafractos equos, & manu balistarum sagittas, intelligent cum mulieribus se hactenus pugnasse, nunc cum uiris esse certandum. Diximus quæ nobis hactenus promissa sunt auxilia, & quanta spe uictoriæ procedamus. Quod si uos quoq; coniunxeritis arma & auxiliares addideritis turmas, multo alacriores ibimus. Nec dubium quin Orientales ingressi prouincias, tanto maiorem ad nos concursum inueniemus dedentium se populorum, quanta ualidior fuerit noster exercitus. Si mouebimini uos Christiani occidentales, & animarum uestrarum pastorem secuti fueritis, mouebuntur & multi ex Græcia atq; Asia Christiani, qui uerum esse Christi uicarium Romanum Pontificē non dubitant. Iamdudum non fuit in Oriente Romanus præsul. Vt primum innotuerit aduentasse Latinā classem, Romanum uehentem præsulē, innumerabiles turmæ non dubitamus, ad uisendum beati Petri successorem, cum fletu & lachrymis sacros osculaturi pedes accurrent, seq; & sua promittent ei. Hac spe freti uenerabiles fratres ac filij dilectissimi, his rationibus persuasi, his cōsilijs moti, uenerabilibus fratribus nostris Cardinalibus hoc ipsum suadentibus corpus nostrum canitiemq; nostram, & seniles ac debiles artus huic sanctæ expeditioni consecramus, dominoq; cōmendamus, statuētes circa Nonas Iunias (quæ proxime instant) Anchonam petere, atq; in eius portu nauem conscendere, & cum ea classe quàm interim nostro & aliorū sumptu poterimus instruere, Adriaticum ingredi pelagus, & ulterius recto itinere aduersus hostes fidei proficisci: Non dubitantes: quin Philippus Burgundiæ dux maritimis armatus copijs ad idem tempus præsto adsit. Venetiq; ualidam classem (de qua dictum est) expeditam in mari habeant, & tam ille quàm isti sese nobis coniungant, sub uexillis Ecclesiæ ac uiuificæ crucis signo aduersus impios Turcos autore domino, feliciter pugnaturi. Cruce signati aūt, qui suis aut mittentium sumptibus in hac pia expeditione militaturi sunt, ut nauigia æquo precio ad traijciendum Venetis habeant curabimus. Ea propter uos omnes & singulos Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & cuiuscūq; cōditionis uiros ecclesiasticos, religiosos & seculares quæ de sorte domini effecti estis: Vos quoq; Imperatorem, Reges, Duces, Marchiones, Comites, Communitates, Barones, Nobiles, milites, ciues & alios quoscunque fideles siue in urbibus commoremini, siue in agris, per uiscera misericordiæ domini nostri Iesu Christi, per passionem eius qua nos redemit, per iudicium extremum in quo stabitis ante tribunal eius accepturi unusquisq; secūdum opera sua. Per spem uitæ æternæ quam promisit dominus diligentibus se obnixe monemus, requirimus, & obsecramus, ut quæ commode potestis, in hanc sanctam expeditio-

A peditionem nobis auxilia præbere non differatis, sed in tempore prædicto ad nos mittatis. Veniat per seipsum qui ualidus est, & commode potest: Qui uero non uenit, mittat alium aut alios iuxta uires suarum facultatum. Si neque alium potest mittere, de bonis sibi à Deo collatis, quantum secundum conscientiam suam potest, per fideles manus in hanc expeditionem contribuat, aut in cistis reponat quæ ad hoc opus in singulis diocœsibus constituentur. Nec dubitet quispiam magna præmia cōsecuturos à domino eos, qui hoc sanctum opus & tam necessarium pro suis uiribus adiuuerint. Manifestum enim exploratumq; est omnibus, qui sacrosanctam religionem fidemq; orthodoxam adiuuerint, auxerint, defenderint, certum esse in cœlo, & diffinitum locum in quo beati æuo sempiterno fruantur. Credendum est semper sacris ueteribusq; sermonibus, post hanc uitam migrandum esse in alteram asserentibus. Et qui pie in hoc seculo uixerunt, legemq; domini seruauerūt, in altero uitam beatam sine fine consecuturos, alios uero miseram. Infallibile Propheticum illud est, quod neque oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ promisit dominus diligentibus se, & quod (Paulo teste) non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Iustissimus est retributor dominus, qui nec bona sine præmio, nec mala sine pœna præterit. Confidite in Deo, & non confundemini. Date de

B bonis uestris ei qui dedit uobis, & centum accipietis pro uno, & uitam æternam possidebitis, quā ut certius consequi ualeant, qui nostris exhortationibus obediētes hoc sanctum opus & necessarium iuxta possibilitatem suam adiuuerint. Nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius autoritate confisi, de plenitudine potestatis cœlitus nobis concessæ, omnibus uere pœnitentibus & confessis qui in hanc expeditionem nobiscum uenerint, aut per Vngariam aut aliam uiam cōtra Turcos arma protulerint, & per annum aut ad minus per sex menses, si amplius non potuerint, in bello perseuerauerint, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem & ueniam elargimur, ita ut pro satisfactione delictorum & pœnarum quæ fuerant imponendæ, succedat labor itineris atque militiæ. Nec sacerdos aliam pœnitentiam confitentibus iniungat, qui uenturi sunt, uolentes eos qui (ut præmissum est) ad hoc sanctum opus proficiscentur, omnem gratiā & indulgentiā consequi, quàm nostri prædecessores proficiscentibus in subsidiū terræ sanctæ, & in anno iubileo Romam petentibus dare consueuerunt, nō dubitantes quin animæ illorū quos ad hoc bellū proficisci bona mente cōtigerit, cum beatissimis sanctorū Patrum & angelorū Dei spiritibus post hanc uitā in cœlestibus sedibus collocentur, & cōsortes in perpetuū Christi factæ æterna felicitate fruantur. Quod si forsitan anno nō exacto ipsorū aliquos post iter arreptū in prosecutione tam pij, & tam sancti operis ex hac luce migrare cōtigerit, uolumus

C & cōcedimus, ut tales nihilominus præfatam indulgentiā integraliter consequantur. Similiter & eos qui non uenientes alium uel alios suis expensis secundū suarum uirium facultatem transmiserint, uice sua ad annum aut ad minus ad sex menses in hoc bello militaturos, ita ut non solum mittentes indulgentiam & gratiam huiusmodi consequāt, sed etiam missi. Et ut omnis ætas & sexus, & cuiuscunq; professionis homines huius sanctæ indulgentiæ participes esse possint, uolumus ut personæ quorūcunq; monasteriorū seu locorum religiosorū marium siue mulierum cuiuscunq; ordinis seu professionis existāt, quæ pro singulis decem suppositis claustri sui unum bellatorem destinauerint hac eadē indulgentia & gratia plenarie gaudeant, & missus ipse gaudet. Idem concedimus, & indulgemus uniuersis fidelibus, qui non ualentes per se singuli alium mittere duo simul tres tie, aut quatuor, aut plures usq; ad decem unum miserint, qui uice eorum in bello pugnaturus, aut aliud opus utile facturus interfuerit, uolentes ut & ipse pariter gratiæ particeps fiat, si per annum aut ad minus per sex menses continuauerit, aut post iter arreptum in uia decesserit. Insuper qui commode uenire, aut alium per se uel cum alio aut alijs mittere non ualens quantum per hebdomadam cum familia sua exponere consueuerit, in archa in sua ciuitate uel diocœsi ob hanc causam constituenda imposuerit, indulgentias huiusmodi pariter assequatur. Volumus autem & Apostolica auto-

ca autoritate mandamus, ut quicunque huic operi tam sancto se obligauerint, salutare signum uiuificæ crucis uestibus imprimant, & in humeris suis illius memoriam portent, D cuius passione ab æterna damnatione redempti sunt, ipsum imitantes cui ob nostram redemptionem crux imposita fuit, cum factus est principatus super humerum eius, & qui nos admonens ad sectanda uestigia sua. Qui uult, inquit, uenire post me abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Ne uerbo hæc nostra profectio & ipsum profectionis tempus fideles populos lateat, mandamus omnibus & singulis per totum orbem Metropolitanis in uim eius quam nobis debent, obedientiæ ut ipsi primum in ecclesijs eorum cantata missa solenni spiritussancti, & conuocato populo has nostras literas publicent, & in circuitu ecclesiarum processiones faciant. Deinde copias earum autenticas suffraganeis suis quantotius mittant, illos monentes ut & hocipsum in suis ecclesijs cum deuotione & diligentia faciant. Cæterum in tanto Christianæ religionis discrimine quantum à Turcis impræsentiarum cernitur imminere, nulli dubium esse debet, quin Christiani omnes tam reges & principes, quàm alij potentatus & priuati homines, ad defensionem Catholicæ fidei & sanctæ legis Euangelicæ iuxta possibilitatem suam cum bonis & corporibus suis de necessitate salutis uiriliter assurgere, & indesinenter assistere teneantur. Ea propter fideles ipsos Iesu Christi cultores, uniuersos & singulos cuiuscunque status & conditionis fuerint, siue Pontificali, siue imperatoria uel regali præfulgeant dignitate, harum serie monemus ac requirimus, E & in uim promissionis factæ in sacri susceptione baptismi, & in uim iuramenti præstiti, cum dignitatum suarum infulas susceperunt, & per obedientiam nobis debitam, eis & eorum singulis mandamus, ut hanc sanctam expeditionem, ad quam profecturi sumus, non sine maximo corporis nostri dispendio, modis quibus possunt quàm celerrime adiuuare & promouere festinent, ab illo cuius causa agitur, exuberantia suscepturi præmia, & in præsenti uita, & in futura. Negligentes autem negligentur, & in extremo iudicij die minime inter illos inuenientur, quibus dicturus est dominus: Venite benedicti patris mei percipite regnum. Nam quo pacto cum Christo regnaturus est, qui temporale regnum aut delicias aut uoluptates pro Christo non uult relinquere, cum dicat ipse Christus in Euangelio: Qui diligit patrem suum, & matrem suam, aut uxorem, aut filios plus quàm me, non est me dignus. Considerate ista fideles Christiani, & mente reuoluite diligenter, ne ignorantes ignoremini, & tandem pœniteat non adiuuisse in periculo constitutam Iesu Christi religionem & fidem. Caueant sibi qui tales extiterint. Tu uero quicunque fueris Christianæ fidelis, qui pro tuis facultatibus expeditionem contra Turcos subeundam adiuueris, Benedictus esto in ciuitate, & benedictus in agro, benedictus fructus uentris tui, fructus terræ tuæ, fructusque iumentorum tuorum, & armentorum, & gregum: Benedicta horrea tua, & benedictæ F reliquiæ tuæ: benedictus esto ingrediens & egrediens. Det dominus inimicos tuos qui consurgunt aduersus te, corruentes in conspectu tuo, & mittat dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum, & abundare te faciat omnibus bonis, & constituat te in caput, & non in caudam. Tibi autem qui nolens audire uerba nostra, non modo iuuare opus sanctissimum, ad quod anhelamus, negligis, uerumetiam uolentes adiuuare impedis aut deterres. Non solum nouissima illa tremendi examinis dies coram redemptore tuo, cui omnia dedit pater in manus, ad sempiternum supplicium est expectanda, sed misera interim per omnem uitam timenda calamitas. Iustum est enim ueri Dei iudicium, iustæ ultiones suæ. Considerat semitas pedum tuorum, nec falli in faciem potest. Paratam uero bonorum & malorum operum gerens mercedem, nec irremuneratum quod bene, nec impunitum quod male gesseris, esse permittet. Fidelis autem populi sui & sanctæ ecclesiæ suæ, & legis suæ Catholicam fidem perturbans, ubicunque eris, inuenieris ab eo, & quæ diuinæ uoces iniquis denunciãt, erunt tuo capiti horis omnibus trepidãda, ne uidelicet maledictus sis in ciuitate, maledictus in agro, & ne mittat dominus super te esuriem & sitim, & increpationem in omnia tempora tua: ne egestate, febre, & frigore te percutiat:

A cutiat:ne sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus, & stupēs ad terrorem eorum quæ uidebunt oculi tui:ne det tibi dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam errore consumptam, & ne sit tibi uita tua quasi pendēs ante te, & ne timeas nocte ac die, & non credas uitæ tuæ. Aduersus uero hanc iram domini Dei tui potestas nulla tua, nomen nullum tuum, nec terrenū priuilegium poterit præualere. Sagittæ eius acutæ penetrāt ad intima cordis, et carbones desolatorij animam nocentem exurunt. Vos uero infelices piratæ, & infelices latrones, qui uel terra uel mari diabolo militātes in Christianos latrocinia exercetis, si exeuntes ad hanc sanctam expeditionem, si redeuntes ab ea impedire, carpere uel spoliare quocunq; prætextu eritis ausi, Vos inquam cum adiutoribus uestris, cum fautoribus ac receptoribus anathema estote, & ab ecclesia Christi penitus alieni. Vos quoq; qui scienter his uenditis aliquid emitis ab his, aliquid portum aut loca eis conceditis, cum eis publice uel occulte communicatis, pariter anathema estote. In uos autem uniuersitates locorum & ciuitatum mandamus per ecclesiarum prælatos interdicti sententiam ferri, nolentes ullum priuilegium sedis Conciliorum ue quamcunq; uerborum uim habeat, uos ab hac pœna defendat, etiamsi de uerbo ad uerbū inseri, uel particulatim illud exprimi, & recenseri oporteret. At tu domine Deus qui nosti corda hominū & renes illorum scrutaris, & nihil ignoras eorū quæ fiunt si bene agunt Christiani principes priuatiq; homines, si de tuo honore soliciti sunt, si expedi-
B tioni quam pro tuendo Euangelio præparamus, quæ præstare possunt auxilia, nō denegant. Adiuua eos, dirige gressus eorum, diesq; multiplica: retribue mercedem pro benefactis, conserua eis regna & principatus, patrimonia & possessiones auge, & tandem ad pinguia pascua tua & diuites mēsas accersito. Quod si corde indurato sua potius quàm tua quærentes, priuatas causas magis quàm publicas curant, auaritiæ student, uoluptatibus ac delitijs indulgent, & nos ad tua bella uadentes nolunt associare aut auxilio iuuare, cum possunt, quin potius opem ferre uolentes impediunt, aut conuerte illos domine & sana quod infirmum est, aut quod noxium est ne noceat cohibeto. Angustias nostras aspicis pie Deus de excelso sancto tuo, & nosti quia præter gloriam nominis tui, & præter salutem gregis dominici nil aliud quærit uox nostra. Memento domine Iesu Christe, quoniam beato Petro & successoribus eius claues regni cœlorum tradidisti, uolens quæcunq; ligarentur ab eis in terris, ligata esse in cœlis, quæ soluerentur soluta. Ecce assum beati Petri successor, impar meritis autoritate non minor, indignus uicarius tuus. Respice ad preces nostras, & exaudi nos de alto solio tuo. Benedicito quibus ipsi benedicimus, & quibus maledixerimus maledicito. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui domine libera nos, & propitius esto peccatis no-
C stris propter nomē tuum. Da felicem cursum ceptis nostris. Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est à Turcis introeat in conspectu tuo: Aut gemitus compeditorū, & redde inimicis nostris septuplum in sinu eorum improperium quod exprobrauerūt tibi: Respice super populum tuum benignis oculis. Fac nos ire cum prosperitate ad bellum tuum ac reuerti felices: Da nobis uictoriam de tuis hostibus, ut tandem recuperata Græcia per totam Europam dignas tibi cantemus laudes, tibiq; perpetuo seruiamus, & omnis terra te adoret, & nomini tuo psallat in secula seculorum. Datum Romæ apud sanctum Petrū, Anno incarnationis dominicæ, M. CCCCLXIII. XI. Calend. Nouembris. Pontificatus nostri, Anno sexto.

Oratio Aeneæ Syluij Calixtum Papam offerendo obedientiam Imperatoris, Epist. CCCXCVIII.

SOlent pleriq; omnes, Beatissime Pater, maxime Pontifex, qui ad tradendam obedientiam huic sacrosanctæ Romanæ sedi mittuntur, non solum personæ sedenti in ea, sed eius etiam qui se mittit amplissimis uerbis exponere laudes. Idem nunc & mihi faciendum esset, qui cum collega meo præstanti & optimo iuris interprete Ioanne Hinderbach Cæsario nomine obedientiam ad te defero. At cum sim certus in hac tui summi præsulatus adeptione, quam diuinitus inspiratam cuncta fatentur, confluxisse ad te huc

huc quàmplurimos, tum principum, tum ciuitatũ legatos, tui consocios & dicendi peritos, non sum nescius illos tamen tibi & Romanæ ecclesiæ congratulantur, & Apostolicum sacrum senatum, qui delegit, & pietatem tuam, quæ demandatum munus accepit magnifice atq; ornatissime cõmendasse. Per hosce ut arbitror homines, & ueteris prosapiæ tuæ alta nobilitas, & maiorum tuorum illustria facta, ac omnis uitæ tuæ cursus, ita in lucem prodiere, ut nemo in hoc adiutorio sit qui nesciat quàm præclare sis natus, quàm scholaris acutus fueris, quàm disputator subtilis & uchemẽs, quã doctus doctor & eminens, quã prouidus apud Reges consiliarius, quã iustus in magistratibus iudex, quã castus in ecclesia presbyter, quàm senectus & amabilis episcopus, quàm uerax & incorruptus Cardinalis. Non est igitur cur tempus in exponendis terram tuis laudibus. Nam etsi uita tua in hanc usq; diem huiusmodi fuerit, ut uel milies dictata delectet, non sum tamẽ ego qui tuas eximias ac penè diuinas uirtutes, æq; præconio celebrare possumus. Neq; tu is es qui rumusculos quæres, & inanes aures populi captes: sufficit tibi cõscientia tua, quæ non ab homine, sed ab ipso Rege seculorum iusto iudice qui non fallitur coronam expectat meritorum. Nos igitur de tua beatitudine nihil aliud dicemus, nisi quia tu ueluti sydus quoddam clarissimum & saluberrimum e cœlo missum credimus, sub quo beati Petri nauicula, quæ misere mergitur, feliciter emergetur. Consueuit D enim terra Hispaniæ nobilissima unde tibi origo est, industrios semper & fortissimos uiros Apostolicæ sedi atq; ipsis dare, quemadmodum Damasi & Theodosij manifestãt, E quibus te nullo pacto censemus minorem & nunc potissime, cum ex urbis illius imperialis. Senarum matris meæ, literarum cultricis & ocij, tam acrem defensionem, & certissimam conseruationem aduertimus. De Cæsare uero à quo sumus missi, dicere non nihil eorum temeritas urget, qui nesciunt uerbis extollere suos dominos, nisi deprimãt alienos. Sed horremus ingredi cum paruo nauigio magnum mare, neq; enim nostra oratio est, quæ maiestatem tanti principis, pro sua dignitate ualeat explicare, cum nõ uno tantum, sed quatuor ex fontibus nostri Frederici laus abunde manat. Ex Romano imperio cui præest: ex natione Germanica, quæ sibi præ cæteris obsequitur: Ex domo Austriæ quæ se genuit, & demum ex persona propria quæ corporis & animi dotibus egregie pollet. Si quis igitur Fredericum nostrum, ut par est, commendare uoluerit, huic primo uetustas imperij & amplitudo, & autoritas, & potestas, & magnificentia, & gloria in medium deducenda erit: deinde quod sibi uelit ingens Danielis statua propter ferreas tibias quæuis imperia cõterentes: Quid grãdis Ezechielis importet aquila: cur Assyriorum regna mutentur ab Italia, Balaam enarrandus omnis aquilæ uolatus, ut Cretensem illum Iouem stulte creditum deum: Et Theocum ut Troianos reliquos, ut potissime pium Aeneam in bellis adiuuaret, ut Regibus Albanis aliquando fauerit, ut Romanos rerum dominos, gentemq; togatam, ut Græcos imperatores, ut Germanos Cæsares uictores hostium, & mundi deuictores affecerit. Quæcunq; enim de Romano imperio præclare dicuntur, ad rectorem eius proculdubio cum laude redundãt. Nam sicut F Apostoli Petri, & Syluestri & Leonis, & aliorum Põtificum laudabile nomen, te qui loco eorum sedes, agit sublimẽ, & Augusti primi, & Constantini magni, & Caroli uictoris, & aliorum Cæsarum excellens gloria, Fredericum nostrum, qui eis successit in altum tollit. Secundo exponendũ erit quã longa & lata sit Germanica natio, quã religiosa, quàm uerax, quã iusta, quã promissi tenax, quã populosa, quã diues, quanta illic nobilitas, quã fortis & experta militia, quantus ecclesiarũ ornatus, quanta gloria cleri, quanta principum magnificentia, quantus splendor urbium, quæ cœli facies, quæ terræ ubertas, cum prouinciarum & populi decus cum principe sit commune. Tertio describenda succurrit inclyta domus Austriæ, ex qua hic Fredericus propugnatus est. Mater & ipsa Regum & imperatorum, quæ sæpe Vngariæ, sæpe Bohemiæ, & aliquando Poloniæ Reges dedit demonstranda, & quantus fuerit magnus ille Rodolphus Imperator, qui & Bononiam Romanæ ecclesiæ dono dedit: Et Ottho Carolum potentissimum Bohemiæ Regem, qui Austriam & Stiriam Romano imperio surripuerat ancipiti bello uictum interemit. Tum duo Alberti occurrerũt, duo Martis filij, duo fulmina belli, quorũ

Alphonsum

A Alphōsum de Nasauu, fasces imperij usurpantem, apud Rhenū magno prælio uicit & occidit. Alter impios Rhusitas ecclesiæ nostræ fæua bella mouētes quasi malleus cōtriuit. De patre Ladislai loqr inclyti Regis Vngariæ ac Bohemiæ, Cæsaris nostri patruo: denicę admiranda probata te nihil satis dici posse: Ponēdi ante oculos essent Ernesti, Leopardi, Friderici, & alij quàmplures animæ candidissimæ huius excelsæ familiæ, quarū uirtutem admirari magis quàm recensere ualemus. Postremo quia non imitanti maiores, dedecus est paterna laus filio, ad Fridericum ipsum conuertenda erit oratio. De mansuetudine sua, de religione, de iustitia, de prudentia faciendū uerbum: exponendū eius iter in terram sanctam: declarandus felix reditus: enarranda paucis cōsilia: cōmendanda pietatis opera: dicendum quo pacto ad imperium uocatus fuerit, ut coronam regni Germanorum apud ciuitatem Aquensem, Imperialem in hac urbe summo cum honore susceperit, ut coniugem nobilissimam ex domo Portugaliæ duxerit, Alphonsi præclarissimi Regis neptem. unde sibi omnes Hispaniæ potentissimos Reges affinitate coniūxit: ut neutralitatem ecclesiæ Romanæ nocentissimā, ex natione sua sustulerit: ut obedientiam Germanici populi magno labore, maiori sumptu atcę industria, tuis prædecessoribus Eugenio & Nicolao restituerit, unde secuta est quæ nunc fruimur & quā tātopere cōmēdauimus, ecclesiasticæ societatis unitas. Quāuis eius rei gloriā plericę B in alios detinēt, quorū opera ea fuit, quæ solet illorum esse qui fugatim ab alijs sessumcę termini intercipiunt. De his ergo & alijs quàm plurimis rebus cumulatissime putandum illi erit, qui Fridericum nostrū digne pro meritis laudare decreuerit. Sed non sunt hæc onera quæ nostris humeris cōmitti debeant. Satius est tacere quàm maiestatē tanti principis leni ut nostra est oratione percurrere. Prætermittimus igitur morem ab alijs seruatū, & obmissis hoc loco tuis ac Cæsaris nostri laudibus, ad ea ueniemus, quæ coram te dicere ac agere iussi sumus, munuscę nostrum quābreuiter absoluemus. Sane cū accepisset Fridericus Imperator, sanctissimæ atcę indelibilis memoriæ. N. Papam & prædecessorem tuum ex hac mortali luce migrasse, complens illum diē luxit: Non quidem eius causa quem pro suis gloriosis operibus & animi rectitudine in concilio beatissimorum spirituū, & in regno Dei cum Petro & Paulo iam receptum non dubitabat, sed propter rempub. Christianā, cui mortē N. hoc tempore funestissimam existimabat, timēs ne pro successoris electione sacri senatus opiniones in diuersa tendentes, incōsutilem Christi tunicam scinderēt, & imminēti ceruicibus nostris hostili gladio uires adijcerēt, quod licet de tanto lumine non esset credibile, quia tamen acciderant aliquando peiora, non fuit absonum formidare similia. Sed quemadmodum ex præmatura & infausta migratione tui, prædecessoris mœrorem accepit Cæsar ingētem, ita ex tempestiua & felici uocatione tua summū gaudium maximamcę lætitiam adeptus est: Nouit e- C nim te Cæsar cum adhuc in minoribus ageres, & cum se uisitatum in hac urbe suæ coronationis adisses, quantū intellectu & doctrina, & præsertim ciuili sapiētia quæ mūdi gubernatrix existit, quantū cū magnitudine & uitæ sanctimonia ualeres diligenter expendit: te unum esse iudicauit, qui B. P. locū iuris meriti aliquando teneres: quod nūc ex cō cordi uolūtate sacri senatus impletū cognoscit & gaudet. Ac cū serenissima conthorali sua Leonora prudētissima et sanctissima fœmina, quæ de tuo pontificatu maximo incredibiliter exultat, festos dies agit illos, quia secum serio triumphat quod tu solus es, qui post Gregorium XI. per annos LXXX. & amplius sine competitore certus & indubitatatus B. P. sucessor inueniaris. Ea propter lætus de nuncio tuæ assumptionis Cæsar felicitus pro debito recognitionis, nos duabus de causis ad te te misit. Prima est ut, p uetusto more Sanctitatem tuam recenter assumptā, suo nomine ueneremur: Secunda ut defendendam contra Turcos catholicam ecclesiam tuæ beatitudini cōmendemus. In primo negocio non est cur immoremur, faciat Imperator quod se decet: accipiat tua pietas quod tibi debetur. Nos igit iussioni parentes eius nomine, qui sacro Romano imperio præsidet, Sanctitatem tuā domini nostri Iesu Christi locum tenentem in terris, ac in gratiam & ducem uniuersalis ecclesiæ, recognoscimus te certum & indubitatum B. P. succeslorem & pastorem dominici gregis: Te sanctorum Euangeliorum uerū interpretē:

Te doctorem salutarem: Te clauigerum æterni regni cœlestis profitemur. Tibiq; omnem reuerentiam & obedientiam exhibemus, quam Romanorum Imperatores prædecessoribus tuis canonice intrantibus præstare comperti sunt, siue iure siue consuetudine suadentes: quod quantum nobis præmissum sit præsenti sacra litera docebitur. Nũc de secunda nostræ comissionis causa transigere oportet, hoc est de tuendo nomine Christiano contra Turcos, non dico Teucros. Nunquam ego huc erroris prolabor & ut genti barbaræ atque immundissimo nomini eorum attribuam qui Romani populi patres habentur. Theucri enim ijdem & Troiani fuerunt, à quibus exortũ genus Meãdrum, & gens Iulia profecta Romanum fuderat imperium. Turci autem etsi nunc occupant loca quibus fuit Ilion, & Neptune Troia, Scythæ tamẽ ab origine sunt, qui regnãte apud Francos Pipino in Asiam migrauere, Eãq; pedetẽtim prouinciam sui iuris fecere. Gens spurcissima & ignominiosa fornicaria in cũctis stuprorũ generibus tunc quidem idolorum cultrix, nunc impij Mahometi sectatrix: Hæc hostis pessima nostræ religionis. Quomodo autẽ debacchati sunt tẽporibus nostris Turci in Græcia, & quo impetu Constantinopolim expugnauerũt, Galathas deleuerint, Rastiam quæ superior olim Misia dicebatur, oppresserint, In Peloponnesum. In Euboeam cum exercitu uenerunt cunctisq; per circuitum Christianis uincula, uerbera, neces comminati sunt, non est propositi nostri nunc commemorare: Satis enim & in Ratispona & in Franckfordia & in Noua ciuitate, & Apostolici & Cæsarei & aliorum princípũ legati ruinam Græciæ, ecclesiæ nostræ uulnera defleuerunt. In hoc etiam adiutorio non me fugit sæpe de his rebus orationes habitas esse, & ab illis quidem dissertissimis uiris, quibus si uelim æquari dicendo manifeste desipẽrem. Nunc uero non uerbis nec lachrymis, sed armis regum & populorum est opus. Quæ autem hactenus aduersus hanc Turcorum insolentiam, pro tutela fidelis populi tentauerit Imperator, optime nouit tua Beatitudo. Nec te latet promissa fuisse Vngaris subsidia quæ p̃terierunt. Sed quæ iam ratione perturbata sunt eius consilia, & quibus artibus impedita sit hoc anno in Turcos expeditio, malo tecũ cogites quàm extra me publicè audies. Illud tamen non reticebo quæ Franckfordense concilium facienda decreuit, duabus conditionibus subnixa fuisse: altera ut certitudo classis Italicæ quæ cum terrestri exercitu concurreret, suo tempore haberetur: altera Germanorum controuersiæ quæ possent impedire pactum, de medio tollerentur. Primam conditionem irritam fecit tui prædecessoris obitus. Secunda ne posset impleri ab his procuratum est, qui ex publico malo proprium cõmodũ quærunt. Atq; ita dum Christiani cunctantur Turciq; properant, religionem nostram funditus delere nituntur, qui non contenti uicisse Græciam Vngariæ nobili regno imminent. Vngari uero magnanimi & fideles populi annis supra LXX. hunc hostem perpessi, nunc uicti, nunc uictores suum sanguinem tutati sunt, qui cum nos seruant, optimates suos cum regibus & pontificibus miserunt. Nulla domus in Vngaria est digno nomine qui duobus nouissimis bellis contra Turcos habitis egregium & fortem aliquem uirum non deplorauerit. Hodie uero non est hoc regnũ quod Turcorũ impetũ sustinere possit: Attenuatum atq; externa indiget ope. legati eius & in Franckfordia & in Noua ciuitate cum Cæsare superos atq; homines testati sunt, si reliquorum Christianorum præsidia sentiũt, se iterũ atq; iterũ belli pericula subituros. Sin relinquant à nobis leges accepturos, quas Turci dederint: Neq; enim consilium eorum est sine spe uictoriæ, urbes & agros igni, uxores & filias lupanari, sua & liberorum capita hostili ferro committere, quocunque tandem modo ad hostes Vngaria defecit. siue Italiam siue Germaniã percurrere ac prædari uoluerit, in utranq; terram patenti porta aditum habet. Murus uero Vngaria est & antemurale fortissimum, siue clipeus nostræ religionis, sub quo longe iam protecti sumus. At hic nunc clipeus nobis subtrahitur: Murus uero bombardis & arietibus quatitur, & nos de remedio anima nulla remordet. O ingratitudinem nostram quam nunc uicem defensoribus nostris reddimus Vngaris. O stultitiam populi Christiani: O cæcitatem atque amentiam, ab externis inuadimur hostibus, & nos in ciues arma conuertimus. Sed digne patimur pro nostris iniquitatibus. Nulla intra nos concordia: nulla

A nulla obedientia est, neq; spirituali neq; tẽporali paremus capiti. Iacet spreta religio iustitiæ: Nullus honos, fides pene incognita, sed rex quisq; sibi aut põtifex esse uidet. quot capita tot sententiæ: Scinditur incertum studia in contraria uulgus. Illic Germaniam mille conturbant lites: inter Galliam & Angliam uetus odium uiret: Hispaniæ reges immutat ambitio: Italiam magno labore pacatã, nouus iã turbo concutit: Noua exurũt apud Senas incendia. Quid speremus? his moribus procuratores Mahometi sumus. nam ipsi patefacimus hosti, & terga nudamus quæ feriat. Quid tanta inter uos est inuidia & maleuolentiæ pestis tantum uenenũ, tanta rabies ut uidere uidear complures nostræ religionis homines seruire Turcis malle, quàm Christianum ferre aliquem principem. Tot demũ sunt in Christiano populo uectigalia, tot pecuniarum extorsiones, tot rapinæ, tot principum ne dicam tyrãnorum nostrorum in subditos contumeliæ, ut magnopere uerear, ne uenienti Turco & onera relaxanti, plebes nostræ libenti animo colla submittant, maxime uero si ut est callidus hostis libertatẽ de fide fecerit. Sed ò Christianum populum, ò plebem electam, ò uineam domini sabaoth, ò Christi hæreditatem, ò testamentum, ò regnum Dei, quo nunc redacta es Christiana societas? Ex quatuor patriarchalibus ecclesijs Christiana subnixa fides, in orbem uniuersum palmites extendit. Maiores nostri duas per ignauiam & secordiam cum Hierosolymitana sede turpiter

B perdiderunt, nos tertiam, & illam quidem quæ post Romam secunda fuit, in qua tot nobilissimi Imperatores, tot sancti pontifices claruerũt, tot generalia concilia celebrata, tot sacri canones editi, tot sacratissimæ leges promulgatæ sunt nõ minori damno, tamen desideria prorsus amisimus. Euangelium Saluatoris quod in omnem terram intonuit. sola iam audit Europa, nec ipsa quidem omnis. In occidenti Saracenis premimur: Septentrionis magnam partem cæca gentilitas inuasit: ex Oriente quæ Græcia protenditur Turci nos pepulere, prope est nisi uigilamus, nisi consurgimus, nisi Deus adiuuat, nisi tua Sanctitas ut temperet animose occurrat, ut & huc tuum thronum, & quicquid restat Christiani nominis Mahometus occupat, qui iam sine resistentia terræ dominus ac maris esse uidetur. Aduersus hanc pestiferam bestiam & aduersus hæc mala conatus est Imperator, ut nosti, remedia cõquirere. Sũt præcepta, sunt eius ut ante dixi, consilia: non proposito cadit, neq; animo deficit: deceptus est non defatigatus. Hac non successit, alia aggredietur uia, quæcunq; ut Imperatori Romanorum, ut aduocato ecclesiæ, ut protectori fidei orthodoxæ, ut Austriæ duci, ut religioso principi, ut homini Christiano incumbere uidentur. procuranda religione minime postergabit. Sed quoniam propulsare Turcos, & illatã Christianæ plebi cõtumeliam ulcisci omnino opus est, omnium fidelium magnoq; sumptu & magnis uiribus indiget. Supplex orat tuã Beatitudinem Cæsar quæ Christi uicarium gerit, ut antequàm hostis appropinquet magis

C unà secum ad ea intendas animum, per quæ Christiani potentatus inter se pacem tenentes, aduersus infideles arma conuertant, & cõmunem hostem ex Europa deturbent. Quod licet difficile uideatur hac infelici tempestate nostra, in qua tantopere diuisi sumus, nihil est tamen quod diligentis hominis studium non perficiat. Vigilanti, instanti, urgenti, pro uoto cuncta succedunt, labor improbus omnia uincit. Incidisti beatissime pater, in hæc luctuosa, & ut ita dixerim, fastidiosa tempora, quæ fidem catholicam penè concussam, & undique laniatam Christianam plebem ostendunt. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito, quo difficilius, eò præclarius ages. Non est impossibile, si mihi credis, Constantinopolim, totamq; Græciam de manibus Turcorum eripere, si modo his itineribus incedamus, quæ sunt aptissima, neque mari, neque terra Christianæ potentiæ Turci sunt pares, & hominibus & equis & nauibus & curribus, & quibuslibet armis & rei militaris peritia superiores sumus & auro. Quot si armetur Christianum robur, fugient hostes sicut stipula à facie uenti: Sarmatiaq; nostris relinquent spolia sine uulnere & sanguine. Mira res, neque facultas nobis deest, qua possumus Turcos exterminare, neque uoluntas. Nam uiribus multo quàm illi præstamus, & nemo est Christiano nomine insignitus, qui nolit perire Turcos. Quid

igitur obstat? cur stamus? cur non exurgimus? cur non defendimus plebem nostram? D
cur non propulsamus iniuriam? Sed unum nobis de istis inquirendum est, quo habito facile terrebimus & consternemus hostem. Hoc unum est ordo sine quo nihil est, quod ualeat rite explicare. Ordine caremus beatissime pater & modo. At nunc tua interest & nostri Cæsaris, adhærere rebus agendis. Nisi enim uos duo luminaria magna, uos primi orbis capita, uos sal terræ & mundi præsules, ordinem ponitis quo Christianæ uires in hoc opus uniantur, non est q̃d uel nos speremus uel Turci timeant Christianũ conflari exercitum. Age igitur summe pontifex, fortem sume animum, erige nobilissimam mentem, laudatissimum illud in omni gente uulgatum, quod in assumptione tua uotum emisisti ante oculos semper habeto. Intelligis quod Cæsar promittit clarissimũ illum Aragoniæ Regem, potentia & sapientia incomparabilem in hoc opus ualentissimum habes. Philippo duci Burgundiæ nobilissimo & pijssimo maximis rebus comparãdo, nihil magis cordi est quàm pugnare in Turcos, Vngari auxilia expectant, belli fortunam sub tuo uexillo iterum experituri. in Germania multi sunt principes qui corpora sua aduersus hos hostes deuouere. Carolus Rex Francorum & re & nomine Christianissimus, suorum progenitorum uestigia non deseret, quorum fortia facta omnis decantat ecclesia. Neq; fortes ut opinor, Anglorum manus deerunt. Castellanis & Portugalensibus rerum gestarum clarissimis innatum est pro fide certare: Voluntarij sunt & prompti omnes populi pro Christi fide arma suscipere. Sed omnes in te oculos direxere: omnes ex te modum atque ordinẽ expectant. Exurge igitur aperi ecclesiæ thesaurum: aperi cœli portas, promitte dignam labore mercedem. Effunde largiter spiritualia dona in Christi milites, mitte operarios in messem domino ditissimam metent. Hoc tuum est opus hoc est in quo Deo possis & hominibus complacere. Scio multos tibi deberi titulos, post quã cœlũ potieris: sed nullius illustrior sacrosãcto tuo inscribi poterit quã si perditæ sub prædecessore tuo Cõstantinopolis recuperator & ultor communis iniuriæ uociteris. Atque ut aperte dicam quod sentio: Hæc certissima uia est per quam Christiani reges & fideles cunctæ nationes, tibi ut Christi uicario ceruices suas libenter inflectant, si defensionẽ fidei nostræ fortiter & magnifice suscipias, & quemadmodum fouendo Italiam, pacem iuuando, & sapientissimos legatos designando, spem dedisti exterminandum Turcorum sedem, & impiam gentem totis conatibus erectus atq; intentus esse uideare. Pleraq; alia ad rem hanc idonea, semotis arbitris cum tuæ pietati uidebitur latius exponemus. E

Oratio Aeneæ coram sanctissimo Senatu Cardinalium Imperatore coronato pontifice, & eius nomine ad Passagium inducendum, Epist. CCCXCIX.

MOyses uir Dei, beatissime pater, maxime pontifex, cum sibi successorem ordinaret Iosue filium, Num diuinam uocem ad se dicentem audiuit: per hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet dominum, ad uerbum eius egreditur & ingredit̃ ipse, & omnes filij Israhël cũ eo & cætera multitudo. Quibus uerbis nõ populi solum sed reges & principes mouentur, magnis in rebus summi sacerdotis consilium quærere & imperium sequi. Quod postmodum & in nouo testamento ac in tempore gratiæ multis exemplis & autoritatibus est firmatum. Sicut & Constantini magni & Theodosij, & Iustiniani, & aliorum Christianorum Cæsarum gesta testantur. Eã ob causam cupidus atq; auidissimus Cæsar diuus Fridericus Romanus Imperator augustus filius tuus obsequentissimus, suo tempore aduersus impios Mahometi cultores generale passagium fieret atque in illud suum studium suasq; curas omnes cõuertere, te prius magni Dei uicarium, Christianæ plebis sacratum, religionis magnum caput profectum ducem, optimum rectorem, ueracem magistrum consulẽdum, audiẽdum & sequẽdum censuit. Cuius prouidentiam uestra autoritas mouere, potestas implere potest, quid sit agendum. Venit igitur hodie ad te tuumq; sacratissimum senatum Cæsar super uniuersali passagio, cum tua Beatitudine locuturus. Coronatus enim iam triplici corona, eiusq; regni tua beneficentia Rex confirmatus, F

cuius

A cuius potentiã Daniel ferro comparauit, cuius limites solus claudit Oceanus, cuius fundator Romulus, confirmator Iulius, amplificator Augustus, approbator dominus Iesus fuit, cuius autoritas in terris nisi tuæ cedit nulli: Cuius officiũ est parcere subiectis, & debellare superbos. Quid aliud cogitat quàm passagiũ, per quod & Christiani fortiores, et inimici Christi nominis creduntur imbecilliores. Princeps inquam sapiens, quæ sunt digna principi cogitabit. Reges apud Medos ut Herodotus inqt, apud omnes ut Cicero sensit, iustitiæ fruẽdæ causa creati sunt, uelut iniuriarũ propulsores: qui si prælatũ auscultare uolũt, cæterisq; philosophis recta monẽtibus obedire. Procurationem reipublicæ, non ad suam, sed ad eorum qui sibi commissi sunt, utilitatem gerere dicuntur. Atque hoc est quod de passagio Cæsarem & solicitum & anxium fecit, super qua re dicturus eo quæ mihi sua maiestas imperat orationem meam in tres partes diuidam. In prima dicens quid sit passagium quod quæritur. In secunda cur petatur. In tertia facile ne passagium fructuosum sit futurum. Quibus in rebus si longior fuerim, cum rerum magnitudini uerba comparantur, sic fortasse breuior uidebitur, ero tamen reuera breuis, quoniã Empedocle teste sola breuitas commendat indoctos. Sed iam primum absoluamus, passagij uocabulo nihil aliud designamus quàm expeditionem militarem numerosissimam aduersus infideles per Christianos

B indictam, quam si consequuntur cruce signati, plenariam peccatorũ omnium remissionem merentur. Appellaturq; passagium sermone Italico quasi transitus. Nam sicut aues quædam gregatim certis anni temporibus de regione in regionem trãseunt, dicuntur quoq; passagiũ facere: & Christiani nõnunq̃ sumptis armis turmatim incedentes, atque in hostes fidei ex apostolicæ sedis iussu prosilientes, & uisi & Dei dicti sunt passagium habuisse. Neq; uerũ passagiũ uideri potest, nisi multorum fiũt populorum, qui migrare magis nouas sedes quæsituri quàm bellaturi uideantur. Sicut Cymberorum in Italia inundatio, ad Gothorum & Hunorũ excursio. Habemus quid sit passagium. Nũc cur petatur exponamus. Tria sunt quæ Cæsarem passagij cupidũ reddant. Commiseratio, utilitas, atq; honestas rei. Vnde uero commiseratio prodeat, paucis (aduerte) docebo. Quis infirmatur, inquit apostolus, & ego non infirmor? Qui uidit afflictos & nõ affligitur? cuius pectus adeò durum est, ut dolentibus non condoleat? gementibus non congemat? tristantibus non contristetur? Cæsar quidẽ postquam discretionis attigit annos, cœpitq; noscere nostræ fidei sacramentũ mox religionis induit zelum, cœpitq; rebus omnibus diuini cultus augmentum præponere, quod sibi & suæ naturæ bonitas & nobilitas sanguinis suadebat. Nam domus Austriæ principes inter quos plures ac reges ac imperatores floruerunt, tunc sibi prospere succedere sperauerunt, cum diuino nomini bene & constanter famulati fuissent. Quorum uestigia

C Fridericus secutus defunctis parentibus quàm primũ tutelã exiuit, ut locũ uideret in q̃ nostra redẽptio celebrata est, adhuc adolescens transmare nauigauit, contexitq; pelagus digitis, aspexit locum ubi natus Saluator noster Christus. Vbi positus in præsepio, ubi præsentatus in tẽplo, ubi baptizatus, ubi tentatus, ubi prædicauit, ubi Lazarũ suscitauit, ubi cœnauit, ubi captus, ubi derisus, ubi iudicatus, ubi crucifixus, ubi sepultus est, & ubi ascendit in cœlum. Quid multa dicam? osculatus est Cæsar terram ubi fuerunt pedes eius qui nos redemit. Sed quo tunc animo fuisse arbitraris cum spurcidos illic Saracenos, immundos horridosq; damnari uideret, sanctissima loca possidentes? quid aliud dicere poterat nisi propheticum illud: Deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam. Polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, Et iterum: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est uidua domina gẽtium. princeps prouinciarum est sub tributo. Proh quãtum urgebat angebatq; Cæsarem ciuitatis huius oppressio, & illorum qui sunt trans mare Christianorũ conculcatio. Sed quid Græcia literarum mater? Inuentrix legum, cultrix morum, & omnium artium bonarum magister? Quem non miseret gentis illius afflictæ oppressæ, pessundatæ? Cuius imperium non sub Alexandro Macedone solum suisq; successoribus, sed sub Atheniensibus, Thebanis ac Lacedæmoniensibus

olim florentissimum, & potentissimum fuit. Nunc ubilibet effœminatis turcis seruire coacta est. Quid regnum illud Vngariæ nobilissimum: terra antiqua, potens armis atque ubera plebe. Heu quanta passi sunt Vngari diebus nostris, qui dum nostrum seruant sanguinem, fudunt suum: quorum pectora nostri sunt muri. Obligamur recte omnes Christiani Vngaricæ gēti qui pro nobis mortificantur tota die, & facti sunt sicut ouis occisionis. Et cum præsentem illorū Regem puerum, pupillum, orphanum, Ladislaum nobilissimum & regum & Imperatorum prolem, qui suo regno suisque subditis, auxilium nunc tam Sanctitatem tuā quam Cæsareā, suæ preces lachrymæ moueāt. nam illi genti postulat auxilium, quæ toto, Christiano populo affert præsidiū. Accidit ut aliarum calamitas prouinciarū Massagetæ & Scytharum quàmplures populi Liuoniā uexāt. Mauri uero paruum Hispanorum occupant regnū Ciliciam Cammiarius in syluas Ciprum Rethum, Crethum. Siciliā quare & ipsa Italiæ littora barbarorū sæpe classes inuadūt aspernantque Christianos. O nostram maximam negligentiam, ò tempora, ò mores. Dum gentiles fuerūt Cæsares & idolorū cultores, augebat indies credētiū numerus. Nūc cū Christiani sunt Reges Imperatores, duces, minuit cultus Christi. Qui totū fere orbē cōpleuerat, in angulum Europæ deductus est. Affricā & Asiam amisimus. Europa quoque conculcatur cur hoc refriguit ardor, tepuit charitas. Proh dolor maior est Saracenorū ardor in sua perfidia quā noster in fide zelus. Cernimus Christianorū iniurias & tacemus Opprimit, iugulat nostra religio, et auertimus oculos. Sed alius est Cæsaris animus, aliaque arbitrat tuam esse mētem. nā qui nō defendit oppressos, aut amicos, aut patriā deseret, quod ne tibi ne'ue sibi quispiam imputet, passagium expedit in quo magnam utilitatem esse intelligit subuenire laboribus, Vngaros liberare, Grecos à seruitute propagare, diuinum cultū, sanctam terram ex manibus impurorum uendicare: monstrumque illud & abominabile idolum Mahometi exterminare. Vnde placentes immarcessibilem cœlestis regni coronam adipiscantur, En magnam utilitatem. Sed nō est uera utilitas honestatis Maiores nostri iustum bellum gerere honestam rem censebant. Erat autem belli æquitas sanctissimi senatus pro iure descripta, denūciata, quæ bella indicta iusta putabāt. In quibus qui uiriliter pugnassent, non uiuentes solū, sed ocumbentes quoque honore dignos gloriososque iudicabant. Quid de hoc bello dicemus quod non terrenus homo, sed diuinus Imperator indicat: In quo non impij sed diuini cultus propagatio quæritur: In quo fides catholica defenditur, & honor Saluatoris nostri, qui cū in forma Dei, nō rapinā arbitratus est esse se æqualem Deo, sed formā serui accipiēs, seipsū exinaniuit, factus obediens usque ad mortem, mortem aūt crucis, ut nos de diabolica seruitute redimeret. Et tumet aduersus eos Mahomet et inflatur, cornua erigit, & nos quiescimus. An nō arma pro Christo sumemus? qui pro nobis sumpsit humanitatē? Maxima esset ingratitudo nostra, si nō ad incertam mortem pro Christo iremus, qui certam pro nobis tulit: si non illi uitam offeremus à quo suscepimus. En bellum honestissimum in quo patris, in quo domini, in quo magni Dei causam tuemur. In quo qui uitā temporalem amittit, acquirit æternam, & famam clari nominis adipiscitur sempiternam. Quid plura? tantum obestis, ut non sit gloriosum pugnare pro fide, ut infame fœdumque sit non pugnare, quando necessitas urget, sicut iam grassantibus undique in fratres nostros Saracenis, & nomen Christi magna crudelitate atque immanitate persequentibus. Et tantū de secunda parte dictum, in qua cur passagium peteretur monstrandum fuit. Supererit nunc de possibilitate congregandi passagium, deque spe fructus dicere. Plurimi sunt Beatissime pater qui cū nominari passagium audiunt, Ecce uetus somnū inquiunt, uetus deliramentum, inanes fabulas. Verum Vrbanus antecessor tuus cum uexaretur à paganis orientalis ecclesia, Saracenique tum illā conculcarent, motus Alexij qui Constantinopolim tenebat, & aliorum Christianorum, qui sub tributo Turcorum uitam degebant precibus igni & laborioso itinere in Galliam profectus maximum exercitum congregauit, atque hominum trecenta milia, ut Otto Frisingensis scribit, non futilis autor in Græciam, Asiam, Syriamque transmisit, quibus mille Saracenorum uires obsistere ualuerunt, quando & Antiochiam expugnauerunt & Hierosolymam obtinuerūt. Vnde adhuc Vrbani qui eò uocauit passagium

A passagium, & Gotfridi qui indixit, illustre nomen habetur. Sed pensemus hodie an spes bona possit haberi passagij, quando nemo sciens impossibilia tentat, neque aggreditur quisquam quod assequi desperat: Magnũ facinus spes nutrit, quid hic respondemus? duo consideranda sunt: unum an Christiani facile possint in passagiũ trahi: Alterũ an inchoata passagio spes sit magna uincendi. Nam quamuis omnium bellorum dubius sit exitus, nunquam tamen cõmittendũ est bellũ sine spe quadam, & argumẽto uictoriæ. Ne (sicut (Octauianus Cæsar prouerbium habuit) aureo piscari hamo uideamur, in quo maior damni quàm lucri ratio possit haberi. Difficile ergo primũ uidetur Christianos qui inter se sunt discordes, apertisq; fragrant odijs, in unam passagij summã ducere. Sed q̃d multi obstare putãt passagio, sapiẽtia Cæsaris conducere indicat: Omninoq; si pax Christianos haberet, incassum quietos principes atq; torpentes populos excitaremus. Neq; utiles bello manus inuenirent, timerent mortes, ferrum neq; signum, neq; tubam ferre possent: Nunc uero excitato bellis populo ultro sese offerent, facilius ex bello uocatur bellum quàm ex ocio miles. Bonũ est uiro, sicut propheta testatur cũ portauerit iugum ab adolescẽtia sua. Quis Christianorũ est postquam pugnare oportet, qui nõ potius in Turcos quã Christianos stringere gladiũ uelit: Placebit omnibus arma in Saracenos uertere, patriam ut qetam relinquãt. Et fortasse unica parandi Christianos uia est cõuocatio passagij. Martiales enim et feroces Europæ populi nescientes

B quiescere, nisi aduersus exteros p̃lientur, in se manus uertunt. Qua ratione ductus olim Cato, excidi Carthaginem dissuadebat ne pacem habentes, in circuitu Romani in sese ruerent. Sicut & Reges Israël uictis hostibus mutuis recidere uulneribus. Iam pacẽ ergo ut habeant Christiani, bellum inde in exteros est transferendum. Ad quam rem neq; Germanorum illustris animus, nec cor nobile Gallicæ gentis, neque mens sublimis Hispanorum, neq; honesti cupidus Italorum deerit spiritus. Omnes quod tua iubet Sãctitas, cõstanti animo exequẽtur. Quis dubitat fieri passagiũ q̃d Romani pontificis autoritate decretum, & Imperatoris mandato fuerit cõuocatũ: Videor uidere rem perfectam nec me dubium habet ullum. Si tu uerbum apponis, Cæsar adijcit manum. Nam si quis obedire neglexerit uel tuis iussibus uel Cæsaris imperio compelletur. Sed dicit fortasse quispiam quod Braccius, quamuis hostis ecclesiæ aliquando tantum uir sensatus frequenti sermone usurpare solebat, tribus potissime rebus bellum indigere. Et horum trium unum esse pecuniam, Vbi ergo corrodemus aurum ad tantum & tã longinquum bellum necessarium? Sunt & modi in promptu huius inueniendi argenti quos uulgare non expedit. Illud dicere possum: Ciuitates quæ ob eam causam bellum suscipiũt, ut sine minis in pace uiuant, libenter passagij contribuant curas, ut pacẽ nihil insidiarum habentem consequi possunt: non erit difficile conuocare passagium. Nec

C rursus spes magna uictoriæ deerit. Nouit Maiestas Imperatoria Turcorum Assyriorũ Aegyptiorumq; gentem: imbelles, inermes, effœminati sunt, neq; animo neq; consilio Martiales: sumenda erunt spolia sine sudore & sanguine. Quis truncatos mitratosq; Turcos, aut Brachatos timeat Aegyptiacos? quos Rabsaces ad Ezechiã legem loquẽs bacculo arũdineo cõfracto cõparauit. Quod si aliq̃ndo nostri exercitus uicti ab eis sũt, neq; uirib9 neq; rei militaris peritiæ, sed innumerositati hostiũ ascribendũ est. Quoniã si Christianorũ copiæ tot fuerint, ut opprimi à Saracenorũ multitudine nequeãt, & q̃d passagij nomẽ exposcit, certa nihilominus in manibus erit uictoria sicut prisca exẽpla nos instruũt. Iuuabũt & diuisiones eorũ, et odia quæ in Tartaris habẽt assidua certamina. Iuuabit & gentis illius desperatio. Nã & Mahometũ cui maxime credũt sectã suam in octingentos usq; annos augẽdam, exinde diminuendã afferunt prophetissæ, qui sub Heraclio Cæsare malignari occepit, postquã supputant anni XL. & octingenti & hoc Turcos admodũ territat, Christianos eleuat. Nã etsi falsus ꝓpheta Mahometus est, nõ est tamẽ falsũ uaticiniũ æstimãdũ, q̃d Hieremiæ sacris sermonibus cõsonũ esse uidemus dũ L. caput libri sui, quasi tuam Sanctitatẽ ac Cæsarem hortatur: Nolite tacere super iniquitates eius, quoniã tẽpus ultionis est dũmodo uicissitudinẽ ipse retribuet ei. Possem

ad hanc tamẽ plura deducere, sed neq; doctissimis tuis auribus, neq; reuerendissimis sapientissimisq; patribus, qui assidẽt danda sunt uerba: satis est nobis absoluisse ea que promisimus, ea que Cæsarea Dignitas dicturũ me uoluit. Intelligis Christi desideriũ suum, integrum propositum Cæsaris mentẽ intueris, totũ tamẽ & cõsilio & iudicio tuo relinquit. Cæsar cum esset hac uice apud tuã Beatitudinẽ, noluit hãc rem intactã relinquere, quæ sibi ab ineunte adolescẽtia semper cordi fuit: Alius autẽ conciliũ generale petiuisset, aut informationem, decreta aut aliud quippiã. Cæsari suscepta ex tua sacra manu imperiali corona, nihil antiquius uisũ est quàm de passagio tecũ agere. Quod si fortasse prima fronte arduũ uideat, nihil tamen est tã difficile quod quærendo non fiat facile, uirtus circa difficile operatur. Asperis in rebus & uir noscitur & gloria quæritur: quæ magno animo & fortiter excellenterq; geruntur. Nescio quomodo pleniori bucca laudare solemus, clari & illustres sunt tituli tui Beatissime præsul qui unionem feceris, Iubileum indulseris, Cæsarem coronaueris. Passagij tamen titulus & dignior & diuturnior omnibus erit quem ne successori relinquas, & Cæsarea Sublimitas suadet, & omnis Cristianitas orat, & tibi coronato Cæsare quamuis incumbant nihil tamen est de quo uel utilius agere, uel gloriosius quam de passagio possis. D

Gregorius Heymburg denunciatur excomunicatus. *Epist.* CCCC

Pius papa II. Dilectis filijs Burgimagistris & Senatui oppidi Nuremberg. *S. & A. B.* E

SAluator humani generis in hunc ueniens mundum ut ex mortalibus genitus, Dei filios & sibi ipsi in sũmi patris sui regno cohæredes efficeret, unum ex omnibus fidelibus in eum credentibus regnum constituit, idq; unam ipsius ecclesiam nuncupauit, cuius ipse caput esset & regnator sempiternus. Visibilẽ uero humanis oculis præsentiam sui per admirabilem ad patrem omnipotentem ascensum, mundo subtracturus, Petrum apostolorum principem eiusq; legitimos successores, uicarios sibi cũ plenitudine potestatis ad propriæ gubernationẽ ecclesiæ substituit, tribuẽs omnimodam per temporalẽ successionẽ uicarijs in terris ac ipsis in cœlis omnia ligãdi soluendiq;. Præcipiensq; districte ipsos audiri, & in eorum iussionibus permonstrari. Quod si qui transgressores ueneno imbuti eos non audirent, huiusmodi omnes pro exclusis à suo regno eiectisq; à sancta ecclesia inter ethnicos & publicanos, cum perditionis & mortis filijs uoluit computari. Cum enim nullum regnum, ut ipsius domini nostri uerbis didicimus, in se diuisum stare possit, quo nam modo sacrosanctum stabit ecclesiæ regnum, si illi qui Christi supremi Regis uicario parere contemnunt, de regni non ualeant forte depelli. Aduersus hoc inquassabile fundamentum & ecclesiæ firmam petram hæresis quædam à paruo tempore citra sensum uisa, suboriri, pullulauit, quæ sub ouium uestibus lupos rapaces intrinsecus, celans sub appellationis speciẽ ecclesiæ satagit unitatem conuellere. Nam si qua Christi unicus uicarius canonibus sacris etiam & iuri scripto inhærendo decreuit statuitq;, & seruari ut dignum est, præcepit, calumniatores maleuoli & peruersi subterfugere iustitiam præsumentes per ludibria friuolarum appellationum ad futurũ concilium, ceu ad id quod nusquam est, ac supra Christi uicarium esse aut reperiri nequit, obedientiã quæ est de necessitate ecclesiæ et salutis uniuersorum improbe declinant ac temere. Hanc igitur diabolico spiritu et instructu nouitatẽ exortam considerantes, in totius ecclesiæ catholicæ non tamen eneruationem, sed euersionem in Mantuano conuentu sæpe & multumue discussam de uenerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium pluriumq; aliorũ præsulum & peritorum qui aderant, maturo consilio et consensu illiusmodi appellationes damnauimus. Atq; ita appellantes, Notariosq; ac testes & adhærentes omnes excomunicauimus, læsæq; maiestatis hæresis crimina & penes eo ipso illos diffinicimus incidisse, prout in Apostolicis literis superinde confectis plenius continetur. Cæterũ his omnibus non obstantibus quidem ex patre diabolo mendaciorũ artifice natus Gregorius de Heymbur nomine, auaritiæ contaminatus illuuie, & superatus ardoribus, que est, seruitus idolorum. F

de mense

A de mense Augusti proxime præterito à nostra solenni declaratoria sententia qua Senis existentes, impium Sigismundum ex principibus Austriæ ob notorium sacrilegium propter hostilem persecutionem in personam dilecti filij nostri Nicolai tituli. S. Petri ad uincula, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri, Cardinalis & episcopi Brixinensis, & rapinam bonorum ecclesiæ illius perpetratum, iurisscripti pœnas declarauimus incurrisse, à nobis ad futurum concilium improbam, nefariam, temerariam, seditiosam, denique appellationem dictauit. Et illius interpositionis per dictum Sigismundum factæ, ipse dictator in originali instrumento Florentiæ ad ualuas ecclesiæ affixo testis inscribitur. Quod quia loquax ille præsumptuosus, et præceps, mendax, atque turbulentus, temerarius ob istud facinus excōmunicatus existit, criminaque & pœnas incidit læsæ maiestatis, atque hæresis, adeo ut ultra execrationem honore omni & bonis iure sit priuatus. Deuotiones uestras in domino requirentes admonemus, huiusmodi pestiferum hominem pro tali excōmunicato habeatis & priuato, à uestrisque ciuibus omnibus haberi mãdetis. Ipsumque non solum uitetis, sed procul eijciatis ab oppido & dominio uestro & bona quæcunque habet apud uos tã mobilia quàm immobilia fisco uestro applicetis, & alia omnia faciatis quæ contra hæreticos, de iure Canonico fieri mandantur. In q̃ uos nobis ostendetis exhibebitisque catholicos, sicut plene confidimus & Deo gratos ciues in talem perniciosum ecclesiæ Christi persecutorem uos fideles & sanctæ Romanæ ecclesiæ
B obedientes ostendendo. Nobisque in hoc eo magis deuotiones cōplacebunt quanto scimus plurimũ esse Deo charũ, & ecclesiæ suæ parentelæ ac in primis necessariũ q̃d profugus iste pestiferque sacrorũ contẽptor ab omni expellat̃ cõuersatione, & cõsortio Christianorũ: Facite nobis q̃d egeritis p̃ literas uestras rescribat̃, Datũ Romæ apud S. Petrũ sub anulo piscatoris, die XVIII. Octob. An. M. CCCCLX. põtificatus nostri anno tertio.

Absoluit Vratislauiensem & Namslauiensem à iuramento Homagij, Georgio Podibrat regni Bohemiæ nomine præstito, Epist. CCCCI.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, uenerabilibus fratribus Cretensis, ad *regnum Poloniæ terramque Schlesiæ ac Prussiæ nuncio, & Oratori sedis Apostolicæ & Gnezenensis Archiepiscopis, S. & A. B.*

HOdie motu proprio ex iustis ac fidem catholicam concernentibus causis, dilectos filios, clerum, capitaneos, consules, cōmunitatẽ Vratislauiensem, & uniuersitatem oppidi, Nampslaij ab Homagio præstando Georgio de Podibrat, ad nostrum & sedis apostolicæ beneplacitum absolutos fore declaramus, ac eos in nostram & apostolicæ sedis protectionem suscepimus, mandantes singulis Christi fidelibus cuiuscunque status seu gradus existant, sub pœnis & censuris ecclesiasticis, ne præfato Georgio contra Vradislaum, & Nampslaum uigore dicti Homagij auxiliũ, fauorem, &
C consilium præstent, quinimò eis tanquam catholicis & sanctæ matri Romanæ ecclesiæ obedientissimis omni consilio, fauore, ac potentia assistant, prout in nostris literis desuper confectis plenius continetur. Quocirca fraternitati uestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus uos uel alter uestrum & si postquã præsentes literæ uobis præsentatæ fuerint, per uos uel alium seu alios ipsas literas ac omnia & singula in illis contenta, in dicti regni ac aliarum partium uicinarum ecclesijs, Dominicis & festiuis cæterisque diebus quando & quotiens uobis uidebitur, solenniter publicetis & exponatis, seu publicari & exponi faciatis, ut melius & clarius intelligat̃ etiã in uulgari. Et nihilominus quaslibet personas quas excōmunicationis sentẽtiam occasione cõtrauueniendi prædictis literis nobis incurrisse cõstiterit, quotiens uobis opportunum esse uidebitur, tamdiu dominicis festiuisque diebus in ecclesijs cũ maior inibi populi multitudo cõtrauenerit ad diuina, excōmunicatos publice nũcietis, faciatisque ab alijs nũciari, & ab omnibus arctius euitari donec à cõtraueniendo destiterint, & literis prædictis obedierint, ipsæque personæ excōmunicatæ ab huiusmodi excommunicationis sentẽtia, absolutionis beneficiũ meruerint obtinere, nõ obstantibus omnibus illis quæ in prædictis literis uolumus nõ obstare. Aut si dictis personis uel quibusuis alijs comiter uel diuisim à dicta sit sede indultũ, q̃d interdici, suspendi, uel excommunicari nõ possunt per literas apostolicas non facientes plenã, & expressam ac de uerbo ad uerbũ de indulto huiusmodi

mentio-

mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticã, appellatione postposita, compescendo. Datũ Romæ ad sanctũ Petrũ, Anno incarnationis dominicæ M. CCCCLXIII. quarto Calendas Aprilis Pontificatus nostri quinto. D

Refert grates de munere oblato & poësim præconisatam reddit, conferétq; de Vladislao quo iure regnum Vngariæ occupauerit, Epist. CCCCII.

Reuerendissimo in Christo patri domino Sbigneo sacro sanctæ Romanæ ecclesiæ. *tituli sanctæ Priscæ presbytero Cardinali ac Pontifici Cracouiensi domino suo colendissimo, Aeneas Episcopus Senensis, S.P.D. seq; commendatum facit.*

HEraldus Alfonsi Regis Portugaliæ Nicolaus Chizastruustrij tuas mihi expectatissimas literas, cumq; his aduersus hyemis & aquilonis ferocem spiritum armaturum, egregiam reddidit uestem pelliceam mardurinam, in hac regione non solũ utilem uerumetiam necessariam. Confiteor magnum munus non tam recipiente quàm mittente dignum. Referrem tuæ liberalitati gratias, nisi scirem male reddi beneficiũ uerbis quod factis acceptum est. Sed cum sim ego ex his episcopis quos nostra Italia nutrit, quibus ecclesiæ fraudosæ magis quàm fructiferæ sunt, cogor tecum id agere quod priuati homines erga Reges factitant: Nam cum nec equos, nec tabulas pictas, nec theuromata remittere possint, animum illis offerunt. Sume igitur & tu animum meum, quamuis hunc tibi iam diu dicauerim, neque rem modo nouam afferam. Sed quid moror? partem beneficij magnam reddidit qui libenter accepit: Ego non modo libenter sed cupide donum tuum admisi, non tam quod preciosum est quàm quod à te missum claro & præstantissimo patre qui me nunquam uidisti, & tantum amare dignatus es. Sed hoc misso ad literas transeo: earum quia plurimæ partes sunt pro captu meo ad singulas ex ordine respondebo. In capite epistolæ tuæ quoniam diu ad me non scripseris, ueritum te ais, me tarditatem scribendi tuam sinistrorsum acciperem, rationemq; reddis cur tamdiu super epistolis meis ad te olim missis rescribere distuleris: Ego & si mille annos tacuisses, nihil tamen de te sinistri concepissem, neq; te mihi mutatum credidissem. Taciturnitatis aliam quamuis causam, quàm mutationem animi, reputassem. Scio enim te uirum constantem & in amicitia solidum, qui neque more adolescentulorum modo amas, modo odis, neque contra Theophrasti præcepta, postquàm amaueris de amico iudicas. Expendis hominem diu antequàm recipias, receptum toto admittis pectore & quasi te alterum colis, neq; si deceptus sis, statim abs te hominem repellis: dissuere inutilem amicitiam quam rumpere soles. Quamuis ergo conscius mihi sim, non esse in me uirtutem quæ tuam sustinere amicitiam possit, est in te tamen moderatio quæ illam facile ruere non sinit. Huc accedit quoniam literarum causa inter nos beneuolentia nata est, quæ licet in me tenues sint, postquam tamen amare cepimus, nihil illis detractum est: auctæ magis sunt quando neque me senem discere pudet. Itaque persuadeo mihi me tibi esse, qui ab initio fuerim siue scribas siue taces. Cum silere te uideo, tuas occupationes accuso: cum scripta tua recipio, dilectionem tuam cõmendo. Cur ego denique te tacentem arguerim, qui sum ipse nimium erga te tacitus? Accipio libens tuam purgationem ut excusationem meam tu quoque admittas. Scio quam multæ sunt Dignationi tuæ põtificales curæ, quæ sunt tibi cum tuo Rege negotia: noui te Cardinalem esse, & in Polonia post Regem primum hominem nulla sine te placita fieri: grauia queq; iudicia tuã sententiã expetere, neq; belli, neq; pacis consilia sine te discuti, pono ante oculos tuos quantum inter nos fluminum ac terrarum est, quàm periculosa itinera & obsessa latronibus, quàm pauci ex te ad nos ueniant, quibus committi tuto literæ queant. Ago meam causam dum tuam defendo. Da mihi & tu ueniam tacenti obsecro: non inuenio facile homines qui ad te rectà proficiscantur, nec audeo cuicunq; scripta credere, nec sum ociosus ut scriberem quàm frequentissime possim: nunc Cæsaris concilium, nunc apostolicæ sedis mandata me detinent: non sunt tamen tot mea neque tam arduã negotia quam tua: necesse est silentio tuo me parcere, ne si te scribendi tardum arguerim, me pigrum ostendã & desidem.

(E and F marginal letters)

Condo

A Condonemus igitur, & tuam negligentiam compensemus: Si tamen aliquid est quod tibi ad inertiam ualeat imputari, sit tamen ex præterito tibi mihiq; uenia, neque in futurum licentiam per tuæ taciturnitatis causam accipiamus: Fac quod modo fecisti: furare te regi & regno, & reipublicæ subtrahe manus. Aeneæ aliquando te præbe, itidem faxim ego: Neque Cæsar, neque Romanus præsul, neque si reuixerit genitor meus Syluius in me tantum imperium possidebit, ut tibi non aliquando subseruiam, scribam, & qua possum arte literatoria absentem me tibi præsentem reddã. Plurima mihi de commoditate literarum & scitè & prudentissimè commemoras, & doctè scribis, & uerè unicum est hoc inter absentes amicos solatium, cõiungit epistola quos terra mariaq; disiungit. Nusquam tam procul amicus abijt, ut literarum beneficio adiri non possit. O maximum & diuinum literarum donum, quod non modo longe recedentes amicos, sed quos aut nunquam uidimus homines seu uiuentes siue mortuos in nostrum reducit alloquium, & quos carne intueri non possumus, mentibus offert conspiciendos. O sanctos illos ac memorabiles uiros siue Phœnices siue alij fuerunt huius muneris inuentores, quo priscæ uiros ætatis & intueri possumus, & affari. Licet mihi si uelim nunc Alexandrum, nunc Darium cernere: possum Hanibalem, Scipionem, Cæsarem, Augustum uidere: illos mihi Curcius aut Arrianus ostendet, hos Liuius, Suetoniusq; B monstrabit: datur cuiuis docto Platonem, Aristotelem, Ciceronem, Senecam, Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Hieronymum, Gregorium, Augustinum, Ambrosium, & infinitam qui posteritati scripserunt, turbam audire loquentem. En quanta mortuorum turba nondum mortua est: non uidi ego te unquam corporeis occulis, ex amicorum tamẽ literis scio qua statura, quibus oculis, quibus manibus, quo pede, quo capillo es. Ex tuis aũt epistolis ad interiora ꝓgredior, & quæ neq; pingi neq; fingi possunt: Inspicio tuæ mẽtis impetus, omnes animi tui motus annoto: Quid speres intelligo, qđ metuas uideo, quare cõgaudeas quareq; tristeris aduerto. Totũ te mihi tuæ literæ exprimunt, nec minus apud te mearũ uirium esse considero dum mea scripta reuoluis, me intus & in cute noscis. Democritus actionis umbram dixit orationem esse, nec aliud epistola est: quamuis enim raro uiuant homines, ut scribunt, sentiũt tamen ita uiuendum esse, nec fieri potest quin animum suum prodat is qui plurima scribit, & sic sæpe uirtutis præconia commemoret, qui uitia sectatur. Vtamur igitur hac uicissitudine scribẽdi, & quantum negotia sinunt inuicem suauibus epistolis colloquamur. Id ego tibi de me spondeo, & tenebo si reddi uicem cognouero. Transeo nunc ad uolumen epistolarum mearum quod tua Dignatio multis uerbis & probat & magnifacit: Minime ego mihi tantum arrogo quantũ tribuis: longe ego ab illis absum quibus me cõparas, pareq; facis, sentio quã tenuis est mihi uena dicendi, quã breuis et inornata uerborum suppellex: C nulli de me magis quàm mihi credo: fateor tamen quia nudus sum & aperte loquor, non utor phaleris: uestẽ omnẽ reijcio, nec laboro cum scribo, quoniã non attingo res altiores, & mihi nõ cognitas: trado quæ didici. Facile se cæteris intelligendũ præbet, qui se ipsum tenet, præbere alteri lucẽ nequit, qui sibi tenebrosus est: Fugio nodositatẽ & longas sententiarũ periodos. Si assunt elegantia uerba nõ refugio illa cõtexere, si minus nõ quæro remotius, præsentibus utor, ut intelligar id solũ mihi studiũ est. Percipio tamen rudẽ & incõpertũ sermonẽ meũ esse, neq; dignũ qui doctas aures pulset. Ea ꝓpter cum meas epistolas ad te mitti petiuisses, substiti, diuq; dubitaui an tibi ꝓbato & doctissimo uiro meas ineptias aperire: uidebatur leue põdus qđ tuas manus incideret, pudebat me multorũ errorũ, neq; adhuc cuipiam fecerã copiã. Et quamuis aliquæ epistolæ meæ uulgo legerẽtur, non ego illas in lucem dederã, sed qui mecum cõuiuunt familiares, nunc has nunc illas furati ex manibus librariorũ in uolumẽ redegerant ediderãtq; sodalibus, existimantes aliquid esse quod nihil erat. Nam qui præter commentarios in Alexandrũ grammaticũ, & Brunelli poëtæ fabulas, & Buridani uulgarium dialecticorũ sophismata, et Troianam quandã historiam nihil unquam legissent, lucem esse in tenebris putauerunt. Atq; ut cæci ducatum monoculo præbent, sic rudes isti primas eloquentiæ partes mihi tradiderunt, qui nondum merui inter proficientes discipulos numerari.

Tuli

Tuli hūc honorem, & quamuis sciebam non posse durare inanē gloriam, nolui tamen ipsum me confundere. Impertiebar his qui ad me ueniebāt quantum poteram luminis, & si lactis aperire fontes non poteram, amicorum tamen sitim pura limpha sedabam. nō magna dabā mala, non ministrabam, non erant preciosa quæ tradebam, at neq; damnosa. Cumq; ingenia inuenissem sublimia quæ haustus capere nobilissimos apta uiderentur, his unde biberent scaturigines uiuas ostendi, Quintiliani, Ciceronis & aliorum quos Italia sequitur, uestigāda flumina docens. Patiebar igitur apud nouos eloquētiæ auditores æquo animo scripta mea reuolui, quibus contemptui esse non poteram. At cum tu ea petiuisti, qui omnium poëtarum opera rimatus es, qui omnem secularem atque ecclesiasticam sapientiam calles, cui nota sunt quæcūq; latina lingua maxime admiratur, non uidebam quo pacto meas tibi nugas traderem, quæ rara esse confidunt negociatores, ea in nūdinas ferunt. Horatium uetuit tali cum uoce Quirinus, post mediam noctem uisus cum somnia uera, in syluā non ligna feras insanus. Intelligebam non sine mei nominis iactura lecturū te opus quod flagitabas. Verum cum illud semel atq; iterū peteres, elegi etiam cum damno famæ meæ tuæ uoluntati parere. Misi ad te librum non ut iudicares qui à meipso censebatur insulsus, minus uero ut laudares qui meo iudicio uituperandus erat sed amico, sed patri, sed domino nolui quicquam negare. Existimaui autem cum primam libri legisses paginam, statim te satietas caperet, dixiq; libro cum manumisi, perge audacter, sed scito te non sine magno discrimine tuo doctas Cardinalis aures aditurum. Aut ille igni te dabit, aut ad pharmacopolam mitteris: quid enim aliud meis scriptis augurer, quā ille suis qui ait, sunt tectura piper, cumama, thura, crocū: Sed accidit mihi quod nuper in Viēna cuipiam Cennēsi monacho ordinem diui Frācisci professo: Is Pataui studens, cum accepisset egregios in Austria magistros qui oratoriam docerent, cupidus eius artis ad summum ediscendæ, cuius prima clemētia teneret, insalutatis amicis festinus in Austriam migrauit non minus auidus peregrinas hauriendi doctrinas, quā ille q Aethiopiam adijt ut Gymnosophistas & famosissimā solis mensam uideret in sabulo. At cum Viennā ingressus Gymnasia philosophorū percurrisset tanti eam scholam fecit, ut qui uenerat auditurus, mox cathedram ascenderet audiendus, & quos quæritabat magistros hos discipulos informaret: Simile mihi euenit. Expectaui contemptum, existimationem sum consecutus. Credebam uituperari, & accipio laudem: Timui odium, amorem reporto. Quid dicam? Tene ingenij tardioris imperitum q; iudicem prædicem, qui lippis oculis album pro nigro recipias dicas'q; malum bonum & malum: Stat cōtra epistola summa eruditione plena, cuius an sententias graues an summam exornationem magis demirer hæsito. Vniuersas quas libro meo laudes accumulas, unica epistola tua cōplexa est: tuæ sunt quas mihi uirtutes ascribis. Quid ergo est quod meā erexit in laudem? noluisti me contristari. Inuenisti epistolas quibus me poëta uocitēt quamplures, dixisti intra teipsum: Grande hic homo de se iudicium facit, qui grande sibi nomen usurpat. Meministi eorum quæ Flaccus de poëtis ait: Ingenium cui sit, cui mens diuinior atq; Hos magna sonaturum des nominis huis honorem. Sciebas Ciceronis uerba quæ in oratione pro Archia ponuntur dum ait: Atqui sic à sūmis hominibus eruditissimis'q; accepimus cæterarū rerum studia, & doctrina, & præceptis & arte constare poëtam natura ipsa ualere mentis uiribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari. Quare suo iure noster ille, Ennius sanctos appellabat poëtas quasi Deorū aliquo dono aut munere cōmendati nobis esse uideantur. Cogitasti ergo si mea scripta pro merito reprehenderes, grandem me molestiam habiturum, qui cum sanctis ascribi poëtis cuperē, & inter uetustissimū è doctis genus meipsum collocarim, tua sententia nedum poëtæ titulis, sed neq; mediocris scriptoris nomine dignum me reperirē, nisi opinioni meæ faueres. Putasti me animo cadere, spem ponere, stilum deinceps scripturam'q; omnem negligere. Noluisti me uulnere tali confodere, prouidisti quæ amico utilia credidisti: uoluisti me scribere, ingeniū exercere, conari indies magis ut si nō essem modo quod uellem, fierem aliquando qui possem. Noluisti deinde meis epistolis quæ iam currere per Germaniam ceperant, opinionem demere, Ago gratias humanitati tuæ quæ

A tuæ, quæ de suo iudicio quàm de mea fama maluit hæsitari. Nomini meo uel cum tuo detrimento consulere uoluisti. Videor uidere commendatione tua ingentem meis epistolis fauorem accedere. Quis enim posthac illas carpere audeat, quas nouerit tuo testimonio comprobatas? Ego quidem quod à te modo scriptum est, in capite uoluminis collocabo, ne quis mea prius legat scripta quàm tua nouerit autoritate legenda. Etsi enim Apollinis illud responsum memoriæ teneo, quo se quemque noscere iubet, Gaudeo tamen nomen meum quocunque pacto illustrari. Cur non laudari falso malim quàm uero uituperari? potis est tua commendatio facere, ut me cæteri quoque commendent. Non omnia nomen ad uerum habent, multa erecta sunt, & habentur in precio, quæ rectius uilipensa iacerent. Multum in omni re fortuna dominatur. Hæc pro libidine sua nunc obscurat mortalia, nunc celebrat. Neque in Poëtis ac cæteris scriptoribus uim perdidit. Plurimi eius beneficio magis quàm propria uirtute claruerunt. Nonnulli cum essent digni memoria nominis sempiterna, fortunæ malignitate depressi nequaquam emergere potuerunt. Quid si meis scriptis tuo beneficio non fortuna (quæ nihil est nisi diuina uel prouidentia, uel promissio) sed Deus ipse subriserit, nunquid lætabor, nunquid gloriabor? & tuo nomini fatebor me omnia debere qui me reddideris immortalem? Vt Hymenæus quum in epistolis incidit Epicuri, Atticus Ciceronis, Lucillus Senecæ, æternam memoriam consecuti sunt. Tu quia medius inter scripta mea uenisti,
B mihi mortalitatem eripis, & quod illi ex alienis acceperunt, hoc tu meis epistolis præstas. Quid ni igitur & amem, & te obseruem, tibi omni officio seruire studeam? Sed dixi me tuum ab initio, non muto sententiam. Illud me discutere amplius conuenit, quod supra de Poëtis est tactum. Neque enim idcirco Poëtam prius quàm sacris ordinibus initiatus essem, me appellaui, quoniam uel Mantuano uel Peligno uellem uideri similis, aut par alteri cuipiam ueterum, quos uates & claros & sanctos uocant, mentis diuinæ participes, sed ita hoc nomē mihi ascripsi, quemadmodum in una epistolarum Seneca suscipit, qui omnibus uersus facientibus hoc nomen commune dicit: quamuis absolute pronuntiatum apud Græcos Homerum, apud Latinos Virgilium denotet. Edidimus & nos aliquando uersus: scripsimus elegias, eglogas, satyram quoque dictauimus: non tamen Poëtæ nomen propria temeritate suscepimus, nec prius hoc titulo sumus usi quàm nos Fredericus Cæsar apud Franckfordiam, uisis quibusdam epistolis nostris, laurea nos donauit. Quemadmodum autem qui iuri aut Canonico, aut ciuili operam dederunt, postquàm magisterium acceperunt cum literas ad amicos missitant, aut decretorum aut legum doctores se inscribunt: ita & nobis Poëtæ nomē assumere licitum arbitrati sumus, ne uel concessum honorem, uel concedentem contemnere uideremur, & nos enim manum ferulæ subduximus, & lucum nouimus Martis, & quas torqueat
C umbras lacus, & quantas iaculetur Monichus ornos: uidebamur nostro uti iure, si eius artis titulos assumeremus, in qua non paruam ætatis partem consumpsissemus. Sed fuit alia non minor ratio quæ me hoc nomine frequentius uti coëgit. Etenim cum uenissem in Austriam, in secretariū Cæsaris assumptus, offendi omnes qui periti apud Viennenses habebantur, poëticam ueluti rem perniciosam & abominabilem detestari. Cœpi ergo eos arguere, disputare sæpe cum eis, ostendere Poëticam qui recte uterentur, his frugiferam esse: nomenque talis doctrinæ habendum & honorabile, & sanctum. Tumque ne quis me nomen horrere crederet, quod laudarem Poëtam me scribere cœpi. Neque dimisi titulum illum, donec ad ecclesiam ueniens, sacros ordines subiui, & ad sacerdotium promotus, quæ seculi pompam saperent, postergaui. Habes cur me Poëtam dixerim, & quid de meipso sub tali titulo senserim. Nunc quoniam de Poëtica admodum perite non nihil disputasti, non erit ab re quid mihi de Poëtica tenendum uideatur in medium proferre, in cuius defensionem sæpe scripsi, sæpius aduersus contentiosos sermones serui, quos in hac epistola succincte repetam. Omnes qui Poëticæ sunt infesti, si modo aliqua sunt imbuti doctrina, his argumentationibus in eam utuntur. Plato (qui fuit omnium Philosophorum proculdubio excellentissimus) ex ea ciuitate quàm finxit cum mores optimos & optimum reipublicæ statum exquire-

ret, Poëtas eduxit quod minime fecisset, si utiles fuissent: non sunt igitur admittendi Poëtæ. Cicero in Tusculanis cũ de dolore disputat, Vides'ne, inquit, Poëtæ quid mali afferant? lamentantes inducunt fortissimos uiros, molliunt animos nostros, ita sunt deinde dulces ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sed ad malam domesticam disciplinam uitamq; umbratilem & delicatam cum accesserunt, etiam Poëtæ neruos omnis uirtutis elidunt. Totum hic comprehenditur quod dici contra Poëtas potest. Pergunt tamen qui uerbosiores sunt atque amplius aut mansuetiorem musam insectantur. Boëtius, inquit, uir sane peritissimus & uitæ sanctioris, Philosophiam inducit sibi loquentem, quæ scenicas meretriculas & Poëticam & Oratoriam uidetur appellare, quæ dolores ægrotæ mentis nõ modo ullis remedijs non fouent, sed dulcibus insuper alunt uenenis, hominumq; mentes assuefaciunt, morbo non liberant. Cato qui fuit Romanorum seuerissimus, Marco nobiliori uelut probrum obiecit, quoniam Poëtas in prouinciam duxisset: duxerat enim ille in Etholiam Ennium. Hieronymus clarum iubar ecclesiæ uerberibus sese cæsum ab angelo scribit, quoniam Ciceronianus magis, quàm Christianus esse uideretur. Quid si Vergilianum aut Terentianum illum angelus inuenisset? Carpuntur ab eo nonnulli episcopi qui codices Euangelicos postponẽtes lectione Poëtica se oblectant. Quo pacto insuper Poëtas amplectemur, quorum scripta non solum hominum, sed deorum quoque & stupra & adulteria commemorant, potare, amare, scortari, adolescentes instruunt? Quis maior ad imitandum quàm Deus inueniri potest? aut quis eum coarguat, qui se Dei secutum exempla demõstrat? Iouis exemplo teneram corrupisse uirginem, Terentianus se Chereas iactitat: Multum est cum Deus autor habetur. Pictura, inquit ille, hæc merat: Iouem quo pacto Danaem misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum. Egomet quoq; id spectare cœpi, et quia consimilem luserat iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi Deum sese in hominem conuertisse, atque in alienas regulas uenisse clanculum per impluuium fucum factum mulieri. At quem Deum? qui templa summa sonitu concutit, Ego homũcio hoc non facere? Ego illud uero feci ac lubens. Facessant ergo Poëtæ qui talia de dijs referunt, quæ sibi turpes indigna lenones ducerent. Quid agat cum ea legerit imberbis iuuenis? cæreus in uitium flecti, sic natura iubet? uelocius, & citius nos corrumpunt exempla magis cum subeant animos autoribus. Non erit igitur bene instituta ciuitas, quæ Poëtis non occluserit ianuas. Sic mecum sæpe contendisse aliquos memini: Quibus ego in hunc modum respondere consueui. Quid uos mihi ciuitatem Platonis obijcitis? quæ nulla unquam in prouincia sedem reperit, quid curet ex ea se ciuitate Poëtarum choros exulare, quæ neque in cœlo, neq; in terra uisa est unquam? At cum Poëtarum fictiones bicipitis plerumq; Parnasi somnia referant, non possum non admirari, cur somniatores ex ciuitate somniata Plato deduxerit? Cur ego non exulare ex ea ciuitate uoluerim, quam conditor eius inhabitare nõ possit? Aut equidem suam ciuitatem necesse fuisset Platonem relinquere, aut secum introducere Poëtas, cum fuerit ipse Poëta. Cuius apud Macrobium uersus nonnulli referuntur, magis petulci quàm tanti uiri grauitati conueniant. Nec Cicero illam ingredi ciuitatem permitteretur, quæ Poëtas repelleret, cum & ipse tres libros de temporibus suis carmine conscripserint. Sed licet laudet ipse Platonem de sua ciuitate Poëtas excludentem, nõ tamen ipse de Roma, cui se omnia debere fatetur, Poëtas excludit. Archiam Poëtã egregium cum Grachus negaret in ciuitate retinendum, quis illum defendit nisi Cicero? Extat eius oratio de qua supra memini, in qua hæc uerba ponũtur: Sic igitur sanctum apud nos humanissimos homines, hoc Poëtæ nomen, quod nulla unquã barbaries uiolauit, saxa & solitudines uoci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt, nos instituti rebus optimis non Poëtarum uoce moueamur? Ecce cum ad serium, cum ad uerum uentum est, non abigit ex sua ciuitate Poëtas Cicero, sed retinendos & admittendos, & honoribus cumulãdos suadet. Quid de Boëtio dicam? Quis risum teneat cum damnari à Poëta Poëticã audiat? An non ipse est Boëtius tam maximè Poëta, cum Poëticas carpit musas, qui Philosophiam se cum uersibus agentem, & utentem fictionibus introducit.

A ducit. Quot apud eum fabulæ sunt? Quot metrorum genera? Dum Poëticam damnat Boëtius similis illi uidetur, qui iurabat non esse iurandum. Sed altior Boëtio mens fuit, quàm uel Poëtarum hostes apprehendant, uel hac epistolari disputatione possit exponi. Quippe aut legendi sunt Poëtarum libri, aut ipse toto fugiendus orbe, cum in sua consolatione Boëtius, apud quem Philosophia (cum de prouidentia differit) magni Dei familiarem suum appellare Lucanum non ueretur, & illius inserere mortui sententiam, Victrix causa deis placuit, sed uicta Catoni. Nec me Catonis autoritas frangit, cui nec nobilior auscultauit, neque senatus cessit, apud quem maximo semper honore Poëtæ sunt habiti. Habeo clarissimorum uirorum copiam, quos Catoni ualeam obiectare, de quibus posterius dicam. Ad Hieronymum transeo, cuius optarem qui uiuunt omnes fieri persimiles: sic enim & sanctimonia uitæ & eloquētiæ copia omnes ualeremus. Scatet hic undique Poëtarum dictis, neque uel tractatum eius referes, uel epistolam ubi non Tulliana redoleat eloquentia. Sic de cæteris ecclesiæ doctoribus licet inuenire, quorum facundiam quæ muta fuisset alioquin, illustrauere Poëtæ. Sane Hieronymus cum secularibus plenus literis esset, gentilesque disciplinas quasuis ebibisset, tum se uerberibus affectum dixit: Permitto id, omnes agant, cum Poëtas omnes uidērint, legerint, didicerint, tum secularum studia literarum abiurēt, nil obsto, nil aduersor, neque ego is sum qui Pontifices maximos, relictis Euangeliorum codicibus, aut Tytire B tu patulæ, aut arma uirumque canentes laudauerim. Sint non solū ætati, uerumetiam dignitati sua cuique studia. Sicut enim Grammaticam atque Dialecticam episcopum didicisse non discere uoluerim, sic Poëtas illi notos optauerim, noscēdos iam minime suaserim. Sed Hieronymi quid sit iudiciū inferius exponemus. Vltimum quod isti grauius putant illud afferunt: quia Poëtas plurima tradere demonstrant, quib. non solidæ mentes captæ delabuntur, siue cum deorum mentionem efficiunt, siue cum uoluptates commendant. De dijs autem non esset cur poëtis sit irascendum, temporis illud non personarum est uitium. Aetas eorum Dei unius haud plenam notitiam habuit. Gentiles fuerunt, qui Iouem, Iunonem, Saturnum, Martem, pro dijs habuere, neque id erroris Poëtas magis quàm Philosophos inuasit. Socrates, Plato, Aristoteles, Zeno, Eleāder, Diogenes, Aristippus, dijs litauere. Quid mirum si Poëtæ hos deos collaudant, quos sua credidit ætas? cœlum incolere, publicus error excusationi est: si non licet Poëtas legere, quia Deorum faciūt mentionem, neque Philosophos intueri licet, quorum scripta deorum nominibus sunt referta. Sed quis hodie tam hebetis est ingenij, qui propterea Ioui sacrificet, aut thurificet Herculi, quoniam deos illos Poëtarum carmina uocitāt, omnes pueri etiam qui nondum ære lauantur, homines illos fuisse impuros atque nepharios dicere, de quibus sane rectius Poëtæ quàm Philosophi scribunt. Referentes enim turpia C illorum facta, manifeste nobis ostendunt diuinitatem lōge ab his fuisse, delirasseque omnes ueteres qui eis aras dicauere. Quod autem uoluptates approbant, doloremque summum esse malum sentire uidentur, amores referunt, compotationes commendant, & lautæ fercula mensæ magnis extollunt uocibus, non est quod mouere nos debeat. Inducunt Poëtæ diuersas personas, tenentesque legem artis, cauent ne forte seniles mandentur Iuueni partes puero que uiriles. Alius Sardanapali sermo, alius Arbatis erat, intererit Dauus ne loquatur. An audax Pythiæ Catoni seueritas, Caio Cæsari clementia tribuetur? Alius bonis fauebit, literatos reget, amica consilia præbebit, peccare timentes amabit, breuioris mensæ laudabit dapes, salubrem iustitiam commendabit. Alius uirtutis inimicus, cedis auidus, nulli fidus, uentri atque ueneri deditus, consentanea suis moribus uerba profundet. Oportet enim Poëtam eorū exemplar intueri quorum personas in medium profert, atque illinc uiuas deducere uoces. Cum uero ex persona sua Poëta loquitur, tum quid patriæ debeamus, quid Amicis edocet. Quo sit amore parens, quo frater amandus & hospes: quod sit officium senatoris, quod iudicis, quod ducis in bella uadentis monstrat, quæ laus & quanta bonis sit uiuere paruo: Quo uirtus, quo ferat error indicat: omnes ad summum bonum uiam parare contendunt: Si quis autē callem non rectum aperit, & aut in uoluptate, aut in honoribus, aut in potentia felicitatem asserit

uestigandam, non est quod miremur, quando & Philosophorum in hac ipsa re multas hæreses esse constat. Ea propter cum uehementi quodam impetu commotus in Tusculanis Cicero, Poëtas acrius momordisset, qui fortes uiros muliebriter ferre dolorem traderent, mox tamen sese correxit, & quasi durius esset inuectus pœnitens ait: Sed quid Poëtis irascimur: uirtutis magistri Philosophi inuenti sunt, qui summum malum dolorem dicerent. At si uitare Poëtas idcirco uolumus, quia aut eiulantem Herculem, aut querentem suas pœnas Prometheum, siue Priamum filiorum necem, aut Andromachæ uiri obitum deplorantem referunt, Vereor ne sacræ derogemus Historiæ, quæ Dauid sanctum uirum & acceptum Deo, mortem filij impatienter tulisse commemorat fili mi Absalon, inquit ille, Absalon fili mi, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te Absalon fili mi, fili mi Absalon. Nihil est quod apud Poëtas neges esse legendum, cuius non simile sacra uolumina contineant. Mundi principium paricidio contaminatur: Præuaricantes filij Dei diluuio causas præbent: Sodomam & Gomorram turpissima libido subuertit. Ebrietatem & incestam uenerem Loth somnolentus ostendit: Isaac ab uxore decipitur: à fratre supplantatur Esau: Rachelis nuptias bis septem annis uenatur Iacob, uidebanturque illi pauci dies præ magnitudine amoris: Venditur à fratribus Ioseph: Iudas ex nuru filios accepit: Sampson in sinu meretricis obdormit: Filiam Iepte sacrificat: Innoxium effundit sanguinem Athalia. Transi iudicum facta: inspice regum: Inuentus iuxta cor Dei Dauid tradimentum, adulterium, homicidiumque committit: Sororem uitiat Amon fratrem interficit: Absalon regno patrem deijcit, ad concubinas eius ingreditur: Inter concubinas atque uxores corrumpitur Salomon: lapidibus ruitur Nabuth iniquis dum Regem regit Iesabel. Non est quod epistolæ committi possit quantum sceleris sacra nobis historia manifestat. Legimus tamen hanc fructumque de his sugimus, cum malã uitam male finitam, & bonos bonorum reperimus exitus: nec secus in alijs gentium historijs aut in narrationibus accidit Poëtarum. Ob quam rem credo abunde probatum esse, non idcirco uitari Poëtas oportere, quoniam turpe sæpe commemorent. quando & honesta frequentius inculcant. Supererat nunc ad exempla descendere uirorum illustrium, qui Poëtas ardenter amarunt, ac eorum operibus sunt delectati. Quippe non singularium modo uirorum, seu publico ciuitatum consensu commendatos Poëtas accepimus. Orpheum qui fuit ex uetustissimis Oeagrij filius, Thracem Poëtam adeo uetustas coluit, ut imaginem eius in templo Pieridum collocauerit. Quæ sicut Arrianus autor est, usque in Alexandri tempus perseuerans, cum uicisset illos ille Triuallos, subiecisset Illirios, Thebas dirimisset, Athenis pacem dedisset, continue sudasse uisa est: significans, ut Aristander diuinator ait, ingentem instare laborem Poëtis qui Alexandrini essent, & Alexandri res gestas uersibus commissuri. Homerum ut Cicero tradit, Colophonij ciuem suum esse dicunt: hi suum uendicant: Smirnij uero suum esse confirmant, itaque etiam delubra eius in oppido dedicarunt. Athenienses sacratissimis Solonis legibus instituti, adeo Poëtas in honore habuerunt, ut non senatum solum, uerumetiam belli curam eis crederent. bello enim quo cum Spartanis acerrime dimicatum est, duos duces delegerunt, Periclem spectatæ uirtutis uirum, & Sophoclem scriptorem tragœdiarum, qui diuiso inter se exercitu, & Spartanorum agros uastarunt, & multas Asiæ ciuitates Atheniensium imperio adiecerunt. Quid de Spartanis eisdem dicam, qui quamuis essent duris Lycurgi formati legibus & moribus asperi, bello tamen contra Messenios occupati, cum iuberentur ducem militiæ ab Aheniensibus petere, hique Tirteum Poëtam claudum pede misissent, parere Poëtæ non recusarunt, sub quo uicti duobus prælijs, uictoriam hostibus proculdubio reliquissent, nisi cõposita Thirteus carmina exercitui proconcione recitasset, in quibus hortamẽta uirtutis, damnorum solatia, belli concilia scripserat. Itaque tantum ardorem militibus iniecit, ut non de salute, sed de sepultura soliciti tesseras insculptas suis & patrum nominibus dextero brachio illigarent, ut si omnes aduersum prælium consumpsisset, & temporum spatio confusa corporum lineamenta essent, ex iudicio titulorum tradi sepulturæ possent. Atque sic animatis militibus commissa

pugna

A pugna, uictores tandem Lacedæmones euaserint. Vides ut Græciæ ciuitates apud se natos gaudent esse Poëtas. Nec Latini minus lætantur suis uatibus. Notum est illud carmen: Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo. Corduba Lucano & Seneca gloriatur Horatio. Venusum, Pacuuio. Brundusium Statio Burdegalis: Peligni Nasonem memorãt: Aquinates Iuuenalem, Biblis Martialem, Florẽtini quamuis materna uoce locutum, tamen apud senatum dantem inter maxima ciuitatis præconia ducunt. Quippe ueteres etiam dijs suis quos cœlum colere putabant, curæ fuisse Poëtas affirmant. Cum Lisander Lacedæmonius obsideret Athenas à libero patre per quietem monitus perhibetur, ut delicias suas sepelire fineret. Iacebat tunc inhumatũ corpus Sophoclis tragici, de quo supra mentionem fecimus. Quo cõperto Lysander inducias dedit, ut claro poëtæ congruæ fierẽt exequiæ. Simonides apud hospitẽ suũ in Thessalia cœnãs Castoris ac Pollucis monitu triclinij ruinam euasit. Sed pergite regum ac ducum exempla referamus. Solon qui leges (ut tactum est) Atheniẽsib. dedit ut Salaminam insulam quam Megarenses suæ ciuitati surripuerant, uendicarẽt, progressus in publicum etiam contra naturam suam Poëtam se simulans, insolitis sibi uersibus contra Megarenses ut arma sumerent suis ciuibus persuasit. Themistoclem illum summum Athenis uirum, cum ex eo quæreretur, cuius uocem libentissime audiret, respondisse aiunt, eius à quo

B sua uirtus optime prædicaretur: excellentem profecto Poëtam significans, in cuius uerbis indita uirtus sicut in auro gemma perlucet. Alexander Amintæ filius diues habitus, cui ante omnes Ioui Delphico statuas aureas misit, Pindarum Lyricum Poëtam apprime dilexit Archelaus, qui ab eo regnum Macedoniæ accepit. Euripidi tragico consiliorum summã credidit, cuius suprema non contentus prosequi sumptu funeris, & crines tonsus est, & mœrorem quem animo conceperat uultu publicauit. Cum transiret in Asiam magnus Alexander, quamuis multos rerum suarum scriptores secum haberet, cum tamen in Sigeo tumultum inspexisset Achillis. O fortunate inquit adolescens, qui tuæ uirtutis præconem Homerum inueneris. Et uere, ut ait Cicero, nam nisi illi ars illa extitisset, idem tumulus qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Idem quoque Alexander cum Thebas dirueret, Pindari de quo supra meminimus, & domum & stirpẽ, teste Arriano, ob reuerentiam Poëtici nominis conseruauit. Lisimachus ex successoribus Alexandri Philippide Poëta comico familiariter usus est. Cernitis ut Græci proceres Poëticam uenerantur. Accipite modo Latinos. Africanus prior quinti Ennij statuam imponi suo sepulchro iussit. Alter Scipio Terentium Comicum ex Carthaginensi captiuitate redemptum, in triumpho suo quem Romæ egit, pileatum duxit tanquam libertate donatum. Lucullus Archiam Poëtam ingentibus honoribus cumulauit. Dictator Galla Gallos atq; Hispanos Poëtas, donis quàmpluri

C bus consecutus est, nec sedulitatem mali Poëtæ indignam præmio duxit. Metellus pius etiam Cordubæ natis Poëtis, ac pingue, ac peregrinum sonantibus aures accommodauit. Pompeius magnus Theophanem Mitileneum rerum suarum scriptorem in cõcione militum ciuitate donauit. Nemo est ut Cicero testatur, tam musis aduersus qui non mandari uersibus æternum suorum laborum præconium facile patiatur. Itaq; ille Caius Marius quamuis maximus Imperator, natura tamen ferox & inurbanis moribus, eximie Lucium Plocium dilexit, cuius ingenio putabat ea quæ gesserat, posse celebrari. Iulius autem Cæsar non modo Poëtas dilexit, sed in collegio intranti non assurgeret, cum à latronibus captus, donec pecunias cogeret obseruaretur, orationes ac poëmata quæ scribebat, teste Plutarcho, eis legebat: Et qui minus ea uehemẽter laudassent, fatuos ac barbaros appellabat. Augustus Octauianus quàm benignus, quàm liberalis in Varrum, Vergilium, Flaccumq; fuerit, nemo qui uel primas didicerat literas nescit. Fuitq; ipse, ut Tranquillus perhibet, Poëmatum non imperitus, delectabaturq; comœdia ueteri, & sæpe eam exhibuit publicis spectaculis. Ingenia namq; seculi sui omnibus modis fouit recitantes, & benigne & patienter audiuit. Nec tantum carmina & historias, sed etiã Orationes & Dialogos: Componi tamẽ aliquid de se nisi & serio

& à præstantissimis offendebatur. Vespasianus qui dirum in saluatore nostro commissum piaculum expiauit, ingenia & artes uel maxime fouit: primus è fisco Latinis Græcisq; Rhetoribus annua centena constituit, præstantes Poëtas necnō et artifices coëmit. Titus quem generis humani delicias uocauerūt, Latinæ & Græcæ linguæ peritissimus, uel morando, uel in fingendis poëmatibus promptus & facilis fuit. Seuerus Cæsar Appianum poëtam qui genera ac naturas & captionem piscium uersu descripserat, per singula metra aureo numo donauit, unde aurea post Appiam nuncupata sunt. Gratianus literis haud mediocriter institutus, carmen facere, ornate loqui, explicare controuersias rhetorum solitus erat. Quid nobis tot tantiq; uiri Græciq; & Latini, idonei'ne uidentur quos Catoni Platoniq; opponamus? Sed dicitis fortasse ethnicos istos esse, nec uocem habere quæ apud ecclesiam audiatur. Transeo ad nostros quos reuellere nemo possit. Dauid quem tota canit ecclesia, nunquid poëtæ officio fungitur, metro apud Hebræos canens? Salomon quoque & aliqui Prophetarum uersuum mensuris utentes, Poëtarum locum & nomen obtinent. Quid Christiani autem doctor exercitus & Orator inuictus Apostolus Paulus? nunquid ad Græcum scribens Epymenidis uersiculū reddit? Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentris pigri. In alia quoque epistola, Menandri senarium ponit. Corrumpunt mores bonos confabulationes malæ. Et apud Athenienses in Martis curia disputans Aratum, ut Hieronymus scribit, testem uocat. Quid Tertullianus: quid Cyprianus? Lactantius firmianus? Ambrosius? Augustinus? Gregorius, & ipse de quo sæpe locuti sumus, Hieronymus? nulla istorum opuscula leges in quibus nihil Poëticum redoleat: Quamuis Cyprianum Firmiano narrante, nonnulli momorderint, quod aduersus Demetrianum scribens, testimonijs usus sit Prophetarum & Apostolorum, quæ illi ficta & commentitia esse dicebant, & non potius Philosophorum & Poëtarum, quorum autoritati ut ethnicus contraire non poterat. Nempe Augustinus de Vergilio grauissimum testimonium præbet, dum in primo de ciuitate libro propterea, inquit, eum paruuli legunt, ut uidelicet Poëta magnus omniumq; præclarissimus atq; optimus, teneris ebibitus annis, non facile obliuione possit aboleri, secundum id Horatij: Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Negat clarissimus ecclesiæ doctor obliuioni esse dandum Vergilium: nunquid ergo & legendum suadet? Nec Hieronymus ab hoc sensu est alienus, qui necessitatis in pueris esse asserit Vergilium tenere in manibus. Quamuis id crimen episcopis dixerit esse uoluptatis. Quis prmterea centenas damnare præsumpserit, quarum ex altera Homeri uersibus apud Græcos, altera ex Vergilij carminibus apud Latinos incarnationem saluatoris, prædicationem, signa, mortem, resurrectionem, & in cœlum ascensionem Poëtico more conscripsit. An non dignus laude legendus cunctorum ore dicetur. Iuuentus presbyter qui sub Constantino Cæsare historiam domini saluatoris uersibus explicauit, nec timuit Euangelij maiestatem sub metri mittere leges. Quid de Apollinari Syro dicam? qui Heroicis uersibus Hebraicam scripsit antiquitatem, ut Sozomeni placet, & imitatus Menandri comœdias, Euripidisq; tragœdias, & lyram Pindari, Euangelicas lectiones Poëtico schemate conclusit. Quid ni legatur si sit in manibus aduersatus Christianæ religioni Iulianus apostata? cum peruasisset imperium, tunc se plurimum nocere putauit, cum lectionem Homeri cæteraq; Græcorum studia Christiano populo prohibuisset. Cui & nostri hostes concordare uidentur. En quàmrudis, inepta ne dicam, feralis uox illorum est qui Poëtas omnes asserunt eliminandos. Exeant ipsi potius, & qui literas humanitatis abhorrent, fugiant homines sibiq; similibus brutis associentur. En quid ais? dicet quispiam, Diuo Hieronymo maledicis? sanctissimum obiurgare audes uirum? speculum Christianæ religionis obnubilare contendis? Hieronymus si nescis, quo nemo durius in Poëtas inuehitur, Dæmonum cibus est, inquit, carmina Poëtarum, secularis sapientia, Rhetoricorum pompa uerborum: hæc sua omnes suauitate delectant, & dum aures uersibus dulci modulatione currētibus capiunt, animā quoq; pene

tran

A trant & pectoris interna deuincunt. Verum ubi cum summo studio fuerint ac labore perlecta, nihil aliud nisi inanem sonum & sermonum strepitum suis lectoribus tribuũt. nulla ibi securitas ueritatis, nulla iustitiæ refectio reperitur. Studiosi earum in fame & ueri & uirtutum penuria perseuerat. Non me latet ad Damasum de filio prodigo talia scribere Hieronymum, sed lege totam epistolam, non subsideo in procœmio: nihil iudico, nisi tota lege perspecta, prosequor magni uerba doctoris. Inuenio illum his uerbis non poëticam solum, sed Rhetoricam, Philosophiam & omnẽ secularem sapientiam detestari, quia plus floris quàm fructus habeat, nec uiã uitæ in ueritate docet, fallatq; sæpe legentem. Nec ego inficias eo si de gentilibus tãtum poëtis ac philosophis uerba fiant, quos ignorasse Christum & crucis præmium palam est. Sunt tamen in illis complurima uitæ documenta, quæ nobis turpia dissuadent, & honesta demonstrant. Vtq; aliquid in medium proferamus. Quid illis Iuuenalis uersibus ad uirtutem suadendam dici potuerit efficacius? Orandum est ut sit mens sana in corpore sano. Fortem posce animam mortis terrore carentem. Nesciat irasci, cupiat nihil & potieris. Herculis ærumnas credat sæuosq; labores. Et Venere & cœnis & pluuia Sardanapali. Et alibi: Esto miles bonus tutor bonus arbiter idem: Integer ambiguæ si quando citabere testis. Incertæq; rei falleris, licet imperet ut sit. Falsus & admoto dictet periuria thauro. Summum crede nephas animam præferre pudori. Et propter uitam uiuẽdi perdere causas: Et paulopost: Pone iræ frena modumq; pone, & auariciæ miser inopum sociorũ. Integer uitæ scelerisq; purus, inquit Horatius: Non eget Mauri iaculis nec arcu: Nec uenenatis grauida sagittis Fusce pharetra. Quoscunq; ferant tutum esse bonis uiris iter ostẽdit: quis iustum illo melius conscribit? Iustum ait, & tenacem propositi uirum, Non ciuiũ ardor praua iubentum: non uultus instantis tyranni Mente quatit solida. Quid Vergilius sibi uult, dum inferna loca describit, & Elisios campos, nisi uirtutis amorem, odium suadere uitiorum? Hic, inquit, apud inferos, quibus inuisi fratres dum uita manebat, Pulsatus ue parens & fraus innexa clienti, Aut qui diuitijs solet incubuere repertis, Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est. Quiq; ob adulterium cæsi, quique arma secuti Impia, nec ueriti dominorum fallere dextras. Ac beatorum sedes. Audi quibus assignet hic Manus ait, ob patriam pugnando uulnera passi. Quique sacerdotes casti dum uita manebat. Quiq; pij uates & Phœbo digna locuti. Inuẽtam aut qui uitam excoluere per artes. Quiq; sui memores alios fecere merendo. Quid Theseus ille apud tragœdum Senecam? nonne fororia his de inferno refert? Sed quisq;, inquit ille, fecit, patitur autorem, scelus repetit, suoq; premitur exemplo nocens. Statius quoq; malefactis instare supplicium asserit: Sed uidet hæc, ait, uidet ille Deum regnator & ausis. Sera quidem manet iratum. Deque inferis inquit, Stridor ibi & gemitus pœnarum atroq; tumultu feruet ager, tanquàm legisset Euangelium, uocemque Saluatoris audisset: mittite illum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentiũ. Quid postremo sibi Lucanus quærit dũ Catonem Hammonis responsa contemnentem inducit, uersusque illos in eum fudit. Ipse manu sua pila gerens præcedit Haneli Militis ora pedes mõstrat tolerare laborem. Non iubet, nulla uehitur ceruice supinus. Carpente sedens summi parcissimus ipse Vltimus haustor aquæ, cum tandem fonte reperto Indiga cogatur laticis potare iuuẽtus: Stat dum lixa bibat. Et paulopost: Hunc ego per Sirtes Libyesque extrema triumphũ, Ducere maluerim quàm ter capitolia curru Scandere, Pompeij quàm frãgere colla Iugurtæ. Non ne aperte & magna uoce, O homines inquit, sit uobis cura uirtutis. Alacres subite laborẽ, uincite sitim, famem, somnum, sic itur ad astra. Quid dicimus? noscere ista bonum an malum putamus? Hæc ne magnus ille Hieronymus fugienda suadet. Præterea philosophorum libros doctrina salutari plenos quos auide legimus: quamuis nonnulla ueneni semina in se habeant, nec Hieronymus omni lectione secularis sapientiæ abstinendum præcipit, sed docet ille ut ante dictum est, Damasum quo pacto sint seculares philosophi ac poëtæ legendi. Typus, inquit, secularis sapientiæ in Deuteronomio sub mulieris captiuæ figura describitur, de qua diuina uox præcipit, ut Israëlites, si eam habere uoluerit uxorem, caluicium ei faciat, ungues

B (margin letter beside "Et paulopost" line)

C (margin letter beside "ger, tanquàm legisset" line)

præsecet, pilos auferat, & cum munda fuerit effecta, tunc transeat in uictoris amplexus: Hæc si secundum literas intelligimus, nonne ridicula sunt? Itaque & nos hæc facere solemus quando & Philosophos legimus, quando in manus nostras libri ueniunt secularis sapientiæ. Si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma conuertimus: si quid uero superfluum de idolis, de amore, de cura secularium rerum: hæc radimus, his caluicium inducimus. Ponit & hanc similitudinem alio loco Hieronymus: ad magnum Oratorem urbis Romæ scribens, Et adijcit: Quid ergo mirum si & ego secularem sapientiam propter eloquij uenustatem & membrorum pulchritudinem de ancilla atque captiua Israëlitem facere cupio? & quicquid in ea mortuum est idolatriæ, uoluptatis, erroris, libidinum uel præcido uel rado, & mixtus purissimi cordis corpori uernaculos ex ea genero domino Sabaoth, & labor meus in familia Christi proficit: Hæc est libera uox & ex proposito diui Hieronymi sententia. Interrogatus ille, philosophos ne Christiani, poëtasue queant salua conscientia legere, non omnibus legere negat, sed illis negat quibus animus est in eorum lectionibus quiescere. Sequimurque & nos hoc iudicium damusque sancto doctori manus. Nam cum uarij multiformes sint poëtæ, non omnibus quæ ab ipsis dicuntur adhibendam mentem sentimus, sed cum excellentium uirorum dicta aut facta commemorant, tota mente moueri atque inflammari debemus, ut tales ipsi simus quales ipsi fuere. Cum uero improborum hominum mentionem incidunt, fugienda est illorum imitatio, auresque claudendæ non secus atque ipsi ferunt ad Syrenarum cantus clausisse. Accommodatissimus est ad hoc propositum quem Græci mirantur, Magnus Basilius, sic ille (ut Aretinus transfert) de poëtis iudicium tulit: Nos igitur, inquit, laudamus poëtas, non cum scurras, aut amantes, aut ebrios, aut dicaces imitantur, neque cum diuite mensa cantuque dissoluto feliciter diffiniunt, minime uero cum de dijs aliquod dicunt mendacium. Deinde Apium introducens, ut enim ex floribus cæteri quidam nihil sumunt inquit, præter odorem & colorem, apes etiam mella sciunt inde excerpere. Ita qui non solum festiuitatem sequuntur uerborum, fructum aliquem ex poëtis percipere possunt. Et subiungit: Ille enim nec pariter omnes flores ademit, nec si quos ademit, eos totos assumit, & nos quoque si sapimus cum id exceperimus quod ueritati amicum consentaneumque sit, cætera omnia transgrediemur. Neque his contentus prosequens adijcit: Et quoniam ad hanc nostram uitam per uirtutem ascenditur, uirtus autem ipsa multum à poëtis, multum ab historicis, multum etiam à philosophis laudatur, eorum uerbis maxime est inhærendũ. At quoque Basilius ex quodam uiro se, qui ad uestigandas poëtarum mentes acutissimus habebatur, audiuisse cum diceret totã Homeri poësim laudem esse uirtutis omniaque illius poëtæ huc tendere, nisi si quod interdum incidens sit. Sic de poëtis secularibus magni & sancti uiri diffiniunt. Ecclesiasticos autem, quos plures esse manifestum est, quamuis hæsitatione legendos approbant, uenerandumque nomen eorum & dogma suscipiunt, qualis fuit Hilarius Hieronymi coëtaneus, & qui dulces hymnos in Ecclesia conscripserunt. Nonnulli autem nostri temporis qui ut docti uideantur, quæcunque non didicerunt, damnant, digni sunt quibus cum Hieronymo dicamus, ne uescentium dentibus inuideant, edentuli, & oculos caprearum talpæ contemnent. Traxit me diues ad disputandum materia, & dum epistolam credo scribere, tractatum edo sed claudo sermonem de poëtis, cætera contra garrulos sapientiæ tuæ non deerunt, si quis contentus his esse noluerit. Nunc ad ultimam transeo partem in qua pro Rege Ladislao facis apologeticum: multa in laudem tanti principis scribis, quæ dicta sunt aduersus eum, non minus ornate quàm caute reuellens. Cogitaui & ego futurum hoc cum librum epistolarum ad te direxi. Neque inutile reputaui aduersus scripta mea te dicere, quæ ipse non tanquàm uisa sed tanquàm audita retulissem. Sic enim ueritas facilius inuenitur: Tu ergo modo, quamuis & prudentissime & fundatissime Regis causam tuearis, das tamen mihi causam nonnulla ut rememorem, tecumque pauulisper contendam: non quia te uelim impugnare, sed quia magis instrui cupiam. Nam etsi

magn

A magni uiri fuerunt quibus aures præbui, & quorum dictis historiam struxi meam, plus tamen tuo nomini tribuo: tum quia rebus de quibus locutus sum interfuisti, tum quia & naturæ & dignitati, & ætati tuæ mentiri alienum est. Sed audis pauca quæ me obsistere tuis dictis impellunt: dixi prioribus meis epistolis nobilissimum adolescentem Vladislaum Poloniæ Regem suorum concilio uictum, regnum Vngariæ occupasse, hoc durum & à uero remotum tua dignatio esse contendit, affertq; rationes quæ iustum illum Vngariæ Regem possint ostendere, quarum maxima illa est quia defuncto Alberto, Regina & uniuersi regni accolæ Vladislaum Regem accersiuerint, cuius ope & auspicio catholica fides & regni populus ab infestatione Turcorum defendi possit, qui tunc Vngariæ uicini, clades quamplurimas inferebant. Addis & Oratoribus qui ob eam causam missi fuerant, apertum dictum aperte extitisse, quia Regina prægnans ex Alberto remansisset, non licere Regem exterminium regnum transire, illosque confutasse, quicquid petitionibus rerum obijceretur uictis. Insuper & decreti copiam quo regni prælati & proceres quæcunq; aduersus coronationem Vladislai dici possent, inania esse definiunt. Fateor omnia ista ita gesta esse ut scribis, neque de tuis dictis adimo quicquam. Sed audi quid me moueat: Dicis Albertum Vngariæ Regem fuisse, mortemq; relicta uxore obijsse, natumq; Ladislaum eius filium. Addo ego & coronatum Regem priusquàm Vladislaus eius Vngariam ingrederetur. Quid hic dicemus? Nun-
B quid Regum filij solium paternum tenere debent? Quis excluso Regis filio Regnum possidens non dicitur occupator? Aut successioni locus est apud Vngaros, aut electioni, cum Rege mortuo filius in promptu est. Si patri succedit filius, non uideo quid iuris in Vladislaum popularis electio transfuderit. Si Regem electio facit, attribuo tuæ parti uictoriam. Mihi tamen, qui regni se more affirmant succedere patribus: apud Vngaros in regno filios in iussu populi dicunt, idemq; Romanum pontificem diffinuisse apostolicis demonstratur apicibus. Neque menti meæ satsifacit, quod de Turcis in medium proponit, tanquam necesse fuerit pro regni salute, pro Christi nomine tuendo, Regem habere qui regeret. Namque si hæc permittimus, rarus patri succedet in dominatu filius. Poterat Vladislaus si Zelo fidei succensus erat, si uicinorum saluti consulere uolebat, si tanta eum Charitas mouebat, & Vngaris succurrere, & pupillo infanti regnum conseruare, ac ueluti tutor uicini Regis regnum administrare. Sed uteris tu mecum ea purgattione qua Trogus Philippum Macedonem defendit cum regnum nepotis usurpauisset. Itaque, inquit, ille Philippus diu non se Regem sed tutorem pupilli egit. Ac ubi grauiora bella imminebant, seruumq; auxilium in expectatione infantis erat, compulsus à populo regnum suscepit. Melius tamen Lycurgus, qui cum fratre suo Polibiti Spartanorum Regi successit, regnumq; sibi mendicare potuisset, Caro-
C lo filio eius qui natus Posthumus fuit, cum ad ætatem adultam uenisset, regnum summa fide restituit. Sed pauci sunt quos dominandi non frangit cupiditas. placet cunctis prouerbium Cæsaris: Si uiolandum ius est, regendi causa uiolandum est mihi. Non uidetur aut mater, aut populus, aut instans belli metus ius infanti auferre atque alteri concedere potuisse, nisi tua sapientia nouis me rationibus instruxerit. Scio illud quod dicis, Regnum Poloniæ longe lateq; florentissimum esse, neque uiros illi, neque opes deesse. Constat inter omnes qui terram circuierunt, Polonos & fortes homines esse, quibus qui dominatur inter Christianos & clarissimum nomen habet. Et abundat diuitijs, potentissimus creditur, satis illi superque satis honoris est, si quicquam mortale pectus satis existimat. Ac diues Asia Xersi non sufficit, Græciam imperio cupit adiungere. Alexander uicto Dario Babylonia capta, Aegypto subacta, superatis Indis æstuat infelix angusto limite mundi ut Gyro clausus scapulis, paruaque scapha. Anibalem non capit Affrica: addit imperio Hispaniam, Pireneum transsilit, superat Alpes, ingreditur Italiam, nihilq; actum à se putat nisi uexillum in capitolio ponat. Athila Rex Hunorum totius Scythicæ gentis solus Imperium tenens inuasor Germaniæ Galliarum populator, uestator Italiæ, inopem miserumque se iudicat nisi primas mundi gentes, Romanos Vesogatasque sibi subijciat. Sed quid miramur uiros? Condi-

trix

trix Babyloniæ Semiramis nõ contenta quæsitos regni terminos tueri, Aethiopiam Imperio adiecit, Indisq́ bellum intulit. Quo præter illam, Dionysium, Herculem, & Alexandrum armatus intrauit nemo. Insatiabilis est dominandi cupiditas. Nulli satis ampla sua potestas uidetur. Semper in alieno melior seges agro, uicini formosior coniunx, pinguius apud alios pecus apparet. Nimirum si Vladislaus adolescens, alto sanguine natus, spiritu fretus, nobili gloriæ cupidus, Vngariæ regnum affectauit, Humanus est hic morbus adeoq́ communis ut iam uitio detur animus paterna hæreditate contentus. Si quis est, cui sua placent, inter principes ociosus, paci deditus, nulli molestus, belli execrator: En, inquiunt, deses homo est meticulosus, pusilli animi, uentris semiq́ seruus: monachum esse non regem oportuit: mulieri non uiro seruimus. Huiuscemodi sæpe uoces Regum atria implent, inde commoti quibus feruet animus, iuuenes iniusta bella suscipiunt. Quod si Vladislaus hac re ductus in Vngariam uenit, secutus est, ut Philosophi uolunt, erroneam uiam, ut populi sentiunt, laudabilem & gloriosam, dignus qui fortibus umbris animum meretur. Hæc placuit ad tua scripta referre, non quia impugnare illa uelim, sed ut solutionem eorum à te suscipiam quæ mihi dubia superant. Nam etsi multæ sint & maximæ laudes quæ Vladislao Regi suisq́ prælatus uel proceribus attribui possint, cupio & hoc illis ascribere præconium sine controuersia posse, quod Vngariam non humano solum sed etiam diuino iure sibi subegerint. Quod uero præsente Rege uictos & etiam prostratos à Polonis Turcos astruis, sequor testimonium tuum, quamuis Iulianus Cardinalis sancti angeli qui tunc in Vngariam legatum apostolicum agebat, suis literis omnem belli uictoriam in Ioannem transtulerit, quem ego ad pontificem Patauiensem scribens, habui testem. Cætera quæ de Vladislao refers, nullo apud me dubio sunt. Cognoui ex omnibus qui eum nouere, fuisse illo in adolescente uastum animum, singularem prudentiam, summam liberalitatem, ingenium perspicax, administrandæ iustitiæ grandem curam, nullam in eo desideratam ex his quæ regiæ uirtutes appellantur: ob quam rem optarem, si fas esset, cum tua dignatione in hãc usque diem uixisse illum, melius ut arbitror, regno Vngariæ, melius Christiano sanguini successisset. Neque fortasse memorabilis illa ciuitas Bisantina Orientalis Ecclesiæ caput, Græciæ columen, in potestatem Turci redacta, cum tam magna Christianorum clade fuisset, quæ per Constantinum primum instar Romanæ urbis amplificata fatali quodam solebat dicere decreto sub ultimo Cõstantino deuicta, & spurcitie Saracenorum tradita est, quàm uiuo Vladislao nec intueri Imperator audebat. Sed obijt ille, ut ais Rex clarissimus, cum maiori quantum credidimus, non Poloniæ solum, sed Vngariæ totius Ecclesiæ damno. Verũq́ illud ostendit, quod ad sororem scribere Methodorum Anneus Seneca tradit, mortale esse mortalium omne bonum. Vale & iam non epistolam, sed librum cum uacauerit, legito. Ex Noua ciuitate Austriæ sexto Calendis Nouembris, Anno M. CCCCLXIII.

Mittit literas summo pontifici præsentandas.
Epist. CCCCLIII.

Aeneas episcopus Senensis, Ioanni Capistrano ordinis minorum *professori, S. P. D.*

NIcolaus capellanus meus literas tibi restituet, quas Cæsar Romano pontifici ac duobus Cardinalibus & magistro Henrico Senftlebẽ procuratori suo in Romana curia scribit: ego quoque eisdem Cardinalibus literas dedo, quemadmodũ frater Philippus expostulauit, quarum exẽplaria simul recipies. Intelligesq́ & quomodo ab Imperatore, & quomodo à meipso scriptũ sit, Tuũ erit scripta hæc quãtotius ad Romanam curiam dirigere, ac curare ut magistro Henrico signẽtur, qui ea apostolicæ sedi offerat, ac responsum exigat: Si qua deinceps uel pro dignatione tua uel pro fratribus curare me uolueris, quoad facultas fuerit non deerit uoluntas. Vale in Christo optime in orationibus tuis mei sis memor. Ex Noua ciuitate.

Significat

A *Significat Bohemos Rokezanam in archiepiscopum petere,*
Epist. CCCCIIII.

Ioannes Capistranus ordinis minorum professor, Aeneæ *episcopo Senensi,* S. P. D.

QVando capellanus tuus me conuenit, tandẽ à me summe rogatus abijt, ut meis precibus & supplicationibus id ageret, ut tu de die & tempore recessus hinc ad nos mei me certiorem faceres, expectaui sitiens & magis præstolor. Fertur enim hic conuentum ipsum huc ad nos Viennam translatum iri, cum non uideatur in ciuitate Noua omnes Principes cum Oratoribus hospitari posse pro commodo suo. Ea de re te iterum atq; iterum exoratum uelim, ut dubium me clarefacias & quid acturus sim certiorem reddas de principibus, qui huc conuenerunt. Et si mihi persuadeam te non latere, hoc tamen dicam. Cum serenissimo Rege Ladislao intrauerunt gubernator Bohemiæ & plures Barones de Vngaris, episcopus Varadiensis tantum, expectantur cæteri, sed adhuc incertus est eorum aduentus. Erit non alienum ut significem tibi rẽ detestabilem, ac cuiq; bono uiro solo auditu abhorrendam. Quæritant nonnulli Bohemorum summas preces diuo Cæsari porrigere, quibus fauorem & gratiam suam impetret, ut ad S.D.N. literas summo studio petentes confirmationem nefandi hæresiarchæ
B Rokesanæ in archiepiscopum Pragensis dirigat, & hoc pacto fieri poterit unio Ecclesiæ, quàm iuste, bene, recte, & sancte procedere intendant. Tu mihi pater pro tua singulari æquitate & prudentia iudica. Quid autem ad hanc rem facturum uelit catholica fides cogita, ego indignitatem tacitam non equo animo fero. Postremũ ut me de his quæ acturus sim admoneas te oro uehementer. Vale lõgissimo æuo cui me unice cõmendo.

Determinat congruum tempus ueniendi ad dietam in Noua ciuitate celebrandam. Refertq; post nouitates Italiæ obstacula ne contra Turcum concludant,
Epist. CCCCV.

Clarissimo uerbi Dei prædicatori fratri Ioanni de Capistrano ordinis minorum *professori, Aeneas episcopus Senensis, & apostolicæ sedis legatus indignus,* S. P. D.

DAbis mihi ueniam pater optime si tuæ responsurus epistolæ non plurali, quemadmodum usus modernorũ habet, sed singulari te numero cõpellauerim. Sic enim & Hieronymi & Augustini & omniũ ueterũ obseruãtia fuit, meo iudicio quàm nostri temporis cõsuetudo multo melior atque cõuenientior. Quid enim absurdius aut ineptius esse potest, quàm si unum allocuturus hominẽ, audite inquam? Maiores certe nostri hoc uitium inter barbarismi species numerassent. Sed mitto hæc quæ te minime fugiunt, & ad ea uenio quæ tuis in literis continentur. Scripta tua iocundissima & acceptissima mihi fuerunt, quæ te sospitem ac suo more lætum in Austriam remeasse nunciarunt,
C atque in urbẽ uenisse tibi deditissimam Flauiam quam nunc Viennam dicimus. Scio te illic magno exceptum gaudio, multumq; illa in plebe proficere. Est enim Vienna aptissimus ager cui & committere semen domini, & multiplicatum sperare non frustra possis. Quod quæris de tuo ad Cæsarem transitu paucis absoluam. Videbit te libenti animo quouis tempore Maiestas Imperatoria, ac uelut apostolum Christi ueneranter amplexabitur. Erit quoq; præsentia tua Diuæ augustæ ad singularem lætitiã quæ quoniam multa de præcellenti doctrina, uitæq; tuæ sanctitate ex auditu didicit, magnopere cupit tuis aliquando sermonibus interesse, uidere ac audire te prædicantem ac dulcedinem cœlestis eloquij degustare. Quacunq; igitur die huc te contuleris, & honorifice & iocunde ac studiosissime pro beneuolentia Cæsaris & Augustæ desiderio recipieris. Non tamen, ut mea fert quidem sententia semper æque frugifer tuus aduentus erit. Multum est in tempore positum, tempus seminandi & tempus colligẽdi. Venisti in tẽpore quod est omniũ primum, inquit ille. Et apud alium scriptum est: Fati plus etenim ualet hora benigni quàm si te Veneris commẽdet epistola Marti. Fateor ego tuam præsentiam in hac ciuitate & in hoc populo semper futuram utilem, sed multo magis Ecclesiæ Dei consules, si congregato consilio huc uenias. Nam quemadmodum
Frankfor-

Franckfordiæ mentes hominum ad tuendam religionem tuis sermonibus erexisti, ita & in loco si qua tepido & somnolentia fuerit, te urgente atque increpante pelletur. Ego ut animi mei secretum aperiam, & aliquando dicam manifeste quod sentio, non sum sine magno metu, ne ruant ædificia nostra quæ apud Franckfordiam ereximus. Titubant ut uideo mentes principum, torpent reges, languent populi, nauicula piscatoris grandioribus elisa procellis in medio mari penè demergitur. Flant hinc atque illinc contrarij uenti, scinduntur uela, frangitur malus, carina dehiscit, nulla remigibus cura, neq; magistro spes salutis esse uidetur. Omnes quasi attoniti tempestati cedimus. Opus erit igitur sermone tuo, calcari tuo, igne tuo: excitandi, urgendi, incendēdi sumus: nisi compellimur benefacere, nostrapte ingenio nihil est quod de republica cogitemus. Atq; utinam uel compulsi aliquando uigilemus. Aderunt hic nisi fallor ex Alemania, ex Bohemia, ex Vngaria multi proceres. Ex Italia quoq; atq; ex ipsa Gallia nonnulli aduentabunt: agetur tuendæ religionis nostræ negocium quæ mediata sunt, quæ conclusa sunt Franckfordiæ in manus recipientur. Tum quæ mens principes nostros habeat intelligemus, si feruere uidebimus animos, agemus Deo nostro gratias, qui suā nolit Ecclesiam nostris diebus exterminari. Laudabit oratio tua fortes ac magnanimos proceres, plenosq; spei reddat an bene uadentes in cursum prouocabitur. At si uel timidos uel discordes populi nostri duces inueneris, tunc tuo fungeris officio, tunc sine cessatione clamabis, ac quasi tuba exaltabis uocem tuam, accusabis ignauiam, superbiam criminaberis, auaritiam detestaberis. Hæc sunt enim tres perniciosissimæ pestes, quæ religionem nostram Turcorum gladio penè subijciunt. Quod si humiles, si solertes, si liberales essēmus, exercitum facile congeremus, qui nedum Turcorum sed omnium infidelium potis esset audaciam proterere. sed alios retinere ambitio ne cuiusq; imperio subesse uelint. Omnes Iasonis morbo laboramus, quo ut est apud Aristotelem in Politicis, grauiter ferebat si non regnaret, quasi nesciret priuatus esse. Sed ille fortasse gnarus imperandus fuit. Nos quamuis domui nostræ utiliter præesse nesciamus, in alios tamen magistratum affectamus, alios in delicijs natos, in plumis enutritos, in uoluptatibus mersos uecordia domi prostratos habet, hi neque famem neque sitim, neque labores ullos perferre possunt. Rempublicam perire malint quàm æthere turbido domum exeant, neq; si generis humani impedire ruinam posint, id agent si unius diei propterea fuerit uoluptate carendum. Alijs nihil satis est quod habent, unicum studium est rapere, & ad se cuncta trahere, quæ mari ac terra uehuntur. nihil magnificè, nihil splendidè agitant. quicquid agunt, tardi ac morosi sunt, semper considerantes in eo quem numū expendāt, atq; hoc ipsum cum querelis agunt, & cuncta maiora quàm oportet se facere existimant. Tristius haud illis mōstrum (ut nobilissimi poetæ uerbis utamur) nec sæuior ulla pestis & ira Deum stigijs sese extulit undis. Virginei uolucrum uultus fœdissima uentris Proluuies uncæq; manus & pallida semper Ora fame. Sic ille sub harpiarū forma descripsit auaros. difficile est cum his hominum monstris immo certe impossibile rem Christianorū sospitem esse. Ruimus atq; in præcipitium labimur, nisi has bestias, aut occidimus, ant nostris ex finibus propulsamus. Aut perire oportet, aut mutare praue, & peruerse introductum morem. Tua erit igitur hæc prouincia, tuum erit cum hisce bestijs cōgredi. Si quas nostrū consiliū huc aduexerit, ego quidem non ambigo aducturas quàm plurimas. Theatrum hoc in loco futurū est, ludos Circēses habebimus aiunt ædiles nostri spectacula magnificentissima se edituros, qualia neq; Iulij Cæsaris, neq; Gnæi Pompei, neq; posteriorum Cesarum fuisse traduntur. Nescio cuiusmodi erunt hæc, nescio an producentur hesterni orbis monstra, an solūmodo quæ apud nos habentur feræ. Nam & istæ horribiles ac teterrimæ, possunt iam exaudiri gemitus, iræq; leonum uincula recusantum, & sera sub nocte rudentum. Setigeriq; sues, atq; in præsepibus ursi Seuire, ac formæ magnorum ullulare luporum, Quos hominum ex facie dea sæua potentibus herbis Induerat arte in uultus ac terga ferarum. Lytus quoq; Archadum Deus nescio quomodo ad nos conuolauit, qui sui cultores conuertit in lupos. Fortasis & Bohemia nobis aliquam ex Apocalypsi bestiam mittet, quæ arcum bicornis ambiat. Si fuerit uenatio nostra uel mediocris

mul-

A multa in casses nostros dabitur præda, implebitur arcus feris diuersis, nisi acutus oris tui gladius dimicauerit. Nemo est qui talibus bestijs obuiam eat, neq; tu hanc pugnam infamem duces, quia intestabiles uelint leges qui cum bestijs pugnant, iam supra xxx. annos huiuscemodi bellum geris, nunc Italiæ, nunc Galliæ, nunc Germaniæ bestias insectaris, & alias quidem occidis, alias in humanam redigis formam. Nam quas Circe quas'ue Lytus ex hominibus ueneno suo feras effecit, has tuus sermo ancipiti gladio penetrabilior ex feris iterum homines reddit. Quod si uictrix tua uirtus theatrum exierit, spes certissima maioris uictoriæ dabitur: tunc enim exercitum aduersus hostes externos parare poterimus, cum domestici fuerint separati. Absit auaritia, facescat ignauia, eijciatur superbia, nihil est quod Turcorum potentiam formidemus, uincat se quisq;, necesse est ut sui potens suiq; dominus sit qui superare alios contendit. Est igitur mea sententia si uoci meæ placet auscultare, huc te domum conferas cum principes ad diem constitutam comparuerint. Eadem quoq; Maiestati Cæsareæ quàm de re hac consultum habui, mens est, medio tempore pulcherrimam excoles Viennæ uineam, ubi iam torcular erexisti quod uina in cellam domini purissima exprimit. Hæc ad quæsitum tuũ quãuis tua prudentia per sese melius omnia noscat. Nunc de nouitatibus pauca subijciam Italia nostra excepta Hetruria uniuersa quiescit. Sed angulus ille patriæ meæ turbulentus est domini de Pitiliano qui ex familia Vrsinorum dicuntur rupto fœdere contra ius B fasq; Senensium agrum populati sunt. Comes Euersus eius fidei cuius nominis illis auxilio est, neque tamen simul iuncti pares Senensibus esse possent, sed habent occulta subsidia: Sunt qui clanculum pecuniam submistrant. Veneti mille equites misere, qui Senensium partes adiuuant. His Carolus Gonzaga præfectus est. Sigismundus dux exercitus Senensis habetur: pugnatũ est utrinq; summa ui: patria mea & igne deletur: uicini quasi ludum respiciunt. Solus Romanus põtifex eius litis arbitratorem se fecit: Sed hic propter aduersam ualetudinem parum hactenus profecit. Spero tamen eius sapientiam hoc incendium prius extincturã quàm ultra serpat. Ianuenses quasi clarissimus ille Rex Aragonum & Siciliæ sibi fuerit iniuriatus, cum grandi & admiranda classe in portum usq; Neapolitanum nauigauere, ac ueluti incussuri metum, tum Regi tum Regno se ostẽderunt. Et quoniam parum dilectos in terra Cathelanos crediderunt, metus aliquos procerum sperauere. Rex autem Alphonsus quem neque secunda extollere, neque aduersa deprimere consueuerunt, forti animo contra restitit, urbem ac portũ magnifice communiuit, bombardis ac alijs machinis hostes appropinquare prohibuit, regni proceres nunc terrendo nunc cohortando in fide retinuit. Adeoq; prudenter & accurate cũcta disposuit, ne uel minimus toto regno tumultus exortus fuerit. Eiecti igitur è spe sua Ianuenses, relicto rege. Gilium paruam insulam in Hetrusco mari Relamoni oppositam, C quæ Regi parebat, occupauere. Burgum castri leonis quod in Thuscia eiusdem Regis deprædati sunt. Rex interea ipse classem non paruam armauit, qua Ianuensium triremes insecutus, ex his septem apprehendit atq; excussit. Veneti & qui nunc ducatu Mediolanensis potitur, Franciscus Sfortia uicecomes, Florentinorum quoque respublica, inter se fœdus iniere, quod omnibus Italiæ communitatibus uolunt esse commune. Bursius dux Mutinæ, unus etiam ex confederatis habetur. Aiunt & Ianuenses inscriptos esse. Sunt qui dicunt & Romanum pontificem confœderationi consentire, atq; accedere rogatum, respondisse, qui pater sit omnium communis eum non debere filiorum uinculis alligari. Laudasse tamen Italiam esse unanimem quod eo modo Turcorum conatus facile possit elidere. Alphonsus Rex de quo ante locuti sumus, quamuis pacem Italiæ complexus fuerit, de fœdere tamen nihil adhuc recepit: neque puto magnanimum illum Regem sapientia & autoritate præditum, æquo animo ferre, nunc pacem nunc colligationes se nescio fieri, sibiq; demum quas nequeat immutare, leges offerri. cognoscit & ipse statum suum, & quæ suæ dignitati conueniant, mente reuoluit. Missi sunt ad eum legati trium potentiarum, cunque his profectus est Cardinalis sanctæ crucis apostolicæ sedis legatus, quem Firmanum appellat: Illius prudentia autoritate ac uitæ munditia memorabilis, qui medius inter Regem & Oratores eò missos, arbitrum

 concor-

concordiæ gerat. Rex ob eam causam Caietam se contulit, atque ibi legationes audit. D nescio quid inde sperem: quia tamen inclyto illo Regi res alte ac magnifice semper cordi fuerunt, fortasse ut aduersus Turcos bellum gerere possit, quod est unicum eius propositum, unionem Italiæ complectetur. Veneti pacem cum Turcis habent, quam coacti fecerunt, ne ciuitates Orientis amittant. Id manifestant leges utrinque dictæ, quantum ad Christianos pertinet parum honorificæ. Nequeo meditari quid actura sit illa respublica si de bello gerendo contra Turcos agamus, neque de Rauennensibus quid dicam scio. Omnes de dominio retinendo quàm de fide seruanda solicitiores existunt. Cedit fides honori, numis honor. Quid enim saluis infamia numis, inquit ille, ematur. Tota Christianitas se reperiat emptorem, parebunt omnia Turco si dabit aurum, uenalis est nostra religio. Caramannus per hos dies ad Cæsarem nostrum literas dedit, quarum exemplar tuæ paternitati cum præsentibus edo. Videtur ille aduersus Turcos inflammatissimus, si Christianorum arma concurrere sentiat. Vetustæ literæ sunt, & Augusto mense signatæ: multa interea interuenire potuerunt quæ principis eius abalienarunt animum. Nihil ille faciet, nisi ex commodo suo. Nam quo pacto Saracenus cum domino suo Christianorũ signa sequatur? quando nec Christianus cum periculo Christianis assistit. Ioannes comes Histricensis, qui nunc gubernat Vngariam, unicus Turcorum metus ac fortissimus nostræ religionis gladius XXXII. milia Turcorum superioribus diebus apud Sendelorum conflixit. Fritzbegum ducem exercitus uinctum abduxit: cædem magnam fecit: agros hostium usque ad ipsam Zophiam ferro & igne uastauit. Mahometus autem Turcorum Imperator hoc accepto uulnere, magnum conflauit exercitum, iamq́ intra Bulgariam in campo sedet, hinc Budam, inde Pyrotham respiciens eo proposito, ut proximo Vere regnum Vngariæ populetur. Nihil sibi dubius, quia terram ac gentem sibi subijciat. Idem quoque & Vngari timent, nisi cæterorum Christianorum manibus adiuuentur. Hæc nouissimè scripsit Ioannes iste Cæsareæ Maiestati. Tantum est quod de natiuitatibus scribere possum. Cupio te cum fratribus bene ualere, & in orationibus quas diuinæ pietati dies noctesq́ porrigis, mei memorem esse. Anno M. CCCCLXV. E

Corrigit dialogum confectum in quibusdam punctis.
Epist. CCCCVI.

Aneas episcopus Senensis, Ioanni Troster, S. P D.

LEgimus tuas literas Ioannes amantissime, percurrimus dialogum tuum, oblectati sumus uehementer, quia te peritum disertumq́ cernimus. non tamen tantum nobis arrogamus quantum tribuis. Neque enim quam in te cernimus, dicendi uena ex nostro fonte ditata est, aliunde tibi copia uenit. Quod si fateri uolumus aliquid in te nostrum fuisse magisterium, illud quoque concedere oportebit quoniam superati à discipulo sumus. F Est dialogus tuus & tersus & limatus, aptis compositus uerbis, sententijsq́ grauibus refertus, cuius lectores necesse est de te grande iudicium faciant. Creuisti admodum breui tempore cresc esq́. si pergis, uirum te clarum reddes, ornabis tuã patriam, nomenq́ tibi efficies, quod non Theutones solum sed Galli quoq́ atque Itali celebrent. At ne putes quæ non uiderimus à nobis adulantium more digna atq́ indigna laudari, annotauimus quædam pauca, quæ nostro iudicio uisa sunt emendationis egentia: scis quia facilius aliena quàm nostra uitia cernimus, nihil errare sapientis & perfecti est hominis, errata cognoscere uel rudes queunt. Audi ergo quæ nobis non detestãda, sed nobis melioranda in tuis dictis uisa sunt. In epistola quæ dialogum antecedit, hæc annectis uerba: De amore quid sentirem scriberem. Dixisses elegantius, quid sentirem de amore & scriberẽ. habent enim sentirem & scriberem concentum, dum simul exeũt uenustum & in continuum. Simileq́ illud est quod ais: Ex Vulcano Venereq́ natum. Nam & Cicero in eo uersu calumniam tulit, cum de temporibus suis scribens, illud expressit uerbum. O fortunatam natam me consule Romam Antoni gladios potuit contemnere si sit. Omnia dixisset, inquit Iuuenalis & Salustius. O fortunatam natam repetens atq́ irridens. Nam, inquit Cicero: Fugiẽdæ sunt huiuscemodi uoces quæ apud eru

ditos

A ditos insulæ ac ridiculæ sonant. Cum de porta cornea efficis mentionem, si futile somnum tuum, nihil ueri habere intelligis. Non recte locutus es. ueris enim hac porta facilis datur exitus umbris ut Maroni placet. Sed uera somnia existimari maius nihil imitandum est. Algores, nisi fallimur, apud ueteres legimus, non ut tu ais, hybernalia algora. Archiregnum Hunorum, quàm archihunorum, potius dictũ uideri poterat. Vngaros præterea nunc nõ Hunos appellare debemus, quoniam eam incolunt terram quæ olim Pannonia dicta est. etsi nos aliquando aliter diximus in errore communi fuimus. Huni enim aliquando Pannoniam tenuere, sed illis eliminatis subintrarunt Vngari ab extremis Scythiæ partibus uenientes, quemadmodum in Iordano licet intelligere. Sunt & hodie ultra Tanaim & paludes Meothidas populi qui Vngari dicũtur, eamq; linguam loquuntur, quam nostri circa Budam & Hystrum. nec Teucros uero uocabulo nominamus, qui anno proxime decurso Constantinopolim expugnauere. Quamuis eam regionem occupent, quæ quondã Teucrorũ fuit Turcorũ nomine appellandi sunt et hi Scytharũ soboles habẽtur. ut Ethicus philosophus in Cosmographia sua cõfirmat. Prope eam accersam, accurram. Limatius dicendũ fuit propius eam accurrã accersam. Nisi bene auspicar multa nimis interponis priusquã adijcias uerbũ illud quod potissimũ est. Captãt quo facto & quæ sequuntur. Subnectens amoris causam primitiuã antecedentẽ cõiunctãq; cõmemoras. Dialecticorũ hi termini sunt, haud quaquã oratorũ siue histori-

B corum, infuriatum & inamoratũ, quãuis Latinè dici posse fatemur, melius tamen furiosum, amorosumq; dixeris. Neq; nos latet Vergiliũ furiata mente Cerberũ posuisse. Ex dæmone nisi ex muliere. Nisi nõ belle dictum uidetur. Non bene subiungis infestiuum, quod minus importat: orationẽ augeri, non diminui oportet. Si uos ergo thorũ, cum dixeris prius amatã fugiendã, necessariũ erat antequã huc prolabereris præmittere necessitatem. Quod si forte cõpellaris apud amicã iacere Lucẽ admitti, & reliqua quæ nõ insulse cõsulis. Suffultros, parũ Latine uideris dicere quas procul citra posuisse poteris existimari. Suadeo ut ad alias pluresq; animũ adiũgas. Remedium hoc & si Nasonis est, parũ tamen honeste apponitur, & à te præsertim sacerdote, cuius est nihil suadere quod crimini ptoximũ sit. In de clericis coniugatis primo capitulo. Oratori satis erat omisso capitulo. Calixtũ atq; Gregoriũ astipulatores inseruisse, in de clericis nõ belle dicit Orator. præpositiones nisi cogat metri necessitas uel inuitet ornatus, à suis casibus non disiungimus. Hoc habuimus quod ad tuum dialogum diceremus. Tu perge atque ut facis castalidas amato sorores. Et uale optime. Ex Noua ciuitate XII. Idus Iulias. Anno M. CCCCLIIII.

Excusat se quod Paulum Vergerium aliter misit quàm prius statuisset,
Epist. CCCCVII.

C Aeneas episcopus Senensis, Anthonio Panormitæ, S. P. D.

PAulum Vergerium qui Arrianum transtulit, insignis atq; elegãtissime uates, cum superioribus diebus ad inclytum Alphonsum Siciliæ & Aragoniæ Regẽ, ut tu ipse olim rogasti, mitterẽ iussi eum in tuas manus dari ac per se reddi Maiestati Regiæ. Tibi quoq; ad eam rem literas misi: cognoui postea recta uia librũ in potestatem regiã uenisse, neq; te illum uidisse, quæ res, ut accepi ægre te habuit, cum inter amicos diceres: Aeneas in uno filio duos compatres quæsiuit. Equidẽ Anthoni nimirum & tibi & Regi pro tanto munere fecisse rem gratam putaui, neq; enim alius præter me fuit, qui Arrianum hoc tempore Latinum haberet, illius manu conscriptũ qui trãstulit. At nunc cũ meus ordo prætermissus sit, nec Regis sentio gratiam, & te mihi succesere intelligo. Sed quid ego ad hæc? quamuis magnifacio tantum Regem, non tamen fame pereã arbitror. si eius erga me beneficẽtiam non experior. scio quia me odium non habet, si non amor: non sum solus eius expers beneuolentiæ. Tu uero etsi nunc subiratus es, cum omnia plene cognoscis, dices me nihil errasse, & in tuam me rursus amicitiam suscipies, eius notitiæ memor quæ inter nos Senis fuit. Verum quia non respondisse mihi Regem questus est, mercator meo nomine apud te, nescio quis id fecerit: scito imprudenter actum esse. Neque enim ego mihi responderi optaui, qui scio quanta inest superbia Regibus. Sed

ad Imperatricis literas non nihil mea causa respõsum petentis exquirebam, nihil tamen exinde moueor. Ego quæcunq; accidunt in meliorem recipio partem: si sit quod quærito, Deo gratias ago, si minus, existimo me non recte opinatum esse, neq; placuisse superis quod uolebam, qui pro iocundis optima præbent. Ego quocunq; in me animo fuerit Rex ille magnificentissimus, ac nostri seculi clarissimum iubar, semper eius nomẽ in cœlum tollam, & commendabo gesta eius quæ priscos duces fama claros non modo æquare sed superare intelligo. Neque mirabor unquam si mei memor neque cultor est, quod ego & statui regio, cuius est parua contemnere, & mihipsi ascribo, conscius meæ & uilitatis & ignorantiæ. Sed uale tu & si quid est erga me rubiginis in tua mente, depo nito, mea erga te sinceritas minime imminuta est. Cum his mitto tibi sententiam eius oblationis quã dux Burgundiæ apud Ratisponã fecit. Ex Noua ciuitate, die xxx. Iunij. D

Non uult se in Orthographia quenquam sequi, Epist. CCCCVIII.

Aeneas episcopus Senensis, Nicolao Volaterrano protonotario *Regio, S. P. D.*

NImium mihi credis Nicolae amantissime, si meis ex literis quas raptim & inconsulte scribo, sequendam orthographiam putas: minime ego is sum qui sine menda scribam, labor, & erro, maxime circa iuncturam literarũ. Nolim autore me decipiaris, etiamsi ex proposito dixerim hoc atque illud ita scribendum est: quærito meliores, & qui certiora tradant. De protonotariatu certum est quia non debet aspirari. non dico nunc rationem quia ex tractatu Casparini, quem nunc transcribi facio, ut ad te mittam, plenius rem intelliges. Vale ex Noua ciuitate, *III.* Calendas Maias, Anno. *M. CCCCLIIII.* E

Cur captus fuerit pædagogus Regis Vngariæ, Epist. CCCCIX.

Aeneas episcopus Senensis, Dominico Cardinali Firmano, S. P. D.

CAeterorum literæ quibus dietim uisitor ad respondendum me quidẽ inuitant, tuæ autem quas nuper accepi, uehementer urgent atq; compellunt, quæ propter captiuitatem Casparis qui pridem illustrissimi Regis Vngariæ pedagogus extitit, æstimationem meam in discrimine adductam esse demonstrant. Nisi enim quo pacto sese res habeant meis scriptis ostendero, uereor ne de me sinistra quæ concepta est opinio, noxium edat partum, qui me sine culpa & tibi & cæteris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus dominis meis efficiat odiosum. Accipe igitur rem gestam, & an sim culpabilis tu iudica. Caspar de quo sermo est humili loco natus, admodum pauper, literas apud Viennam didicit, ut est mos patrius, mendicando se nutriens, emersit non sine labore: uicit fortunam uirtus, uocatus est in cancellariam Austriæ: Deinde sibi in aulam sumpto credita est Ladislai Regis puericia, cum iusiurandum præstitisset nihil se contra Cæsaris aut honorem aut utilitatem facturum, & quod cæteri familiares iurant, auertere quoad possit, quamuis incommoda Cæsareo culmini imminentia, promisisset, suscepta pedagogia fuit circa puerum diligens, literis & moribus illum pro captu instituit. Factus igitur Cæsari & omni curiæ charus, intrauit consilium, sedit cum principibus, in mensa regia cibum suscepit. Cunq; uacasset in Austria Ecclesia una ex maioribus iurispatronatus, multiq; illam Barones magniq; nobiles peterent, prælatus omnibus Caspar, Ecclesiam munere Cæsaris consecutus est. Quamuis & alia prius beneficia non modici ualoris obtinuisset. Erat igitur in curia potens Caspar, nomenq; paruum non habebat & bonitatis & doctrinæ. Nec dubium putabatur quin breui ad episcopalem ascenderet apicem. Laudabilis hucusq; hominis uita dignaq; diligi. Sed nescio quomodo posthac mutatus est, quidue homini in mentẽ uenerit, ut maiora cupere & indigna se negocia agitare cœperit. Intelligens enim Australes nouãdarum rerũ cupidos, occulta cum Eytzingero colloquia iniuit. qui Cæsari capitalis inimicus habebatur. Cunq; uenisset ex Vngaria episcopus Argensis nomine Paulus, multa cum eo apud Græcum de abducẽdo Rege Ladislao clanculum pertractauit. In Noua insuper ciuitate cum Barone quodam de alto monte consiliũ habuit emittendi ad portam pueri, ubi parati essent qui eum equites F

abduce

A abducerent, Cũque nihil horum processisset, literas puero dictauit, quas scriberet Australibus, mandans eis ut ceptum propositũ cõtra Cæsarẽ retinerent, inuitumq; sese Italiã petere sciret. In Roma quoq; nõnihil tentasse cõfessus est, Sed omnia superat quod Florẽtiæ aggressus est facinus. Cũ Cæsar ex urbe rediẽs illac transitum faceret, expectabãt ibi Cæsarem Vngarorum & Australiũ Oratores, inter quos Aug. episcopus Laurinẽsis, huiusmodi cũ Caspare apud Ecclesiã sanctæ crucis colloquiũ habuit. Hic inquit, locus est, in quo nostrũ Regẽ libertati reddere possumus. Fides publica data est nõ Cæsari tantũ, uerumetiã Ladislao. Suadet igitur puero cũ Cæsar abire uoluerit usq; ad portã eũ sequatur. eò cũ uenerit, uelle se diebus aliquod Florentiæ immorari dicat, equũq; retrouertat. Quod si Cæsar ad exitũ uoluerit eum cõpellere, præsto erimus, uim Regi fieri indignũ esse dicemus: Fidẽ ciuitatis implorabimus: puer ipse coactũ sese uociferãs ad misericordiam populos commouebit. prius tamen apud senatũ urbis dabimus operam, præsto ad portã armatos habeat. quib. cohiberi Cæsaris uiolẽtiã posit. Ciuis hic est quẽ Budæ negotiantem nouimus, is se operã senatus impetraturũ pollicetur: Tu Regis animum præpara, nos hanc prouinciã cum magistratib. ciuitatis suscipiemus. Annuit Caspar atq; ad Regẽ profectus ex cõdicto cũcta disposuit, fuissetq; peractum facinus, nisi apud Florentinos plus quieta cõcilia quàm seditiosa uoluissent. Nam ciuis ille de quo pontifex laurinensis fecerat mentionem, cum de tali negocio magistratũ alloqueretur,
B grauib. uerbis reprehensus atq; correptus, ad episcopum rediens impeditas cogitationes exposuit. Nõ tamen cõquieuit Caspar, sed Regem cum Bononiã peruenisset, in hãc sentẽtiã summo põtifici propria manu persuasit scribere. Accepi S. pater aduersus fideles nostros, qui pro mea in Austria liberatione laborant. Sanctitatẽ tuam nõnullos processus decreuisse, quæ res mihi aduersa est. Precor igitur quicquid cõtra me actum est, reuoces. Id erit enim officij tui, cum scriptũ sit pupillo & orphano astabis: id nisi feceris, cõpelles me maiores iudices appellare. Alia fuerunt epistolæ uerba, effectus autẽ quẽ refero. Clausa epistola est, & signata missa est Augustino episcopo. an uero beatissimo Papæ Nicolao reddita sit, sua sanctitas nouit. me quidem latet. Hæc omnia suspicante non tamen sciente Cæsare hactenus gesta sunt. Cum essemus Ferrariæ, uelletq; Cæsar nauigio Venetias petere cõscius erratorũ Caspar eum adit, marinas aquas nauseam sibi mouere, ac nocentissimas esse, iturumq; terrestri itinere Teruisium si placet Cæsareo culmini, dicit. Obtenta licentia, & cum Patauium uenisset, receptis uniuersis quæ secum attulerat, & quæ in Italia coẽmerat, bonis, Veronam uersus iter festinus direxit, & qui per Tridentum & uallem Athesis ad Inum transirre decreuerat, unde cõscensa naui in Danubium nauigans Viennam deniq; perueniret. Tenuisset proculdubio propositum, nisi tabellarius quidam Cæsaris, ex Verona ueniens, hunc se obuium habuisse dixisset. ta
C men enim duo post eum equites cum familia missi sunt, qui non longe à Tridẽto ipsum cõprehenderunt, uinctumq; duxerunt Venetias, ubi omnia quæ supra memorata sunt, sponte confessus est, suaq; manu conscripsit. Ibi primum casus hominis ad meam noticiam uenit: nam Cæsar me uocans cuncta mihi exposuit, uoluitq; meas in manus hominem dare, quia sedis apostolicæ legationem in Austria me nosset habere. Indolui certe aduersam amici fortunam: Caspare multis iam annis amicissime usus eram, rebarq; uirum bonum esse, & omni beneuolentia dignũ. Exhorrui ergo cũ intellexi quæ ipse narrabantur, multumq; mecum ipse accusaui conditionis humanæ defluxum, quæ nihil certi, nihil fixi habet, caduca & fluxa omnia sunt: hodie leti sumus, cras mœsti erimus: modo sublimes, modo infimi reperimur. Cæsari autem respondi autoritatem mihi nullam apud Italos esse, utq; misericorditer ageret cum præsbytero porrexi preces. Ductus est deinde ad Nouam ciuitatem Caspar, hic rursus requisitus sum hominem ad me recipere, iudiciumq; super huiuscemodi criminibus agitare. Grauis res mihi uisa est. At cum legati autoritate fungerer, non uidebam quo pacto Cæsaris petitionẽ recusare possem. Habita uero deliberatione, iudicem me dixi futurum, si rite & iuxta canonicas sanctiones procederetur. Personam autem rei nolui custodiendam assumere, qui non haberẽ locum in quo eum opportunè recluderem. Placuit Cæsari responsio mea, qui neqe se

 plus

plus uelle ait, quàm sacri canones ordinarēt. Adductus est autē semel ad præsentiā meā Caspar præsente notario mareschallo & Procopio equite Bohemiæ qui ultro sese peccasse confessus, uniuersa quæ supra de ipso scripta sunt, ex ordine cōfirmauit, & acceptās me sibi iudicem deputatum, ut sui misererer, seq; Cæsari cōmendare cum multis lachrymis flagitauit. Iussi eum boni esse animi, quia quantum honestas pateretur saluti suæ cōsulerem. Post hæc reclusus est in carcere, nō squalido aut tetro, sed lucido & spacioso, quamuis securo & optime munito. Ibi & locū secessus habet, & plumas in quib. iacet. & breuiarium per quod oret. Cibus ad eum bis in die defertur, ex his bibit & cōmedit quæ familiæ Cæsaris apponuntur. Fateor misera uita est, sed hanc frequēter suis delictis homines asciscūt. Iudicis in eum nō principis habeo potestatem: legem me scriptā non meū sequi arbitrium cōuenit. Quod si libera mihi potestas esset, cū sim ego peccator in cōspectu Dei, dignusq; graui fulmine, præstarem me Caspari qualē mihi uellē Deum esse. Nec difficilis ueniæ reperirer, cuius dies noctesq; indigentē me scio. At modo iudex ligatas habeo ad leges manus, neq; sæuire in Casparem debeo, neq; illū per indulgētiam impunitum remittere, dum pars est quæ iudiciū petit. Facio igitur nisi fallor quod mihi incumbit. Eapropter uellent aliqui qui Cæsari proximiores sunt, & in cōsilio primi, Casparē torquere, ut plura cōfiteretur: Idq; per me sibi licere deposcunt. Negaui me quicquam permissurū nisi quod iudiciarius ordo requireret. Sic homo usq; in hanc diē intactus est. quamuis sua culpa custos eius capite plexus sit, quē ipse ad relaxandum sese induxerat. Inter hæc habiti sunt, quāplurimi tractatus pacis cū Australibus. Modo Rex Ladislaus, modo Vngari, modo Bohemi liberationē eius efflagitarūt, quib. homo neq; negatus est neq; cōcessus. Mihi dū talia pendēt, nō est uisum expedire aut officij mei esse solicitare processum. Taceo igitur neq; plus quæro quā quæror. Cæsari tamen sæpe ut captiui misereatur uerbū feci, quē libenter extra miseriā uiderem, tum sui causa cui exceptis criminibus, faueo, tum propter me, ut onus hoc non leue deponerem. Sic res in hanc usq; diem deductæ sunt. Si sum culpa dignus, acre tuū iudiciū excutiat. Male ut arbitror mecū agunt, qui mihi in hoc negocio quicuis uel modicum imputant reddūtq; pro bono malum dicentes lucē tenebras & tenebras lucē. Veritas tamen enatabit, nec me reor falsa calumnia opprimet. Sum mihi conscius, & quicquid reliqui sentiant, gaudeo in cōscientia mea. Hæc uolui ad scripta tua dixisse, quibus me nonnullorum uocibus male notatū scribis. Siquis Dignationi tuæ deinceps incusauerit, habebis quæ possis pro defensione mea obijcere: spero autē quia non cuicq; mihi detrahenti credas. Quātum uero ad literas sacri collegij attinet, ego illas Diuo Cæsari reddidi, & quæ uisa sunt ad rem addenda uerba his terq; ue subiunxi. Maiestas sua deliberaturam se ait & sacrosancto senatui quæ meliora cogitauerit responsuram. Ago tibi ingētes gratias quod negocia Bohemica me rogante, S domino nostro exposuisti. Vale ex Noua ciuitate die XII. mensis Nouembris, Anno M. CCCCLIII.

De crudeli amoris exitu Guisgardi & Sigismundæ Tancredi Salernitanorum principis filiæ, Epist. CCCCX.

Leonardus Arentinus Bindactio Ricassolano uiro præstantissimo, S.

CVm sæpius mecum egisses ut fabulam Boccatij de Tancredo principe Salernitano eiusq; filia Sigismunda uulgari sermone scriptam in Latinum conuerterē, recepi me tandem esse facturum: ea maxima suasione inductus, quod Franciscum Petrarcham uirum clarissimum aliam eiusdem libri fabulam Marchionis uidelicet montis ferrati in Latinum uertisse agnoueram. Recepta igitur ea re, tempora quædam occupatissima interuenerunt, per quæ differre quæ promisseram contigit. Itaque nunc tandem eam fabulam ut uoluisti, Latinum per me factam ad te mitto. Et ne mora hæc dilatioq; interposita sine usuris transiret, aliam de meo adiunxi fabulam, Selaici & Anthiocij filij contrario penitus exitu euentuq; conclusam, eam uulgari sermone scripsi, ut unam de uulgo sumerem aliamq; pro eo redderem non minus amœnam. Tu igitur eas leges cæterisque legēdi copiā facies si in eo digne uidebūtur, quæ in manus exeant aliorū. Vale.

Tancredus

A Tancredus fuit princeps Salernitanus, uir mitis quidem ac benigni ingenij, si modo in senecta manus suas amantium sanguine non fœdasset. Hic toto uitæ spatio sobolem non suscepit præter filiam unicam, longeq; melius secum actum esset si ne ipsam quoque suscepisset. Filiam uero hanc ut unica erat, sic unicè dilexit, eaq; eximia charitate affectus. Et si multi puellæ eius coniugium affectabant, tamen quia ægrè diuelli à se patiebatur, ultra legitimos annos illam domi retinuit. Tandem uero filio Campani ducis in matrimonio collocata, non multos post annos marito defuncto, uidua est ad patrem reuersa. Erat hæc formosissima corpore, atque pulcherrima uultu plenaq; naturæ uenustatis. Ingenio autē & intelligentia maiore quàm fortasse mulieri conueniret. Moram igitur trahens apud patrem, & utpote magna mulier, multis delitijs affluens, quandoquidem animaduertebat, patrem propter eximiam sui dilectionem de altero sibi tradendo coniuge minime cogitantem, & contra pudorem erat ab eo postulari, Secum ipsa statuit, ut si fieri posset occulte, amantem aliquem generosi animi sibijpsi conquireret. Erat paterna domus plena nobilium ignobiliumq;, ut aulæ magnorum principum esse consueuerunt, quorum multorum pensatis moribus uitaq; & forma, demum ad iuuenem quendam nomine Guisgardum humili natum genere, sed moribus egregium, nobilem, super omnes alios mentem deflexit, eumq; B frequenter intuens, & indies magis ac magis illum probans, ardenter amare iuuenem cœpit. Ipse quoque nequaquam ingenio tardus, deprehensa mulieris mente, ita illius amore incensus est, ut cunctis alijs præhabitis curis, de illa sola noctesq; cogitaret. Hunc in modum, sese mutuo amantibus, cum nihil magis optaret mulier quàm in unum conueniri, nec cuiquā alteri mentem suam aperire de ea re uellet, talem demum uiam excogitauit. Iuueni scribit, & quid facere illum uelit per literas monet. Eas uero literas uano arundinis baculo includit, eamq; arundinem quasi iocans iuueni dat iubens, ut eam ancillæ suæ tradat per commodum instrumentum ignis suscitandi. Guisgardus autem arundine suscepta cogitans non ab re sibi traditam fuisse, domum abijt arundine quoque patefacta, literas reperit, quibus lectis, & quid illa fieri uellet edoctus, incredibili lætitia profusus est. Confestimq; dare operam cœpit, quo ad illam quemadmodum ipsa ostenderet proficisceretur. Erat iuxta principis ædes antiquum antrum, desuper foramen: Etenim iamdiu ipso antro nullus utebatur, uepres arbustaq; uestierant: Ex antro aditus erat secretus ad cubiculum, in quod tunc temporis mulier degebat, licet magno robore postis clausus & obseratus. Et quia penitus in desuetudinem uenerat nemo eius aditus tenebat memoriam. Sed amor (cuius oculis nihil absconsum est) reduxerat hunc in mentem amantis mulieris, quæ sagaci consillo annixa, ne quem conscium facti haberent, ipsa (licet per se) longo conatu C aperiendi ostij inuenerat facultatem. Inde ipsa sola antrum descendens, ac foramen illud unde lumen infundebatur speculabatur, per eum locum ut ad se ueniret Guisgardus, scripserat, altitudinis etiam mensura literis denotata, quo ille parato instrumento descendere posset. Guisgardus igitur his omnibus per mulieris literas cognitis, qua causa exequeretur, funem nodis capistrisq; impigre præparauerat, per quem descendere & ascendere ualeret, corioq; indutus, quo à uepribus tutior fieret, nullo penitus comitante uel conscio, nocte insequenti ad foramen peruenit, ligatoq; funis altero capite, ad arbustum quoddam in ore foraminis natum, per funem sese dimisit, in antroq; ut optabat consistens mulierem præstolabatur. Mulier uero ubi dies illuxit, neque prius arciscendi facultas aderat, finxerat se requietis somni indigere, ac eo prætextu comitibus ancillisq'ue dimissis, ipsa intus sola ostium aperuit, repertumq; in antro iuuenem cupientissime in complexum recepit. Ingressiq; subinde mulieris cubiculum inenarrabiles dictu cœperunt uoluptates, sumptaq'ue insecuturum tempus, quo amores eorum secretius forent, ingeniosa forma Guisgardus in antrum reuersus est. Mulier autem obserato ostio ad ancillas iam suas, comitesq'ue regreditur. Facta deinde nocte, Guisgardus per funem ascendens foramen

ramen ipsum unde descenderat egressus, nemine penitus sentiente, domum suam repetijt. Cumq; id iter didicisset, frequenter eò reuersus, cum amante muliere, ipse non minus amans congrediebatur. Sed fortunæ tam longæ uoluptatis inuidia, tristissimum tandem euentum duorum amantium in luctum amarissimum acerbissimumq; conuertit. Consueuerat enim Tancredus sine ullo comite in cubiculum filiæ descendere, ibiq; sermone aliquo instituto, cum eo aliquando morari ac postmodum abire. Ex hac igitur consuetudine, cum forte die quadam per meridiem in cubiculum filiæ Tancredus descendisset, nemine ibi reperto, propterea quod Sigismunda (sic enim filia uocabatur) cum ancillis in hortis erat, nolens eam ex suis delectationibus auocare, cum fenestræ cubiculi clausæ, ac peristromata lecti dimissa essent, iuxta lectum ipsum in postrema parte super puluino quodam sedit, reclinatoq; ad lectum capite ac peristromamate ante se tracto soporari cœpit. Cum ita dormiret, Sigismunda, & infausta per eum diem facta, Guisgardum ad se uenire fecerat, relictis in horto ancillis, pedetentim in cubiculum se recepit: Clausoq; cubiculo (nec uiso patre) ostium antri reserat, Guisgardoq; intromisso super lectum, ut consueti erant, ludentes plaudentesq; consistere. His excitatus Tancredus, cum uigil factus esset, sensit & uidit omnia quæ fiebant. Summoq; dolore concitus primum exclamare uoluit, postea melius illi uisum est silentio latere, quo cautius ac magis tecto dedecore suo, ut iam cœperat animo, suppliciū sumeret. At duo amantes securi protinus, ac nullius insidiæ gnari, cum satis diu uoluptatibus perfuncti essent, tandem surgentes, Guisgardus quidem in antrum, Sigismunda obserato postea ostio ad ancillas reuersa est. Tancredus eadem qua uenerat solitudine, cubiculo filiæ egressus, incredibili dolore suffusus in suum cubiculum abijt. Missisq; per noctem famulis, qui foramen illud custodirent, per quod Guisgardus exiturus erat corio indutus, qui cōprehensus principi præsentatus est, lachrymans Tancredus, sic eum allocutus est: Benignitas mea Guisgarde, quàm erga te habui, nequaquam hoc dedecus & iniuriam in meis fieri rebus à te merebatur, ut ego sum hodie meis oculis conspicatus. Ad hæc Guisgardus nil aliud respondit, quàm hæc. Princeps inquit, multo maior est amoris potestas, quàm tua aut mea. Imperauit igitur Tancredus ut secreto custodiretur. Sequenti mox die, ignara omnium Sigismunda, cum uaria ac diuersa Tancredus cogitasset, in cubiculum filiæ quemadmodum consueuerat, post prandium descendit: Remotisq; arbitris lachrymans ita cum illa locutus est: Cum uiderer mihi ita Sigismunda, & honestatem & uirtutem tuam satis perspectam habere & cognitam, persuadere animo meo nullus potuisset unquam te commisisse, sed ne cogitasse quidem de pudicitia tua alieno uiro prostituēda, nisi hoc ipsum proprijs oculis prospexissem. Itaq; breuissimum hoc uitæ spatium, quod senectuti superest meæ luctu semper ac mœrore dego, refricāte memoriam animo flagitij per te commissi. Atque utinam postquam ad tantum scelus descensura eras: uirum saltem delegisses talem qualis nobilitati tuæ congruebat. Sed ex tanta multitudine eorum qui aulam frequentant nostram, Guisgardū tibi delegisti humili ac sordido genere procreatum, & à nobis ob inopiam parentū suorum ab ipsa adolescentia (quasi quadam commiseratione) nutritum. Quàmobrem, quo me uertam nescio, aut quid consilij sumam. Nam de Guisgardo quidem, qui hac nocte meo iussu captus apud me custoditur, quid faciendum sit ipse mecum statui: de te autem incertus sum consilij, nec statuere adhuc potui, quid agere debeam, cum ex altera parte dilectio quàm ego maiorem quàm ullus unquam parens erga te habui, me retrahat, altera uero ex parte, iusta indignatio, tua culpa flagitiumq; impellat, quorum alterum ut ignoscam, alterum ut soluam adhortantur. Sed priusquā certum aliquid super te statuam, quid de hoc respōdeas audire cupio. His dictis uultum dimisit, instar pueri lachrymans uapulantis. Sigismunda uero postquam Guisgardum captū & amores suos patefactos intellexit, incredibili dolore percussa uix à fœminili prolatu ac uociferatione sese potuit cōtinere. Magnitudine tamen animi fœmineam uincens fragilitatem, constanti uultu fronteq; elata respōdit, secum ipsa statuēs è uita decedere uelle, quandoquidē eius amans Guisgardus uel decessisset, uel certe decessurus

A cessurus esset. Ita nec ueniam petere, nec placare patris iram perrexit, sed forti inuictoq; animo, uitam despiciens ad hunc modum locuta est: Tancrede neque negatura equidem, neque deprecatura sum, quoniam alterum mihi prodesse non potest, alterũ nolo ut prosit. Præterea nulla penitus in re captare beneuolentiam, aut inclinare mansuetudinem tuam constitui, sed factum plane confitendo, uerbis efficacibus uerissimis rationibus purgare famam meam primo, deinde pari magnitudine animi, facta uerbis consentanea ostendere. Fateor igitur amasse Guisgardum, & donec uita suppetet (quod erit per breue) nunquam amare illum desistam, quinetiam si post mortem sensus aliquid remanet, tunc quoque illum amabo: sed in eius amorem non tam cupiditas muliebris me impulit, quàm negligentia tua. Cogitare profecto debuisti Tancrede, cum tu è carne sis, filiam quoque tuam è carne genuisse, non autem lapideam aut ferream: meminisse etiam debuisti, quamuis in senecta tu nunc sis, quales & quàm uiolenti sint in iuuenta naturæ feruores & impetus. Et licet melioribus annis magnam uitæ partem in armis militiaq; protriueris, considerare nihilominus debebas quantum ocia delitiæq; non in iuuenibus modo, sed etiam in senibus possint. Sum igitur fœmina utpote à te genita, & ætate iuuenis, & utraq; de causa concupiscibilis, desiderij plena. Cui quidem cupiditati innumerabiles insuper flãmas addiderunt, ex parte quadam, quas sum experta nupta dũ essem huiusmodi cupiditatis explendæ uoluptates. His ego

B stimulis noctes diesq; urentibus, cum resistere nequirem, tandem succubui. Adhibita nihilominus diligentia quantum fieri humano consilio potuit, ne infamiam res ista tibi mihiq; affert. Cui nempe uoto pius amor & fortuna benigne annuerat, occultamq; uiam mihi ostenderat, per quam latenter & à carne nullo alio consilio ad optatum desiderium peruenirem. Hoc autem undecunq; tibi indicatum sit, uel undecunq; cognoris, equidem non inficior uerum esse. Guisgardum uero non fato ut solent mulieres, sed cogitate deliberateq; quem amare delegi, sagaciq; consilio introduxi, & constanti perseuerantia, fructum amoris mei longo tempore summo cum gaudio suscepi. Quod à te mihi de ignobilitate illius obijcitur, quod minus peccatum à me foret, si nobilem aliquem delegissem. In hoc falsam opinionem uulgi consecutus es, nec uides te non Guisgardum, sed fortunam accusare, quæ frequenter indignos ad alta leuat, dignosq; humi deprimit atque pessundat. Verum ut omittamus hoc, & principia rerum contemplemur. Certum est nos omnes homines ab uno homine originem habuisse, uirtus sola æqualiter nos natos distinguit, & quorum opera extolluntur, eos nobiles & claros reddit. Et quamuis uulgi opinio ignara quidem, atque indocta aliter sentiat, ueritas tamen suo demoueri loco haud quaquã potest. Itaque is est uere nobilis existimandus, cuius opera uirtuosa conspiciuntur, & qui aliter eum appellant, non illi de-

C trahit quem appellat, sed ipsum se ignorantiæ stultitiæq; condemnat. Intueare igitur Tancrede nobiles tuos, uitamq; uniuscuiusq; & mores examina, aliaq; ex parte Guisgardi mores uitamq; recense: Certe si iudicare uolueris, non dubito, quin eum nobilissimum fatearis: contra uero nobiles istos tuos longe abesse à nobilitate. Equidem de Guisgardi uirtute atque præstantia, nullius ulterius magis quàm tuis assentionibus & prædicationibus credidi, quis unquam usqueadeo laudatus est à te, ut ille in cunctis operibus quæ ad exercitationem pertinent uirtutis, nec sanè immerito. Nam nisi meum fallebatur iudicium, nulla laus illi tributa est, quàm non mirificentius etiam quàm à te dictum esset, adimpleret. Dices ergo me mihi hominem ignobilem delegisse? Certe falsum dices. Atque si inopem dicis, concedo equidem id cum dedecore tuo, qui uirum præstantem, familiarem tuum nullis afficere præmijs studuisti. Veruntamen inopia generositatem non tollit, quanquam opera impediant. Multi denique Reges principesq; fuere, qui nati sunt ab initio tenues atque inopes. Multi etiam nunc inopes atque proprijs manibus opus facientes, uel pastoritiam exercentes: Iam ipsi & suis diuitijs abundarunt. Quod autem extremo loco dixisti ambiguam tibi de me esse sententiam, nec statuere adhuc potuisse quid sit agendum. Pone quæso hanc ambiguitatem: Si in Guisgardum sæuire constituisti, uerte in me crudelitatem tuam, quæ delinquendi causa

atq;

atque principiū fui: equidē nec pœnā deprecor, nec formido. Addo & illud in Guisgardum quicquid à te factum erit, etiam si in me idem non feceris mea tamen manus ipsa efficiet. Nunc muliebri more lachrymas, sparge etiam uno eodemque ictu, illum & me (si ita meriti uidemur) interfice. Sensit magnitudinem animi Tancredus in filia concitari, non tamen æstimauit ad extremum, ut uerba significabant esse facturam. Itaque ab illa digressus, cum secum ipse statuisset nullo modo in filiam sæuire, alieno sanguine cogitauit amoris incendium in illa restringere. Præcepit ergo custodibus qui Guisgardum obseruabant, ut per silentium natis sine ullo tumultu iuuenem strangulent, corque illius detractum ad se deferrent. Id cum fecissent, Tancredus patera aurea cor illud impositum deferri ad filiam iussit cum his uerbis: Pater tuus hoc tibi dono mittit, ut consoleris te de ea re, quàm tu plurimum amas, quemadmodū & tu cum ea re quàm ipse plurimum amabat consolata es. At Sigismunda firmo parendi proposito post patris à se digressum herbas, radicesque uenenosas distillauerat, eamque distillationem seruauerat ad mortis uiam, si quid (ut formidabat) de Guisgardo contigisset. Ad quam postquam patera est delata, & uerba desuper dicta intento uultu, recepto dono, patera desuper aperta cor aspexit, & uerba secum ipsa reuoluit: statim haud ambigua fuit, cor illud esse Guisgardi. Itaque ad famulum qui donum detulerat conuersa, inquit: Non aliud profecto sepulchrum quàm aureum tali conueniebat cordi, & in hoc quidem decenter factum est à patre. His dictis ad motum cor ad labia osculata est, deinde subiunxit. Cunctis rebus semper usque ad hoc extremum uitæ meæ, reperi erga me teneram admodum patris mei charitatem: Verūtamen nūc multomagis quàm unquam alias: ideo ad extremas gratias, quas pro tanto munere sibi debeo pro mei parte illi referes. Conuersa post hæc ad pateram quam strictis tenebat manibus, cor ipsum intuens sic locuta est: O iocundissimum ac suauissimum hospitium uoluptatum mearum: Pereat illius crudelitas, qui ut te oculis conspiciam facit: Nam satis erat mente & animo intueri: peregisti cursum tuum, quem tibi fortuna dedit, & functus es fine: Et ab inimico tuo id sepulchrum habuisti, quod tua merebatur præstantia: nec quicquam deerat funeri tuo præter lachrymas eius, quàm tu tam ardenter (dum uiueres) dilexisti, quas ut assequere, Deus parenti meo posuit in animo, ut te ad me mitteret, & ego persoluam eas, licet siccis oculis statuissem mori. His uero solutis, ut anima mea coniungatur efficiam, qui enim comite mihi iocundius esse posset iter aut tutius? persuadeo enim mihi animum tuū, hic adesse, & circum hæc uolitare, loca suæ uoluptatis contemplantem: Cūque adhuc amore mei teneatur, me præstolatur, ac sine me abire non uult. His dictis, non aliter quàm si fons quidem in oculis affuisset, nullo clamore edito, ut fœminæ solent, sed tacite in patera inclinata maximam uim lachrymarum perfudit. Innumerabilia simul oscula mortuo cordi infligens. Quæ aderant ancillæ quid cordis id esset, aut quid sibi uellent uerba illius ignorabant: Commiserationem tamen affectæ lachrymabant omnes: Causam ab ea sciscitantes, tam uehementis doloris, consolabantur certatim ut quæque maxime poterat. Ipsa uero cū satis sibi deplorasse uisa foret, sublato uultu, ac siccatis oculis ait: O amantissimū mihi cor, persolui equidē tibi officiū meū, nec aliud restat iam, nisi ut te comitē sequar: Subindeque acceptū poculū illud mortiferū impauida hausit. Cum uero potasset, lectū superascēdit, paterā cū corde manib. tenēs, amantisque cor cordi suo appropinquantē mortem iam tacite præstolabat. Sed quæ illā circunstabant mulieres atque ancillæ, quāquā nescirent qd poculi esset q̄d biberat, tamē ex actu ipso lamentoque suspicātes, rem omnē propere ad Tancredum detulerāt. Qui & ipse formidans, ne quid durius in seipsam filia moliretur, cōfestim in cubiculum eius descendit: sed tarde quidem & sero ferre auxilium & consolari afflictam conatus. Intellecta mortis necessitate, miserabiliter seipsum ac filiam deplorabat. Cui Sigismunda loquens, conserua, inquit Tancrede lachrymas tuas, ad casus illos qui per te optati nō sint, nec mihi eas impēde, quia nec desidero illas, neque uolo. Et quis unque præter te plorauit, idipsum quod fieri cupiuit. Sed tamē quicquid etiā nunc superest eius charitatis quā erga me habuisti, extremum hoc munus oro precorque, corpus ut meum cum Guisgardi corpore uno

A uno atque eodem sepulchro collocetur, ut postquàm tacite ac abscondite cum eo me uiuere noluisti, mortuam saltē palàm atque aperte cum illo (ubicūque eum proieceris) reponas. Magnitudo doloris atque gemitus, præcluserat Tācredi fauces, nec respōdere poterat. Sigismunda uero sentiens finem uitæ superuenire, stringens ad se Guisgardi cor, uelatis oculis omnes ualere iubens expirauit. Hunc acerbum habuere Guisgardæ & Sigismundæ amores. Tancredus uero post multos ac miserabiles gemitus, ductus sera pœnitentia, publico & doloroso Salernitinorum funere in eodem sepulchro ambos sepeliri fecit.

Vindicta illatæ uiolentiæ, quam de se extorsit Lucretia Romana speculum pudicitiæ, Epist. CCCCXI.

LVcretia Spurij Lucretij filia, & Collatini Latini uxor à Sexto Tarquinio Regis Tarquini filio per uim cognita, ipsa consentiente, solum infamiæ metu, ne Tarquinius, sicut minabatur, sibi occisè iugulatum seruum ei sociaret. Vocatis ad se patre & uiro eis rem narrat, ultionem promitti facit, & demum se uult occidere: uerāt pater & coniunx eiusmodi uerbis. Noli te affligtare Lucretia satis magnum argumentum dedisti te adultero non consensisse, tibique uim illatam quam pœnam eius expectas, quæ ultro quod celare poteras accusas? Hoc adiuuat uita præcedens tua, quæ nō solum in hominum oculis, sed etiam in secretis domus penetrabilibus & frugalitatem pudici-
B tiam coluisti. An recolis mea Lucretia, cum paucis ante diebus unà cum improbo illo adultero, prima facie huc aduenimus, tu inter seruas lanificio es reperta, interea improuisa, incauta, nec uirum, nec hospitem nunc expectans, ea dies, illa deprehensio castitatis, tibi uictoriam dedit. Regis nurus & filias commessationibus occupatas inuenimus, tu illis prælata es, tibi incorruptibilis gloria pudicitiæ parata est, nos iniuria ulciscemur, quæ mœsta uiolentos compressus improbi iuuenis pertulisti, dum ille mala gaudia ex inuita capiebāt: uidebis læta meritum regia de prole supplicium. Cur cum coacta præbuisti sibi de libidine nephanda solacium, tua morte, tuoque cruore uis ferocem animum eius saciare? An tibi non satis nota crudelitas patris, immanitas filiorum? Iste corruptor tui corporis quot cedes expleuit in Gabios? quot ibi interierunt innocentes? Si ipsum odis, si sibi ex animo supplicium exoptas, fac uiuas, fac ut te uideat in suis pœnis exultare, fac quod cum se uiderit inuisum & infamem periturum, te, cuius corpus attigit, uideat integro famæ lumine superesse. Noli Lucretia uiduare coniugem, orbare parentem, & filijs matrem auferre. Opta uitam, ut aspicias aliquando uindictam. Non habes unde mori uelle debeas: pollutū est corpus, sed integer animus: Nulla sine consensu culpa contrahitur. Quis nescit te non potuisse resistere? nudam, dormientem, incautam, & nihil tale uerentem, armato iuueni ad homicidium uel adulteri-
C um præparato: potuit ille ætate florida, & autoritate regia quamlibet aliam permulcere, & secum in illecebras trahere, rigidum uero pectus tuum mollire non potuit. Solus ille cum duo tantum essetis uiolentiam tulit, & in corpus tuum adulterium patrauit, atque perfecit. Tu quod muliebris fragilitatis est, iniuriam pertulisti, mentem intra cōcubitus uiolentiam pudicissimam cōseruasti, si gloriam quæris, nihil hinc gloriæ potes adijcere, quæ iuueni amanti & auide libidinem suam explenti, te nō mulierem carneam, sed statuam marmoream præbuisti. Adde chara Lucretia, quod tu non mortem ullo uiolento cōsensu, sed infamiam effugere uoluisti. Tunc enim demum potestatē prebuisti tyrāno, cū se tibi iugulādæ seruū nudū occisurū iuxta corpus tuū minatus est. Te pater, te uir culpa absoluunt: noli sola teipsam illa quam uocas culpa, damnare: infamiam morte fugemus? tu famam corrumpis, tristitiam uitæ nobis morte, illata finimus. Tu uindictæ gaudia mortis præparans, non expectas denique scelus aliquod? dum manus nobis inijcimus expiamus? tu innocentiam, occupata morte, corruptura es. Vir, pater Brutus & alij coniuncti qui te culpa absoluunt, ne te occidas uetant. Cur te occidendo iudicium ipsorum damnas? si te occidis, culpam tibi qua cares, quamue fugis, incurris Nunquam putabitur innocens, qui se nocentem supplicio afficit. Responsio Lucretiæ antequàm se ense perfodiat. Nolite me, pater sanctissime, tu quoque luce quondam mihi

mihi charior coniunx, morti prohibere. Nisi me occidero, nunquam fides erit me potius, infamiam quàm mortem uitare maluisse. Quis unquam credat, quod ille me seruicidio terruerit? meq; magis consociandi serui ignominiam suspiciosam timuisse quã mortem? nisi moriendi fortitudine audaciaq; probauero. Restabit me miseram turpissima labes infamiæ Lucretiam potius adulteram uoluisse uiuere, quàm pudicam mori. Nonne uidetis, quod me non uitæ uultis, sed infamiæ conseruare? cõsulitis quod permisistis iniuriæ. Sanctitate matrimoniales thoros facite, quod ultro tanti flagitij securos reddat aliarum somnos. Si negligentius hoc egeritis, uagabitur effrenis libido, & nedum uiris absentibus, sed etiam in maritorum complexibus Romanæ mulieres proter uorum iniuria iuuenum comprimentur. Etenim quæ mulier erit tuta, uiolata Lucretia? Tu autẽ charissime coniunx, quomodo poteris ire in meos amplexus, qui te non tenere uxorem tuam, sed scortum Tarquinij recorderis? Et tu pater sanctissime, quomodo me tuam filiam appellabis, quæ pudicitiam quam sub optima tua disciplina ab infantia didici, tam infeliciter amisi tanquã iniuriose corrupi? Me miseram uidebo ne natos intueri, quorum uentrem adulter oppressit? quid si semen infelix, infaustum uisceribus inhæsit meis, an expectabo donec ex adulterio mater fiam. Noli mihi splẽdorem exactæ uitæ ante oculos ponere, quæ si quicquã sincerum tot annis immaculatũq; seruaui, infelicissima una nocte dum accipio non hospitem, sed hostẽ, amisi. Non est ulterius mea uita iocũda, sentio quod pudicitiæ studium opportunam me fecit iniuriæ. Non formam, sed castitatem meam expugnare uoluit, nephandus adulter. si hunc fructũ continentiæ tuli, quid pollutum stuprum & adulterium manet, nisi quod nõ meretrix lupanaribus includar, sed passim ubiq; diuolans fœda prostituor. Heu mihi, poterit ne iste animus insons & sine culpa flagitij ulterius, cum isto corpore corrupto permanere? Num putatis ullam esse corporis corrupti uoluntatem? Fatebor occultum nephas, parce parẽs, parceq; marite, & uos dij castarum mentium indulgete. Non potui, fateor, tantam animo concipere tristitiam, nec ab illo cõplexu mentẽ adeo reuocare, quin subierint male obediẽtium membrorum illecebræ, quin agnouerim uestigia maritalis flãmæ, illa tristis & ingrata, licet qualiscunq;, tamen uoluptas ferro ulciscenda est. Vestrum autem erit, si quid in uobis Romani spiritus, & scelus istud ulcisci, extinguatur quicquid habuit aliquod uoluptatis. Nimiæ sunt uires ueneris: nolo quod unquam tanti facinoris imago ante oculos uestræ mentis agatur: nihil muliere mobilius, ægritudinem animiq; motus nedum mollit, sed nedum extinguit tempus: si distulero, forsitan incipient flagitiosa placere. Dimitte ferro transfigam hoc pectus, quod ille uiolentus amauit: in quo primum excitamentum libidinis infixis mamillis digitis contrectauerit suis. Nolite me ad misericordiam excitare, si uitæ parco, iam adulteræ parcam, si parcam adulteræ, iam parcam adulterio, si parcam adulterio, iam placebit adulterium, iamq; placebit adulter. Inceptum est in me flagitium, si uitam morte prohibeam, ne aliquando uiuet inceptum explere, nunquã scelus remanebit ubi incepit: Credent omnes mei infamiam timuisse non mortem: quod testibus probare non possum, sanguine meo ratum efficiam. Is mi anime incorruptæ imaculatæ testis innocentiæ meæ, apud Minoys & Acharontis tribunal: ibiq; prolem regiam uiolatæ pudicitiæ & polluti corporis accusabis. Tuq; terrestre corpus, quia tibi causam adulterij peperisti, effunde animam, effunde cruorem: hoc omen ut habere incipiat superbi Regis & infaustæ prolis excidium. Tuq; uir quõdam charissime, tuq; pater sanctissime, quorum conspectum pudore & infelicitate libenter mea effugio uosq; amici ualete: nulli Romanæ mulieri detur in exemplum Lucretia, ut sibi persuadeant impudicis licitam fore uitam.

Commendat fratres beati Francisci de obseruantia. *Epist.* CCCCXII.

Aeneas episcopus Senensis, Dominico Car. Firmano, S. P. D.

QVamuis scribente Cæsare ad negotia fratrum beati Francisci de obseruãtia commendante modestius fuerit me silere, quia tamen ob memoriam diui Bernardini conterranei mei huic familiæ singulariter afficior, nequeo me comprimere, cogor assistere sanctæ familiæ, neq; mea patrocinia his negare possumus, quæ nõ me solũ

sed omnes

A sed omnes Christi fideles suis orationibus ac pijs operibus adiutant. Vtinam esset in me auxilij copia, & aliquid posset patrocinium meum, profecto nihil his de seruis denegarem. Nametsi sum ipse peccator & iniquitate circundatus, diligo tamen eos quorum uitam castam mundamq; uideo: quia quanto minus est in me uirtutis, tanto eos iuuare attentius debeo, quorum probitas in aperto est, ut si nequeam meis actibus Deo placere, horum saltem comendationibus reddar acceptus. Sicut em̄ pauidi ac pusillanimes in prelio seculari milites fortiū uirorum uirtute saluant, ita & in beati Petri nauicula prudentes & animosi nautæ, uecordes atq; ignauos seruant remiges. Facit hoc religio beati Francisci, quæ apud obseruantes habet. Hæc enim ueluti lectissima militum manus undiq; Christianorum lustrat exercitum: nūc istam nunc illam partē tuet: arcet insidias, impetum frangit hostium, semper armata, semper in uigili, semper in negocio, nobis ut ocium pariat. Scimus quantum sub Bernardino Senensi iam supernæ Hierusalem curiæ hæc religio ecclesiæ catholicæ profuerit. quantūq; modo sub fratre Ioanne Capistrano utilitatis attulerit. qd hæc religio aliud agit, quàm quæ iubere nouimus Euangelium? sentes ac tribulos ex agro dominico diuellit, semen bonū seminat, zizaniam & loliū sarculo ueritatis præcidit, exterminat auaritiam, pellit libidines, fulminat illecebras uoluptates, strangulat ambitiones & odia fugat, ignauiæ ac secor-
B diæ stimulum adigit, & aperiens in ecclesia diebus singulis os suū pœnitentiā suadet, & uiā domini in ueritate docet. Hæc sunt opera fratrū qui de obseruantia nuncupant. Nescio cui hæc nō placeant. Credo quæ non sunt omnino præcisa ab ecclesia mēbra, omnibus horū gratam esse conuersationē, nec me dubium habet quin sancta sedes apostolica his Christi militibus afficiat. Nam & Romani præsules quàm plurima huic familiæ priuilegia contulerunt, quibus ab infestationibus hostiū perseueraret illæsa. Sed audio nouissimis diebus non nihil suggestū beatissimo patri nostro Nicolao quinto aduersus huiusmodi sanctam sacramq; congregationem. Fertur enim Sanctitatem suam literas Eugenij prædecessoris sui, quæ in fauorem horum de obseruantia fratrū emanauerant, seu reuocasse seu suspendisse, quod minime fecisset nisi, ut aiunt, sinistre de conseruationibus horū fratrum fuisset instructus. Perniciosa res est lingua fallax & subdola, multumq; damni sæpe in comuni affert. Sed magna uis ueritatis, quæ contra omniū insidias facile ipsam emergit. Vita horū fratrum in aperto est: Nō potest abscondi ciuitas supra montem posita: Est hæc familia quasi lucerna ardens supra candelabrum, quæ domū domini hoc est ecclesiam miro splendore irradiat. Venit aduersus eam princeps huius mundi, & nihil habet in illa. Fundata est domus supra firmam petram, nihil est quod in eam ualeant aquilones. At quamuis credit hæc cœlestis Imperatoris sustentata manu, neq; timeat uersucias serpentinas, cupit tamē eius consilio confoueri, qui locū
C magni Dei tenet in terris. Nā etsi domus ipsa dirui siue demergi beati Frācisci nauicula nequeat, possunt tamē ex inquilinis siue ex nautis nōnulli periclitari, neq; omnino tuta est nisi Apostolicæ sedis præsidio muniatur. Meum nihil est de alto iudicio sacri senatus censere, aut de prima sede quicquam dicere, cuius opera iudicare in terris mortalium nemo potest. Non tamen errare me putauerim, si apud Dignationem tuam animi mei secreta aperuerim, & quod ex usu crediderim, sapientiæ tuæ palam fecerim. Nam & hoc iurasse memini me facturum, cum sacris pontificalibus initiarer. Ego ut aperte loquar, tuæ dignitati uehementer timeo, ne nouitas hæc scandalum pariat, si fratres de obseruātia ad conuentuales migrare permittantur. Hoc enim in primis non intelligo licitū esse. Vouete & reddite scriptum, scimus seruanda sunt quæ sanæ mentis promittunt pubeꝛes. Claudenda est porta quæ ducit ad interitū, aperienda quæ mōstrat uitā. Sunt præterea ut fama est, supra uiginti milia fratrū qui de obseruantia dicuntur: Tota Christianitas his plena est, non est leue tantā offendere multitudinem: incautū est cū his contendere. Quod si dicatur multo plures esse cōuentuales, doctrināq; horū perspicatiorem uideri, prædicationes quoq; in omnibus urbibus audiri. Nihil moueor. Parū prodest sermo, cui uita cōtraria est: Neq; scientia sine sapientia proficit. Monasteria cōuentualiū cōminui ac ruere cernimus: Obseruantiū augentur & florent: His principū au-

res patet, neq; pōtifices alij aut alij plati his aduersant: Nihil em̄ ab his parochialiū iura læduntur: subsidio plebanis nō oneri sunt. Conuentuales aūt nunc offertoria recipiuntur, nunc de iure sepulchrali cōtendunt: ob quas res acceptiores omni populo sunt obseruantes quàm conuentuales. Taceo de uita dispari quæ ipso nomine designat. Mihi profecto non uidetur expediens Romanum pontificē hanc familiam contristari debere. Et quoniā tua Dignatio ueritati fauere ac diuertere scandala pro sua uirili cōsueuit, præsumpsi hæc tibi scribere, Intelliges ex literis Cæsaris animū, eis utile censeo prouideri. Frater Ioannes homo Dei est, populi Germaniæ quasi prophetam eū habēt: posset cū uellet, eleuato digito magnā turbā facere. Sentio ex his qui penes eū sunt, ægre sibi esse q̄d de bulla Eugenij fertur, sed homo sapiens spē uultu simulat, premit altū corde dolorem. Quamuis scio cōstantiā eius immobilē neq; timendū esse quæ semper apostolicæ sedis dignitatē ac eminentiā prædicauit, retrocedere linguā: Decet tamen summi pontificis prouidentiā his benefacere, eosq; consolari qui de Romana ecclesia sunt benemeriti, qualē esse hunc Ioannē cū suis fratribus nemo qui sapiat inficias ibit. Hæc bona uenia dixisse uoluerim: tua Dignatio quæ libera uoce dico in partem recipiat meliorem, meq; suo more commendatum habeat. Ex Noua ciuitate, die XI. Ianuarij. D

Reprehendit malè scribentem, *Epist.* CCCCXIII.

Aeneas Episcopus Senensis, Ambrosio Spannochiæ, S.P.D. E

CIncurellus papæ tabellarius tuas literas ad me detulit, quas rectius dixerim lituras. Nescio Græcè an Hebraicè scripsisti. Latinè quidem minime: non enim intellexi unicum uerbum. nec penes me quisquam fuit qui tuos caracteres cognosceret: perinde est igitur ac si nihil ad me scripsisses. Reseruo penes me scripturam tuā, ut cum Romæ ueniam, tibi reddam & à te petam expositionē. Interim non est quod possim respōdere, nisi mihi glosulas miseris. Vale, & scias me deinceps latinas literas, non uncinos mercatorios didicisse. Ex Ratispona, die III. Maij, Anno M. CCCCLIIII.

Refert grates promotori singularis amici sui, *Epist.* CCCCXIIII.

Aeneas Episcopus Senensis, alto & potenti uiro Petro de Noxeto *comiti Palatino,* S. P. D.

IN eo loco ad quem te tua uirtus euexit, ut primus Romani pontificis latus stiparis multa abs te acta sunt, quæ me tibi maximopere deuincunt. Nullum tamen est ex omnibus tuis operibus quod mihi uel iocundius uel acceptius fuerit, quàm Ioannis nostri Cāpisij subleuatio, quem diu iacentem, humi calcatum fortunæ pedibus, inopia pressum, tua ope tuoq; studio & ingenti conatu iam erectum & inter principes ecclesiæ collocatum suis literis accepi. Fecisti probe q̄d bonū uirum, quod amicum, quod te decuit. Nam philosophiæ disciplina imbutus, in omni genere doctrinarū apprime peritus, ingenio perspicaci, facundia magna, moribus māsuetus, amicitiæ tenax (si uerum fateri uelimus) nimis diu inter infimos habitus est, nam siue hominis uirtutes pensites, siue obsequia, quæ Romanæ curiæ nunc apud Vngaros, nunc apud Theutonicos pluresq; gentes præbuit, mente reuoluas, non est cur ei quisquam præferri debuit. Sed habet iam tandem uirtutis iam bene mihi serum uideri debet quod non sit. Quo longior miseria fuit, eo dulcior felicitas aduentat. Pauci sunt qui uitam omnem feliciter agant: Alios prima, alios postrema tēpora fortunata recipiunt. Recte cū his agit, quibus pars uitæ posterior læta est. Eos fortuna hostes habet, quos ex felicitate in ærumnas præcipitat, quibus miserrimū est fuisse felices. Ac noster Campisius dū iuuenis fuit, dū ferre labores potuit, sudare, algere, acriter pugnauit: Nūc uictor factus, seniū leuius feret. Iā securus est, iā tutus est à tegete & baculo. Gaudeo illi mihiq;, tibi gratias ago cuius & cōsilio & ope res gesta est. Nihil est q̄d tibi nō debeā. Tuus sū quātus sum. Multa sunt in me tua beneficia qui sæpe me iuuisti, extulisti maxime. Ac prius mediā mei partē fouebas: Alterā quæ in Cāpisio uiuebat, incultā relinquebas: Nunc agrū totū excoluisti. Integer totus gaudeo: Diuina tibi pietas benigna sit, teq; cū maximo præsule diu beatumq; nunquā te deserat, terrā tibi uiuēti substernat, morienti cœlū aperiat. Vale & me maximo pōtifici facito cōmēdatū, ex Noua ciuitate pridie Id. Maias, An. M. CCCCLIIII. F

Aeneæ Syluii Pii secundi Poëtæ Laureati, in nostri saluatoris passionem, Carmen Sapphicum.

QVid tibi tandem scelerate quæris,
Quid petis fallax homo: quid reqris
Immemor, qua te pietate Christus
Quærat ametq;.
Venit in mundum soboles tonantis,
Et licet cœlum regeret supernum,
Ex Deo seruus uoluit uideri,
Carnis in umbra.
Tu cinis putris, fugienda pestis,
Alta deposcis miserande uermis,
Vt parem credas habuisse nullum,
Terra tumescis.
Ille carnalem pius in parentem,
B Quos decet cunctos referens honores,
Sabbatum nunquam uiolauit unum
Semper honestus.
Tu patris iussus fugis atq; matris,
Festa peccatis uiolas nefandis
Et Deum qui te reparauit horres,
Dæmone peior.
Ille ieiunans domuit superbum
Spiritum carnis, cibus atq; potus
Illius corpus fuit ad regendum ut
Viueret, edit.
Tu mades uino, Veneri parentas
Nulla te Bacchi Cererisq; possunt
Dona uorantem satiare: uentri
Viuis amicus.
Ille sermones habuit modestos,
Et docens sedes iter ad beatas,
Quo suos quisq; repararet actus
C Ordine dixit.
Tu uel infesta uenenante lingua
Proximum carpis, superos lacessis,
Fabulas crebro referens inanes,
Turpia narrans.
Ille nullius bona concupiuit,
Et manus odit nimium cruentas,
Pauperem duxit coluitq; uitam,
Pacis amator.
Tu rapis quicquid potes, & cruorem
Appetis, fratrum scelus omne paruum
Diues ut fias reputans, ubiq;
Prælia misces.
Disce te quanti miserande fecit,
Ille qui uinclis uoluit teneri,
Vt tibi summam pareret quietem
Ductus ad Annam.

Cæsus est illic alapis magister,
Et redargutus dominus deorum,
Nocte mox tota trahitur per urbem,
Discruciandus.
Inde Cayphæ datur audiendus,
In deum testes citat hic malignos,
Ducitur uinctus reus & Pilato
Mittitur illinc.
Hinc ad Herodem rapitur, uidendus
Purpura sumpta redit ad Pilatum,
Qui licet nullum uideat reatum,
Iudicium fert.
Innocens agnus manet ad tribunal,
Quem flagris cæsum ferat ut coronam
Spineam cogunt: uicibusq; pulsant
Corpus honestum.
Conspuunt uultum oculosq; fœdant
Astur ut raptam lacerat columbam,
Membra cœlestis speciosa regis
Dilaniantur.
Nec mouet turbas speculum doloris
Clamitant cuncti crucis esse dignum
Solue latronem: crucifige Christum
Cæsaris hostem.
Dum crucem gestans trahitur necandus,
Obuiam fertur lachrymosa mater
Quæ suis tundens manibus pudica
Pectore clamat.
Nate quo pergis periture, quis te
In modum talem laniauit hostis,
Te meum pignus cupio uidere,
Respice matrem.
Te meus uenter tulit, has papillas
Suxeras quondam, generose fili
Me tuam spernis fugis atq; matrem,
Respice quæ sum.
O truces sæuæ rapidæq; gentes
Quo meum fertis genitum Iudæi,
Nil mali fecit: sinite heu meum me
Tangere natum.
Ille submissis oculis abibat,
Ad locum uenit crucis, atq; nudus
Et duos interpositus latrones,
Fertur in altum.
Inde sub ligno sitiens, acetum
Felq; gustauit: latus est apertum
Lancea, sanguis fluit atq; lympha,
Matre uidente.

Probra quid dicam, referamq; multa
Se Dei fecit genitum: quid ultra
Clamitant plures, alios beauit,
Se modo saluet.
O Iesu quantum genus hoc amasti
Perfidum: qui ne moreretur, ipse
Pergis ad mortem moriendo nostra
Morte lauas nos.
Sic homo pro te patitur redemptor,
Tu quasi surdus, penitusq; cæcus,
Gratiam pendis nihil esse talem
Crimine plenus.
Ipse qui uerbum facio, miser sum,
Peior & magnas datus in ruinas,
Nosco peccatum scio quid gerendum,
Nec melior sum.
Ni tuum prebes Deus ô fauorem,
Gratiam ni des homini perempto,
Perditus labor, miser in gehennam,
Igne piandus.
Labitur quisq; sine te beari
Quæritat: munus datur hoc ab alto,
Tu uocas quos uis: rogo me uocandis
Adijce seruis.
Da mihi lumen uideam quid egi.
Da mihi fontem lachrymis inundas
Nunc meum plorem sceleris reatum
Teq; reposcam.
Non parem Paulo ueniam requiro,
Gratiam Petri neq; posco, sed quam
In crucis ligno dederis Latroni
Sedulus oro.
Iam Deum cuncti rogitemus ipsum,
Qui neci nostram datus ob salutem
Semper expectat reditum suorum,
Vt ueniam det.
Iam nimis duri fuimus, uenite:
Se reum nemo magis esse credat
Quam pius nobis maneat redemptor
Aethere missus.

FINIS.

DEcastichon de laudatissima Maria, quæ Iesu humani generis saluatorem genuit, nec minus claustra pudoris post partum retinuit, ab Aenea, ut fertur compositum, postquam ad summam in terris dignitatem uocatus, digne Pius nominatus est, quod Antonius Koberger ciuis Nurenbergensis: huc quoq; inserendum esse censuit.

VIrgo Theutonicis multum celebrata sacellis.
Mater & ipsa Dei, mater & ipsa hominis.
Virgo Latinorum spes & tutela meorum.
Virgo quam multo Gallia thure colit.
Virgo nec Hispanas paulũ laudata per urbes,
Cui patet & cœlum tota terra patet.
Virgo quæ magnum potes exorare tonantem,
Et potes irati cœli sistere Dei.
Ipse ego peccati seruus scelerisq; minister,
Et mandatorum fractor ubiq; decem.
Ad te confugio, fateor mortalia septem,
Sæpius admisi crimina modo pœnitet.
Ille licet nulli ueniam neget autor olympi.
Et reduci brachia semper tendat amans.
Quis tamen offensi uultum quis iudicis audet.
Intercessore nudus adire sui.
Ergo meos genitrix semper miserata labores,
Nunc etiam nostris casibus affer opem.
Ipse mihi de te natus sine crimine culpas
Condonet ueteres prohibeatq; nouas.

FINIS.

Aeneæ

A

AENEAE SYLVII PII Pontificis Tractatus, de Liberorum educatione editus, ad Ladislaum Vngariæ & Bohemiæ Regem.

Serenißimo principi domino Ladislao Pannanniorum ac Bohemiæ Regi & *potentis Austriæ duci, domino suo, Aeneas Episcopus Tergestinus, S. P. D.*

SI quem uirtuti operam dare, totumq; se bonis præbere actibus oportet, hunc esse te Ladislaë Rex inclyte nemo qui sapiat inficias ibit. Maximis namq; regnis & amplißimis principatibus postquam tutelæ finieris annos, expectaris imperaturus, quibus nisi consummatæ prudentiæ fueris, diu dominari nō poteris. Regna uirtuti parent, et resistunt uitijs. Sicut olim Imperatoris ignauiam Roma non tulit, sic hodie Regis desidiam Vngaria detestatur. Nulli magis quàm regnanti opus est sapientia, quo pacto recte gubernauerit alios. Et quem proprius subuertit error, Rex insi-
B piens se perdit & populum. Sapienti in melius omnia cedūt. Per me, inquit sapientia, Reges regnant, & legū conditores iusta decernunt. Tu ergo dum puerum agis, & cū natu grandis fue is, optimis te præceptis imbui sines. Ad quas res prouocare te quoq; maiorū tuorum exēpla debebunt, qui Romano imperio cum maxima laude præfuerunt paterni atq; materni progenitores: Et qui te genuit diuæ atq; indelendæ memoriæ pater Albertus, quibus dedignare fœdissimum fuerit. Maiorum qui regna suscipit, & uirtutes quoq; suscipiat consentaneū est. Succedis in nobilitate, cura ut morū similí modo successor fias. Nobilitas sanctis uestita moribus, laudi datur. Nihil est nobile quod uit osum. Quis enim generosum dixerit hūc qui indignus genere est, & præclaro nomine tātum insignis? Sane ut animalia muta quamuis laudatis orta parentib. nemo generosa optat nisi fortia: Sic homines appellari nobiles iure nequeunt, nisi uirtute propria cōmendati Miserū est, ut Iuuenalis ait, alienæ incumbere famæ, ne collapsa aut subductis tecta colūnis. Ad uirtutē aūt capescendam literarū studia plurimum adiumenti præbent: Nec cuiquā magna quā Regi doctrina congruit. Quod intelligēs Romanus Imperator Francorū Regi cui tunc amicitia iunctus erat, per epistolā magnopere studebat, liberos uti suos literis erudiri curaret. Illiteratumq; Regē nil aliud quā coronatum asinum esse dicebat. Nec ego Romanorū principes, dum respublica floruit, illiteratos esse comperi, sed domi atq; militiæ & in senatu & in exercitu dominatam
C esse doctrinā: manifestumq; omnibus est postquā exclusæ sunt literæ omnes elanguisse uirtutes. Nā & armatæ quoq; militiæ infirmata est manus, & ipsius principatus quasi præcisa radix. Socrates quidem (ut est à Boëtio relatū) fortunatas esse respublicas opinabatur, si rectores earum studere sapientiæ cōtigisset. Soli namq; perfecti sunt homines qui ciuiles cū Philosophia partes quærunt immiscere, sibiq; gemina uendicant bona. Nā & eorū uita qui cōmuni seruiunt utilitati, & summa cū tranquillitate nullis obiecta fluctibus, per sapiētiæ studia uersatur. Principibus igitur & qui regnaturi sunt experiundum est totis uiribus, ut & publica conficiantur negotia, & Philosophia uendicetur, quemadmodū pro tēporibus attinere uidebitur. Sic enim Pacioles ciuilia tractauit officia, sic Archita Tarentinus, sic Dion Syracusanus, sic Rabanus Epaminundas quorum duos (teste Plutarcho) Platonis cōstat fuisse discipulos. Prætereo nostros Scipiones, Fabios, Catones, Marcellos, Cæsares, quibus summa laus, summa eruditio fuit. Ad horū ergo te modū cum tempus aderit, cupimus regnaturū, ut fatigata magnis calamitatibus Vngaria, ac sæuis erroribus cōculcata Bohemia, te duce respirent splendoriq; pristino restituantur. Quod proculdubio cōsequamur, si spē quā de te præbes secuta res fuerit. Odorē nāq; bonū de te hausimus, sicut odor agri pleni, cui dominus benedixit. Magnū est futuræ probitatis indiciū, quia nec uidere, nec audire turpia potes.

Nemo tibi non modestus sodalis placet: Morales historias totis hauris auribus, indiesq; fieri melior præceptoris tui monitu niteris. Sic mihi, qui te instruit teq; obseruat & amat maximè, uir tū doctus tū probus de te locutus est Caspar, cuius hortatu libellum hūc te scribere sumus aggresi. Precatus enim summo studio nos fuit, ut aliquid scriberemus ad eruditionē institutionemq; tuam, aptum & cōpendiosum. Optauissemus hoc oneris alteri fuisse mandatū, qui & pulchriora & meliora quā nos tradere potuisset. Neq; enim tu es quē mediocria deceant, neq; nos sumus qui sublimia præstare ualeamus. Sed neq; obsequiū tibi, neq; preceptori tuo uoluntatē negare debuimus, ne uel Maiestati tuæ uel dilectioni suæ uideremur aduersi: nunc præsertim quando Saluatoris nostri natalitia celebramus, in quibus mos est fidelibus Christianis inuicē munera missitare: Donandū, quidem tibi aliquid hoc tēpore fuerit: Sed quid est quod elargiri tibi nostra paupertas queat? Nō possumus cū piscatore dicere: surge & ambula, qa nec huius meriti sumus, nec tu Deo fauente hoc indiges auxilio. Sed aurū & argentū non est mihi. Quid ergo tibi donare aliud possumus, quā tui quod magistri precibus flagitamur, præstant auro atq; argento uirtutum præcepta, quibus si quis equos, uestimenta, lapillosq; prætulerit, is equo aut lapidi quā sapienti uiro similior est. Ex his ergo succinctū opusculum tuæ seruituti deuoueram, quod tibi nascēti domino iuxta repræsentationem ecclesiæ tot annis institutū dono daremus. Nescio quo pacto in manibus creuit opus: obscuritatem dum fugimus, breues esse desinimus. Est tamen operi modus, nec fastidienti prolixitati, nec tenebrosæ obnoxius breuitati. Tu paruum munus ex paupere domo benignus suscipe boniq; consule, paruum precio non utilitate pensabis. Hoc enim libello quem in partes quatuor diuisimus, quæ Regis pueri, quæ iuuenis. quæ uiri, quæq; senis esse studia dicatur, ut ex claris autoribus accepimus tuæ sublimitati monstramus. Speramus enim has omnes ætates nō ingressurum te modo, uerum etiam egressurum, ad quas beate beneq; dirigendas, quod defuerit scriptis nostris (non quippe id paucum erit) ex aliorum fontibus hauries. Vale.

De puerorum ingenio naturali: Et quomodo natura ipsa cæca est sine disciplina.

OMnibus qui ad uirtutis culmen ducendi sunt, pueris, naturam in primis bonam & disciplinæ capacem esse oportet. Sed hanc præstare neq; tuū est neq; humani studij, solius Dei munus est cœlestæq; bonum. Pauci reperiuntur quibus natura indocilis sit. Sicut enim aues ad uolatum, Quintilianus ait, equi ad cursum, ad sæuitiam gignuntur, sic hominis est propria agitatio mentis atq; solertia: hebetes uero atq; indociles non magis secundum naturam quàm prodigiosa corpora & insignia monstris eduntur. Et quamuis alius alium præstet ingenio, nemo tamen reperitur qui nihil sit studio consecutus. Sed accipimus naturam tibi esse rectam & docilem, superest igitur ut disciplinam & exercitationem suscipias. Sicut enim cæca est sine disciplina natura, sic sine natura macerata est disciplina: in utraq; parū momenti fuerit si subtraxeris exercitium, sed hisce tribus absolutio comparatur. Accede igitur fauente numine & acceptis disciplinæ regulis exercitationem uirtutis amplectere.

Quod in duobus præcipue pueris sunt erudiendi.

DVo sunt in pueris erudienda, corpus & anima: de cura corporis prius. Nam in matris utero quidem formari corpusculum prius, deinde animam infundi dicemus. Eruditionem deinde mentis annectemus: interdum mixtim agemus. Quidam fieri utrumq; simul censent ab infantia, & primis, ut aiunt, unguiculis incipere debere institutionem pueri. Sed præterita sunt hæc tempora, tibi (utinam non ignaue) ad ætatem tuam festinandum est. Adhuc te puerum habemus, audi præcepta quæ damus puero: dum te alloquor teq; commoneo, et præceptores tuos qui tuam curam gerunt omnes alloquor. Meminisse namq; illos oportet eorum quæ ad Troianū Cæsarem Plutarchus scribit, qui publico sermone discipulorum delicta in præceptores refundi commemorat, deprauatū enim Neronis ingenium, non defuerunt qui Senecæ asscriberēt. Socrates cū malo inductum bonæ indolis puerum aspexisset, pedagogum eius percussisse traditur. Relatū est à Babilonio Diogene Leonidā Alexādri præceptorem

A ceptorem quibusdam illũ uitijs imbuisse, quæ robustũ q̃q; iã maximũ Regem ab institutione pueri sunt prosecuta. Insulsi ergo animo deliri sunt, qui filiorũ suorum curam quibusq; & sine ullo delectu comittunt. Ego illos aut eruditos esse uoluerim, quod primum est: aut se non eruditos scire: Nil enim peius est his qui paululum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi (ut Quintiliani uerbis utamur) scientiæ persuasionẽ induerunt. Recte igitur Philippus Macedo Alexandro filio suo prima literarum elemẽta ab Aristotele tradi uoluit, sũmo illius ætatis Philosopho. Nescio quis error Leonidæ locum fecit. Recte etiam Peleus Achillis curæ Phœnicem perfecit ut ei dicendi ductor foret & magister. Oportet autem præceptorum uitam nullis obnoxiam esse criminibus, irreprehensos mores, optimũ experimentum, ut nec habeant uitia que uetant: Non sint austeritate tristes, nec cõmunitate nimia dissoluti, q̃s nec odire, nec contẽnere iure posis: quorũ sermo plurimũ de honesto sit, ne ab his uitia discas quæ postmodũ sit opus dediscere, in quibus exuẽdis magna difficultas est, & onus dedocendi grauius est quã docẽdi. Propter q̃d Timotheũ clarũ in arte tibiarũ duplices ferũt ab his, quos alius instituisset solitũ exigere mercedes, quã si rudes discipulos accepisset. Tecũ certe actũ est optime, qui tales sortitus es magistros, quorũ si præcepta tenueris et optimi uiri posis & clarisimi Regis assequi famã. Horũ officiũ est, ut sicut Coloni suis arbusculis cir

B cũ ponũt sepes, sic tibi consona laudabilis uitæ instituta admonitionesq; circũferant, unde rectisima morũ germina pullulãt, honestatis enim fons atq; radix legitima disciplina. Tecum tamen monitis non plagis agant: quãuis enim cædi discipulos sit receptum, & Crisippus non improbet, Iuuenalisq; uerba ferantur: Metuens uirgæ iam grandis Achilles cantabat patrijs in mõtibus: Maius tamẽ apud me pondus habent Quintilianus atq; Plutarchus qui ad honesta pueros studia nõ plagis aut uerberibus, sed monitis & rationibus ducẽdos aiũt. uerbera seruos decẽt nõ liberos. Nobilibus pueris & maxime regũ, maiorũ laudes ac uituperia quàm uerbera commoditatem magis afferũt. Illa ad honesta concitant, hæc à turpitudine cohibent: In utrisq; tamen adhibẽdus est modus, ne quid nimis sit: Pueri nãq; immodicis celebrati laudationibus intumescũt: nimis aũt affecti iniurijs, frangunt animoq; deficiũt: at plagis odia surgũt quæ ad uirilẽ ætatẽ usq; perdurant. Addiscenti aũt nihil magis aduersum est quàm præceptores odisse, q̃s tu si recte facere uolueris, non minus amabis quàm ipsa studia, & parentes esse non quidem corporis sed mentis tuæ iudicabis. Multum huic pietas studio confert. Audi rursus Iuuenalem Dij maiorum umbris tenuẽ, inquit, pondere terram Spirantesq; crocos & in urna perpetuum Ver. Qui præceptorem sancti uoluere parentis Esse loco.

De cura corporum & qualiter nutriendi sunt pueri.

C DE præceptoribus satis dictum est. Nunc uidendum arbitramur quomodo illi corpori tuo curam prebere debent. Quam consuetudinẽ puerile corpus accepit, eandem seruare succedẽte tempore cupis. Cauendum est igitur ne nimis molliter, enutriat, ne somno plus quàm satis, aut quieti indulgeat. Mollis educatio, quam uocamus indulgentiam, neruos omnes & mentis & corporis frangit. Vitanda est plumarum mollicies, hærere sericum carni nolim, interdum dum grosso lino utendum est, sic fiunt membra solidiora, & laboris magis patientia. Cunq; sis natura pulcherrimus & digna sceptro soboles, studendum est ut gestus formæ respondeant, ut recta sit facies, ne labia detorqueas, ne linguam sugas, ne uitium ebrietatis effingas, ne seruilẽ imiteris uernalitatem, ne supinus sit uultus, ne deiecti in terrã oculi, ne inclinata utralibet ceruix, ne inductæ rusticæ manus, ne status indecorus, ne sesio irridenda. Ciliorũ motus apte retinendus, recta sint brachia, neque in proferendis pedibus rustici. Nihil potest placere quod non decet. Nouit hoc Philippus Alexandri pater qui cum multos q̃s bello cœperat uenundans, sublata impeditaq; tunica sederet nequaquam decore, & unus ex his qui uenũdabantur clamaret, Ignosce mihi Philippe, nam à patre mihi amicitia tecum est. Vnde sibi amicus esset homo, interrogat, Et illo propius accedẽte atq; submissa uoce dicente, parumper inferius chlamidẽ demittito, ita enim ineptus sedes, istum, ait Philippus, dimittite: Nam qui beneuolus atq; amicus esset, latebat. Seruan-

dus est igitur in motu omniq; statu decor. In qua re tam curiosi Græci fuerunt, ut gestus legem conscripserunt, quàm Chironomicam uocauerunt, eam Socrates probauit: Plato in parte ciuilium actionum posuit: Crisippus in præceptis de educatione liberorum non omisit. Sunt etiam corporis quædam certamina, quæ minime cõtemni debent, sed eius rei præceptores audiendi sunt, ut quantũ satis erit in his elabores, quo & apta quædam membrorum compositio simul & robustitas acquiritur. Bona enim in pueris corporis habitudo, bona quoq; senectutis fundamẽta iacit. Cũq; Regem inesse prælijs sæpius oporteat, militaribus certaminibus exercere puerum cõuenit, quem regni gubernacula manẽt. Bellũ ẽm educatam in umbra corporis habitudinẽ repudiat. Macilẽtus aũt miles & bellis assuetus in certaminibus pugiles feroces, & structas prælio ꝓpulsat acies. Nõ ergo ab re fuerit te quem sæpe contra Turcos pugnare necessariũ erit, arcũ in pueritia tendere, fundam iactare, rotare, sagittam dirigere, hastã iacere, equos ascẽdere, cursitare, saltare, interesse uenationibus, nãcisci nandi peritiam: Nihil est turpe discere, quod licet honeste facere. Audi Vergilium de pueris Italorũ quæ referat: Natos ad flũmam primum deferimus, sæuoq; gelu duramus & undis, Venatu inuigilant pueri syluasq; fatigat Flectere equos, ludos, & spicula tendere cornu. Cæterũ nec puero ludos interdixerim, qui non sunt obscœni. Ludere cũ æqualibus pila, quemadmodũ tibi Ioannes Hinderbach uir doctus præcepta conscripsit, & laudo & probo. Est trochus, sunt et alij pueriles ludi, qui nihil turpitudinis habẽt, quos tibi nonũquã præceptores permittere debent, ut sic laboris remissio fiat, & alacritas excitetur: Non est semper literis serio sisq; rebus incũbendũ, nec immensi labores sunt pueris adijciendi sub quibus defessi corruant, & alioquin pondere molestiq; pressi doctrinam minus mãsuete percipiant. Plãtæ nanq; modicis aluntur aquis, multis suffocantur. Nosse oportet uitam nostrã in duas partes esse diuisam, in studiũ ac remissionem. Sic uigiliæ, somnus, pax, bellum, æstas, hyems operosi festiq; dies, laboris condimentum est ocium. Itaq; nec laborem sumere nimium, nec ocio nimis indulgere oportet. Hostes enim disciplinarum, ut à Platone dictum est, labores & somni.

Quali cibo & potu pueris uti conuenit.

CORporalia puerorum exercitia, qui regnum expectant qualia debent esse, qualesq́ue ludi, iam tenes: Nũc de cibo potu'q; dicamus: Modicus ac temperatus cibus, ut Hieronymus ad Rusticum scribit, & carni et animæ utilis est. Assit igitur ratio ut tales et tantos assumas escas, quibus nec corpus oneretur, nec libertas animæ prægrauetur. Et quamuis cibi refutandi sint qui difficulter digeri possunt, prouidendum tamen est ne delicatis assuetus cibarijs communia fastidias: Non semper est in urbibus degendum: Eris nonnunquam in castris, in syluis, in desertis locis ubi necessarium erit grossioribus uti cibis. Sic nutriendus est puer, ne cum tempus expostulet, bouinas carnes abhoreat. Adde quod bellatori huiusmodi futuro conuenit porrigere dapes, non quæ delicatum sed quæ robustum corpus efficiant. Si quis præterea passulis, amygdalis, cõfectis ex saccharo cibis, paruis auiculis, hœdulis, anguiculis lenioribusq; semper mensis utatur, quibus demum mẽsis releuari restaurariq; poterit, si cœperit ægrotare?

De superfluitate in esu quarundam patriarum.

AT tingam nunc aliquid quod multi ex tuis subditis reprobant. Quis enim uel Australis est, uel Vngarus, uel Bohemus, qui de frugalitate mẽsarũ libenter audiat disputantem? Quid ẽm est quod in his regionibus maioribus efferat̃ præconijs cibariorũ luxurie, & lautæ gloria mensæ? Quid est quod familia magis probet magisq; prædicet, quàm diuitis cœnæ numerosa fercula: Ille magnificus inquiunt, ille celebrandus, illi uoluppe seruierim cuius culina semp fumat, semper uncta est, cuius gulæ nulla obstant precia, qui splẽdide cœnat, & raris & lõge quæsitis utit̃ ferculis. Cuius cellaria redundant ferculis patentq; omnibus. Sic histriones loqui, sic parasiti scurræq; solent, quibus uiuendi cura in solo palato consistit, et qui Sardanapali sequentes ingluuiem, gruis collum mallẽt habere quã suũ. Sed nihil est optimæ puer indolis, quod æque effugere sapientem oporteat, quàm uiuere ad ostentationem, populares aures sequi, non

autem

A autem ueram rationem usq; adeo uiuendi ducem habere. Spernendi sunt inanes rumusculi, fugiendi assentatores. Non est appetenda laus quæ ore ab insani manat. Clarissimus patruelis tuus Fridericus Cæsar, qui nunc monarchiam tenet imperij, tanquam sapiens tam sobrium se ostendit non uino, non cibo se implet, castigata prandia, castigatas agit cœnas, non curat quid de se bibuli ferant: Sapientum namque non ebriorum præconia uenatur. Sed ne longius euagemur. Quid sibi uult tanta ferculorũ numerositas? quæ diuersitate carnium atq; saporum delectatione conuiuas quasi captiuos tenet: Nonne morbi ex nimia saturitate concitantur? Quod sunt qui postquam gulæ uoluptatem expleuerint, uomitus coguntur sustinere molestiam, ut, quod turpiter ingesserunt turpius egerant. Afferent ministri tui, si sapient coram te non plurimas epulas: noli præfinire numerum, qui te regunt, & sanitatis & uirtutis & maiestatis & temporis & loci considerationem habeant. Imperatoriam domum Iulius Cæsar, nisi solenne conuiuium fuisset, tribus uoluit ferculis contentari. Cæsar Augustus in summo fastigij culmine secundario pane, & pisciculis contentus iubilus erat. Dicet aliquis: quid Nero? quid Caligula? quid Vitellius? Nunquid cõmessationes immodice frequentabant? Haud inficiamur, sed imitari optimos non pessimos & gloriosos non illaudatos decet. Rursus adijciatur, aliter in Italia ubi famem calor extinguit, aliter B in Germania ubi frigus comedendi prouocat appetitum, regulanda est mensa. Necq; hoc negamus. At non multum comedere cuius ardet stomachi rabies, sed uaria illũ sumere preciosaq; probibemus. Meminisseq; te uolumus dicti conuiuarum uocabuli: Non enim ut Græci, sic & maiores nostri compotationes cõmessationesq; uoluerunt, quasi uini cibiq; gratia conueniatur, sed conuiuia ut simul uiuerẽt. Socrates multos preterea uelle uiuere dicebat, ut ederent & biberent, se aũt propterea & edere & bibere ut uiueret. Ad quem modum quicunq; se limitauerit is profecto nõ magnos sumptus in cœnis habebit. Paucis nãq; & minimis rebus natura contenta est. Aristoteles uir clarus & inclytus cum de uoluptate gustus atq; tactus, idest cibi & Veneris disputaret, quæ ab his proficiscerent sensibus, delectationes solas hominibus communes esse cũ bestijs asserebat: Atq; idcirco in pecudũ haberi ferarũq; numero, quisquis esset his uoluptatibus impeditus. Cæteræ ex rebus alijs prodeuntes homini tãtum propriæ sunt, sicut apud Macrobium in Saturnalibus Eustachius affirmat: Quis igitur habens aliquid humani pudoris, uoluptatibus his duabus coëundi atq; comedendi gratuletur? quæ cõmunes sunt cũ asino & sue. Sed de Venere adoloscentem magis quàm puerum cõmonefacere oportebit. Interim cum cœnarum sumptus repræhendimus, Catonis sermo uenit in mentem, qui cum apud Romanum populum in prodigalitatem & immodicos sumptus inueheretur, Quàm inquit, difficile est ad uentrem orationem habere qui aures nullas habet &c.

C

Ne pueri moderati sint in bibendo, & quod turpe est eis uinum appetere.

VErum cum delectatio gustus plerosq; non minus in potu quàm in cibo detineat, cauendum est tibi ne uel multibibus uel optimibibus fias omnemq; inebriẽ uitabis. Sit moderata bibitio, non quæ mentem grauet, sed quæ sitim auferat. Multum succi in pueris est: lacte sunt & sanguine pleni, raroq; sitim sentiunt. Appetitore uini puero nihil turpius est: Vsus uini sicut Valerius ait Romanis olim fœminis ignotus fuit. Quid pueris? feremus ne puerorum bachari mentes aut uini surgentẽ, ingenij iugulabimus mero. Quamuis Theutonico more in uas uino miscere aquã mihi tamen nulla ratione persuasum fuerit fumosum uinum, nisi aqua castigatum puerorum mensis apponi debere. Relatum est mihi ex Bohemis proceribus quẽdam fuisse qui liberos ab infantia suos atq; ab ipsis incunabulis solius Maluatici aut Reuolij magnis & crebris haustibus assuefaceret. Sic enim aiebat: Postquam uiri fuerint multumq; biberint, nullius uini potentia mentem amittunt. Sic fortasse nutritus fuerat Cyrus iunior qui cum Lacedæmonios, ut secum societatem inirent, hortaretur. Cor sibi dicebat longe grauius esse quã fratri: Nã & plus meri q̃ ille biberet & melius ferret.

Stulta

Stulta & inanis cautio, ne sis aliquando ebrius semper ebrium esse. non perdunt qui sic nutriti sunt mentem, cum maxime bibunt, sed stultam adhærentemq; semper ebrietatem continuant: Non ibi memoria est, non uiuax ingenium, non bonarum cupido artium, non gloriæ honestatis studium. Verum ne cum istiusmodi beluis conflictari uideamur, quibus inter homines locum dare scelus arbitramur, ad Platonem trāseamus & quam ille diuinus uir de uini potu sententiam tulerit audiamus: Hic enim non passim haurienda uina, sed modicis et honestis inter bibendum remissionibus refici integrariq; animos, ad instauranda sobrietatis officia sapienter existimauit. Nec diffugiendas esse omnino uini potationes, quia nullus continens prorsus aut temperatus satis fideliter uideri potest, cuius uita non inter pericula uitiorum & in medijs uoluptatum illecebris explorata sint: Nam cui libentiæ gratiæq; omnes conuiuiorum incognitæ sunt, quiq; illorū omnino expers sit, si eum forte ad percipiendas has uoluptates aut uoluntas tulerit, aut casus induxerit, aut necessitas impulerit, mox deliniri & capi, neq; mentem eius animumq; consistere necesse est. Muniendus est ergo puer aduersus uini maliciam, nō fuga sicut Aegyptij faciunt, neq; ingurgitatione sicut Bohemis placuit, sed animi uigore & constanti præsentia, & usus moderatione temperatus fiat & continens. Vtimur autem uino non nobis uti dominetur, sed ut calefacto simul refectoq; animo si quid in eo uel frigidæ tristitiæ uel torpentis uerecundiæ fuerit diluamus, quod tunc faciemus, cū modicum & tolerabile uinum sumimus. Sint ergo conuiuia que te præsente fiunt & in cibo & potu castigata, suisq; regulis limitata, sobria, sine luxuria, ne uel animæ uel corporis officia præpediant. Non sit illic tristicia, nec uultus nubili: assit & aliquando risus: Non laudo Crassum quem semel in uita risisse Cicero scribit: Nam Saluatorem nostrum risisse nunquam, alterius quam hominis officium fuit. Assit in conuiuio grauitas, sed læticiam non excludat. Assint uoluptates, sed lasciuiam non inducant. Assint musica oblectamenta sed nihil turpitudinis afferant. D E

De corporalibus delitijs compescendis.

CAeterum quia corpus adhuc tractamus cultum, succincta Platonis sententia referenda est. Is tantum indulgeri corpori uult, ut Philosophiæ mysterium præstare possit. Quod dictū prudenter putamus, si reipublicæ curam sub Philosophiæ studio uolumus contineri. Nam qui corpus optime curant, animam uero quæ eius seruitio uti debet negligunt, nihil ab his differunt, quæ ut organa perfectissima possint habere, omni studio conquirunt, artem uero cuius gratia comparant organa, omnino despiciunt. Contra seruandum est. Nam castigare & compescere eius impetus uelut immanem quandam beluam oporteret, & eius aduersus animam temerarios motus rationis habena cohibere. Pythagoras cum intellexisset ex familiaribus suis quendam exquisitis, ut pinguis fieret, indulgere cibarijs, Hic, inquit, non cessat molestiorem sibi carcerem struere. Gneus uero Pompeius cui magna cognitio fuit cum aduersa ualetudine laboraret, iussit medicus ut turdo uesceret. Illum sui frustra quæsiuere. Erat enim præter anni tempus. Cumq; ex familiaribus quidam dixisset, fore ut apud Lucillum turdi, qui penes annum integrum nutrirentur inuenire possent, Tum ille quamuis ægrotus, ergo inquit, nisi Lucillus studeret delicijs, uiuere Pompeius non posset: ac dimisso Medico paratu facilimis ac uilibus usus est. Illud solum cibo curandum est, ut necessitas corpori tribuatur, ut possit esset laboris patiens. Itaq; uentri non ad uoluptatem, sed ad sustentationem porrigere oportet. Nam qui cœnas semper atq; coquos mente agitant, epularumq; gratia terras mariaq; perscrutantur, miserabili admodum seruitute, premunt, & grauissima domino tributa pendūt nihil leuius patientes, quàm qui apud inferos pœnas dant, ueluti ignem diuidentes, & cribro aquam ferentes, ac perfossum uas implere anhelantes, Sicut Basilius ait: Quæris tamen quid de uestitu cæterisq; corporis cultibus sentiamus? Absoluā paucis quid arbitrer faciendū. Tonderi aut armari ultra quā necessitas sit aut miserorū est (testimonio Diogenis) aut iniuriarū: itaq; occupatū esse in corporis ornatu, aut leuis est hominis, aut omnino uani, aut illius qui F

probarum

A probarum insidiatur uirginum matronarumq; castitati. Obseruandum est superuacue moliaris ne plus corpori tribuas quàm animæ commodũ sit: turpeq; regi fuerit propter nimiam corporis curam effœminatum uideri. Est autem adhibenda in omni cultu mundicia, non odiosa nec exquisita nimis, sed agrestem fugias & inhumanam negligentiam. Nam Demostheni Hortensio probro datũ est quia uestitu et cætero cultu corporis nitido, uenusto nimisq; accurato fuisse traduntur: Puero tamen & uiro regi dignitas habenda est: Nedum iactantiæ rumorem fugit, in auaritiæ labatur infamiam, qua nihil est in principante detestabilius.

Quod nihil est in terra preciosius, nihil præstantius illuminato intellectu.

ABsolutis breuiter his quæ de corporis cura dicenda sensuimus, ad institutionem mentis festinat oratio. In qua re persuadere uolumus nihil esse quod homines in terra possideant preciosius intellectu. Cætera quidem humanæ uitæ bona pusilla sunt atq; digna, quæ multis laboribus insectemur. Pulchra nobilitas sed alienum bonũ. Preciosæ diuitiæ, sed fortunæ possessio: uenusta gloria, sed inconstans: Forma decens, sed caduca paruoq; durans tempore. Optanda sanitas, sed permutationi prorsus obnoxia: cõcupitæ uires, sed ægritudine aut senectute facile contabescunt: Nihil præstantius B intellectu & ratione. Hoc nullus fortunæ tollet incursus, nulla calũnia distrahet. Cunctaq; reliqua omnia tẽpore minuantur, scientiã & rationẽ senectus auget. Bellum singula trahens atq; omnia ferens, solam doctrinam nequit eripere. Megaram cum Demetrius captam solo æquasset, Stilphonem Philosophum illic omnium nudum interrogauit, an suorum quicquam amisisset: Cum Stilphon haud equidem, inquit, bellum enim nulla ex uirtute spolia ducit. Ac Socrates cum Gorgiam percõtaretur, an Persarum Regẽ felicem esset putaret: Nescio, inquit, quantum uirtutis habeat & disciplinæ. Perinde ac hisce non autem fortunæ bonis persistat beatitudo. Accipe hoc dictum, & memoriæ comendato, Ladislae Rex olim ditissime, quamuis regna tibi maxima debentur, non tamen felix dici poteris nisi uirtute præditus & animæ magis quàm fortunæ bonis abũdaueris. Regna namq; & opes non magis possidentium sunt, quàm cuiuscunque, sed ut in seculari ludo, nunc huc transeunt nunc referuntur illuc. Sola uirtutis & uiuenti & mortuo stabilis est, et firma possessio. Iureq; diuitibus Solon inqt, Et nos non permutabimus cum uirtute diuitias. Tibi ergo cum diuitiæ affluant, curandum est ne uirtutes desint sine quibus nedum regis, sed nec uiri nomen quisq; meretur. Sicut hyemi necessaria per serenitatẽ parare cõsueuit, ita & boni & optimi ad senectutem uirtutis uiaticũ in puericia uendicare debet. Quis nouit humanæ uitæ uariabiles casus: Nihil est sub Luna fixũ: nunc diuites homines sunt, nunc pauperes, nunc regnant, nunc seruiunt, nunc C sanitate gaudent, nunc ægrotant: Nemo scit mane quo uesper uehat. Nemo tam diuinos habuit fauentes, crastinum sibi ut polliceri possit. Ob quam rem Theseus, ut scriptum apud Euripedem Cicero refert, sic dicere solitus erat: Nam qui audita à docto meminissem uiro, futuras mecum commentabar miserias, aut mortem acerbam, aut exilij mœstam fugam, aut semper aliquam molem meditabar mali, ut si qua iniecta duritas casui foret, ne me imparatum cura laceraret repens. Sed nulla res est quæ aduersus nouercantis fortunæ impetus certius quàm prophetia solamen præbeat Hinc iunior Dionysius cum eiectus tyrannide & in exilium actus interrogaretur, quid sibi Plato & philosophia profuissent, ut æquo respondit, animo facileq; ferrẽ fortunæ mutabilitatẽ. Siue igitur aduersæ nobis siue secundæ res fuerint, ad philosophiam quod est uirtutis studiũ, recurrere debemus, cuius potissime reges cõuenit amatores existere. Plura sunt necessaria regi, qui sicut Aristoteli placet, lex est quædã animata. Magnum est regni põdus, quia nõ tantũ sui curam rex habere debet ut saluus fiat, sed populi quoq; ut creditã sibi multitudinẽ rectè dirigat, per iustitiam in uiã salutis & pacis. Scriptũ est enim, rex insipiens dissipabit populũ, sapiens aũt ciuitates ditat. Vere quoq; Vegetius inquit: Nullus est quem oporteat uel plura uel meliora scire quàm principem, cuius prudentia debet omnibus prodesse subiectis. Ideoq; Salomon cum tanti ponderis grauitatem

in se sen-

in se sentiret, optionemq; habuisset, ut q̃ uellet à domino postularet, Dabis inqt, seruo tuo cor docile ut iudicare posit populũ tuũ, & discernere inter bonũ & malũ. Philippus aũt Macedo cũ Alexãdrũ filiũ suũ cõmoneret, iubebat eũ ut Aristot. obseruaret, & Philosophiæ studeret: & adiecit, ne multa huiuscemodi agas q̃ me pœnitet egisse. D

Quod philosophiæ studium sicut omnibus, sic & regibus utile esse dignoscitur.

QVemadmodum tibi iam persuasum esse putamus qui regnaturus sit necessariũ est philosophãdi studiũ: Philosophia uero omniũ mater artiũ quã Plato donũ, Cicero inuentũ uocat, absq; literis haud facile pcipi potest. Hæc te primũ ad diuinũ cultũ, deinde ad ius hominũ q̃d sitũ est in generis humani societate tuum ad modestiam animũ erudiet, & ab animo tanq̃ ab oculis caliginẽ remouebit, ut omnia superna, prima, media, & ultima uideas. Quis igitur literis insudare noluerit, quando tantus ex his fructus percipitur, in quibus est boni ac mali noticia, quæ nobis præterita referant, præsentia moderentur, futura inducant. Sine literis omnis ætas cæca est. Nec alieno carere ducatu potest illiteratus princeps. Cumq; adulatoribus plene sint Regũ aulæ, quis uerum principi dixerit? An non conducibile est Regem literas nosse, ut in Philosophorum libris ipse ueritatem sibi uendicet. Demetrius quippe Valerius Ptolemæum Regem monebat, ut libros de regno imperioq; sibi compararet atque perlegeret. Quæ em̃ amici non audẽt monere Reges, hæc in libris scripta reperiuntur. E

Quo tempore pueri literis tradi debent.

DAnda est igitur summo studio literis opera. Sed quæsitũ olim fuit q̃ tẽpore tradi literis pueros oporteat. Ante septimũ annum nõ placebat Theodosio, qm̃ illa pueri ætas & disciplinæ capax & laboris patiens uideret. Idem quoq; præcepit Eratosthenes. Sed Aristophanes atq; Crisippus, quibus & Quintilianus assentitur, nullũ tempus cura uacare uoluerunt. Fuisset igitur ab ipsis cunabilis incipiendũ, ut nutrices etiam nonnihil tibi contulissent, quas, si fieri posset, sapiẽtes Crisippus optauit, ne quid ab illis cõtagionis contrahi posset: deteriora namq; pertinatius hærent, & bona facile mutantur in peius. Maternus sermo sapientia conditus et elegantia sæpe filijs profuit, ut de Cornelia Grachorum matre pleriq; scribunt, cuius eloquentia in filijs redundabat: Multũ interest facundæ sint an rudes, prudentes an stultæ quæ pueros nutriũt, siue matres sint siue aliæ quæuis. Sed tu nutricis iã euasisti iugũ, matrẽ clarissimam & ultra modum eloquentissimã prius amisisti quàm nouisse potuisti. Sed omittamus præterita quæ magis culpari quã reformari possunt, ad tẽpus in quo nũc es ueniamus.

Qualibus præcipue instrui debent pueri Christiani.

CRedimus te instructũ esse, ut Christianum decet, orationem scire dominicam, Salutationẽ beatæ Mariæ uirginis, Ioannis Euangeliũ, symbolũ fidei, collectas quoq; plures: Quæ sint mortis peccata, quæ spiritussancti dona, quæ magna præcepta Dei, quæ opera misericordiæ, quæ deniq; saluandæ animæ & in cœlũ referendæ sit uia: persuasum tibi non ambigimus, post hanc uitam reperiri aliam, quæ bonis læta dulcisq;, malis amara sit & molesta. Hoc enim non sacri solum codices sed ipsæ gentiles quoq; ostendunt literæ. Socrates enim, ut apud Ciceronem legimus, duplices esse uias, duosq; cursus animarum à corpore excedentium disserebat: Nam qui humanis uitijs atq; flagitijs inquinauissent, & totis se libidinibus dedissent, uel in republica uiolanda fraudes incepissent, his deuium quoddam iter esse seclusum à consilio deorum: qui autem integros se castosq; seruassent, essentq; in corporibus humanis uitã imitati Deorũ, his ad illos à quibus essent pfecti, reditũ facile patere. Quid nos dicemus, quibus Euangelia prædicata sunt? Et qui Saluatoris incarnationem tot miraculis confirmatã, scire magis quàm credere uidere possumus. Nos quidem si recte sapimus, hanc humanã uitam nihil esse arbitramur, nec bonum quicquam existimãdum esse censebimus, q̃d ad uitã alterã non suppeditat utilitatẽ: Nõ itaq; dignitatem nõ amplitudinem maiorũ, non corporis uires, nõ formã, non magnitudinem, non à cunctis hominibus habitos honores, nõ ipsum imperiũ, nõ quicq̃d dici potest in hac uita excellens, F

A lens, sed ultra procedere spes nostræ debebunt, & ad alterius uitæ præparationem cuncta moliri. Quæ autem illa sit uita, aut quo pacto illa uiuatur, plus negocij esset ostendere quàm nos in præsentia suscepimus. Maiores etiam auditores quàm ipse sis ad percipiendum res ipsa requirit. Sed hoc solum dixisse sufficiat, si quis omnem post creatos homines felicitatem mente concipiat, simulq; in unum congerat uniuersum, paruam quidem partem illorum bonorum adæquare comperiet, sed illius uitæ bona omnia humana simul collecta magis abesse quàm umbram & somnium à ueris rebus. Ad hanc porro uitam sacri ducunt sermones per occulta nos erudientes, ad quorum profundum sensum dum tibi per ætatem uenire non licet, non est ab re ut in alijs doctorum tamen uirorum libris erudiaris. Est enim & poëtis, sicut Basilius ait autoribus & scriptoribus cæteris & omnibus hominibus inhærendum, unde nobis ad ingenij exercitationem aliqua sit utilitas accessura. Sic Deum præ cæteris omnes colendum literæ clamitant: Huic te primum dabis commendabisq;: Hic tuus est autor, tuus pater, tuus dominus, huic omnia debes. Cumq; omnes homines Deo referre gratias debeant, tu illi maxime regratiari & seruire teneris, cuius munere factum est ut Rex nascereris: poteras unus ex plebe, aut unus ex rure nasci. Sed inscrutabile Dei iudicium in sublimi te solio collocauit. Non efferri debes, non tumescere, non superbire: quod tibi datũ est, alteri dari po
B tuit. Quanto maior es natu, tanto debes te humilius gerere, subijcere collum Regi uni, interesse diuinis officijs. Nam cui diuinus cultus est cordi, facile reliqua famulant. Primum quærite regnum Dei scriptura dicit, & post hæc omnia adijcientur uobis. Romani quamuis gentiles erant, omnia post religionem ponenda duxerunt, etiam in quibus summæ maiestatis cõspici decus uoluerunt, nec dubitauerunt sacris imperia seruire, ita se humanarum rerũ futura regimina existentia, si diuina subessent, bene atque constanter fuissent famulata. Quid nos ueri Dei notitiã habentes facere debemus? Caue ne tibi religionem putes esse subiectam, quãuis maximi principis nomine gaudes. Non dominus, sed filius ecclesiæ: sacerdotis imperio in his quæ dicta sunt Dei subiectus es. Theodosius Cæsar, quamuis potentissimus esset, & Romanũ gubernaret imperiũ, Ambrosio tamen Mediolanẽsis ecclesiæ præsulatũ tenenti, collum subiecit, imperatamq; pœnitentiam peregit humiliter. Constantinus autem maximã sacerdotio reuerentiam exhibuit. Iudicium super Episcopis in Concilio Niceno ferre non uoluit, asserens Deos ab hominibus non esse iudicandos. Nec mirum: Ait enim in Epistola sua Clemens, qui beato Petro in apostolatu successit: Omnes principes terræ, & cunctos homines sacerdotibus obedire, aut capita submittere debere. Eos autem à solo domino iudicandos, quia sui sunt & non alterius. Et quis est qui alterius iudicet seruum? Nam si ista non
C patiuntur homines, nec Deus deorum, & dominus dominantium hæc ullatenus patietur. Sic sanctissimus ille præsul beatum Petrum æternæ uitæ clauigerum prædicasse commemorat. Tu ergo præsbyteros qui Dei ministri sunt, honorabis, non sines opprimi, nõ grauari, nõ affici quibusuis iniurijs. Nec dices ineptus sacerdos est, indignus, immundus nihil ad te, iudicem habet, non erit inultum quod commiserit scelus. Tu dignitatem & sacramentum ueneraberis, nec audies discolos enormesq; iuuenes, qui tibi per adulationem secus nituntur persuadere.

Cum quibus expedit pueros conuersari.

REquirit hic locus ut quales tibi iuuenes conuiuere ministrare'que pueros iusta ratione uelimus, palam fiat: Et hinc enim potest utilitas dominiumq; redundare. Sint ergo qui tibi assistunt moribus instituti, nullum sit in eis uitium, non utantur uocibus deprauatis, faciles enim imitandis turpibus ac prauis omnes sumus. Et in prouerbio dicitur: Si claudo uicinus habitaueris, & ipse nonnunquam claudicabis. Multum est in teneris consuescere, sicut Vergilius ait. Caueant autem præceptores tui, ne quis tibi adolescens assentator adhæreat. Est enim pestiferum genus hominum qui laudant quæcunq; audiunt laudari, & rursus cum uituperante uituperant. negant si quis negat, & affirmant si audiunt affirmantem, atque ut polypus ad speciem subiecti Soli

colorem mutat,ita & isti ad uoluptatem audientium sententiam uariant,pati & aduersus iusticiam & aduersus Deum testificari,si placitum esse putarint audienti: Abigatur ex tuis edibus hæc pestis.Sint ueraces tecum pueri,uerecundi,pudici,modesti,cultores & sanitatis non ficti,non fallaces,non pertinaces,non uinolenti,non crapulosi, non iniurij. Ex his quidam Vngaricū, quidam patriū,quidam Bohemicum, omnes aūt Latinum sermonē norint, uicissimqꝫ obloquantur.Sic absqꝫ labore & quasi per ludum hæc omnia perdisces idiomata,& alloqui tuos subditos per teipsum poteris.Nihil est q̄d suo principi fauorem populi conciliet,quàm gratia sermonis. Et indignus quodammodo regno uidetur,qui conquerentes aut aliquid expostulantes regnicolas non intelligit. Auo tuo materno maximi cordis Regi tantum profuit linguas nosse complures,quantum patri tuo nocuit ignorasse.Mitridatem qui regnauit in Ponto,quis non commendabit qui uiginti duabus gentibus, quibus imperauit, absque interprete loquebatur? Nec ego te plus Australibus populis affectum quàm Bohemis Vngarisqꝫ uoluerim. Tui sunt omnes æquali studio dirigendi.Indignam rem agit teste Platone, qui unam partem reipublicæ sic curat,ut alteram deserat.Quæ res maximæ sæpe calamitatis causa principibus fuit.Atque ratio hæc potissima est quæ nobilissimam Italiæ prouinciam subtraxit imperio.Quia contenti patrio solo Reges Theutonici nimisqꝫ suis affecti laribus,Italiæ regimen neglexerunt.Regna non minus amor quàm ferrum tuetur,sed amari qui non amat impossibile fuerit. amoris autem conciliator linguæ cōmercium. Tibi ergo cum per ætatem licet intentum est,ut audire per te subditos intelligere & affari possis. Contingunt sæpius aliqua, quæ tibi soli referre subditi uelint, interpreti confidunt. Princeps insuper qui per alium semper loquitur nihil recti magis quàm Regis nomen meretur.Muliebri,ut Homerus inquit,taciturnitas decus affert,at non item uiro.

Quibus modis sermonis usus in pueris formari debeat.

NVnc quia de sermone incidit sermo, quibus modis in puero sermonis usus formari debeat,dicendum existimamus,ut cū uirilem togam induerit,non solum loqui sed ornate loqui prudenterq́ue ualeat: quod regi negligendum nemo putauit,maxima nanque præconia sibi comparant, qui loquendo cæteros superant. Atque hæc una res fuit quæ Vlyssem quamuis imbellem pugnaci præfecit Aiaci.Achilles nanque postquam interemptus est, arma non forte brachium sed florida lingua tulit. Haud igitur recte Ciceronis illud nonnulli carpunt: Cedant arma togæ,concedant laurea linguæ,nam ut idem Cicero dicit: Cum idcirco homines à bestijs differant, quod aliqui possunt,qua demum laude dignus est,qui in ea re cæteros superant,in qua homines bestias antecellunt. At nos linguæ quamuis eruditæ sermonem magis quàm taciturni principis morem probamus, non tamen in præmeditatum puerum loqui commendamus. Quod enim inconsulto ac temerarie dictum factum'ue fuerit, id pulchrum esse nequit. Incogitati sermones nedum puerorum sed uirorum quoque plurima leuitate atque incuria referti sunt. Considerata uero præmeditatio,orationem uagari non sinit. Quid dicam de pueris,quādo illustres Oratores,Pericles & Demosthenes se alloqui populum recusarunt,quia imperatos se esse dicebant. Si quis uero ex tempore sinat dicere, extremæ causam garrulitatis instituit. Nolo tibi nimiam puero sermonis patere licētiam. Magnæ sapientiæ tempestiuum silentium est. Nonnunquam sermone præstantius plures dixisse quàm tacuisse pœnituit. Quod silentio retentum est effertur facile, quod semel edideris,reuocari nullo modo potest. Nā semel emissum, teste Flacco, uolat irreuocabile uerbum. Quid ergo dicemus cum & silentij & orationis magna utilitas sit? Tenere te mediū uolumus, neqꝫ tacere semper, neqꝫ loqui semper. Non exigimus Pythagoreum id quinquēnale silentium: neqꝫ Thersitis loquacitatem. Linguam dicebant ueteres debere non esse liberam nec uagam,sed uinculis de pectore imo & de corde aptis moueri,& quasi gubernari. nam qui sunt faciles,leues, & importuni locutores,horum orationem bene existimatū est in ore nasci nō in pectore. Vlyssem contra Homerum sapienti facundia præditum,uocem mittere ait non ex ore sed ex pectore. Nempe uerborum

coërcendæ

A coërcendæ petulantiæ uallum positum est dentium, ut loquendi temeritas non cordis tamen custodia cohibeatur, sed & quibusdã quasi excubijs in ore positis sæpiatꝛ. Cauendum est ne obijci possit id Epicharmij: Cum loqui nesciret, tacere non potuit: aut Salustianũ: Loquax, inquit, magis quàm facũdus. Opus est ut loquendi uires radices agant, tum cum tempus aduocarit fandi libertas detur. Nimia taciturnitas, loquendi facultatẽ adimit. Sicut enim qui longo tempore coniecti in uinculis fuerint, si posterius soluantur, ob uinculorum consuetudinem nequeunt ambulare, ita qui sermonẽ diutius astrinxerunt, si quando loquendum ex improuiso fuerit, commutescunt. Vt autem recte formare sermonem possis, quod attinet puero non nihil dicendum est. Formãda est in primis uox ne fœminea exilitate frangatur, ne'ue similiter tremat, aut nimiũ boet: expressa sint uerba, suisqꝫ literis totis enuncientur: non excidant extremæ syllabæ, nõ audiatur uox in faucibus atqꝫ expedita sit lingua & os, absolutius expressiorqꝫ sermo. Nomina quædã præceptores tui uersusqꝫ offerẽt tibi, affectatæ difficultatis ex pluribus & asperrime coëuntibus inter se syllabis concatenatos, & ueluti confragosos quàm citissime ut uoluas atqꝫ pronuncies. Nam & Demosthenes cũ linguæ tardioris esset, acceptis in ore lapillis solus sibi pronunciabat orationes, quibus emissis facilime ac expolite demum in senatu concionabatur.

B *Quales orationes, quos ornatus pueri scire debent, & quod turpiloquia caueant quæ solent bonos corrumpere mores.*

HIs postquã præceptis institutus fueris, æquales tuos orationis ornatu grauitateqꝫ superare contendas, uictor euadas tum in hoc tum in omni laudabili exercitio. dolebis uinci, uincere gaudebis. Licet enim ipsa uitium sit ambitio, frequẽter tamen causa uirtutum fuit. & ille nimirum cõmendandus est puer, quem laus excitat, qui uictus flet, quem gloria iuuat. Absit autem in omni sermone turpitudo, quomodo actionis umbra, ut ait Democritus, extat oratio. Corrumpunt bonos mores, testante apostolo, confabulationes malæ: Quod ex Menandro receptum Hieronymus astruit. Et quoniam plerumqꝫ sermones qui festiuitatem habent, latenter aliquid admittunt mali, ut uenena melle permixta bibantur. In omni turpiloquio imitandus est Vlysses qui ceras affixit auribus, ne Sirenarum cantus exaudiret. Assit in colloquẽdo facilitas, in obuios compellendo suauitas, in respondendo benignitas. Nam graues in collocutionibus mores digna in se odia contrahunt. Absit in contentionibus pertinacia, uincat prudẽtia, obtineant rationes. non solum uincere, sed forte uinci speciosum est. Tenenda est Euripidis sententia, qui duobus colloquentibus, cum alter furit, eum longe sapientiorem affirmat, qui uerba frenat. Absit in omnibus uerbis iniuria. Nam mentiri seruile uitium

C est, à cunctis mortalibus odio insectandum. Quantoq́ue dignior est qui mẽtitur, tanto scelus est detestabilius. Omne enim uitium Iuuenalis inquit, tanto præstantius in se crimen habet, quanto maior qui peccat habetur. Sit insuper sermo tuus neque humilis, neque depressus nimis, neqꝫ tumidus aut arrogans. Quæ tumet oratio inciuilis est: quæ tenuis est, nusquam mouet. quemadmodum corpus non solum incolume, uerumetiam bonæ habitudinis esse oportet. Ita & orationem non modo non ægram, sed etiam robustam esse cõuenit. Maiora sunt hæc quàm possis capere, patebit tamen & his suum tempus. Atque hanc sermonis materiam quam natura ministrat, Grammatica dirigit, acuet Dialectica, Rhetorica illustrabit, Philosophia condiet atque perficiet, quibus de rebus suo loco dicetur.

Vt memoriam puer exerceat.

AT cum loquendi facultas, cuius uerba & sententiæ laudentur, absqꝫ ope memoriæ esse non possit, opus est ut memoriam puer exerceat. Hoc ingenij signum in pueris est, triplicemqꝫ uirtutem habet, sine labore percipit, fideliter retinet, & facile imitatur. Huic diebus singulis est committendum siue sint uersus, siue sententiæ graues ex illustribus autoribus. Memoria nanqꝫ penu scientiæ dicitur ac disciplinæ & in fabulis musarum mater appellatur, quia gignit & nutrit. Hanc tu in utraqꝫ parte iuuabis,

 siue na-

siue natura memor siue obliuiosus fueris. Aut enim roborabis abundantiam, aut supplebis defectum ac uersibus parebis Hesiodi. Sic enim ait: Paruula si tentes superadiecisse pusillis, Idq; frequenter agas grandis cumulatur aceruus. D

Hic commendat exercitium Grammaticæ artis.

QVia uero Grammatica doctrinæ cuiusuis ostium esse dignoscitur, ac plus in recessu habet quàm in fronte promittit, desperatáque uideri potest, nisi ab ephebis puerisq; percipiatur, admonere te paucis uolumus ne hanc contemnas artem, quasi regio culmine minus dignam. Nihil enim ex Grammatica nocet, nisi quod superuacuum est: Cuius maximos uiros constat fuisse studiosissimos. Ostendit hoc in epistolis ad filium scriptis Marcus Tullius orator, idemq; consul & patriæ tutor. Iulius Cæsar summus Imperator, adeo diligẽs huius artis fuit, ut emendatissimos scripserit de analogia libros. Augustus quoq; Octauianus quàmperitus Grammaticæ fuerit, in epistolis ad ipsum Cæsarem scriptis manifestat, qui teste Quintiliano emendatius dici calidum quàm caldum mauult, non quia id non sit latinum, sed quia sit odiosum. Non ergo pudeat te discere, quod maximi orbis principes magno nancisci studio curauerunt. Dixeramus supra doctrinam Regibus necessariam esse: quòd si parum mihi habes fidei, regius propheta te commoneat. Et nunc reges intelligite, præcipit ille, erudimini qui iudicatis terram. Quomodo erudiri & disciplinam discere poteris nisi totius eruditionis initium & fundamentum acceperis, quod est Grammatica. Sed dedisti tu hactenus huic operam arti, nec inuitus præceptoris tui monitis auscultasti, non tamen adhuc perfectus grammaticus euasisti: pergis enim adhuc discere perfectius. Quibus ex rebus decreuimus tibi nonnulla de Grammatica scribere, nõ quia uelimus ipse te Grammaticam docere, sed breuiter ipsos fontes ostendemus, ex quorũ potu ueri grammatici fiunt, ad quos ut tui præceptores te ducant tanto magis optamus, quanto id magis tibi conducibilius arbitramur. E

Quod grammatica habet tres partes principales.

GRammatica, sicut Quintilianus ait, in latinum translata literaturam designat. habetq; partes tres, recte loquendi scientiam, poëticam & aliorum autorum enarrationem, scribendiq; rationem. Attingamus ex his aliquid quod tibi audire sit utile & nobis dicere non indelectabile. Prima pars est recte loquendi scientia. Rectam locutionem hoc ideo accipimus loco, quæ uerbis aptis & rite coniunctis enũciatur, quamuis alias uitiosa & procax minusq; iusta fuerit. Si ergo grammaticè recteq; loqui uolumus, noscendus est uerborum usus. Aliqua nostra sunt, aliqua peregrina, aliqua simplicia, aliqua composita, aliqua propria, aliqua translata, aliqua usitata, aliqua sita, atque in his tota uis recte loquendi consistit, ut his apte compositeq; utamur. Nostra dicuntur omnia quæ ab Italicis inuenta sunt, ut amor, lectio, scriptio. Peregrina ex omnibus prope gentibus recepta reperiutur, ut à Gallis, Reda. ab Hispaniis, gurdi qui uulgo stolidi reputãtur: Ex Theutonicis, marchio. Infinita uero ex Græcis, unde Romanus sermo ut plurimum uersus est. Et in uerbis quidem græcis utendum est declinatione latina quousque patitur decor, ut Plato, Palemo, non Platon Palemonq; dicatur, quia rectus in on latinus exire non consueuit. Non tamen admodum absurde Græca quoque declinatio nonnunquam recipitur & præsertim in carmine, ut apud Vergilium: Audiat hoc tantum uel qui uenit ecce Palemon. Et nobis idem Alchimedon duo pocula fecit. Et Orphea, quem in medio posuit, & Phyllida Amo ante alias, & Aulai in medio libabant pocula Bacchi. Nec patiebantur antiqui in as Græca nomina masculina finiri per rectum, ideoq; apud plerosque reperitur, Aenea, Pelea, Anchisa, Hermagora: at modo uitium esset nisi Peleas, Aeneas, Anchises, Hermagoras diceretur, ut iam latinũ declinatio Græca usum obtinuerit. Simplicia uerba sunt, amo, lego, probus, territus, & his similia. Composita uero, ut adamo, perlego, improbus, perterritus. Fiunt quoq; cõpositiones aliquando ex duobus, ut perterritus ex per & territus: aliquãdo ex tribus, ut imperterritus, ab in, per, & territus. Putat quoq; Cicero Capres. ex eo F

fieri

A fieri quod est cape, si uis. Et sunt qui lupercalia interpretentur, Ludere per caprum. Iunguntur autē uerba ex duobus latinis integris, ut superfui, & subterfui, quamuis ex integris an composita sint quæri possit: Aut ex integro & corrupto, ut maleuolus: Aut ex corrupto & integro ut noctiuagus: Aut ex duobus corruptis, ut pedissequus: Aut ex nostro & peregrino, ut biduum: Aut econtra ut Antichato: Aut ex duobus peregrinis, ut epiredia, & Antichristus ἐπὶ enim græca præpositio est, Rede gallicum uehiculum: neq; Græcus inde neq; Gallicus dixit epiredium. Romani suum ex alieno utroq; fecerunt: Propria uero uerba illa dicuntur, quæ illud seruant ad quod primum denominata sunt, ut flumen quod aquarum multitudine fluit semper: Torrens quod inundatione tumescit, siccitate deficit. Atque in his cognoscendis recteq; locandis non parua diligentia opus est, ut ædem pro templo Dei, pro domo magni uiri, non econtra dicamus. Aut laborem pro dolore, aut dolorem pro labore ponamus. Translata uero dicuntur quæ alium natura intellectum, alium loco præbent, ueluti gemma, secundum naturam preciosum lapillum significat, ex loco translata in locum significare guttam potest, quā uitis putata mittere solet, seu pullulantem primo ueris tempore ramusculum. Transfertur autem uerbum ex loco in quo primum fuit, in alium in quo aut proprium deest, aut translatum pro proprio melius esse uidetur. Compellitq; nos uerba transferre aut necessitas, aut utitas. Necessitas ut iam de gemma diximus: Nec enim nomen aliud

B habuit rusticus, quo se monstrantem primo ramusculum siue guttam liquoris exinde manantem appellaret. Necessitate quoque durum hominem dicimus atque asperum, quia non habemus proprium quod demus his effectibus uocabulum. Vtilitas bifariam diuiditur, quia uel significantius, uel ornatius quàm proprijs translatis utimur. Significantius dum dicimus hominem incensum ira, aut inflāmatum cupiditate, aut errore lapsum. Iratum enim, & cupidum, & errantem proprie licuit sed minus significanter. Ornatus causa multa interponi translata solent, ut lumen orationis, generis claritatem, concionum procellas, eloquentiæ fulgura. Modicus tamen atque opportunus translationis usus illustrat orationem, frequens autem & nimius obscurat & tædio complet: Continuus uero in allegoriam exit atque ænigmata. Nec parum iudicij necessarium est, ut quæ continua, quæ uel deformis translatio sic cognoscatur. Honesta profecto mihi atque iocunda diui Augustini translatio uidetur, dum in sermone innocentum inquit: Qui uero dicuntur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, uelut primas erumpentis ecclesiæ gemmas quædam persecutionis pruina decoxit. Cicero castratam morte Affricani rempublicam inepte dici existimauit. Quid si illum audisset, qui psitacū ait monetare uerba, quia uoces æmulari nostras conatur. Vsitata sunt uerba quæ communi teruntur usu, & his tutius uti possumus. Cicero dicit quæ primo dura fu-

C erunt, usu molliri: nec tempore suo satis audacter urbanū dicebant, nec uiuo Quintiliano, practicam. at hæc hodie trita sunt, quis antiquorum uel scandalum, uel gehennam dixisset: sed ista nobis lectio euangelica tradidit. Hinc id Horatij uerum redditur: Multa renascentur quæ iam cecidere cadunt q;. Quæ nunc sunt in honore uocabula si uolet usus, Quem penes arbitrium est & ius & norma loquendi. Ficta uocabula sunt quæ sibi quisq; nouiter fingit, ut apud Horatium: inimicat urbes, hoc est inimicitias facit. Idem quoque uerbum fingere uidet alio loco. Volucrisq; fati tardauit alas, hoc est distulit. Seruius ait quibusdam herbis olim sacerdotes amasculari fuisse moris ut amplius coire non possent. Verbum est ex masculo fictum, sed non licet omnibus uerba fingere noua. Quod enim ait Flaccus, licuit semperq; licebit signatum præsente nota producere nomen, Vt syluæ folijs patronos mutantur in annos, prima cadunt, ita uerborum uetus interit usus. Et iuuenum ritu florent modo nata uigentq;: ad eos referendum est, qui iam orando atq; scribendo magnum sibi nomen fecerunt. Sicut Terentius, qui primum dixit obsequiū: et Beatus inuentor Messalia atq; mirabilium excogitator. Augustinus. Qui mediocri sunt ingenio, nō inuenire uocabula sed inuētis uti debebunt. In omnibus aūt uerbis siue noua sint, siue antiqua, siue nostra, siue aliena, siue propria, siue translata,

nullus honor fuerit, nullaq; laus nisi bene rebus accommodetur. Cumq; duo sunt tantundem significantia eo uti præstat, quod melius sonat, ut facilius intelligatur, ut beatitudinem quàm felicitatem potius dicas. D

De uariatione dictionum & declinatione temporum & casuum.

COgnita uero natura uerborum, diminutiones, declinationes deriuationesq; prænoscere oportebit: Memineris scabellum ex scamno, uillum ex uino, ex paruo pusillum. Ex pinna quod est acutum, bipennem quæ securis est utrinq; habens aciem. At ex recto qui bos est, fieri bouem, & à lauando fieri lotum, atque illotum. uariantur nanque plurimum dictiones & in casibus & temporibus & in numeris & in modis, ut hæc tradita sunt apud Grammaticos admodum diffuse. Nec præpositio coniuncta uerbis semper eundem remanere patitur sonum, ut cadat, excidit: calcat, exculcat testimonio sunt: Fuerunt qui pepegi ex uerbo paciscor descendere putauerunt, quod minime uerum est. Paciscor nanque præterito tempore pactus sum ex se format, non pepegi quod Quintilianus ab eo affirmat proficisci, quod est paco. Inuentum est enim in duodecim tabulis pacunt, cuius est simile cadunt: at hoc ex cado sumitur, sic ergo & pacunt dixeris ex paco. Cado cecidi præteritum habet, paco pepegi. Ad hæc adijcienda sunt genera, ne masculinum dixeris quod fœmininum sit, aut neutrum: aut commune. Post hæc quod maius est, connexiones uerborum & nominum quo pacto fieri debeant. Sciendum est, ut apte pronomina participiaq; locentur, nec aduerbia præpositiones interiectionesq; negligantur. Cauendumq; totis animi uiribus erit, ut in omni uerborũ pronunciatione barbarismi fœditas absit. E

Barbarismus committitur in commixtione idiomatum.

BArbarismus quidem ex multiplici manat fonte. Ex gente, ut si latina in oratione uocabulum Afrum uel Hyspanũ uel Theutonicum misceas, quod non sit usu latinum. Ex natura, ut si insolenter minaciter ac crudeliter loquaris, barbare nanq; dixisse uideberis. Ex alternatione dictionum, ut si detrahas uel addas uel uaries syllabas uel literas de loco suo transeuntes, ut Tinga placentinus, qui percula pro gula dicebat, duplicis ab Hortẽsio barbarismi notatus uitio. Hoc tamẽ apud scriptores carminũ, aut ueniam sæpius aut laudem meretur, ut Vergilius. Nec spes libertatis erat, nec cura peculi, pro peculij. Tingite fronte coma & pocula priorgite dextris, priorigite tanquã priorigite dixit. Et Iuuenalis adijciẽs syllabã de Nerone sic ait. Quales sunt epulas ipsum glutisse putamus Induperatorem, pro Imperatorem metri mensura deposcit. Quædam sunt uerba quæ si proferantur singula uitiosa sunt, iuncta uero sine reprehensione dicuntur. Nam & dua, & tre, & pondo barbare sapiunt, at duapendo & trepondo recte dici, Quintilianus affirmat. Nec barbarismus abfuerit si quæ longa est syllaba, breuiter pronunciaueris, aut correptam produxeris, quod poëtis aliquando permissum est. ut Italiam fato profugus lauinaq; uenit: Vergilius enim Italiæ primam syllabam quæ breuis est, ubiq; productam facit. F

Qualiter & quando committitur uicium solœcismi.

SOlœcismi quoq; uitium multifariam committimus, ut cum suum rei non redditur genus, ut si hunc arborem dixeris, quod fœmininum est. Corticem tamen & amarum possumus & amaram dicere, cum sit utriusque, Vergilio autore: Si uerbo uel participio uel præpositioni non redditur suus casus solœcismus adest, si unum ad te uocans uenite dicas: aut si plures à te dmittens ita loquaris abi: aut si dicenti quem uideo, ita accurris. Haud reus eris solœcismi si magnum peculiolum, aut grandem te dixeris equulum possidere, quamuis improprie loquaris, non tamen committis solœcismũ. An & aut coniunctiones sunt, si tamen requiras, hic aut ille fuerit, in uitium cadis: Nec minus peccabis si pro, illud ne feceris, non feceris dicas. Quia licet ne & non aduerbia sunt, alterum tamen negãdi, alterum uocandi est. In sacra tamen scriptura repertum est: Non furtum feceris, cum furtum fieri prohibetur. sed ibi quoq; ut in poëtis multa licenter quàm signata magis dicuntur. Quædam sunt quæ singulariter duntaxat efferuntur,

quædam

A quædam pluraliter tantum. Qædam per paucos casus dici uolunt. Commutata uero solœcismum habent. Nec enim nex mihi instat dicere licet, neq; mortes imminẽt: quamuis & hoc aliquando permittatur, si referatur ad plures. Nam unus unam tantum mori mortem potest. Nec paterno mani sacra factio dicendum est, sed paternis manibus. Habent autem nonnulla solœcismi faciem, nec tamen uitiosa sunt, ut tragœdia Thiestes: Ludi floralia & Megalensia stemata, hæc nominantur frequentiora quidem apud poëtas, sed oratoribus quoq; permissa sunt, & nomina fœminina quibus mares utũtur. Et neutra quib. fœminæ, ut Sylla, Catilina, Iugurtha, Messala, Galba, Dolobella, Agrippa, Glycerium, Dortium, Philortium, Eustochiũ: Nec uitium habent. In quibus omnibus si quis uitio carere uult, quatuor eum noscere oportebit, Rationem, uetustatem, autoritatem, consuetudinem. De ratione primum est transigendum, &c.

De Analogia & ethimologia.

RAtionem quæ de Grammatica ponitur Analogia præstat aut ethimologia. Ex his tamen non tantum ratio quàm exemplum ualet, quia consuetudini seruiunt: ob quam rem inepti sunt qui pertinaciter deriuationibus aut similitudinib. magis hærent quàm cõsuetudini, ut qui audaciter dicere uolunt, non audacter, & conire non coire, & frugalis non frugi, licet omnes oratores aliud sequantur. Analogia ex Græco in B Latinum translata, proportio nuncupatur, potestq; dici similium ratio. Huius uis est, ut illud quod dubium est, ad aliquod simile referamus, de quo non quæritur, ut incerta certis probemus. ut si queramus: finis fœmininũ sit an masculinũ: simile illi sit panis, si dubium est domu dicendum sit an hac domo, similia sint anus manus. Si scire cupias an ferueo. es. sit media syllaba longa uel breuis, Erũt illi similia prãdeo, spondeo, pendeo, quæ spondere, prandere pendere faciũt, mediamq; productam retinent. Sed multa est in his deceptio. Repertum est apud Lucillum feruit aqua & feruet nũc ad omnia, ut sit feruio, feruis, feruit. Vergilius quoq; feruere littora late, media correpta dixit. Nos etiam in domo fuimus, non in domu dicere solemus. Lupus & lepos non minus conformia sunt quàm panis & funis, lepus tamen epicœnum, lupus masculinũ est, quamuis Varro lupum fœmineam dixerit, Ennium secutus & Fabium pictorem.

De æthimologia quæ uerborum requirit originem.

AEthimologia quæ uerborũ exquirit originem, multam habet eruditionem. Hanc alij notitionem appellauerunt, alij ueriloquium, sed qui uim potius intuiti sunt, originationem uocitarunt. Eius exinde Marcus Aelius in se posuit tamen se esse hominẽ frugi probare uoluit, non quia esset abstinens: nam id quidem mentiri non poterat, sed quia utilis multis, id est, fructuosus, unde sit dicta frugalitas. Huius æthimolo C giæ quidã nimis studiosi uerba paululum declinata uarie & multipliciter aut correptis, aut productis, aut abiectis, aut detractis, aut mutatis de loco literis uel syllabis ad suum usum reducere conantur: Ita ut in paruis ingenijs fœdissima usque ad ludibria dilabantur, ut sunt qui hominem propterea appellari putant, quia sit homo natus, tanquam primi mortales ante nomen imposuerint terræ quàm sibi. Licet enim Genesis testimonio aridæ nomen Deus indiderit, non tamen humum appellauit, sed humi uocabulum postea natum est. Alij uerba quasi ab aëre uerberato, & stellam quasi luminis stillam, & celibes ueluti cælites, quia grauissimo uacent onere, & Viennã quasi biannam dici stultissima ratione iudicant, quia duobus annis Iulij Cæsaris obsidionẽ pertulerit. Cum uiuente Iulio nondum condita fuerit, & in eius initio non Vienna, sed Flauianum appellaret. Sed cui non uenia dabitur, quãdo teste Quintiliano magnus Varro deceptus est. Is enim agrum propterea dictum putat, quia in eo aliquid agatur: Et graculos: quia gradatim uolant. Quintilianus aũt alterum ex Græco duci, alterũ ex uocibus suis denominari confirmat. Nec desunt qui propterea merulam dici censeant, quia sola uolat quasi mera uolans. Sed non est in omnibus originationibus auscultandum, nisi fuerint ab illustribus oratoribus approbatæ, uel manifestam deriuationem præ se tulerint,

ut consul à consulendo, uel adiudicando: Nam & hoc consulere ueteres uocauerunt. D Vnde est illud, rogat ut boni consulas, idem bonum iudices. Nec te lateat æthimologiam, ut prædictum est, seruire consuetudini. Hinc Triquatram Siciliam, non triquadriam: Et meridiem, non medidiem dicimus. Vetusta uerba maiestas quædã, ut ita dixerim, religiose commendat. Nam quæ sunt à uetustate repetita, non solũ magnos asserto res habent, sed etiam afferunt grauitatem orationi non sine delectatione, cum & autoritatem antiquitatis habeant, & quia intermissa sunt gratiam nouitati similiter pariunt. Sed opus est quæ crebra sunt nec manifesta, quia nihil odiosius affectione, nec utiq; ab ultimis & obliteratis repetita temporibus. Meminisse oportet Phauorini Philosophi, qui, ut est dictum apud Aul. Gellium de noctibus, adolescenti uerborum cupidissimo, plerasq; uoces nimis priscas & ignotissimas in quottidianis communibusq; sermonibus exprimenti, Ennius, inquit, & Fabricius & Coruncanus antiquissimi nostri, & his antiquiores Horatij illi trigemini plane & dilucide cum suis fabulati sunt. Neq; Aruncorum aut Siccanorum, qui primi coluisse Italiam dicuntur, quicquam dictasse peregrini reperimus, sed ætatis suæ uerbis locuti sunt? Tu autem perinde ac cum matre Euandri nunc loquare sermonem, ab hinc multis annis iam desito uteris, quia scire atque intelligere neminem uis quæ dicas. Nonne homo inepte, ut quod uis consequaris abunde, taceres? Sed antiquitatem tibi placere ais, quòd honesta, & pulchra, & sobria, & casta sit. Viue ergo moribus præteritis, loquere uerbis præsentibus. Atque id quod à Cæsare excellentis ingenij ac prudentiæ uiro in primo de Analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut tanquam scopulum, sic fugias inauditum atq; insolens uerbum. Adhibenda est igitur moderatio, ne uel nimia sint, uel nimis obscura, uel omnino refutata quæ à uetustate uerba reperiuntur. Quis enim nunc nox pro nocte, aut im pro eum diceret? at hæc habent duodecim tabulæ: sic enim illic scriptum fuit. Si nox factum furtum fuit: si im siue occiderit iure cæsus esto. E

Quos autores imitari licet, & à quibus est autoritas requirenda.

AVtoritas ab oratoribus uel historicis peti solet. Nec minus à poëtis, quando non magis hoc quàm illud modulatio metri deposcit. Qualia sunt imò de stirpe recisum: Et, aëreæ quo congessere palumbes: Et, silice in nuda. ex quibus scimus stirpem masculini generis, & palumbem & silicem fœminini esse: cum metrum in mutatione generis nil requisiuerit. Summorum autem in eloqũentia uirorum iudicium p o ratione, & uelut error honestus est magnos duces sequentibus. Sed hoc quoq; uidendum est, ne nimium antiquos imitemur, aut nimis obscuros. Nam & si potest uideri nihil peccare qui utitur his uerbis, quæ summi autores tradiderũt, multum tamen refert non solum quid dixerint animaduertere, sed etiam quid persuaserint. Oratio præterea cuius summa uis est perspicuitas, uitiosa fuerit si egeat interprete. Quis modo nocte concubia dixerit, & hac noctu filio pendebit Hetruria tota? quamuis utriusque sit Ennius autor. Quis lucrum abundum, ut, quis gladiola, sicut Messala pronunciauerit? F

De usu loquendi, & deriuationibus terminorum.

SVperat igitur cõsuetudo certissima loquendi magistra: Cui & rationes cedũt & uetustas, & autoritas omnis parere cogitur. Vtendum est sermone ut numero, cui publica forma est. Nam penè ridiculum fuerit, malle sermonem quo locuti sunt homines, quàm quo loquuntur. Exposcebat ratio ut inuidere te, sicut uidere te, diceremus, quod Actius in Menalippo dixit. Quis non florem librum inuidet meum? Cicero tamen dicit hoc consuetudine prohiberi iduare, unde Idus dictæ sunt. Vetusti Hetruscorum populi idem esse aiebant, quod diuidere: unde uidua quasi ualde idua, id est diuisa, aut à uiro diuisa. Hodie nemo dixerit iduare, quamuis nobis Idus sit, iduasq; consuetudo dimiserit. Nec diequinte, uel diequinti, copulate pro aduerbio quisquam scribere ausus fuit, quamuis Pompeiani uersus suffragetur autoritas, qui est ex Attelliana quæ Mathia inscribitur, Dies hic sextus cum nil egi diequarte. Moriar fame diepristine, eodem

modo

A modo autoritate non indoctorum ueterum reperitur dictum, quòd significabat die pristino, die priore, quod nunc pridie dicitur, consuetudine magis hoc quàm illa probante. Sed est hic quoq; iudiciū necessarium, ne passim uulgus imitemur. Constituendum est in primis quid sit ipsum quod consuetudinem appellamus. Nam si ex eo quòd plures faciunt, nomen accipiat, periculosum dabit præceptum, ut Quintilianus ait, non orationi modo, sed quod maius est, uitæ. Vnde enim tantum boni in pluribus quæ recta sunt placeant? Non in multitudine, sed in paucitate sapientia reperit. Nec eloquentia populi, sed est paucorum. Maximus est eorum numerus, qui comas nutriunt & in gradus frangunt? Et qui perpotant in balneis, qui summo studio cœnas insectātur, qui lucris illicitis, qui libidini seruiunt: Pauci qui ab his abstinent: absit ut illos imitemur, istos fugiamus. Quàm multi sunt qui uerba Latina deprauant. Pro eo quod est amare atq; insequi Veneris cupiditate fœminas, bouisare huius terræ populus dicit. Sumptus qui fiunt ab itinerantibus, ceralia uocant. Quando uenturum quenquam significare uult, ipse inquit, non ueniet, sed, erit cito uenire. Quid igitur? sequemur, ne istos quia plurimi sunt? & loquendi consuetudinem ex multitudine recipiemus: fatescat hic error. Non enim quod uitiose quamuis multis insiderit, pro regula sermonis accipiendū erit, quia non uitia sed mores boni consuetudinem faciunt. Sicut ergo uiuendi consensum bonorum, sic & loquendi consonantiam eruditorum appellari & imitari consuetudi-B nem oportebit. Succincte tibi & admodū breuiter quæ sint fontes primæ partis Grammaticæ, non expressimus, sed indicauimus, quibus potare te tui poterunt: debebuntq; præceptores Prisciani & aliorum qui signate locuti sunt, libros aperire. Nos interea secundæ partis intentio quæ sit in medium afferamus.

Quod peritiam loquendi nullus assequitur, nisi poëtas, historicos, & oratores perlegerit diligenter.

CONcatenatæ sunt inter se disciplinæ, nec unamquisquam adipisci potest, nisi lumen alterius consequatur. Quis enim recte loquendi peritiam habet, nisi poëtas uiderit, historicos et oratores perlegerit. Quod rationis est, quod autoritatis est ac cōsuetudinis in Grammatica, unde nisi ab his sumitur? Vult ergo secūda huius disciplinæ particula non solum præfatos autores legi atq; intelligi, sed omne scriptorum qui deferti fuerint & probati, discuti genus. Non propter historias modo, uerum etiam propter uerba quæ frequenter ab autoribus sumuntur: ideo conducibile & necessarium est, ut ad colligendos præceptores tui non parum diligentes sint, ueteres instituant, ut ab Homero atq; Vergilio lectio incipiet. quamuis ad intelligendum eorum uirtutes opus esset firmiori iudicio. Sed huic rei superest tempus: Neque enim semel legentur. Interea uero & subtilitate Heroici carminis animus puerilis assurget, & ex magnitudine C rerum spiritum ducet, & optimis imbuetur. Quod Augustinus quoq; probat in primo qui de ciuitate Dei inscribitur libro. Sed tibi non uideo quomodo Græca tradi possit, cuius rei præceptor abest. Dicerem autem etiam illa tibi addiscenda si facultas adesset. Nam & ad regnum Vngariæ melius dirigendum cui Græci complures subsunt, non parum conduceret, & ad Latinam orationem multum tibi luminis afferrent literæ Grecæ, quas non pauci Latinorū Imperatores maximi didicerunt. Plus enim apud me ualet magni Catonis autoritas, qui uel senex Græcis literis operam dedit, quàm Caij Marij qui eas literas turpe putauit discere, quarum magistri seruient: sed nobis uoluntas adest, facultas abest, ideo de Latinis dicamus quorum non tanta inopia est, ut cum his efficere Latinam orationem non possimus & pleniorem & ornatiorem.

Quomodo Germaniæ partes poëtas despiciunt & theologiam colunt.

LOcuturo mihi de Poëtis eorum'que lectiones suasuro, turba illorum insultabit qui uideri magis quàm esse theologi uolunt. Quid tu nobis ex Italia Poëtas adducis, inquiunt, sanctos'que Germaniæ mores eneruata Poëtarum lasciuia corrumpere properas. Numquid obiectum est ut probrum à Romanis tuis Marco nobiliori

nobiliori, quòd in Aetholiam consul poëtam Ennium duxit: Nunquid tuus Cicero, D
quem sequeris, quem imitaris, in Tusculanis quæstionibus rectè poëtas eductos à Platone commemorat ex ea ciuitate quam finxit, cum optimos mores & optimum reipublicæ statum exquireret? Quid Boëtius? nunquid poëtarum musas scenicas meretriculas appellauit? Quid Diuus Hieronymus inquit? propterea se uerberatum ab angelo dicit, quia literis incumberet secularibus: Abi tu procul à nobis atque poëtas tecum referto. Neque ab his Iuristæ quidam discrepabant, quorum doctrina non in textibus sed in glossis hæret, quique nihil ornatius in iure ciuili reperiri censent Autenticorum libris. Quibus pauca respondentes dicimus: Si omnes qui sunt homines in Germania idem sentient, libentius migrabimus, quàm cum tanta ignorantia aut cæcitate morabimur. Sed sunt etiam his in regionibus uiri docti qui poëtas & oratores magnopere colunt, nec argumentis mouentur aduersariorum. Licet enim detractores Nobilior tulerit, non tamen detrahenti multitudini cessit. Imitatus'que ipsum est Affricanus maior, qui non contentus poëtam dilexisse, statuam eiusdem Ennij suo & maiorum suorum sepulchro imponi iussit, ut si decertatum de autoritate fuerit, plus ponderis in Affricano Nobiliore'que dixerim, quàm reliqua populi multitudo possit habere. Nec difficulter auertitur Platonis autoritas, quæ à Cicerone refertur. Audi quæ Cicero subiunxit, hæc eius uerba sunt: Sed quid poëtis irascimur? uirtutis magistri philosophi inuenti E
sunt, qui summum malum dolorem dicerent. Atque subinde refert exempla Philosophorum quàmmulta, qui doctrinam introduxerunt perniciosam. Qua ergo ratione poëtas excludit Plato, eadem philosophos oportuisset expellere. Quid de theologis dixerim? Quis error in fide nõ à theologis profectus? Quis Arrianã induxit uesaniam? Quis Græcos ab ecclesia separauit? Quis Bohemos seduxit nisi theologi? Romani quondam omne medicorum genus ex urbe pepulerunt, quia multa in his facinora sunt reperta: postmodum uero castigatis sontibus, innocentes receperunt. Quid oratores? Nonne ait Cicero, ciuitates complurimas propter facundiam malorum hominum funditus fuisse delatas? Ac sicut nec oratores, nec medici, nec theologi, nec philosophi omnes propter aliquos malos respui debent, similiter nec uniuersi poëtæ propter non nullorum uitia sunt abhorrendi. Alioquin & ipse Plato fuisset ex ciuitate, quam formauit, eijciendus, cum & tragœdiæ deditus fuerit, & carmina eius apud Macrobium ferantur: ex quibus constat ipsum fuisse poëtam: nec Cicero in ea ciuitate mansisset, qui non solum poëtarum maximus cultor fuit, sed libros quoque tres de suis temporibus poëtico more carminibusq; descripsit. Quod ex Boëtio uidetur obiectum, non tam solutionem quàm risum meretur. Quis enim cachinnum retineat, cum damnari poëtam à poëta referatur. An non est ipse Boëtius uir poëticus. Nam ipsa Philosophia quæ cum eo loquitur, ut plurimum uersibus agit & fictionibus. Quot sunt F
ibi fabulæ? quot metrorum genera? Similis illi uidetur Boëtius qui iurabat non esse iurandum. Sed non hoc Boëtio imputamus, magno tum philosopho, tum poëtæ quod isti sentiunt, sed aliam illi fuisse mentem existimamus, de qua nunc dicere longum esset. Ad Hieronymum uenio, cuius optarem, qui uiuunt omnes, sequi uestigia. Si enim eloquentia uitæq; sanctimonia cuncti essemus præditi. Quid opus est illum obijcere? qui postquam gentilia studia perlustratus est omnia, tum demum uerberibus affectum se dicit: fecit me iudice, hoc in negocio sicut in re familiari prouerbium est Florentinorum. Sic illi aiunt: Cum domum undiq; oppleueris, tunc ut rectè uiuas memento. Sic scatet hic undique poëtarum dictis, nec uersus est usquam eius, qui non Tullianam redoleat eloquentiam, quamuis & Ciceronem, & seculares quosuis codices abnegauerit. Sic de cæteris ecclesiæ doctoribus dixerim, quorum facundiam quæ muta fuisset alioquin, illustrauere poëtæ. Nec mirum cum doctor Christiani exercitus & orator inuictus Apostolus Paulus poëtarum uolumina perlegerit, quorum uersus in epistolis eius inserti reperiuntur. Nam quod ad Titum scribit Hieronymo teste. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri: uersiculus est Epimenidis poëtæ. Alibi quoq;
Menandri

A Menandri senarium posuit: Corrumpunt mores bonos confabulationes malæ. Nec mirum si apud Latinum metrum non seruat ad uerbum expressa translatio, Cum Homericus eadem lingua uersus in prosa uix cohæreat. Latus ad disputandum campus & materia diues. Possent infiniti penè adduci, qui literas seculares & præsertim poëtas confirmant legendos. Nempe Cyprianus uir eloquentia clarus, & martyrio Firmiano narrante, mordetur quod aduersus Demetrianum scribens, testimonijs usus sit Prophetarum & Apostolorum quæ ille ficta & commenta esse dicebat, & non potius Philosophorum & Poëtarum, quorum autoritati, ut ethnicus contraire non poterat. Sed quid opus est alios post Paulum citare testes? aut cui fidem præbebit, qui Paulo non credit? Sequatur quisque si uult errorem suum, nos cum Paulo cæterisq; sanctis & eruditissimis uiris poëtarum lectionum nedum non uitabimus, sed amplectendam cæteris modis legibusq; suademus.

Quia non omnibus poëticis dictis adhibenda est mens.

NOn enim passim quosque poëtas legi atque his hærere, totos puerorum præcipimus animos. Nam cum pleraque in his amatoria uitiosaq; sint, non omnibus quæ ab ipsis dicuntur adhibenda est mens. Sicut nec Theologi nec Philosophi
B omnes audiendi sunt: Sed cum excellentiũ uirorum dicta aut facta cõmemorant, tunc tota mente moueri & inflãmari lector debet, maximeq; conari, ut ipse talis sit, quales illi fuerunt. Cum uero improborum hominum mentio incidit, fugienda est illorum imitatio. Audi Basilium sanctissimum atq; peritissimum uirum. Nos, inquit ille, laudamus poëtas, cum non iurgia referunt, neque cum scurras, aut amantes, aut ebriosos, aut dicaces imitantur, neq; cum diuite mensa cantuq; dissolutio felicitatem diffiniunt. Minime uerò cum de dijs aliquid dicunt, & maxime cum de illis ita narrant, quasi plures sint atque discordes: & pauloplus eadem hæc dicenda sunt, ait, de cæteris scriptoribus, & tunc maxime cum ad uoluptatem leguntur. Et iterum: Sed tunc potissimum oratores amplectimur, dum aut uirtutem extollunt, aut uitia effulminant. In lectionibus igitur poëtarum & aliorum scriptorum imitari apes decebit: Vt enim ex floribus cæteri nihil sumunt præter odorem & colorem, apes uero etiam mella sciunt inde excerpere: Ita qui solum festiuitatem sequuntur uerborum, aliquem fructum percipere haud possunt. Nec insuper apes omnes pariter flores adeunt: nec si quos adeunt, eos totos absoluunt, sed eo ablato quod operi suo aptum sit, reliquum omne ualere sinunt. Non possumus facere qui Diui Hieronymi rursus utamur testimonio, ut inde remedium præbere doceamus unde uulnus fuit inflictum. Hic cum in Epistola ad oratorem urbis scripta, non ignorasse Paulum gentiles literas & usum poëtarum carminibus ostendisset,
C mox ita subiungit: Legant enim in Deuteronomio domini uoce præceptũ, mulieris captiuæ radendum caput, supercilia, omnesq; pilos & ungues corporis amputandos esse, sicq; eam habendam in coniugio. Moxq; de seipso subijcit. Quid ergo mirum si & ego sapientiam secularem propter eloquij uenustatem, & membrorũ pulchritudinem de ancilla atq; captiua Israëlitam facere cupio? & quicquid in ea mortuum est idolatriæ, uoluptatis, erroris, libidinis, uel præscindo, uel rado? Habes iam formam legendi poëtas & autores alios. Cum enim id ex his exceperis quod ueritati consentaneum sit, cætera omnia transgredieris, & uelut in rosis legendis sentes uitabis: Ita quantum utiliter scriptum est accipiens, reliqua quæ nocere possunt, declinabis. Principio nanque cuiusuis disciplinæ quæ nam illa sit, desiderare oportet & ad finem dirigere. Et quoniam ex hac uita per uirtutem ad meliorem perducimur, uirtus autem quàm multum à poëtis multum ab historicis, multo etiam magis à philosophis laudatur, eorum uerbis maxime inhærendum est. Nec enim parum habet utilitatis consuetudo quædam, & familiaritas uirtutum mentibus puerorum & animis infusa recentibus, cum ualde inhærere soleant, & penè indelebiliter, quæ in tenera ætate discuntur. unde Horatius: Quo semel imbuta recens seruabit odorem, Testa diu. Sic ex lectione ueterum & nouorum qui scribunt prudenter, autorum duplex te autoritas comitatur. Nam & uitam

studio

studio uirtutũ efficies meliorem, & Grammaticã peritiamq; sermonis optimorũ, & ornatissimorũ uerborum & sententiarum magnã suppellectilem tibi comparabis. D

Qui autores, quiúe poetæ pueris sint legendi.

SEd accipe rursus à nobis aliam regulam, & qui sunt autores tibi legendi dum puer es noscito. Sunt poëtæ, sunt historici, sunt philosophi, sunt oratores. Nam theologos in aliud tempus reseruamus. Quamuis & horum multi sine periculo, ut post dicemus, tradi puero possunt, qui tamen & ipsi philosophorum nomine continentur. Nihil enim est quod ignoratum philosophia prætereat. In poëtis legendis qui tibi credendi sint præceptoris iudicium assit. Inter heroicos Vergilium cunctis præferant, cuius tanta eloquẽtia tantaq; est gloria, ut nullius laudibus crescere nullius uituperatio minui possit. Apud quẽ dicendi singula genera, quæ quatuor esse putantur, breue, copiosum, siccum, & floridum studiosus lector inueniet. Lucanus grandis autor hystoriæ, & Statius admodum limitatus præteritum iri non debent. Ouidius ubiq; tristis, ubiq; dulcis est, in plerisq; tamen locis nimium lasciuus: præclarissimum tamen opus eius, cui Methamorphoseos nomen indidit, propter fabularum peritiam quas noscere non parui fructus est, nullo pacto postergandum est. Cæteri qui carmine scribunt heroico, remotissimi ab his sunt, uersificatorumq; magis quàm poëtarum nomine sunt appellandi, Claudianum & qui argonauticum scripsit minime contemnendos iudicauerim. Satyri apud nos hodie tantũ tres inueniuntur, Horatius, Iuuenalis, Persius potest & Martialis Cocus Satyrus uideri, sed carmen satyræ legem præterijt. Horatius uir fuit multæ eloquentiæ, doctrinæ, Vergilio parũ minor: utilis est ubiq; siue odas, siue poëtriam, siue sermones, siue epistolas legeris. Sunt tamen in eo quædam quæ tibi nec legere uoluerim, nec interpretari. Iuuenalis alto ratis ingenio pleraq; nimis licenter locutus est: In aliquibus autem satyris tam religiosum se præbuit, ut nostræ fidei doctoribus in nullo cedere iudicatur. Persius nimis obscurus est, utilis tamen. Martialis perniciosus, quamuis floridus & ornatus, ita tamen spinis densus est, ut legi rosas absq; punctione non sinat. Elegiam qui scribunt omnes puero negari debent: nimium enim sunt molles. Tibullus, Propertius, Catullus & quæ translata est apud nos Sapho, raro namq; non amatoria scribunt, desertosq; conqueruntur amores. Amoueantur igitur, aut ad firmius ætatis robur reseruentur. Comœdiæ plurimum cõferre ad eloquentiã possunt, cum per omnes personas & affectus essent. Ex isto genere tantum duos habemus, Plautum atque Terentium. Tragœdiæ quoque perutiles sunt, sed latinum hodie præter Senecam (qui fuit magni Senecæ nepos nullum habemus, nisi Gregorium corario Venetum qui Memneterei fabulã, quæ apud Ouidium habetur, in tragœdiã uertit. Cumq; in oratione grauitas & elegantia requiratur, illam in tragœdijs, hãc in comædijs reperies. Animaduertere tamen præceptorem oportet, dum tibi comædos tragœdosq; legit, ne quid uitij persuadere uideat. Sed personas quæ loquuntur & effectus qui sequuntur, considerari ponderariq; iubeat. E F

Qui oratores legi debent, & quod Cicero præ omnibus.

ORatorũ qui legi possunt maxima turba est, sed omniũ candidissimus est Cicero, qui iocundus incipientibus & apertus est satis. Nec prodesse tamen sed etiã amari potest. Cuiusq; de officijs libros tibi nedum utiles uerum necessarios arbitror. Scripsit & Ambrosius ad eius imitationem de officijs non despiciendum opus, quod cum illo legendum aptissime putauerim, ut quæ fidei nostræ ex Cicerone non consonãt, ex Ambrosio moderamen accipiãt. Sunt opera Lactantij limatissima. Nihil Hieronymi non expolitum: Augustini sunt emendatissimi libri: Gregorio uti nõ inutiliter potes. Nostri temporis Leonardi Aretini, Guarini Veronẽsis, Pogij Florentini, Ambrosij monachi Camuldulensis uolumina tersa sunt, legentibusq; fructifera. Sunt & hystorici legendi pueris, Liuius atq; Salustius: quamuis ad eorum intelligentiam profectu sit opus Iustinus & quintus Curcius, & quem Petrus Paulus transtulit, Arrianus, in quibus ut non fabulosa sunt, Alexandri gesta percurri debebunt, quibus adiungi Valerius historicus & philosophus simul non indignus. Suetonius puero non est committendus. Ex

dus. Ex

A dus. Ex Genesi quoq;, ex Regũ libris, ex Machabeis, ex Iudith, Esdra, Hester, ex Euãgelijs, ex actibus apostolorum historiæ non sine magno fructu recipiuntur. Historia nãque, ut dicit Cicero, est testis temporum, lux ueritatis, magistra uitæ, nuncia uetustatis. Vtilissimum ergo est historias complures nosse, atq; in his se exercere, ut aliorũ exemplo uel utilia sequi uel noxia uitare scias. Non tamen usq; ad superuacuũ laborem te uolumus occupari, sed receptas aut à claris autoribus memoratas satis est historias didicisse. Nullo autem pacto uel Bohemorum historias uel Vngarorum atq; his similes, si me penes autoritas fuerit, tradi puero permiserim. Sunt enim ab indoctis scriptæ, multas ineptias continent, multa mendacia, nullas sententias, nullos ornatus. Nam quod ait Plinius nullus liber est tam malus, ex quo non posit aliquid utilitatis excerpi, ne propterea scriptorum genera quamuis lectioni cõmittere uideatur, non ad pueros referri, sed ad uiros iam doctos debet. Pueri namq; nisi ab initio rebus optimis imbuãtur, ingenia deprauant, nec possunt uerum adipisci iudicium. Tantumq; de secunda parte Grammaticæ satis dictum esse putato. Sed tamen pueris hos autores nõ ingeri, simul neq; omnes tibi de necessitate audiendos nos arbitrari, & omni curandum studio duxerimus ne cõmulario laboris nimium odiosas tibi literas reddat.

Quod Reges & Principes erudiri debent in scribendo.

B TErtiam Grammaticæ partem in orthographia dictum est contineri, doctrina bene scribendi. Leuiuscala res fortasse uidebitur, si tibi de hac quoq; parte præcepta tradiderim, quasi ridiculum sit, Regem scribendis se literis occupare, beneq; scribere ac uelociter ab honestis uiris negligi soleat. Sed non est alienum hanc etiam Regi puero tradi partem, quæ ad cognitionem & intelligentiam autorum non parum luminis præbet. Veteres quidem Cæsares relatum est complures scribendi peritissimos extitisse. Maximus pontifex qui nunc Romanæ præsidet Ecclesiæ Nicolaus Quintus ornatissime scribit. Et antecessoris sui similis uirtus fuit Eugenij Quarti. Nec patruelis tui gloriosissimi principis Cæsaris Friderici scriptione quisquam reprehẽderit: Quamuis enim raro principem scribere oporteat, cauendum tamen est dum scribit, ne muscarum lituras sed margaritas potius pingere uideatur. Quæ res Alphonsi maximi & aliquando excellentissimi regis laudes non nihil obnubilat, dum literis quæ de curia scribuntur suum proprium nomen adijciens, serpentes figuret an literas ignoratur. Quod uitium ut tibi desit, aspice quæ circa orthographiam monemus. In tenui labor est, Vergilius ait, non gloria.

De forma literarum seruanda in scribendo.

ORthographiam in duas diuidimus partes, altera est ut nitide, altera ut recte scribas. In primo uidendum est ut elementa in suis caracterib. affingantur, ut neq;
C macra sint, neque corpulenta, ut quæ rotunda, quæ quadrata, quæ oblonga, quæ retorta sunt, suam formam custodiant. Et hic quoque duplex modus est, alter modernus, alter antiquus: uetustarum forma literarum legibilior est, castior ac Græcis, à quib. originem duxit, propinquior. Quemcunq; modum sequi puer uoluerit in eo necessarium est exemplum dari sibi pulcherrimum atque emendatissimum. Optima namq; semper ad imitandum proponi debent. Quæ si non possumus attingere, hoc tamen præstant ne cum ultimis despiciamur. Prouidendum quoque non inutiliter fuerit, ut uersus ad scribendum assumpti sententias habeant nõ ociosas, nec nomina barbara contineãt, sed honestum aliquid moneant, ex claris electa poëtis & autoribus fama celebribus, ut sic puer quasi per ludum philosophari discat & scribere. In secunda parte quæ rectam scripturam intuetur, plures traduntur regulæ: noscendæ sunt uocales, consonantes, mutæ, liquidæ & duplices literæ. Consideranda sunt uerba simplicia, quibus signentur elementis, ut compositorum simul obseruatio fiat. Sed hoc quoque multã patitur exceptionem, pluresq; fiunt & in declinationibus & in compositionibus nedum literarum, uerumetiam syllabarum mutationes. Verba uero simplicia quib. scribenda sint literis, usu magis quàm regula discimus. Id qua re magnum præbet adiuuamen lectio poëtarũ. In quibus mensurari uersus breues aut longas syllabas demonstrantes, aut duplicari

literas aut detrahi iubent. Hac ratione perdoctū est oppida p, litera duplicata scribi oportere, quia poetæ longam eius primam syllabam ponunt, ut est illud Vergilij: Tot cō gesta manu præruptis oppida saxa. Breuis enim prior syllaba fuisset si unū tantūm p, sibi retinuisset, ut est oportet. Opportunus autē quāuis ab eo descendat duplicare p, uoluit, sicut usus doctorum manifestat. Regulæ uero quæ de mutatione literarum tradi solent, compositionem plerumqȝ respiciunt, quæ cum præpositionibus fieri solet. Expedit ergo nosse quomodo ad præpositio cum diuersis dictionib. componatur, & aliquādo d, mutat in sequentem literam à quo dictio incipit, cui iungitur, ut curro accurro, fero affero, gero aggero, ludo alludo, nuncio annuncio, porto apporto, rideo arrideo, surgo assurgo, tollo attollo. De cæteris cōpositionibus quæ cum dictionibus fiunt ab his literis incipientibus, si cum ad præpositione cōponantur, aliquando d perditur, ut aperio, ex ad & perio, agnitus, aspectus, ascendo, asto, ascribo, astruo, quod ubiqȝ seruandū est, quando dictioni iungitur ad, quæ à, gn, sp, st, consonante incipit. In cæteris uero immutata b, manebit, ut adhibeo, adhæreo, aduoco, adquiro, nō ut pleriqȝ uolunt acquiro. In quo forsitan hodie consuetudo rationē uicerit. Ad & sum quādo simul cōponuntur, sunt qui adsum & qui assum scribūt, & tam docti hinc atqȝ inde sunt, ut in utramqȝ partem uideri possit ualere consuetudinē. Absum & apsum, obtimus & optimus, ut Quintiliano placet, scribi potest. quia b, & p, sonū cognatum habent. Præteritum uero uerbi absum & affui reperitur scriptum & abfui, sed hoc rationi magis congruit. Ab autē præpositio non consueuit b, perdere cum quacumqȝ dictione societur, ut abdo, abitio, abero, abripio. Quod si b, mutatur in consonantem sequentem, ex ad potius quā ex ab facta copulatio uidetur. Amitto tamen nō abmitto scribere consuetum est, & absporto s, interposito figuratur cum sit ex ab & porto.

Quomodo consonantes geminari possunt & literæ mutari.

NOsse autem oportet scriptorem nullam consonantem geminari posse, si sequatur aut præcedat consona, nisi L, fuerit ante R, quæ sequitur aut præcedit, ut affluo, affringo, suffragor, non dicimus transummo quāuis ex trans & summo compositū sit. Possunt tamen tres consonantes inuicem cōcurrere, si nulla geminatur, ut obscenus, strutio, sextus. Nam x, duarum cōsonantiū uim tenet c. s, simul g, s. Ex præpositio quādo dictionib. adiungitur ab s, incipientibus, non patitur s, simul concurrere sed obijcit illā, ut exurgo, exigo, exanguis, extinctus. At si cū dictione cōponatur ab f, incipiēte, x mutabit in f, ut effugio, effero, effringo. In cæteris nec mutat nec mutatur, ut excurro, exquiro, expello, extendo, exlex. Nec alia reperitur ab L, dictio inchoans quæ cū ex cōponatur. E, uero præpositio plerisqȝ dictionibus adiungitur, ad quas ex, componi non potest, ut si dictionis prior littera d, fuerit, ut educo, uel consona, ut euoca, euacuo, eueho: uel l, ut eluo: uel n, ut enitor: uel m, ut emineo: uel r, ut eruo, nec geminantur quouis modo tales consonantes: quamuis eijcio per duplex ij scribatur, quia secundum i, uocalis est non consona, seruatque uerbum eijcio per totam declinationem i, duplex, unum scilicet consonans, & aliud uocale, nisi cum e litera sequitur, ut eieci. In prosa quoqȝ uerba quæuis à iacio uenientia per duplex ij scribi debent, ut eijcio, obijcio, reijcio, abijcio. In carmine uero aduertendum est, an longa sit an breuis prior syllaba: si longa est, duplicatur: si breuis, simplex erit. Quisqȝ enim horum uerborum usus apud Vergilium reperitur. Tytire pascentes à flumine reijce capellas. Nec est in quinto pede proceleusmaticus, ut quibusdam uisum est Ouidius: Quid mihi liuor edax ignauos obijcis annos? Apud Statium: Pectoraqȝ inuersis obijcit fumantia muris. Et iterū: Fontibus intētos abijcit mōstratqȝ cruorem. Atqȝ alibi: Abijcit tectorem culmine summo. Conijcio quoqȝ duplex ij scribi. Quintiliano placet: In & con, quando cōponuntur cum dictionib. ab L, uel M, incipientibus. N, in sequentem mutant literam, & geminant, ut ludo, colludo, ruo, corruo, immuto, cōmuto, immitto: est autē con, præpositio inseparabilis quæ non inuenitur nisi in cōpositione: & quando dictioni sociatur quæ uocalem uel aspirationē habet in principio, amittit n, ut cohæreo, coberceo, cohorto: fallit in hoc uerbo comedo, cōposito ex con, & edo, ubi propter consonantiam meliorem non abijcitur n, sed cōmutatur in m.

Quo-

Quomodo varientur literæ & deriuentur dictiones à supinis & præpositionibus.

A SVb & ob si dictionibus iunctæ fuerint ab r, p, c, g, f, uel m, incipientibus in sequentem consonantem b, mutari consueuerunt, geminationemq; facere, ut succurro, occurro, succido, occido, succumbo, occumbo, succino, occino, sufficio, officio, suggero, summitto, ommutesco, suppono, oppono, surripio. Ab his tamen excipiēdæ sunt, aufero, aufugio. in quibus b, mutatur in u. Item abrogo, abrado, abrodo, in quibus manet integra. Sub, si uerbo quatio adiungatur b, mutatur in c, fitq; sucquatio. Item omitto non ommitto uel obmitto scribendum est. Operio & eius passiuum operior simplicis p, scriptione contentatur. Opperior deponens pp, duplex requirit. Opinor, opinio, opitulor, opulentus unum p, deposcunt. Ob quoq; nonnunquam r, sequente, non mutatur euphoniæ causa, ut obruo, obrepo, obripio. Obscurus ex ob & cura confectū non mutat b, sed propter consonantiam accessit s. Sic & in obsceno fit ex ob & ceno cōposito. Si uero ob & sub cū alijs quàm ut præmissum est, dictionib. cōponuntur, incōuulsam b, reseruant literam, ut subdo, & obdo. Dis quoq; & di præpositiones inseparabiles in solis compositionib. reperiuntur. dis quidē cum dictionibus ab c, p, s, t, I, consonante uel s, cōponi potest: ut discerno ex dis & cerno, dispono, distraho, disiungo, dissuo, seruaturq; sine mutatione s, in uerbo diffindo mutatur in f, & geminatur, sicut & differo &
B diffido. Diminuo quoq; ex dis & minuo: sed uariatur s, in m, quæ duplicatur: Neq; potest cum hisce uerbis sic incipientibus Di cōponi, nisi cum minuo, & tunc simplici m, scribitur diminuo. Cum cæteris di sæpius quàm dis copulatur, ut diduco, diluo, dinumero, digradior, diripio. Trans præpositio composita cum dictionib. ab, d, n, uel i, cōsonante principium habētib. n, & s, amittit, ut traduco, tranato, traiicio. Inuenitur tamen & integra, ut transmigro & transduco, quæ uideri possunt non esse cōposita. N, litera neq; ante b, neque ante m, neq; ante p, locari potest, siue composita dictio fuerit siue simplex, ut summa, per duplex m, Rombus, Pompeius, communis, immunis, combibo, computo, imputo. In cōpositis quoq; per figurā Thmesim diuisis, ut prudens, nunquā, potēs, usus doctorum habet, ut m, ponatur loco n, quamuis uideri posset ad suam naturam in præpositione reuersam quæ dū separata est, quanquā sequens dictio supradictas in principio literas habeat, non mutantur, ut in binis, in pontificio, in magistratu. Contra uero fit ut f, c, d, q, s, t, in simplicibus ac compositis dictionibus iuxta se perire non sināt m, ut tonsus, linquo, cancer, mēdax, centū, anfractus, quēcunq;, quicunq;, tantūdē, idētidē. In Græcis quoq; dictionib. quæ per ph, figurantur idem seruandū est. Sed scribi m, pro nunciari n, peritiores uolunt, Pamphilus, Nympha. Circū præpositio quando componitur cū dictione à uocali incipiente, integram seruat m, ut circumeo scribatur, pronuncietur circueo. Cum præpositio per c, n, m, scribi debet. At si aduerbium tēporis fuit per q,
C u, o, m, ut Quintiliano uisum est. Verum & quondam non condam scribi, Caiū, Cneum figurare, Gaiū Gneum pronunciare uetusti moris fuit. Et sunt qui hoc etiam seruēt docti uiri & uetustatis amatores. Ex quo fit ut non semper uocis uerum depositum reddāt literæ, sed alterius altera sonum nonnunquam exhibet, ut amantium & amentium per t, scribamus, & sonum c, proferamus. Litium tamen & uitiū qui sunt litis & uitis genitiui plurales non mutant uocem, ne liciū ij, uicium uicij putentur. Ecōuerso secundū Quintilianum Gaium mulierem significat, sed c, uirū. Idem Quintilianus quicquid scribenbendum censuit, Victorinus quidquid, quasi diuisum sit & repetitū quid. quod Caspari no Pergamensi magis placuit. Idcirco non icirco docti scribunt, quasi nihil aliud sit quā circa id. Quicquam tamen scribitur non quitquā, & inde nequicquā. Sæpe etiam cōtingere solet quod c, in g, mutetur, ut in dictionib. numerorū si præcesserint n, ut quadringenti, ac si præcedit n, perseuerat immobilis c, ut trecenti, ducenti. Interponuntur & aliquando literæ ut sonus melior fiat. C, ut sicubi ex si & ubi. T, ut identidem ex idem & idem. P, ut emptum quod ab emi uenit. B, ut ambio ex particula m, imperfecta & eo. S, ut obscurus ab ob & cura. L, ut obliquus ex ob & æquus. R, ut dirimo ex di & emo. V, consonans, ut bouis ex bos nominatiuo. K, litera inutilis est Quintiliano teste cum in

OOo 2 omni-

omnibus loco sui c,sit. Vsus tamen habet, ut Karolus, Kalẽdæ per k, nõ c, scribantur. Et quoniam orthographia multum consuetudini seruit, non est ab illa recedẽdum, cũ non scribendi solum sed loquendi quoq; atq; uiuendi modum, quàm boni doctiq; uiri constituant, magistram habere consuetudinẽ deceat. Aduerbium interrogandi, cur per c, potest & q, scribi: sed cum q duplex, u desiderat, ut quur. Græcæ dictiones quæ ab r, principium sumunt, aspirari debent, ut Rhetor, Rhodus, Rhadamantus. Aspirantur quoque Rhenus Rhodanus. Priscis namque temporibus tam Germani quàm Galli Græcis literis utebantur, & à Græcis hæc flumina nomina habent. D

De aspiratione.

QVia uero de aspiratione mentio intercessit, prosequemur latius hanc partem. Omnia quæ ab ὑπο uel ὑπερ descendunt, aspiranda sunt in principio, & per y, & unum p, scribenda, ut hyperbole, hyperboreus, hypoteca, hypocrita. Similiter quæ ab ipos ueniunt aspirationem habent, sed per latinum i, & p, duplex scribuntur, ut hippocentaurus, hippomanes, hippodamia, hippolites. At si hippus in finem compositionis cadit, aspirationem amittit, cætera seruant, ut Philippus, quod est à φίλος, id est amor, & ἵππος equus quasi amator equorum: ὑπὸ uero Græca præpositio est quæ apud nos sub significat. Apud Latinos nulla consona aspiratur. Seruius tamẽ excipit pulcher. Antiqui quoq; sepulchrum aspirabant. Inchoa & inchoo aspiratum inuenitur, quia Papias ex Græco deriuatum putat. Seruius Latinum esse contendit. Mihi & non michi. E Nihil & non nichil scribendum ratio suadet, cum c, nusquã aspiretur quàm in pulchro, & ut quidam uolunt in inchoo & sepulchro. Quatuor præterea sunt consonantes quæ nostro more in Græcis uocabulis aspirantur c, p, r, t, ut Chremes, philosophus, rhetor, Thraso. Quæ ab archos ueniunt omnia aspirantur, ut archidiaconus, archipresbyter, architriclinus, archiepiscopus, patriarcha, monarcha. Similiter quæ à chiros ueniunt ut chiromancia, chiromanticus, chiroteca, chyrologia. Quæ detorquentur ad nos ex Græcis dictionibus. In quibus f, sonare uidetur, per ph. scribendæ sunt, ut phœbus, phaëton, pharus, Orpheus. Excipitur filius & fama quæ licet à Græcis dilapsa sint, per f, tamen scribuntur. Dicitur enim filius à φίλος, id est amator, uel quod est amor. Et ferè Græcum est, & in prima syllaba nihil à Græco differt, ac prima persona dicunt illi φέρο εις, ει. Et fama ex φημι Græco uerbo quod est dico, quia ex multorum dictis siue sermonibus oritur fama. Quæcunque ueniunt ab æther & æthera & æthereus, aut ab ἔθος, ut æthica, & ethicus, aut ab ὀρθὸς, ut orthographia, orthographus: aut à theca, ut bibliotheca, cyrotheca: aut à θεὸς, ut theologus, theologia: aut à θέσις ut sinthesis, hippothesis per t, scribi & aspirari debent. Contra uero quæ à πρῶτος, ἀντὶ, κατὰ, μετὰ q; ueniunt, ut protomartyr, protonotarius, antithesis, anticato, catalogus, metamorphoseos, metaplasmus. Y Græca nunquam transit in consonantem, atq; idcirco decipiuntur qui yhesus yerusalem yheremiamq; scribunt. Quamuis enim aliena sunt uerba, nostrum tamen i, non alienũ uolunt. Inter m, & n, nulla ratio patitur locari p, maleq; à multis scribitur columpna, tirampnus, contempno, authumpnus. Autumnus uero scribendum est, p non indiget. Sic somnium, somnus, amnis, omnis, solemnes, summum. Mnesteus apud Vergilium m ante n, in principio seruat. At contempsi contemptum, prompsi promptum, dempsi demptũ, carpsi carptũ, emi emptũ, compsi cõptũ, p retinẽt. Pessimus per duplex ss, non per x, scribi debet, cum superlatiua in ximus nulla nisi maximus & proximus terminentur. Moralia siue imitantia uerba tam per ss, duplicatum, ut patrisso, matrisso, fratrisso, quàm per z, scribi possunt. Patrizo, matrizo, fratrizo. Nitor niteris uerbum quando ad conatum corporis refertur, per x, nixus. Ad animam uero relatum, nisus per unicum s, præteritum format. At ista tibi de generalioribus orthographiæ regulis scripsisse sufficiat. Quod reliquum est de singulis uocabulorum scriptionibus ex autoribus frequenti lectione ipse tibi usus ministrabit. F

Quod

Quod pueri docendi sunt in Rhetorica & Dialectica.

A INter Grammaticæ studia solent & Rhetoricæ præcepta monstrari. Nam & dum leguntur Oratores & poëtæ, ipsius uis Rhetoricæ panditur. Sunt ibi colores, sunt ornatus, sunt sententiæ: uituperantur, laudanturq; homines. Assunt iudicia, suasiones. Nulla Rhetoricæ pars est in poëtis atque historicis non exculta. Sed in his usus est. Regulæ apud Oratores traduntur Ciceronem potissimum atque Quintilianum. Est & Aristotelis Rhetorica hoc nostro seculo in Latinum translata admodum utilis. In his te exercebis, cæteros fugito, qui seducere magis quàm docere uideri possunt. Sicut his qui nuper apud Viennã nouam Rhetoricam edidit, in qua tametsi plurima ex Cicerone quæ sunt uera atque utilia commiscuit, deprauatis tamen exemplis, & uerbis fecit, ut nec utilia sint, nec uera quæ docet, fugiendus est hic, & abhorrendi si quæ sint ei similes: Et in fonte fuerit potius quàm in riuo potandum. Erunt ergo tibi nonnulla artis Rhetoricæ tradenda præcepta ex probatis & fama cultis autoribus recepta, ut scias Oratoris officium quod sit, & orationis partes, inuenire, disponere, eloqui, memorari, pronũciareq; rite possis. At quia te non tam bonum Oratorem quàm perfectum Regem desideramus, non exigimus à te Ciceronis aut Demosthenis eloquentiam, optaremus tamen te illis fore ornatum: plurimum namq; tibi & splendoris & utilitatis afferrent. Sed quoniã B multa sunt quæ necessario imminent Regibus ediscenda, nec alterum obsit alteri, satis erit Regi facundia mediocris. Verum cum inter præcepta Rhetoricæ silere Dialectica non consueuerit, (sunt enim quodammodo inter se conuertibiles: nã & ambæ tum quærere tum rationem reddere, & defendere, & accusare conantur.) Non ab re fuerit Regẽ puerum Dialecticis initiari præceptionibus, atq; ita doceri, ut logicæ quàm disserendi diligentem rationem Cicero diffinit, cognitis partibus, & diffinire, & partiri, & colligere sciat: Colligendiq; facultatem triplici diuersitate tractari non ignoret, quia uel ueris ac necessarijs, uel tantum probabilibus, aut apertissime falsis argumentationibus disputatio decurrit. Non tamen in hac re quosdam Viennæ magistros imitatione dignos dixerim: Nimis enim multum temporis in sophisticis & cauillosis exponunt argumentis, ut apud eos logicæ studium non utilitate, sed morte terminetur. Ob quam rem nõ probat in officijs Heremum Sulpitium neq; Sextum Pompeium Cicero, quæ nimis magnam nimisq; multam operationem in Geometria posuerunt: Neque qui se totos Dialecticis ac iuri ciuili dederunt. Quamuis enim artes huiusmodi in ueri inuestigatione uersantur, earum tamen studio à rebus gerendis abduci contra officium est. Quia uirtutis omnis laus, ut ille dicit, in actione consistit. Fugienda est omnis artis superuacua imitatio, quæ licet nihil mali uideatur habere, uacuum tamen laborem deposcit, & ab utili negocio detrahit. Qualis fuit illius, qui teste Quintiliano, grana ciceris ex spacio distante missa in agrum continuo & sine frustratione inserebat, quem cum spectasset Alexander, donasse C eũ dicitur eiusdẽ leguminis modio, quod quidẽ præmiũ fuit illo tempore dignissimum.

An puero Regi Musica scientia sit committenda.

QVæri potest, an Musicæ Regi puero sit doctrina tradenda, cum uel parum uel nihil ad rem publicam gubernandam uideatur afferre. Neroni probro dictũ est & Augusto, quia Musicam nimis studiose sectentur. Et Augustus quidẽ correptus abstinuit. Nero peramplius insecutus est artem. Cum psaltem quẽdam Philippus Macedo inter cœnandum uellet emendare, ac depulsandis cordis cum eo disserere, ait psaltes: Superi id abs te mali Rex auertant, & hæc quàm ego melius teneas ipse. Cõtra Themistocles dux Græciæ, dum in conuiuio recusasset lyram, habitus est indoctior. Socrates philosophorum fons instrui lyra non uerebatur in senio, nãque indoctus à musis atq; à Græcis abesse uerbum fuit. Exercitus Lacedæmoniorũ musicis instructus modulationibus, uictoriam reportauit Gracchus suorum temporũ orator præcipuus, consonantem sibi Musicam cõsonare uolebat. Quid Dauid? nonne huius artis peritus fuit? cõcentuq; lyræ laboranti Sauli subuenire solebat? Hãc certe doctrinã Lycurgus quoq; commẽdauit, quamuis leges Lacedæmonijs durissimas dederit. Hinc apud ueteres moris fuit in conuiuijs ut laudes heroũ atq; deorũ ad citharam cantarẽtur: Quid Ioppas ille

Vergilianus: nonne canit errantem Lunam Solisq; labores. Et Cicero quib. confirmat autor eminentissimus Musicam esse, cum diuinarum reru cognitione coniuncta. Quid nos in tanta rerum uarietate dicemus? cum alij suadeant hanc disciplinā, alij dissuadeāt. Sed certe non ars despicitur, neq; illius reprehenditur usus excludendus est. Non esset huius disciplinæ mediocris fugienda cognitio, si præceptores non uitiosi reperirentur. Plurimum namq; spiritus reficit & ad tolerantiam laboris, exhilarat mentes non immoderatus neq; lasciuus musicorum concentus. Hinc Pythagoricis mos fuit, & cum irent cubatum & cum mane surgerent, si quid tristitiæ foret, ut lyra suauiter concrepante diluerent. Artis autem huius repertorem alij Pythagoram, alij Moysen, alij Tubal prædicant. Sed miror ego de Pythagora fuisse gentiliū opinionē, cum nemo poëtarum non Orpheū Musicæ peritissimū referat, qui Pythagorā non armis sed singulis antecessit. D

An iuuenibus tradenda sit Geometria & Arithmetica.

EST & Geometria teneris ætatibus ostendenda. Nam & ingeniū acuit, & animum ad percipiendum celerem reddit. Hæc & Arithmeticam secum trahit. cum sit in numeros & formas diuisa. Et numerorum quidem noticiam etiam Regibus necessarium nemo negauerit. Itaq; simul Geometriam & Arithmeticam puerū insectari Regem non dedecet. Quod si quis Geometriam duxerit contemnendam, Syracusanorū uocibus obrui potest, qui contra Marcellum urbi machinas admouentem unius Archimenidis ingenio & Geometriæ uiribus obsidionem protrahere longius potuerunt. Est E præterea in ea multum eruditionis, multumq; cautionis affert, cum sæpius ea quæ Dialectice concedenda uidentur, ars hæc minime concedat. Nam quis ita proponenti nō credat? quorum locorum extremæ lineæ eandem mensuram colligunt, eorum spaciū quoque quod his lineis continetur par sit necesse est. At id falsum est. Nam primum refert cuius sit formæ illius circuitus. Reprehensi quoque sunt à Geometricis, & refert Quintiliani historia, qui magnitudine insularum satis magnificari nauigationis ambitu crediderunt. Nam ut quæq; forma perfectissima est, ita & capacissima est. Ideoq; illa circuncurrens linea si efficit orbem, amplius spacium complectetur quàm si quadratum paribus horis reddat. Rursus quadrata triangulis, & triangula plus spacij æquis lateribus quàm inæqualibus continebunt. In collibus autem & uallib. etiam imperito patet plus esse soli quàm soli cœli iugeri mensuram ducentos & quadraginta longitudinis pedes esse dimidio, quod in latitudinem patere notissimum est, & quis sit circuitus & quantū campi claudet expeditum colligere. Sed teneni & actoceni in quāq; partē pedes idem spacium terminant sed multo amplius claudunt. Quæ licet utilia captu sint atq; delectabilia, nimium tamen impendi temporis hisce artibus non suaserim, quia etsi sunt per illas transeuntibus utiles, diutius tamen circa eas hærentibus, noxiæ fieri possunt.

An puer in Astronomia sit instituendus & Rex præcipuè.

NEC astronomiæ moderata lectio Regi puero negari debet, quæ cœlos ostendit & F archana superum mortalibus pandit. Huius noticia magnis sæpe ducib. adiumento decoriq; fuit Pericles Atheniēsis cum solis obscuratione territi milites essent, meditarēturq; fugā reddit s eius rei causis exercitū retinuit, & uictor euasit. Caius quoque Sulpitius cū in exercitu Lucij Pauli, ꝓpter Lunæ defectionē militū animi uelut ꝓdigio diminutus facto terrerētur, naturali ratione mōstrata, securos reddidit animos. Nec Diron Siracusanus cū ad delendāDionysij tyrannidē uenisset, quia Platonis discipulus fuerat, & Astronomiæ peritus, tali casu territus est. Quod si Niceas in Siciliā ueniēs non eodē cōfisus, metu pulcherrimū Atheniensiū exercitū ꝑdidisset. Imbuēdus est igitur & hac doctrina puer sine qua neq; poëtæ plenius intelligi possunt. Sēper autē cauendū est, ne sic uni iūgamur arti ut reliquas deseramus: Neue naturalib. inhærentes studijs ac cōtemplationib. eorum quæ moralia sunt postponamus, & rebus abducamur agendis. Quæreret aliquis forsitan quo pacto discenda sunt hæc, & an tradi & perspici simul possint. Negabunt aliqui, quia confundatur animus & fatigetur tot disciplinis in diuersum tendentibus. At hi non satis perspicient quantum natura ualeat humani ingenij, quæ

ita est agilis & uelox, ut in omnem (ut ita dixerim) partem spectet, & ne quidem possit agere aliquid unum tantũ sed uti plura, non eodẽ die modo, quin & eodẽ tẽporis momẽto uim suã impendit, reficit, ac etiã reparat animos, uarietas ipsa. Quis uero nõ obtundatur si per totam diẽ unius artis unũ magistrũ feratur: sed in mutatione recreabitur spiritus, sicut in uarietate moderata ciborũ reficitur stomachus. Agricolæ simul arua, uineta, oleas, arbusta colunt? pratis, pecoribus, auibus, & animalibus curam accõmodant? Cur non pueri diuersas eodem tempore non momento dixerim disciplinas ediscant, quorum ingenia multo dociliora sunt quã iuuenum. Curabunt igitur qui te puerum regunt, per diem diuersos uti magistros audias. Et nunc Grãmaticæ, nunc Dialecticæ, nunc alteri disciplinæ incumbas, nec suum locis suumq; corporis exercitijs tempus negabant.

Quid eligendum sit, & quid fugiendum puero.

CAeterum disciplinis huiusmodi quamuis plurimum intellectus illuminatur, non tamen quid honestum, quid turpe, quid iustum, quid intelligendũ, quid'ue fugiendum sit prorsus ostenditur. Obumbrata sunt in Poëtis & Oratoribus atq; historicis, nõ penitus expressa signa uirtutũ. Quibus ex rebus altius uolandum & ad Philosophiam ipsam tot affectibus transmigrandum est, de qua fecimus tibi in principio mentionem. At hic dicit forsitan ex contubernalibus tuis quispiam: Quid tu agis Aenea? dum puer artibus insudat, quarum septem superius meministi. Quid? rursus huc remittamur? Sed nesciet hic quid Philosophi nomen importet, cuius constat inuentorem fuisse Pithagoram. Namq; ut antea uiri boni & docti sapientes appellarentur, fugit hic arrogantiam, Philosophumq; se dicit hoc est amatorem sapientiæ non sapientem uoluit. Hinc amor sapientiæ interpretata est Philosophia. Sapientia uero non solum artes septem complectitur supra memoratas, sed omnium diuinarũ humanarumq; rerum ac causarum, quibus hæc tres continentur, scientiam profitetur. Ob quã rem non qui septem artes liberales percurrit aliquis Philosophus appellabitur, Philosophiæ tamẽ partẽ adeptus erit: Philosophi ab initio solis naturalib. causis intẽdebant, Thalenteq; Milesiũ sequebantur, qui primus de illis traditur disputasse. Successit deinde Socrates qui moralem Philosophiam euocauit de cœlo. Ex quo factũ est ut bifariam Philosophiã diuideret. & altera quidem naturalis, altera moralis appellaretur. Superueniente uero diui Platonis ingenio, tertium adijcere membrũ placuit, & rationale nuncupatur. At nos huc usque de moribus quæ sunt ex Philosophia recipiẽdi parũ diximus. Eapropter in calce libri non aũt in calce studij, puerũ rursus ad mortalẽ Philosophiam remittimus. Hæc enim quis sit erga diuinam maiestatem cultus, quomodo parẽtibus, quomodo natu grãdioribus, quomodo peregrinis, magistratibus, militibus, amicis, uxoribus, ciuibus, rusticis, seruis utendum sit, certa ratione monstrabit. Hæc te Rex inclyte, docebit auaritiam contemnere, quæ pecuniæ studium habet, quã, teste Salustio, nemo sapiens concupiuit unquam. Admonebit in mulieribus seruare modestiam, charos habere liberos & propinquos, minime sæuire, uenerari seniores, legibus obtemperare, iracundiã compescere, contemnere uoluptates, misereri oppressis inopibus, conferre dignis præmia, ius suum unicuiq; reddere, punire nocentes, & quod maximum est in prosperis fortunæ successibus te lætitia nõ sinet effundi. Nec in aduersis casibus tristitia deprimi, uiã'q; præstabit quæ tibi recte uiuere possis, & subditis utiliter imperare. Nec enim sunt hæc puero claudenda, sed modo librorũ delectus fiat, ut dulces & aperti, facundi limatiq; sibi tradantur, ut supra de plerisq; diximus, quib. adijci possunt Tusculanæ quæstiones Tullij, de senectute, de amicitia, & quicqd est illius de moribus scriptũ. Vtilis Seneca capiendus in epistolis plurimis, & in cõsolatione Boëtius. Nec negauerim absq; his quã plura doctorũ uirorũ reperiri uolumina, q̃ tuto pueris exhiberi possunt: Sed iudiciũ p̃ceptoris exigo, ut limatos tersos'q; norit libros, & in autoritate receptos. Sed quoniã hæc Philosophiæ portio, quã uocant ethicã, nullum humanæ uitæ temps dimittit intactũ, sed uiuẽs ipsa gubernat uiros & senes quanta puero tradẽda, quibus ex locis recipienda sint, satis pro parte credimus esse monstratũ. In cæteris libris sicut ætates ipsæ requisiuerint, si longius fabricator maximus orbis & animæ conditor Deus uitam produxerit, loquẽdum

neruosius erit, nisi post tot insignes, quos tibi legendos dixerimus autores, tacere potius quã dicere quicquã amplius existimauerimus. Tu tamen interim quod tibi puero conducere dictum est, sic te exercere ac discere studere, ut aliarũ huius opusculi partiũ cupidissimus uideare. Vale ex Noua ciuitate. Mense Februarij, Anno M. CCCC L. D

Pij II. Pontificis maximi cui ante summum episcopatum primum quidem imperiali Secretario, tandem Episcopo, deinde Cardinali Senensi Aeneas Syluius nomen erat, familiares epistolæ ad diuersos in quadruplici uitæ eius statu transmissæ finiunt.

AENEAE SYLVII SENensis Artis Rhetoricæ præcepta, cum epistolarum partibus ad E

Illustrissimum principem Marchionem Badensem, Treuerensis Archiepiscopalis sedis antistitem Reuerendissimum,

Prologus.

Bene esset uir illustris, quod quoniam omnis eloquentiæ, & perfectæ elocutionis præceptio, in tria sit membra distributa, elegantiam scilicet, compositionẽ, & dignitatẽ, ut de his aliqua in nostri operis exordio dicerem: Sed quoniam hæc apud Ciceronem libro suo Rhetoricorũ, satis explanata sunt, de his (maxime de elegantia & dignitate) supersedendo, sed de sola (quantum ad præsens sat erit) compositione prosequendum fore existimaui. Quoniam quidem ipsa compositio, nisi diligẽter sit ab Oratore obseruata, omnis pene splendor, uerborumq; concinnitas, tota intereat necesse est. Quid enim sine compositione elegantia aut uerborum sententiarumq; ordinationes ualeant, non satis intelligo. Hanc autem compositionis partem, quonã pacto commodius, quo compendio breuius, qua deniq; uia ad capessendum melius, quã præclarissimorũ nostra ætate Oratorum Casparini Barzizij Pergamensis, & Stephani Flisci Sancinensis præcepta, & prima omnis eloquentiæ elementa prosequi possum, haud uideo. Artẽ itaq; ab his & præcepta, uir humanissime, à me aũt præsentem à tua quæso clementia accipi ordinationem. Qui, quoniam hæc compositionis pars in tris apud Oratores reperiatur diuisa partes, ordinem, iuncturam, & numerum, in primis iuncturã (quia circa literas consistit & syllabas) duxi expediendum. F

De iunctura seu positione.

In iunctura igitur, quæ apta quædam atque concinna literarum syllabarũq;, in contextu uerborum est collocatio, ab omni offensione aurium procul remota, multa sunt uitia fugiẽda, quæ à Socrate & à Theopõpo summo studio sunt uitata, à Cicerone autem & Demosthene, non nisi cum nimis frequenter in Orationem incidunt. Sæpe etiam si modeste interueniant, orationem nunc meliorem, nunc grauiorem efficiunt. Nam ut in saporibus quædam interdum suauiter, amara sunt, sic oratione aliqua asperitatis intersonantia, magis grata est oratio. Vnde si

uel

A uel sententiarum necessitas exegerit, aut punctis quibusdam concursus distingueretur uocalium, ne spiritu uno nec eodem proferretur (modo id raro & modeste fieret) nō modo hoc non reprehendendum esset, sed quandoq; etiam laudandum.

De concursu uocalium uitando, præsertim de, a, e, & o, *Præceptum I.*

CAuendum est ne creber uocalium cursus, qui hiantem inconcinnam atq; insuauē exprimendi sonoritatē pariat, incidat in orationē. Quod fit si præcedens uocali terminet dictio, & subsequēs ab eadē aut alia incipiat uocali. Quod maxime in, a, in e, &, o, uocalib. (qa maiorē habēt sonū) erit euitandū. ut Ama amantē deum: Vestrā laudo amicitiā: Egredere ex domo aliena: Egredere ex urbe elata. Vocales uero quæ magis exilem habent sonum minorem hiatū faciunt. ut Honoro illustres uiros: extollite uirtuosos homines. Non tamen magis inconcinne uocales sese recipiunt, quàm si eædem concurrunt. ut Solicita Ausoniā Martina: Elige egregios bellatores: Conueni irritantes ad concordiam ciues: Cornu unicum in castris extat.

De literarum concursione multarum uitanda, *Præcep. II.*

QVod multarum similium literarum concursionē effugere debemus, quæ quandam uel legendo, uel pronunciando difficultatē afferre uidetur. ut Iacob bonus, & Iob beatus, præcepta Dei & leges diligenter obseruarunt: Dauid diuinos de

B dit Psalmos: Ioseph fuit Pharaonis interpres à fratribus facinorose uenditus: Animaduertit Titus tyrannus quæ perpetrauit & pœnitebit tandem tantæ tyrannitatis. Semiuocalium uero literarum concursiones præter x, modicam uidentur. uel legendi, uel pronunciandi difficultatem afferre, ut Christum dominum nostrum maximum nos omnes homines summopere debemus extollere. X uero quia duarum in se literarū uim & sonum complectitur, difficilem ac hiantem in concursione uidetur afferre pronunciationem. ut Carthaginensiū dux Xantippus trux, felix Xerxes, & uirtutis lux Xenophon fuit. Similiter x, & s, ineptam pronūciationem reddunt. ut Deceptus Xerxes Græciæ bellum intulit. Vnde nō solum in uerbis diuisis, sed etiam in compositis s, & x, literarum uitandus est concursus. Quare si forte accidit quod hæc præpositio ex, cum dictione ab s, incipiente componatur, s litera de medio est abijcienda. ut exurgo, exulto, & similia. Nec solum in his duabus literis magna est asperitas, sed u, etiam & t, si crebro concurrant, iūcturam deformem causant, ut nunc suauissime suadebant, nunc uero terribilis, tutoribus suis satis grauis erit. Omnium itaq; literarum siue uocalium, siue consonantium nimiæ cōcursiones uel assiduitates euitandæ sunt, quæ insuauem profecto sonoritatem reddere solent. Intelliguntur hæc præcepta seu regulæ, de nimio cōcursu syllabarum, dictionum, uel literarum, sub exceptione, nisi ornatus uel utilitatis cau

C sa, sæpius fiat oppositum, præsertim in finalibus syllabis, aut literis dictionum. Nota, x, litera Græca tempore Octauiani à Carmēte fuit reperta in signum crucis formata, mysterium aduentus Christi crucifigendi significans. Et ante, loco x, illis duabus literis, c, &, s, utebantur: Ideo tanquam duplex consona x, semper facit syllabam lōgam, quacunq; uocali præcedente, & causat positionem. Sed loco z, ultimæ alphabeti literæ, etiā nouiter repertæ, olim duplex s, scribebatur.

Concursiones consimilium syllabarum continuatæ, uitandæ sunt, *Præcep. III.*

QVod syllabarum siue earundem & consimilium concursiones, & nimiæ assiduitates sunt euitandæ, quoniam non tam insuauē quā ineptam reddunt orationē, ut Cassius curans custodire cōmoditatē, & cætera. ubi hæc syllaba cu, ineptus sæpius reperitur, & cæteri de re certa certantes Cæsarē cœperunt. Itē Meæ mentis memoriæ modū ita imponam ut meæ me meditationis minimæ pœniteat. Item: Poëtæ potentiam ponētes in possibilibus & in honestis rebus laudantur. Itē: Ciuitas quæ à regibus regitur regio amore felix est. Similiter ne idem sit dictionum immediate se sequentium exitus cauendum est, ut illorum bellatorum ac imperatorum fortuna laudatur, quorū probitas ciuium optimorum saluti incerta est. Item fortunatorū imperatorum optimorūq; rectorū uirtus magis quā fortuna laudatur. Similiter ne sequēs dictio ab eadē incipiat in

qua

qua præcedēs terminatur perspice, ut Ille legit: Amor mortalis: In te integer est. Quod quidem uitium nonnulli Ciceroni obiecerunt. Sed hoc uitio non est attribuendum si grauitatis causa fiet, nisi cum hoc dicendi genere crebro utimur. D

Dictionum nimium concursum uitandum, Præcep. IIII.

QVod etiam dictionum nimia concursio & assiduitas diligenter est euitanda, ut: Non est rationis ratio rationem illi adhiberi, qui in sententijs ferendis ratione non utitur. Nemo quidem eloquentiæ ita ignarus est, cuius animus non fastidio aliquo afficiatur siquidem huiusmodi audierit, nisi ornatus causa, ut repetitione, complexione, traductione, conduplicatione, cōtinuatione, & huiusmodi in orationem cadant. Dictionibus equidem ex omnibus grammaticæ orationis partibus sumptis, uti debemus longis, suauibus, dulcibus, sonantibus, electis idoneæ, commodis, proprijs, apertis, concinnis, usitatis: ut oratio ita splendens, idonea, & resonans ex ipsis efficiatur, quod aliqua uerborum obscuritas, aut orationis difficultas in dicendo non committatur, quæ uel auditorum aures, uel legentium animos aliquando offendere posset, & cætera.

Suspensio & prolixitas uitanda, Præcep. V.

NImia uerborum suspensio & prolixitas in oratione est uitiosa. Quæ res tametsi in procemijs interdum concedatur, In cæteris orationis partibus reprehendi solet. E

Figura Thmesis in simplicibus est uitanda & in compositis, Præcep. VI.

FIgura quæ dicitur Thmesis in simplicibus non utamur: nec in compositis, nisi Poëtarum aut oratorum usus approbauerit, ut Postea uero quàm, pro posteaquā uero. Post uero ea, pro postea. Inq; uicem, pro inuicemq;. Septemq; triones, pro septentrionesq;. Satisq; boni uiri officio fecit, pro satisfecit. Et quæ ad hunc modum à nobis diuiduntur: propterea non reprehenduntur, quia à summis Poëtis & Oratoribus sunt recepta.

De Cum & Tum, Præcep. VII.

HOc inter cum & tum refert, & tum duplicatum, ut multis locis admonet Cicero. quod ea particula orationis, cui hæc cōiunctio cum antefertur, uel causam, uel cōcomitantiam, uel illud quod apertius est, certius'ue significat, uel temporū prioritatem, uel maiorum rerum dignitatē. Tum uero aut officiū antecedentis causæ, aut alternationē, aut rem nimis notā, aut tēpore posteriorē importat, aut minorē dignitatē, aut momentum affert: nisi aliquid sequatur quod huic rationi aduerset, ut: Potius, multomagis, studiosius, & quæ sunt huiusmodi. Exemplū primi: Cum tuo in me amore summo, tum beneficio semper tui memoriam pro me feram. Exemplum secundi: Cum mutuo inter nos amore tum reipub. causa perpetua rerum omnium societate deuincti sumus: Exemplum tertij: Cum tuis in omnibus beneficijs, tum uoluntate imposterum prona, ad omnia uiri officia pater patriæ iure optimo diceris. Exemplum quarti: Cum olim in parentem pietatem insignem animaduertimus, tum in patriam non minori studio futurum speramus. Exemplum quinti: Cum uitam pro tua salute, tum opes omnes profundere nunquam dubitabo. Quod si tum, in eadem oratione geminetur, aut in diuersis, cōcomitantiā siue differentiā significat, ut Cicero tū natura, tum cōsuetudine ad omnes res honestas flāmato studio rapiebat. Sæpe numero tamē nimia obeū di negotij opportuna celeritate oppresi, aut occupationib. alijs distracti, aut parua adhibita diligentia, inconsulte incursionē & assiduitatē, uel literarū, uel syllabarū, uel dictionum, uel utrūq; incidimus. Quod etiā apud Cic. cum eloquētiæ principē, tum etiā harū cōpositionis rationū & præceptorū optimū artificē, aliquando cōperiemus. Sed tamē est curandū diligēter, & quoad fieri posit, ut ab ipso concursionis & nimiæ assiduitatis uitio declinemus. F

De ordine partium orationis, Præcep. VIII.

ORdo est quædam uerborum: orationumq; inter se, uel naturalis uel artificialis dispositio. Circa quem obseruandum est (& sit hoc octauum in ordine nostro præceptū) q̄d semper oratio crescat & augeat, ut quod sequitur maius sit eo quod antecedit: ut Nobilis & egregius: Magnificus & illustris: Crudelis & immanis: Fur & sacrilegus.

A crilegus. Augeri quidẽ uult oratio & insurgere, nõ minui. Hoc uerũ cum uerba ad eandem sint personã relata seu rem. Quod si ad diuersas, nullũ admittit uitiũ qui ab hoc generis ratione discedit: ut cũ aliũ sacrilegũ dixeris prius, aliũ dehinc furem appellas. Exaugendæ aũt & multiplicandæ orationis ratio triplex reperitur apud Oratores. Vna quæ pertinet ad unicã orationẽ, multis uerbis coadornatã. Altera q̃ ad plures, multis ex partibus grãmaticæ orationis amplificandam. Tertia quæ est accõmodata epistolis & orationibus, atq; cæteris Oratorũ dicẽdi rationib. non solũ uerborũ copia exaggerandis, uerumetiã negotijs rerũ locupletãdis. Prima ergo coaugmẽtandæ orationis animaduersio est, ut in nostra oratione coaceruemus multa nomina substantiua, uel propria, uel appellatiua, aut etiam adiectiua, positiua, cõparatiua & superlatiua: Aut uerba personalia, aut impersonalia, aut participia in omnibus temporib. posita, aut gerundia, uel supina, aut ꝓnomina primitiua aut deriuatiua, aut aduerbia positiua, cõparatiua, & superlatiua, quæ dictiones huiusmodi ita gradatim collocantur, ut alteram altera, & aliam alia subsequatur, quæ maiorẽ uim & efficatiorẽ uehementiam importat, & orationis sententiam magis audactam efficit: ut in hoc exemplo: Cum iustitiam eam ipsam apertissime cõstare uideamus, ex qua oppida, ciuitates, prouinciæ, nationes, regna, atq; imperia gubernãtur, conseruentur, amplificantur: Omnem igitur cogitationẽ, diligentiam, actiones, fortunasq; nostras: nos deniq; totos libenter exponere debemus, ut eapsa iuris æquitas,
B diligenter extollatur. De secunda coaugmentandæ orationis specie exemplũ tolle, ut: Ego propter magnum Ciceronis in me amorem, & propter insignes eius uirtutes, atq; propter magna & multa sua benemerita, eum plurimũ deligo. Item: Ego cum propter magnum Ciceronis in me amorem quem semper optimum fuisse cognoui, tum propter eius uirtutes quas celeberrimas equidem & insignes esse conspicio, tum etiam sua erga me benemerita quæ ab ipso multa quidem & magna recepi, eum profecto mirifice diligo. Ecce quomodo oratio præcedens ex relatiuis interpositis multiplicatur. Sic enim ex omnibus orationis partibus oratio multiplicari potest. Sed de omnibus ponere exempla nimis prolixum esset. Item de tertia augmentandæ orationis specie nõ tam prolixum est quàm laboriosum. De hoc autẽ relatiuorum exemplo & alijs orationum partib. circa multiplicãdas orationes, quã opportune cõcurrãt, in suis ꝓprijs dicitˊ locis.

Quod dignitas & natura rerum in oratione attendenda est, *Præcep.* IX.

QVod dignitas rerum attendi debet, ac naturæ: ut quæ in eodem genere dignitate præstãt, ea minus dignis in oratione anteferantur: ut uiri fœminis, ortus occasui, dies nocti, secundæ res aduersis, honesta turpib. & multa ad hũc naturæ momodũ similia. Hoc uerũ cũ aliqua uerba sese immediate sequũtur. Nihil enim impedit si à se distãtia fuerint, & in aduersa orationis posita parte, aut ad diuersum tempus, oratio
C nemq; relata, q̃ minorẽ dignitatẽ habeant, posse dignioribus anteferri, ut in hoc exẽplo. Cum ingens agmen puerorũ, mulierum, dehinc uirorum, in manus hostiũ peruenisset, secuta est subita cunctis in rebus captiuitas. Idem in separatis uideri multo facilius est.

Quod uerba ociosa & superuacua in oratione sunt cauenda, *Præcep.* X.

CAuendum est, ne uerba in oratione ociosa sint, ne superuacua, ne nihil agentia: quod uitium qui euitare uolet, genus suæ speciei anteponat, ut Castor & Pollux fratres gemini, cum finitimis bellum gerebant. Superuacue igitur & inepte diceretur, gemini fratres. Nam cum omnes gemini fratres sint, nihil opus erat cum gemini dixisset, fratres adijcere.

Quod uerba rebus de quibus loquimur secundum dignitatis significationem sint accommodata, *Præcep.* XI.

QVod uerba rebus de quib. loquimur sint accommodata, ne plus minusue quã dignitas rei postulabit significare uideãtur. Nam qui agricolam illustrem, aut regem parcum inter laudandum appellat, non mediocriter uitium incurrit. quoniam illic adiectiuo ampliori, hic angustiori quàm rei natura poscat utitur. Tria inquã sunt uerba quæ Orator aufert ad illustrandum orationem, aut inusitatum uerbum, aut nouatum, aut translatum, in libro de Oratore inquit Cicero.

Abusio

Abusio significationis uerborum est uitanda, Præcep. XII.

QVod non abutamur significatione unius uerbi pro altera in quibus nulla similitudo relucet: ut si rusticum eruditum appellas: aut militem sine armis, instructũ incedere ad bellum dicas. Opus itaq; erit propriam significationem uerborum à grammaticis repetere, & rerum naturas consulere, quis ornatus rebus quibusq; sit accommodandus. D

Inter adiectiuum & substantiuum aliquid mediare debet, Præcep. XIII.

QVod inter adiectiuum et substãtiuũ aliquæ interponantur dictiones, quæ profecto ex omnibus partibus orationis grammaticæ cõmodissime sumi possunt, ut Amplissimam. M. T. C. facultatem, rationemq; dicendi ingenio studio atq; doctrina consecutus est. Item, Summam equidem Maria lætitiam suscepit, cum sibi ab angelo filium Dei se parituram nunciatum est. Item, Tam multa legisti librorum uolumina quod nimirum tandem peritissimus euasisti. Item, Magnum supra uires onus desumpsi, qui de rebus diuinis dicturus sum. Cauendum tamen ne nimium ab inuicem separentur, quod orationem obscuram facit, ut in hoc exemplo: Nulla satis probata apud ciues sua uirtus est: Non tamẽ semper concinnũ esse uidetur, quod adiectiuũ à substãtiuo diuidatur per intermedium, si meliorem præsertim sonoritatem habere uideatur, ut continue collocetur. Quod euenit potissimum si adiectiuum & substantiuum in genitiuo positum, aliud adiectiuũ & substãtiuum cui subordinatur fuerit interlocatum. Aut cum adiectiuum cõparatiuũ, unà cum substantiuo fuerit in genitiuo positum, Aut cum aliquam magnã alicuius rei uehementiam important. Et etiam aliquando adiectiuũ positiuum uel superlatiuum in omnibus casibus positum, decenter contigue tractari potest. Sed potissimum participia omnis temporis, cum in concomitantia uel consequentia continentur sine intermediatione collocari solent. Exemplũ de adiectiuo & substãtiuo in genitiuo posito, ut: Eximia pristini nostri amoris magnitudo me uehemẽter adhortatur, ut par mutui beneficij retributio à me tibi referatur. Item, Excellens tuæ familiæ dignitas, & præclarus spectatæ uirtutis splendor, & exardescens fruendæ uirtutis desiderium, ad studium te plurimum incitare debent. Exemplum ubi adiectiuum comparatiuum cum substantiuo in genitiuo ponitur. ut, Neminem uideo callidioris ingenij, perspicatioris intelligentiæ, accuratioris excogitationis, ingeniosioris sciẽtiæ, studiosioris diligentiæ, amplioris doctrinæ, præstantioris eloquentiæ M. T. Cicerone extitisse. Exemplum ubi magnam uehementiam importat, quod contingit in ablatiuo. ut, Qui egregias bonarum artium disciplinas summa uolũtate, accuratissima contemplatione, & quotidiano studio complexi sunt, eas quas exinde sperarunt emolimentorum rationes, facile consecuti fuerunt. Exemplum ubi adiectiuum positiuum ponitur cum substãtiuo in omnibus casibus sine intermediatione, ut: Marcus Aurelius uir officiosus & prudens, cuius uirtus tantæ est intelligentiæ, tantæ integritatis, tantæ constantiæ, tantæq; modestiæ, ut ei tanquam fido socio & homini sapienti plurimum debeam: Illum igitur ad te proficiscentem, ut hominem rectum, & ingeniosum artificem, ita tibi commendo, ut meum affinem & gratum hominem. Nam & ego ipse claro genere nato, & insignis moribus expolito, atq; alijs magnis uirtutibus prædito, in omnibus meis negotijs familiariter fretus sum. Exemplum de adiectiuo superlatiuo, ut, Lucius Crassus uir peritissimus, cuius ut hominis integerrimi fides mihi explorata est, à me plurimum diligitur: Nam & sibi tanquam homini amicissimo, & procuratori uigilantissimo, rationes meas agendas libenter committere soleo, ne unquã ipsum optimum amicum derelinquam. Quemadmodum ego ipse Lucio Crasso uiro officiosissimo utor familiarissime, Ita etiã à te peto, ut causæ suæ tanquam res mea ageretur te maximopere accommodare uelis, quo gratius mihi nihil efficere poteris. Exemplum ubi adiectiua participia omnis generis sine intermediatione ponuntur, ut: Cum in senatu causam tuam agere cœpissem, Salustio decernente, consulibus audientibus, præfectis legationibus, cæteris magistratibus: Itaq; res in aliam diem delata est, de qua quicquid actum fuerit te certiorem reddam. E F

A *Quod orationes incipiendæ sunt ab adiectiuis, & substantiuis & relatiuis & pronominibus, Præcep. XIIII.*

QVod orationes ab adiectiuis, aut substantiuis incipere debeamus, & hoc à cōparatiuis, positiuis, & superlatiuis simplicibus & cōpositis. Item à relatiuis substantiæ & accidētis. Item à participijs in ans, uel in ens, uel in dus, uel in tus desinentibus. Item à pronominibus primitiuis & deriuatiuis: De quibus omnibus exempla per ordinem subsequuntur. Exemplum de adiectiuo positiuo. Magnum ego à te beneficium me recipisse profiteor, pro quo uniuersam meam tibi operam defero. Item, Immortalia enim tua in me benemerita liberalissime profecta sunt, quæ nulla unquam mea delebit obliuio. Exemplū de comparatiuo, ut: Maius mihi officium præstare non potuisses, quàm illud quod tu me hodierna die amicissime perornasti. Exemplum de superlatiuo. Maximum profecto illud tuum erga me promeritum quo ego à te cumulantissime exornatus sum, reputo mihi summopere gratissimum. Exemplum de adiectiuis compositis, permulta, permagna, permaiora, perclariora, quàmmaxima, quàmsingularissima, quàm amplissima. Exemplum de relatiuo substantiæ. Qui tibi ex me fructus debentur, cū idonea mihi facultas offertur, eos profecto quamuberiores suscipies. Exemplum de relatiuo accidentis. Qualia enim ab alijs officia recepimus, talia plærunqꝫ reddere solemus. Exemplum de participio in ans. ut ibi: Vigilantes uirtutibus homines, &
B bonarum artium studijs iugiter insudantes maxima fui semper beneuolētia prosecutus Exemplum de participio in rus. ut: Daturum operam uirtutibus Albertum nostrum scribis, mirum in modum gaudeo. Exemplum de participio in dus, ut: Extollendus ab omni hominum genere penitus est Christus, qui omnium hominum est conditor & bonorum elargitor. Exemplum de participio in tus, ut: Consecutum me opera mea commoditates quàmplurimas, Ciceronē tibi retulisse uehemēter lætor. Exemplū de pronomine primitiuo. Ego semper tibi amicissimus esse uolui, quia tu me semper plurimnm amasti. Exemplum de pronomine deriuatiuo. Mea quidem diligētia tibi semper futura est paratissima, quā tuā in me beneuolentiā cognoui mihi semper quàmpromptissimā.

Quod ex omni parte orationis commodo se oratio potest inchoari, Præcep. XV.

QVanquam ab adiectiuo apposito, uel supposito, principium sumere orationis commodissimum sit, quia tamen aliquando accidit, ut dictiones multifariæ non minus in orationis principio optime iacere, & pulchre resonare uidentur, non incommodum uisum est ab eis principium orationis cōstitui posse, quæ profecto dictiones ex omni genere atqꝫ materiæ octo partium orationis commodissime sumi poterūt, ubi adiectiuationes non tibi commode succedunt. Quod per plura uidere exempla pulchrum iudicabis. Exemplum de nomine proprio, in principio orationis posito. Brutus
C quem in his literis tibi commendo, cum mihi sit omnium amicissimus, tum etiam maximis est uirtutibus ornatus. Exemplum de nomine appellatiuo. Homines enim illos quos duplices esse cognoui, ut unum uerbis dicant, aliud autem re sentiant, nisi ipsi aliqua probabili fortasse ratione ad hanc fictionem compellantur, apud me semper parum ualere debere constitui. Exemplum de uerbo actiuo. Amabo te semper atqꝫ summopere diligam, quoniam tu omnia pro me liberaliter effecisti. Exemplum de passiuo. Videor enim uidere te ualere, cum tuas lego litteras: sed doleo cum appellor à te immerito negligens, cum scribendi facultatem non habuerim. Exemplum de uerbo interest. Interest plurimum uirorum prudentium internoscere quæ ad eorum rempublicam recte gubernandam pertinere uidentur. Exemplum de uerbo placet et similibus. Placuit semper ac libuit maximopere principibus sapientibus, accuratissime perscrutari, quid superioribus alijs principibus acciderit, ut suppeditet eis quid eueniet aut eos agere oporteat. Exemplum de gerundio. Agendum est assidue ut officiosum aliquid consequatur. Exemplum de supino. Relatu multorum nobis significatum est, maximum officiosum te uirum esse factum, quo plurimum certe gaudemus. De participio in proximo dictū est præcepto. Exemplum de præpositione. Ad decimum calendas Maij ad urbem cum uenissem ut de multis ac uarijs rebus tecum commentarer, te reperire non potui: Quas

igitur res te coram agere uolebam, per literas absens breuiter significabo. Item, Extra iocum sunt ea profecto quæ tibi scribo, quæ certe sunt apud te diligentissime obseruanda. Item, Post Deum omnipotentem & parentes qui me genuerunt neminem habeo quem magis te diligam, magis excolem, magis obseruem, aut maiori quàm te, beneuolentia complectar, Item, Vsque quo spiritum perducere potero, non cessabo me tibi gratissimum demonstrare. Item, Ab omnibus hominibus hi merito deridentur, qui clarissimas bonarum artium disciplinas uilipendunt. Item, Coram te cũ affuero ea tibi declarabo, quæ & gratissima forte & commodissima tibi uidebuntur. Item, De omnibus rebus quæ ad te pertinent quasque mihi curandas præcepisti, quid egerim ex his literis cognosces, quas tibi Casparinus ex meo nomine cõsignauit. Exemplũ de aduerbio: Heri literas ad te scripsi, hodie uero atque nunc de te cogito, cras etiam te meis literis uisitabo, diligenterque res tuas pertractabo, ut aliquando intelligas me semper: & iam olim de tuis ornamentis & commodis maximopere cogitare. Item, Verum meminero nisi tandẽ meliorem uiuendi constantiam desumpseris, conspicio te maxima subiturum incõmoda: Exemplum de interiectione. Heu mihi, cur ego tuis omnibus accommodis non affuerim: Nam maximis te profecto curis atque molestijs fortasse, liberassem. Item, Papæ ita ne se res habet ut narrasti, Marce Tulli: Atat quas huic nostræ reipub. futuras imminentes calamitates narrat Sempronius. Item, Vah ita ne decipiendus ab his ego semper sum, quorum rationibus plurimum me accommodare soleo. Exemplum de coniunctione. Quod tecum libenter adessem, & me tibi libentissime accommodarẽ, si magnæ meæ atque assiduæ cogitationes & occupationes hoc mihi permitterẽt. Item, Cum plurimum mihi semper obfuisti, noli expectare ut pro his tuis in me iniurijs, debeam magnis te meis beneficijs exornare. Item, Nullum unquam fuit tempus in quo non maximam atque firmissimam tuorum in me benemeritorum memoriam cõtinue complexus fuerim, pro quibus equidem iam tibi accumulate satisfecissem, si idoneam tibi satisfaciendi facultatem mihi comparare potuissem. Item, An tibi ego unquam ulla in re contra dicturus sim qui te mihi semper omnibus in rebus quàmfacilimum præbuisti. Item, Saltem uerbis te mihi accommodare uelis te obsecro, si re ipsa adiumento mihi esse nõ possis, aut non uelis. Quodque plurima ad hunc modum de omnibus partibus orationis poteris excogitare exempla.

De distributiuis & partitiuis nominibus ornate utendis: & superlatiuis, & comparatiuis, Præcep. XVI.

QVod distributiuis & partitiuis nominibus commodissime uti possumus, cum aut alicuius negocij partitionem quandam facere uolumus: aut certam aliquã animi determinationem declarare nitimur. De qua ratione hoc exemplum conspicere potes. M. Cato, & L. Clodius, à me plurimum diliguntur: Nec enim immerito eos maximifacio. Nam cum alter mihi doctrinam ministrauerit, alter uero magnam mihi rerum facultatem præstiterit, non possum abduci, quin cum alterius uirtute adauctus sum, alterius autem copijs adiutus existimam, alteri maxime debeam, alterum etiam ad modum diligam quorum utro magis gaudeam aut magis uti uelim, nõ facile dijudico. Præterea sæpenumero euenire uidemus ut in comparatione rerum multarum, aut aliud alio laudabilius uel turpius demonstrare, aut commodius aut deterius persuadere, aut iustius uel iniquius significare uolumus, tunc comparatiua uidentur omnino necessaria. De quo hoc tibi exemplum trado. Semper ex omnibus hominibus qui maximam tibi beneuolentiæ cõiunctionem profitentur, unum tibi potissimum adoptasti, qui dignitatem tuam maximopere tueretur. neminem profecto commodiorem diligere potuisses quàm Pomponium, cuius studium pro autoritate tua collustrandi tam maximum extitisse constat, ut nec maiorem operam, nec studiosiorem curam: nec ardentiorem beneuolentiam, nec promptiorem quidem diligentiam, quisquam tibi præstare potuisset. Insuper id quidem concinnum est, si in omni pene modo dicendi frequentemus superlatiua nominalia uel participalia aut aduerbialia. quod multis ex causis nobis idoneum esse uidetur. Nam cum imprimis ipsa superlatiua, propter magnam rerum resonantiam magis

A gis splendidam reddant orationẽ, tum etiã efficiunt ut dicentis sententia longe uerior & efficatior esse uideatur. Praeterea ipsa superlatiua dicendi stilũ reddunt magis amplũ, magis longũ, magis optimũ. Quod cum ita sit, apte superlatiua quæ uisui tuo se accõmodabunt arbitratu tuo pertractare potes. De quibus hoc exemplum tibi patefacio: Quod Antonio tàm familiarissime fraetus sum, tam summopere eum diligam, ut ego summa cum ipso sim familiaritate coniunctus, non est profecto mi Lentule quod ulla moueri debeas admiratione: Nam cum is & summo mihi semper amore præstiterit, & uigilantissimam pro rebus meis diligentiam declarauerit, & amplissimam mihi liberalitatis beneficentiam patefecerit, uel nullum summum hominis amicissimi, liberalissimiq; officium prætermisit. Nec ullum maximum pro salute mea periculum subterfugere uoluerit: Iniquum esse duxi, nisi ego etiam uirum me sibiq; gratissimum, & omnibus suis commodis & ornamentis quàmpromptissimum demonstrarem.

Oratio frequenter obliqua fit. *Præcep. XVII.*

QVod oratio frequenter obliqua fit, & à posterioribus in recta constructione incipiat, siue id quod uerbo supponitur uerbum ipsum antecedat, siue postponatur. Exemplum primi, ut: Neminem posse ad eloquentiam accedere Crassus inquit, nisi qui multarum rerum prius scientia instructus sit. Exemplum secundi: Hanc ue B ram esse ad bene beateq; uiuendum compendiosam uitam, inquit Socrates, ut tales simus quales apud alios iudicari uolumus.

Genitiuus præponendus est dictionibus quibus subordinatus est. Similiter fiat de datiuo. *Præcep. XVIII.*

QVoniã genitiuus in oratione rhetorica sæpenumero occurrit, necessario tractãdus: Eius igitur pertractandi ratio erit diligenter consideranda. Genitiuus ergo præpostere collocetur, ut illis dictionibus quibus subordinatus est præponatur. Concinnam profecto sonoritatem importat, & magno orationi clarius intelligendi adiumento esse uidetur. De quo hoc tibi exemplum describo. Cum Ciceronis scripta, quorum innumerabiles constant commoditatis opportunitates, eos semper plurimum oblectarunt, quorum animus officiosis rebus semper fuit expositus. Non igitur mirum est si eius. M. T. uolumina, à Pergamensi Casparino, accuratissimo quidem studio fuerunt per tractata. Item, Christi præcepta qui diligenter obseruant, æternam gloriam optime consequentur. Ita etiam datiuus casus in compositione ornatæ orationis, præpostere positus bonam reddit sonoritatem, ut Christo Iesu qui se tradunt optimam uiuendi rationem eligunt, &c.

C *Quod ablatiuus temporalis in accusatiuo ponatur,* *Præcep. XIX.*

QVod casus temporales, qui à plærisq; in ablatiuo collocari solebant, ab oratoribus in accusatiuo consueuerunt tractari: ut & melior fieret resonantia, & efficacior constaret oratio. De quo hoc celeberrimum sequens potest uideri exemplum. Ego enim multos annos excogitaui qua ratione hoc fieri posset, quod omnes Christianorum principes & potestates, iniurijs, odijs, & simultatibus omissis, tanta essent amoris charitate coniuncti, ut ex omnib. ipsis tam ualidissimus fieret exercitus, quod ipsi maxima potentia fræti infidas gentes, atq; barbaras oppugnare possent, quæ huiusmodi cogitatio mea, quia tam honesta & optabilis esse constat, non cessabo dies noctesq; mecum animo peruoluere, si quid fortasse conducibile ex hac re posset elici. Quod si aliquando factum aut constitutum esse uiderem, tunc uitæ commutatio ut mihi uideor, molesta mihi accidere non posset. Poterit similiter accusatiuus non temporalis in compositione orationis præpostere poni, ut exemplum:

Qui uere Deum diligunt, eorum animas æternæ beatitudini consecrant.

Ablatiuus orationes dilucidat, & narrationum breuitati est accommodus, *Præcep.* XX. D

ABlatiuus in concomitantia positus, tum orationes plurimum dilucidare uidetur, tũ etiã narrationũ breuitati potissimũ est accõmodatus. Qui ablatiuus huiusmodi sæpenumero deducitur aut à nominibus proprijs hominũ, locorũ & prouinciarũ cum ablatiuis nominalibus & uerbalibus, aut participijs, aut adiectiuis distributiuis & cæteris etiam positiuis, comparatiuis, & superlatiuis, atq; pronominibus primitiuis & deriuatiuis, coniunctis cum nominibus appellatiuis cognominibus, & uerbalibus atq; participijs. De quibus hæc pauca exempla conspice. Superioribus iam priscis temporibus florente Roma Numa Pompilio rege, respublica tunc recte regebatur: Verum fluentibus annis Lucio Sylla & L. Murena consulibus intercubante. G. Mario nouo consule designato, ciuilis discordia crudeliter insanire cœpit: quia in longum nimis deducta communis salus ciuitatis, acerbissimum est passa detrimentum: Deinde paucis annis potentioribus rerum potitis, dominante luxuria nimia, exorta iam ambitione, imperandi cupiditas conualescere cœpit: Sed autore Cicerone sapientia in conueniendis magistratibus, & consilijs administrandis, suffragante republica à direptionibus liberata est: Expulso præsertim L. Catilina, & socijs oppresis. Item, Imperante Octauiano autore Deo patre, duce Iesu Christo, intercedente spiritu sancto, adiuuante Maria, fauentibus cœlorum constellationibus, omnibus etiam diuinis fatis consentientibus, E salutifera claritas, lux diuinitus, nobis exorta est: Qua duce animas nostras, rationibus mundanæ uitæ recte constitutis, æternæ felicitati cõsecrare ualeamus. Item, Christo omnium bonorum amplissimo largitore, qui gratiarum adiumenta petunt, ut recte id egerunt aliquando consequi potuerunt. Item, Studiosis equidem uiris, sedulo studio libenter usus sum, ut illustratus eorum uirtutibus exaggerari ualeam.

In consideratione accurata substantiuorum quo ad eorum uim & dignitatem adiectiuationes idoneas, proprias condignas, adiungere debemus,

Præcep. XXI.

HOc generale est circa nomen & orationum partes, uidelicet, si substantiua nobis tractanda contigerint siue propria siue appellatiua, tam hominum quàm mulierum, omnium animalium, atq; locorum, rerum, et cæterarum tam cœlestium quã terrestrium diligenter inspicere, & accurate considerare debemus, quæ sit illorum natura substantiuorum, quæ uis, quæ dignitas, quæ præstantia, quæ nobis cum recte perspecta, & prudenter cognita fuerint, ea nos faciliter admonebunt: ut substantiuis illis idoneas, conuenientes, proprias, commodas, & condignas nominum uel participiorum adiectiuationes, positiuas comparatiuas siue superlatiuas adiungere debeamus, quæ rectæ & concinnæ rei contractatæ esse uidentur, ut etiam substantiuis in genitiuo positis, quæ alijs etiam substantiuis in regimine subordinantur addamus alia substantiua, quæ sibi F commode & congrue addere ualeamus. Addo etiam quod aliæ cæteræ dictiones aliarũ partium orationis, eadem ratione ut nomina uel participia debent esse rei, de qua agitur conuenientes. Quæ omnia ut clarius percipi possint in sequenti patent exemplo. Quoniam in M. T. Cicerone summo quidem & celeberrimo oratore, tanta erat dicendi uis, eloquentiæ facultas, agendi ratio, tantæq; eius constabant orationis diuitiæ, ut sibi esset insitum à natura, quod in ipso esset acutum ingenium, graues sententiæ, intenta memoria, atq; gestus oratorius, omnia poterat animo percipere, memoria custodire, rempublicam administrare, & alia cætera gubernare: Erat etiam eius Ciceronis sapienter suum in rebus agendis consilium applicare, mente prouidere, oratione persuadere, autoritate probare, qui etiam amicorum saluti consulebat, multorum insolentiæ resistebat, hominibus uirtutibus præditis familiariter utebatur, bonos mirifice diligebat, uitijs deditos odiose fugiebat: Omnia etiam ipsius Ciceronis in rempublicam prouisa prudenter, responsa acute, deliberata accurate, incepta libenter, perfecta diligenter, gubernata moderate, acta constanter, administrata sapienter esse constabant. Omnia præterea benedicendi præcepta ab ipso callidissime animaduersa, uerbis designata, generibus illustrata, & partibus distributa fuerunt: Omnes deniq; præstantes philosophiæ rationes, ad bene beateq;

A teq́ uiuendum optime pertinentes, ab eodem Cicerone fuerunt prudentissime excogitatæ, commodissime descriptæ, & diuinitus illustratæ: Ergo ipse Cicero diuina prouidentia instructus, excellẽti ingenio præditus, perspicacissima omnium fortitudine animi munitus, incredibili temperantia decoratus, maxima integritate conditus: singulari modestia illustratus, integra fide insignitus, gratissima humanitate nobilitatus, clarissimis moribus expolitus, omni recta uiuendi institutione cumulatus, & cæteris præstantibus uirtutibus exaggeratus. Et huiusmodi summis, excellentibus, diuinisq́ uirtutibus eius, per omnes totius orbis terrarum regiones atq́ partes clarissimam nominis gloriam, & amplissimam uirtutum extimationem sibi celeberrime comparauit.

Pronomina quæ & quando utenda sint, & quæ & quando non.
Præcep. XXII.

QVoniam pronomina & proprietatem quandam nominum subintelligunt, & promptitudinem magnam important, & demonstrationem rerum & animorum, & huiusmodi adiectiua esse constat, quæ per se in multis ac uarijs dicendi generibus locum habent. Ex quibus equidem pronominibus quanquam multas in dicendo commodas rationes elicere possemus, tamen aliquas uideo præter cæteras diligentius esse notandas. Vna enim hæc ratio consideranda est, quod istis genitiuis quinque pronominum mei, tui, sui, nostri, & uestri, minime uti debeamus, nisi cum expres-
B sum substantiuum habere non uideantur. Qui profecto huiusmodi genitiui absq́ substantiuo expresse posito tunc regũtur ab huiusmodi adiectiuo, quod aut copiosam quãdam abundantiam importat, aut promptum amorem uel odium significat, aut efficacẽ aliquam cupiditatem demonstrat. ut in hoc patet exemplo: Cum Manfredus Sancinensis fidei amore plenus mei studiosissimus & tui amantissimus, eius dignitatis ego magis sum auidus quàm sui affines, per meas tibi literas cupiat se plurimum commẽdari: Ego autem amore sui maiora facerem, hoc à te peto ut ipsum Manfredum tua benignitatis gratia recipias exornandum, hoc tibi persuadens neminem te tui amantiorem esse habiturum. Altera est consideranda monitio quod hæc quinque deriuatiua pronomina meus, tuus, suus, noster, & uester, quanquam per se constet esse adiectiua, alia tamen etiam adiectiua sibi idonea addenda sunt, quæ illorum adiectiuorum substantiua ita adiuuent ut eorum substantiuorum præstantiam, aut dignitatem, aut amplitudinem, aut naturam, aut conuenientiam magis demonstrent, ac longe clariorem & magis promptam orationis sententiam explicent. De quo hoc te expediet exemplum: Optima enim mea erga te tuosq́ue omnes beneuolentiæ coniunctio, præclarissimæ tuæ tuorumq́ uirtutes, ac amplissima tua in me meosq́ benemerita, efficiunt ut officiosa no-
C stra beneficiorum receptorum memoria, immortalibus nostris in nos officijs mutuo correspondere teneatur. Ex quibus quidem duabus considerationibus habes, quod pronomina primitiua atque deriuatiua ad multiplicandas orationes plurimum ualent, & commode Rhetoricam exaugent locutionem. De quo etiam sequens tolle exemplum: Eximia equidem illa tuæ liberalitatis amplitudo ex qua me plurimum exaggerasti, iure ipso à me postulare uidetur, ut non solum res omnes meas, sed etiam meipsum totum pro omnibus tuis commodis & ornamentis exponere tenear. Præterea ex relatiuis substantiæ & accidentis, nostras aut multiplicare, aut continuare, aut uariare commodissime orationes possumus. Quæ licet orationes sine relatiuo proferri simpliciter possent adiuncto tamen sibi relatiuo, longe fiunt copiosiores, longeq́ apertiores. Possemus enim sine relatiuis nude ac simpliciter orationẽ in hunc explicare modum: Ego propter magnum in me Ciceronis amorem, & propter insignes Ciceronis uirtutes, atque propter multa & magna sua benemerita eum plurimum diligo. Sed ex relatiuis substantiæ interpositis sic multiplicari potest. Ego enim propter magnum Ciceronis amorem, quem semper optimum fuisse cognoui, tum propter eius uirtutes quas celeberrimas quidem & insignes conspicio, tum etiam sua erga me benemerita quæ ab eo quidem multa & magna recepi, eum profecto mirifice diligo. Item sine relatiuis acciden-

tis nudè & simpliciter sic dici posset. Cum Marcus Cato suæ patriæ multa quidem egerit, nõ igitur immerito ipsum bonum semper ciuem fuisse dicimus. Quæ oratio ex relatiuis accidentis sic multiplicatur. Cum talẽ Marcus Cato Romanæ reipublicæ se ciuem semper præstiterit, qualem benemeritæ respublica habere desiderant, tantaq; benemerita in patriam suam contulerit, quanta rectus ciuis iure ipso conferre debet, totoq; pro eorum salute pericula perpessus fuit, quot alius quiuis solitus esset sustinere, non igitur immerito omnes Catonem ipsum bonum uirum & optimum iudicare possunt. Relatiua etiam accidentis, ut sunt talis, tantus, tot, & his similia multiplicant orationes cum post illas orationes ex huiusmodi relatiuis confectas necessario sequitur illa coniunctio infinitans ut, uel, quod, aut sua correspondentia: ut qualis, quantus, quot, & similia. Quæ coniunctiones uel relatiua sint alterius sequentis orationis principiũ, sint & causa quod aut una alia oratio, aut plures etiam orationes subsequantur ut in his patet exemplis. Numa Pompilius Romanorum rex officiosissimus, talẽ se reipublicæ gubernationem præstitit, tantum Romanæ patriæ adiunxit, totq; romanis ciuibus beneficia contulit, quod uniuersa Romanorum patria immortales sibi grates referre tenetur. D

Quod inter relatiuum qui, quæ, quod, & suum antecedens uerbum interponatur, aut ab ipso relatiuo oratio incipiat, Præcep. XXIII.

VIcesimum tertium præceptum similiter circa pronomina sume scilicet quod hoc relatiuum qui, quæ, quod, non construatur immediate cum suo antecedente, sed inter relatiuum & suum antecedens uerbum interponatur aliquod, ut: Homines diligo qui paci ac studio uacant. Similiter interdum à relatiuo incipimus orationem nullo antecedente expresso. ut, Quæ tua humanitas est maiorum beneficiorum, rationemq; iniuriarum habebis. Nec solum in casu recto, sed in ablatiuo etiam hac dicendi ratione nominum uiri quàm elegantissimi usi sunt, ut: Qua cum prudentia semper extitisti nunquam dubitatur, omnia te prudenter cõsultoq; facturum. Hoc autem relatiuum is, ea, id, immeditate post suum antecedens collocetur, ut: Publius Africanus is qui Carthaginem magna sperantem, leges Romanorum coëgit accipere, omnes summos bellorum duces laude gloriaq; antecessit. E

Verba qualiacunque in fine orationis sunt locanda, ut animus legentis meliori intelligentia acquiescat, Præcep. XXIIII.

VIcesimum quartum præceptum circa uerba erit necessarium. Animaduerti enim quàmplurimum in compositione dilucidandi stili hoc præceptum esse diligenter obseruandum, ut fini nostræ orationis uerbum aliquod personale uel impersonale, siue finitum siue infinitum, aut actionem aut passionem significans, sit collocandum. Nam quemadmodum qui uias faciens cum multum ambulauerit diuersorium uideat, F ubi itineris finem & & quasi laboris sui terminum esse intelligit, plurimum recreatur: Ita etiam ex uerbis in fine orationis terminatis cum sententia illius totius orationis antetactæ apertius explicetur, fit ut legentis animus meliori quadam intelligentia acquiescat. Et si illud uerbum longum fuerit, aut plurimum resonans, concinniorem profecto si in fine orationis terminatur, quàm si in media aut alia orationis ipsius parte collocetur, sonoritatem præstabit. De quibus exempla per ordinem uidere pulchrum iudicabis: quibus scilicet modis, quibusq; rationibus ipsa uerba siue singularia siue pluralia in fine orationis collocentur. Exemplum ubi unum uerbum finitum actionem significans, unicæ orationi inseruiens in fine orationis terminatur, ut: Ego enim homines claris uirtutibus præditos tantopere diligo, ut nulla res tam maxima esse posset, quam non ego pro ipsis libenter perficerem. Exemplum ubi uerbum finitum in fine positum duabus inseruit dictionibus, ut: Causam profecto meam iam feliciter impetrassem, si amor, si gratitudo in quibusdam hominibus extitisset. Exemplum ubi duabus orationibus uerbum inseruit, ut: Ego quidem id semper egi ut & me tibi amicissimum extitisse, & tuis omnibus me nunquam defuisse intelligeres. Eodem quoque modo uerbum in fine positum, tribus, quatuor, uel pluribus

ribus

A tibus siue dictionibus, siue orationibus posset accommodari. De pluribus dictionibus exemplum tolle. Nos cum prudentiæ, cum iustitiæ, cum temperantiæ inuigilauerimus, uitam equidem officiosam faciliter producemus. De pluribus orationibus hoc sit exemplum tibi. Miror enim plurimum cur mihi aduerseris, cum ego semper tibi plurimum inseruire, affinibus sedulo fauere, atque amicis tuis uehementissime cõpitulari studuerim. Exemplum ubi duo uerba finita quorum quodlibet unicæ orationi inseruiat in fine orationis contigua terminantur. Ego uero rationes omnes ex quibus pro maximis tuis in me officijs merito tibi gratificari possim exquiro. Exemplum ubi tria uerba finita, quorum singulum singulæ orationi inseruiet in fine orationis terminantur, ut: Quoniã ea quidem ratione ad studium scientiarum accessimus, ut bonarum artium uirtutem consequamur: Danda est igitur opera diligens, ne ex ipsis studijs, nisi postquam uirtutem illam quam assequi desideramus, adepti fuerimus recedamus. Exemplum ubi uerba finita tria non orationi inseruientia in fine orationis collocantur, quæ sententiam affirmatiorem efficiant, ut: Ego quidem tantopere te diligo, colo, magnifico. quòd totam causam tuam libentissime suscepi, curaui, perfeci. Potest etiam ante uerbum finitum unum uel plura uerba collocari infinita, ut ex aliquibus habes exemplis, quorũ tria nunc tibi subnectere curabo, ut: Omnes enim homines qui recte uiuere uolunt, Deum in primis colere debent, quia diuina præcepta seruare tenentur. Item:
B Singularia enim tua in me beneficia merito efficiunt, ut habeam memoriam tuæ dignitatis, quàm diligenter conseruare studeo. Item: Marcum enim Ciceronem ex magna eius facultate tantum facere posse, quòd meam causam eius unica opera & diligentia me assequi posse confido. Similiter etiam per omnia recte uerba passionem significantia in fine orationis commode sunt collocanda. De quibus pauca super conformitate actiuorum tibi exempla trado, ut: Illi profecto uiri ab omnibus facilime diliguntur, quorum uirtutes clarissime conspiciuntur. Item: Literæ mihi à te sæpenumero mittuntur, ex quibus omnes tuæ uitæ rationes optime declarantur. Item: A nobis sæpissime noua intelliguntur, quæ cum de bono statu significentur, maxima profecto cum iocunditate audiuntur. Verba item neutralia, deponentia, communia, impersonalia, tam actiuæ quàm passiuæ uocis, & plura alia uerba in fine orationis posita, elegantiam reddere solent. Exemplum de neutrali uerbo. Est enim bonorum uirorum atque prudentum, ut omnibus faueant atque inseruiant, nemini noceant, & officiosis rebus inuigilent. Exemplum de deponẽti, ut: Tametsi ob summas occupationes meas uel frequenti familia[r]itate nostra, uel literarum uisitatione minime utor, tuorum tamen beneficiorum recordor, quorum nullis quidem temporibus obliuiscor. Exemplum de communi, ut: Præstantissimas bonarum artium disciplinas assidua studendi execratione complectaris, maximopere te hortor, quoniam hæ sunt, ex quibus homines plurimũ uenerantur.
C Exemplum de uerbo impersonali actiuæ uocis: Ea me opinione atque uiuendi ratio ne spero fore, ut nunquàm me pœniteat. Exemplum de uerbo impersonali passiuæ uocis. Mihi quidem cum nihil perscribas, à nobis alienum esse factum in omnibus æstimatur, & tuum remissum scribendi officium plurimum coarguitur & uehementer accusatur. Item, Ab amicis equidem tuis itur quotidie, uenitur, uigilatur, atque contenditur, ut quo desideras perueniatur. Exemplum ubi uerba benefit, malefit, in fine ornandæ orationis commode terminantur, ut: Tu uide quàm magnum inter nos intersit atque referat, ubi enim affinibus tuis atque amicis pro tuis in te officijs malefit, à nobis beneuolis uestris plurimum benefit, atque semper cumulatissime satisfit, &c.

De uerbis infinitis à fine positis, *Præcep.* XXV.

SIcut uerba finita in fine orationis posita, egregiam quandam resonantiã & gratam afferre solere, intelligentiæ terminationẽ constat: sic infinita etiã uerba, cũ sint in fine præsertim orationis cõmode collocata, legentiũ aures admodũ oblectant, & apertã profecto sententiarũ et animorũ explicationẽ præsentãt. Animaduertas igit qua ratione, quoue ordine ipsa personalia aut imp̃sonalia, siue singula, siue bina, siue trina uel cõtigua

uel inter media, in fine orationis collocentur. De quibus hæc pauca quæ sequuntur exempla dabo. Et primo sit exemplũ de uerbo infinito in fine posito unicæ orationi inseruienti, ut: Si uiri boni uolumus esse, non debemus cõmittere quod alijs hominibus nostra culpa posset obesse. Exemplum ubi duabus inseruit orationibus, ut: Cum hæc præsens uita humana admodum breuissima constet, & alia quam anima sequitur, sit futura sempiterna, si animæ nostræ consultum ire desideramus, utilius est nobis à Deo quàm ab hominibus adamari. Exemplum ubi duo uerba infinita posita duabus orationibus inseruiunt, ut: Cum tu semper diligentissimus extiteris, non solum salutem meam, sed etiam omnium meorum incolumitatem uelle quærere, mihi etiam ego uideor nullum non modo officium, sed nullam etiam in tuos diligentiã sine maxima culpa posse præterire. Participia præterea, gerundia & supina in fine orationis aptissime poni possunt. Sed de his exempla tibi infra in præcepto dicemus de participio. D

Ante uerbum in fine aliqua dictio longa ponatur, *Præcep.* XXVI.

ANte uerbum uel participium in fine orationis collocatum, persæpe aliqua dictio longa ponatur, quæ prolixa præter egregiam illam sonoritatem quam affert uerbum uel participium in fine positum, efficit etiam orationis stilum magis extensum, magisq; optimum. Quæ dictiones ex omnibus partibus Grammaticæ orationis deduci possunt. De qua oratione pauca tibi exempla proponã, reliqua tu facilime considerabis. Exemplum ubi adiectiuum superlatiuum nomen ante uerbum in fine orationis terminatum contigue locatur, ut: Si bonarum artium disciplinis operam accuratissimam adhibueris, fructus ex ipsis quàm amplissimos consequeris. Exemplum ubi adiectiuum superlatiuum iuxta uerbum in fine orationis ponitur, ut: Nullum enim agendi aut cogitandi locum prætermittens, res tuas diligentissime curaui. Exemplum de gerundio ante uerbum collocato, ut: Cum bonarum artium disciplinas necessarias esse ad bene beateq; uiuendum existimem, ea igitur ratione uirtutibus à nobis inuigilandum est, ut dum ipsis recte fruemur aduersæ fortunæ minus succumbendum sit. Exemplum de supino iuxta uerbũ posito, ut: Ego enim semper hac opinione ductus fui, ut in uero ingenio ueraq; doctrina plurimum dignitatis & emolimenti constitutum putem. E

De hoc uerbo Sum, *Præcep.* XXVII.

VIcesimumseptimum præceptum est circa hoc uerbum Sum, es, est, quod ita uerbum commodissimum esse constet & necessarium, ut in omnibus eius modis & tẽporibus, numeris et personis, tantas afferat opportunitates, ad multas & uarias orationes in dicendo pertractandas, ut omnium pene uerborum pater, & adminiculũ merito iudicari possit. Nam præterita tempora uerborum passiuorum, deponentium, communium & neutrorum defectiuorum, tum etiam infinita, participia, gerundia, & supina, ipso uerbo quàm sæpissime indigent, ut aliquando uim suam cõmode quidem exprimere non possent, nisi uerbum ipsum sum, es, est, ipsis adminiculetur, & in omni orationis parte suum præstaret adiuuamentum. Et omittendo exempla, in quibus dictio, est, aliquando pertinentiam importat, aliquando officium significat, & aliquando proprietatem demonstrat. Exemplum ponamus ubi dictio, est, post participiũ in fine orationis commode locari solet, ut: Marcus enim Brutus in causa nostra ita diligens est, quòd omnes profecto rationes, quæ nobis prodesse possunt, studiosissime pertractans est. Exemplum ubi, est, post gerundium collocatur, ut: Hoc à nobis diligenter obseruandum est, ut bonarum artium studium officiosissime à nobis pertractandum est. Exemplum ubi, est, post supinũ ponitur, ut: Quod ad te mihi mandatum est studiosissime quidem perfectum est, sed non facile factum est. Nota etiam post infinitum, esse, apte collocanda participia omnium temporum, quæ & elegantem habent consonantiã, & gratam intelligentiæ terminationem relinquunt, ut hæc quæ sequuntur exempla declarat: Quod mihi de rebus tuis curandum mandasti, uelim tibi persuadeas, id me libenter esse facturum. Et multimoda exempla similia. F

A *Quod oratio non tantũ in uerbum, sed in omnem octo partium orationis finem ornatum conclusa sortitur, interiectionibus exceptis, Præcep. XXVIII.*

QVanquam in Rhetorica oratione struenda, hoc sit præceptũ præter cætera diligenter obseruandum, ut in fine orationis uerbũ aliquod collocetur, quod orationem splendidam, præstantem, ac plurimum resonantem efficit: Præsepe tamen contingit, ut uerba illa quæ in oratione concurrunt collocanda, aut breuia sint, aut parum efficacia, aut quasi unita & parum resonãtia, aut fuerit adiectiuum aliquod, aut substantiuũ commode intersecantia, & aliæ multæ dictiones quæ uel longiores uel concinniores esse constent, in fine orationis longe apertius terminare uideantur, non erit incommodum, si aliàs commodiores dictiones in fine orationis collocemus. Quas equidem dictiones ex omnibus partibus Grammaticæ orationis uerbis & interiectionibus exceptis, ut in sequentibus descriptis exemplis aperte quidem desumere poteris. Exemplum de nomine proprio in fine ornandæ orationis terminato, ut: Literas tuas ad me detulit Antonius quas tuo nomine mihi assignandas consignauerat Marcus Tullius. Exemplum de appellatiuo, ut: Præclarissimas equidem uirtutes adamauerunt semper præstantissimi uiri, & officiosi homines. Exemplum de appellatiuis in tas, & in tio, terminatis, quæ egregiam elocutionis suauitatem efficiunt, ut: Tanta quidem erat Casparini Barziziij Pergamensis in legendo elocutionis sonoritas, et in cõmunicando humanitas, ut neminem unquam offendere potuisset illa eius dicendi atq; conuersandi communicatio: quoniam ex eius pronunciatione melle dulcior fluebat oratio. Exemplum de nomine primitiuo in fine posito. Tua equidem erga me officia perpetuo commemoratu digna, id efficiunt, ut non minus te diligam ac si mihi proprius esses frater. Exemplum de deriuatiuo. Maximopere te semper amabo, quoniam amore me semper obseruasti confraterno. Exemplum de comparatiuo in fine posito. Non potuissem in rebus tuis fieri diligentior, pro quibus equidem tantam adhibui curam, ut nulla à me potuisset adhiberi maior. Exemplum de superlatiuo. Omnibus in rebus sedulo me tibi comperies paratissimum, quoniam in omnibus etiam modis cognoui te mihi semper obsequentissimum. Exemplum ubi oratio in nomen aliquod egregium & insigne terminatur, ut: Quæ ad me scribis, sunt egregia. Et hoc operepretium laudatur. Similiter laudatur, si oratio dictionem uniuersalem negatiuam in fine habeat, ut nullus & nemo, uel affirmatiuam: ut omnis & quilibet. Exemplum de negatiua. Quem te magis diligam habeo neminem. Exemplum de affirmatiua. Quæ uir bonus fecit laudant omnes. Exemplum de partitiuo nomine in fine posito, ut: Horum quæ mihi proposuisti uellem neutrum, sed tamen si elaborandum est in alterutro, ut nobis omnino suspiciendum sit alterum, placet magis superius, cum præsertim necessario eorum à nobis ingrediendum sit alterum. Exemplum de pronomine primitiuo in fine orationis posito, ut: Qualis erga te semper extiterim ego, facilius longe potes iudicare tu, quàm tibi persuadere poterit is ille qui optimæ nostræ conuentioni plurimum studet esse detractum. Exemplum de pronomine deriuatiuo. Quoniam tibi promptissimus atq; omnibus in rebus obsequentissimus animus fuerit meus hoc relinquam animo iudicandum tuo. Exemplũ de participio in fine orationis terminato, ut: Sum prope diem ad te uenturus, quàmplurima tecum ad utriusq; nostrum commoditatem pertinẽtia commentaturus. Exemplum de gerundio in fine posito. De tuis rebus à me nullum profecto tempus prætermittitur & agendi & cogitandi. Exemplum de supino, ut: Quantopere te diligam esset profecto perdifficile dictu. De quorum participiorum, gerundiorum & supinorum ratione infra in præcepto de participijs latius dicemus.

Nomen. B C *Pronomen.* *Participium.* *Gerundium.* *Supinum.*

Videnda sunt nunc nonnulla de aduerbijs exempla in fine ornandæ orationis collocatis. Et primo de aduerbio temporis. Scio te mihi amicissimum fuisse semper. Item, Ex amplissimis tuis uirtutibus magnum te uirum existimaui semper. Item, Non potui quicquam agere quin tu mihi fueris contrarius semper. Exemplum de aduerbio loci. Optime cognouisti me non solum amicum tibi extitisse intus & foris, sed etiam me tibi defuisse nusquam, aut quicquam me tibi denegasse unquam.

Aduerbium.

Exemplum

Exemplum de aduerbio optandi. Hanibal imperium Romanum plurimũ defatigauit, quod Italiam nunquam attigisset utinam. Exemplum de aduerbio negandi. Multa em̃ mala nuper conflata & agitata fuisse dicitur, sed plurimum gaudeo te horum attigisse nihil. Exemplum de aduerbio affirmandi. Ita res est, ut nobis narrasti profecto. Exemplum de aduerbio dubitãdi. Quæ nobis futura dicebas, fortasis nobis euenire possunt fortuita. Exemplum de aduerbio iurandi. Non facio mediusfidius, nec dicam Hercule, quæ mihi probabilia non uidentur. Exemplum de aduerbio qualitatis. Tua in me bene merita non solum retribuam sigillatim, sed etiam tibi satisfaciam cumulatim ac multifariam. Item: Tuas literas legi libenter, & audiui tabellarium diligenter, qui statum tuum mihi narrat perpolite atq; suauiter, & communes etiam casus, quàm ferres fortiter & moderate. Exemplum de aduerbio ordinis. Multa sum per literas meas tibi significaturus deinceps, & te semper amaturus, magnaq; in te beneficia collaturus, præterea unde in te meam uoluntatem, quæ optima est beneficiorum loco suscipias interea. Exemplum de aduerbio remisiuo. Cum tantæ mihi non suppeditent facultates tibi satisfaciam paulatim, & qua ratione id melius fieri posit pedetentim. Exemplum de aduerbio intensiuo. Exopto quàmplurimum ut ad me uenias penitus, quod opus est omnino. Exemplum de aduerbio similitudinis. Sicut optima fide te admonui, uelim facias ita. Inter cætera autem aduerbia, comparatiua & superlatiua in fine orationis posita, concinnam faciunt sonoritatem. Exemplum de aduerbio comparatiuo, ut. Quod rogas quòd negocium tuum tractare uelim diligentius, hoc tibi persuadeas uelim, nulla quidem ratione agi potuisse studiosius, nec curari amantius quàm est actum, nec perfici accuratius. Exemplum de aduerbio superlatiuo. Video enim te uitam agere prudentisime, cum omnia quæ ad beneuiuendum pertineant perscrutaris accuratisime, atq; prosequeris diligentisime. Item: Quæ mihi mandasti confeci omnia cumulatisime, &c. Nunc ponenda sunt præpositionum exempla. Et primo de præpositione ante. ut, Ex hoc maximo tuo in me beneficio te plurimum diligo, quod ex amplisimis tuis etiam uirtutibus feceram multo ante. Exemplum de præpositione citra. Scribo frequenter amicis nostris, quòd non fecero multos annos citra. Exemplum de præpositione contra. Tanto enim omnium hominum consensu Cicero Romanorum consul creatus fuit, ut in ipso magistratu creando neminem habuit contra. Exemplum de præpositione ultra. Recepi binas à te literas & tres rationes, nec ultra. Exemplum de præpositione coràm. Sed hæc multa explicaturus sum illo coràm. Exemplum de præpositione clam. Quæ agere constitui ita probabilia esse constant, ut nihil sum facturus clam. Exemplum de præpositione palam. Omnia profecto quæ officiose recteq; fiũt, possunt omnibus significari palàm. Postremo pauca uide de coniunctione. Et primo de coniunctione approbatiua in fine ordinandæ orationis terminata. ut, Quòd mihi mandasti diligenter perficiam, nam ita monuisti quidem. Exemplum de coniunctione collectiua, rationali, uel illatiua. Quid faciam ego deceptus sum igitur: Reliquũ est igitur, ut deinceps accuratisime mecum considerem quibus credam, quousq; cauere debeam. Exemplum de coniunctione dubitatiua. Studebis ne? ocio marcescis ne? Exemplum de coniunctione diminutiua. Quod si tu ad me accedere non potes, literas mihi tuas quæ de his rebus quas scire desidero me admoneãt uelim mittas saltem. Fui prolixior in hac quàm constitueram præceptione, sed multitudo exemplorum & quidem domesticorum circa omnes Grammaticæ orationis partes incidentium huiuscemodi in causa fuerunt prolixitatis.

Verbo subiunctiuo pro indicatiuo utimur, & futuro infiniti uerbi in iri pro præsenti. Præcep. XXIX.

QVod uerbo subiunctiuo interdũ pro indicatiuo utamur, ut illud, A te uelim, pro uolo. Et iste frequens & elegans apud oratores mos. Illud si feceris pro facies. Similiter futuro infiniti uerbi in iri desinentis, interdum pro præsenti eiusdem utimur. ut, Factum iri pro fieri. Et hæc est latisima præceptio, nemini dubium est.

Oratio

A *Oratio ornata ex uerbis multiplicanda.* *Præcep.* XXX.

CIrca multiplicandam ex uerbis orationem hoc præceptũ uersatur. Nam quanquã uerba siue in principio siue in medio siue in fine orationis collocata, tantã in dicendo opportunitatem habeãt, ut ex unico uerbo oratio perfici posset & illustrari: tamen multomagis ex plurimis multiplicatis uerbis & augeť, & maxima resultat oratio. Cum igitur aliquando uehementem aliquem mentis conceptũ explicare cupimus, aut rem magis clarã & magis aperta demonstrare uolumus, multiplicatis uerbis id efficere poterimus. Exemplũ ubi sententia ex uerbis simpliciter explicať, ut: Quoniã literarum uirtutes tales esse constet, ut totus mundus ex ipsis guberneť, te hortor atq; rogo, ut ad eas tibi cõparandas cures, uirũ ex ipsis te præstantissimũ reddes. Quæ quidem sententia ex uerbis sic multiplicari potest. Quoniã literarũ uirtutes tales esse constat atq; huiuscemodi semper extiterunt, ut ex ipsis uniuersus terrarũ orbis gubernetur, adiuueť & conseruetur: Non solũ te plurimũ adhortor atq; moneo, uerumetiã pro summa nostræ familiaritatis coniunctione maximopere te rogo, exoro, obtestor, atq; te uehementissime contendo, ut ꝓ ipsis literarũ ornamẽtis cumulatissime tibi cõparandis, tantopere cures, labores, insudes, inuigiles, atq; incumbes, ut uirum ex ipsis te reddas præstantissimum. Item aliud exemplum, De nostra repub. equidem spem bonã concipio: Nam à qua ratione res omnes agerentur audiui, intellexi, interfui, uidi, cognoui: Itaq; à nobis sedulo
B excogitatur, tenetur, prouidetur, deliberatur, agitur, & nihil prætermittitur, ut communis salus detrimenti nihil patiatur atq; diutissime conseruetur.

De participijs, gerundijs, & supinis circa uerba & nomina adiectiua. *Præcep.* XXXI.

TRicesimumprimum præceptum est circa participia, gerundia & supina in compositione orationis artificiose tractanda. Quæ quidem participia, gerundia & supina ea ratione à uerbis deducũtur, ut tam ipsorum uerborum quàm etiam nominum adiectiuorum uim efficaciam & rationem magnam cõplectantur. Possumus ergo nostrum dicendi stilũ ex participijs in omnib. eorũ temporib. atq; casibus, & in principio & in medio ac in fine orationis collocatis, ornate eleganterq; cõtexere, atq; negociorũ sententias quæ ex prolixa nimis dicendi ratione sæpenumero cõtractanť, ex ipsis participijs cõplecti. Tum etiã ex gerundijs atq; supinis in omni eorũ terminatione orationẽ Rhetoricã possumus aptissime cõponere. De quibus omnib. ex ordine exempla subsequuntur. Exemplum de participio præsentis temporis. Complectens ego amplissima tua in me benemerita beneuolenti memoria sum quotidie perscrutans, qua ratione pari bus uti officijs correspondere possim: Nec est tamen in præsentiarum potestas mei sedulo de te cogitantis, & tua in me beneficia continua cum recordatione repentis, ut quid ego in te fieri desiderem ex sententia perficere ualeam. Exemplum de participio præteriti temporis. Imitatus ego libenter illorum priscorum uitam, qui uiri habiti sunt officiosi, secutus sum libenter mores Ciceronis, studia bonarum artium sedulo imitãtis: Nanq; profecto Ciceroni omnibus studijs à pueritia dedito, ita omnes commodissime locutionis diuitiæ, & officiosissime beneuiuendi rationes successerunt, ut omnes homines tantam eum eloquentiam cõsecutam esse conspiciant, quòd eum cumulatum equidem oratorem faciliter comprobant. Exemplum de participio futuri tẽporis in rus, in principio, in medio, & in fine orationis posito. Dubitaturus sum tamdiu de negocio nostro, quàmdiu recepero literas Marci Bruti mihi signaturi quid de re ipsa factum fuerit: cui Bruto pro nobis maximopere laboranti, causam ipsam meam ea spe commisi & commendaui, ut sperem ipsum causam hanc nostram diligenter curaturum, & dignitatem nostram tandem conseruaturum. Exemplum de participio futuri temporis in dus. Vituperanda res, ut scribis, tibi delata est, quæ nullo quidem pacto ex sententia tua fuerit attingenda: quòd Dionysiũ quẽ multis uitiorũ criminib. coinquinatũ esse dicis, meis officijs complectendum susceperim, cuius rei causam recte intelligas uelim: nam cum mihi acerbissimis molestijs affecto, ac etiam maioribus afficiendo maxime mihi Dionysius ipse adiumento fuerit, iustum esse iudicaui, ut Mutius sibi officijs responderet: Iniquum enim nimis extitisset, si meam debitam sibi operam denegassem, itaq; ipsum Dionysium

C (margin)

Participium præsentis tẽporis.

Participium præterii tẽporis.

Participium futuri temporis.

Dionysium ea quidem ratione mea fide recepi defendendum. Exemplum de gerundio in di. Quod ad te scripsi illud exercendi potius quàm ostendendi ingenij causa feci, & amandi tui occasione mihi propositum, ut nihil quod tibi conducere existimem, difficile mihi uideri posset: Et utinam esset mihi agendi facultas oblata, ut aut consolandi aut iuuandi rationem aliquam possiderem, quòd si hoc esset, nullum profecto locum ornandi prætermitterem. Exemplum de gerundio in do. Qui Reipub. gubernationem suscipiunt facilitatem in audiendo humanitatem, in agendo promptitudinem, in satisfaciendo constantiam seruare debent: Nec enim reipublicæ deficere deberent, dicendo, consulendo, argumentando, persuadendo, commonendo, iuuando, nec si ipsis opus fuerit mortem effugere debent in periculis commorando. Exemplum de gerundio in dum. Cum ea quidem ratione nati sumus, ut aliquid semper dignum uiro à nobis tractandum sit, non est ergo nobis negligendum, sed diligenter potius procurandum, ut officiosum semper aliquid sit agendum, nec tantum contra naturam est pugnandum, sed ut sapientis mos est, temporibus est assentiendum. Exemplum de supino in tum terminato in oratione Rhetorica commode tractando. Cum sæpenumero à me quæsitum esset, quid apud maiores nostros sapientes uiros usitatum fuisset, intelligebam ab ipsis reipub. imprimis esse satisfactum. Sed postquam ab ipsis ex nimia eorũ arrogantia, & intolerabili potẽtia itum est ad arma, ab ipsis postea desitũ est rempub. recte gubernare: Optime igitur ab illis urbibus actum est, & sapientissime constitutum, quæ tales ciues habere nolunt, ut alius alium potentia superare non posset. Exemplum de supino in tu. Magna fuit disceptio inter. Q. Ciceronem & M. Tullium eius fratrem, utrum eloquentia eo pacto à natura hominibus esset insita, ut dicendi præceptione opus non esset, an ars de dicendo aliqua dari posset: Quando Cicero dicebat eloquentiam ea ratione à natura esse hominibus datam, ut ipsi homines naturaliter se exercentes quicquid uellent persuadere possent: Marcus autem rationes ostendebat, ex quibus commodissimum esse extabat, dicendi artem inuentu maxime necessariam, & optimam esse factu, quòd homines eam discerent ac pertractarent, quoniam omnia sunt ex arte ipsa faciliora dictu, & elegantiora quidem instructu.

Participia sub breuibus uerbis orationem amplificant. *Præcep.* XXXII.

QVo pacto participia orationes amplificent, & rerum sententias breuiter complectantur uidendum est. Participia enim tum multas in dicendo nobis afferũt commoditates, tùm etiam sunt optime accommodata, ut oratoria dicendi ratio admodum augeatur, & rerum sententiæ (quæ amplam uerborum copiam expeterent) breuibus quidem uerbis ex ipsis participijs intercedentibus comprehendãtur. Sicut & hoc loco & nuda exempla, & etiam ex participijs amplificata conspicis. Exemplum ubi sententia ex participijs breuiter comprehenditur. Scipio Africanus Romanus consul creatus urbem Romanam à barbaris oppressam, in pristinam libertatem uendicauit. Hæc quidẽ oratio à participijs sic amplificatur, & nihilominus orationes ex eisdem participijs breuiter comprehenduntur. Publius Scipio Africanus amore reipub. conseruandæ uehementer incitatus, una omnium senatorum uoce atq; sensu consul creatus, Hannibalem crudeliter Italiam deuastantem profugauit: Carthaginem nimis perniciosam ciuitatem euertit: Numantiam Romanos molestissime defatigantem desuperauit: & Romam acerbissima bellorum acerbitate compressam, à turpissima barbarorum obsidione liberauit, & in pristinam libertatis dignitatem uendicauit. Exemplum ubi eadem oratio ex multis participijs augmentatur. Martialis Valerius uir equidem uigilans, intelligens, prouidus atq; sapiens, amicis consulens, succurrens, fauens, gratificans, & benefaciens, cuius fides, uirtus, & amicitia iam diu mihi animaduersa, perspecta, cognita, & explorata est: cum ad te profectus & tibi coràm iudicio tuo eius rationes sit declaraturus, acturus, & cõmendaturus, te rogo ut eum recipias tua benigitate amanter ad hortandum ac defendendum. Exemplum ubi gerundia & supina Rhetoricam elocutionem exaugent. Quoniam à præceptoribus nobis est data ratio studendi, cogitandi, intelligendi, discendi, scribendi, agendi, cõmentandi, est igitur nobis diligenter

A ter animaduertendum, curandum, atq; peragendum, ut consulendo, consolando, atq; iuuando cumulate ipsis nostris admonitoribus satisfaciamus, ut qui hoc à nobis sic actum & usitatū esse intelligant, id optimū cognitu, factu, atq; usitatu esse diiudicent.

De aduerbijs positiuis, comparatiuis, & superlatiuis. Præcep. XXXIII.

TRicesimumtertium præceptum est circa aduerbia, quæ (ut te minime fugit) in dicendo sunt idonea & quodammodo necessaria, ad amplificandum orationis stilū admodum accomodata. Nam quemadmodum adiectiua nomina sunt eorum substantiuis ita commoda & sibi famulantia, & ipsorum substantiuorum uim, naturam, ac proprietatem explicant, & aperiunt: Ita etiam aduerbia sunt optime interpretantia qualem efficaciam, qualem facultatem, qualem substantiam, qualem uehementiam, uel uerba uel participia secum apportāt. Si igitur uerbis ac participijs cuiuscunq; temporis constent, in nostra oratione rhetorica tractatis, idonea quædam aduerbia, siue positiua, siue comparatiua, siue superlatiua adiunxeris, orationem profecto nostram commodissimam efficiemus, & ipsius orationis sententiam reddemus explicatiorem, ut hoc tibi monstrabit exemplum. Marcus enim Cicero usq; ab adolescentia accurate quidem aduertens, quæ res homines potissimum præstantissimos efficere solerent: & ut magno animo insignitus plurimum sperans, Romanam rempublicam aliquando se recte gu-
B bernaturum, prænotauit egregias bonarum artium disciplinas, eas illas potissimum constare, quæ ciuitates atq; prouincias optime gubernarent: Statuit ergo sententias illas ab eo esse penitus obseruandas, atq; summopere celebrandas: Qui cum studio esset accuratius inuigilans quàm cæteri tanta sibi scientiarum ornamenta cumulatissime nactus est, quod ipse summus orator copiosissime factus, Romanā rempublicam præstantissime gubernauit, & multa librorum uolumina cæteris futuris hominibus erudiendis commodissime descripsit, & nomen suum immortalitati diuinitus commendauit.

Loco aduerbij sæpe adiectiuum cum substantiuo in ablatiuo casu ponitur, ad magnam animi uehementiam importandam. Præcep. XXXIIII.

TRicesimumquartum præceptum est singulare. Quod sæpe loco aduerbij ponamus adiectiuum cum substantiuo in ablatiuo casu, dummodo aliquam magnam animi, uel alterius rei uehementiam adiectiuum cum substantiuo importat, & immediate ante uerbum uel participium collocetur. Quæ quidem præceptio orationem perficit splendidam, & sententiam reddit efficacem, ut in hoc intueberis exemplo. Marcus enim Cicero usque ab adolescentia ad egregias literarum ac artium disciplinas, exardescenti animo conspirans, maxime sperans amplissimas se exinde commoditates accuratissimo eius ingenio consecuturū. Ita erat ipsis scientiarum studijs assidua diligen-
C tia deditus, quod ipse tam summa studiorum ornamenta fuit continua exercitatione consecutus, ut cæteros omnes oratores celeberrimos uirtute superauit.

Aduerbium pluries propter nimium affectum duplicatur. Præcep. XXXV.

ALiquando propter nimium animi affectum & uehementiam duplicamus, & eleganter quidem, hoc aduerbium etiā, ut Te etiam, atq; etiam rogo. De aduerbijs autem Cum & Tum, quonam pacto cum generalitatem significet: & tum specialitatem importet, & qua ratione in oratione rhetorica sint tractanda, quanquam ordinatius hoc in loco de eis tractandum esset, uidimus supra septimo in ordine præcepto.

Aduerbia exaugente elocutionem rhetoricam. Præcep. XXXVI.

ADuerbia positiua, comparatiua, & superlatiua, rhetoricam elocutionem plurimum exaugent: ut in hoc exemplo patet. Caute etiam prudenter, commode, liberaliter, atq; magnifice in re prætoria te semper habuisti: nec enim accuratius, aut uirilius, uel commodius à te fieri potuisset, quàm est actum de iustitia, quàm peritissime, rectissime, atq; magnificentissime gubernasti. Quo autem pacto aduerbia orationes multiplicent, quoniam illud sine coniunctionum & relatiuorum adiumento efficere nō possunt, infra in præcepto dicā de cōiunctionibus, quod de multiplicatione erit.

Coniunctiones quomodo exornent & amplificent orationis stilum. *Præcep. XXXVII.* D

TRicesimum septimum præceptum circa coniunctiones sequitur. Nam coniunctiones multis ex causis in nostro dicendi genere accidunt necessariè. Imprimis enim iungunt dictiones nominum, uerborum, participiorum, pronominum, præpositionum, & aduerbiorum. Coniungunt etiam orationes atque sententias. Valent insuper plurimum ad ornandum atque amplificandum orationis stilum. Et quanquam coniunctiones omnes in continua dicendi compositione locum habeant, quia tamen copulatiuæ, disiunctiuæ, & aduersatiuæ coniunctiones, in oratione oratoria crebrius ac aptius quã cæteræ pertractantur, aliquid ergo ex ipsis potissimum uidetur commemorandum: unde copulatiuæ coniunctiones atque disiunctiuæ, sæpenumero in oratione rhetorica interseruntur, quæ uenustatem etiam atque uehementiam non paruam important, ut apud omnia oratorum uolumina refertissime demonstratur. De quo tibi hoc exemplum erit iudex. Cum mecum diligenter animaduertam mi Ioannes, & quantam bonorum opportunitatem liberalium artium scientiæ hominibus conferre consueuerunt, & quanta sit celeberrimi ingenij tui suauitas, illud mihi occurrebat, ut ad ipsas literarũ uirtutes te uehementer adhortarer: In quas si accuratissime incumberes: & multas & magnas emolimẽtorum opportunitates tibi compares: Nam siue oblectationem, siue admirationem, siue animi requiem desideres, aut honorem aut laudẽ & gloriam expectes, uel diuitiarum copias, uel bonorũ opportunitates, uel rerum facultates adoptas, hæc omnia profecto scientiarum emolimenta suppeditare consueuerunt. Rectam ergo atque percommodam uiuendi rationem imitaberis, si ipsa studiorum ornamenta uigilantissima diligentia prosequeris. Nunc de aduersatiuis cõiunctionibus noster erit sermo: Nam cõiunctiones aduersatiuæ hæ constare uidentur, licet quamuis, quanquam, etsi, tametsi, de quibus Marcus Cicero nunquam usus est hac dictione licet pro coniunctione: quoniam dictio est ambigua, quæ uerbum etiam significat. Hæc tamen ipsa dictio licet, ab ipso Cicerone usurpata est pro uerbo significante licitum esse. Vnde in hoc exemplo: Quoniam exactis iam bellorum calamitatibus optata pace nobis frui licet, mihi ergo deinceps per literas locari licet. Raro etiam uel rarissime potius apud eundem Ciceronem hæc dictio quamuis reperta est. Aliæ uero, uidelicet, quanquam, etsi, tametsi, etiamsi, etiametsi, in ipsius Ciceronis uoluminibus frequentissime reperies. De quibus tibi hoc exemplũ adduco. Etsi quas oratoria facultas opportunas accessiones parere ualeat, mi Ruperte, non solum explicare, sed etiam uix tibi connumerare possem: quia tamen ea me semper tantopere delectauit, ut magna illi facultati operam adhibuerim, & non paruam ex ipsa opportunitatis commoditatem mihi comparauerim, constitui te ad eam capessendam plurimum exhortari debere. Quæ quanquam tibi uiro admodum peritissimo maxime nota esse debeat, qui multa profecto pertractasti, tamen te hortor quàm summopere, ut ad eam tibi quàm cumulatissime comparandam, summis uiribus incumbas: tametsi hæc mea apud te adhortatio minime necessaria esse uideatur, qui ut à quam pluribus audiui, ad omnes bonarum artium disciplinas ardentissimus esse iudicaris. Perge igitur ut cœpisti, & hanc benedicendi rationem, ita ut cæteras agis studiorum uirtutes, dies noctesque complectaris.

Coniunctiones quæ præponi deberent dictionibus sæpe postponuntur, *Præcep. XXXVIII.*

INterdum hæ coniunctiones, cum, si, & similes postponuntur dictionibus quibus præponi communiter consueuerunt, ut: Omnes cum honesta facimus nihil est quod uereamur. Ad nos si tempestiue accessisses, omnia nunc transacta essent. Præterea cõiunctio copulatiua, & interdum eleganter proprijs interponitur nominibus in oratione laudis, ut: Et Cato & Cicero Idem in uituperio attendi potest. Insuper interdum supersedere solemus ab his duabus coniunctionibus ut, & quod, ut intelligantur, tamen committitur quod non exprimatur.

A *De multiplicanda oratione ex aduerbijs, relatiuis & coniunctionibus, Præcep. XXXIX.*

TRicesimũ nonũ præceptũ est circa multiplicandã ex coniũctionibus, ex aduerbijs & ex relatiuis orationẽ. Nam aduerbia & coniunctiones atq; relatiua substantiæ & accidentis unà cum ipsis aduerbijs & coniunctionibus contractata, plurimas simul orationes multiplicando coniungunt. Aduerbia enim ista tam, tantum, tantopere, tantisper, adeo, usq; adeo, ita, tamdiu, totiens, eatenus, & similia, ea quidem ratione multiplicant orationes, quod post unam orationem aut plures ex ipsis aduerbijs confectas, necessario succedat ista coniunctio infinitans ut, uel quod: aut sequatur aliquod horum aduerbiorum, quoad, quamtopere, quamdiu, quotiens, & consimilium: quarum equidem dictionum quælibet multiplicatur, ut in sequenti declarabitur exemplo. Quæ tu in me benemerita contulisti, eorum tantam uideo constare magnitudinem, ut parem officiorum gratiam merito tibi referre debeam. Hæc quidem sententia ex tribus ut uides, est orationibus fabricata: hanc poteris ad duodecim usq; orationes multiplicare, per aduerbia, coniunctiones, & relatiua. Quotiens autem uel aduerbium uel coniunctio uel relatiuum repetitur, totiens tibi superaddit orationem, ut sic. Quæ tu in me benemerita contulisti, eorum tantam uideo constare magnitudinem, ex quibus ita commodissime exaggeratus sum, quod res omnes meas ea quidem ratione constabi- B liui, ut nullam calamitatis mutationem quæ duratura sit recipere posse uideantur, ut nisi beneficiorũ immemor haberi uelim (quod ego semper tantopere fugere conatus sum, ut nihil unquam magis euitandum duxerim) talem officiorum gratiam merito tibi referre debeam, ut tuis in me benemeritis (quæ memoria profecto complector sempiterna) condignum extitisse faciliter iudicari possit. &c.

Præpositiones in principio, medio, & fine orationis collocantur, Præcep. XL.

QVadragesimum præceptum circa præpositiones consistit. Præpositiones enim eo inprimis necessariæ esse dicuntur, quod his uerbis quæ aut sunt imperfecta, aut nõ satis potentia, ut sententiam per se perfectam efficere possint, ad eam perficiendam & longiorem producendam plurimum adminiculantur. Hinc accidit quod ipsæ præpositiones possunt in principio, in medio, & in fine orationis cõmodissime collocari. Sed omnium præpositionum hæ duæ, erga & in, præter cæteras in oratione rhetorica locum habent, quæ ad ornandas orationes & breuiandas sententias optime sunt accommodatæ. Nam sæpenumero totiens uerbum in oratione concinne taceri potest, quotiens harum duarum præpositionum, erga & in, aliqua in oratione tractatur: nisi fortasse (quod frequẽtissime fieri uidemus) uim apportaret harum duarum præpositionum, pro, & contra. De qua ratione exempla sequuntur. Si tanta Solonis in rempubli- C cam suam Athiensem benemerita fuerunt, quanta Publij Africani erga rempublicam Romanam extitisse legimus, certe quemadmodum Africano immortalibus eius in ipsos beneficijs perpetua deditione tenentur. Ita etiam Athenienses ipsi Soloni ob innumerabilia ipsius erga eos beneficia, sempiternis equidem de meritis astringuntur. In hoc ergo dicendi genere quod exposui, illæ duæ præpositiones, in, & erga, sustinent uicem huius præpositionis, pro. Aliæ uero duæ præpositiones postea sequentes scilicet, in, & erga, uerborum locorũ tenent, quæ nisi in oratione interpositæ fuissent, necessitas orationis postulabat, ut in loco ipsarum præpositionum expressa uerba fuissent interposita.

Præpositiones in, sub, ad, apud, propter, præ, ex, ob, quæ consueuerunt præponi, postponuntur, Præcep. XLI.

INterdum præpositiones quæ communiter præponi consueuerunt postponantur, quales sunt in, sub, ad, apud, propter, præ, ex, ob, et similes, ut in his exemplis. Omnibus in rebus honestas apprime placet. Nemo est qui non diuina sub potentia constitutus sit. Atticam ad urbem postquam accessi forte mihi Socrates occurrit. Nolana apud mœnia Hannibal à Marcello in fugam uersus est. Tuam propter causam omnes

caremus patria. Omnesq; hostes reipublicæ semper infestus propter defensionem libertatis nostræ fuit Scipio. Vestra pro beneuolentia nihil tam mihi difficile est quod non libenter suscipiam. Nostris ex agris pecus omne ablatum est. Ciuilem ob causam multas contentiones suscepi. Rege ab opulento exceptus sum. Idem intelligendum est de aduerbijs ordinis, qualia sunt: dehinc, deinde, deinceps, interdum, interea, præterea. Exemplum: ut tua dehinc erit cura ne quid detrimenti accipiam. Et ad hunc modum reliqua. Hac ratione latinam orationem in his & similibus modeste si utimur, concinniorē efficimus, modo ea sint ab illustribus oratoribus & poëtis recepta. Consueuit autem Cicero nonnunquam hanc præpositionem, cum, huic ablatiuo qui, postponere, ut: Qui cū, pro cum quo, quod malæ consonantiæ causa eum fecisse arbitror. Nos uero in mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum, consuetudinem hanc retinemus. Sed in qui, cum pridem iste modus loquendi aboleuit. Similiter illa præpositio, de interdum à Cicerone suo casui postponitur, ut in secundo ad Herennium cum inquit: Vtrum enim ea res sit similis ei rei qua de agitur, quod item à nostro usu discessit. D

De præpositionibus necessarijs in coniungendis, multiplicandisq; orationibus, Praecep. XLII.

QVadragesimum secundum præceptum est circa præpositiones quæ orationes multiplicant. Præpositiones equidem quoniam ad orationes simul adiungendas sæpenumero uias aperiunt, ne aliquando sine ipsis nostrum mentis conceptum commode perficere possemus, Idcirco ipsæ præpositiones erunt nobis in coniungendis, multiplicandisq; orationibus plurimum considerandæ. Exemplum ubi sententia sine præpositionibus simpliciter explicatur. Cum prætor urbanus creatus sum, tuam mihi præsentiam necessariam esse dico, ut ipsam præturam melius gubernare possim. Quæ sic ex præpositionibus multiplicatur sententia Cum propter eximiam reipublicæ negociorum magnitudinem ad urbem accessissem, atq; in senatu me contulissem, ibi à senatoribus contra uoluntatem meam & præter opinionem prætor urbanus creatus sum in quo equidem gubernandæ præturæ magistratu, prudentiam mihi tuam necessariam esse puto. E

Interiectiones in lætitia, molestia, ammiratione, indignatione, spe, timore, aut huiusmodi animi passione, sunt utendæ, Praecep. XLIII.

QVadragesimum tertium sit circa interiectiones, quæ tametsi crebrius apud poëtas, quàm apud oratores contractantur, aliquādo tamen, cum aut aliquam lætitiam magnam, aut cum molestiā, aut ammirationē, aut indignationē, aut spem, aut timorem, aut aliquas huiusmodi animi passiones significare uolumus, eas etiam in nostra dicendi ratione possumus tractare, hoc scilicet modo: Proh bone Iesu clementiam tuam imploramus? Tantas heu, tamq; acerbissimas atq; intolerabiles bellorum atque penuriæ calamitates semper ita propitiemur. Vah quàm infelici stellarum constellatione nati sumus, si tam grauibus molestijs semper excruciari debemus. Sed heu benignissime Deus, tua denicq; clementia confisi, uniuersam tuæ misericordiæ bonitatē summis precibus obsecramus: ut de tantorum nos malorum incommodis liberes, & in trāquilla nos status conditione stabilias. F

Post perfectum sensum aliquando aliquid grauius pro affirmanda oratione ponitur, Praecep. XLIIII.

INterdum post eius orationis sensum qui perfectus est, grauius aliquid addat, quod affirmando exornat & auditoribus rem gratam efficiet: ut in hoc exemplo. Vir fortis omnia pro republica adibit pericula, & quidem impigre. Commouentur enim auditorum animi uehementius, quàm si dixisset: Vir fortis omnia pro republica impigre adibit pericula: quanquam uarietatis causa hoc dicendi genere interdum orator utatur. Illud autem placet ut cum in dicendo eò prouecti erimus: ut rebus de quibus loquimur satis à nobis factum sit, & aliquo egregio sensu oratio sit conclusa, quod nō ulterius prouehamur, ne gratia illa quam benedicendo nacti sumus, amplificatione nimia amittatur. In quod uitium plærisq; incidunt inscitia potius quadā negligētia, quàm rerū copia.

A *In graui figura laudis uel uituperij oratio ab initio ornatum habeat.*

Præcep. XLV.

SIcut in mediocri figura magis conuenit rem prius rudem & inornatam efferre, dehinc uerbis idoneis & grauioribus illam exornare, Ita in graui figura, siue in laude, siue in uituperio uersetur oratio ab ornatu initium sumat. Exemplum primi, ut: Pompeius facile omnium Romanorum cum armis, tũ consilio princeps magnus facile Pompeius fuit. Exemplum secundi, ut: Omnium Imperatorũ in rebus pacis & belli, mari terraq; gestis gloria Cæsar antecessit.

Nec in læta re uerbis tristibus, nec uice uersa uti debemus. *Præcep.* XLVI.

IN re læta uerbis tristibus, aut in tristi, uerbis lætis minime utamur. Vitiosum enĩ est, si in re funerea similitudinibus & exẽplis, quibus in uoluptatib. & delicijs utimur, nostros affectus, applicamus: uelut si quis in deploratione filij exemplum afferat parentum, quomodo ex nuptijs filiorum, cæterisq; rebus secũdis maximam conceperũt uoluptatem. Nam contrariorum comparatione acerbior pœna insurgeret. Cauendum est etiam ne in re tristi nimis lasciuiat oratio, aut in re læta inculta sit & horrida. Nam ut in rebus duris stilus uerborum exquisitus fugiendus est, ita in secundis & felicibus obseruatio diligens est habenda. Satius enim est perturbata potius prout doloris impetus suadet, quàm limata nimis atq; expolita cõpositione uti. Non equidem natura ipsa pa-
B titur, ut cum graui aliquo mœrore præmimur, uerborum compositioni uacare possit animus. Vitatur insuper ab oratoribus accurata compositio uerborũ, quando eloquentiam auditoribus suspectam esse intelligimus: tunc enim præcepta compositionis negligenda sunt. Quod pro Lelia Damicius Aferde industria fecit nõ terminando orationẽ in uerbum, dum inquit: apud iudicem periclitatur Lelia: Fugienda quidem est nimis delicata modulandi uoluptas nonnunquam. Si uero nostra oratio ad aliquam concitationem animorum quæ sit uehemens inclinabit, commodissime in uerbum aliquod finieẽ. Magis enim auditorũ animis, si in uerbũ finitur oratio. Caput aũt omniũ quæ ad elocutionis præcepta attinẽt illud uisum est, ut omnia ad rerũ de quibus loquimur, dignitatẽ accomodata sint. Recte itaq; Mœcenatis illa minime laudatur compositio cum inquit: Sole & aurora rubent plurima. Nam uerba rebus, non res uerbis accõmodare solemus.

De figura parenthesi interposita antequam ad uerbum principale orationis perueniatur. *Præcep.* XLVII.

INterdum post orationem inchoatam priusquàm ad uerbum principale peruenitur, interponatur oratio imperfecta uim habens parenthesis, ut in hoc exemplo: Omnes qui ambitioni & gloriæ student (id quod ignorat nemo) opinione magis quàm ueritate reducuntur. Et his similia, ut: Ego uero is sum (ita me Deus saluum uelit, si uere &
C non ficte loquor) Is inquam sum, qui sacras literas omni scripturarũ generi longe anteponam. Item: Legalem tibi sapientiam (à teneris ut aiunt annis cui frequens insudasti) summopere dedicasti. Item: Quid enim tristius (ut eos commemorem qui patrias suas colunt) quid miserabilius quàm domi suæ agere, atq; ita agere ut iocundiorem aliquando quàm uitam, mortem optes, &c.

De ratione numerorum. *Præcep.* XLVIII.

NVnc superest, ut de ratione numerorũ dicamus, & hoc tibi quadragesimũ octauũ in ordine cõstituto præceptũ. Quæ quidem de numeris ratio apud Isocratẽ tanto studio uel inuẽta uel aucta reperiẽ, ut nullã ex omnib. elocutionis partib. huic anteponaẽ. Sed cum huiusmodi disciplinæ præcepta uaria sint, nec Latini oratores seu auctores, ut Cicero, Quintilianus, & Martialis, in hoc Græcorum doctrinam semper secuti fuerunt, & magna sit inter eos contentio, in hoc fimbrias non dilatabo meas. Sed illud scias, uelim, quòd in hac præceptione illud obseruare studemus, ut si in monosyllabam terminaẽ oratio (quod raro fit) ubi perfectus sensus ab oratore seruaẽ, ibi considerandum est utrũ ea longa sit an breuis. Si longa est, eã præire Trochæus, debet, qui duabus ex syllabis constat, longa scilicet & breui, ut in hoc Ciceronis exemplo: Longum in rempub. prima uox. Quod si talis monosyllaba dictio breuis fuerit, tũc recte Iambus

qui est pes ex prima breui & ultima longa constans, ante illã collocatur. Sic ergo quando breuem breuis syllaba, aut longam longa antecedit, iure id reprehenditur, ut si dicas: Ista res mea est. Cum autem dissyllabum in fine orationis ponatur, cauendum est ne quatuor breues in fine syllabæ ponantur. In quod uitium incidit qui ait: Prodidi bona mea. Et plures aliæ à pluribus in materia numerorum ponuntur doctrinæ: sed certe referenda est ratio numerorum, tùm ad uarios animorum affectus, tum etiam ad dignitatem & modum sententiarum. Nam quæ iracunda est oratio, breuioribus: quæ uero læta & iocunda, longioribus numeris gaudet. Nonnihil etiam personarum dignitates causarumq; ac temporum uarietates momenti affert. Sed quoniam ab hac obseruatione sæpius ac industria recedendum est uel grauitatis causa, uel ut uarietate aliqua temperetur oratio, splendor ille numerorum intermittendus est. Caput enim omnium præceptorũ illud uisum est, ut rebus de quibus dicendum est, ars quidem numeris seruiat, & non res arti, à qua ratione qui discedet, omnis sanè elocutionis dignitatem perturbabit, & cætera. D

De modo punctandi, Præcep. XLIX.

QVadragesimum nonum præceptum circa modum punctandi orationes tibi trado: Sunt autem generales punctandi species apud modernos octo, scilicet, uirgula recta, scilicet sic / loco cuius more priscorũ exiguo puncto utimur sic' Virgula iacens quæ sic est – Virgula conuexa quæ sic fit) Planus qui sic est. Semipũctus qui sic est ⁝ uel secundum alios sic ·· Interrogatiuus qui sic pingitur ? Coma quẽ sic facimus secũdum imitatores priscorum oratorũ! Periodus qui sic est; Virgula recta loco cuius nunc punctum exiguum facimus, fit inter substantiua uel adiectiua, uel inter uerba modi finiti uel infiniti, uel inter ꝑpositiones quando nulla est copula, ita tamen quòd unum non ueniat ad determinationem alterius. Fit etiam quãdo oratio incipit à distinctione quæ per se non potest asignari sequenti supposito & uerbo principali: tunc eñ ante suppositũ principalis uerbi ponitur uirgula recta / uel punctus exiguus' Iacens uero uirgula semper debet in fine lineæ situari ubi dictio non sit completa. Vnum illud animaduertendum est / ne syllaba unquã diuidatur in fine lineæ, ita quòd altera pars syllabæ eiusdem sit in principio sequentis. Nam sicut syllaba uno spiritu est instanter proferenda, ita etiam in diuisibiliter est situanda. Virgula autem conuexa poni debet, & in principio / & in fine orationis, quando ponitur inter partes principales per parenthesim. Coma uero fit post orationem quæ de se perfecta esse potest! Cæterum si alia sibi annectitur imperfecta distincta incipiens à relatiuo, dummodo suum antecedens non immediate præcedat, quoniam nihil tunc poni debet. Præterea si sequatur dum uel donec, uel cum coniunctio, & sic de alijs quæ impediunt uerbum. Interrogatiuus duobus potest fieri modis: Altero post imperfectam orationem cum puncto exiguo sic? Altero post perfectam sic? Planus punctus fit in fine orationis perfectæ: tametsi dictatoris animus ad sequentem ulterioremq; sententiam pendeat. Semipunctus autem fieri solet quotiens uiri uel mulieris nomen ignoratur, uelut in subscriptionibus prælatorum sæpenumero contingit ⁝ Periodus uero in fine totius orationis fieri debet, quando nil aliud in ea materia sequitur, Sed est notandum quòd si in eadem Epistola diuersæ scribuntur materiæ, in fine cuiuslibet earum seruandus est periodus; Omnium horum exempla oratione in sequenti subijciuntur. Quoniam improbum in dies magis inualescit nequitia (nec mireris quia principes fauent sceleri) Hinc nihil mirum est innocentes calcari, cum potentes transeant impuniti! Quis enim potest esse modus facineri / languente iustitia / inflagrante nequitia / in uirtutis locum sententia cõstituta? Non itaq; ambigendum est, uirtuosum & spectabilem uirum dominum ⁝ Abbatem nostrum summo dolore confici; E F

De Rhetoricæ coloribus, Præcep. L.

QVinquagesimũ & ultimum in ordine præceptũ circa uerborũ exornationes siue colores Rhetoricales tibi tradere cõstitui, à Cicerone 4. lib. Rhetoricorum & pluribus illustrib. oratorib. traditas & enumeratas, quod longũ esset, ac fastidiosum aliqua

compre-

A comprehēdere norma: Idcirco aliquas ex eis numero, scilicet XXV uel circiter per elegantia quædam carmina tibi impræsentiarum uolo commemorare.

Quæ quidem carmina in hunc sequuntur modum:

Principijs repete uocem repetitio fiet. Tu mihi lex, mihi rex, mihi lux, mihi dux, mihi iudex. Te colo, te cupio, te peto Christe. *Repetitio.*

Si circa finem, conuersio fiet ibidem. Tu solus Deus es, bonus es, sapiens es, pius es. Qui terram portas, mare portas, sydera portas. Quem mare, terra, polus, nequeunt (portare uel aër. *Conuersio.*

Si facis utrunq; fiet cōplexio uere. Qui sunt qui pugnant audacter? Andagauenses. Egregios igitur liuor neget Andagauenses. *Complexio.*

Misce per casus uocem traductio fiet. Si nihil in uita iocundius est tibi uita. Inde corem uitam perages uirtute relicta. *Traductio.*

Si dicas contraria tunc contentio fiet. In luctu rides, inter conuiuia luges. Mane petis lectum, dimittis uespere tectum. *Contentio.*

Sæpius exclames sic exclamatio fiet. O quibus, ò quantis, ò qualibus es uiduata. *Exclamatio.*

Si quæris aliqd, statimq; tibi rationem Subiungas, super hoc ratiocinatio fert. Diues auarus æget: quare? quia competit usus. Tangere parta timet: cur? ne minuat aceruus. *Ratiocinatio.*

Assignes de quo sit quod oporteat, aut quid Debeat inde sequi, sententia dicit illud. *Sententia.*

B Cui satis est quod habet, satis illum constat habere. Ergo facit uirtus, non copia sufficientem. Et non paupertas uitium, sed mentis egentem.

Hoc tibi contra fit quod per contraria firmas. An metuas ægrum, quem sanum despiciebas. An soli cedas quem cum socio superabas. *Contrarium.*

Articulus fiet si sit distinctio uocum. Solus, inermis, inops, inglorius inde redisti. Ferro, peste, fame consumptus es, atq; peristi. *Articulus.*

Consimiles cadere facit concordia uocū. Fac tibi fortunam festinā fingere lunam. Et contra fatum faciet te cura beatum. *Similiter cadens.*

Agnominatio fit sensus uariusq; simul uox. Curia, curarum genitrix nutrixq; malorum. Iniustis iustos, inhonestis æquat honestos. *Agnominatio*

Quæq; rei causam, causamq; rei meditare. Subijce: post quod nō ita sit subiecto fiet. Quæ tibi causa uiæ? nunquid tibi flagra dabantur? Nunquid forte fames? semper tu fercula habebas. An labor? at ludo: somnoq; uacare solebas. *Subiectio.*

De uoce in uocem descende, gradatio fiet. Hic quancunq; uidet, cupit, & quancunq; cupiuit, Allicit: allectam uitiat, prodit uitiatam. *Gradatio.*

Diffinitio fit proprie monstrare quid est res. Prodigus ut largo, sic parcus distat auaro. Prodigus est animi uitio retinenda profundens. Largus qui sumptum facit ex ratione libenter. Parcus qui retinet quicquid non postulat usus. Qui retinet cupide C quod res deposcit auarus. *Diffinitio.*

Continues dicta, dicēdis transitio sit. Audiuistis qualē se præstitit iste parenti. Nunc qualis fuit ipse parens audite uicissim. Vt dignus nec patre queat, nec prole uideri. *Transitio.*

Corrige quod dictum prius est, correctio fiet. Ex quo semper amas imò uariaris amore. Sum nimis oblitus indecoris imò decoris. *Correctio.*

Occupat hic cum quid transire parat nec transit. Prætereo cedes periuria, furta, rapinas. Tedia forte darem si uobis ista referrem. *Occupatio.*

Disiunctum si quæq; suum fert clausula uerbum. Romanus populus Gallos sub Cæsare uicit. Sub duce Pompeio meditata regna subegit. Hannibalis uires Scipionis nomine fregit. *Disiunctio.*

Præcedens simul atq; sequens oratio solo Clauditur ut uerbo coniunctum sic habet esse. Aut ætas formæ decus atterat aut ualetudo. *Coniunctio.*

Non interponas uerbum ponas prius aut post. Adiunctum facies uersusq; sequens manifestat. Morbo uel senio formæ decus euacuarat. Extinguit speciem seu morbus (siue senectus. *Adiunctio.*

Conduplicatio fit oratio conduplicata. Tu ne patrem gladio crudelis Nero necasti? Tu ne patrem? nunquid mors patris, mors tua nunquid? *Conduplicatio.*

Cōmutatio fit uerbis sententia uersa. Nulla tacenda loqui, uel nulla loquēda taceri. Quis sapiens iubeat? quis'ue iubens sapiat. *Commutatio.*

Quære

Dubitatio. Quære nec elige quid potius dubitatio fiet. Tu quis es ignoro, quo te quoq; nomine dicam Nescio: si dicam spurcissime non erit æquum. Si scelus appellem nónne es deformior: an sis Nequior ignoro: nunc hoc mihi, nunc placet illud. D

Præcisio. Concipe, cōceptum cela, præcisio fiet. Te non est æquum certamen ponere mecum. Nunquid ego recolo, sed tu, sed dicere nolo. Non est dubium uir illustris, quin longe plures in dicendi stilo præceptiones deduci possent, quàm hoc loco à me descriptæ sint: Sed ego eas duntaxat denotaui, ex quibus omnes tuas dicendi rationes ex idonea, ornata, concinna, atq; commoda elocutionis compositione cōtexere posis. Et plura tibi descripsissem exempla, nisi optime mihi persuasissem, quòd cum tu unius exempli rationem & formam diligenter conceperis, reliqua faciliter animo percipere, & exercitatione pertractare posis. Accipe igitur pro tua clementia, princeps illustrissime, quæ illustrium sunt autorum monitiones & præcepta, & qua diligentia, qua exercitatione, quo labore, quibus deniq; uigilijs Aeneas tuus, tui semper obsequentissimus, in huiusmodi deductione & ordinatione præceptorum, rem tibi ut faceret gratissimam intentus fuerit, & summopere insudauerit, pro tua accuratissima prudentia, fac cognoscas.

Secundus Tractatus.

E

CVm superiori tractatu princeps illustrissime tibi breuiter absoluissem qua ratiōe, qua forma, & q̄ ordine cōmoda, idonea, & resonās cōtexi posset oratio: Nunc autē mihi in mentē uenit nō esse incōmodum aliquas etiam tibi uariationes & sententiarum synonyma, quæ ab insignibus oratoribus Stephano Flisco Sancinensi, & Casparino Barzizij Pergamensi datæ sunt, demonstrare: Quæ uel ad coniungendas partes Rhetoricæ orationis & argumentationis plurimum ualerent, uel ad eas satis exaggerandas & corroborandas admodū conducerent ac expedirent. Quas quidem uariationes, ut cōmodius & condecentius eas inuenire posis, quæ sunt: Exordium, Narratio, Diuisio, Confirmatio, Confutatio, Conclusio, eosdem Stephanum Fliscum & Casparinum Pergamensem uiros sanè celeberrimos, & rerum tractandarū admodum utiles, imitando ordinare, ut facilius cum illis uti uelles, tibi succederent & occurrerent. Tibi ergo imprimis eas exordiendi rationes, & uariationes quæ circa amorem sunt, & beneuolentiam describere curabo, quibus intercedentibus innumerabiles penè alias, tuipse ex imitatione inuenire poteris.

Exordia circa amorem & beneuolentiam.

DEus in primis proposito nostro, Amen. Amor enim noster uir illustris, scholastica apud gymnasia inter nos initus, me monuit ut huius operis ordinationem ad te inscriberem: Effecitq; ut me totum tanquā teipsum posidere posis: Vellem itaq; fortuna tulisset, ut mutua esset inter nos beneuolentiæ coniunctio. F
Nostram consuetudinis familiaritatem sempiternam esse cupio. Vetusta nostra nostrorumq; maiorum necessitudo, facit ut alter altero familiariter uti posit: Nihil enim mihi inusitatum declaras, cum tuam mihi amoris charitatem demonstras: Vt quòd unà certemus qua ratione alter alterum beneficijs superare posit. Nihil enim, ut proxime, &c. Diuino quidem auxilio factum est, ut me tibi beneuolentia coniungerem. Cœlesti arbitror auspicio esse factum, ut tuæ me familiaritati adijcerem. Nulla enim locorum longinquitas & distantia posset amorem nostrum immutare. Nulla temporis interpellatio amicitiam nostram immutatam reddere posset. Lampertum de quo mihi scribis, etiam si ab eo læsus essem, amore tuo amandum suscipiam ac ornandum. Tuam erga me beneuolentiam aperte expertus sum. Tua erga me gratificandi uoluntatem recte cognitam habeo: quoniā uoluntatem tuam bonā semper esse perspexi. Tuam mihi familiaritatem coniungere desidero. Sententia tua quam ego simplicem & apertam semper fuisse cognoui, facit plurimum ut optem unà tecum amore coniungi. Tanta est mea erga te amoris magnitudo, ut in te amando tibi neminem anteponam.

Summo

A Summo enim amore te complector. Vide quanta sit Terentij liberalitas. Vide quantum sit Terentius officiosissimus. Pamphilus summo erga me officio semper usus est. Sosia semper se mihi facilem præstitit. Simo se mihi semper eloquentissimum obtulit. Quæ pro me egisti gratissima mihi fuerunt. Quæ pro nobis ornasti, totæ nostræ familiæ fuerunt probatissima. Quæ pro meis rationibus pertractasti, fuerunt mihi acceptissima. Amicitia nostra quæ summis officijs ab utroq; culta est, hoc demeretur ut omnia nostra inter nos communia esse debent.

Colligatio nostræ societatis quæ maiores in dies uires suscipit, pro suo iure merito depostulat, ut nihil inter nos denegari possit. Accurata tui consilij sapientia facit, ut te mihi præcipuum teneam. Semper te in consilijs capiendis uirum summa sapientia præditum existimaui. Semper te in consilijs administrandis optima fide ac religione insignitum iudicaui. Semper te in omni recta uiuendi ratione singulari prudentia comparatum esse cognoui. Grauissimum ego semper iudicium ex tua sapientia feci. Maximam semper ego existimationem de uirtutibus tuis mihi concepi. Quoniam in agenda uirtute te primarium esse conspicio, uehementer desiderio ut nostro societatis moderator fias. Quoniam te uirum amplissima uirtute præditum esse concerno, expono quàm summopere omnibus meis te orationibus ad

B iungere. Honor enim qui ex scientijs celeberrimus comparatur, te plurimum adhortari debet, ut eas maximas complectaris. Dignitates quas solent studia literarum hominibus afferre, maximum debent tibi esse incitamentum, ut diligentissimam ipsis studijs operam adhibeas. Iustitia qua semper apud omnes usus es, facit ut optime de te sperare possim. Honorifica atque laudabilis tuæ uitæ gubernatio, facit ut uirum te bonum & iustum existimem. Integra enim atq; optima uiuenti ratio, facit ut hominem te purum, sincerum, æquum, innocentem iudicare ualeam.

Ex tuis literis mirificum tuum ega me amorem recognoui.

Tuæ mihi literæ qua me beneuolentia colis declarauerunt. Tuarum enim ad me literarum uisitatio diligens, tuam erga me memoriam significat.

Tuæ enim literæ quæ ad me frequenter deferuntur, satis magnum tuæ uigilantiæ argumentum declarant. Literæ tuæ mihi delatæ, sunt tuæ uitæ institutionis consimiles, plenæ prudentiæ, consilij, prouidentiæ, sapientiæ. Iocundissimæ fuerunt mihi literæ tuæ. Amantissimæ tuæ literæ amplum mihi gaudij cumulum attulerunt.

Magnam profecto iocunditatem ex tuis literis cœpi. Tuæ literæ ualde mihi graues & elegantes uisæ sunt. Reddite mihi fuerant tuæ literæ.

Ex tuis literis intellexi, cognoui, suspicatus sum, didici, animaduerti, iudicaui.

Ex tuis literis doctus, admonitus, adhortatus sum. Ex tuis literis doctior, pru-

C dentior, certior factus sum. Breuitas enim ad me tuarum literarum admonet, ut ego quoque ad scribendum breuior esse debeam. Cum te in scribendo breuem esse uideam, breuiorem etiam me quàm solebam esse debere constitui.

Quod caput fuit epistolæ tuæ, ad id potissimum respondebo.

Quod potissimum tuæ orationis argumentum esse uidetur, ad id præsertim rationes meæ defensionis applicabo. Vix potui tibi scribere summis occupationibus impeditus. Quærenti mihi quid ad te potissimum scriberem, illud in mentem uenit, ut ad uirtutes te plurimum adhortarer. Consideranti mihi quid tibi literis significare deberem, illud occurrebat ut ad studia bonarum artium te uehementer incitarem.

Si de tua erga me uoluntate dubitarem, pluribus uerbis ad te scripsissem, ut rationibus meis inseruires. Si de nostra amoris coniunctione suspicarer, longiori quidem oratione ad te contenderem, ut te mihi accommodares. Tuas mihi literas detulit Popilius plenas discordiæ, temeritatis, superbiæ, crudelitatis.

Tuam legi epistolam delirantem, ignominiosam, molestam, facinorosam.

Epistola tua fallentibus literis mihi delata est. Literæ tuæ inconstanter loquentes mihi redditæ sunt. Quem statum retineamus ex his literis cognosces.

Quæ tibi explicaturus sum, ita commoda sunt ac utilia, ut maxime debeas tibi comparare. Expecto enim summo cum desiderio, ut à tantis molestijs, in quibus quotidie uersamur, aliquando liberemur. Illud tandem mihi euenit, quod semper mihi maxime fuit adoptatum. Illud mihi tandem oblatum est quod semper optaui. Quod diu uehementissime desideraui, id mihi hodierna die felix fortuna detulit. D

Catonem tuo ad me nomine profectum uidi certe libentissime. Improbitatem aduersariorum credo te iam diu cognouisse. Quanta sit nostrorum inuidorum iniquitas, minime te fugere existimo. Deus Dauo malefaciat omnium hominum nequissimo. Deus Sabinum perdat hominum scelestissimum. Inuidorum detractionibus pari uoce respondere licitū est. Quod homines nocere mihi debēt, causam non habent. Quod quisquam mihi detrahere debeat, nulla quidem iusta causa sibi oblata est. Quod me homines iniurijs prosequantur, id profecto sine causa facere uidentur. Ineptiorem profecto Dionysium neminem uidi.

Insanior cæteris hominibus noster uidetur esse Carinus. Maxima aëris perturbatio, adhuc prohibet ne ad te accederem. Imbres & uenti causa fuerunt, ne tabellarios tibi mittere potuerim. Compellunt me tuæ uirtutes, ut tecū maxime lætari uelim.

Gaudeo plurimū te de me recta sentire. Lætor maxime meā uiuendi rationem tibi probabilem uideri. Accessio tui magistratus summam mihi affert oblectationem. E

Amplificatio tuæ dignitatis est mihi plurimum iocundissima. Gratulor fortunæ tuæ, uirtuti tuæ, perspicacitati ingenij tui, magnitudini animi tui, felicitati tuæ.

Virtutibus enim tuis adducor me tecum plurimum gratulari debere. Quod me amas est mihi uehementer gratissimum. Familiaritatis affinitas quam mecum officiosissime congelasti, maxime mihi uoluptati accedit. Non habeo quas merito tibi gratias reddere possim. Non reperio quidem, quibus rebus parem tibi gratiā referre queam. Non est idonea mihi concessa facultas, ut merito tibi gratificari ualeam.

Ea est mihi derogata potestas ex qua me tibi beneficiorum memorem demonstrare possem. Nulla satis commoda est mihi oblata opportunitas, ut uirum me tibi officiosissimum præstare queam. Magnas tibi gratias dico. Amplissimas tibi gratias habeo. Immortales tibi gratias ago. Condignas tibi gratias agere studeo. Merito gratias referre nitor. Ago tibi gratias cum pudore, tum tua summa in me officia rem potius quā uerba desiderent. Non tibi libenter uerbis gratias ago, cum præsertim amplissima tua in me benemerita rerum effectum non gratiarum actionem deposcant. Corripior uerecundia tam uili uerborū munere tibi gratias, cum immortalia tua in me benemerita rem ipsam demereantur. Iam uero ago tibi gratias: Cui enim re non possum referre gratiam, hic uerbis non patitur satisfieri. Magnam habeo Ciceroni gratiā, qui mihi causam dedit te amandi. Lentulo meo summas teneor gratias agere, qui initium aperuit me tibi coniungendi. Volutio maximā debeo gratiam referre, qui familiaritatē consequendi tuam materiā mihi obtulit. Quoniam in omnibus diebus meis mihi præsidio semper esse uoluisti, idcirco parē tibi gratiā referre studeo. Quoniā in omnibus meis agendis causis summū mihi tuum adiumentum præstitisti, ideo suffragationis tibi uicē præstare debeo. Quoniā omnib. meis rationib. te semper libentissimi accōmodasti, idcirco mutuam tibi officiorum actionem nitor retribuere. Omnes enim rationes perscrutor, ut pro tuis in me meritis, tibi merito gratificari possim. Omnes etiam uias excogito, ut pro tuis in me officijs uirum me beneficiorum memorem cognoscere possis. Nullum profecto locū prætermitto ut pro summa tua liberalitate parem tibi beneficiorum gratiam referre ualeam. Cum præsidio mihi opus est tuo, id libēter à te peto, sed multo libentius pro tuis in me officijs tibi gratias ago. Ego libenter meis te rationibus adiungo, sed libentius, tibi meum officium præsto. Tuum mihi auxilium libenter expeto, sed libentius parem tibi gratiam referam. Non me præterit tantum pro commodis meis te semper laborasse, ut etiam pro tuis ornamentis teneor uehementer insudare. Molitus enim pro me tantopere fuisti, ut ego quoque pro te maximopere conari debeam. F

Satis

A Satis enim mihi constat quod te pro rebus meis studiosissime exercueris, quæ res me merito adducit, ut etiam ex toto uigilantissime me præstare debeam.

Mandatum tuum curabo ut debeo, diligenter. Tuum negotium ago ut teneor, studiosissime. Tuam causam quemadmodum es demeritus, ad me recipio defendendam. Omnes orationes tuas ut mihi onus incumbit, omnibus uiribus sustinebo.

Studium enim meum nunquam est tibi defuturum. Mea enim fides nullo tibi loco deficiet. Ego nullum meum unquam tibi offitium denegabo. Sum quotidie curiosus quid in rebus tuis agam. Dies enim ac noctes diligens ad inuestigandum sum, quàm rerum conditionem possideas. Quanto studio causam tuam omnibus in locis defenderim, omnes tui declarabunt amici. Quantam enim diligentiam pro dignitate tua, ubiq; defendenda adhibuerim, ex tuis omnibus certior fieri potes.

Quo enim animo, qua cura, qua diligentia, qua'ue contentione rationes tuas in omni re curauerim, omnes tuos ad te scripsisse arbitror. De meo studio erga salutem tuam credo te cognoscere. Quæ sit mea pro tua uoluntate uigilantia, existimo te intelligere. Quantum pro te conseruando laborem desumpserim, arbitror te non ignorare. Ardentissimum tuæ gloriæ amplificatorem, me semper futurum esse constitui.

Perpetuus equidem tuarum uirtutum prædicator esse uolo. Assiduus enim tuæ

B existimationis buccinator existam, decet. Ego nullum locum prætermittam te laudandi. Ego nullum laborem subterfugio te iuuandi. Ego nullum periculum expauesco te conseruandi. Vide quanti apud me sis. Vide quanti tibi attribuo.

Vidi quanti te facio. Quàmprimum facultatem nactus fuero te iuuandi, omnia pro te agendi libentissime suscipiam. Vt primum oblata est mihi seruiendi opportunitas, nihil profecto prætermisi. Quantum enim in me est de me tibi polliceri potes. Quæcunq; in me bona sunt constant tibi paratissima. Quod tibi pollicitus sum, data opera paraui. Quod tibi promisi diligenter absolui.

In omnibus locis, ubi me esse contigerit, maximis te laudibus extollo.

Ego te quotidie commendare non desisto. Non cesso dies noctesq; amplissimis te laudibus illustrare. Dignitati enim tuæ ita faueo, quod omnia opera tua curem.

Omnem enim status tui conditionem ita charissimam habeo, ut omnia pro tua salute sim libenter expositurus. Facit enim perpetua tuorum erga me beneficiorum magnitudo, ut sedulo tui memor esse debeam. Amplissima in me tua officia, efficiunt, ut omnia quæ sunt grata, tibi pro te perficere debeam. Immortalia tua in me benemerita non sinunt me aliud quicquam, nisi de tuis commodis & ornamentis cogitare. Sum dies noctesq; sedulo in hoc occupatus, ut pro tuis in me officijs perpetuo commemorandis, tibi satisfacere studeam. Cum tua in me officia summa esse

C constet, omnia sunt mihi pro te merito ac diligenter agenda. Quantum in me est id omne pro tuis ornamentis effundere teneor. Quantas mihi bonorum accessiones comparare potero, omnes pro tuis cōmodis libenter in medium adducam.

Amor ea propter te iubet efficere quæ pro meipso non perficerem. Non enim possum adduci ea pro me agere, quæ pro te facere amor me cogit. Cum tua erga me benemerita considerarem, omnia sum libentissime perpessus, dum tibi auxilio esse possim. Cum animaduertam quanta fuerit tuorum erga me officiorum magnitudo, omnia diligentissime procurabo, ut morem tibi geram. Cum mihi in mentem uenit, quibus, quantis, quanq; magnis me beneficijs exornaueris, omnia sum pro te perpessurus, dum tuam dignitatem tueri possim. Cum tua in me demerita repeto, omnia constitui tolerare debere, dum rationibus tuis consulere ualerem. Cum id semper curaueris, ut me saluum esse uolueris, mea interesse uidetur, ut omnia pro te merito efficere debeā. Ego beneuolentia cōpulsus quæro quotidie, qua ratione me tibi accommodare possim. Ego affinitate cōmonitus, me tibi totum expono. Deos hominesq; testes imploro, honorē tuum non mihi minoris esse curæ, quā meū propriū. Deus qui omnia recte nouit, optimus testis esse potest, nullius alterius beneuolentiā quā tuam mihi accedere optatiorem. Omnes homines mihi testes adduco, me nihil

 aliud

aliud quàm felicitatem tuam adoptare. Quoniam arbitratu meo te semper fratus sum, eandem profecto rationem de me statuere potes. D

Quonaim uoluntatem tuam cum meo iudicio semper coniungere uoluisti, meum etiam consensum opinioni tuæ sum libenter accommodaturus. Quotiens auxilio tuo mihi opus fuit, te adeo facilem, dulcem, & humanum expertus sum, ut maximo pere tibi debere dijudicem. Quotiens mihi tuum præsidium expetiui, ita te mitem ac tractabilem semper esse cognoui, ut nihil quod à me uelis tibi denegare debeã. Quotiens te mihi fautorem præbuisti, ita te mihi liberalem atq; beneficentissimũ præstitisti, ut nihil sim unquã pro ornamentis tuis subterfugiturus. Amplissima tua erga me liberalitas, non patitur ut ulla quidem ratione me ores, cum omnia sponte mea pro te perficere debeam. Preces enim in amicitia nostra sublatæ esse debẽt, cum tua in me beneficia expetant, ut omnia quæ in me sunt pro tuis cõmodis in medium tenear exponere. Nõ enim opus est ut à me quicquã rogando cõtendas, quoniã immortalis tua in me beneficiorum magnitudo perpetuo me tibi deuinctũ efficit. Quoniã incredibilem quendã amorem tibi debeo, dies ac noctes de cõmodis & ornamẽtis tuis excogitare nõ desino.

Cum tu mihi obsequentissimus semper extiteris, me tibi omnibus in rebus cõsentientem expecta. Qui pro nobis incõmoda sustinuerunt, iure demerentur ut parem iacturæ uicem pro ipsis tolerare debeamus. Simultates, iurgia, conuitia, offensiones, atq; incõmoda, quæ pro æstimatione mea perpetuè nõ denegasti, satis me admonẽt, ut ego item nullius incõmoditatis genus pro te debeo subterfugere. Cũ pro incolumitate mea detrimenta atq; supplicia nõ subterfugisti, ego etiã pro salute tua afflictiones, ægestatem, famem, calamitatem, atq; interitũ non debeo formidare. Cum sit turpissimũ beneficia nõ meminisse, certe hoc summum quod ego à te officiũ recepi, & meminero semper, & prædicabo libenter. Quæ tu in me beneficia contulisti, nulla unquam mea delebit obliuio. Quæ in me benemerita declarasti, omnis mea complectetur posteritas. Quod me semper blandissime pertractasti, ex mea nunquam memoria decidet. Immortalia tua in me officia perpetuò quidem meo animo insident. Tua gratia (quæ mihi nunquam defuit) perpetuò me tibi deuinctum efficit. Tua summa liberalitas (quam paratissimam esse cognoui, me tibi semper obsequentissimum reddidit. E

Tua amplissima dignitas (quæ mihi semper opitulata est) me sibi totum uendicauit.

Exopto illam mihi dare facultatem, ut meam in te pietatem, beneficiorum magnitudinem, ratione cognitam habeas. Desidero maximopere ut ea mihi fortuna contingat, ex qua incredibilem meam in te uoluntatem re ipsa maxime comprobare possis.

Summa mea erga te beneuolentia, me compellit ut nihil debeam pro te recusare.

Maximum erga te amoris iudicium me plurimum adhortatur, ut in omnibus rebus me tibi accommodare debeam. Cum multa mihi gratissima sint quæ tu in me contuleris: tum uero hoc gratius, quod te semper uirum liberalissimum præstitisti. F

Cum omnia tua mihi optatissima sint, tum hoc desideratius, quod affinibus meis tribuisti. Cum omnes tui maximis me officijs semper prosecuti fuerint, illud sedulo excogitare debeo, ne tam amplissimæ liberalitatis immemor esse debeam.

Cum omnes tui semper me liberalissime complexi sint, nihil est quod ego non tum eorum, tum etiam tua causa debeam. Summus enim tuarum uirtutum splendor, & incredibilis meus erga te amor efficit, ut omnia pro tuis commodis tenear sustinere. Maxima studiorum tuorum æstimatio & perpetua nostræ beneuolentiæ coniunctio, facit me tibi omnibus in rebus totum patefaciam. Hoc tibi uelim persuadeas, me pro rebus tuis quotidie fieri diligentiorem. Scito maiori mihi indies esse curæ dignitatem tuam. Honor enim tuus perpetuò mihi animo residet. Negotia quidem tua quotidie mihi infixa sunt memoriæ.

De nar-

De Narratione.

Narratio breuiter debet explicari, dilucide aperiri, & uerisimilis declarari, idoneaq; & commoda esse debent.

CVm nostræ mentis conceptum aperire, & quæ nos ad dicendum moueant explicare uolumus, illud diligenter obseruandum est, ut narratio à nobis habita idonea & commoda constet. Debet enim narratio breuiter explicari, ut ab auditoribus faciliter comprehendatur. Dilucide aperiri, ut clarissime intelligatur: Et uerisimilis declarari, ut fidem posit auditorib. probabilem efficere. De quibus narrationibus aliqua hic principia aperientur, quæ si fortasse nimis pauca uidebuntur, hac profecto ratione excusari debent, quod unusquisq; cui aliquid narrare contingit, satis clarissime intelligat, quid sit illud & cuiusmodi existat, quod plurimũ ualuerit. Quod cum recte nouerit, facilis erit sibi defatigatio ad ipsum dilucide denodare, & apertissime demonstrare.

Narrationes.

Dubitanti mihi quid ad te scriberem, Lentulus noster ad te mihi scribendi materiam tribuit. Quærenti mihi quid meis tibi literis significarem. Callidius uiam scribendi demonstrauit. Expectanti mihi tuas literas, Cicero mihi nunciauit te nihil scribere posse. Volenti mihi tuas literas depostulare, Cicero me admonuit me frustra desiderare. Lectis tuis literis magna omnium gratulatio secuta est. Explicata tuarũ literarũ sententia incredibilis est omnium officiorum lætitiæ plausus exortus. Intelligo idem in his literis quod in superioribus intellexi. Idem postremæ tuæ literæ mihi declararunt, quod anteriores significauerunt. Non magis ex ultimis tuis literis admonitus sum, quàm ex prioribus cognoueram. Cum tuas literas lego tecum uideor colloqui. Literas tuas contemplans, tecum sermonem habere uideor. Quotiens tuas epistolas contracto, totiens uideor teipsum habere. Quod te excusas propter occupationes non potuisse scribere, satis apud me ualet. Accipio excusationem qua usus es, quod occupationibus impeditus scribere non potueris. Quod dicis te esse occupatissimum, tuis me literis uisitare non potuisse satis est. Ratio tua excusabilis mihi uidetur. Tantum ex prouincia redieram cum has tibi literas misi. Tantummodo ex magistratu remeauerã, cum hanc tibi epistolam consignandam commisi. Illuc tunc domum applicueram, quando ijs te literis uisitaui. Ego post tuas literas mihi datas, causam tuam quam primũ curare cœpi. Ego postquam recepi literas, primum quod ego feci dignitatem tuam defendi. Ego lectis tuis literis statim de rationibus tuis cogitaui. Res nostræ quo in statu sint ex his literis cognoscere potes. Hæc negocia quomodo se habeant, Cicero tibi declarabit. Nostra respub. quam status conditionem possidet, ex hac intellige.

B

C

Vni epistolæ respondi, uenio ad alteram. Primæ epistolæ satisfeci, nunc ad alteram accedo. In principio enim totius causæ usq; ad finẽ longa nimis esset narratio. Ab initio quidem totius negocij usq; ad extremum complexum nimis esset dicendi ratio. Ab exordio enim totius accessionis usq; ad calcem diffusa nimis esset commendandi ratiocinatio. In Cicerone poteris hæc cognoscere industriam, consilium, sapientiam, humanitatem, liberalitatem, modestiam. In Clodio hæc omnia experti sumus deceptiones, calumnias, uiolentiam, iracundiam, implicationem.

Optarem maxime mi Lamperte, ut pluribus ex causis bonarum artium disciplinis operam adhiberes. Primum quod ipsæ scientiarum uirtutes hominũ in genijs maximè conueniunt. Hoc primum: sequitur illud, quod opportunissimæ sunt in omnibus hominũ rebus siue secundis siue aduersis. Deinde nihil est ab ipso Deo, excepta anima, hominibus datum ipsis scientiarum uirtutibus præstantius. Et illud adiungo, quod nec oppida, nec ciuitates, nec prouinciæ, aut deniq; ulla respublica, absq; scientiarum præceptis gubernari possunt. Nec hoc tacebo, nisi ipsæ bonarũ artium doctrinæ apud humanum genus colerentur, homines profecto eorum uitam tanquam animalia bruta agere uiderentur. Et qui ipsis adhærent, eorum uitam florentiorem degere possunt.

Modo etiam quod ipsæ scientiarum uirtutes homini uiuo nunquam eripiuntur, mortuo uero sempiternam laudis æstimationem comparant, & animam reddunt illustriorem. Et illud rursus addendum est, quod tranquillis in rebus maximam afferunt hominibus oblectationem: Tristibus uero & calamitosis salutem important. Postremo quod caput est, ipsæ enim facultates scientiarum, talem tanquam amplissimam commoditatis opportunitatem secum afferunt, ut etiam si cæteras res homines amiserint, ipsæ tamen insignes bonarum disciplinarum uirtutes, ipsorum hominum uitam commodissime sustentare possunt. Neminem alium superesse uideo, in quo pristinam illam nostri amoris societatem repræsentare possim. Alium neminem cognosco, in quo priscam nostræ coniunctionis colligationem conspicere ualeam. D

Quo die te cognoui, te hac amare cœpi. Vt primum te uidi, magnum fidei nuncium futuræ nostræ beneuolentiæ concepi. Quàmprimum tecum locutus sum, in amorem tuum maximopere commotus fui. Vsq; à pueris nobis magna sum te beneuolentia complexus. Vsque à teneris unguiculis te magnifice amaui.

Vsque ab ineunti ætate tibi libenter inseruiui. Vsque à primis temporibus nostræ ætatis de quibus memoriam cœpimus, summa fui te beneuolentia prosecutus.

Mitto ad te Balbum tuis beneficijs exornandum. Cassius ad te proficiscitur tua benignitate complectendus. Lentuli ad te uisitatio, meam scribendi breuitatem excusabit. Cicero eius bonarum artium disciplinis, amplissimum Italiæ obtulit splendoris ornamentum. Pompeius rem eò perduxit, ut communis salus iam recreari possit Cato mihi testatus est incredibilem se meis rebus curam præstaturum. E

Fac in repub. omni cura ac cogitatione incumbas. Fac omnibus uiribus communi saluti inseruias. Omnia perfeci quæ ad rempub. attinent. Nihil quod ad rempub. pertineat prætermisi. Nullo loco defui ut respub. optime gereretur.

Si mores correxeris, benefacies. Si uitam emendaueris, melius tibi consules.

Si meliores uiuendi rationes suscipias, rem agis magis dignam. Si te uirtutibus assuefeceris, in uirũ præstantiorem euades. Tu quid res est uere existimas. Tu enim ita ut res se habet, arbitraris. Tu profecto ita sentis ut res ipsa futura est. Ego illud semper curaui ne quid agerem, quod merito posset reprehendi. Ego id semper optaui, ut meæ uitæ ratio probabilis haberetur. Aequo animo omnia tolerare decreui.

Temperate omnia deliberaui sustinere. Magna est memoria tuarum rerum gestarum. Maxima est de uirtutibus tuis existimatio. Omnia enim illa à te expectantur, quæ à uiro summo ingenio, summaq; uirtute prædito expectari solent. Cum mecum egeris ut te iuuarem, digna mihi res uisa est. Cum me rogaueris ut honorem tuum defenderem, æquum esse existimaui. Cum à me contenderis ut causam tuam curarem, amori nostro dignum esse dijudicaui. Cum à me efflagitaueris ut affines tuos complecti deberem, beneuolentiæ nostræ conueniens esse existimaui. Est enim animi ingenui, uirum se præstare quãgratissimum. Est hominis officiosi beneficiorũ se memorem demonstrare. Est enim boni hominis parem meritorum gratiam referre. Est hominis grati mutuis officijs respondere. Quotienscunq; Trebonius me uidet, maximas pro tuis in se officijs mihi gratias agit. Quotiens Trebonius it mihi obuiam, totiens pro amplissima tua in se liberalitate mihi gratificatur. Iocunda mihi Ciceronis oratio fuit. Ciceronem libentissime loquentem audiui. Adeo mihi gratissimus fuit Ciceronis sermo, ut neminem audiam libentius. Omnia feci ut uoluntatem tuam obtinerem. Omnia curaui, ut tuo esset satisfactum desiderio. Res enim bene se habuit. Bene gesta est. Felicem exitum consecuta est Optatum portum adepta est. Feliciter facta est. Ex sententia gesta est. Ex uoluntate acta est. Sententia profecto ex optatis meis lata est. Vt optaui ita est. Fortuna successit ut uolui & optaui. Negocium enim ex desiderio meo factum est. Sors enim cecidit quemadmodum uolui. Res enim est more meo constituta. Exopto uehementer ut tuarum uirtutum aliquod lumen eluceat. Tu fac, in agenda gloria te uincas. Tu fac ut ad summam gloriam contendas. Da operam ut in uirtutum F

A Da operam ut in uirtutum excellentia nemini cedas. Vellem accessisse tempus ut studio inuigilare possem. Operam mihi illam oblatam facultatem ut scientias exco lere & disciplinas pertractare ualerem. Vellem mihi illam opportunitatem contigis se, ut literarum studijs me totum exponere possem. Vellem ut superioribus annis me ad studium bonarum artium inuitasses. Vtinam ante hac ad disciplinam uirtu tum me totum conuocasses. Vellem id à te quod optime spero. Optarem il lud à uirtute tua, quod facile impetrare confido. Ego uix teneor quin ad te curram. Ego uix me contineo quin ad te aduolem. Quos ego risus excitassem, si adfuissem. Non enim abduci potuissem, si unà tecum extitissem in maximos risus incidissem.. Deo annuente sospites conualemus. Superis uolentibus incolumes euasimus. Diuina clementia intercedente, integros nos conseruauimus. Dei benignitate peri culorum calamitatem subterfugiam. Maxima afficior uoluptate, statum ciuitatis confirmare. Incredibile me tenet desiderium ciuiũ rationes conseruare. Eximia cõ moueor auiditate, patriam illæsam seruare posse. Tyberius, quod mihi magnæ lætitiæ fuit, narrauit pacem firmare debere. Auianus, quod libenter audiui, dixit tempora uen tura futuris esse tranquilliora. De statu nostrorum amicorum quotidie audio quæ uo lo. De statu rerum communium in dies, quæ placent intelligo. De rationibus rerũ

B nostrorum audio sedulo quæ grata sunt. De causa tua adhuc nihil perficere potui. De negocio tuo sum quotidie ita curiosus, ut nihil aliud curem. De rebus tuis optime spero me finem consecuturum. Ad *XI.* Calendas Iunij in prouinciam profe ctus sum. Ad *VI.* Nonas Iulij in Lombardiam ueni. Ad *VI.* Idus Octobris ex pro uincia regressus sum. Optime namq; mecum actum esse putarem, si studendi ocium mihi comparare possem. Commodissime profecto mecum & cum Stephano agere tur, si solitam pro tractandorum studiorũ libertatem cõplecti ualeremus. Ciceronem mihi narras & illa tempora pristina. Romanam rempub. mihi commemoras & illa præclara negocia. Quintilianum mihi comprobas & illa libertina priscorum studia. Christum mihi declaras & illos sanctos mundum illuminantes. Terentius ita est perdoctus, ut omnium uultus nouit exprimere. Terentius tam summus est orator, ut omnium hominum gestus faciliter sciat effingere. Ad summam quæris quid de repub. sentiam. Caput scire uis quis sit reipub. status. Effectum petis quæ mea sit de repub. uoluntas. Aetate ingrauescente adhortor alios uiuendi mores inire. Aetas graue scens me mouet, ut uiuendi formam immutem. Aetatis maturitas me compellit, ut a liorum uiuendi mores subsequar. Aetatis præcipitatio mihi uidetur innuere, ut aliam agendi institutionem ingrediar. Aetas iam discursa alia me monet cogitare. De bel lo Persico nos fama, rumore, nuncijs, tabellarijs, literis, certiores facti sumus. De exer

C citu & classe Mitridatis per nostra magna inde recepta pericula apertissime cognoui mus. Hoc autẽ scito omnes Numantinos eo esse animo, ut mortem seruituti ante ponant. Numantini nec deesse nec superesse Carthaginensibus uolunt. Appius (quod magnæ molestiæ mihi fuit) nunciauit magnam bellorum irruptionem expectari. Appius (quod inuitus audiui) dixit magno nos in periculo esse futuros. Appius (quod mihi uehementer displicuit) significauit magnas discordias futuras esse nobis. Dicitur nobis magnas inimicorũ copias parari. Nunciatur nobis amplissimas ho stium congregationes coadunari. Nunciatur nobis magnum inimicorum exerci tum congregari. Res sunt positæ direptioni & incendijs. Res arbitrio imperitæ mul titudinis uexantur. Res neglectis legibus, malorum libidini suppositæ sunt. Impe rium est diminutum. Omnes prouinciæ conquassatæ sunt. Omnes ciuitates turbatæ sunt. Respub. maxima accepit detrimenta. Vehementer me ad hoc coëgit inimicorum acerbitas. Maxime me ad hoc induxit aduersario rum iniquitas. Potissime ad hoc me traxit multorũ inuidia. Casus enim mirifi cus interuenit. Accessio rerum est uaria consecuta. Fortuna enim diuersa inter uenit. Sors equidem inopinata interiecit. Hoc mihi uitio dant.

Hæc

Hæc mihi impingunt. His me interminantur. In hoc me deliquisse disputant. Relinquebatur difficilis illa declaratio prouidendi. Restabat illa laboriosa pertractatio consulendi. Certum erat quando uenimus, ut inueniremus rationem recte tuteq; uiuendi. His etiam rebus carebam, quibus me potissime sustentabam. Eram præterea illis amicis orbatus qui mihi fauere solebant. Quam mihi spem pollicerer non erat. Quod primum mihi promitterem, non reperiebam. Quam secundam mihi fortunam sperarem, non occurrebat. Mihi enim uidetur indignum detractum esse Ciceroni. Videtur mihi Clodium à Scipione sine causa læsum esse. Nescio quo pacto nostra uita incedit in oculos maleuolorum. Constat enim Lentulum indignis quidem iniurijs à Pompeio affectum esse. Si quis forte fuerit qui mihi nocere uellet. Si quem intelligeres qui mihi detrahere niteretur. Si cuius iniquitatem pernotares qui æstimationi meæ inimicus esse conaretur. Omitte dicere quod olim dixeris. Nolo quod prisco tempore molitus fueris. Missa istæc facio quæ quondam temptaueris meminisse. Non meminero quæ priscis temporibus machinaris. Non sum iam commemoraturus quod iam pridem feceris. Non sum iam explicaturus, quæ iam dudum ætate commiseris. Mitto quod Clodius mihi semper fuit aduersarius. Prætereo quod mihi semper obfuerit. Non dico quàm acerbissimis me iniurijs affecerit. Taceo quod existimationi meæ uehementer detraxerit. His tam inauditis deceptionibus ludificatus sum. His tam intollerabilibus iniurijs affectus. His tam ignominiosis offensionibus lacessitus. His tam uiolentis læsionibus inflammatus. His tam angustiosis calamitatibus excruciatus. Recordor quod uacillabas, quandoque ineptas uoluntates rectis, & commodis consilijs proponens. Teneo memoriæ quod delinire solebas, quia scelera probitati anteponebas. Vides enim exhausisse hominum liberalitatem. Non te fugit hominum benignitatem nimis factam esse remissam. Satis enim exploratum habes hominum charitatem esse uehementer extenuatam. Hoc enim erat mihi dolendum. Erat enim hæc iniuria mihi plurimum permolesta. Erat enim hoc mihi deplorandum. Erat profecto hoc mihi acriter contristandum. Accidit mihi quod multis euenire solet. Mihi id contingit in quod recti homines sæpe numero incidere solent. Soleo equidem, non nullos fortunæ casus incurrere, quos etiam subierunt quàmplurimi. Hoc enim mihi accidit admodum iocundissimum. Hoc enim est mihi in optatis reponendum.

Non enim dubito te dare operam. Non enim dubito te curare, te instare, te inuigilare. Circumspice omnes rationes meæ causæ.

Considera omnia membra nostri status. Speculare omnes uires nostræ facultatis. Nihil est uirtute formosius, nihil amabilius, nihil pulchrius, nihil præstabilius. Nihil est probitate præstantius. Nihil est tua mihi institutione gratius. Nihil est profecto tua mihi uoluntate iocundius. Nihil est equidem tua mihi familiaritate suauius. Adhuc sum in ea sententia. Institutam opinionem adhuc obseruo. Ego enim is sum qui antea esse solebam. Adhuc sum in deliberata sententia constitutus. Mea enim opinio in dies magis confirmatur. Mea enim uoluntas omnibus in rebus constans semper permanebit. Me quidem in honesto proposito eundem semper esse uidebis. Necesse est enim ut horum unum sequamur. Oportet equidem ut istorum alterum subeamus. Potes enim hoc commodissime facere. Est enim in tua potestate. In hoc perficiendo idoneam habes facultatem. Quoniam ratio ita comparata est. Quoniam ita desuper datum est. Postquàm ita fortuna iubet. Postquàm ita sors cecidit. In hac profecto re ego interfui. In hoc ego negocio me comperi. Quibus omnibus in accidentibus me scias interfuisse. Vt testatur Cicero. Vt hæc omnia apud Ciceronem. Hæc omnia, ut inquit Cicero. Hæc omnia, ut Ciceronis sententiam esse uidemus. Vt apud Ciceronem constare uidetur. Hæc omnia promissa fuisse audiui. Hæc omnia confirmata esse cognoui. Certa uidi hæc omnia. Hæc huiusmodi esse statuo. Equidem hoc arbitror. Tantum enim uideor intelligere.

A Vt paulo ante dixi,commemoraui,proposui,præscripsi. Vt pauloante à me dictum, scriptum,commemoratum est. Cuius rei modo mentionem feci. Sed illud idem quod initio præscripsi. Illud equidem affirmare possum. Nec enim hoc est tacendum,prætermittẽdum,obliterandum. Nec hoc in extremis permitteretur.

Huc accedit commemoranda quædã beneficiorum præstantia. Potestatem habes. Facultatem possides. Tibi enim autoritas data est,facultas concessa, idonea oblata commoditas. Rem es profecto idoneam consecutus. Non est in mundo. Non enim constat in rebus humanis. Nusquàm profecto reperitur. Hoc enim in te est. Facilime potes. Plurimum uales. Epistola enim se non erubescit. Literæ quidem nullius conspectum uerentur.

Non enim scripturæ quenquam expauescunt. In hoc autem negotio mihi id occurrit. In mea autem causa hoc accidit. In meo autem proposito id euenit.

Vt uerum dicam. Vt uerum profitear. Vt uerum enarrem. Cum est ad nos allatum. Cum est nobis significatum. Nuntio tamen intimatum.

Quod cum dicerem illud etiam adiunxi. Et ut dicendi gratia factum tibi ostẽdam.

Et ut dicendi gratia rem tibi enarrem. Et ut exempli negotium tibi explicem.

Cum esses otiosus,negotijs uacuus,laboribus subleuatus,occupationibus relaxatus.

B Mihi hæc ueniunt in mentem. Hæc mihi occurrunt. Hæc me exagitant, commouent,adhortantur,impellunt. Ad me adire quosdam memini.

Quidam ad me profecti sunt,adierunt,conuenerunt. Id etiam. Illa uidi,curaui, dixi,feci. Existimo id quod est. Puto id quod re ipsa constat. Animaduerto rem ipsam ita esse. Mihi consilium captum iamdiu est.. Iam dudum mecum institui,deliberaui. Iam antea mecum decretum est. Hoc mihi iam dudum certum est. Iamdiu mecum quicquid sim acturus stabiliui.

Exclamationes.

Sermo uerbis certus. Oratio uerbis simulata. Sententia circumlocutione prolata. Effectus alienis uerbis coopertus. O rem gratam. O negotium acceptum. O causam desideratam. O actionem opportunissimam.O fortunam commodam.O cõditionem expectatam. O rationem apertam.O factum conueniens.O uirtutem expectatam. O industriam perspicacem. O consilium sapientissimum.O æquitatem benignissimam. O constantiam perseueratam. O modestiam frugalem.O multa præclara. O plurima florentissima . O plurima uenusta. O uaria magnifica.O quàm plurima egregia. O innumerabilia conducibilia.O multa intolerabilia. O multa abominanda. O multa indigna.O multa perniciosa. O multa errabunda.O innumerabilia implicata. O rem miseram. O incõmoditatem inauditam. O tempora calamitosa.O consilium perditũ. C O uitam uituperandam. O detrimentum magnum.O uersutiam immundam.O cognitionem pestiferam.O mores barbaros.O facinus audax.O faciem cadauerosam. *De exclamationibus.*

De Diuisione.

Diuisiones rerum explicandarum quotidie ad dicendum maximopere necessarias esse quis dubitat?Nam hæ profecto diuisiones cum auditores dociles efficiunt, tum ita attentos & admonitos reddunt,ut quæ necessariæ rationes & argumentationes consequentur,æquiori animo constituant,& eas lucidius intelligant.Ipsarum igitur diuisionum inuentiones prosequar,tametsi forte pauca putabis. Dicam igitur de quatuor rebus,uidelict de prudentia,de iustitia,de fortitudine,de temperantia, nostri illustrissimi principis. *De Diuisione.*

Duæ enim res sunt quæ me ad te amandum impellunt. Tria enim esse constat quæ me admonent,ut te mihi charissimum habeam. Hæc omnia me plurimum adhortantur,ut tuis rationibus inseruiam. Duabus tuis epistolis respondebo.

Tribus tuis sententijs non assentio. Quatuor opinionibus tuis acquiesco.

Sed breuiorem me duæ res faciunt. Verum tres causæ ne longior sim me commouent. Sed conditiones quatuor ne scribere potuerim,me retardant. Sed duo particu-

particulatim à te petò. Sed tria te nominatim rogo. Ostendam igitur Ora- D
toriam facultatem esse plurimum utilem, honorificam atque necessariam.

Probaturus igitur sum Marcum Ciceronem ex eius eloquentia magnam suæ reipub. commoditatem attulisse. Amplissimam omnibus poëtis dicendi opportunitatem reliquisse, & immortales sibi laudes ac nominis gloriam comparasse.

Multis de causis uellem. Pluribus rebus exoptarem. His omnibus rationibus quæ dicam cuperem. Tunc ego uaria pertractabo. Tunc ego diuersis cogitationibus non distrahebar. Tunc ego multa excogitare coactus sum.

Multa enim sunt in tuis epistolis deridenda. Plura enim inania à te dicta.

Compiura enim, sunt in tuis rationibus reprehendenda. In hac causa multa mihi ueniunt in mentem. In hoc enim negocio multa cogor excogitare. In his enim rebus multa animum meum exagitant. In hac enim controuersia uaria mihi cogitanti succedunt. Hominum senatorum uoluntates multiplices esse conspicio. Omnium doctorum diuersas esse sententias uideo. Cicero hoc longa oratione pertractauit: Cicero hoc acri contentione disputauit. In nostra beneuolentia conseruanda rationes quàm plures intercedunt. In nostra familiaritate complectenda permultæ sunt conditiones. Harum enim causarum nulla mihi uidetur consentanea. Harum trium sententiarum nullam approbo. Horum enim duorum ne- E
gociorum alterum ut faciam necesse est. In hac nostra controuersia est quoddam tertium. In re nostra alia est consilij deliberatio suscipienda. Quorum nemini credere possum. Quorum neminem fidum nobis amicum esse uideo. Horum uter mihi sit acceptior, non discerno. Horum utrum potius uelim, mihi incertum est. Horum quis sit magis exosus, aperte constat. Horum cuius uitia maiora sint, clarissime intelligimus. Horum quem maiori odio prosequamur, liquido patet. Horum enim quis uirtute sit præditus, & quis uitijs inuolutus satis intelligi potest. Horum cuius consilium sit officiosum, & cuius sit perniciosum clarissimum est.

Horum cui recta fides sit adhibenda & cui non sit credendum non dubium est.

Horum quem magis sequi, & quem effugere debeamus nobis est notissimum.

Horum autem quo uti & quo carere nobis liceat, nostri consilij est. Quorum alterum laude maxima prosequimur, alterum summa ignominia insectamur. Quorum altero plurimum gaudemus, altero uero uehementer contristamur. Quorum ab altero diligimur, ab altero acriter odimur. Horum unus uituperandus est, alter uero summis laudibus extollendus. Horum unius uirtutes desiderandæ sunt, alterius uero scelera sunt fugienda. Hi profecto digni sunt quorum alteri consulatum, alteri tribunatum plebis committas. Hi qui nullo modo ualent alteri balnea, alteri criminosorum custodia committatur. Quorum nulli uideo in studendo diligen- F
tiam. Quorum nulli adhærere possum. Quorum si alterutri adhærendum sit, officiosis potius quàm in artibus me adiungam. Quorum si alterum sequi debeamus, pacem potius quàm bella sequamur. Quorum utriusqꝫ uirtutem admodum semper amaui. Quorum utroqꝫ utor sepenumero. Vtrumqꝫ meum esse dixi, ut quid agere deberem moneres, & quid constitueris sustinerem. Vtrumqꝫ meum existimo ut unice diligam, & mutuis tibi beneficijs correspondeam. Dicam igitur summatim, narrabo compendiose. Literis ut res expostulat ordine respondebo orationi tuæ. Vt eam requirat particulatim conscribam disputationi tuæ. Vt argumentorum ratio deposcit, opinionem meam declarabo. Nos enim cum propter insignes uirtutes tuas, tùm propter ingeniũ tuum, tùm propter eximiũ tuũ erga me amorem, tùm etiam propter maxima in nos officia te mirifice diligimus. Qui partim, pro honore comparãdo, partim pro uirtute celebranda, partim etiam pro ignominia euitãda hoc refutare non debent. Qui profecto inimici partim imbecillitate, partim ignauia, partim timore nos tentare non audent. De quibus multa ad nos ipsos, multa ad rempublicam, multa etiam ad cæteros omnes pertinent. Planum igitur

uobis

A uobis faciam in hoc maleficio multos fuisse inimicos, multos corruptores, multos nocẽtes, multosq; consentientes. Qui uel ex odio, uel ex inuidia, uel ex ignorantia, uel ex arrogantia, uel ex capacitate, uel ex iniquitate semper nobis detrahere nituntur. Homines enim uolũtate immutantur, alius beneficijs, alius amore, alius iniurijs, alius suspitione, alius honore, alius ætate, alius fortuna. Aut enim sit Imperator, aut Rex, aut Dux, aut Princeps, aut dominus, aut cuiuscunq; generis existat, sapientia indiget.

Ad studium enim bonarum artium complectẽdum præter uoluntatem nihil tibi deesse uideo, nec ætatem, nec ingenium, nec facultates, nec præceptores, nec alias ullas res.

Apud alios uirtus literarũ excolitur, apud alios copia diuitiarum adamatur, apud alios bellorum disciplina exercetur. Quarum equidem scientiarum inuentio, industria, ratio, sapientia, consilium, eruditio, honor, dignitas, præstantia, laus, fama, gloria, te ad eas celebrandas uehementissime incitare debent. Explicaturus igitur sum quales boni in tuo negocio fuerunt, quales studiosi, quales negligentes, quales amici, quales aduersarij. Siue enim pacem, seruare uelimus, siue bellum exercere desideramus, siue res alias curare studeamus, uirtute utendum est. Quod si effecerimus, & honorem comparabimus, & commoditatem consequemur, & uoluntati nostræ satisfaciemus. Ostendam igitur uobis quantam cõmoditatem, quantam oblæsionem, quantã tranquillitatem, ex pace sumus consecuturi. In medium igitur adducam quanta incommoda, quanta pe-

B ricula, quantos errores, quantas destructiones, quantas malorũ calamitates, nobis bella sedula inferre possunt. Cognoscetis igitur qui boni ciues fuerunt, qui negligentes, qui studiosi, & qui seditiosi. Si rempublicam adamamus, si ciuium salutem charã habemus, si honorem desideramus, si commoditatem appetimus, si rem nobis gratissimã cupimus, si diligentem gloriam adaptamus, in hoc plurimum elaborare debemus. Nisi Clodij nocentem uitam monstrauero, nisi apertissime delicti uitia seu maleficia declarauero, nisi testes probatissimos adduxero, nisi apertissimum malum patefecero, omnium maximam me subiturum pœnam subijcio. Clarissime igitur intelligitis Lucium Catilinam multis nocuisse, multis detraxisse, multis inuidisse, multis fidem præstitã fregisse. Quo in genere multa audiui, multa intellexi, multa uidi, multa cõprehendi, multa cognoui, multa palpaui, quæ uobis declarabo. Percipies igitur quæ sunt in urbe gesta, quæ sint foris administrata, & quod senatusconsultum cõstitutum sit obseruandum.

Primo de pace dicturus sum, deinde de studijs, deinceps de moribus, continuo de republica, tùm de priuata commoditate ciuium, postea de religione, postremo de immortalitate animarum, unà cum salute omnium nostrum.

De confirmatione.

C POstea uero quàm intentionẽ nostram explicauimus, non tam iocundum erit auditoribus, quàm nostris rationibus permaxime cõmodum, ut aliquibus modis ex argumẽtationib. propositiones nostras cõfirmare studeamus: idcirco aliquas inueniẽdarum confirmationum uias in medium adducam, ex quibus quæ nobis conducere uidebuntur, eas usui nostro poterimus accommodare.

Nullla unquam ex parte cogitaui quanta me semper beneuolentia complexus fueris. Tua erga me amoris coniunctio testibus non indiguit. Amor enim noster confirmatur indies uehementius. Nostra profecto unitatis colligatio maius indies recipit incrementum. Societas enim nostra tam optimis beneuolentiæ fundamentis stabilita est, ut nunquam labefactari possit. Hoc uelim tecum habeas, neminem esse qui maiori à me quàm tu beneuolentia complectatur. Ad amplissimam enim tuorum in me officiorum magnitudinem, multæ aliæ bonorum accessiones intercesserunt. Ad eam enim nostræ antiquæ familiaritatis coniunctionem accessit singularis quædam tua charitas, qua me meosq; omnes complexus es. Non enim facile dijudicatur uerus amor, nisi aliquid tanquam ex auro experimentum uisum fuerit. Non enim recte cognosci posset beneuolentia, nisi rerum experientia fuerit comprobata. Hoc enim ut faciam nostri amoris uetustas depostulat. Hoc enim ut curem tua erga me officia demerentur. Facis enim rem amicitiæ nostræ condignam. Facis enim alienum

nihil à nostra beneuolentia. Est equidem Terentius in lata mei amoris parte collocatus. Res enim amore maiori à te curari non potuisset. D

Maiorem enim beneuolentiam in agenda causa mea mihi præstare non potuisses.

Hoc enim animo in me esse debes. Hac profecto uoluntate me debes complecti. Hæc enim res maximo mihi erit emolimento. Res enim ista rationibus meis maximopere est ducibilis. Hoc enim ad rationes meas constabiliendas uehementer pertinere uidetur. Nihil enim mihi acceptius ex omnibus humanis rebus exoptassem. Rem enim gratiorem euenire non desiderassem. Hoc enim fieri melius quàm dicere uolo.

Hoc enim re ipsa potius quàm uerbis fieri cupio. Nullus enim erit deliberandi locus. Hac opinione utilior nulla esse potest. Nemo enim esse potest hoc homine nobis opportunior. Nullum erit consilium hac deliberatione commodius. Nihil certe reperitur hoc negocio conducibilius. Nam ea cogitasti quæ maximopere conducunt. Nam ea fecisti quæ uehementissime comprobari debent. Nam ea transegisti quæ rationibus nostris se accommodant.

Omnia profecto curare uolo quæ te uelle existimabo. Omnia sum libenter suscepturus quæ tu mihi imponas. Omnia certe agere desidero quæ tibi conducere arbitrabor. Hoc profecto uelim existimes, me non minori cura uelle tuis laudibus quàm meis fauere. Hoc equidem tibi uelim persuadeas, honorem tuum non minus mihi quàm tibi ipsi charissimum esse. Perpetuum enim me tui defensorem es habiturus. Facilimum equidem me te laudis amplificatorem semper habebis. Quis enim est in negotijs, magis curiosus quàm Cicero? E

Quis enim in tractandis rebus minus impiger quàm Cicero? Non enim solum literis, sed etiam fasciculis te explebo, Non equidem tantum epistolis, sed etiam libellis te incitarem. Facilius est enim mihi tuis literis respondere, quàm te literis meis prouocare. Ego quidem leuius respondere possum quàm literis te meis incitare. Non enim tam grauiter laboro, ut tuis respondeam literis, quàm defatiger etiam meis te literis uisitare. Nullam equidem moram pati possem, cum me tibi accommodare debeo. Nulla profecto intercedit negligentia, cum tuæ res operam meam desiderant. Summam equidem pro rebus tuis curam adhibuimus. Nihil enim pro tua causa à nobis prætermissum est.

Omnia quidem rationibus tuis officia præstitimus, quæ ab officiosissimis præstari potuissent. Et iam in re fundamentum ieci maximum. Et iam in negocio spem bonam consecutus sum. Honorem enim tuum & uerbis & rebus quibuscum potui libenter exornaui. Dignitatem enim tuam & oratione & opere omni quantum in me fuerit tuebor. Totas equidem rationes tuas uiribus omnibus suscipiam defendendas. Nam Albertus tantopere pro te numerauit, ut nihil prætermiserit. Nam Cicero ita causam tuam egit, ut maiori quidem studio agere non potuerit. Quanto studio Phanius res tuas curauerit, testis est assidua eius uigilantia. Equidem nihil quod ad te pertineat prætermisi. F

Omnes enim sum rationes complexus quæ in tuam commoditatem redundare uidebantur. Omnia quidem feci, quæ dignitatem tuam exornare & facultates exaugere ualent. Omnia diligentissime curabo quæ rationibus tuis accommodari possunt. Complura profecto fuerunt semper tua in me studia laboris, diligentiæ, actionis, uigilantiæ. Immortalia quidem tua erga me semper extiterunt uirtutum beneficia, consilia, admonitionis, doctrinæ, amoris, adhortationis, uoluntatis, desiderij. Hæc enim tum tuæ dignitati, tum etiam nostræ beneuolentiæ me debere dijudico. Hoc enim tùm tuorum tùm etiam tuis uirtutibus attribuo. Dies enim atque noctes tua in me officia ante oculos uersantur.

Continua enim memoria immoratlia tua in me beneficia complector.

Tua enim in me benemerita nunquam mihi à memoria discedunt. Quæ tu in me

A me benemerita contulisti, nunquam ex animo dilabuntur. Hæc enim res nullam habet dubitationem. Hoc enim negocium nullam habet difficultatem.
Hæc enim causa nullum penè laborem desiderat. Nihil est quod studio & diligentia fieri non possit. Nihil enim est quod non posit beneuolentia confici.
Nihil est quod uerus amor non iubet efficere. Nihil enim profecto est quod dedita opera perfici non possit. Est enim consilium nostrum ab omnibus approbandum. Quod à nobis decretum est, rectum esse putamus. Quæ à nobis gesta sunt, omni uitio carere uidentur. Est enim mei consilij maiorem indies fructum & uoluptates capere. Meum enim consilium quotidie magis est mihi conducibile. Incredibile est enim quantopere tibi cupiam satisfacere.
Vix enim credere posses quantū cupiam uirum me tibi quàm gratissimum demonstrare. Cupio enim nullam timoris curam nobis insidere. Desidero plurimum nullam dubitationis molestiam remanere. Omnia profecto sunt tibi sustinenda, ut laudem & gloriam tibi compares. Nihil enim est quod non laude & gloria libentissime facere debeamus. Nihil est profecto tam difficile quod tibi non pro honore & fama facilimum debeat uideri. Ita enim natus es, ut negocia tua semper efficere debeas. Ita enim doctus es ut hoc assumere debeas.
B Sed illum tuum animum fac adhibeas, quo te esse oporteat. Sed eum te fac præbeas, quem tuæ uirtutes esse uolunt. Nullam profecto partem inuenies quæ non sit confracta. Nullum enim membrorum conspicies quod non sit debilitatum.
Nullum equidem locum uidebis qui non sit conquassatus. Tanta enim est tuarum uirtutum existimatio, ut hoc facere debeas. Tanta enim est tuæ probitatis spes, ut agere uelle debeas. Illa est equidem iocunda laus quæ à uiris laudatis proficiscitur. Ea est quidem firmissima laus, quæ ab his celebratur qui in maxima laude uixerunt. Hæc enim uera laus uideri solet, quæ non ex uerbis sed ex rebus ipsis nascitur. Ea quidem uera gloria uideri solet, quæ ex salute reipublicæ fieri solet.
Cicero ea natus est conditione, ut nihil quod rectum est curet. Cicero ea ratione est constitutus, ut honestum semper exquiret. Cicero is semper fuit, ut ab officio nunquam deduci potuerit. His enim consilijs præstat Cicero, quæ plurimum humano generi prosunt. His enim facultatibus abundat Cicero, quæ sunt omnibus conducibiles. Nullam posses disciplinam exequi, ex qua maiorem nominis existimationem comparare posses. Nihil equidem ex omnibus humanis rebus curare posses, quod uirtute clarius haberetur. Nihil enim est profecto quod humano generi magis conducat. Nihil enim est de quo maiorem homines commoditatem consequantur. Recte quidem facere plurimum ualet ad beate uiuendum.
C Officiose facere optimum ducimus ad feliciter uiuendum. Si uirtus aliquando locum est habitura, tu eris in supremis. Si uirtus ullam unquam est receptura facultatem, præstantissimum dignitatis locum obtinebis. Aduentus enim tuus clarus erit omnibus. Summo enim desiderio ab omnibus expectaris. Tua enim ad nos prouectio amplissimam tibi laudem comparabit. Omnes enim uiri prudentes hoc factum probant. Omnes profecto qui de rebus recte sentiunt hoc laudant.
Omnes equidem conditiones quas scripsi, probabiles existunt. Omnes causæ quas commemoras iustissimæ sunt. Quæ mihi narrasti ita ut dicis, constare uidentur. Quæ mihi per tabellarios & nuncios significasti ita esse constat. Fateor enim opinionem tuam esse ueram. Concedo equidem institutionem tuam esse laudabilem. Hæc enim si ita sunt, cætera erunt faciliora. Quod si hæc uera sunt, de reliquis optime sperandum est. Hæc si ita prædicant, cætera meliora sequentur.
Volo enim hoc te scire, nullius autoritatem apud me tantum ualere quantum tuam.
Hoc uelim ratum habeas, me nullius amore magis quàm tuo moueri posse. Non enim minus te uelle quàm posse mihi exploratum est. Non enim minus libenter hoc facere desideras, quàm ego expostulē. Ego enim singulis uerbis tuis singulare testimonia tribuam. Ego enim orationi tuæ autoritate maximam adhibebo. Hoc enim

mihi ut uero testi uelim credas. Hoc profecto Ciceroni ut supremo oratori credere minime dubitare debes. Testis est optimus in Catonem labor. Testis est enim mea in Catonem uigilantia. Omnes enim qui ista nouerunt testes habemus. Omnes enim qui hæc tractare solent pro nobis testabuntur. Omnes enim profecto qui hæc testantur firmam fidem præstare potuerunt. Omnis enim mea spes in te posita est. D

Omnem enim meam in te spem collocaui. Omnem profecto spem causæ gubernandæ in te uno firmaui. Omnis enim spes huius negocij perficiendi in te collocata est.

Neminem alium quàm te patronum esse uolo. Namq; illud non dubito quin etiam pro me libenter sis facturus. Non eisdem unquam ueritus sum, quin tu semper rationibus meis recte consulere uelles. Non enim dubitaui quin tu mihi libenter fauere uelles. Nihil enim tantum est quod à te confici posse non confidem. Nulla enim res tam difficilis esse potest, quæ tibi non fuerit futura quàm facilima. Scio enim quantũ ponderis oratio tua sit habitura. Scio enim quantum facultatis tua præsentia sit præstitura. Scio enim quantum commoditatis tua commendatio sit allatura. Te quidem maximum hominem futurum esse existimo. Te profecto uirum fore præstantissimũ iudicio omnium iudico. Te quidem summum in ciuitate uirum ex omnium spectatione maxime spero. In eum quidem locum res deducta est, ut nisi Deus nobis subuenerit, maximis incommodis subijciemur uel afficiemur. In talem enim statum negocia compulsa sunt ut (nisi nobis diuina clementia opem præstiterit) acerbissimas simus calamitates perpessuri. In eam enim causam me fortuna compulit. In id profecto infortuniũ me sors intrusit. In eandẽ quidẽ tempestatẽ me fatum iniecit. Illud enim est maxime in tuis rationib. illudẽdũ. Illud enim quod scribis merito uidetur irridendũ. Illud enim tuis epistolis plurimum ludificandum. Hoc enim non crudelitate, non culpa contractũ est. Hoc equidẽ errore non cum uitio accidit. Hoc profecto nimia facilitate, non fraude factũ est. Verecundia quæ in periculis repudiẽda est, Cæsari male cõsuluit. E

Timor enim infamiæ, quæ in difficilimis rebus memoranda est, multorum hominum causa mortis fuit.
Homo enim natus est ad desidiã excolẽdã.
Hominis uita tota languoribus est referta.
Hominis enim uita ad nihil aliud nata est, quàm ad fruges consumendas.
Hoc enim sic habeto.
Hoc tibi persuadeas uelim.
Ita habeas exploratum.
Hoc enim memoriæ manda.
De quo sic uelim existimes.
Spem habeas firmissimam.
Tu autem hoc tibi persuade.
Illud hoc tibi affirmo.
Crede enim hoc mi Cicero.
Illud quidem scio.
Tantum dico.
Illud enim dubito.
Hoc tàm uere dicam.
Hoc dicam ut sentio.
Illud enim apte audeo profiteri.
Illud profecto confirmare.
Ego enim uideo hæc plana fore.
Ego conspicio hæc esse futura.
Ego sic coniecto.
Ego equidem hoc augurio.

Ego hoc tibi polliceor.
Hoc confirmo.
Hoc profiteor.
Nihil est quod curem diligentius.
Mihi enim maximæ curæ est.
Est enim mihi plurimum cordi.
Hoc enim clarum est.
Certum est.
Exploratum est.
Manifestum est.
Liquidum est. F
Expeditum est.
In oculis enim positum est.
In medium adductum est.
Omnibus palam est.
Omnibus planum est.
Hoc unicuiq; apparet.
Hoc cuilibet planum extat.
Nulla enim de hoc est dubitatio.
Non equidem dubium est.
Nulla est de hac re controuersia.
Tantum dico.
Tantum scribo.
Tantum affirmo.
Non enim me præterit, fallit, fugit.
Clam est.
Non enim sum ignarus. Expers de hoc. Impru-

A Imprudens.
Satis enim intelligo.
Optime quidem cerno.
Diligenter animaduerto.
Clarissime perspicio.
Sic enim res se habet.
Sic enim esse constat.
Sic enim uideo.
Sic enim res habetur.
Sic enim dicitur.
Sic equidē fertur.
Sic enim uidetur.
Vt debeo.
Vt par est.
Vt ius postulat.
Vt tuæ uirtutes demeritæ sunt.
Vt mea beneuolentia requirit.
B Vt causa desiderat.
Vt ratio deposcit.
Vt casus exigit.
Vt conditio expetit.
Vt hortatur fortuna.
Vt accessio administrabit.
Vt sors cadet.
Nec iniuria.
Nec sine causa.
Nec enim immerito.
Nec enim mirum est.
Opus enim est.
Oportet quidem
Necesse est equidem
Necessitas enim postulat.
Expediens enim est.
Res equidem tua agitur.
Tuum est enim onus.
Tuum est officium.
Video enim quid mea intersit.
Non enim me fugit quid mihi conueniat.
Non enim me præterit quid mihi conducat.
Hæc mea fuerit coniectura.
Fateor enim hanc meam fuisse pronosticationem.
Hoc enim semper fore existimaui.
Morem profecto semper tibi gessero.
Tibi enim semper obsequētissimus fuero.
Sum enim tibi semper obtemperabilis.
A præceptis etenim tuis nunquam discedam.
Nullam unquam admonitionem tuam recusabo.
Si tuum mihi offitium præstare constitueris.
Si tuum mihi auxilium præstiteris.
Si te mihi accommodaueris.
Hoc enim ualde, prorsus, placet.
Hoc enim me plurimum delectat.
Hoc enim mihi admodū est gratissimū.

De Confutatione.

CONfutationes præterea maxime sunt ad dicendum necessariæ. Nam cū nostrorū argumentorū rationes auditoribus persuaserimus, nondū auditores satisfactum esse censebunt, nisi ea quæ nobis objiciuntur, aut tacite obijci possunt, probabilibus rationibus euelleremus. Quod cum ita sit, nōdum mihi uisum est incōmode factū, si de his refutandorum locorum rationibus cōsequenter ex ordine interseramus.

C Ego enim in te amando beneuolentiæ obtineo principatum. Tu enim sic à me diligeris ut nemo alius magis. Sed moriar nisi te amore superem. Sed peream si te beneuolentia non uincam. Non pene minus te diligo quàm perpetuo te semper amaueram. Sanè existimes neminem te mihi chariorem. Sanè credas neminem ardentiori me beneuolentia quàm te complecti. Si intellexero quid uoles, uoluntatem meam tuo desiderio adiungam. Si mihi persuadere potero quod desideres, faciā sponte mea quod cupis. Non enim impedient me inimicitiæ, dum tibi prosim. Nec ullus me dolor perturbabit, quin me tibi accommodem. Nec ullus me labor deterrebit, quin totū me tibi præbeam. Nec ullæ me occupationes retardabunt, quin tibi satisfaciam.

Fac habeas rationem nostræ beneuolentiæ. Fac nostri amoris sis diligentissime memor. Quid nostræ beneuolentiæ coniunctione prætermissum fuit? Quid nostræ familiaritatis societati adiungi potuisset? Non timebo omnia subire pericula, dum tibi prosim. Si una esse non poterimus, animorum tamen coniunctione fruemur.

Si mecum esse non poteris, ego tamen assidua cogitatione te amplector.

Si præsentiam nostram colere non ualebimus, licebit tamen mutuam in te recordationem celebrare posse. Pro salute patriæ cur non omnes exponimus facultates?

Pro communi salute cur non omnia bona profundimus?

Maioribus enim meis te benemeritis exornabo, quàm tibi in mentẽ euenire posset. D
Dirigam omnia pro te diligentissime. Velim enim à me expectes quæ amicissimo expectanda sunt. Nil enim à me prætermittitur, quod ad te pertinere existimarem. Omnia uelim à me & familiariter expostules, & optima spe expectes.
Id enim agam in rebus tuis, ut nullam sis meam negligentiam accusaturus.
Cum plus pro te fecero quàm potuero, minus tamen profecero quàm debuero.
Cum longe maiora pro tuis ornamentis conatus fuero quã mea facultas præstare poterit. Multo minora fuero consecutus quàm immortalia tua in me benemerita depostulent. Si mihi pro te moriendum esset, nulli tamen parti tuorum in me officiorum uideor satisfecisse. Si mihi pro commodis tuis uita esset effundenda, non tamen uiderer in me meritorum magnitudinem assecutus. Ego ut par est, ad uoluntatem tuam me confirmo. Ego ut in me tua iura depostulant, me tibi totum accommodabo. A Ciceronis uoluntate honesta peramplissima in me merita dissentire non possum. Per Ciceronis familiaritatem ac amorem non licet mihi ab eo dissentire. Nulli cuiquam concedo, quod tui studiosior sit quàm ego.
Nemo in hoc me uincere potest, qui tuæ dignitatis cupidior sit quàm ego.
Nec ullum unquam tempus pro te ut laborem defugi. Nec ullam unquam rem pro te omisi, nec omittam curare. Nec tamen Catoni defuturus sum. E
Nec tamen Catonis causam derelinquam. Iniuriam à te mihi fieri puto, cum à te roger. Rem mihi ingratam facis cum aliquid precibus à me contendis.
Magna me afficis iniuria cum rogando officium meum postulas. Ego plusquã feci, facere non potuissem. Ego maiores uires quàm ostendi, præstare non ualerem.
Te quàmprimum incommodis liberassem. Te silico incolumem reddidissem.
In hac causa magis elaboraui quã ostenderem. In his rebus maiora sum acturus quàm demonstrarem. Non enim perscribere possum quantũ mihi erit gratum si Catonem quietum reddideris. Non possum uerbis explicare, quàm erit mihi iocundũ si Catonem ociosum præstiteris. Nullo satis possum dicendi genere declarare, quàm mihi erit acceptum si Bernardum molestijs liberaueris. Quid enim est, cur non bonorum familiaritatem desiderarem? Quid obstare uidetur, cur non iustorum cõsortium mihi adoptem? Oblitum me putas amoris, charitatis, humanitatis tuæ. Immemorẽ me existimas tui erga me officij, laboris, diligentiæ, uigiliarum, periculorum. Ingratũ me arbitraris liberalitatis, benignitatis, beneficiorum erga me tuorum.
Quod si uita mihi contigerit, me tibi amicissimum demonstrabo. Quod si uita mihi superstes fuerit, me tibi memorem beneficiorum præstabo. Nisi ob tuam erga me beneuolentiam, tibi cumulatissime satisfecero, hominem me esse non arbitrabor.
Nisi pro immortalibus tuis in me meritis parem tibi gratiam retribuero, uirum me bonum non existimabo. Nisi tu erga me officia paribus meritis comprobauero, me hominem non iudicabo. Non enim mihi ullo modo satisfacio cum non reperiam quibus rebus tibi gratias refero. Cum ea quæ tibi desiderem re ipsa cõsequi non possum. F
Cum nullam partem tuorum erga me meritorum in referenda gratia consequi ualeam. Nunquam enim mihi acquiescam, nisi prius quæ à me uelis ex sententia perficiam uel conficiam. Ego tanti te facio quod quicquid agerem, statim probaturus sum. Pro summo in te meo amore quæ tibi placere uidebuntur, rectissimè uera existimabo. Nihil enim committere posses quod mihi posset displicere.
Plus enim à te mihi prouisum est quã postulaueram. Maiora quidẽ in me benemerita contulisti quã à te contenderem. Nolo enim Sosiam optime de me meritum derelinquere. Non enim mei esset officij, quod sufferre deberem, quod inuidi Casparino mei amantissimo detraherent. Malo enim meis in te rationibus delectari quàm alienis officijs gubernare. Quæ facio quotidie magis me delectant quàm aliena.
Nõ enim diuitias, sed uirtutes sum secutus. Illud cogita ne rem minus periculosam existimes quàm sit necessarium. Illud prouideas, ne timendo magis timere cogaris.
Sed ea tu insignitus es sapientia, quod maiora prouidere posses. Verum tu singulari

industria tua hæc commodius transigere poteris. Sed tu hoc facilius multo pro
A tua singulari prudentia iudicabis. Sed tu hoc melius ex re reparare constitues.

Quæ omnia acciderunt Cicero dixit futura. Qui autem casus euenerunt, Cicero ante multo dixit. Quæ autem sunt consecuta, Cicero est ante pronosticatus.

Quod si tibi hoc consilium non placebit, aliud mittemus. Quod si hæc tibi ratio non satis uidebitur consentanea, alias quæramus commodiores. Non dubito quin tu plus prouideas quàm ego admoneam. Nec diffido quin tu melius rem pertractas quam ego tibi declarem. Quæ autem fortunæ accessiones sint consecutæ quis uaticinari potest? Quæ acciderunt fuerunt uera tam re quàm suspicione. Nam intelligo istis rationibus te nihil proficere. Non uides rebus istis nihil prodesse posse.

Quod si non possum aliquid perficere suadendo, ego iam & precibus à te contendo. Negotium ego suscipiam, & conabor quod possum.

De Conclusione.

CVm autem epistolas nostras, uel orationes iam exordio, narratione, diuisione, cōfirmatione, ac confutatione absolutas dederimus, consequens ac necessarium uidetur, ut eis conclusiones accommodemus. Idcirco has immodicas conclusionū inuentiones cæteris superioribus orationis partibus duxi adiungendas.

B Tu igitur me amabis, si hoc idem me in te facere existimes. Tu igitur mihi inseruies, si mutuam me tibi uicem præstaturum arbitraris. Si fieri posset uelim pristinum erga me amorem conserues. Si effici poterit, cupio ut solitæ nostræ beneuolentiæ coniunctio integra conseruetur. Fac igitur mutuo me diligas. Eadem igitur fac me beneuolentia complectaris. Parum igitur fac mihi uoluntatem præstes.

Eo igitur inter nos simus animo quo semper fuimus. Simus igitur ea uoluntate qua merito esse debemus. Tu igitur sicut mihi pollicitus es persoluas. Quod promisisti uelim tua fide satisfacies. Quam mihi spem dedisti uelim re ipsa mihi præstes.

Fac igitur quod mihi es pollicitus, re ipsa experiar. Fac ita ut mihi dixisti, opus appareat. Tu igitur uelim, ut scribis, me charissimum habeto. Quoniam igitur iustitiæ tuæ me dedi, ergo rationibus meis in re ipsa opitulari debes.

A te igitur peto, ut rationes meas commendatas habeas. A te igitur contendo, ut statum meum complectaris. Adiuua me igitur tua uirtute. Suscipe igitur me totum tuis beneficijs exornandum. Ama me igitur tua solita beneuolentia.

Te ergo rogo, ut me ita tueare sicut amicitia nostra depostulat.

Te ergo oro ut meas rationes ita defendas sicut amicitia nostra depostulat.

Te ergo obsecro, ut meas rationes ita defendas, sicut nostra necessitudo requirit.

Quare te oro ut causam meam agas. Quare te obtestor, ut me tibi in omnes par
C tes defendendum putes. Quare à te contendo, ut me totum conseruandum recipias. A te igitur peto, postulo, efflagito, contendo, ut dignitati suffrageris.

Itaq; te etiam atque etiam rogo. Itaq; te uehementer obsecro.

Itaq; te plurimum obtestor. Beneuolentiam igitur liberalitate à te peto.

Rogo igitur ut ne fallas opinionem meam. Te igitur obsecro, ne spem meam decipias. Te igitur oro, ne spes mea frustrata maneat. Vehementer igitur pro rationibus meis diligentiam fac adiungas. Si igitur quod uolo statueris, te mei status amatorem existimabo. Si igitur quod cupio feceris, te mihi amicissimum iudicabo.

Hæc igitur tibi erunt curæ quemadmodum confido. Ex omnibus igitur rebus nihil est quod mihi gratius facere posses. Hoc igitur ut spero perficias.

Cætera alia prætermittas, cum negotium meum opera tua indigebit. Non facile credere posses, quàm mihi hoc erit acceptum. Gratissimum igitur feceris, si in hac re mihi morem gesseris. Tuas igitur literas summa cum auiditate desidero.

Incredibile me tenet desiderium uidendi literas tuas. Fac igitur ut sæpissime per tuas literas mecum agas. Ignosce igitur celeriter celeritati literarum.

Parce festinationi epistolarum. Sed iam his finem impono.

Habes

Habes rem (ueluti polliciti sumus) confectam Lector, ex quo tantum commodi ac utilitatis percepturus es, quantum uoles. Voles autem intrepide uigilanterque his nostris insudare laboribus, ex quibus quantum lucri consecuturus sis, haud facile breui oratione explicabimus. Tu interea nomen autoritatemque præceptoris Aeneæ ne flocciferis, cuius post omnium mortalium honorem, non minimum hoc æuo fulget ingenium, Vale feliciter. D

FINIS.

Errata inter excudendum commissa ita emendabis.

Pagina 9. uersu 45. in margine Mariam, pro materiam. 82.23. Deus, pro Dedus. 85.5. remedium. 94.9. filia. 94. 12. malefici. 130.50. Christianæ. 136.25. inimicorū 156.25. &c, est superuacaneū. 180.50. uictor. 191.13. episcoporū synodū &c. 198.15. depopulati sunt. 203.34. Conradi se fidei permittentes. 206.6. quem. 209.12. Flandriæ comitē exercitum ut &c. 210.41. mons est, excelsus uerò &c. 211.11. lege Anno 1087. in margine. 238.20. Græciæ. 251.32. sequentis. 251.50. ducere exercitum cœpit. 256.46. Robertum. 259.32. Ioannes. 260 30. duxit. 269.48. Florentini. 272.29. obsedit. 307.34. Saguntinus. 328.23. quateretur. 353.15. fanū. 378.41. ductas. 381.39. contrariū. 385.10. Ischmū. 355.37. de deditione. 425.50. uocari. 308.37. partim. 436.30. aptior. 439.15. minus audacis præsumpti facinoris. 435.1. Achilles. 441.9. regi. 447.14. ciuitati. 458.43. nutabat. 462.14. puellæ. 466.22. à se dimisit. 306.51. arx. 368.39. ausos. 469.29. se non inire, lege pro in eūdem. 472.21. Philelphus. 474.13. magnificè. 495.28. iocos. 501.15. omnib. 509.46. Ilio. 516.10. securissimā. 524.35. cōuitio. 529.9. quib. 529.18. ueniat. 529.24. melioris. 531.6. maliloquæ. 539.17. egeat. 546.20. proscribere. 549.16. ubique. 562.46. quidem. 564.22. qui 564.49. Itum est. 571.19. nescio. 594.15. mihi. 647.47. scripta. 672.46. Corinthios. 731.42. ulli. 751. ne. 763.18. uita. 797.14. exiturus est. 831.39. Palatinus. 942.36. Iuuencus. 944.18. simus. 957.11. ferream. 928.16. Phalerus. 996.23. propterea. &c.

BASILEAE PER HENRICHVM PETRI
MENSE AVGVSTO ANNO M. D. LI.